PATROLOGIÆ
CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CLXXVII.

HUGO DE S. VICTORE

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1854

SÆCULUM XII

HUGONIS DE S. VICTORE

CANONICI REGULARIS S. VICTORIS PARISIENSIS

TUM PIETATE, TUM DOCTRINÂ INSIGNIS

OPERA OMNIA

TRIBUS TOMIS DIGESTA

EX MANUSCRIPTIS EJUSDEM OPERIBUS QUÆ IN BIBLIOTHECA VICTORINA SERVANTUR ACCURATE CASTIGATA ET EMENDATA, CUM VITA IPSIUS ANTEHAC NUSQUAM EDITA

STUDIO ET INDUSTRIA

CANONICORUM REGULARIUM

REGALIS ABBATIÆ S. VICTORIS PARISIENSIS

(Rothomagi 1648, fol.)

EDITIO NOVA

SPURIIS ET ALIENIS IN APPENDICEM AMANDATIS, ORDINE POTIORI DONATA, PRÆFATIONIBUS AMPLISSIMIS VARIISQUE OPUSCULIS AUCTA ET ILLUSTRATA

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS TERTIUS

VENEUNT 3 VOLUMINA 21 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE

1854

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXXVII CONTINENTUR.

HUGO DE S. VICTORE.

APPENDIX AD OPERA DOGMATICA.

De bestiis et aliis rebus libri quatuor.	*Col.* 9
De anima.	165
Priorum Excerptionum libri decem.	191
De unione corporis et animæ.	285
Apologia de Verbo incarnato.	295
De Verbo incarnato collationes tres.	315
De filia Jephte.	323
Speculum de mysteriis Ecclesiæ	335
De cæremoniis ecclesiasticis.	381
De canone mystici libaminis.	455
Miscellanea.	469

APPENDIX AD OPERA MYSTICA.

Sermones centum.	899

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

APPENDICIS

AD

HUGONIS OPERA DOGMATICA

CONTINUATIO

DE BESTIIS ET ALIIS REBUS

LIBRI QUATUOR

Quorum primus et secundus Hugonem de Folieto, ut videtur, auctorem agnoscunt; posteriores duo ab anonymis compilati.

INDEX. Trium librorum sequentium de naturali historia, sive de proprietatibus rerum, qui *Bestiariorum* nomine vulgo inscribuntur; quarti autem, qui de proprietatibus et epithetis rerum est, quia serie litteraria scriptus est, non collegimus tabellam. Illorum autem trium tabella secundum litteras collecta est sub duplici numero, quorum prior est libri, posterior capitis, hoc modo :

A

Abies, lib. III, cap. 56.
Accipiter, lib. I, in prologo et cap. 13. Accipitrum species, I, 14. Curatio, I, 15. In læva gestatio, I, 16. Pertica, I, 17. Pedicæ, I, 18. Lora et corrigia, I, 19.
Adamas II, 34.
Adolescens, III, 61.
Ætates hominis, III, 61.
Agnus, III, 15.
Ale et axillæ, III, 60.
Alcion. *Vide* Halcion.
Alnus, III, 56.
Alvus, III, 60.
Amethystus, III, 58.
Amphibii pisces, III, 53.
Amphysibena. III, 44
Amygdala, III, 56.
Anas, III, 36.
Anguilla, III, 53.
Anima, III, 59.
Animalium naturæ, III, 12.
Animus, III, 59.
Anser, I, 46.
Antula sive antus sive antolops, II, 2.
Anus, III, 61.
Aper, III, 17.
Apes, III, 38.
Aqualicus, III, 60.
Aquatilium genera, III, 53
Aquila, I, 56.
Aquilo ventus, I, 12.
Aranea, III, 54.
Arbor Indica, III, 39. Arborum species, III, 56.
Arca, III, 60.
Ardea, I, 47.
Arimaspi, III, 58.
Aromata, II, 23.
Arteriæ, III, 60.
Artus articuli, III, 60.
Arvina, III, 60.
Asinus et Asellus, III, 22.
Aspis, II, 18 et 30.
Aspidochelone, II, 36.
Assida, I, 57.
Aves generatim sive in genere, III, 27. Aves hercinæ, III, 31.
Auster, I, 12.
Auditus, III, 59.

B

Balænæ, III, 53.
Barba, III, 60.
Basilicus, III, 41.
Batracha, III, 50.
Berillus, III, 58.
Boa, III, 45.
Bombyx, III, 54.
Bonasus, III, 5.
Bos, III, 19.
Brachia, III, 60.
Bubo, I, 48.
Bubulus, III, 19
Buxus arbor, III, 56.

C

Cadaver, III, 61.
Cæcum intestinum, III, 60.
Cæsaries, III, 60.
Caladrius seu caladrus, I, 48 et II, 31.
Calcedonius seu Carchedonius, III, 58.
Calcs, III, 60.
Camelus, III, 20.
Cancer, III, 53.
Calvaria, III, 60.
Canes, II, 17, et III, 11.
Canities, III, 61.
Caper, II, 15.
Capilli, III, 60.
Caput, III, 60.
Caro, III, 59.
Cartilagines, III, 60.
Castanea, III, 56.
Castor, II, 11.
Catus murilegus, III, 24.
Cedrus, IV, 26, et III, 56.
Cervi, XI, 14.
Cervix, III, 60.
Cerastes, III, 42.
Charadrius, I, 48, et lib. II, cap. 31.
Chrysolithus, III, 58.
Chrysopassus, etc. *ibidem*.
Ciconia, I, 42.
Cilia, III, 60.
Cimæ et rimata, III, 56.
Cimex, III, 51.
Cinnamulgus, III, 30.
Cirri, III, 60.
Classis Salomonis, I, 54
Clunes, III, 60.
Collum, III, 60.
Columba, I, in prologo. Columbæ tres, et earum pennæ, I, 1. Columbæ dorsum. *Ibid.* cap. 2. Oculi et alæ. c. 3. Columbam respicientia. *Vide* lib. I, usq. ad c. 11.
Comæ, III, 60.
Compagia, III, 60.
Concha margaritifera, II, 33. Conchæ et cocleæ, et earum genera, III, 55.
Cor, III, 60.
Cornix, III, 33.
Coruum, III, 60.
Corpus, III, 59, et III, 61. Corporis humani ratio, III, 60 et 61.
Cortex, III, 56.
Corvus, I, 33.
Costæ, III, 60.
Coturnix, I. 51.
Coxæ, III, 60.
Crines, III, 60.
Crocodilus, II, 8, et iterum, III, 53.
Crura, III, 60.
Cubitus, III, 60
Cutis, III, 60.
Cygnus, I, 53.
Cypressus III, 56

D

Defunctus, III, 61.

Delphini, III, 55.
Dentati pisces, III, 55.
Dentes et eorum species, III, 60.
Dextera, læva et sinistra, III, 60.
Digitus, III, 60.
Dissepium, III, 60.
Dorsum, III, 60.
Draco maximus, II, 24.
Dromedarius, III, 21.
Dypsas, III, 49.

E

Ealæ, III, 10.
Echineis, III, 55.
Echinus, III, 55.
Elephas, II, 25, et iterum, 26.
Epops, I, 52.
Equus, III, 23.
Equi dotes, III, 55.
Erinaceus, II, 4.
Eruca, III, 54.

F

Facies, III, 60.
Fauces, III, 60
Fel, III, 60.
Femina, III, 60 et 61.
Femora, III, 60.
Fetus, III, 60.
Fiber, II, 11.
Fibræ, III, 60.
Ficus, III, 56
Flagella, III, 56.
Flores, III, 56.
Folia, III, 56.
Formicæ, II, 29. Formica et ejus proprietates, II, 29.
Fraxinus, III, 56.
Frons, III, 60.
Fructus, fruges, III, 56
Fulica, I, 58.
Funus, III, 61.

G

Gallus gallinaceus, I, Avis, I, 56.
Genitalia, III, 60.
Genus, III, 60.
Genus, III, 59.
Germen, III, 56
Genæ, III, 60.
Gingivæ, III, 60.
Gladii, III, 55.
Gustus, III, 59.
Graculus, I, 45.
Grues, I, 59.
Gula, III, 60.
Gurgulio pars gutturis, III, 60.
Gryphes, III, 4.

H

Hædus, III, 16.
Halo, III, 60.
Halcion, III, 29.
Hercinlæ aves, III, 31.
Hericius seu herinaceus, II, 4.
Herodius, I, 37.
Hiena, II, 10.
Hirundines, I, 41.
Hircus, III, 15.
Homo, III, 59. Hominis impudicitia in mulorum curatione, III, 55. Hominis formandi ordo, III, 60.
Humeri, III, 60.
Hyacinthus, III, 58.
Hydria et Hydrus, II, 7.

I

Ibis avis, I, 57.
Ibix fera, II, 15.
Igniferi lapides, II, 19.
Ilex, III, 56.
Ilia, III, 60.
Indica arbor, III, 39.
Infans, II 61.
Insitio, III, 56.
Intercilium, III, 60.
Intestina, III, 60.

J

Jaculus serpentis species, III, 46.
Jaspis, III, 58.
Jecur, III, 60.
Jejunum intestinum, III, 60.
Juniperus, III, 56.
Juvencus, III, 18.
Juvenes, I, 61.

L

Labia, III, 60.
Lac, III, 60.
Lacertus et lacerta, II, 28. Lacertus et ejus genera, III, 50.
Lacerti, III, 60.
Lacrymæ, III, 60.
Lapides igniferi, II, 19.
Laquei venantium tres, I, 30.
Latus III, 60.
Laurus, III, 56.
Leo, II, 1,
Leopardus et pardus, III, 2.
Leucrocuta, III, 7.
Libanus, I, 26.
Liber cortex, III, 56.
Ligna, III, 56.
Lingua, III, 60.
Lucus, III 56.
Lumbi, III, 60.
Lumbricus, 54.
Lumina, III, 60,
Lupi, II, 20 Lupi aquatiles, III, 55.
Luscinia, III, 33.
Lynx III 3.

M

Malæ, maxillæ, mandibulæ, III, 60.
Malus et malum Punicum, III, 56.
Mamilla, III, 60.
Manticora, III, 8.
Manus, III, 60.
Margaritifera concha, II, 35. Margaritarum inventio, III, 57.
Matrix, III, 60.
Matrum crudelitas in natos suos in captione Hierusalem, III, 55.
Meatus, III, 60.
Medullæ, III, 60
Membra hominis, III, 60. Quæ sint, III, 60.
Mens, III, 59.
Menstruum, III, 60.
Mentum, III, 60.
Merula, I, 45.
Milvus, I, 40.
Monoceros, II, 6.
Morus, III, 56.
Mors, III, 61.
Mortis genera. *Ibidem.*
Mortuorum genera, III, 61.
Mugilis, III, 55.
Mulier, III, 61.
Multorum generatio impudenter ab homine excogitata, III, 55.
Mulleus, III, 55.
Multipes, III, 54.
Murena, III, 55.
Murex, III, 55.
Mus, III, 25.
Musculi, III, 60.
Musio, III, 24.
Mustella, II, 18.

N

Nares, III, 60
Nates, III, 60.
Natura in communi, III, 59,
Nemus, III, 56.
Nervi, III, 60.
Nidus turturis, I, 25
Nux, III, 56.
Nycticorax seu noctua, I, 43.

O

Occipitium, III, 60.
Oculi, *ibid.*
Olor, I, 53.
Omentum, III, 60.
Og Onager II, 11.
Onocentaurus, II, 4 et 35.
Organa sensuum nostrorum, III, 59.
Orphani, III, 61.
Odoratus, III, 59.
Os, III, 60.
Ossa, III, 60.
Ova et inde nata, III, 37.
Ovis, III, 13.

P

Palæ, III, 60.
Palatum, III, 60.
Palma, III, 60.
Palmæ arbori comparatus justus, I, 21. Ecclesia, et anima fidelis eidem, I, 21. Palmæ rursus, III, 56 et 60.
Palpebræ, III, 60.
Panthera, II, 23.
Pardus et leopardus, III, 2.
Parentum unde cum prole similitudo, III, 60.
Passer, I, 20.
Passer in ramis cedri nidificans, I, 26. Passer mystice, I, 27. Ejus domus et mores, 28. Vigilia, 29. Ad animam comparat, 30. Passerum pretia, I, 31. Immolatio, I, 32.
Pavo seu pavus avis, I, 55.
Pectus, III, 60
Pecus, pecudes, III, 13
Pedes, III. 60.
Pediculi, III, 54.
Pelicanus, I, 33 et 51. II, 27.
Pellis, III, 60.
Perdix, I, 50.
Phagus, III, 56.
Phœnix, I, 49.
Pica et picus, III, 32.
Picea, III, 56.
Pinula, III, 60.
Pinus, III, 56.
Piscium diversorum naturæ, III, 55. Pisces amphibii seu amphivii. *Ibid.* Piscium varia genera et in fetus amor. *Ibid* Piscium castitas et victus, et pisces dentati. *Ibid.*
Pistacea, III, 56.
Plantæ, et planteris, III, 56 et 60.
Platanus, III, 56.
Polypus, III, 55.
Poma, III, 56.
Populus arbor, III, 56.
Porci marini, III, 55.
Pori, III, 60.
Posteriora bonis, III, 60.
Præcordia, III, 60.
Psittacus, III, 28.
Puer et puella. *Ibid.*
Puerperæ. *Ibid.*
Pugnus, III, 60.
Pulices, III, 54.
Pulmo, III, 60.
Pulpa, III, 60.
Pulsus, III, 60.
Pupilla, III, 60
Pupilli et orphani, III, 61.
Puperes, III, 61.

Q

Quales avis, quæ et coturnix et ortyx dicitur, I, 51.
Quercus aut quernus, seu querna arbor, et ejus annositas, III, 56. Quadrupedia animalia, III, 12.
Quisquiliæ, III, 56.

R

Radix et ramus, III, 56.
Ranæ, III, 55.
Renes, III, 60.
Ricynus, III, 54.
Rumen, III, 60.

S

Salamandra, II, 16.
Salix, III, 56.
Saltus, III, 56.
Sanguis, III, 60.
Sanguisuga, III, 54.

Sapphirus, III, 58.
Sapphirinus color in alis columbæ, III, 7.
Sardonix seu sardonychus, III, 58.
Sardus, III, 58.
Sarra, III, 55.
Saura, III, 55.
Scapula, III, 60.
Scarus, III, 55.
Scitalis, III, 43.
Scorpius, III, 54. Scorpius marinus, III, 55.
Scrotum, III, 60.
Semen, III, 60. *Vide* Sperma.
Senectutis bona et mala, III, 61.
Senes. *Ibid.*
Sensus hominis, III, 59.
Sepultus, III, 61.
Serpentum genera, III, 40. Serpentes sireni, III, 43. Serpentum naturæ, III, 52 et 53.
Serra, III, 55.
Serra bellua, II, 22.
Seps serpens, III, 48.
Sibilus serpens, III, 41.
Simiæ vel simii, I, 12.
Sinistra, I, 60.
Sirenæ, I, 32. Sireni serpentes, III, 47.
Smaragdus, III, 58.
Solum, III, 60.
Sorex, III, 25.
Sortes quatuor, I, 3.
Spermatum differentiæ, III, 60.
Spina et spina sacra, III, 60.
Spiritus, III, 59.
Splen, III, 60.
Spondilla, III, 60.
Stellio, II, 16 et 28, et III, 52.
Stomachus, III, 60.
Struthio et ejus pennæ atque natura, I, 37.
Sublingulum, III, 60.
Succinum, III, 56.
Suffragines, III, 60.
Supercilia, III, 60.
Sorculus, III, 56.
Sycomorus, III, 56.

T

Tactus, III, 59.
Talpa, III, 26.
Talus, III, 60.
Tarmi III, 54,
Taurus, III, 18.
Tempora capitis, III, 60.
Teredo, III, 54.
Terga, III, 60.
Testiculi, III, 60.
Testudo, III, 55.
Tharandus, III, 9.
Thorax, III, 60.
Tibiæ, III, 60.
Tigris, III, 1.
Tinea, III, 54.
Topazius vel Topantius, III, 58.
Tori, III, 60.
Torpedo, III, 55.
Torris, III, 56.
Truncus, III, 56 et 60.
Turtur, I, 20, 23, 24, 25.

U

Ubera, III, 60.
Ulmus, III, 56.
Ulna, III, 60.
Umbilicus, III, 60.
Ungues, III, 60
Unicornis, II, 6
Uniones, II, 55
Upupa, I, 32.
Urina, III, 60.
Ursus, III, 6.
Urus, III, 19.
Ustula, III, 54
Uterus, III, 60.

V

Vacca, III, 19.
Venæ, III, 60.
Venter, III, 60.
Vermes et vermes carnium, III, 54.
Veretrum, III, 60.
Vertex, III, 60.
Vertibula, III, 60.
Vervex, III, 14
Vespertilio, III, 34
Vesica, III, 60, 61.
Vimen, III, 56.
Vipera, II, 21.
Vir, vira, virago, virgo, III, 61.
Virga, III, 56.
Virgultum. *Ibid.*
Virus, III, 60
Viscera, III, 60.
Visus, III, 59.
Vita, III, 59.
Vitulus, III, 19.
Vulpes, II, 3.
Vultur, I, 38.
Vultus, III, 60.
Vulva, III, 60.

X

Xilycon, quæ vulgo forte perperam dicitur siliqua, III, 56.

DE BESTIIS ET ALIIS REBUS

PROLOGUS

AD RAYNERUM CONVERSUM.

Hugo Raynero suo salutem.

Desiderii tui petitionibus, charissime, satisfacere cupiens, columbam, cujus *pennæ sunt deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri* (*Psal.* LXVII), pingere, et per picturam mentes ædificare decrevi, ut quod simplicium animus intelligibili oculo capere vix poterat, saltem carnali discernat; et quod vix concipere poterat auditus, percipiat visus. Nec tantum volui columbam formando pingere, sed etiam dictando describere, et per scripturam demonstrare picturam, ut cui non placuerit simplicitas picturæ, placeat saltem moralitas scripturæ. Tibi ergo, cui datæ sunt pennæ columbæ, qui elongasti fugiens, ut in solitudine maneres et requiesceres, qui non quæris dilationem in voce corvina, cras, cras ingeminante, sed contritionem in gemitu columbino, tibi, inquam, non tantum ad præsens columbam, sed etiam accipitrem pingam. Ecce in eadem pertica sedent accipiter et columba. Ego enim de clero, tu de militia ad conversionem venimus, ut in regulari vita quasi in pertica sedeamus, et qui rapere consueveras domesticas aves, nunc bonæ operationis manu silvestres ad conversionem trahas, id est sæculares. Gemat igitur columba, gemat et accipiter vocemque doloris emittat. Vox enim columbæ, gemitus, vox accipitris, questus. In principio hujus operis idcirco præposui columbam, quia Spiritus sancti gratia semper præparatur pœnitenti, nec nisi per gratiam pervenitur ad veniam. De accipitre vero post columbam subjungitur, per quem nobilium personæ designantur. Cum enim aliquis nobilium convertitur, per exemplum bonæ operationis pauperibus præsentatur. De quibusdam vero, tam volucribus quam animalibus, quæ ad exemplum morum divina Scriptura commemorat, quanto citius potero breviter assignare tentabo

PROLOGUS ALTER.

Per quem innuit auctor, quisquis est, se animalia ipsa et lapillos depinxisse, sed quia imprimendo non possumus colores observare, et animalium plurima per se nota sunt, eorum picturis supersedebimus.

Cum scribere illitterato debeam, non miretur diligens lector, si ad ædificationem illitterati de subtilibus simplicia dicam. Nec imputet levitati, quod accipitrem vel columbam pingam, cum beatus Job et propheta David hujusmodi volucres nobis reliquerint ad doctrinam. Quod enim doctioribus innuit scriptura, hoc simplicibus pictura. Sic ut enim sapiens delectatur de subtilitate scripturæ, sic simplicium animus detinetur simplicitate picturæ. Ego autem plus laboro ut simplicibus placeam, quam ut doctioribus loquar et quasi vasculo pleno latices infundam. Qui enim sapientem verbis instruit, quasi pleno vasculo latices infundit.

LIBER PRIMUS.

CAP. I. *De tribus columbis, quarum Scriptura meminit.*

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ et posteriora dorsi ejus in pallore auri (*Psal.* LXVII). In sacra Scriptura, frater, tres columbas legendo reperi, ex quibus, si attente considerentur, simplicium mentes ad perfectionem poterunt edoceri, columbam scilicet Noe, columbam David, columbam Jesu Christi. Noe *requies*, David *manu fortis*, Jesus *Salvator* interpretatur. Peccatori autem dicitur: *Peccasti* (*Eccli.* XXI), *quiesce*. Si igitur vis esse Noe, quiesce a peccatis. Ut David esse possis, operare fortia. Si salvari desideras, a Salvatore salutem postula. *Diverte* igitur *a malo, et fac bonum, inquire pacem* (*Psal.* XXXIII). Diverte ad arcam Noe. Præliare cum David prælia Domini. Inquire pacem cum Jesu in Jerusalem. Diverte ad quietem mentis, resiste tentationibus, exspecta patienter salutis beneficium. De columba vero Noe dicitur: *Reversa est columba ad vesperam ferens in ore ramum virentis olivæ* (*Gen.* VIII). Ad arcam Noe columba revertitur, cum ad quietem mentis ab exterioribus animus revocatur. Revertitur ad vesperam, cum deficiente luce mundanæ felicitatis, vanæ gloriæ fugit pompam, timens ne incurrat obscuritatem mentis, id est profunditatem perpetuæ damnationis. Olivam gerit, quia misericordiam quærit. Olivam in ore portat, dum indulgere sibi quod deliquit precibus exorat. De columba vero David dicitur. Et posteriora dorsi ejus in pallore auri. In posterioribus dorsi aurum habetur, quia bene operanti, in futuro venia promittitur. Similiter et de Salvatore legitur quod in descensu columbæ super eum hæc vox audiretur: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* (*Matth.* III). Columba est Spiritus sancti gratia, quæ super Jesum in Jordane descendisse cernitur, quia cuilibet humili a peccatis mundato gratia præparatur. Pœnitenti igitur fit misericordia, operanti promittitur venia, diligenti datur gratia.

CAP. II. *De columbæ ad Ecclesiam collatione.*

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi eius in pallore auri (*Psal.* LXVII). Columba deargentata est Ecclesia, doctrina divini eloquii erudita, quæ per similitudinem fertur habere prædicationis rostrum ratione divisum, quo grana congregat hordei et frumenti, sententias scilicet Veteris et Novi Testamenti. Habet dextrum et sinistrum oculum, moralem et mysticum sensum: seipsam respicit sinistro, Deum vero contemplatur dextro. Duas alas habet, activam et contemplativam vitam; his duabus alis sedens tegitur; his duabus volans ad cœlestia sublevatur. Volamus, cum mente excedimus. Sedemus, cum inter fratres sobrii sumus. In his aiquidem alis pennæ sunt. Pennæ vero sunt doctores, alis rectæ actionis et divinæ contemplationis inhærentes. Cleros vero [Græce], sortes vocamus Latine. Duæ sortes, duo sunt Testamenta. Inter quas sortes dormiunt, qui auctoritatibus Veteris et Novi Testamenti concordant et acquiescunt. Et posteriora dorsi ejus in pallore auri. Dorsum columbæ illam partem corporis esse dicunt, cui radices alarum sese invicem naturaliter conjunguut. Ibidem cor ponitur, quod dorso proximum, aurum perpetuæ beatitudinis in futuro aperietur. Sicut aurum pretiosius est argento, sic et beatitudo futuri sæculi pretiosior est felicitati præsente. Posteriora igitur dorsi columbæ in pallore auri erunt, quia justi in æterna beatitudine nimia claritate fulgebunt.

CAP. III. *De columbæ ad fidelem animam comparatione.*

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri (*Psal.* LXVII). Columba est quælibet fidelis et simplex anima; deargentata in pennis, declarata in virtutibus per famam bonæ opinionis, quæ tot in cibum colligit in sentium grana, quot ad bene operandum assumit sibi justorum exempla. Duos ha-

bet oculos, dextrum et sinistrum, memoriam scilicet et intellectum. In hoc futura prævidet, in illo transacta deflet. Hos oculos clauserunt in Ægypto patres nostri, quoniam non intellexerunt opera Dei, nec fuerunt memores multitudinis misericordiæ ejus. Duas vero alas habet, amorem proximi et amorem Dei. Una extenditur per compassionem ad proximum, altera erigitur per contemplationem ad Deum. Ex his alis procedunt pennæ, id est virtutes animæ. Hæ pennæ argentea claritate resplendent, quando per famam bonæ opinionis audientibus argenti more dulcem tinnitum præbent. Cleros vero Græce, sortes dicimus Latine. Quatuor autem sunt sortes, timor et spes, amor et desiderium. Sortes sunt, quia paternæ hæreditatis locum distribuunt. Timor et desiderium sortes sunt extremæ, spes et amor mediæ. Timor animum conturbat, desiderium mentem cruciat, et nisi aliquid medium intervenerit, animus a quiete recedit. Oportet igitur ut inter desiderium et timorem, spem ponamus et amorem. Spes igitur timorem recreat, amor desiderium temperat. Inter spem igitur et amorem, quasi inter medias sortes quietus dormit, qui inter extremas, scilicet timorem et desiderium, vigilat et obstupescit. Si igitur es columba, vel columbæ penna, dum times et desideras, inter extremas sortes vigilas. Dum speras et diligis, inter medias quietus dormis.

Et posteriora dorsi ejus in pallore auri. In dorso solent onera portari. Et per hæc eadem possunt operum labores designari. Per posteriora vero dorsi denotatur exspectatio præmii. Post tolerantiam siquidem præsentium laborum, in futuro subsequi credimus justis meritorum præmia. Reddet enim Deus sanctis mercedem laborum suorum, et deducet eos in via mirabili. Et hoc in pallore auri esse credimus, quia *pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV). In pennis igitur argentum, quia in linguis eloquium; in posterioribus vero aurum, id est post labores præmium.

CAP. IV. *De columbæ ad prælatum comparatione.*

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ et posteriora dorsi ejus in pallore auri (*Psal.* LXVII). Columba deargentata est absque felle malitiæ qualibet adhuc vivens prælatorum persona, quæ inter medios cleros dormit. Cleros Græce, Latine sors. Unde et cleronomia proprie vocatur hæreditas quæ defertur ex testamento. Inde contingit ut filii Levi, inter filios Israel non haberent sortem, id est hæreditatis partem, sed ex decimis viverent. Duæ autem sunt hæreditates, terrena Veteris Testamenti, et æterna Novi. In medio igitur istarum dormit, qui in contemptu terrenorum, et ipse cœlestium vitam finit, dum nec nimis ardenter præsentibus inhiat, et futura patienter exspectat. Et posteriora dorsi ejus in pallore auri. Oculi enim justorum videbunt regem in decore suo. Tunc enim aurum in posterioribus habebis, cum apparuerit in futuro gloria divinæ majestatis. Coronæ siquidem regum ex auro purissimo fabricantur, ex argento vero monetæ fiunt, quibus imagines regum imprimuntur. In moneta notatur imitatio formæ, in corona signum victoriæ. Moneta siquidem divini eloquii docet imitationem vitæ Christi, corona vero victoriæ. Post labores præsentis sæculi fiunt pugnæ. Ibi igitur quasi in posterioribus aurum, hic in pennis prædicationis argentum, quia cum ad illa dona columba pervenerit, jam prædicationis eloquio non indigebit, sed in eo quod pro retributione percipiet, in puritate perfectionis sine fine vivet.

CAP. V. *De columbæ habentis pedes rubros ad Ecclesiam comparatione.*

De qua columba hic agitur, rubros pedes habere perhibetur. Hæc columba est Ecclesia, quæ pedes habuit, quibus totius mundi spatium perambulavit. Pedes sunt martyres, qui tot passibus terram perambulant quot bonorum operum exemplis viam justitiæ sequentibus se demonstrant. Terram tangunt, cum dignis increpationibus actus et voluntates terrenas reprehendunt. Sed, dum terra premitur, asperitate terræ, id est terrenorum crudelitate, pedes vulnerantur, et sic pedes Ecclesiæ rubri facti sunt, quia sanguinem suum pro Christi nomine martyres effuderunt. Rubor igitur pedum est cruor martyrum.

CAP. VI. *De pennis deargentatis columbæ, ad prædicatores collatis.*

Quæ columba pedes rubros habere dicitur, pennas deargentatas habuisse verbis propheticis demonstratur. *Pennæ*, inquit David, *columbæ deargentatæ* (*Psal.* LXVII). Pennæ columbæ deargentatæ sunt prædicatores Ecclesiæ. Est autem argentum, divinum eloquium; tinnitus argenti, dulcedo verbi; calor, candor. Candorem vero argentum retinet, dum quilibet doctor munditiam verbis prædicat, et munditiam in se habet, dum quod docet diligit, et quod intus amat, foris operibus ostendit. Hæc sunt eloquia Domini casta, argentum igne examinatum. Eloquia Domini casta, quia nulla sunt simulatione corrupta, nullo sunt semine cupiditatis imprægnata. Argentum examinatum igne, solidatum in qualibet perturbatione. Candor igitur argenteus in pennis est in linguis docentium lene blandimentum sermonis.

CAP. VII. *De sapphirino colore alarum columbæ ad contemplativos collato.*

Alarum colorem non reperi scriptum, sed ex similitudine materialis columbæ potest assignari, ut si columbam pictam resoicias, colorem materialis columbæ eam habere non contradicas. Alarum enim superficies sapphirino colore superfunditur, quia cœli speciem animus contemplantis imitatur. Sed color sapphirinus candidis lineis distinguitur, ut sapphirino colore niveus misceatur. Color enim niveus sapphirino mistus designat munditiam carnis et amorem contemplationis.

CAP. VIII. *De coloribus columbæ ad mores collatis.*

Posteriora dorsi columbæ deargentatæ (*Psal* LXVII). Propheta commemorat, et postea finem vitæ præsentis in quolibet homine moraliter demonstrat. In auro puritatem mentis, in pallore vero auri designat

mortificationem carnis. Est enim pallor animi patientis, et mortificatæ carnis innatus color. Posteriora igitur columbæ deargentatæ in pallore auri erunt, dum puritas mentis et mortificatio carnis finem cujuslibet morientis obtinebunt. Sed et ideo color aureus in posterioribus dorsi columbæ coluri sapphirino jungitur, quia contemplantis animum futuræ beatitudinis gloria subsequetur. Color igitur aureus in posterioribus designat æternæ retributionis munus.

CAP. IX. *De oculis croceis et cautione columbæ ad Ecclesiæ cautionem comparatis.*

Oculi tui columbarum (*Cant.* I). Columba super aquas sedere sæpissimo solet, ut cum viderit umbram supervenientis accipitris fugiens declinet. Ecclesia vero scripturis se munit, ut insidiantis diaboli fraudes evitare possit. Hæc igitur columba croceos oculos habet, quia Ecclesia matura consideratione futuros casus ostendit, et providet. Color itaque croceus in oculis discretionem designat maturæ considerationis, dum enim aliquis quid agat, vel quid cogitet mature considerat, quasi croceo spirituales oculos adornat. Habet enim crocus colorem maturi fructus. Croceus igitur oculus est maturitas sensus.

CAP. X. *De colore reliquo columbæ mutabili ad mare turbatum, et de mari ad carnem comparata.*

Color reliqui corporis imitatur colorem turbati maris. Mare motu fluctuum sæviens ebullit. Caro motu sensuum ebulliens sævit. Mare perturbationibus suis arenas movet et sublevat. Caro delectationibus suis animi levitatem pulsat. Mare terminos suos egrediens aquis dulcibus occurrit. Caro lasciviens lacrymarum dulces rivulos obtundit. Mare diversis procellarum turbinibus navigantium cursus impedit. Caro procellosa recte viventium mores in profundum mergit. Dum tantis mare tempestatibus agitatur, undarum collisione terra fluctibus immiscetur, et sic ex collisione maris et terræ, colorem mistum recipit mare. Similiter dum caro suggerit et animus non consentit, quasi ex nigro et niveo quidam in corpore color efficitur, qui ex diversis factus color medius appellatur. Marinus igitur color in pectore columbæ tribulationem designat in humana mente.

CAP. XI. *De diversis columbæ proprietatibus.*

In diversis locis diversas columbæ proprietates reperi, quas inserens huic operi, tibi, frater, annotare curavi. Prima vero columbæ proprietas est quod pro cantu gemitum profert; secunda, quod felle caret; tertia, quod osculis instat; quarta, quod gregatim volat; quinta, quod ex raptu non vivit; sexta, quod grana meliora colligit; septima, quod non vescitur cadavere; octava, quod nidificat in petræ foraminibus; nona, quod super fluenta aquarum residet, ut, visa accipitris umbra, venientem citius devitet; decima, quod geminos nutrit pullos. Columba pro cantu utitur gemitu, quia quod libens fecit, plangendo gemit. Caret felle, id est irascibilitatis amaritudine. Instat osculis, quia delectatur in multitudine pacis. Gregatim volat, quia conventus amat. Non vivit ex raptu, quia non detrahit proximo. Colligit grana meliora, id est meliora dicta. Non vescitur cadaveribus, id est desideriis carnalibus. Nidificat in foraminibus petræ, quis spem ponit in Christi passione. Super fluenta aquarum residet, ut, visa accipitris umbra, venientem citius devitet, quia in Scripturis studet ut supervenientis diaboli fraudem declinet. Geminos nutrit pullos, id est amorem Dei et amorem proximi. Qui igitur has naturas habet, assumat sibi contemplationis alas, quibus ad cœlum volet.

CAP. XII. *De aquilone et austro ventis.*

Surge, aquilo, et veni, auster (*Cant.* IV), etc. Aquilo frigidissimus ventus est. *Ab aquilone*, inquit, Jeremias, *pandetur omne malum* (*Jerem.* I). Ibi sedes Satanæ. Inde ruinæ principium. Ventus aquilo gravis est tentatio. Flatus aquilonis suggestio tentationis; frigus, negligentiæ torpor. Aquilo igitur venit, quando gravis tentatio mentem cujuslibet invadit. Aquilo vero surgit, quando ab animo tentatio recedit. *Ab aquilone*, inquit, *venient et mari* (*Isa.* XLIX). Aquilo tentatio, mare mundus. Ab aquilone igitur et mari Christus suos congregat, cum a tumultu tentationum non tantum justos, sed et peccatores sequestrat. *Ponam*, inquit, *sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV). Sedem ad aquilonem ponere desiderat, quem penna superbiæ sursum levat. Esse similis Altissimo concupiscit, cum illi cui subesse debet, per arrogantiæ spiritum se æqualem facit, et, ut plus dicam, non tantum se magistro suo æquiparat, sed etiam se illo meliorem esse putat. Cecidit diabolus, cum se exaltare voluit. Humiliatur homo, cum se exaltare concupiscit. Auster calidissimus ventus est. *Deus*, inquit *ab austro veniet* (*Habac.* III). Ibi sedes Altissimi, ibi dilectionis ardor. Inde sinceritas veritatis. Auster a serena regione procedit, quia Deus in serenitate morum requiescit, ibi pascit, ibi cubat, ibi quies mentis, ibi refectio contemplationis. Auster Spiritus sancti gratiam designat, flatus austri benignitatem Spiritus sancti, calor amorem. Auster igitur venit, quoties gratia Spiritus sancti mentem cujuslibet accendit. Surgit quoties a mente gratia recedit. Deus, inquit, ab austro veniet. Ab aquilone diabolus, ab austro Deus. Ille ignorantiæ tenebras inhabitat, iste serenitatem charitatis amat. Frigus aquilonis poros carnis stringit, calor austri clausos aperit. Quod enim frigus avaritiæ stringendo retinet, apertis eleemosynæ manibus charitas larga præbet. Penna siquidem vetus in infernum mergit, nova vero animum ad cœlestia desideria sustollit. Peccata enim gravant, virtutes vero sublevant.

CAP. XIII. *De accipitre quomodo plumescit expandens alas suas ad austrum.*

Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum? (*Job* XXXIX.) Unde beatus Gregorius: « Agrestibus accipitribus mos

est ut flante austro alas espandant, quatenus eorum membra ad lassatam pennam, veterem venti tepore concalescant. Cum vero ventus deest, alis contra radium solis expansis atque percussus tepentem sibi auram faciunt, sicque apertis poris vel veteres pennæ exsiliunt, vel novæ succrescont. » Quid est ergo accipitrem in austro plumescere, nisi quod unusquisque sanctorum tactus flatu sancti Spiritus concalescit, et usum vetustæ conversationis abjiciens, novi hominis formam sumit? Quod sanctus Paulus apostolus admonet, dicens: *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum* (Coloss. III). Et rursum: *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem* (II Cor. II). « Vetustam autem pennam projicere est inveterata studia dolosæ actionis amittere. Et novam pennam sumere est mitem, et simplicem bene vivendi sensum tenere. Penna oamque veteris conversationis gravat. Et pluma novæ immutationis sublevat, et ad volatum tanto leviorem, quanto noviorem reddit. Et bene ait: espandens alas suas ad Austrum. Alas quippe nostras ad austrum espandere est per adventum sancti Spiritus nostras confitendo cogitationes aperire, ut jam non libeat defendendo nos tegere, sed accusando publicare. Tunc ergo accipiter plumescit, eum ad austrom alas espandit, quia tunc se unusquisqoe virtutum pennis induit, cum sancto Spiritui cogitationes suas confitendo substernit. Qui enim confitendo vetera non detegit, novæ vitæ opera minime producit. Qui nescit lugere quod gravat, non valet proferre quod sublevat, ipsa namque compunctio poros cordis aperit, plumas virtutum fundit, cumque se studiose mens de pigra vetustate redargoit, aliqua novitate juvenescit. Dicatur ergo cum beato Job: Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum? Id est, nunquid cuilibet electo tu intelligentiam contulisti, ut flante Spiritu sancto cogitationum alas espandat, quatenus pondera vetustæ conversationis abjiciat, et virtutum plumas in usum novi volatus sumat, ut hinc videlicet colligat, quod vigilantiam sensus in semetipso es se non habet, qui hanc ex se conferre aliis nequaquam valet.

Cap. XIV. *De duabus accipitrum speciebus.*

Duæ sunt species accipitrum, domesticus scilicet et silvester, iidem tamen sunt. Sed diversis temporibus potest esse silvester et domesticus. Silvester rapere consuevit domesticas volucres, et domesticus silvestres. Silvester quas rapit continuo devorat, domesticus captas domino suo relinquendas servat. Porro dominus ejus captarum volucrum ventres aperit, et eorum corda accipitri in cibum tribuenda sumit. Interiora ventris cum fimo ejicit, qui intus remanens putredinem carnium cum fetore gignit. Moraliter: silvester accipiter captas volucres et rapit et devorat, quia quilibet perversus actus et cogitationes simplicium dissipare non cessat. Domesticus vero accipiter est spiritualis pater, qui toties silvestres volucres rapit, quoties sæculares ad conversionem prædicando trahit. Captas occidit, dum sæculares mundo mori per carnis mortificationem cogit. Dominus autem ejus et omnipotens Deus ventres earum aperit, quando mollitiem carnalium per Scripturas increpando solvit. Corda vero extrahit, dum cogitationes sæcularium per confessionem manifestas facit. Interiora ventris cum fimo ejicit, quando memoriam peccanti fetentem reddit. Ad mensam itaque Domini captæ volucres veniunt, dum in corpus Ecclesiæ peccatores doctorum dentibus masticati sese convertunt.

Cap. XV. *De domesticorum accipitrum curatione.*

Domesticis accipitribus, quo melius plumescere debeant, munita ac tepentia requiruntur loca. Loca munita sunt claustra, in quibus dum silvester accipiter ponitur, ut domesticus fiat, clausus tenetur. Ibi veteres pennas amittit, et novas assumit, quia quilibet claustralis, qui pristinis vitiis spoliatur, novi hominis virtutibus adornatur, nec inde extrahitur, nisi prius ejectis veteribus pennis, novæ solidentur. Sed cum firmus in volatu fuerit, ad manum venit. Similiter si aliquis conversus de claustro exeat necesse est ut ad manum bonæ operationis accedat, et inde emissus volet, ut ad desideranda cœlestia toto adnisu mentis seipsum levet.

Cap. XVI. *De accipitris in læva gestatione.*

Accipiter in sinistra manu gestari solet, ut in dextram ad aliquid capiendum emissus volet: *Læva, inquit, ejus sub capite meo, et dextra illius amplexabitur me* (Cant. II). Læva sunt bona temporalia, dextera vero sunt æterna. In læva igitur sedet qui bonis temporalibus præsidet. In dexteram vero volat qui toto mentis affectu æterna desiderat. Ibi capit accipiter columbam, id est quilibet mutatus in melius sancti Spiritus gratiam recipit.

Cap. XVII. *De pertica, super quam stat aut sedet accipiter.*

Pertica accipitris designat nobis rectitudinem vitæ regularis, quæ a terra longe suspenditur quia a terrenis desideriis hujusmodi vita separatur. In hac pertica ligatus sedet, qui regularis vitæ statuta firmiter tenet. Duobus parietibus inhærere dicitur, a quibus ex utraque parte sustentatur. Duo parietes, qui perticam sustentant sunt activa et contemplativa vitæ, quæ pie viventium rectitudinem portant.

Cap. XVIII. *De accipitrum pedicis seu compedibus.*

Quasi compedes in pedibus accipiter habere consuevit, ne cum voluerit, exorta qualibet occasione volare possit. Pedes accipitris quasi compedibus stringit qui timore judicii et dolore supplicii mentis affectus premit. *Et humiliaverunt*, inquit Psalmista, *in compedibus pedes ejus* (Psal. CIV). Pedes Joseph in compedibus humiliat qui, ad memoriam reducens præsentem et æternam pœnam, ne ad optata progrediantur affectus animi ligat.

Cap. XIX. *De loro seu corrigia, et ligomine accipitris.*

Corrigia, per quam accipiter ligatur in pertica, est mortificatio carnis, per quam quilibet conversus tenetur in regulari vita. Corrigia siquidem, quæ fit de corio mortui animalis, designat mortificationem carnis. Non rumpitur hæc corrigia, sed solvitur, cum ad capiendum aliquid accipiter impellitur. Similiter si quilibet frater ad aliquid temporale exeat, non rumpitur propositum, sed cum revertitur, eadem corrigia, qua prius, seipsum firmius ligat.

Cap. XX. *De turture et passere.*

Post columbæ gemitum et accipitris questum, rogas charissime, ne diutius differam, sed planctum turturis et clamorem passeris tibi velocius scribam. Nec tantum scribam, sed etiam pingam qualiter turtur eremi secretum diligat, et passer solitarius in tecto clamare non desinat, ut sub exemplo turturis teneas munditiam castitatis, et sub exemplo passeris ames custodiam cautæ circumspectionis, ut et vivas caste, et ambules caute.

Cap. XXI. *De palma, quomodo ei comparatur justus.*

Sicut palma multiplicabo dies (*Job* XXIX). Palma multiplicat dies, quia tarde proficit, priusquam in altum crescat. Similiter justus tarde proficit, priusquam ad hoc perveniat ad quod tendit. Est enim justi desiderium, ut perveniat ad cœleste regnum. Sed hoc desiderium mundus impedit, ne ad optata nisi tarde pervenire possit. Palma dies multiplicat, nec tamen eam frigus hiemis vel nimius calor æstatis impediunt, quin semper viridescat. Similiter justus vivit, nec ab aliquo impeditur, quin in proposito bonæ operationis perseveret. Frigus hiemis est torpor vel negligentia refrigeratæ mentis. Nimius calor æstatis est calor libidinis, vel iracundiæ flamma, seu incendium cupiditatis. Sicut igitur palma nec marcescit hiemis frigore, nec nimio æstatis uritur calore, sic justus non perimitur qualicunque prosperitatis vel adversitatis tentatione. Aliter palma dies multiplicat, quia justus dies antiquos ad memoriam reducit et annos æternos in mente tractat. Paucitatem enim dierum suorum nuntiat sibi, et ex alia parte longitudinem dierum in futuro sperat. Qui hæc igitur intra se colligit, multiplicando dies sicut palma vincendo mundum in altum crescit.

Cap. XXII. *Quomodo ei comparentur Ecclesia et anima fidelis.*

Statura tua assimilata est palmæ (*Cant.* VII). Statura Ecclesiæ, vel cujuslibet fidelis animæ assimilatur palmæ. In statura cujuslibet hominis notatur parvitas vel magnitudo in membris per lineamenta corporis. Habet autem staturam palmæ justus, si apud se est modicus, apud Deum magnus, in se humilis, coram Deo sublimis. Hæc palma est Christus, cui assimilatur justus. Dum enim tribulationes, quas passus est Christus, patitur, staturæ palmæ justus assimilatur. Unde Apostolus : *Qui erunt participes tribulationum, erunt participes et gloriæ* (*II Cor.* V). Qui igitur membrum corporis est, quæ sunt capitis, sentire debet. Jam palma crevit in altum. Jam cacumen illius penetravit cœlum. Jam cum capite sunt capitis comæ, quæ sunt elatæ palmarum, id est electæ animarum. Adhuc stipes ruguso cortice, id est Ecclesia circumdata tribulationum asperitate, in terra figitur, et rami, id est sancti in æterna felicitate gloriantur : *Justus enim ut palma florebit* (*Psal.* XCI). Justus plantatur, floret et fert fructum, plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Domus Dei nostri est domus conversionis. Est autem atrium ante interiorem domum. Ante domum siquidem conversionis est atrium renuntiationis. Qui enim mundo renuntiat, palmam victoriæ, qua mundum vincit, in atriis domus Domini plantat. Plantatur igitur in domo conversionis, floret per famam bonæ opinionis, fert fructum bonæ operationis. Sed quorsum figit radicem? quomodo crescit? quomodo roboratur? Radicatur per fidem, crescit per spem, roboratur per charitatem. Mirum est tamen quod de justis dicitur : *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebant* (*ibid.*). Mirum est quod plantantur in domo, et florent in atrio. Sed fortasse per fidem plantantur intus, per exemplum boni operis florent exterius, et sic per famam bonæ opinionis foras exit odor floris. Vel aliter : Plantantur in domo, florent in atrio, quia justi plantantur in præsenti Ecclesia, et flore immarcescibili florebunt in æterna vita. Ibi enim cum flore recipient fructum, id est cum munditia carnis et animæ, futuræ retributionis præmium.

Cap. XXIII. *De nido turturis, id est fidelis animæ in palma, id est arbore crucis per fidem passionis. Et quomodo palma portetur in manu victoris.*

Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus (*Cant.* VII). Palmæ juxta terram est gracilis et aspera, versus cœlum grossior et pulchra. Est igitur ascensus difficilis, sed fructu dulcis. Minuitur ascendentis labor, dum fructus in arbore sentitur odor, difficultatem ascensus aufert dulcedo gustus. Palma est Christus, fructus ejus salus : *Dic*, inquit David, *animæ meæ : Salus tua ego sum* (*Psal* XXXIV); et : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII). Spes salutis in ligno crucis. Ascende igitur in palmam, id est attende crucis victoriam. Per scalam siquidem crucis ascendes ad solium victoris. Tolle et tu crucem tuam, et sequere eum. Qui affligit carnem suam, tollit crucem suam.

Palma manum victoris ornat, et justus palmam victoriæ in manu bene operando portat. Tria dicuntur esse, de quibus justus victoriam debet acquirere, scilicet mundus, caro, diabolus. Justus mundum vincit, cum cum suis oblectationibus contemnit; carnem superat, dum eam per abstinentiam domat; diabolo dominatur, et eum subjicit, cum eum a suis finibus expellit. Palmam igitur in manu gestat, qui de iis tribus bene operando triumphat.

Cap. XXIV. *De voce turturis ad animam comparata, et de terra nostra et aliena.*

Vox turturis audita est in terra nostra (*Cant.* II).

Vox turturis est dolor læsæ mentis. Vox turturis gemitum designat cujuslibet animæ pœnitentia. Terra de qua hic agitur, est animus, qui terrenæ fragilitatis occupationibus irretitur. Est autem terra nostra, et terra aliena. Terra aliena est mens diaboli dominio subjugata. Unde: *Alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam* (*Psal.* LIII). Terra aliena est Babylonia, terra nostra Jerusalem. Babylonia *confusio*; Jerusalem *visio pacis* interpretatur. Terram nostram alieni devorant, quando dæmones suis incursionibus mentem vastant. In Babylonia tenemur captivi. In Jerusalem sumus liberi. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* (*Psal.* CXXXVI.) Terra esse nostra dicitur, dum nihil in mente nostra propriam reperitur. Terram nostram esse dicimus, dum mentem nostram cum magistro et fratribus possidemus, ut animus Deo devotus, serviat per dilectionem fratribus, per compassionem proximo, per modestiam sibi, et sic communis fiat. In terra igitur nostra vox turturis auditur, dum ad pœnitentiam auris interior humiliter inclinatur.

Cap. XXV. *De turture Ecclesiæ, et fideli animæ comparata, et de nido ejus, et de Christo marito talis turturis.*

Turtur secretum deserti diligit, quandoque tamen ad hortulos pauperum, et agros cultorum descendit, ut grana seminum colligat, unde vivat. Turtur est Ecclesia, vel quælibet fidelis anima; secretum deserti, solitudo claustri; grana seminum, sententiæ doctorum. Hortuli vel agri sunt doctorum libri. Ex his animus reficitur. In iis vita spiritus. Sic enim vivitur, et in talibus vita spiritus mei. In locis tutissimis et delectabilibus invenit turtur sibi nidum, ubi reponat pullos suos. Inter ramos arboris condensæ nidum collocat, ova ponit, unde suo tempore procreentur pulli. Per arborem intelligimus crucem; per nidum, salutem; per ova, spem; per pullos geminam charitatem, amorem scilicet Dei et proximi. Quæramus igitur nidum turturis, quæramus ovum in nido, nidum in arbore, id est spem salutis in ligno crucis. Notum etiam compluribus esse reor naturam turturis esse talem, ut si semel socium amiserit, absque socio semper eat. Christus est sponsus Ecclesiæ, vel cujuslibet fidelis animæ. Ascendens Christus in arborem crucis, undique nidum contraxit. *Ascendam*, inquit, *in palmam* (*Cant.* VII), id est crucem, et: *Cum exaltatus fuero omnia traham ad meipsum* (*Joan.* XII). Mortuus est Christus, exspectat eum Ecclesia, vel quælibet fidelis anima, donec redeat, et castæ societatis interim legem servat. Redit sæpius ad arborem, frequentat nidum, videt effusionem sanguinis, judicium videlicet mortis, dum hæc attendit, gemit. Similiter quælibet anima fidelis sæpius ad memoriam reducit mysterium crucis, attendit pretium sanguinis, quæ, dum attente considerat, multiplicatis gemitibus mentem ad lamenta vocat.

Cap. XXVI. *De Libano et cedro mysticis. Et de passeribus in ramis cedri nidificantibus.*

In bona significatione Libanus et cedrus quandoque ponuntur, sicut in Canticis canticorum per Salomonem dicitur: *Species ejus ut Libani, electus ut cedri* (*Cant.* V). Libanus est mons Phœniciæ terminus Judææ contra septentrionem. Arbores illius proceritate, specie et robore cæterarum silvarum ligna præcellunt. Per montem Libani sane intelligere possumus eminentiam virtutum. Terminus est Judææ contra septentrionem, ne diabolus mentes vere confitentium intret per tentationem. Arbores illius proceritate, specie et robore alias arbores præcellunt, dum quælibet fideles animæ proceritate desiderii, specie castitatis, robore perseverantiæ alias antecedunt. Per cedrum intelligimus Christum. Hæc est cedrus alta Libani, conformata hyssopo, qui, cum esset sublimis, factus est humilis. De his dictum est per Prophetam: *Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani quas plantavit, illic passeres nidificabunt* (*Psal.* CIII). Passeres sunt prædicatores. Pulli sunt ii qui verbo prædicationis sunt procreati; nidus, quietæ mentis locus. In hac ergo cedro nidificant, qui tranquille vivendo, de æterna beatitudine non desperant. Sunt cedri Libani quas plantavit Dominus Cedri libani sunt divites hujus mundi. Passeres sunt cœnobiorum rectores; pulli, discipuli; nidus, officinarum locus. In his cedris passeres nidificant quia rectores animarum in possessionibus divitum cœnobia locant, ibi passeres clamare non cessant, ut sibi a Deo escam quærant. A Deo sibi escam quærunt, qui verbis divini eloquii quasi cibo satiari volunt. Die ac nocte clamitant, quia pro suis benefactoribus toto nisu mentis Deum rogant. In nido tranquillæ mentis pennas contemplationis nutriunt, quibus ad prædictam cedrum, quanto citius possint, advolare contendant. Circa ligna Libani volitant, quia vitam seu mores vivorum sublimium scire desiderant. Ex his lignis Libani Salomon ferculum fecisse legitur (*Cant.* III), quia Ecclesia de viris sublimibus et infatigabilibus ædificatur. Sunt cedri quas non plantavit Dominus. Non plantavit in propria voluntate, non dilatavit cupiditate. *Omnis autem plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur* (*Matth.* XV). Hæ cedri Libani sunt divites superbi. In his nidificant herodii et accipitres (*Psal.* CIII), id est raptores. Nidos componunt, quia in possessionibus divitum raptores munitiones construunt. Pulli sunt complices raptorum seu ministri. Hæ volucres in cedris, ut rapiant, latent, quia raptores nocendi potentiam a principibus perversis habent. Sed *Dominus confringet cedros Libani* (*Psal.* XXVIII), id est divites mundi, quosdam per pœnitentiam, quosdam per vindictam. Per Pœnitentiam, quia sicut vitulum Libani comminuet. *Comminuet sicut vitulum Libani* (*Psal.* XXVIII), ad imitationem vitæ Christi, ut fiat vitulus sacrificiis aptus, ut carnem mortificet, et cum Christo crucem portet. Per vindictam confringet alios, quia æterno igni reservabit concremandos. Prædicta

cedrus succisa multum proficit. quia Christus morte propria mundum redemit. *Nisi enim granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Joan.* XII). Cedrus ergo succiditur, dum Christus moritur. Mors siquidem Christi multis profuit. Descendens enim ad inferos captivam abduxit captivitatem; surgens a mortuis, et ascendens ad cœlos, spem resurgendi morientibus dedit. Quid enim prodesset misere vivere, tribulationibus conteri, ad extremum mori, nisi sequeretur spes resurgendi? Et quid prodesset resurrexisse, nisi fides constans esset hominem immortalem, absque supplicio, sine fine manere? Similiter cum cedrus, quam plantavit Dominus, succiditur, multum proficit, quia ad æternæ beatitudinis ædificium transfertur. Si autem cedrus, quam non plantavit Dominus, succisa fuerit, non minimæ utilitatis erit, quia quæ nullum fructum ferebat in Libano, id est in sæculo, pondus ædificii succisa sustinet in spirituali templo. Ita dico, si cedri superbiam succidas, per pœnitentiam. Si vero per viudietam succidas, gehennæ incendiis illam concremandam in perpetuum servas.

CAP. XXVII. *Quis per passerem sit mystice intelligendus.*

In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer? (*Psal.* X.) Sub passeris nomine designatur instabilitas mentis in quolibet homine. Est enim passer avis inconstans et instabilis, et ideo designat mobilitatem mentis. Porro per montem intelligimus elationis altitudinem. Quasi passer enim in montem transmigrat, qui de valle humilitatis mentem in superbiam levat. Potest et aliter dici, ut per passerem intelligamus quemlibet infidelem, mons vero supradictus sit eminentia sensus. Si quis in hunc montem impingit, navem frangit. Quasi passer igitur in hunc montem transmigrat, qui humilitatem Incarnationis Christi deserens, Christum Deum et hominem esse negat. Hæreticis itaque fidei repugnantibus Propheta respondens dicit se non discessurum a fide, quia in Domino confidit. Non enim in virtute sua confidit, nec in multitudine divitiarum suarum gloriatur.

CAP. XXVIII. *De domo quam passer invenit et de passeris mansuefacti moribus.*

Passer invenit sibi domum (*Psal.* LXXXIII). *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV). Passer qui de ramo in ramum volare noverat, nunc de silvis ad domum volat. Sic multi, qui sæculi diversis actibus inhærebant, nunc mentem in domum manufactam quæ in cœlis est, levant. Passer, qui vestiebatur levibus plumis, id est sæcularibus curis, nunc incedit pennatus virtutibus et præceptis. Ascendit, et nidum ponit. Dat autem Deus unde fiat nidus. Verbum siquidem Patris induit se feno carnis. Et sic in altum nidos erigitur, quia supra angelicam creaturam humana natura collocatur. Nidificat in foraminibus petræ, quia spem ponit in Christi passione. *Petra enim erat Christus* (*I Cor.* X). Hæc alta cedrus Libani, conformata Hyssopo, illic passeres nidificabunt.

CAP. XXIX. *De vigilia passeris, idest monachi nuper conversi.*

Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto (*Psal.* CI). Locum manendi in domo fidei passer invenit, et qui prius instabilis fuerat, ne ab accipitre rapiatur, vigilare non cessat. Sic a quolibet fideli agitur, ne a diabolo raptus teneatur. Vigilat sibi per custodiam, vigilat proximo per doctrinam. In tecto passer habitat, ut a terrenis longe fiat. In domo manet, in tecto residet, qui fidei firmitatem tenet, de culmine virtutum subjectos docet. Ecce quomodo passer, qui prius ad montem perfidiæ transmigrare consueverat, nunc pro veritate fidei vigilans, de excelso clamat. Qui ideo dicitur solitarius, quod a terrenis desideriis procul sit remotus.

CAP. XXX. *Quomodo passer assimiletur animæ vitando laqueos.*

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus (*Psal.* CXXIII). Tenet anima similitudinem passeris, dum in his quæ agit utitur exemplo calliditatis. Dum enim anima sæpius seipsam considerat, contingit quandoque ut ex usu assiduæ considerationis animus callidior fiat, ut in via positum vitet laqueum. Sunt autem tres laquei venantium. Primus laqueus est fallax suggestio dæmonum; secundus, subtilis deceptio hæreticorum; tertius, dulcedo vitæ carnalium. Hi laquei ponuntur in semita, in via, in campo. Semita est arctior vita; via est lata vita; campus, spatiosa. Per arctam et arduam religiosi, per latam et rectam conjugati, per spatiosam et deviam voluptuosi gradiuntur. Laqueus passerem captum retinet, dum diabolus mentem possidet, vel dum dulcedo vitæ præsentis placet, seu dum hæreticus blanditiis deceptum fovet. Sed laqueus rumpitur, et passer liberatur, si, abjectis carnalibus desideriis, anima ad Deum convertatur; hoc autem non fit per nostram potentiam, sed per gratiam, *Adjutorium enim nostrum in nomine Domini* (*Psal.* CXXIII).

CAP. XXXI. *De passerum duorum et quinque juxta Evangelium pretio mystice explicando.*

Juxta seriem Evangelii *duo passeres asse veneunt; et quinque dipondio* (*Matth.* X; *Luc.* XII). Passeres sunt homines vagi et inconstantes. Dipondium ex duobus assibus constat, utrumque tamen parvi ponderis est. Asse igitur et dipondio passeres venduntur, dum pro transituriis et temporalibus æterno igne cruciandi peccatores diabolo subjiciuntur. Et tamen non erit in oblivione coram Domino unus ex illis; quia peccatoribus semper parata est misericordia redemptoris. *Vos autem, inquit, multis passeribus pluris estis* (*Matth.* X). Hoc de discipulis dixit. Sunt justi majoris pretii. Dum enim justi se et sua pro Domino in præsenti sæculo tribuunt, in futura beatitudine pro transituriis et commutabilibus æterna possidebunt. Sunt quidam, qui duos passeres conjuncte animam et corpus interpretantur. Quinque

vero passeres ad quinque sensus corporis referunt. Item : *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram absque Patre vestro?* (*Ibid.*) Unde Hieronymus (1): « Si parva, inquit, alia, et vilia absque Deo actore non decidunt, vos qui æterni estis, non debetis timere ne absque providentia vivatis. » *Nolite ergo timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Ibid.*).

Cap. XXXII. *De duobus passeribus ex lege immolandis pro mundatione a lepra.*

Lex Moysi præcepit quod *si quis a lepra mundatus fuerit, offerat duos passeres vivos, ex quibus unum immolet sacerdos in vase fictili super aquas vivas, alterum vero intingat in sanguine posterius immolati, et eum liberum in agrum avolare permittat* (*Levit.* XIV). Duo passeres sunt corpus et anima. Vas fictile fragilitas carnis moribundæ, aquæ vivæ flumina divinæ Scripturæ, quæ nobis præstant potum spiritalem, et ablutionem. Duos passeres offerimus, cum corpus et animam Deo consecramus. Quod vero unus passer immolabatur, retorto ad pennulas capite, ita ut sanguis effunderetur, nec tamen caput a collo abrumperetur, designat quod ita caro nostra affligenda est per abstinentiam, ut non pœnitus extinguatur a vita. Quod vero alter passer liber in granum avolare permittitur, moraliter designat quod anima nostra concupiscentiis carnalibus edomitis, pennis contemplationis ad cœlestia sit sublevanda.

Cap. XXXIII. *De pelicani natura.*

Similis factus sum pelicano solitudinis (*Psal.* CI). Pelicanus est Ægyptia avis, habitans in solitudine Nili fluminis. Hæc avis rostro pullos suos fertur occidere, et per tres dies gemere super eos, post tres dies seipsam rostro percutit, et suo sanguine pullos aspergit, et sic quos prius occiderat, asperso sanguine vivificando lavat. Mystice pelicanus significat Christum; Ægyptus mundum. Pelicanus habitat in solitudine, quia Christus solus de Virgine nasci dignatus est sine virili copulatione. Est enim solitudo pelicani, quod immunis est a peccato vita Christi. Hæc avis rostro pullos suos occidit, quia verbo prædicationis incredulos convertit. Super pullos suos gemere non desinit, quia Christus, cum resuscitaret Lazarum, misericorditer flevit. Et sic post tres dies sanguine suos pullos lavando vivificat, quia Christus proprio sanguine suo redimendo lavat. Mors enim pelicani, passio est Christi, moraliter autem per pelicanum intelligere possumus non quemlibet justum, sed a carnali voluptate longe remotum. Per Ægyptum vitam nostram ignorantiæ tenebris involutam. Ægyptus enim *tenebræ* interpretatur. In Ægypto igitur solitudinem facimus, dum a curis et voluptatibus sæculi longe sumus. Sic et justus in civitate solitudinem facit, dum se immunem, in quantum humana natura patitur, a peccato custodit. Rostro pelicanus pullos suos occidit, quia justus cogitationes et opera quæ male gessit, ore proprio judicat et confundit, dicens : *Dixi; confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Super eos triduo deflet, quia quidquid cogitatione, locutione, et opere male gesserit, lacrymis delere docet. Et sic pullos suos aspersos sanguine vivificat, dum carnis et sanguinis opera minuit ac delet, et actus spiritales bene vivendo servat. Hujus etiam volucris natura talis dicitur esse, quod semper afficitur fame, et quidquid glutit, cito digerit, quia venter ejus nullum habet diverticulum, in quo retineat cibum. Non igitur cibus ille corpus impinguat, sed tantum sustinet et confortat. Huic siquidem pelicano eremitæ vita fit similis, qui parvo pascitur, nec quærit repletionem ventris, qui non vivit ut comedat; sed comedit ut vivat.

Cap. XXXIV. *De nycticorace, id est noctua.*

Factus sum sicut nycticorax in domicilio (*Psal.* CI). Nycticorax est avis, quæ amat tenebras noctis. In parietinis habitat, quia in ruinis maceriarum, quæ sunt sine tecto, domicilium servat. Lucem refugit. In nocte volitans cibos quærit. Mystice nycticorax Christum significat, qui noctis tenebras amat, quia *non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII). Ita enim Deus dilexit mundum, ut pro redemptione mundi morti traderet Filium suum (*Joan.* III). Quod autem peccatores tenebræ vocentur, Apostolus testatur, dicens : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V). Habitat nycticorax in ruinis parietum, quia Christus nasci voluit de populo Judæorum. *Non sum*, inquit, *missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV). Sed Christus opprimitur a ruinis, quia occiditur a Judæis. Lucem refugit, quia vanam gloriam detestatur et odit. Cum enim leprosum curaret, ut nobis exemplum humilitatis daret, dixit leproso : *Vide, nemini, dixeris* (*Matth.* VIII). De hac luce dicitur : *Auferetur ab impiis lux sua* (*Job* XXXVIII), id est, præsentis vitæ gaudia. Ipse autem est lux inaccessibilis, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Lux igitur refugit lucem, id est veritas refugit mundanæ gloriæ vanitatem. In nocte volitans escas quærit, quia peccatores in corpus Ecclesiæ prædicando convertit. Moraliter autem nycticorax non quemlibet justum innuit nobis, sed eum qui, inter homines degens, ab intuitu hominum se, in quantum potest, abscondit. Lucem refugit, quia humanæ laudis gloriam non attendit; de qua luce dicitur : *Nonne lux impii exstinguetur, nec splendebit flamma ignis ejus?* (*Job* XVIII.) Lucem dicit præsentis vitæ prosperitatem. Sed lux impii exstinguitur, quia futuræ vitæ prosperitas cum ipsa terminatur. Nec splendebit flamma ignis ejus. Ignem dicit temporalium desideriorum fervorem. Flamma est decor, vel potestas exterior, quæ de interno ejus ardore procedit. Sed non splendebit, quia in die exitus omnis exterior decor, et potestas peribit. In nocte vigilat, dum pec-

(1) S. Hieron. Comment. in Matth., cap. X, lib. I tom. XXVI Patrologiæ.

eatorum tenebras attendens, eorum errores vitat. Habitat in ruinia parietum, dum mundi defectum considerat, et exspectat occasum. Escam in nocte quærit, quia peccantium vitam recogitans, de exemplis justorum mentem, et vitam pascit.

CAP. XXXV. *De corvo.*

Corvus in divina pagina diversis modis accipitor, ut per corvum aliquando prædicator (corvus enim erocitans est doctor prædicans) aliquando peccator, aliquando diabolus intelligatur. Isidorus in libro Etymologiarum dicit quod corvus primum in cadaveribus oculum petit. Corvus autem est diabolus, qui in cadaveribus primo oculum petit, quia in hominibus carnalibus intellectum discretionis exstinguit, et sic per oculum cerebrum extrahit, quia exstincto discretionis intellectu, sensum mentis evertit. Item per corvum quilibet peccator intelligitur, qui quasi peccatorum plumis nigrescentibus vestitur. Sunt autem quidam peccatores, qui de misericordia Dei desperant. Sunt et alii, qui ad hoc ut religiosorum precibus adjuventur, orant, de quibus dicitur : *Corvi paverunt Eliam* (*III Reg.* XVII). Per corvos igitur peccatores intelligi volunt, qui de sua substantia religiosos pascunt. Illos enim Elias significat, quos locus et habitus religionis occultat. Sunt autem alii, qui desperant, terrenis inhiant, cum intus deberent esse, foras spectant, de quibus Scriptura dicit : *Corvus ad arcam non rediit* (*Genes.* VIII), quia forsitan aquis diluvii interceptus periit vel cadaveribus inventis forsitan supersedit. Similiter peccator, qui carnalibus desideriis pascitur, quasi corvus qui ad arcam non rediit, curis exterioribus detinetur. Sed in bona significatione corvus accipitur, ut per corvum quilibet doctus prædicator intelligatur. Unde per beatum Job, dicitur : *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus ad Deum clamant, vagientes eo quod non habeant cibos?* (*Job* XXXVIII.) « Corvus, sicut ait B. Gregorius, (2) est doctus quisque prædicator, qui magna voce clamat, dum peccatorum suorum memoriam, quasi quamdam coloris nigredinem portat. Cui quidam nascuntur in fide discipuli, sed fortasse adhuc considerare infirmitatem propriam nesciunt, et fortasse a peccatis præteritis memoriam avertunt, et per hoc eam, quam assumi oportet contra hujus mundi gloriam, humilitatis nigredinem non ostendunt. Hi velut ad capiendas escas os aperiunt, cum doceri de secretis sublimibus quærunt. Sed eis doctor alimenta prædicationum sublimium tanto minus tribuit, quanto illos peccata præterita minus digne deflere cognoscit. Exspectat quippe atque admonet, ut a nitore vitæ præsentis prius per pœnitentiæ lamenta nigrescant, et tunc demum congrua prædicationis subtilissimæ nutrimenta percipiant. Corvus in pullis ora hiantia respicit, sed ante in eis pennarum nigredine indui corpus quærit. Sic discretus doctor interna mysteria eorum sensibus non ministrat, quos adhuc ab hoc sæculo nequaquam se abjecisse considerat. Et quo se a temporali gloria minus evacuant eo magis a spirituali refectione jejunant. Si vero in confessione vitæ præteritæ, lamenti sui gemitus velut nigrescentes plumas proferant, illico in contemplatione doctor ad escam de sublimibus deferendam quasi pullorum refectionem cogitans, ut corvus volat eisque hiantibus in ore cibum revocat, dum ex ea intelligentia, quam ipse cepit, esurientibus discipulis alimenta vitæ loquendo subministrat. Quos tanto ardentius de superioribus reficit quanto verius a mundi nitore nigrescere pœnitentiæ lamentatione cognoscit. Pulli autem, dum nigro se pennarum colore vestiunt, de se etiam volatum promittunt, quia quo magis discipuli abjecta de se sentiunt, et sese despicientes affligunt, eo amplius spem proventus sui in altiora pollicentur. Unde et curat doctor festinantius alere, quos jam per quædam indicia providet posse et aliis prodesse. Quæ doctrinæ discretio dum caute a prædicatore custoditur, tunc ei divinitus largior copia prædicationis datur. Unde enim per charitatem compati afflictis discipulis novit, dum per discretionem congruum doctrinæ tempus intelligit, ipse non solum pro se, sed etiam pro eis, quibus laboris sui studia impendit, majora intelligentiæ munera percipit. Unde apte dicitur : Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus ad Deum clamant, vagientes eo quod non habeant cibum? Cum enim pulli ut satientur clamant, corvo esca præparatur, quia, dum verbum Dei boni auditores esuriunt, pro reficiendis eis majora doctoribus intelligentiæ dona tribuuntur. »

Cujus pulli, id est prædicatores ex eo editi, non in se præsumunt, sed in viribus Redemptoris sui. Unde bene dicitur : Quando pulli ejus ad Deum clamant, nihil enim sua virtute posse se sciunt. Et quamvis animarum lucra piis vocibus esuriant ab illo tamen qui cuncta intrinsecus operatur, hæc fieri exoptant. Vera enim fide comprehendunt, quod neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quod vero dictum est : vagientes eo quod non habeant cibos, in hac vagitione nihil aliud quam piarum mentium ad cibum salutarem per prædicationem, aut sacramentorum susceptionem vota signantur. Innatum est enim unicuique salutis suæ, et sciendi, ac cognoscendi desiderium; quocirca dum id boni prædicatores animadvertunt, omnes pullos suos, id est populos sibi subditos in Ecclesiæ sinum recipere ambiunt, magnoque ardore succensi, nunc ad hos, nunc ad illos colligendos desiderium emittunt. Quasi enim, quædam vagitio est ipsa cogitationis æstuatio. Sunt qui legant *vagantes*, et ad corvos, id est prædicatores referant, qui ad loca varia mutatis nutibus transeunt, dum pro abundandis animabus in modos innumeros, ac in partes diversas esurienti mente discurrunt.

(2) S. Gregor. Moral. lib. XXV, in cap. XXXVIII, Job, vers. 41, cap. 10, 33-35, tom. LXXVI Patrologiæ.

Potest hæc auctoritas etiam aliter exponi, ut per corvum intelligantur quidem Ecclesiæ prælati peccatorum fuligine nigri, qui non tantum escam suam sibi parant, sed etiam præparant, ut præ cæteris delicatius vivant. Quorum pulli sunt eorum discipuli, qui ad Deum clamant, et inde murmurant, quod eorum magistri in cibum delicatiora somant, vagantes a claustris exeunt, et sic abundantiam victualium sibi quærunt. Sunt et alii corvi, potestate majores, dignitate sublimiores, qui quandocunque populos in Ecclesiis congregant, jejunia prædicant, ipsi tamen in diebus jejuniorum carnes edunt, et sic simplices scandalizant et offendunt. Inde populi vagantes mente dubitant utrum prælati, qui jejunia docent, ea populis prodesse credant, aut vagientes boni ingemunt, cibum boni exempli esurientes, mali illorum exemplis corrupti, consimilem indulgentiam desiderantes. Et hæc ad præsens de corvo sufficiant, donec aliquis de eo potiora dicat.

Cap. XXXVI. *De galli gallinacei natura moraliter.*

Quis dedit gallo intelligentiam? de gallo quæritur a quo ei intelligentia tribuatur. Sed hæc questio cito solvitur, si beatus Gregorius loquens in Moralibus audiatur. « Intelligentiam enim (sicut ait beatus Gregorius) (3) gallus accipit, ut prius nocturni temporis horas discernat, et tunc demum vocem excitationis emittat : quia videlicet sanctus quisque prædicator prius in auditoribus suis qualitatem vitæ considerat et tunc demum ad erudiendum congruam vocem prædicationis format. Quasi enim horas noctis discernere est peccatorum merita dijudicare, quasi horas noctis discernere est actionum tenebras apte increpationis voce corripere. Gallo itaque intelligentia desuper tribuitur, quia doctori veritatis, discretionis virtus ut noverit, quibus, quid, quando, vel quomodo inferat, divinitus ministratur. Non enim una eademque cunctis exhortatio convenit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe enim aliis officiunt quæ aliis prosunt. Nam et plerumque herbæ quæ hæc animalia reficiunt, alia occidunt; et lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat; et medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit; et panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum, ut et sua singulis tribuat, et tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi quasi quædam in cithara tensiones chordarum? quas tangendo artifex, ut non dissimilem concentum faciant, dissimiliter pulsat. Idcirco enim chordæ consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Unde et doctor prudentissimus quisque, ut in una cunctos virtute charitatis ædificet, ex una doctrina, non una eademque exhortatione tangere corda audientium debet.

« Habemus et aliud, quod de galli hujus intelligentia considerare debemus, quod videlicet profundioribus horis noctis valentiores ac productiores edere cantus solet. Cum vero matutinum jam tempus appropinquat, leviores ac minutiores omni modo voces format. In quibus galli hujus intelligentia, quid nobis innuat considerata prædicatorum discretio demonstrat, qui cum iniquis adhuc mentibus prædicant, altis et magnis vocibus æterni judicii terrores intimant, quia videlicet quasi in profundæ noctis tenebris clamant. Cum vero jam auditorum suorum cordibus veritatis lucem adesse cognoscunt, clamoris sui magnitudinem, in lenitatem dulcedinis vertunt, et non tam illa quæ sunt de pœnis terribilia, quam ea quæ sunt de præmiis blanda proferunt. Qui etiam minutis tunc vocibus cantant, quia appropinquante mane divinæ lucis, subtilissima quæque de mysteriis cœlestibus prædicant, ut sequaces sui eo subtiliora et argutiora de cœlestibus audiant, quo luci veritatis jam certius appropinquant. Et quos dormientes longus galli clamor excitaverat, vigilantes succisior et modulatior secutus delectet, quatenus correcto cuilibet cognoscere de regno subtilia et dulcia libeat, qui prius de judicio adversa formidabat. Quod bene per Moysen exprimitur, cum ad producendum exercitum tubæ clangore concisius jubentur. Scriptum namque est : *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles* (*Num.* x). Et paulo post : *Cum concisus clangor increpuerit, movebuntur castra* (*Ibid.*). Per duas enim tubas exercitus ducitur, quia per duo præcepta charitatis ad procinctum fidei populus vocatur. Quæ idcirco argenteæ fieri præcipiuntur, ut prædicatorum verba lucis nitore pateant et auditorum mentes nulla sui obscuritate confundant. Idcirco autem ductiles, quia necesse est, ut ii, qui venturam vitam prædicant, præsentium tribulationum contusionibus crescant. Bene autem dicitur : Cum concisus clangor increpuerit, movebuntur castra, quia nimirum prædicationis sermo quo subtilius, ac minutius agitur, eo auditorum corda contra tentationum certamina ardentius excitantur. »

Est adhuc aliud in gallo solerter intuendum, quia cum jam edere cantum parat, prius alas excutit, et semetipsum feriens, vigilantiorem reddit. Quod patenter cernimus, si sanctorum prædicatorum vitam vigilanter videmus. Ipsi quippe cum per verba prædicationis monent, prius se in sanctis actionibus exercent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce, sed ante se per sublimia facta excutiunt, et tunc ad bene agendum alios sollicitos reddunt. Gallus enim alis se percutiens est doctor bonæ vitæ exemplum præbens. Prius cogitationum alis semetipsos feriunt, quia, dum quod in se inutiliter torpet, sollicita investigatione deprehendunt, districta animadversione corrigunt. Prius sua punire fletibus curant, et tunc quæ aliorum sunt punienda denuntiant. Prius ergo alis insonant, quam cantus

(3) S. Gregor., ibid., vers. 36, cap. 3, 11-14, ibid.

emittant, quia antequam verba exhortationis proferant omne quod locuturi sunt, operibus clamant. Et profecto dum in semetipsis vigilant, tunc dormientes alios ad vigilias vocant. Sed unde hæc tanta doctori intelligentia, ut et sibi perfecte vigilet, et dormientes od vigilias sub quibusdam clamoris proventibus vocet, ut et peccatorum tenebras prius caute discutiat, et discrete postmodum lucem prædicationis ostendat, ut singulis juxta modum et tempora congruat, et simul omnibus, qui illos sequantur ostendat? Unde ad tanta et tam subtilia efficax traditur, nisi intrinsecus ab eo a quo est conditus doceatur? Quia igitur laus tantæ intelligentiæ non prædicatoris virtus est, sed auctoris, recte per eumdem auctorem dicitur : Quis dedit gallo intelligentiam? ac si diceret : Nullus alius nisi ego, qui doctorum mentes, quas ex nihilo condidi, ad intelligenda quæ occulta sunt mirabiliter instruxi.

Potest etiam de gallo dici, quod sunt quidam Ecclesiæ prælati, quibus a Deo intelligentia datur; nec tamen juxta intelligentiam a Deo sibi datam aliquid operantur. Non seipsos alis excitant, nec alios monent, ut ad bene operandum surgant. Seipsos amant, et sic otio et voluptati vacant. Horas noctis sicut gallus non annuntiant, quia culpas delinquentium non accusant. Confessionis et pœnitentiæ districtionem non attendunt, sed in acquirendis rebus transitoriis intelligentiam a Deo sibi datam ponunt. Animarum lucra quærere nolunt, ea tamen, quæ ad delectationem carnis pertineant, tota mente quærunt. Sunt et alii nimis simplices, et illiterati, qui quasi gallus sedent in pertica regiminis, id est in cathedra prælationis locum occupant, et tamen officium divinæ legis ignorant. Sedent, et tacent, et seipsos pascunt, nec gregem sibi commissum ad pascua æternæ viriditatis ducunt. Et hic igitur, cui intelligentia datur, nec populo verbum Dei prædicat, et hic qui tacet, quia nescit quid dicat, uterque caveat, ne quasi gallus de pertica cadat. Filios suos Heli corripuit sæpe, sed quia manum correctionis non adhibuit, fractis cervicibus, de sella cecidit, antequam moreretur, mortem filiorum vidit, et aream Domini ab allophylis captam cognovit (*I Reg.* IV).

CAP. XXXVII. *De struthione, et ejus pennis, quibus notantur hypocritæ, et accipitris ac Herodii, quibus significantur electi.*

Penna struthionis similis est pennæ herodii et accipitris (*Job* XXXIX). Quis herodium et accipitrem nesciat aves reliquas quanta volatus sui velocitate transcendant? Struthio vero pennæ eorum similitudinem habet, volatus celeritatem non habet. A terra siquidem elevari non valet, et alas quasi ad volatum specie tenus erigit, sed tamen nunquam se a terra volando suspendit. Ita sunt nimirum omnes hypocritæ, qui dum bonorum vitam simulant, imitationem sanctæ conversationis [visionis] habent, veritatem sanctæ actionis non habent. Habent quippe volandi pennas per speciem, sed in terra repunt per actionem, quia alas per figuram sanctitatis extendunt, sed curarum sæcularium pondere prægravati, nullatenus a terra sublevantur. Speciem namque Pharisæorum reprobans Dominus, quasi struthionis pennam redarguit, quæ in opere aliud exterius, et in colore aliud ostendit dicens : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ* (*Matth.* XXIII). Ac si diceret : Sublevare vos videtur species pennæ, sed in infimis vos deprimit pondus vitæ; de hoc pondere per Prophetam dicitur : *Filii hominum, usquequo gravi corde?* (*Psal.* IV.) Hujus struthionis hypocrisim se conversurum ad sui glorificationem Dominus pollicetur, per Prophetam dicens : *Glorificabit me bestia agri, dracones, et struthiones* (*Isa.* XLIII). Quid enim draconum nomine, nisi in aperto malitiosæ mentes exprimuntur, quæ per terram semper in infimis cogitationibus repunt? Quid vero per struthionis vocabulum, nisi ii qui se bonos simulant designatur? qui sanctitatis vitam quasi volatus pennam per speciem retinent sed per opera non exercent. Unde struthio in deserto est simulatio in converso. Glorificari itaque se Dominus a dracone vel struthione asserit, quia et aperte malos, et ficte bonos plerumque ad sua obsequia ex intima cogitatione convertit.

Habemus adhuc quid in consideratione struthionis hujus, de accipitre et herodio attentius perpendamus. Accipitris quippe et Herodii parva sunt corpora, sed pennis densioribus fulta, et idcirco eum celeritate transvolant, quia eis parum inest quod aggravet, multum quod levet. At contra struthio raris pennis induitur, et immani corpore gravatur, ut etsi volare appetat, ipsa pennarum paucitas molem tanti corporis in aere non suspendat. Bene ergo in herodio et accipitre electorum persona significatur, qui quandiu in hac vita sunt, sine quantulocunque culpæ contagio esse non possunt, sed eum eis parum quid inest quod deprimit, multa virtus bonæ actionis suppetit, quæ illos in superna sustollit. Econtrario hypocrita, et si qua facit pauca quæ levent, perpetrat multa quæ gravent. Neque enim nulla bona agit hypocrita, sed quibus ea ipsa deprimat multa perversa committit. Paucæ igitur pennæ struthionis corpus non sublevant, quia parvum bonum hypocritæ multitudo pravæ actionis gravat. Hæc quoque ipsa struthionis penna ad pennas herodii et accipitris similitudinem coloris habet, virtutis similitudinem non habet. Illorum namque conclusæ, et ideo firmiores sunt, et volatu aerem premere virtute suæ colligationis possunt. At econtrario struthionis pennæ dissolutæ, ideo volatum sumere nequeunt, quod ab ipso, quem premere non potuerunt, aere transcenduntur. Quid igitur in his aspicimus, nisi quod electorum virtutes solidæ evolant, ut ventos humani favoris premant? Hypocritarum vero actio quamlibet recta videatur, volare tamen non sufficit, quia videlicet fluxæ virtutis pennam humanæ laudis aura pertransit. Sed ecce eum unum eumdemque bonorum malorumque habitum cernimus,

tum ipsam in electis ac reprobis professionis speciem videmus, et unde nostræ intelligentiæ detur, ut electos a reprobis, ut a falsis veros comprehendendo discernat, perspicimus. Quod tamen citius agnoscimus, si intemerata in memoriam præceptoris nostri verba signamus, qui ait : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Neque enim pensanda sunt quæ ostendunt in imagine, sed quæ servant in actione. Unde hic postquam speciem struthionis hujus intulit, mox facta subjungit, dicens : *Quæ derelinquit in terra ova sua (Job* XXXIX). Quid enim per ova nisi tenera adhuc proles exprimitur? quæ diu fovenda est, ut ad vivum volatile perducatur. Ova quippe insensibilia in semetipsis sunt, sed tamen calefacta in viva volatilia convertuntur. Ita nimirum certum est quod parvuli auditores, ac filii frigidi insensibilesque remaneant, nisi doctoris sui sollicita exhortatione calefiant. Ne igitur derelicti in sua insensibilitate torpescant, assidua doctorum voce fovendi sunt, quousque valeant et per intelligentiam vivere, et per contemplationem volare. Quia vero hypocritæ, quamvis perversa semper operentur, loqui tamen recta non desinunt, bene autem loquendo, in fide vel conversatione filios pariunt, sed eos bene vivendo nutrire non possunt, recte de struthione hic dicitur : Quæ derelinquit in terra ova sua. Curam namque filiorum hypocrita negligit, quia ex amore intimo rebus se exterioribus subdit, in quibus quanto magis extollitur, tanto minus de prolis suæ defectu cruciatur. Ova ergo in terra dereliquisse est natos per conversionem filios nequaquam a terrenis actibus interposito exhortationis nido suspendere. Ova in terra dereliquisse est nullum cœlestis vitæ filiis exemplum præbere. Quia enim hypocritæ per charitatis viscera non calent, de torpore prolis editæ, id est de ovorum suorum frigore non dolent, et quanto se libentius terrenis actibus inserunt, tanto negligentius eos quos generant, agere terrena permittunt. Sed quia derelictos hypocritarum filios superna cura non deserit (nonnullos namque etiam ex talibus intima electione præscitos largitæ gratiæ respectu calefacit) recte subjungitur : *Tu forsitan in pulvere calefacies ea (ibid.).* Ac si dicat : Ut ego, qui illa in pulvere calefacio, quia parvulorum animas prædicatorum suorum sollicitudine destitutas, et in medio peccantium positas Dominus amoris sui igne succendit. Hinc est enim quod plerosque cernimus et in medio populorum vivere, et tamen vitam torpentis populi non tenere. Hinc est etiam quod plerosque cernimus et malorum turbas non fugere, et tamen superno ardore flagrare. Hinc quoque est quod plerosque cernimus (ut ita dixerim) in frigore calere. Unde enim nonnulli inter terrenorum hominum torpores positi supernæ spei desideriis inardescunt? Unde etiam inter frigida corda succensi sunt, nisi quia omnipotens Deus derelicta ova scit etiam pulvere calefacere, et frigoris pristini insensibilitate discussa, per sensum spiritus vitalis animare, ut nequaquam jacentia in infimis torpeant, sed in viva volatilia versa, sese ad cœlestia contemplando, id est volando, suspendant.

Notandum vero est quod in his verbis non solum hypocritarum actio perversa reprobatur, sed bonorum etiam magistrorum, si qua fortasse subrepserit, elatio premitur. Nam enim de se Dominus dicit quod derelicta ova in pulvere, ipse calefacit, ipse profecto aperte indicat, quod ipse operatur intrinsecus per verba doctoris, qui et sine verbis ullius hominis calefacit quod voluerit in frigore pulveris. Ac si aperte doctoribus dicat : Ut sciatis quia ego sum, qui per vos loquentes operor, ecce cum voluero, cordibus hominum etiam sine vobis loquor. Humiliata igitur cogitatione doctorum, ad exprimendum hypocritam sermo convertitur, et qua fatuitate torpeat, adhuc sub struthionis facto plenius indicatur. Nam sequitur : *Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat (ibid.).* Quid in pede, nisi transitus operationis accipitur? Quid in agro, nisi mundus iste signatur, de quo in Evangelio Dominus dicit : *Ager autem est mundus? (Matth.* XIII.) Quid in bestia, nisi quod antiquus hostis exprimitur, qui hujus mundi rapinis insidians, humana quotidie morte satiatur. De qua per prophetam pollicente Domino dicitur : *Et mala bestia non transibit per eam (Isa.* XXXV). Struthio itaque ova sua deserens obliviscitur quod pes conculcet ea quia videlicet hypocritæ eos, quos in conversione generant filios derelinquunt, et omnino non curant, ne aut exhortationis sollicitudine, aut disciplinæ custodia destitutos, pravorum operum exempla pervertant. Si enim ova quæ gignunt diligerent, nimium metuerent ne quis ea per opera perversa demonstrando calcaret. Obliviscitur etiam quod bestia agri conterat, quia nimirum si diabolus in hoc mundo sæviens editos in bona conversione filios rapiat, hypocrita omnino non curat. Habent ergo veraces magistri super discipulos suos timoris viscera ex virtute charitatis; hypocritæ autem tanto minus commissis sibi metuunt, quanto nec sibimetipsis quod timere debeant, deprehendunt. Et quia obduratis cordibus vivunt, ipsos etiam quos generant filios nulla pietate debitl amoris cognoscunt. Unde adhuc sub struthionis specie subditur : Induratur ad filios quasi non sint sui. Quem enim charitas gratia non infundit, proximum suum, etiam si ipse hunc Deo genuit, ut extraneum respicit ut profecto sunt omnes hypocritæ quorum videlicet mentes dum semper exteriora appetunt, intus insensibiles fiunt, et in cunctis, quæ agunt, dum sua semper expetunt, erga affectum proximi nulla charitatis compassione mollescunt. Et quia charitatis viscera nesciunt, eorum mens quantum per mundi concupiscentiam in exteriora resolvitur, tantum per inaffectionem suam interius obduratur, et torpore insensibili frigescit intrinsecus, quia amore damnabili mollescit foris, seque ipsam considerare non valet, quia cogitare se minime studet. Cogitare vero se mens non potest, quæ tota apud semetipsam non est. Tota vero esse apud semetipsam non sufficit, quia per

quot concupiscentias rapitur, per tot a semetipsa species dissipatur, et sparsa in infimis jacet, quæ collecta si vellet, ad summa consurgeret. Unde justorum mens, quia per custodiam disciplinæ a cunctorum visibilium fluxu appetitus constringitur, collecta apud semetipsam intrinsecus integratur, qualisque Deo vel proximo esse debeat, plene conspicit, quæ nihil suum exterius derelinquit. Et quantum ab exterioribus astricta compescitur, tantum aucta in intimis inflammatur. Et quo magis ardet, eo ad deprehendenda vitia amplius lucet. Hinc est enim quod sancti viri dum se intra semetipsos colligunt, mira ac penetrabili acie occulta etiam aliena delicta deprehendunt.

Sequitur : *Cum tempus fuerit, in altum alas erigit* (*Job* XXXIX). Quid enim per alas hujus struthionis accipimus, nisi pressas hoc tempore quasi complicatas hypocritæ cogitationes? Quas cum tempus fuerit, in altum elevat, quia opportunitate comperta eas superbiendo manifestat. Alas in altum erigere est per effrenatam superbiam cogitationes aperire. Nunc autem quia sanctum se simulat, et quasi in semetipso stringit quæ cogitat, quasi alas in corpore per humilitatem plicat. Est ergo hypocrita, et nunc, sui laudes appetat, postmodum vitam proximorum premat, et quandoque se in irrisione sui Conditoris exerceat, ut quo elatiora semper excogitat, eo se suppliciis atrocioribus immergat. Unde et subditur : *Obliviscitur quod pes conculcet eo, et bestia agri conterat* (*Ibid.*). Tunc ova pes calcat, et bestia agri conterit, cum in terra deseruntur, quia videlicet humana corda, dum semper terrena cogitant, semper quæ ima sunt agere appetunt, ad conterendum se bestiæ agri, id est diabolo sternunt, ut eum diu infima cogitatione abjecta sunt, quandoque etiam majorum criminum perpetratione frangantur. Sequitur : *Induratur ad filios, quasi non sint sui* (*Ibid.*). Quasi non suos respicit, quos aliter vivere quam docuit ipsa deprehendit, et durescente sævitia terrores admovet, seque in eorum cruciatibus exercet, atque invidiæ facibus inflammata, in quibus non laboravit ut possent vivere, laborat ut debeant interire. Hypocritæ ergo, qui per struthionem intelliguntur, consuetudinis talis esse perhibentur, ut de nullo alio curam habeant, sed de bis quæ agunt, in se glorientur, et sibi solis bonum quod agunt, præ cæteris ascribunt.

CAP. XXXVIII. *De vulture, et ejus notaro Christo applicata.*

Semitam ignoravit avis, nec intuitus est oculos [Vulg. *oculus*] *vulturis* (*Job* XXVIII). Quis hoc loco avis nomine signatur, nisi ille qui corpus carneum, quod assumpsit, ascendendo ad æthera libravit? Qui apte quoque vulturis appellatione exprimitur. Vultur quippe dum volat, si jacens cadaver conspicit, ad escam cadaveris devolat, et plerumque sic in morte capitur, dum ad mortuum animal de summis labitur. Recte ergo mediator Dei et hominum, Redemptor noster, vulturis appellatione signatur, qui manens in altitudine divinitatis suæ, quasi quodam volatu sublimi cadaver mortalitatis nostræ conspexit in infimis, et sese de cœlestibus ad ima demisit. Fieri quippe propter nos homo dignatus est, et dum mortuum animal petiit, mortem apud nos, qui apud se erat immortalis, invenit. Sed hujus vulturis oculus fuit ipsa intentio nostræ resurrectionis, quia ipse ad triduum mortuus, ab æterna nos morte liberavit. Ille enim perfidus Judææ populus, quia mortalem vidit, sed quomodo morte sua mortem nostram destrueret, minime attendit, conspexit quidem vulturem, sed oculum vulturis non aspexit. Qui dum humilitatis ejus vias, quibus nos ad alta sublevaret, considerare noluit, semitam avis ignoravit. Neque enim pensare studuit, quod ejus non humilitas levaret ad cœlestia, et mortis ejus intentio reformaret ad vitam. Semitam igitur ignoravit avis, nec intuitus est oculis vulturis, quia, etsi vidit eum quem morte tenuit, videre noluit quanta vitæ nostræ gloria de morte ejus sequeretur. Unde ad crudelitatem quoque persecutionis exarsit, verba vitæ recipere renuit, prædicatores regni cœlorum prohibendo, sæviendo, feriendo repulit. Qui prædicatores, scilicet apostoli repulsi, Judæam ad quam missi fuerant deserentes, in gentilitatis collectionem dispersi sunt ; sed et natura vulturis talis esse dicitur, ut per vulturem quisque peccator intelligi videatur. Vultur siquidem exercitum sequitur, ut mortuorum cadaveribus satietur, quia peccator pravos homines, qui sunt in exercitu diaboli, sequitur, ut pravos eorum mores imitetur. Mortuorum cadaveribus vescitur, quia carnalibus desideriis, quæ mortem generant delectatur. Vultur etiam pedibus libenter graditur. Unde et a quibusdam gradipes appellatur, quia terrena peccator amat et terrenis inhiat. Quandoque etiam vultur in altum volat, quia peccator ad cœlestia mentem quandoque levat , sed qua intentione hoc faciat, alter ignorat. Quis enim intuetur oculos vulturis, id est intentionem cogitationis? Hoc enim Omnipotens sibi reliquit, qui cogitationes hominum solus novit. Nota etiam quod vultur, ut ait Isidorus, a volatu tardo nominetur. Tarde enim eum volare cœperit, a terra recedit quia peccator antequam nunquam terrena desideria derelinquit.

CAP. XXXIX. *De gruibus ordine litterato unam prævolantem sequentibus*, etc.

Grues dum pergunt, unam sequuntur ordine litterato. Excelsa autem petunt, quo facilius videant, quas petant terras. Castigat autem reliquas acri voce ea quæ cogit agmen. At ubi raucescit, succedit alia. Nocte autem excubias dividunt, et ordinem vigiliarum per vices faciunt, tenentes lapillos suspensis a terra pedis alterius digitis, quibus somnos arceant. Quid cavendum erit clamor indicat. Ætatem in illis color prodit. Nam in senectute nigrescunt. Grues enim de loco ad locum transvolant, ordinem procedendi volando servant. Illos autem significant, qui ad hoc student, ut ordinate vivant. Grues enim ordine litterato volantes designant ordinate viventes.

Cum autem ordinate volando procedunt, ex se litteras in volatu fingunt. Illos autem designant, qui in se præcepta Scripturæ bene vivendo formant. Una earum reliquas antecedit, quæ clamare non desinit, quia prælatus, qui primum locum regiminis obtinet, suos sequaces moribus et vita præire debet, ita tamen ut semper clamet, et viam bonæ operationis sequacibus suis prædicando demonstret. Quæ autem alias antecedit, si rauca facta fuerit, tunc alia succedit, quia prælatus si verbum Dei subjectis non prædicet, vel prædicare nesciat, eum raucus fuit, necesse est ut alius succedat. Si autem nox accesserit, illa, quæ præcedit, eum aliis ad terram descendens, locum quietis petit; tunc simul omnes ad custodiam sui vigilias ordinant, ut reliquæ securius somni quietem sumant. Possumus autem per vigiles intelligere quoslibet discretos fratres, qui communiter fratribus temporalia provident, et de singulis specialiter curam habent. Ad obsequia fratrum pro posse suo vigilant, ut ab eis incursus dæmonum, et accessus sæcularium repellant prudenter. Grues vero, quæ ad hoc eliguntur, ut pro aliis vigilent, in pede a terra suspenso lapillum tenent, timentes ne si qua earum dormiat, lapsus a pede lapillus cadat. Si autem cadat, evigilans clamat. Lapis, est Christus; pes, mentis affectus. Sicut enim aliquis pedibus incedit, sic mens suis affectibus quasi pedibus ad optata tendit. Si quis igitur ad custodiam sui vel fratrum vigilat, lapillum in pede, id est Christum in mente portet. Illud autem summopere caveat, ne si in peccato dormierit, lapillus e pede decidat, id est Christus a mente recedat. Si autem ceciderit, per confessionem clamet, ut dormientes excitet, id est fratres tam pro se quam pro eorum excessibus ad vigilantiam circumspectionis invitet. Ætatem in illis color prodit. Nam in senectute nigrescunt. Hic enim color in senectute seni competit, eum pro peccatis plangendo gemit. Cum enim quæ male gessit, senex commemorat, in senectute colorem mutat. Mutat enim amorem pristinæ delectationis in dolorem contritionis. Ecce qualiter per naturam volucrum doceri potest via religiosorum.

Cap. XL. *De natura milvi ad vitiosos applicato.*

Milvus, mollis est viribus et volatu, quasi mollis avis, unde etiam nuncupatur; rapacissimus tamen est, et semper domesticis avibus insidiatur. Sicut enim in libro Etymologiarum Isidori legitur, milvus a molli volatu nominatur. Est igitur milvus mollis viribus, illosque significat quos mollities voluptatis tentat. Cadaveribus milvus vescitur, quia carnalibus desideriis voluptuosi delectantur. Milvos enim carnes rapiens est, desidiosus, voluptuosa quærens. Circa coquinas et macella milvus assidue volitat, ut si quid crudæ carnis ab eis projicistur foras, velociter rapiat. Per hoc autem milvus eos nobis innuit, quos cura ventris sollicitos reddit. Qui igitur hujusmodi sunt, voluptuosa quærunt, macella frequentant, et coquinis inhiant. Milvus timidus est in magnis, audax in minimis; silvestres volucres rapere non audet, domesticis autem insidiari solet, insidiatur pullis ut eos rapiat, et quos incautos reperit velocius necat. Sic molles et voluptuosi teneros pullos rapiunt, quia simpliciores et providos suis moribus aptant, et ad perversos usus protrahunt. Super eos lente volando incautos decipiunt, dum eos blandis sermonibus adulando seducunt. Ecce quomodo volucres, quæ ratione carent, peritos homines, et ratione utentes, per exempla perversæ operationis sibi cavere docent.

Cap. XLI. *De hirundinis natura, moraliter animæ pœnitenti addicta.*

Turtur et hirundo et ciconia cognoverunt tempus adventus sui; Israel autem non cognovit judicium Domini (*Jerem.* VIII). De turture superius diximus. Restat autem ut nunc de hirundine, et postea de ciconia disseramus. Unde Isidorus: « Hirundo, inquit, dicta est quod cibus non sumat residens, sed in aere hærendo capiat escas, et edat; garrula est avis, et per tortuosos orbes et flexuosos circuitus pervolans, et in nidis construendis, educandisque fetibus solertissima, habens etiam quiddam præscium, quod delapsura sint deserat, nec appetat culmina; ab aliis quoque avibus non impetitur, nec unquam præda est, maria transvolat, ibique hieme commoratur. » Custodit autem tempora adventus sui, novit etiam quando veniat, et quando revertatur. Novit pia avis annuntiare adventus sui testimonio veris initium. Per hirundinem, sicut auctoritas testatur, aliquando superbia mentis, aliquando contritio contribulati cordis intelligitur. Quod per hirundinem superbia designetur per Tobiam dicitur: *Cum jactasset se*, inquit, *Tobias juxta parietem, et obdormisset, contigit ut ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus, fieretque cæcus* (*Tob.* II). Unde Beda super Tobiam: « Hirundo propter levem volatum superbiam cordis levitatemque figurat. Cujus immunditia confestim excæcat, nec enim videre permittit qualis fuerit. » Quod autem per hirundinem contritio cordis intelligi debeat propheta demonstrat dicens: *Sicut pullus hirundinis sic clamabo* (*Isa.* XXXVIII). Intelligimus igitur per hirundinem quemlibet discretum doctorem, per hirundinis pullum clamantem discipulum, per clamorem mentis contritionem. Clamat pullus hirundinis, dum quærit a magistro verbum prædicationis. Clamat pullus hirundinis, dum per confessionem magistro manifestat affectum contriti cordis. Si nosti clamorem hirundinis, nisi fallor, questum designat animæ pœnitentis. Clamor enim hirundinis est dolor pœnitentis. Hirundo cibos residens non sumit, sed in aere hærens escas edit, quia qui terrena non diligit, remotus a terrenis cœlestia quærit. Garrula avis dicitur, quia querulosis orationibus sæpius delectatur. Ideo flexuosos circuitus pervolat, ut ad diversa obedientiæ præcepta mentem subjectus flectat. In nidis construendis, educandisque fetibus solertissima, nidum in alto construit, quia in fide passionis Christi spem suam ponit, solers

est in educandis fetibus, id est in docendis subjectis fratribus. Habet etiam quiddam præscium, quod deserat lapsura, nec appetat culmina. Quiddam etiam præscium habent quos vero pœnitet, quia casum præsentis sæculi fugiunt, et permansura sine fine quærunt. Hirundo ab aliis avibus non impetitur, nec unquam præda est; rapaces enim aves nunquam hirundinem rapiunt, quia contriti corde nunquam dæmonibus præda fiunt. Hirundo maria transvolat, quia, quem vere pœnitet, amaritudines et tumultus hujus mundi exire desiderat. Ibique hieme commoratur. Cum enim hiems ingruit et frigus accedit, tunc justus ad calorem charitatis transit, ibique patienter exspectat, donec frigus tentationis a mente recedat. Novit pia avis annuntiare adventus sui testimonio veris initium. Revertitur hirundo post frigus hiemis, ut annuntiet initium veris. Similiter justus post frigus nimiæ tentationis revertitur ad temperantiam moderatæ mentis, ut qui frigus tentationis evaserat, ad æstatem, id est dilectionis calorem moderate per ascensus boni operis accedat. Hæc est igitur natura hirundinis, id est animæ pœnitentis, quæ semper quærit veris initium, quia in omnibus tenet discretionis et temperantiæ modum. Ecce qualiter simplex avis eos instruit, quos ab initio divina providentia discretos facit.

Cap. XLII. *De ciconiæ natura.*

Ciconiæ vocatæ sunt a sonu quo crepitant ciconiæ, quem sonum oris potius esse constat quam vocis, quia eum quatiendo rostro faciunt. Hæ veris nuntiæ, societatis comites, serpentium hostes, maria transvolant, in Asiam collecto agmine pergunt. Cornices duces eas præcedunt, et ipsæ quasi exercitus prosequuntur. Eximia illis circa filios pietas. Nam usque adeo nidos impense fovent, ut assiduo incubitu plumas exuant. Quantum autem tempus impenderint in fetibus educandis, tantum et ipsæ invicem a pullis suis aluntur. Ciconiæ sonum oris pro voce quatiente rostro faciunt. Illos autem prætendunt qui cum fletu et stridore dentium quod male gesserunt ore promunt. Hæ sunt nuntiæ veris, quia cæteris demonstrant temperantiam conversæ mentis. Societatis sunt comites, quia libenter habitant inter fratres. Dicitur etiam de ciconia quod sit serpentibus inimica. Serpentes sunt perversæ cogitationes, sive perversi fratres, quos ciconia rostro percutit, dum justus pravas cogitationes restringit, vel perversos fratres pungenti invectione reprehendit. Maria transvolantes, in Asiam collecto agmine pergunt. Asia interpretatur *elevata*. Maria igitur transvolant, et in Asiam pergunt qui spretis mundi tumultibus ad altiora tendunt. Eximia illis circa filios pietas, ut assiduo incubitu super eos plumas exuant. Assiduo incubitu super pullos ciconiæ plumas exuunt, quia dum prælati subjectos nutriunt, superfluitatis et levitatis a se plumas evellunt. Quantum autem tempus impenderint in fetibus educandis, tantum et ipsæ invicem a pullis aluntur. Quandiu pulli earum indigent, tandiu ciconiæ eos nutrire debent, quia, quandiu erudiri indigent discipuli, tandiu verbo doctrinæ debent eos alere prælati. Similiter subjecti prælatos suis laboribus fovere debent, ut eis ministrent necessaria quibus indigent. Turtur igitur, et ciconia, et hirundo illos reprehendunt qui Christum in carnem advenisse non credunt, et judicium Domini futurum non pertimescunt.

Cap. XLIII. *De merulæ natura moraliter.*

Isidorus de merula: « Merula, inquit, antiquitus modula vocabatur, eo quod moduletur. » Alii merulam vocatam aiunt, quia sola volat, quasi mera volans. Hæc cum in aliis locis nigra sit, in Achaia tamen candida est. *Merula est avis parva et nigra.* Illos autem innuit, quos peccati nigredo tingit. Merula dulcedine propriæ vocis mentem movet in affectum delectationis. Illos autem figurate demonstrat, quos voluptas carnis per suggestionem tentat. De ea siquidem beatus Gregorius, in libro Dialogorum scribit: « Qualiter beato Benedicto volitans occurrerit, qualiter vir tantus post discessum volucris tentatus fuerit ardore libidinis. » Ait enim: « Quadam vero die dum solus esset beatus Benedictus, tentatio adfuit. Nam nigra parvaque avis, quæ vulgo merula vocatur, circa ejus faciem volitare cœpit, ejusque vultui importune insistere, ita ut capi manu posset, si hanc vir sanctus tenere voluisset; sed signo crucis edito recessit avis, tanta autem carnis tentatio avi eadem recedente secuta est, quantam vir sanctus antea nunquam fuerat expertus. » Quamdam namque aliquando feminam viderat, quam malignus spiritus ante ejus mentis oculos adduxit, tantoque igne servi Dei animum in specie illius accendit, ut se in ejus pectore amoris flamma vix caperet, ut etiam pene deserere eremum voluptate victus deliberaret; cum subito superna gratia respectus, ad semetipsum reversus est, atque urticarum et veprium juxta densa succrescere fruticeta conspiciens, exutus indumento quo vestitus erat, nudum se in illos spinarum aculeos illaque urticarum incendia projecit, ibique diu volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exiit, et per cutis vulnera eduxit a corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem. » Merula igitur volitans est suggestio voluptate tentans. Qui igitur abjicere cupiunt voluptatem merulæ, oportet ut ad beati Benedicti transeant correctionem disciplinæ, et sic delectationem mentis extrahant per afflictionem carnis. In regionibus Achaiæ sunt, sicut Isidorus testatur, candidæ merulæ. Candida merula est voluntas munda. Achaia vero *soror laborans* interpretatur. Duæ sunt sorores Rachel et Lia, activa scilicet et contemplativa vita. Lia *laboriosa* interpretatur. Activa vita docet eleemosynas impendere, rudes et simplices docere, munditiam castitatis habere, propriis manibus laborare: hic est labor activæ vitæ, hæc est soror laborans, hæc est Achaia, scilicet activa vita. In Achaia igitur quasi candidæ merulæ sunt, qui in activa vita pure vivunt.

CAP. XLIV. *De bubonis natura moraliter.*

Isidorus de Bubone: « Bubo a sono vocis compositum nomen habet. Avis feralis, onusta quidem plumis, sed gravi semper detenta pigritia, in sepulcris die noctuque versatur, et semper commorans in cavernis. » Unde Rabanus: « *Bubo*, inquit, *tenebris peccatorum deditos et lumen justitiæ fugientes significat.* » Ideoque inter immunda animalia in Levitico deputatur (*Levit.* XI.) Unde per bubonem intelligere possumus quemlibet peccatorem. Bubo a sono vocis dicitur, quia ex abundantia cordis os loquitur. Nam quod cogitat mente, profert voce (*Matth.* XI.) Avis fœda esse dicitur, quia stercore ejus locus in quo habitat commaculatur, quia peccator illos, cum quibus habitat, exemplo perversi operis dehonestat. Avis est onusta plumis, id est, superfluitate carnis, et levitate mentis. Sed gravi quadam detenta pigritia. Detinetur inertia, et pigritia gravi, quia peccatores ad bene operandum sunt inertes et pigri. Diu noctuque moratur in sepulcris, nam delectatur in peccato, quod est fetor humanæ carnis. Habitat etiam in cavernis, nec per confessionem exit foras, sed lucem veritatis odit. Ab aliis avibus visus, magnis earum clamoribus proditur, magnis etiam incursionibus vexatur. Si enim peccator ad lucem cognitionis, ubi peccata sua cognoscantur, veniat, magnam bene agentibus derisionem præstat, et eum in peccato deprehensus fuerit, ab aliis verba reprehensionis audit, plumas enim ejus evellunt, et rostro lacerant, quia et carnales actus peccatoris bene agentes reprehendunt, et superfluitatem levitatis ejus damnant. Infelix ergo bubo dicitur, quia infelix est qui ea quæ prædiximus operatur.

CAP. XLV. *De graculi natura moraliter.*

Rabanus de Graculo: « Graculus a garrulitate nuncupatus, non ut quidam volunt, graculi dicti quod gregatim volent, cum sit manifestum ex voce eos nuncupari. Est enim loquacissimum genus, et vocibus importunum, quod vel philosophorum loquacitatem, vel hæreticorum verbositatem noxiam significare potest. » Potest adhuc et aliud dici de natura graculi. Graculus enim garrulos designat, et gulosos. Qui enim gulositati student, post cibum inanes rumores libenter referunt, et vel detrahunt, vel aures detractioni præbent. Graculus in silvis degit, de una arbore in aliam garriendo transvolat, quia homo garrulus de iis cum quibus habitat, etiam turpia quæ de eis noverit, aliis narrare non cessat. Graculus cum aliquem transire conspicit, garrit, et cum occultos reperit, similiter agit, quia garrulus homo non tantum detrahit sæcularibus, sed etiam eis quos religionis occultat locus. Graculus aliquando captus cavea includitur, ut articulata verba loqui doceatur. Similiter cum aliquis sæcularis ad conversionem venerit, verba religionis; addiscit ut lingua volucris verba loquatur hominis, ut qui inordinate loqui consueverat, ordinate loqui deinceps assuescat. Quandoque tamen evenit, ut graculus, qui clausus tenebatur, evadat, et qui prius garrulus fuerat, post egressionem magis clamet. Eodem modo garrulus homo cum vitam religionis accipit, vix linguam suam deserit, sed si forte relicto habitu foras exierit, bonum religionis in partem malam detrahendo quasi garriendo vertit. Moneat igitur natura volucris, quis recipi debeat ad consortium religionis. Providus igitur doctor cum aliquem recipere debet, saltem eum prius per aliquantulam cohabitationem probet. A quodam viro prudente et religioso didici quod sunt quædam diversitates hominum, quæ vix ordinate in religione possunt detineri. Si autem quæras qui sint, ut evitari possint, hi sunt pictores, medici, joculatores, et quidam alii, qui per diversas regiones discurrere sunt assueti. Hujusmodi homines vix possunt esse stabiles. Ars pictoris valde est delectabilis. Cum enim pictor Ecclesiam, capitulum, refectorium, vel aliquas officinas pinxerit, ad aliud monasterium si ei concessum fuerit, rogatus ab aliquo, causa pingendi transit. Opera Christi pingit in pariete, sed utinam ea teneret in mente, ut ea sciret pingere coloribus, id est exemplo, et moribus. Ars vero medicinæ multis indiget, et vix unquam propria rerum possessione caret. Qui enim eam exercet, necesse est ut aromatibus et pharmacorum speciebus abundet. Cum aliquis Ecclesiæ vicinus infirmitate premitur, medicus, ut ad infirmum veniat, rogatur. Si autem abbas eum ire non permiserit, iram et indignationem tam ægri quam medici incurrit. Medicus quandoque videt quod decenter eum videre non licet. Tangit quod religioso tangere non convenit. De incertis per experimenta loquitur, sed experimentum est fallax, ideo sæpe fallitur. Sed hoc religioso non expedit, ut alia quam vera loquatur. Promittit Ecclesiæ suæ lucrum si eat ad infirmum, sed tacet scandalum, et animæ suæ damnum. Nosti forsitan, frater, de monacho medico, Justo nomine sed utinam justo operatione, qui in medicamine tres aureos absconderat, quid de eo beatus Gregorius dicat, qui licet ei in infirmitate sua servierit, in correctione tamen ei non pepercit: « Fratres ante mortem cum eo loqui prohibuit, post mortem vero eum in sterquilinio sepeliri jussit. Sic autem est absolutus post mortem: *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (*Act.* VIII). » Sed et joculatores, ante conversionem leves, cum ad conversionem veniunt, sæpius usi levitate, leviter recedunt. Illi vero qui per diversas regiones discurrere sunt consueti, si tædio claustri fuerint aggravati, citius a claustris exeunt, quia terrarum diversitates norunt.

CAP. XLVI. *De anseris natura moraliter.*

Anser vigilias noctis assiduitate clangoris testatur. Nullum autem animal ita odorem hominis sentit, ut anser. Unde et clangore ejus Gallorum ascensus in Capitolium deprehensus est. Unde Rabanus: « Hæc avis providos homines, et erga sui custodiam bene vigilantes significare potest. » Anserum duæ sunt species, domestici scilicet et campestres. Campestres in

altuo et ordinata volant, illosque designant qui A remoti a terrenis, ordinem bene vivendi servant. Domestici vero in vicis simul habitant, frequenter exclamant, seipsos rostro lacerant, illosque significant qui etsi conventus ament, loquacitati tamen et detractioni vacant. Campestres anseres omnes sunt coloris cinericii, nec aliquem eorum varium seu niveum vidi. In domesticis vero non solum habetur color cinericius, sed etiam varius vel albus. In campestribus habetur color cinericius, id est in iis qui a sæculo sunt remoti, pœnitentiæ vilis habitus. Ii vero qui in vicis vel in urbibus habitant pulchrioris coloris vestem portant. Anser præ cæteris animalibus supervenientis hominis odorem sentit, quia discretus homo per bonam, vel per malam famam alios, licet longe remotus, cognoscit. Cum B igitur anser supervenientis hominis odorem sentit, nocte clamare non desinit, quia cum negligentias ignorantiæ circumspectus frater in aliis videt, clamare debet. In Capitolio quondam Romanis profuit clamor anseris, et in capitulo quotidie prodest, cum negligentias viderit, clamor prudentis fratris. Clamor anseris a Capitolio repulit hostem Gallum. A capitulo vero clamor providi fratris hostem repellit antiquum. Clamor anseris urbem Romam ab impetu hostium servavit immunem; clamor prudentis fratris, ne turbetur a perversis, custodit vitam communiter viventium. Divina autem providentia naturas volucrum nobis, ut opinor, non proponeret, nisi eas in aliquo nobis prudesse vellet.

Cap. XLVII. *De natura ardeæ.*

Ardea vocata quasi ardua propter altos volatus. Formidat enim imbres et supra nubes evolat, ut procellas imbrium sentire non possit. Cum autem evolaverit, significat tempestatem. Hanc multi tantalum vocant: unde Rabanus: « Hæc avis potest significare animas electorum, quæ formidantes perturbationem hujus sæculi, ne forte procellis persecutionum instigante diabolo involvantur, intentionem suam super omnia temporalia efferentes, ad serenitatem patriæ cœlestis ubi assidue conspicitur Dei vultus, mentes suas elevant. » Licet autem ardea cibos in aquis quærat, in sylvis tamen et in altis arboribus nidum locat, quia justus, qui rebus labentibus et transitoriis seipsum pascit, in rebus D tamen divinis et ita sublimibus spem ponit, et licet ejus caro sustentetur transitoriis, anima tamen delectatur æternis. Ardea pullos in nido rostro defendere nititur, ne ab aliis avibus rapiantur. Eodem modo justus forti invectione percutit, quos perversos ad decipiendum subjectos novit. Quædam vero earum habent colorem album, quædam cinericium, uterque tamen color in bonam partem accipitur, si per album munditia, per cinericium pœnitentia designetur. Ejusdem generis sunt et qui pœnitentiam agunt, et qui munde vivunt. Et color igitur ardeæ, et modus vitæ exemplum salutis religiosis demonstrant viris.

Cap. XLVIII. *De caladrio ave.*

Physiologus de caladrio dicit quod totus albus sit, cujus femoris pars interior caliginem aufert ab oculis. Natura igitur caladrii talis esse dicitur, ut si ad infirmum hominem aliquoties adducatur, utrum infirmus mori, an vivere debeat, astantes certos reddat. Si enim faciem hominis respicit, nec oculos avertit, sed infirmi faciem diligenter consideret, signum est quod vivet. Si autem oculos a facie infirmi hominis avertat, signum est mortis. Per caladrium intelligimus Christum, qui venit in mundum, ut salvum faceret genus humanum. Qui dicitur esse nivei coloris, quia ab omni peccato fuit immunis. Cujus interior pars femoris abstergit ab oculis obscuritatem caliginis. Per femur propagatio generis intelligitur. Interior igitur pars femoris est incarnatio Salvatoris. Interior siquidem et occulta fuit incarnatio Salvatoris, quæ etiam diabolum latuit. Venit Christus in mundum, ut salvum faceret genus humanum. Faciem suam a Judæis avertit. Gentiles respexit, iniquitates nostras sustinuit, et qui peccatum non fecerat, in ligno crucis peccata nostra portavit. Sed et quotidie præfatus caladrius infirmitates nostras visitat, mentem per confessionem considerat, et eos sanat, quibus gratiam pœnitendi præstat, ab illis vero faciem avertit, quorum cor impœnitens novit. Istos respuit, sed illos, in quos faciem intendit, sanos reddit.

Cap. XLIX. *De phœnice.*

C Phœnix Arabiæ avis dicta, quod colorem phœniceum habeat, vel quod sit in toto orbe singularis et unica. Nam Arabes rem singularem vocant phœnicem. Hæc quingentis et ultra annis vivens, dum se viderit senuisse, collectis aromatum virgulis rogum sibi instruit, et conversa ad radium solis alarum plausu voluntarium sibi incendium nutrit, sicque iterum de cineribus suis resurgit. Unde Rabanus: « Phœnix, inquit, potest significare resurrectionem justorum, qui aromatibus virtutum collectis, restaurationem prioris vigoris post mortem sibi reparant. Phœnix est Arabiæ avis. » Arabia vero interpretatur *campestris*. Campus est hic mundus, Arabia sæcularis vita, Arabes sæculares. Arabes phœnicem appellant singularem. Singularis est quilibet justus, a curis sæcularibus omnino remotus. Phœnix per quingentos annos vivere creditur, sicut Scriptura testatur. Centenarius vero numerus in annis moraliter designat terminum perfectionis. Quingentorum autem annorum numerus assignari potest quinque corporis sensibus. Cum enim visus deficit, primus centum annorum numerus transit. Cum vero deficit auditus, transit secundus. Cum tres reliqui sensus, id est tactus, gustus, odoratus deficiunt, tunc quingenti anni moraliter transacti sunt. Cum vero morti phœnix appropinquat, tunc diversas species aromatum parat. Aromata sunt bona opera, diversæ species diversæ animæ virtutes. Congeriem aromatum construit, et se in mediis aromatum speciebus componit. Huc toties justus

agit, queties ad memoriam suam bonorum operum suorum multitudinem reducit. Ad radium solis alis ignem voluntarium excitat, quia mentem alis contemplationis excitatam justus ardore sancti Spiritus inflammat. Sic igitur phœnix inceuditur, sed ex ejus cinere phœnix iterum procreatur. Cum ergo phœnix moritur, et ex ejus cinere phœnix iterum nascitur, hoc exemplo agitur, ut futuræ resurrectionis veritas a singulis fieri credatur, et resurrectio phœnicis est spes, et species, seu specimen futuræ resurrectionis. Non est ergo majus miraculum fides futuræ resurrectionis, quam ex cinere facta resurrectio phœnicis. Ecce volucrum natura simplicibus resurrectionis argumentum præstat, et quod Scriptura prædicat, opus naturæ confirmat.

CAP. L. *De perdicis natura.*

Clamat perdix, et congregans fovet ova quæ non peperit, faciens sibi non cum judicio divitias: « In medio enim dierum suorum derelinquet eas, et in novissimis suis erit insipiens (*Jer.* XVII). » Unde Isidorus: « Perdix de voce nomen habet, avis est dolosa, adeo autem fraudulenta, ut alterius ova diripiens foveat. » Sed fraus fructum non habet. Nam cum pulli vocem proprie genitricis audierint, naturali quodam instinctu hanc, quæ eos fovit relinquunt, et ad eam, quæ genuit, revertuntur. Unde Rabanus: « Diabulus per principes hæreticorum congregavit populos, quos non peperit, et deceptorum sibi multitudinem consociavit, quos postea dimisit, et omnium judicio stultissimus esse comprobatur. » Possumus ergo intelligere diabolum per perdicem, per ovum apem. Perdix vero illa cujus ova diabolus furatur, Ecclesia procul dubio intelligitur. In perdice igitur Scriptura diabolum nobis innuit, qui ova alterius perdicis, id est habentes spem salutis furatur, fovit et nutrit. Furatur, dum spem salutis eis subtrahit, fovet otio, et delectatione nutrit, fovet terrenis desideriis, nutrit carnalibus illecebris. Cum autem pulli vocem propriæ genitricis audiunt, quodam naturali instinctu eam recognoscunt. Similiter cum aliquis diabolo subjectus fuerit, et vocem ecclesiasticæ prædicationis audit, ad Ecclesiam quasi ad genitricem propriam relicto diabolo transvolat, ut sub alis divinæ protectionis ulterius in pace vivat. Ecce qualiter perdix ova, quæ furatur et congregat, in pullis perdit, quia non est mirum si quos male congregaverat diabolus, judicio veritatis perdat. In novissimis ergo suis diabulus insipiens erit, quia in die judicii æterna benedictione carebit, et tunc audiet perdix cum perditis, id est diabolus cum subjectis: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo, et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Ad hoc enim tendunt qui in hac vita diabolo serviendo succumbunt.

CAP. LI. *De coturnice, seu qualea ave.*

Coturnices a sono vocis dictas constat, quas Græci ortygas vocant, eo quod visæ fuerint primum in Ortygia insula. Hæ adveniendi habent tempora. Nam æstate depulsa, maria transvolant. Ortygometra dicitur avis, quæ gregem ducit; eam terræ propinquantem occipiter videns rapit, ac propterea cura est universis ducem sollicitare externi generis, per quam prima caveant discrimina. Sola hæc avis, sicut et homo, caducum patitur morbum. Coturnices adveniendi habent tempora. Nam maria transvolant æstate depulsa. Coturnix maria transvolans est anima omnia labentia calcans. Calor æstatis est ardor charitatis. Frigus hiemis est tentatio refrigeratæ mentis. Ab amore igitur proximi per mare mundi hujus transmeat justus ad amorem Dei, ut in calida regione semper maneat, qui semper calore dilectionis in semetipso flagrat, ut vitet frigus hiemis, procellas scilicet et ventus improvisæ tentationis. Ortygometra dicitur, quæ gregem ducit. Eam terræ propinquantem occipiter videns rapit. Terra sunt terrena desideria, maria mundi pericula, accipiter insidians diabolus per suggestionem tentans. Propinquantem igitur terræ accipiter videns rapit, quia eos qui terrena quærunt, diabulus secum trahit. Prælatus igitur, qui gregem antecedit, diligenter provideat qua intentione terrena petat, utrum in suos usus ea redigat, an ad necessitatem fratrum ea quærat, ne accipiter, id est diabolus eum rapiat, qui postpositis spiritalibus, terrenis inhiare non cessat. Propter quod cura est universis, ducem sollicitare generis externi, per quem prima caveant discrimina. Duo sunt hominum genera bonorum, scilicet et malorum. Generis externi sunt homines perversi. Justi igitur perversos sibi præponunt, dum casus et eventus eorum diligenter attendunt. Dum igitur hæc attente considerant, prima peccandi discrimina considerando vitant. Hæc avis sicut homo caducum morbum patitur, quia spiritualis homo sicut carnalia aliquoties peccare perhibetur, nec quoties peccat, moritur, quia ei pœnitendi gratia non negatur. Unde scriptum est: *Septies in die cadit justus* (*Prov.* XXIV), nec tamen desinit esse justus. Quoties enim justus peccat, toties adjicit ut resurgat.

CAP. LII. *De upupæ natura.*

Upupam Græcis ἔποψ [epops] appellatur, ab ἐποψάομαι [epopsaomai] quod est *obsonium facio*, eo quod stercora humana consideret ac congreget, et fetenti pascatur fimo. Avis est spurcissima, cristis exstantibus galeata, semper in sepulcris, et humano stercore commorans. Unde Rabanus: « Hæc avis sceleratos peccatores significat homines, scilicet qui sordibus peccatorum assidue delectantur. » Upupa etiam luctum amare dicitur, quia sæculi tristitia mortem spiritus operatur. *Propter hoc oportet eam, qui diligit Deum, semper gaudere, sine intermissione orare, in omnibus gratias agere* (*I Thess.* V), *quia gaudium fructus est spiritus* (*Galat.* V). De upupa etiam physiologus dicit quod cum senuerit et volare non possit, filii ejus ad eam veniunt, et pennas vetustissimas e corpore ipsius evellunt, eamque fovere non cessant, et donec iterum pennæ novæ crescant, cibis sustentant, ut Scriptura dicit, donec sicut aote

assumptis viribus evolare possit. Exemplo igitur suo upupæ perversos homines arguunt, qui patres suos, cum senuerint, a domibus propriis expellunt, qui eos, cum deficiant, sustentare renuunt, qui tamen ipsos, eum adhuc parvuli essent, educaverunt. Videat igitur homo rationalis creatura quid patri vel matri debeat, cum irrationalis creatura quod prædiximus, in necessitate cum senuerint, parentibus reddat.

Cap. LIII. *De olore vel cygno.*

Olor avis est, quam Græci κύκνον cygnum appellant. Olor autem dictus est quia ὅλος [olos] dicitur totus, quod sit totus albus in plumis. Nullus enim meminit cygnum vidisse nigrum. Cygnus autem a canendo est appellatus, eo quod carminis dulcedinem modulatis vocibus fundit. Ideo autem suaviter eum canere perhibent, quia longum collum et inflexum habet, et necesse est eluctantem vocem per longum et flexuosum iter varias reddere modulationes. Ferunt in Hyperboreis partibus præcinentibus citharœdis olores plurimos advolare, apteque admodum concinere. Cygnus plumam habet niveam, sed carnem nigram. Moraliter olor niveus in plumis designat effectum simulationis, qua caro nigra tegitur, quia peccatum carnis simulatione velatur. Cygnus, dum in flumine natat, cervicem capitis erectam gestat, quia superbus qui cum rebus transitoriis ad interitum trahitur, etiam de labentium rerum possessione ad tempus gloriatur. Ferunt in hyperboreis partibus præcinentibus citharœdis olores plurimos advolare, apteque admodum concinere, quia qui voluptatibus totis desideriis inhiant, quasi advolantes voluptuosis concordant. Sed et in extremis cum cygnus moritur valde dulciter canora perhibetur. Similiter cum de hac vita superbus egreditur, adhuc dulcedine præsentis sæculi delectatur, et quæ male gessit, ad memoriam moriens reducit. Cum vero nivea pluma cygnus exuitur, in veru positus ad ignem torretur. Similiter cum dives superbus moriens exuitur mundana gloria, descendens ad flammas inferni cruciabitur per tormenta, et qui cibum sumere consueverat nimis, in abyssum descendens fit cibus ignis.

Cap. LIV. *De classe Salomonis et Josaphat.*

Classis Salomonis per mare semel per tres annos ibat in Tharsis deferens inde aurum, et argentum, dentes elephantorum, et simias, et pavos seu pavones (*I Reg.* x). Tharsis interpretatur *exploratio gaudii.* Est autem gaudium præsentis sæculi, est et futuri. Gaudium præsentis vitæ fine clauditur, gaudium vero futuræ nequaquam fine terminatur. Gaudium præsentis vitæ dolor et tristitia sequitur, gaudium vero futuræ nec dolor nec tristitia subsequitur. Gaudium præsentis sæculi est honoribus sublimari, rebus transitoriis ad tempus perfrui, abundare parentum copia, et eorum delectari præsentia. Cum autem aliquis privatur honoribus, spoliatur rebus, cum aliquis amicorum moritur, tunc dolor sequitur. Hoc gaudium igitur semper doloribus immiscetur. Per tres annos semel classis Salomonis par mare mittitur in Tharsis. Classis Salomonis est virtus confessionis. Hac classe per hujus mundi mare vehimur, ne submergamur. In Tharsis ergo classis mittitur, quæ inde aurum, et argentum, dentes elephantorum, simias, et pavos deferre perhibetur. Aurum et argentum in Tharsis esse dicitur, id est viri sapientia clari, eloquentia præditi, qui dum præsentis sæculi gaudium explorant et exquirunt, seipsos cognoscunt. Et dum per classem Salomonis de Tharsis ad Jerusalem veniunt, et aurum purum advehunt, in pace Ecclesiæ per confessionem puriores fiunt. De hoc auro purissimo fecit rex Salomon scuta aurea. Scuta aurea sunt qui puro vivunt, et alios ab incursu diaboli defendunt. Ex prædicto etiam argento fiunt tubæ argenteæ, id est doctores Ecclesiæ. Attulit etiam simias et pavos, id est derisores et delicatos, ut qui in Tharsis derisores et delicati fuerant, in pace conversionis humiles existant. Attulit etiam classis Salomonis dentes elephantorum, id est detractiones superborum. Dum enim verbis detractoriis bonis operibus simplicium detrahunt, quasi dentibus eorum ossa rodunt. Nota quod dentes elephantis materia fiunt eburis, et de materia eboris fit thronus Salomonis. Qui enim ex rapina vivere consueverant, subjecti vero Salomoni seipsos postea, ut sint thronus ejus, per virtutem justitiæ et charitatis parant. Per tres annos semel classis Salomonis ire consueverat in Tharsis. Primus annus moraliter est cogitatio, secundus locutio, tertius operatio. Cum igitur de his tribus simul confessio agitur, quasi a servis Salomonis per tres annos semel in Tharson itur.

Sed et Josaphat rex Juda, sicut historia dicit, *classes in mari fecit, quæ navigarent in Ophir propter aurum, et ire non potuerunt, quia confractæ sunt in Asiongaber* (*III Reg.* xxII). Josaphat *judicans*, Asiongaber *lingua* viri, id est *confessio* interpretatur. Josaphat rex Juda esse intelligitur vel esse dicitur, quando judicium confessioni dominatur. Cum enim peccatur in confessione seipsum judicat, tunc rex Josaphat in Judæa regnat. Ophir vero *herbosum* interpretatur, herbosa terra dicitur quæ ab aliquo non elaboratur, in qua nascitur abundantia graminis, ut moveat affectum delectationis. In hoc Ophir, id est herboso voluptuosi sedent, desidiosi jacent. Sedent assiduitate, jacent dissolutione. Hoc herbosum est hic mundus sterilis et infecundus. In Ophir igitur classis Josaphat ire propter aurum nititur, ut dum mundi casus attenditur, mentis puritas acquiratur. Sed cum hoc agitur, in Asiongaber classis Josaphat fracta fuisse perhibetur. Gaber, sicut dicit Hieronymus, *juvenis* sive *fortis* interpretatur. Non est igitur mirum si classem confessionis frangat impetus juventutis.

Cap. LV. *De pavonis natura.*

Quoniam de quibusdam præmissis jam diximus, restat ut de pavone, de quo agere intendimus, ali-

quid dicamus. « Pavo, sicut dicit Isidorus, a sono vocis nomen accepit. » Cum enim ex improviso clamare cœperit, pavorem subitum audientibus incutit. Pavo igitur a pavore dicitur, eum per vocem ejus pavor audientibus inferatur. Pavo dum in Tharsis habitat, delicatos designat. Cum vero per classem in Jerusalem delatus fuerit, doctorum prædicantium figuram gerit. Duras habet carnes, et putredini resistentes, quæ vix a coquo coquuntur igni, vel a calore hepatis coqui possunt in stomacho. Tales sunt furtium doctorum mentes, quas nec flamma cupiditatis exurit, nec calor libidinis accendit. Habet pavo vocem terribilem, incessum simplicem, caput serpentinum, pectus sapphirinum, habet etiam in alis plumas aliquantulum ruffas, habet caudam longam, et ut, ita dicam, quasi oculis plenam. Habet, inquam, pavo vocem terribilem, quando prædicator peccatoribus comminatur inexstinguibilem gehennæ ignem. Simpliciter incedit, quoties in operibus suis humilitatem non excedit. Habet caput serpentinum, dum caput mentis tenetur sub custodia callidæ circumspectionis. Color vero sapphirinus in pectore, cœlesto desiderium designat in humana mente. Color ruffus subrubens in pennis amorem significat contemplationis. Longitudo caudæ longitudinem innuit futuræ vitæ. Quod autem quasi oculos in cauda habet, ad hoc pertinet quod unusquisque doctor prævidet, quod periculum in fine singulis imminet. Est in cauda color viridis, ut initio conveniat finis. Varietas igitur colorum designat diversitatem virtutum. Nota etiam quod pavo, dum laudatur, caudam erigit, quando prælatus quilibet adulantium laudibus per vanam gloriam mentem levat. Pennas in urdine ponit, quia quidquid doctor agit, se ordinate fecisse credit. Cum autem cauda erigitur, posteriora nudantur, et sic quod laudatur in opere, deridetur in elatione. Oportet igitur ut pavo caudam submissam gerat, ut id laudabile, quod doctor agit, cum humilitate fiat.

CAP. LVI. *De natura aquilæ.*

Aquila ab acumine oculorum vocata. Tanti enim visus aut contuitus esse dicitur, ut cum super maria immobili penna feratur, ita ut humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos natare videat, ac turbinis instar descendens raptam prædam pennis ad littus pertrahat. Nam et contra radium solis fertur obtutum non flectere, unde et pullos suos ungue suspensos, radiis solis objicit, et quos viderit immobilem tenere aciem, ut dignos genere conservat, si quos vero perspexerit reflectere obtutum, quasi degeneres abjicit. Unde beatus Gregorius: « Aquilæ vocabulo in Scripturs sacra aliquando maligni spiritus raptores animarum, aliquando præsentis sæculi potestates, aliquando vero vel subtilissimæ sanctorum intelligentiæ, vel incarnatus Dominus, ima celeriter transvolans, et mox summa repetens designatur. » Aquilarum nomine insidiatores spiritus exprimuntur; Jeremia attestante qui ait: *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli* (*Jer.* IV). Persecutores enim nostri aquilis cœli velociores sunt, cum tanta contra nos maligni homines faciunt, ut ipsas etiam aereas potestates inveutionibus malitiæ præire videantur. Aquilæ vocabulo potestas terrena figuratur. Unde per Ezechielem prophetam dicitur: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus evulsit* (*Ezech.* XVII). Qua videlicet aquila quis alius quam Nabuchodonosor rex Babylonis designatur, qui pro immensitate exercitus magnarum alarum, pro diuturnitate temporum longo membrorum ductu, pro multis vero divitiis plenus plumis, pro innumera autem terrenæ gloriæ compositione plenus varietate describitur? Qui venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus evulsit, quia Judææ celsitudinem petens, nobilitatem regni ejus quasi medullam cedri abstulit, et dum tenerrimam regum prolem a regni sui culmine captivando sustulit, quasi summitatem frondium ejus evulsit. « Aquilæ vocabulo subtilis sanctorum intelligentia exprimitur. Unde idem propheta, dum sub animalium specie evangelistas quatuor se vidisse describeret (*Ezech.* I), in eis quartum animal, id est Joannem per aquilam significavit, qui volando terram deseruit, quia per subtilem intelligentiam interna mysteria Verbi videndo penetravit. » Similiter, qui hæc terrena mente deserunt, velut aquila cum Joanne per contemplationem cœlestia quærunt. Item beatus Gregorius de aquila: « Sicut aquila volans ad escam. Moris quippe est aquilæ ut irreverberata acie radios solis aspiciat, sed, cum refectionis indigentia urgetur, eamdem aciem oculorum, quam radiis solis infixerat, ad respectum cadaveris inclinat, et quamvis ad alta evolet, pro sumendis tamen carnibus terram petit. Sic et antiqui patres fuerunt, qui, inquantum humanitatis infirmitas admittebat, Creatoris lucem erecta mente contemplati sunt. Sed hunc incarnandum in fine mundi præscientes, quasi a solis radiis deflexerunt. Et quasi de summis ad ima veniunt, dum Deum super omnia, et hominem infra omnia agnoscunt. Quem pro humano genere dum passurum, moriturumque suspiciunt (qua scilicet morte semetipsos refici, atque reformari ad vitam noverunt), quasi more aquilæ post contemplatos solis radios, in cadavere escam quærunt. » Aliter: « Sicut aquila volans ad escam. Aquila etenim alto valde volatu suspenditur, et adnisu præpeti ad æthera liberatur, sed per appetitum ventris terras expetit, seseque a sublimibus repente deorsum fundit. Sic humanum genus in primo parente ad ima de sublimibus corruit, quod nimirum conditionis suæ dignitas in rationis celsitudine quasi in aeris libertate suspenderat, sed quia contra præceptum cibum contigit, per ventris concupiscentiam ad terras venit, et quasi post volatum carnibus pascitur, qui illa libera contemplationis inspiracula perdidit, et deorsum corporis voluptatibus lætatur. »

Item de aquila: *Renovabitur ut aquilæ juventus mea* (*Psal.* CII). Solet dici de aquila dum senectute premitur, quod rostrum illius aduncetur et incurvetur, ita ut sumere cibum nequeat, et macie languescat, sed veniens ad petram rostrum acuit, et cibum capiens, iterum juvenescit. Petra est Christus, aquila quilibet justus, qui ad petram rostrum acuit, dum seipsum Christo per bonam operationem conformem reddit.

CAP. LVII. *De ibe seu ibide ave.*

Est volatile quod dicitur ibis, hoc secundum legem immundum est præ omnibus volatilibus, quoniam mortuis et morticinis cadaveribus vescitur, et super littora maris vel fluminum, vel stagnorum die nocteque moratur, quærens mortuos pisciculos, vel aliquod cadaver, quod ab aqua jam putridum vel madidum ejectum fuerit foras. Nam in aquam ingredi timet, quia natare nescit, nec dat operam ut discat, quia mortuis cadaveribus delectatur, ideo non potest in altitudinem aquæ ingredi, ubi mundi pisciculi demorantur, ut inde sibi capiat cibum, sed semper foris oberrans circuit refugiens puriores et altissimas aquas, unde possit mundus vivere. Tu igitur, Christiane homo, qui ex aqua et Spiritu sancto renatus es, ingredere ad intelligibiles et spirituales aquas, id est in altitudinem præceptorum Christi, quæ sunt *charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, bonitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* (*Galat.* V). Quia, si nolueris in altiores ingredi, et de ipsis spiritualibus escas tibi capere et sumere, sed circumiens foris et oberrans mortuis, et fœdissimis cadaveribus saginari volueris, de quibus dicit Apostolus: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt immunditia, adulteria, fornicatio, impudicitia, luxuria, ebrietas, commessatio, avaritia, cupiditas* (*ibid.*), ad immundorum societatem pervenies. Hæ sunt carnales et mortiferæ escæ, quibus infelices animæ nutriuntur ad pœnam. Disce igitur natare super *hoc mare magnum, et spatiosum manibus*, sunt *illic reptilia quorum non est numerus* (*Psal.* CIII). Nec eos aliter superabis, nisi per signum crucis. Sancti igitur tanquam naves pertranseuntes perveniunt ad regna cœlorum, velut quietissimum portum. Nescientes autem spiritualiter natare excludentur a regno cœlorum, et mortui cum mortuis peribunt, sicut dicitur in Evangelio: *Dimitte mortuos sepelire mortuos* (*Matth.* VIII). Convenienter ergo hoc de ibi physiologus dicit et quod serpentes violenter fugat. Et tu, cum oras, extende manus tuas ad cœlos, quia virtus crucis semper defendit orantes et dicentes: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV). Nam et sol ipse, nisi extenderit radios suos, non lucet, et volucres, nisi expanderint alas suas, volare non possunt. Naves nisi levaverint vela sua, vento flante non moventur. Denique *dum Moyses levabat manus suas, superabat Israel, cum remitteret manus suas, convalescebat Amalech* (*Exod.* XVII).

CAP. LVIII. *De fulica.*

Est volatile, quod dicitur fulica, satis intelligibile et prudentissimum super omnia volatilia. Cadaveribus non vescitur, non aliunde alio pervolans atque oberrans, sed in uno loco commoratur et permanet usque ad finem, et ibi escam suam habet, et requiescit. Sic ergo omnis homo fidelis secundum Dei voluntatem conservatur et vivit. Non huc atque illuc per diversa loca oberrans circumvolat, sicut faciunt hæretici. Nec secularibus desideriis ac voluptatibus delectatur corporalibus, sed sicut illa volucris, quæ carnibus non vescitur, semper in uno eodemque se continet et requiescit loco, id est in Ecclesia catholica et apostolica, et ibi permanet usque in finem, sicut dicitur in Evangelio: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Ibi ergo se continet, et ibi Dominus inhabitare facit unanimes in domo, et ibi habet quotidianum panem immortalitatis, potum vero pretiosum sanguinem Christi, reficiens se sanctis epulis, et super mel et favum suavissimis eloquiis Domini. *Non enim in solo pane vivit homo, sed ex omni verbo Dei* (*Matth.* IV). Fulica avis est stagnensis, habens nidum in medio aquæ, vel in petris quas aqua circumdat, maritimoque semper delectatur profundo, dum tempestatem præsenserit, fugiens in nido ludit.

LIBER SECUNDUS

QUI EST PRÆCIPUE DE NATURIS ANIMALIUM.

PROLOGUS.

Bestiarum vocabulum proprie convenit pardis, vulpibus, tigribus, lupis, simiis, ursis, et cæteris, quæ vel ore, vel unguibus sæviunt, exceptis serpentibus. Bestiæ autem dicuntur a vastando, et vi qua sæviunt. Feræ appellantur eo quod naturali utantur libertate, et desiderio suo ferantur. Sunt enim liberæ earum voluntates, et huc atque illuc vagantur, et quo animos duxerit, eo feruntur.

CAP. I. *De leone.*

Leo ex Græco vocabulo inflexum est in Latinum, λέων enim dicitur Græce. Est rex ferarum, et omnium quadrupedum princeps, cujus genus trifarium dicitur. E quibus breves ac juba crispa imbelles sunt,

longi et enma simplici acriores. Animos eorum frons et cauda indicat. Virtus eorum in pectore, firmitas in capite. Septi autem a venatoribus terram contoeuntur, quo minus conspectis venabulis terreantur. Rotarum strepitus timent, sed magis ignem. Et cum ad nullum paveant occursum, feruntur album gallum valde timere. Physici denique dicunt quinque naturales res sive naturas habere leonem. Prima est, quod per cacumina montium amat ire. Si vero contigerit quod a venatoribus quæratur, odorem eorum sentit, atque sua vestigia cauda sua tegit, ut per ejus vestigia venatores eum investigare nequeant. Sic et Salvator noster, spiritualis *Leo de tribu Juda* (*Apocal.* v), radix Jesse, filius David, missus a superno Patre, cooperuit vestigia deitatis suæ, carnem assumens ex Maria virgine, ut etiam diabolus humani generis inimicus, mysterii incarnationis ejus ignarus, quasi purum hominem eum conatus sit tentare. Cum enim Dominus noster Jesus Christus diu jejunans in deserto pro nostris peccatis esuriret ex parte carnis, accessit ad eum tentator dicens ei: *Si Filius Dei es, dic* ut *lapides isti panes fiant* (*Matth.* iv). Quando autem pro nobis pati voluit, traditus a discipulo in manus Judæorum, ratus est diabolus eum morte vincere, quem vivum non valuit superare. Sed cum propria virtute a mortuis resurrexisset, non solum ab inferis rediit, sed etiam captivam duxit captivitatem, suam demonstrans deitatem. Secunda natura leonis est quod cum dormit, oculos apertos habere videtur. Quod bene dicitur de Christo in Canticis canticorum. *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* v). Dormivit enim caro in cruce moriendo, divinitas vero vigilabat cuncta protegendo, unde psalmus: *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel* (*Psal.* cxx). Tertia ejus natura, quod cum leæna parit, suos catulos mortuos parit, et ita custodit tribus diebus, donec veniens pater eorum in faciem eorum exhalet, ut vivificentur. Sic omnipotens Pater Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum tertia die suscitavit a mortuis, dicente Jacob: *Dormitabit tanquam leo, et sicut catulus leonis suscitabitur* (*Genes.* xlix). Quarta natura leonis est, quod nisi læsus fuerit, non facile irascitur. Patet enim ejus misericordia, quod prostratis parcit. Unde versus:

Parcere prostratis scit nobilis ira leonis.
Tu quoque fac simile quisquis dominaris in orbe.

Captivos homines sibi obvios repedare permittit, et non nisi præ magna fame interimit. Ad cujus exemplum rationabiles homines respicere debent, qui non læsi irascuntur et innocentes opprimunt, cum eos Christiana lex dimittere jubeat liberos.

CAP. II. *De antulo seu onto aut antelope animali.*

Est animal antula nomine acerrimum, ita ut nullus venator ei possit appropinquare; habet enim cornua longa in similitudinem serræ, quibus secare potest maximas quercus, condensa et superflua quæque arborum cedendo secat, in nullo restans. Quando vero sitit, vadit ad flumen magnum Euphratem, et bibit. Sunt autem ibidem virgæ vimineæ virides et molles. Incipit autem illud animal ludere in virgulis illis, et ludendo obligat semetipsum cornibus, obligatisque cornibus vociferatur ingenti rugitu, quia evadere non potest gracilibus virgulis circumseptus, et tunc quilibet venator absconse venans, audiens vocem ejus currit, et inveniens ligatum occidit. Cave ergo, homo Dei, ebrietatem, nec obligeris luxuriæ voluptate, ut non interficiaris a diabolo. *Vinum enim et mulieres apostatare faciunt homines sapientes* (*Eccli.* xix). Verum vir sapiens et prudens a vino et a muliere se avertet. Sunt autem duo lapides igniferi, masculus et femina. Tu igitur professor prudentiæ, intellige multos periisse propter vinum tanquam virum, et propter feminas, id est voluptates, et cautus esto ut salvus evadas. Ergo hoc animal supra scriptum significat viros habentes cornua bonorum operum, sive scientiam duorum Testamentorum, qui quandiu in his studuerint, non solum modica, sed etiam grandia vitia resecant. Si vero indo reversi, ad illecebras hujus vitæ et voluptates attenderint, gulæ ac leocinio servierint, non solum virtutem bonorum operum sed etiam præmia perdunt habenda.

CAP. III. *De onocentauro.*

Onocentaurum duabus naturis constare physiologus asserit, dicens: Superior pars centauro homini similis est, inferior vero ono, id est asino. Huic assimilatur vecordes atque bilingues homines. Unde Paulus dicit: *Habentes promissiones pietatis, factis autem abnegantes* (*II Cor* vii); et Psalmista: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* *Psal.* xlviii).

CAP. IV. *De herinaceo, seu hericio*

Physiologus dicit de herinaceo, quod figuram habet porcelli lactentis, et est totus spinosus, qui tempore vindemiarum ingreditur vineam, et ubi invenit vitem oneratam, ascendit supra et excutit racemos ad terram, deinde descendit et involvit se super congregatos racemos, ut infigantur in spinis suis, et sic fert escam catulis suis. Est autem aptus medicinæ, coctus et comestus proficit. Tu vero, homo Dei, custodi vineam tuam et omnes fructus ejus spirituales, ne te occupet istius sæculi sollicitudo, et temporalium bonorum voluptas, et spinosus diabolus infigat suis spinis omnes fructus ejus spirituales, et faciat escam bestiis, et fiat anima tua nuda, vacua et inanis, sicut pampinus, sive vitis ablatis uvis. Post hoc enim frustra clamabis: *Vineam meam non custodivi* (*Cant.* ii). Hujus herinacei etiam natura est, ut si quando senserit hominem, contra omnes insidias ejus protegit se suis spinis sapiens, et se in globum colligens, et velut plaustrum stridet. Tu autem salutis tuæ inimicum præsentiscens, datis

tibi virtutibus et Ecclesiæ sacramentis contra eum te muni, et ut Deo vivas, mundi, carnis et diaboli operibus mortuum te finge.

CAP. V. *De vulpe et ejus natura.*

Vulpes dicta est quasi volupes. Est enim volubilis pedibus, et nunquam recto itinere, sed tortuosis anfractibus currit. Est autem animal fraudulentum et ingeniosum. Cum enim esurit, et non invenit quod manducet, involvit se in rubra terra, ut appareat quasi cruentata, et projicit se in terram, retinetque flatum suum, ita ut nnu spiret, aves vero videntes eam non flantem, et quasi cruentatam, et linguam ore ejus ejectam, putant eam esse mortuam, et descendunt sessum super eam. Illa autem sic rapit eas et devorat. Istius autem figuram diabolus possidet. Omnibus enim viventibus secundum carnem fingit se esse mortuum, quousque intra guttur suum eos habeat et puniat. Spiritualibus tamen viris in fide viventibus, quæ dilectionem operatur, vere mortuus est et ad nihilum redactus. Qui autem volunt exercere opera ejus, moriuntur, dicente Apostolo: *Scientes hoc quia si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta corpois mortificaveritis vivetis* (*Rom.* VIII); et David: *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt* (*Psal.* LXII); et Dominus de Herode: *Ite, et dicite vulpi illi* (*Luc.* XIII); et in Canticis canticorum: *Capite nobis vulpes parvulas exterminantes vineas* (*Cant.* II).

CAP. VI. *De monocerote sive unicorni animali.*

Est animal quod dicitur monoceros. Monoceros [μονόκερως] autem Græce, unicornis dicitur Latine, eo quod unum cornu habet in medio capite. Physiologus dicit hanc unicornem habere naturam quod sit pusillum animal, et hædo simile, acerrimumque habet in capite cornu unum, ipsumque nullus venator vi aut prævenire aut capere potest, sed hoc duntaxat commentu ac dolo capiunt illud. Puellam virginemque speciosam ducunt in locum illum ubi moratur, et dimittunt eam solam, cum autem ipsa viderit illud, aperit sinum suum, quo viso, omni ferocitate deposita, caput suum in gremium ejus deponit, et sic dormiens deprehenditur ab insidiatoribus et exhibetur in palatium regis. Sic et Dominus Jesus Christus spiritualis unicornis descendens in uterum virginis per carnem ex ea sumptam captus a Judæis, morte crucis damnatus est, de quo David: *Et dilectus quemadmodum filius unicornium* (*Psal.* XXVIII); et alibi: *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum* (*Psal.* CXI); et Zacharias: *Suscitavit cornu salutis nostræ, in domo David pueri sui* (*Luc.* I). Quia vero habet hoc animal unum cornu in capite, significat hoc quod Salvator ait: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X). *Caput enim Christi Deus est* (*I Cor.* XI). Quia acerrimum dicitur, significat quod neque principatus, neque potestates, neque throni, neque dominationes intelligere Deum valent sicut est. Quia autem dicitur pusillum, propter incarnationem ejus et humilitatem dicitur, dicente ipso: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Qui infantum acerrimus est, ut subtilissimus diabolus intelligere et investigare Incarnationis ejus mysterium non valuerit, sed sola voluntate Patris descendit in uterum Virginis, et *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Hædo autem similis est unicornis, quia Salvator, secundum Apostolum, factus est in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum (*Rom.* VIII).

CAP. VII. *De hydro et hydra.*

Est animal in Nilo flumine, quod dicitur hydrus, aquaticus serpens, id est in aqua vivens. Græci enim hydor [ὕδωρ] aquam vocant. Inde hydrus aquaticus serpens, cujus ictu obtumescunt, quem morbum boam [filmam] dicunt, eo quod fimo bovis curetur. Secundum poetas hydra est draco multorum capitum, qualis fuit in Lerna palude provinciæ Arcadiæ, quem cum Hercules occidere vellet, uno capite cæso, tria capita exsurgebant. Sed hoc fabulosum est. Nam constat quod hydra dicta multorum capitum, est locus evomens aquas vastantes vicinam civitatem, in quo uno meatu clausa multi erumpebant, quod Hercules videns loca ipsa igne exussit, et meatus clausit. At hic hydrus præfatus inimicus est crocodilo, et hanc habet naturam et consuetudinem, ut cum venerit et viderit crocodilum in littore dormientem, vadit et involuit se luto, quo possit facilius illabi in fauces crocodili. Crocodilus igitur subito eum vivum transglutit, ille vero dilanians omnia viscera ejus, non solum vivus, sed etiam illæsus exit. Sic igitur mors et infernus figuram habent crocodili, quorum inimicus est Dominus noster Jesus Christus. Nam assumens humanam carnem, descendit ad infernum, et disrumpens omnia viscera ejus, eduxit eos qui injuste ab eo detinebantur in morte. Mortificavit enim ipsam mortem resurgens a mortuis, et illi insultat per prophetam dicens: *O mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inferne* (*Ose.* XV), quia et *corpora multorum sanctorum cum Christo eo tempore resurrexere* (*Matth.* XVII, 27).

CAP. VIII. *De crocodili natura.*

Crocodilus a colore croceo dicitur, et nascitur in Nilo flumine, quadrupes animal, terra et aqua vivens, longitudine plerumque viginti cubitorum, dentium et unguium immanitate armatum, cujus cutis tantæ duritiæ dicitur, ut quamvis percutiatur in tergo lapidum ictibus, nihil lædatur. Nocte in aquis, die in humo quiescit; qui si aliquando inveniat hominem comedit eum, si vincere potest, et postea eum semper plorat. Solus autem præ omnibus animalibus superiora oris movet, inferiora vero immota tenet. Stercus ejus fit unguentum, unde vetulæ et rugosæ mulieres facies suas perungunt, fiuntque pulchræ donec sudor defluens faciem lavet. Cujus figuram portant hypocritæ sive luxuriosi atque avari, quia, quamvis vento superbiæ inflentur, tabe luxuriæ maculentur, avaritiæ morbo offuscentur tamen rigidi ac velut sanctissimi in sanctificationibus legis coram omnibus incedere hominibus sese ostendunt. Nocte in aquis, die humi quiescit, quia quamvis hypocritæ luxuriose

vivant, tamen sancte et juste vivere dici delectantur. Conscii suæ malitiæ corde plangunt, licet usu semper retrahantur et consuetudine ad perpetrata. Superiora oris ejus movet, quia hi sanctorum Patrum vitæ exempla, verborumque doctrinam aliis in verbo ostendunt, tamen ne minimum quidem eorum quæ dicunt in se ostendunt. De stercore ejus fit unguentum, quia plerumque mali de perpetrato malo ab imperitis laudantur, ac ab hujus mundi favoribus extolluntur. Sed cum districtus judex perpetratis malis iram suam ad feriendum promovet, tunc omnis ille decor laudis velut fumus evanescit.

CAP. IX. *De Castoris naturæ.*

Est animal quod dicitur castor vel fiber, nimis acri ingenio, et nimis mansuetum animal, cujus testiculi in medicina proficiunt ad diversas valetudines, morbosque varios curandos. Physiologus naturam ejus exprimens refert quod, cum investigatus fuerit, et insecutus, ac acerrime timens capi a venatoribus, respicit ad eos, morsuque suos testiculos abscindit, et ante eos projicit fugiens, venatorque veniens colligit illos, et ultra non sequitur eum, sed revertitur. Si autem evenerit ut alter venator eum inveniat, cum viderit se non posse evadere, erigit se, demonstrans venatori sua virilia evulsa. Venator vero hoc videns discedit ab eo. Sic et ille, qui secundum mandatum Dei vult vivere caste abscindit a se omnia vitia, et omnes impudicos actus abjicit in faciem diaboli. Tunc diabolus videns eum sine testiculis vitiorum, confusus discedit ab eo. Sic sine dubio omnes, qui volunt caste vivere, oportet ut resecent omnia vitia cordis et corporis a se, et projiciant in faciem diaboli, et vivant in Christo. Nihil ergo commune habeat homo Dei cum diabolo, ut tutus dicere cum Domino valeat : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV). Unde dicit Apostolus. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui honorem, honorem* (*Rom.* XIII). In primis reddamus diabolo quæ sunt ejus, renuntiantes illi et omnibus operibus ejus, et tunc demum ex toto corde conversi ad Deum, reddamus illi tanquam Patri nostro honorem, et cum ejus adjutorio discutiamus a nobis vectigal et tributum diaboli, ut adipiscamur fructus spirituales, et charitatem in operibus bonis, in eleemosynis, in visitationibus infirmorum, in consolatione pauperum, in laudibus Dei, et orationibus assiduis. Castores a castrando dicti, sunt etiam fibri, qui et pontici canes vocantur.

CAP. X. *De hyæna, de qua rugoni sunt versiculi.*
Hunc vocat ex causa noctem per nomen hyæna :
Accitumque rapit, et sævo vulnere carpit.

Hyæna est animal quod dicitur in sepulcris mortuorum habitans, corumque corpora devorans, cujus natura est, ut aliquando masculus sit, aliquando femina, et ideo est immundum animal. Refert etiam Julius Solinus quod circuit domos per noctem, et quædam verba exprimit, ut suspicetur esse homo ab iis qui in domo sunt, eo quod loquitur ut homo, qui foras egressi subito ab ea devorantur. Huic belluæ assimilantur filii Israel, qui ab initio Deo vivo servierunt, postea divitiis et luxuriæ dediti, idola coluerunt : propter hoc propheta Synagogam immundo animali comparavit, dicens : *Facta est mihi hæreditas mea quasi spelunca hyænæ* [Vulg. *quasi leo in sylva*] (*Jer.* XII). Quicunque igitur inter nos luxuriæ et avaritiæ inserviunt, huic bestiæ comparantur, cum nec viri nec feminæ sint, id est nec plene fideles nec perfidi, sed sunt sine dubio, de quibus ait Jacobus apostolus : *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis* (*Jac.* I), de quibus et Dominus : *Non potestis Deo servire et mammonæ* (*Matth.* VI). Hæc bellua lapidem habet in oculis nomine hyænium, quem, si quis sub lingua sua tenuerit, futura prædicere posse creditur. Veruntamen Julius Solinus refert de hoc lapide quod in ventriculis pullorum hyænæ invenitur, et si cujus lingua eo tacta fuerit, divinare dicitur.

CAP. XI. *De onagro.*

Est animal quod dicitur onager, id est asinus silvester seu indomitus, et in deserto vagans : ὄνος enim, id est onos, dicitur asinus et asina, et ἄγριος (agrios,) agrestis, immitis, ferox, Singuli autem feminarum gregibus præsunt. Nascentibus masculis masculi zelant, et eorum testiculos morsibus detruncant, quod caventes matres eos in secretis occultant. Physiologus dicit de onagro quod undecimo die mensis Famochi, id est Martii duodecies in nocte rugit. Similiter et in die, et ex hoc cognoscitur quod æquinoctium est, et numerum horarum dici vel noctis a rugitibus onagri semel rugientis per singulas cognoscunt horas. Figuram hujus diabolus habet, qui cum scierit noctem et diem coæquari, id est cum viderit populum, qui ambulabat in tenebris, converti ad Dominum, et coæquari fidei justorum, sicut coæquatur nox cum die, illico rugit nocte ac die per singulas horas, quærens escam suam. Neque enim rugit onager, nisi quando quærit escam sibi sicut dicit Job : *Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam?* (*Job.* VI) Similiter et Apostolus : *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* V). Africa habet hos magnos.

CAP. XII. *De Simiis..*

Simiæ Latine vocantur eo quod in eis similitudo rationis humanæ sentitur. Hæ elementorum sagaces, in nova luna exsultant, in media tristantur. Harum genera sunt quinque, ex quibus cercopitheci caudas habent. Cercopithecus enim simia caudata est quam quidam duram vocant. Sphinges sunt villosæ et dociles ad feritatis oblivionem. Cynocephali et ipsi sunt similes simiis, longamque caudam habentes, et faciem admodum canis, unde et sic nuncupantur. Satyri facie admodum grata, et gesticulatis motibus inquieti. Callitriches toto pene aspectu distant a cæteris; sunt enim facie acuta, longa barba, et lata cauda. Natura simiæ talis est ut cum peperit geminos catulos, unum dili-

gat, et alterum odiat. Quod si aliquando evenerit ut a venatoribus quæratur, ante se amplectitur quem diligit, et alterum quem odit collo portat. Sed cum lapsa fuerit bipes eundo, projicit nolens quem diligit, servatque nolens quem odio habet. Cujus figuram diabolus habet qui caput habet, caudam vero non habet, et licet totus turpis sit, tamen posteriora ejus imperse turpia et horribilia sunt. Diabolus enim initium habuit cum angelis in cœlis, sed quia hypocrita fuit et dolosus intrinsecus, perdidit caudam, quia totus in fine peribit, sicut dicit Apostolus: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* (*II Thess.* xxv). Simia vel simius secundum alios Græcum nomen est. Nam σίμος, id est fimus dicitur, eo quod pressis naribus sit bestia turpis et fœda rugis, licet etiam capellarum sit habere pressum nasum, de qua Ennius antiquus poeta:

Simia quam similis turpissima bestia nobis.

CAP. XIII. *De capri natura.*

Est animal quod dicitur caper, eo quod captet aspera. Nonnulli a crepitu crurum vocant, vulgoque eas capreas vocitatas, quæ sunt agrestes capræ. Has Græci eo quod acute videnl, dorcades appellaverunt. De quibus physiologus dicit quod amant montes altos, et pascuntur in convallibus montium. Est enim valde providum animal, prævidens omnia a longe nimis bene, ita ut si in aliqua regione homines viderit ambulantes, mox internoscit utrum sint venatores necne. Sic et Dominus noster Jesus Christus amat excelsos montes, line est prophetas, et patriarchas, et apostolos omnesque sanctos, et, ut in Canticis canticorum dicitur: *Ecce fratruelis meus venit sicut caprea saliens in montibus* (*Cant.* II). Hic est Dominus noster Jesus Christus, qui pascitur in Ecclesia per opera pietatis, quæ faciunt fideles, ut in Evangelio suo dicit: *Esuriri, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* xxv), et reliqua quæ ibidem enumerantur laudabilia. Convallia vero montium Ecclesiam per diversa loca figurant, ut in Canticis canticorum: *Convertere, fratrue is meus, et similis esto capreæ, hinnuloque cervarum supra montes convallium* (*Cant.* II). Caprea igitur acutissimam habens aciem oculorum, aspiciensque a longe venatorum insidias, significat Dominum nostrum Jesum Christum, quoniam ut, Scriptura dicit: *Deus scientiarum Dominus est* (*I Reg.* II); et alibi: *Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit* (*Psal.* CXXXVII). Et sicut prudentissimus creaturam, quam creavit ad honorem sui nominis, prospicit, videt, et regit, antequam incidamus in laqueum diaboli nos interius prævidendo contegit, sed ne telis cogitationum premamur, innuit et suadet nobis alta montium petere, et sensus divinorum eloquiorum discotere, ut ibi quasi in speculo consideremus quid placeat, quid displiceat in nobis ipsis Conditori nostro. Nam sicut caprea venatorem prævidet, ita Dominus noster Jesus Christus longe ante prospiciens Judam proditorem, sic aiebat: *Unus ex vobis me traditurus est* (*Matth.* xxvi). Et manifestius: *Juda oscula tradit filium hominis?* (*Luc.* XXII).

CAP. XIV. *De cervorum natura.*

Cervi dicti sunt ἀπὸ τῶν κεράτων, id est a cornibus, dicunturque nongentos annos vivere, atque cum infirmitate vel senectute deficere se sentiunt, spiritu narium serpentes de cavernis extrahunt, et superata eorum pernicie veneni eorum pabulo reparantur. Sagittas infixas pastu dictami excutiunt. Mirantur autem sibilum fistularum. Erectis auribus acute audiunt, submissis nihil; si quando immensa flumina vel maria trasnatant, clunibus præcedentium capita superponunt, sibi invicem succedentes, nullum ponderis laborem sentiunt. Lacrymæ eorum collectæ, et ossa in eorum corde inventa, apta sunt potui, cordis pulsu laborantibus. Cervus quoque significat Dominum nostrum Jesum Christum, qui diabolum humani generis inimicum, quasi spelunca latitantem in omni natione, spiritu divinæ sapientiæ abstrahens, virtutis pede caput ejus contrivit, pabuloque veneni mortis quam sponte subiit, nostram naturam peccaminum senectute prægravatam renovavit. Ad ipsum enim Psalmographus dicit: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi* (*Psal.* CXX). Montes, apostolos et prophetas dicit, cervos vero fideles homines, oculus in montes, id est preces ad apostolos, ex quibus veniet nobis auxilium, levantes. Item duo sunt genera cervorum. Unum, quod ut invenerit serpentem in caverna ubi latitat, flatum immittit, ut exeat, et egredientis collum percutiens hinc et inde, occidit serpentem, et devorat; postea autem propter tumorem currens ad aquas purissimas, venenum evomit, sed propter hunc tumorem pilos mutat, et cornua abjicit. Cervus figuram pœnitentium habet, qui pœnitentes constringuntur intrinsecus conscientia peccatorum, et vadunt ad fontes, ad doctrinam Scripturarum, forasque projiciuntur, quis segregant se per pœnitentiam a corporo et sanguine Christi usque dum recipiantur per reconciliationem sacerdotis. Aliud est genus cervorum, quod si invenerit serpentem, occidit eum, et post victoriam petit montem, ubi pabulum inveniat. Sic et unusquisque sanctus ubi sentit diabolum in se vel in alios venena malæ persuasionis infundentem, cum virtute Domini eum interficere et a se projicere studeat, et veniat ad montem Christum, ubi animæ pabulum quærat, et inveniat.

CAP. XV. *De ibice.*

Est animal quod dicitur ibex, duo cornua habens, quorum tanta vis est ut, si ab alto montis demissum fuerit ad ima, totum corpus sustentetur illæsum his cornibus. Significat autem eruditos homines, qui duorum Testamentorum consonantia quidquid adversi eis acciderit, quasi quodam salubri temperamento temperare solent, et velut duobus cornibus fulti, bona quæ perpetrant, veteris ac evangelicæ lectionis attestatione sustentant.

CAP. XVI. *De stellione et salamandra.*

Est reptile quoddam, quod ab aliis putatur salamandra, ab aliis stellio. Hoc simile est lacertulæ pusillæ colore vario, de quo Salomon dicit : *Stellio manibus nititur, et moratur in domibus regum* (*Prov.* xxx). Physiologus dicit de eo quod si casu undecunque inciderit in caminum vel fornacem ignis, aut in quodcunque incendium statim exstinguitur ignis. Ita sunt justi admirabiles omnibus hominibus, sicut fuerunt in camino ignis ardentis Ananias, Azarias, Misael, et non tetigit eos omnino ignis. Justos autem intactos et incontaminatos exire posse de camino ignis evidentius declarat et Paulus apostolus dicens : *Tribulationem patimur, sed non angustiamur. Dejicimur, sed non perimus* (*II Cor.* iv). Item : *Obstruxerunt ora leonum* (*Hebr.* xi). Ita et omnis quicunque ex tota fide sua crediderit in Deum, et in operibus bonis perseveraverit, transit gehennam ignis, et non tangit eum flamma, de qua scriptum est in Isaia propheta : *Si transieris per ignem flamma non te comburet* (*Isa.* xliii). Item de eodem. Salamandra dicta est eo quod contra incendia valeat, cujus inter omnia venenata vis maxima est. Cætera enim singulos feriunt, hæc plurimos pariter interimit. Nam si arbori irrepserit, omnia poma ejus veneno inficit, et eos qui ex eadem poma comederint occidit. Quæ etiam si in puteum ceciderit, vis veneni ex eo potantes interficit. Ista contra incendia repugnans, sola animalium ignes exstinguit. Vivit enim in mediis flammis sine dolore et consumptione, et non solum non uritur, sed etiam exstinguit incendium.

CAP. XVII. *De canibus et eorum naturis.*

Canum sunt plura genera. Alii enim ad capiendum feras silvarum investigant, alii vulneras, alii ab infestationibus luporum greges ovium cum pastoribus custodiunt, alii custodes domum substantiam dominorum suorum vigilando custodiunt, ne furto rapiantur in nocte. Vivere quoque non posse dicuntur sine homine, quapropter intantum feruntur diligere dominos suos, ut regem quemdam captum ab inimicis, ac in custodia detentum, ejus canes agmine facto per medias acies inimicorum ab exsilio reduxerint, occisoque homine, dum ejus amici in quem impingeretur hoc facinus ignorarent, in medio populi interfectorem ejusdem, et auctorem mortis canis patefecit. Lingua canis dum lingit vulnus, curat. Victus admodum dicitur esse modici. Catulus denique ligatus vulneratorum solet esse salus intestinorum. Natura ejus est, ut ad vomitum suum revertatur, iterumque comedat, cumque fluvium transvaderit carnem in ore vel aliquid tale tenens, cum viderit umbram, os aperit, atque, dum sperat aliam veram carnem habere, ipsam quam tenet perdit. Cujus figuram in rebus quibusdam prædicatores habent, qui semper admonendo atque exsequendo quæ recta sunt, insidias diaboli propellunt, ne thesaurum Dei, id est Christianorum animas rapiendo ipse auferat. Lingua canis dum lingit vulnus, sanat, quia peccatorum in confessione emundantur vulnera sacerdoti facta confessione. Intestina quoque hominis curat catulus applicatus, quia secreta cordis sæpe mundantur in opere vel sermone doctoris. Modico admodum victu canis esse dicitur, quia qui præest aliis, sapientiæque studiis invigilat, crapulam omnimodo vitare debet. Nam ex saturitate panis Sodoma periit. Nullo denique aditu tam cito inimicus possidet Christianum, quam voraci gula. Quod canis ad vomitum redit, significat post peractam confessionem quosdam incaute ad eadem perpetranda facinora redire. Quod carnem in flumine per concupitam umbram relinquit, significat homines propter ambitionem ignotæ rei, id quoque quod proprii est juris, relinquere. Unde fit ut dum non valent adipisci id quod cupiunt, perdere frustra nolunt quod reliquerunt.

CAP. XVIII. *De mustela et aspide.*

De mustela præcipit lex non manducare eam, eo quod immundum animal est (*Levit.* xi). Mustela dicitur quasi mus longus. Nam telos [τέλος] Græce longus dicitur. Hæc ingenio subdola, in domo ubi habitat, cum catulos genuerit, de loco ad locum transfert, mutataque sede locat. Serpentes etiam, ac mures persequitur. Duo autem sunt genera mustelarum. Alterum enim silvestre est, distans magnitudine. Has Græci ictidas vocant. Alterum in domibus oberrans. Quidam dicunt eas aure concipere, et ore parere. E contrario dicunt quidam ore semen concipere, et per aurem parere. Dicuntur autem peritæ esse medicinæ, ita ut si forte occisi fuerint earum fetus, si eos invenire potuerint, redivivus faciant. Sic nonnulli fidelium libenter quidem accipiunt divini verbi semen, sed inobedientes effecti prætermittunt, et dissimulant quæ audierunt. Isti tales non solum mustelæ comparantur, sed etiam aspidi surdæ et obturanti aures suas, ut non audiat vocem incantantis. Physiologus dicit quod aspis hanc habet naturam, ut si quando venerit aliquis homo ad speluncam, ubi habitat aspis, et incantarit eam omnibus carminibus ut exeat de cavernis suis, illa ne audiat vocem incantantis, ponit caput suum ad terram, et unam aurem premit in terram, alteram vero cauda sua obturat. Tales sunt istius mundi homines divites, qui unam aurem deprimunt in terrenis suis desideriis, alii vero posterioribus peccatis suis peccata nova semper addentes, obdurant corda, et ita fit ut non audiant vocem incantantis, id est, prædicantis verbum Dei. Isidorus : « Falso opinantur qui dicunt mustelam ore concipere, aure effundere partum. »

CAP. XIX. *De lapidibus igniferis.*

Sunt lapides igniferi in quodam monte Orientis, quos Græci vocant chirobolos, id est manipulos. Dicunturque masculus et femina. In istis quando ab invicem separantur ignis non accenditur. Cum autem adinvicem casu aliquo appropinquaverint, statim in eis tantus ignis accenditur, ita ut omnia ardeant quæ circa illos sunt. Unde et vos,

homines Dei, qui vitam geritis monasticam, separate vos longe a mulieribus, quoniam si illis appropinquaveritis, statim noxius ignis accendetur in vobis, et consumetur omne bonum quod Christus Dominus vobis contulit. Sunt enim angeli Satanæ, qui semper impugnant viros sanctos, sed et feminas castas. Memores enim esse debetis bellorum quæ peregerunt sancti viri, sicut Samson et Joseph. Ambo siquidem tentati sunt per mulieres, sed alter vicit, alter victus est. Eva quoque et Susanna tentatæ sunt, altera victa est, altera vicit. Ideo nolite securi esse, nec confidere in solita castitate, sed munite corda præceptis divinis, ut vos non deterreat fallax amor mulierum, quarum peccatum ab initio, id est, ab Adam usque nunc in filios inobedientiæ debacchatur, nec vos incendant opera dæmoniorum.

CAP. XX. *De luporum natura.*

Lupus Græce λύκος lycos dicitur, et λύκη lux matutina, quæ est apta rapacibus, et sic a rapacitate dicitur. Unde et meretrices lupas vocitamus, quia amatorum bona devastant. Alii autem lupos vocatos aiunt quasi sint leopedes, quod ut leoni ita sit illis virtus in pedibus. Unde et quidquid pede presserint non vivit. Rapax est bestia, et cruoris appetens. De quo rustici aiunt vocem hominem perdere, si eum lupus prior viderit. Unde et subito tacenti dicitur: Lupus est in fabula. Certe si se prævisum senserit, deponit ferocitatis audaciam. Lupi toto anno non amplius quam duodecim dies coeunt. Lupus in armis seu humeris vires habet, vel in ore, in renibus autem minime. Physiologus hæc animalia mortifera describit. Collum nunquam valet retro inflectere. Aliquando præda fertur vivere, aliquando terra, nonnunquam vento. Lupa denique in nullo mense nisi in Maio quando fit tonitru, catulos suos gignit, cujus astutia tanta est, ut in vicino loco suis catulis prædam non rapiat, sed in longinquo. Quod si opus fuerit ut noctu prædam quærat, tanquam canis mansuetus passim ad ovile ovium pergit, et ne fetorem sui flatus fortuitu canes sentiant, et excitent pastores, contra ventum pergit, et si aliquando ramus vel tale aliquid sub ejus pede frangendo sonuerit, ipsum pedem morsu aspero castigat. Oculi ejus in nocte lucent velut lucernæ. Cujus natura talis est, ut perdat homo vires clamandi, si prius hominem viderit, quam videatur ab eo; ut autem Julius Solinus refert, qui plura de naturis bestiarum dicit, amatorium villum ac pilum in caudæ summitate portat, quem ipse dentibus evellit, si forte capi timuerit. Ejus figuram diabolus portat, qui semper humano generi jugiter invidet, ac circuit Ecclesias fidelium ut mactet et perdat animas eorum. Quod vero generatur tonitruo primo mensis Maii, significat diabolum in primo superbiæ motu ruisse de cœlo. Quod autem in anterioribus membris vires habet, et non in posterioribus, eumdem diabolum significat prius in cœlo angelum lucis fuisse, nunc vero deorsum apostatam factum esse, et primo ingressu potentem, sed, si restiteris a te fugiturum. Oculi ejus nocte lucent, quia quædam diaboli opera cæcis, et fatuis viris videntur esse pulchra atque salubria. Cum catulos nutrit, non nisi in longinquo prædam capit, quia eos diabolus bonis temporalibus fovet, de quibus certus est quod in gehennalibus claustris pœnas sint perpessori æternas. Illos autem omnino insequitur, qui bonis operibus ab eo elongantur, sicut de bono Job legitur, cui omnem substantiam ejus abstulit, nec non filios et filias percussit, ut a Domino recederet cor ejus (*Job.* I). Quod nunquam capite retrorsum sine toto corpore vertitur, diabolum demonstrat ad pœnitudinis correctionem nunquam flecti. Quid vero agendum est homini, cui lupus vires abstulit clamandi? Qui enim non habet potestatem vociferationis, perdit auxilium longe stantis. Sed quid agendum? Deponat homo vestimentum suum, pedibus suis terram conculcando, sumens manibus duos lapillos, eosque conterat. Quid postea? Lupus audaciam suæ virtutis perdens fugiet; homo vero tutus suo ingenio liber erit, sicut in principio. Spiritualiter autem hoc intelligendum est, atque ad superiorem sensum allegorice est ducendum. Quid enim per lupum nisi diabolum, quid per hominem nisi genus humanum, quid per vestimentum nisi peccatum, quid per lapides nisi apostolos seu cæteros sanctos vel ipsum Dominum nostrum Jesum Christum significare poterimus? Omnes enim sancti alii a prophetis adamantini et vivi lapides dicti sunt. Ipse etiam Dominus noster in lege vocatur offensionis lapis et petra scandali (*I Petr.* II), de quo dicit propheta: *Virum vidi stantem supra montem adamantinum.* Antequam denique redempti essemus, sub potestate inimici eramus, vocem quoque clamandi perdideramus, quoniam peccatis nostris exigentibus, a Deo non audiebamur, neque aliquem sanctorum in auxilium nobis interpellabamus. Postquam vero clemens Deus gratificavit nos in Filio suo, deposuimus in baptismo veterem hominem cum actibus suis, ac induimus novum, *qui*, juxta Apostolum, *secundum Deum creatus est in justitia* (*Ephes.* IV). Deinde sumpsimus lapides alterutrum ferientes, quia sanctos Dei, qui jam in cœlis regnant, ipso nostri oris fremitus alloquio, ut et ipsi aures pulsent judicis, ac veniam criminum impetrent nobis, ne nos quem nescimus absorbeat cerberus, gaudens nostro interitu.

CAP. XXI. *De viperæ natura.*

Physiologus dicit de vipera quod quando coitum facit, masculus infert os suum in os feminæ, et illa deglutiens semen, abscindit caput masculi, et masculus moritur statim. Intellige ergo quid faciat concubitus meretricius. Cum autem creverint catuli in ventre, viperam perforant mordentes et sic exeunt mortua matre. Hoc exemplum directum est ad Pharisæos hujusmodi rem perpetrantes: *Progenies viperarum, quis ostendet vobis fugere a ventura ira?* (*Matth.* III.) Viperæ enim comparati sunt Pharisæi

obscenis operibus et desideriis servientes. Occiderunt enim patrem suum Christum, et matrem Ecclesiam persecuti sunt. Physiologus etiam dicit: Tria sunt genera viperarum nocentium, tresque ejus naturæ. Primum, cum senuerit, impedimentum habet oculorum, ut non videat; sed vide quid faciat. Jejunat quinquaginta diebus atque noctibus, donec laxetur pellis ejus, tuncque vadens quærit excisam et asperam petram, et transit per ipsam, sicque pelle illa spoliatur et juvenescit. *Angusta est porta, et arcta via quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII). Secundæ viperæ natura est quod, quando pergit ad bibendum, aut ad coeundum cum anguilla, evomit prius venenum suum in spelunca sua vel fovea. Imitemur et nos hujus solertiam, ut, quando venimus aquam bibere, id est divinos sermones in Ecclesia Dei audire, non afferamus nobiscum pulvereas et maculosas sæcularium rerum concupiscentias, sed mundatis conscientiis nostris, per humilitatem et veram confessionem ingrediamur in templum Domini, orantes et psallentes in cordibus Domino. Tertiæ vero viperæ natura est talis ut, cum viderit hominem nudum, timens fugiat eum. Si autem vestitum perspexerit, insilit in eum. Sic et nos spiritualiter intelligamus, quia quandiu pater noster in paradiso erat nudus, non prævalebat adversus eum diabolus, serpens antiquus. Sed postquam tunica est indutus, id est mortalitate corporis, tunc exsilivit in eum serpens.

Cap. XXII. *De serra bellua marina.*

Bellua est in mari quæ dicitur serra, habens pennas immanes, quæ, cum viderit navem velificantem, elevat alas suas, et currere contendit contra navem triginta vel quadraginta stadiis. Cum vero deficit, ponit alas suas, et eas tandem ad se retrahens lassa subsistit, ipsam vero fluctus in profundum maris ad locum suum tunc temporis reportare consuevit. Mare autem hujus sæculi figuram habet. Naves ergo justorum habent exemplum, qui sine ullo periculo vel naufragio fidei transeunt per medias hujus mundi procellas et tempestates, et mortiferas vincunt undas, id est hujus sæculi contrarias potestates. Serra autem, quæ vult velificare contra naves, figuram gerit eorum qui initium habent in bonis operibus, postea non permanentes in eis sunt cupiditate victi, ebrietate, et luxuria ac diversis vitiorum generibus quæ tanquam fluctuantes undæ maris mergunt eos usque ad inferos.

Cap. XXIII. *De panthera natura.*

Est animal, quod dicitur panthera, vario quidem colore, sed speciosum nimis, et mansuetum valde. Physiologus dicit quod inimicum est solis draconibus. Cum ergo comederit et satiaverit se de universis venationibus, revertitur in speluncam suam, ponensque se dormit per triduum. Surgens autem a somno, statim emittit rugitum per altum, simulque oderem nimiæ suavitatis cum rugitu, ita ut odor hujus præcellat omnia aromata et pigmenta. Cum ergo audierint vocem ejus omnes bestiæ, quæ longe vel prope sunt, congregantes se, nimiam suavitatem ejus sequuntur. Solus autem draco cum audierit vocem ejus, timore perterritus abscondit se sub terrenis speluncis. Ibi autem non ferens vim odoris ejus, in semetipso contractus obstupescit et torpescit, et manet immobilis exanimusque velut mortuus; cætera autem animalia sequuntur eam quocunque vadit. Sic et Dominus noster Jesus Christus verus panther omne genus humanum, quod a diabolo captum fuerat, et morti erat obnoxium, per incarnationem suam ad se trahens eripuit, et captivam ducens captivitatem, dedit dona hominibus (*Ephes.* IV). Panthera enim omnis fera, quasi omne animal *odore capiens* interpretatur. Sic et Deus, ut diximus, videns omne genus humanum dæmonibus captum idolisque mancipatum, omneque simul prædam diaboli factum, descendit de cœlo eum nimio incarnationis suæ odore, et eripuit nos, sequimurque Dominum et Agnum quoquo ierit, impleturque prophetia: *Factus sum*, inquit, *huic panthero* [*tineo*] *Ephraim, et sicut leo* [*putredo*] *domui Juda* (*Ose.* VII). Ac per hoc significabatur jam tunc, quia Ephraim idolis serviebat, quod vocatio gentium, et plebis Judæorum debuerat per adventum Christi impleri. Et quia panthera varium est animal, significat Christum, qui est incomprehensibilis sapientia, totus simplex, bonus, clemens, firmus, et stabilis, et diversa sapientia fulgens. Et etiam quia speciosum est animal panthera, sic enim est Christus, veluti David dicit in spiritu: *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV). Item quia mansuetum est animal, sicut dicit Isaias de Christo: *Gaude et lætare, filia Sion, quia rex tuus venit tibi mansuetus salvans* (*Matth.* XXI; *Zach.* IX; *Isa.* LXII). Etiam quia sicut panthera cum satiata fuerit, statim quiescit et dormit, ita et Dominus noster Jesus Christus, postquam satiatus est Judaicis illusionibus, et flagellis, alapis, injuriis, contumeliis, spinis, sputaminibus, ad ultimum in cruce suspensus, clavis affixus, felle et aceto potatus, lancea perforatus, his, inquam, violentiis Judæorum satiatus Christus dormivit et quievit in sepulchro, descendensque in infernum, religavit illic draconem magnum, generis humani maximum inimicum, antiquum videlicet serpentem. Quod autem tertia die istud animal post satietatem et somnum surgit, et rugitum magnum emittit, et fragrat odor suavitatis ex ore ejus, significat quod Dominus noster Jesus Christus tertia die surgens a mortuis, implevit prophetiam de eo David dicentis: *Excitatus est tanquam dormiens Dominus tanquam potens crapulatus a vino* (*Psal.* LXXVII). Statim exclamavit, ita ut in omnem terram exaudiretur vox ejus, et in fines orbis terræ verba ejus dicendo: *Gaudete jam, et confidite, et nolite timere: Ego vici mundum* (*Joan.* XVI). Et iterum: *Pater, quos dedisti mihi, custodivi* (*Joan.* XVII). *Vado ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum. Iterum veniam ad vos, et non dimittam vos orphanos* (*Joan.* XIV). Item in fine Evangelii sic dicebat: *Ecce ego vobiscum sum omni-*

bus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* xxviii). Et quid suavius aut dulcius esse potest odore Domini nostri Jesu Christi? Ita enim suavis est, ut omnes qui prope per fidem et per opera sunt, et qui adhuc fragilitate gravati longe sunt, audiant vocem ejus. Repleti enim et recreati suavissimo odore mandatorum ejus requirimus eum, semper sequentes eum, clamando cum Propheta. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine! super mel ori meo* (*Psal.* cxviii). Et cum sapiente in Canticis canticorum: *In odore unguentorum tuorum currimus* (*Cant.* i). Et paulo post. *Introduxit me rex in cubiculum suum, exsultabimus et lætabimur cum eo* (*ibid.*). Oportet itaque nos quanto citius detur, sicut adolescentulas in Christo renatas animas, et per baptismum ad novitatem vitæ venientes, post unguenta mandatorum Christi currere, et de terrenis ad cœlestia transmigrare, ut nos introducat rex in palatium suum, Hierusalem civitatem Domini virtutum, et montem sanctorum omnium. Ibique exsultantes dicamus: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei* (*Psal.* lxxxvi). *Sicut audivimus, sic et vidimus in civitate Domini virtutum* (*Psal.* xlvii).

Panthera est bestia minutis orbiculis superpicta, ita ut oculatis ex fulvo circulis nigra vel alba distinguatur varietate. Hæc semel omnino parturit, cujus causæ ratio manifesta est. Nam cum in utero matris concreti catuli maturis viribus ad nascendum pervenerint, oneratam matrem tanquam partui obstantem, unguibus lacerant, et effundit illa partum, seu potius dimittit, dolore cogente. Ita corruptis matris finibus et loculis, genitale postea semen infusum non hæret acceptum, sed irritum resilit foras. Unde Plinius dicit animalia acutis unguibus frequenter parere non posse. Vitiantur enim intrinsecus se moventibus catulis. Isidorus autem sic i t Panther dictus est sive quod omnium animalium sit amicus, excepto dracone, quem valde odit; sive eo quod ea sui generis societate gaudet, quod ad eamdem similitudinem quidquid accipit red lit. » *Pan* [πᾶν] Græce *omne* dicitur Latine, et *ther* [θηρ] *fera*. Item Isidorus de aromatibus: « Aromata, inquit, sunt quæcunque fragrantis odoris, quæ India vel Arabia mittit, sive alia quævis regio. » Nomen autem aromata traxisse videntur, sive quod aris imposita divinis invocationibus apta videantur, sive quod sese aeri inserere ac miscere probentur. Nam quid est odor nisi aer naribus attractus postquam ab re odorifera fuerit imbutus?

CAP. XXIV. *De dracone animantium maximo.*

Draco maximus est omnium serpentium sive omnium animantium super terram. Hunc Græci draconta [δράκων] vocant, Latini vero *draconem*, qui sæpe a speluncis abstractus fertur in aera, concitatusque per eum lucet aer. Est autem cristatus, ore parvo, et apertis fistulis, per quas trahit spiritum, linguamque exserit. Vim autem non in dentibus, sed in cauda habet et verbere potius quam morsu rictuve nocet. Innoxius est enim a venenis, sed ideo huic ad mortem faciendam non est venenum necessarium, quia, si quem ligaverit, occidit. A quo et elephas solida sui corporis magnitudine interimitur. Nam circa semitas delitescens per quas elephantes solito gradiuntur itinere, crura eorum caudæ nodis illigat, ac suffocando perimit. Sunt autem in Æthiopia et in India, ubi ex ipso solis incendio est jugis æstus quasi æstas. Huic draconi assimilatur diabolus, qui est immanissimus serpens. Sæpe in aerem a spelunca sua concitatur, et lucet per eum aer, quia diabolus ab initio se erigens transfigurat se in angelum lucis, et decipit stultos spe falsæ gloriæ, lætitiæque humanæ. Cristatus esse dicitur, quia ipse est rex superbiæ. Venenum non in dentibus, sed in lingua habet, quia suis viribus [juribus] perditis, mendacio decipit, quos ad se trahit. Circa semitas, per quas elephantes gradiuntur, delitescit, quia diabolus semper magnificos viros insequitur. Crura eorum caudæ nodis illigat, et si potest illaqueat, quia iter eorum ad cœlum nodis peccatorum illaqueat, ac suffocando perimit, quia quisquis vinculo criminum irretitus moritur, sine dubio in infernum damnatur.

CAP. XXV. *De elephantis natura.*

Est animal elephas nomine. Physiologus dicit de eo quod magnum intellectum habet in se, concupiscentiam carnis minime in se habere dicitur. Tempore quo voluerit pullos procreare, vadit in Orientem cum femina sua usque in locum proximum paradiso. Est autem ibidem herba mandragora nomine, de cujus fructu femina prior degustat, et tunc masculum illum deducit ut persuasus manducet. Postquam vero manducaverint ambo, coeunt sibi invicem, statimque femina concipit. Cum autem venerit tempus pariendi, pergit ad lacum magnum, et ingreditur usque ad ubera, et ibidem parturit super aquam, et hoc propter draconem facit, quia insidiatur pullis ejus, et illi ipsi. Masculus autem non recedit a femina, sed custodit eam super stagnum aquarum parientem, ad arcendum draconem, ut dixi, inimicum. Isti autem duo elephantes masculus et femina figuram habent Adam et Evæ, qui erant in paradiso Dei ante prævaricationem gloria circumdati, nescientes ullum malum, non concupiscentiæ desiderium, non commistionis coitum. Cum vero de interdicta arbore gustavit mulier, dedit viro suo qui manducans seductus est. Tunc præcipitati sunt de paradiso in hunc mundum quasi in stagnum aquarum multarum. Quod enim aliquando aqua, præsens sæculum significet propter diversas perturbationes et voluptates, David insinuat cum dicit: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam* (*Psal.* lxviii). Et alibi: *Exspectans exspectavi Dominum, et respexit me, et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis* (*Psal.* xxxix). Cum ergo profecti sunt in hunc miseriæ lacum, cognovit Adam uxorem suam Evam, et genuit Cain in luto fæcis. Ideoque pius et misericors Dominus noster Jesus Christus descendens de sinu Patris, assumpsit carnem no-

alram, et eduxit nos de laeu miseriæ, et de luto fæcis, statuensqua supra petram pedes nostros, immisit in os nostrum canticum novum (*Ibid.*), dicens : *Ita orabitis : Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* vi), etc. Hunc hymnum docuit nos ipse, qui supra petram statuit pedes nostros. *Petra* autem *erat Christus* (*I Cor.* x). *Dominus* autem *pacis sanctificet vos ad perfectum, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventum Domini nostri Jesu Christi servetur* (*I Thess.* v). Quid autem ossa et pellis elephantis faciant, dicam. In quocunque enim loco vel domo incensa fuerint, odor eorum espellit inde statim omnem serpentem, vel qnodque animal venenosum. Sic denique mandata Dei, et pia opera faciunt. Si enim accenduntur in corde hominis, effugant omne opus veneniferum diaboli in quacunque parte.

Cap. XXVI. *De elephantis natura iterum.*

Item est animal, qnod Græce dicitur elephas [λόφος] a magnitudine corporis. Apud Indos autem a voce barrus vocatur, unde et vox ejus barritus dicitur. Dentes ejus ebur, rostrum autem promuscis dicitur, quoniam illo pabulum colligit, at ori admovet, et est ungui simile, vallo munitur eburneo. Hos boves lucas dictos putant ab antiquis Romanis. Boves, quia nullum animal majus videbant. Lucas, quia in Lucania illos Pyrrhus in prælio primus objecit Romanis. Nam hoc genus animantis rebus bellicis aptum est. In illis enim Persæ et Indi ligneis torribus collocatis, tanquam de muro jaculis dimicant. Intellectu autem et memoria multum vigent, gregatim incedunt nutu quo valent, salutant homines, murem fugiunt, aversi coeunt. Quando autem parturiunt, in aquis vel in sylvis non dimittunt fetus propter dracones, quia eis valde sunt inimici, et ab eis impliciti necantur. Cum autem tempus pariendi venerit ingreditur femina stagnum vel aliam aquam usque ad ubera, et ibi parit propter draconem, qui insidiatur illi. Quod si extra aquam vel etiam silvam pepererit, statim draco fetum ejus rapit et devorat. Masculus autem ejus custodit illam parientem. Biennio portant fetus, nec amplius quam semel gignunt, nec plures, sed unum tantum. Vivunt autem trecentos annos. Apud solam Africam et Indiam elephantes prius nascebantur, nunc sola India eos gignit. Dormientes nunquam recubant, sed quando sopori dediti, vel labore defatigantur, recreant se magnis arboribus applicati, et ipsis suffulti dormiunt. Quod eorum venatores vel insidiatores diligenter considerantes, locum et arbores notant, et eas pene succidunt, quibus cum inniti justa consuetudinem putant, ruunt arbores, et elephantes cum eis ad terram prosternuntur, sicque capiuntur. Cum autem tempus venerit eorum procreationis, ut ad fetum faciendum convenire debeant, femina adinvenit mandragoram sibi, et prior manducat de illa, et postea de fructu mandragoræ dat masculo suo, et sic seducit masculum ut manducet, et sic coeunt, et statim femina concipit. Isti duo elephantes, mas et femina figurant Adam et Evam, qui erant in paradiso, ne scientes et non experti ullum malum, non concupiscentiæ desiderium, nec commistionis amplexum. Cum autem de interdicta arbore gustavit mulier, virumque seduxit, et manducavit, ne paradiso expulsi et miseri exierunt in hunc mundum, tanquam in stagnum aquarum multarum, in vallem lacrymarum et in locum miseriæ. Ossa et pellis de elephante in quocunque loco incensa fuerit, odor eorum inde fugat serpentes, vel si qua nosia fuerint venena, venenosa reptilia eo non accedunt. Sic mandata Dei cum purificant et cor ejus, qui ea intra se custodit et observat, et nulla suggestio inimici eo prævalet invenire aditum. Isidorus : « Mandragora dicitur eo quod habeat mala, id est, poma suave olentia ad magnitudinem mali nucum avellenarum. » Unde et eam Latini malum terræ vocant. Hanc poetæ antropomorphon appellant, eo quod habeat radicem formam hominis imitantem, cujus cortex vino immistus, ad bibendum datur iis quorum corpus propter curationem secandum est, ut soporati dolorem non sentiant. Hujus species sunt duæ, femina foliis lactucæ similibus mala generans ad similitudinem prunorum. Masculus vero foliis betæ similibus.

Cap. XXVII. *De pelicani natura.*

Pelicanus avis est Ægyptiaca, habitans in flumine Nili. Tradunt autem duo genera pelicanorum : unum in aqois habitans, et esca ejus animalia venenata sunt, hoc est lacertæ, serpentes, crocodili, et onocrotali, id est aves longo collo et rostro, dum bibunt asininum ruditum et crepitum imitantes. Physiologus refert de pelicano quod amator est nimis filiorum. Cum enim genuerit pullos, et incipiunt crescere, parentes suos in faciem percutiunt, qua de re parentes irati repercutiont eos et occidunt. Mater vero tertia die mortis eorum, præ compassione rostro in costa seu latere aut pectore se vulnerans, sanguinem super pullos suos effundit, et sic a mortuis eos resuscitat ad vitam. Avis ista significat Dominum per Isaiam prophetam dicentem : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* i). Omnipotens itaque Deus Pater totius creaturæ nos cum non essemus, fecit ut ipsi serviremus. Nos vero percussimus eum in faciem, quia et eum et mandata vitæ relinquentes sprevimus, qui tamen propter nos Filium suum tradidit, et perforato latere ejus lancea militis in cruce, continuo exivit sanguis et aqua in salutem et redemptionem nostram. Aqua enim baptismi est gratia, sanguis vero ejus calix est novi et æterni Testamenti, quam in sanctis manibus tenens benedixit gratias Deo Patri agens, et dedit illum nobis bibere in remissionem peccatorum nostrorum.

Cap. XXVIII. *De lacerto, stellione et lacerta.*

Lacertus est reptile genus animantis, vocatum ita eo quod quasi lacertos et brachia habeat. Genera autem lacertorum sunt plura, ut botras, salamandra, saura, stellio. Stellio a colore inditum nomen habet. Est enim tergore pictus lucentibus guttis in modum stellarum. Est volatile animal quod lacerta dicitur, utrisque oculis clara ut sol. Physiologus dicit de ea,

quod quando senuit, lumen ejus ita impeditur, ut nec solis lumen videat, sed suæ naturæ hujusmodi præstat medicamentum. Inquirit parietem tendentem contra orientem, et per foramen arctum exit apertis oculis, et sic renovatur. Et tu homo, qui veteri tunica indutus es, quando oculi tui cordis caligant, quære locum tendentem orientem versus, id est ad solem justitiæ Christum Dominum nostrum te converte, cujus nomen Oriens dicitur (*Zach.* III), quatenus oriatur in corde tuo per Spiritum sanctum, et lucem misericordiæ suæ ostendet tibi, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I).

Cap. XXIX. *De formicæ natura.*

De formica Salomon ita dicit: *Vade ad formicam, o piger, et meditare eam, quæ cum sit viribus infirmior, multum per æstatem frumentum reponit* (*Prov.* VI). Physiologus dicit tres habere virtutes formicam. Prima ejus virtus est quod, cum formicæ exierint de spelunca sua, ambulant ordinatim, et quærunt grana cujuslibet seminis. Cum autem invenerint, ore apprehendunt singula grana, portantes ea in speluncam suam. Aliæ vero formicæ non habentes grana in ore suo, sed vacuæ obviam venientes eis, quæ velunt cibaria in ore suo, non dicunt eis: Date nobis de annona vestra, sed vadunt quærentes per vestigia illarum, et sumunt sicut et illæ, et afferunt in speluncam suam. Et hæc quidem dicta sunt de irrationalibus animantibus atque infirmis reptilibus, quod tam prudenter agunt quod nulla illarum stulta remanet, sed omnes argutæ et sapientes inveniuntur aut efficiuntur. Quanto magis illæ quinque virgines rationales, quæ per negligentiam suam factæ sunt stultæ, debuerunt imitari illas quinque sapientes, et sumere etiam oleum in vasis suis unde illæ sumpserunt, et non per desidiam, ac per stultam spem suam petere ab illis sapientibus, dicentes: *Date nobis de oleo vestro* (*Matth.* XXV). O quam fatua stultitia! nam si ex so non potuerunt intelligere, ut inde peterent unde et illæ petierunt, vel formicarum solertiam imitari debuissent. Sed dum de alienis vasis oleum sperant, superveniente sponso foris remanserunt stultæ cum lampadibus exstinctis. Recondit autem grana in spelunca sua, ne ex humore madefacta germinent, et ne hiemis tempore fame pereat. Et tu homo Dei, Scripturam Veteris Testamenti divide in duas partes, hoc est secundum historiam, et secundum spiritualem intellectum. Divide veritatem a figura. Separa corporalia a spiritualibus, et spiritualia a corporalibus. Transcende a littera occidente ad spiritum vivificantem, ne littera germinante in die hiemis, id est in die judicii, fame peress. Dicit enim Apostolus: *Lex spiritualis est, ego carnalis* (*Rom.* VII). *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III). Et alibi. *Hæc autem in figura contingebant illis. Scripta autem sunt ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt* (*I Cor.* X). Judæi enim litteram sequentes, spiritualemque intellectum contemnentes, facti sunt prophetarum contemptores, ac sui Domini interfectores et ideo nunc usque fame pereunt quia inanibus paleis vacantes, triticum perdiderunt. Tu ergo homo Dei rado virgas, et tolle corticem earum, ut oves tuæ mundos ac spirituales, non carnales, ac vitiosos faciant fetus. Hæc autem omnia spiritualibus quidem credentibus sunt intelligibilia, non credentibus vero non intelligibilia. Tempore messis inter segetes ex odore intelligit formica, an hordeum sit in spica illa, an triticum, et si fuerit hordeum, transit ad aliam spicam, et odorat, et cum senserit, quæ spica tritici est, ascendit sursum in spicam, et tollens inde granum deponit, et portat illud in cubiculum suum. Hordeum autem brutorum animalium cibus est, unde et hæreticos significat, qui pravo cibo animas hominum pascentes occidunt. Fuge igitur, o Christiane, fuge Sabellium, et Donatum, et Photinum, a quibus tanquam ex utero draconis serpentini fetus prodierunt. Horum hominum dogmata falsa sunt, itaque inimica veritati.

Etymologia. Formica est dicta quasi ferens micas farris. Cujus solertia multa est. Providet enim in futurum, et præparat sibi in æstate, quod io hiemo comedat. In messe eligit triticum, hordeum vero non tangit. Dum pluit super frumentum ejus, totum ejicit. Dicuntur et in Æthiopia esse formicæ ad magnitudinem canis, quæ arenas aureas pedibus eruunt, quas custodiunt ne quis auferat, auferentesque ad necem persequuntur. Sed ii, qui volunt ab eis aurum abripere, accipiunt equas cum pullis suis, et fame affligunt eas tribus diebus, deinde religant pullos earum ad littus aquæ quæ currit inter eos et formicas, et equas agunt trans aquam illam impositis clitellis super dorsum illarum, quæ ubi vident trans flumen herbas virentes, pascuntur per campos ultra flumen. Formicæ autem videntes scrinia et clitellas super dorsum earum comportant aureas arenas in eas, volentes eas ibi recondere. Vesperascente autem die, postquam satiatæ sunt equæ, et auro onustæ, audiunt pullos suos hinnientes prupter famen, et ita regrediuntur ad eos cum auro multo. Est et aliud animal, quod formicaleon dicitur, quod est vel formicarum leo, vel certe formica pariter et leo. Est enim animal parvum, formicis ita infestum, ut se in pulvere abscondat, et formicas frumenta portantes interficiat. Proinde leo et formica vocatur, quia sicut aliis animalibus leo, ita formicis aliis hæc fortior est.

Cap. XXX. *De aspidis natura.*

Aspis secundum Isidorum vocata est, quod morsu venena immittat et spargat. As enim ot vult, vel potius ἰός Græcis venenum dicitur. Hujus diversa sunt genera et species, et dispares od nocendum effectus. Aliis sic dictam placet a defendendo; nam aspiso [ἀσπίζω] dicitur defendo, eo quod aspis [ἀσπίς] etiam scutum dicitur. Fertur enim aspis cum cœperit pati incantatorem, qoi eam quibusdam carminibus evocat, ut eam de caverna sua

producat, eum illa exire noluerit unam aurem in terram premit, alteram cauda obturat et operit, atque ita voces illas magicas non audiens non exit ad incantatorem. Dipsas genus est aspidis, quæ Latine scytlalo dicitur, quia is, quem momorderit, siti perit. Hypnale etiam genus est aspidis dicta eo quod somno necat; hanc sibi Cleopatra apposuit, et ita morte quasi somno soluta est. Hemorrhois etiam aspis nuncupatur, eo quod sanguinem sudet qui ab ea morsus fuerit, ita ut dissolutis venis quidquid vitæ est per sanguinem effundat. Græce enim sanguis hema [αἷμα] dicitur. Præster est aspis semper ore patenti et vaporanto currens, cujus poeta sic meminit.

Oraque distendens avidus fumantia præster.

(LUCAN. *Phars.* lib. IX, vers 715.)

Is quem percusserit, distenditur, enormique corpulentia necatur. Extuberatum enim putredo sequitur. Seps, tabificus serpens etiam de genere aspidum est, qui si momorderit hominem, eum statim consumit, ita ut liquefiat totus in ore serpentis. In aspidum naturam est quod imitemur, et est quod vitemus; quod imitemur, ut contra Syrenum, id est voluptatum illecebras, et fraudulentas blanditias interiores occludamus aures, ut simus, juxta verbum Domini, prudentes, ut serpentes. Quod vitemus, ne serpens antiquus nos ut dipsas avaritiæ siti feriat, aut pigritiæ somno obruat ut hypnale, aut iræ sanguinolentia maculet ut hemorrhois, aut ambitionis hiatu alteriusve peccati veneno turgentes ut præster distendat.

CAP. XXXI. *De charadriu seu charadro ave maritima. Ideo distincte ponitur, quod Theodorus gaza eam charadrium vocat. Suidas charadrum, qui dicit esse avem maritimam magnum et ingluviosam, quam aspicientes icteri liberantur, quod Plinius de ictero ave asseruit fortasse eadem et ab effectu sic dicta. Sed audiamus auctorem.*

Est volatile quod dicitur charadrius. Hic scribitur in Deuteronomio non manducandus (*Deut.* XIV). Physiologus dicit de eo quod est totus albus, nullam partem nigri in se habens, cujus interior fimus oculorum caliginem curet. Quisquis autem ægritudine detinetur, per hanc volucrem agnosci solet utrum vivere an mori debeat. Si enim infirmitas adest ad mortem, mox faciem suam charadrius avertit ab illo homine, et non dubitant quin moriatur homo ille. Si autem convalescere et sanari debet, intendit in eum diligenter charadrius, et accedens, os suum ponit super hominis os, afflatuque suo abstrahit omnem infirmitatem hominis intra se, volansque in aere contra solem, comburit ejus infirmitatem et dispergit, et sanatur infirmus, et fit incolumis. Sic et Christus de seipso protestatus est: *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV). Quia *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II). Veniens autem ipse ad infirmitatem populi Judæorum avertit se ab eo, et convertit faciem suam ad gentes, tollensque nostras iniquitates, et portans peccata nostra, exaltatus est in crucem, ascendens autem in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. *In propria ac sua venit, et sui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I). Jam si est aliquis dubitans, cur immunda animalia ad significationem rei bonæ ut mundandæ conscientiæ et erudiendæ referantur, ut serpens, draco, leo, et aquila, et his similia sciat quod quandoque fortitudinem et regnum Christi significant, quandoque vero rapacitatem diaboli, atque ita variis posse applicari.

CAP. XXXII. *De sireuarum seu sireuum natura.*

Dicente Isaia de Babylonia: *Syrenæ habitabunt in delubris voluptatis ejus* (*Isa.* XIII). Syrenæ animalia sunt ipsis acquiescentibus mortifera quæ ut physiologus describit, superne usque ad umbilicum figuram muliebrem habent, inferns vero pars usque ad pedes piscis habet figuram. Mirificum quoddam ac dulcisonum melodiæ carmen canunt, ita ut per suavitatem vocis, auditus longe navigantium invitent, et ad se trahant, ae nimia suavitate modulationis perlecient aures, et eos ae sensus eorum delinientes in somnum vertant. Tunc demum cum viderint eos gravissimo somno sopitos, invadunt eos, et dilaniant carnes eorum, ac sic per suavis soni voces, ignaros et insipientes homines decipiunt, et necant. Sic et illi, qui deliciis hujus sæculi, et pompis et theatralibus voluptatibus delectantur, tragœdiis et comœdiis dissoluti, velut gravi somno sopiti adversarium præda efficiuntur. Syrenas tres fingunt fuisse ex parte virgines, et ex parte pisces, habentes squamas et caudam piscinam, quarum una voce, altera tibiis, tertia lyra canebat, quæ incantos per ea loca navigantes cantuum illecebris naufragio periclitari faciebant. Secundum autem veritatem meretrices fuerunt, quæ transeuntes ad egestatem adegerunt, ideoque illis dictæ sunt inferre naufragia. Habuisse autem squamas, et in fluctibus habitasse dicuntur, quia fluctus Venerem creaverunt.

CAP. XXXIII. *De onocentauro rursus.*

Idem dicit: *onocentaurus et pilosus clamabit alter ad alterum* (*Isa.* XXXIV). Onocentaurum, ut etiam supra diximus, duobus naturis constare physiologus asserit; superior enim pars centauro, id est homini equestri similis est; inferioris vero partis membra sunt onagri, id est asini agrestis. Huic assimilantur vecordes atque bilingues specie homines, moribus autem informes, dicente Apostolo: *Habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (*II Tim.* III). Unde in Psalmo: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII).

CAP. XXXIV. *De adamantis virtute.*

Physiologus dicit quod est lapis qui dicitur adamas, et in quodam monte Orientis invenitur, ita tamen ut nocte quæratur, non in die, quia nocte lucet, et indicatur ubi fuerit. Per diem autem non lucet, quia sol obtundit lumen ejus. Contra hujus lapidis duritiem non ferrum, nec ignis, nec alius lapis potest

prævalere. De hoc lapide dicit propheta, *ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam* (*Ezech.* III). Et quia Creatori creatura prævalere non potest, ideo adamas Christus est. Ex illo vero adamante omnes sancti adamantini lapides a propheta dicti sunt, sicut a nomine Christi Christiani vocantur, et nominantur. Ergo mons, quem dicit physiologus Orientalis, in quo lapis adamas invenitur, est Christus, qui sicut in Patre agnoscitur, ita Pater in Filio. Ipse enim dicit: *Ego in Patre, et Pater in me est;* (*Joan.* IV); et iterum: *Qui videt me, videt et Patrem* (*Ibid.*). Quod lapis per diem non invenitur, significat Christum occultasse descensionem suam cœlestibus virtutibus, et dominationibus et potestatibus, qui tanquam luminaria Dei assistunt, sed nunquam sciverunt mysterium descensionis, et incarnationis ejus quod facturus erat in terris. Denique jam transactis omnibus mirabilibus ejus, quæ fecit pro humani generis redemptione, cum ascendisset in cœlos, integrum atque perfectum hominem illuc se inducens, videntes etiam supernæ civitatis exercitus dixerunt. *Quis est iste rex gloriæ?* (*Psal.* XXIII.) *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* (*Isa.* LXIII.) quasi dicat: Quis est iste qui ascendit ex sanguine, et rubor vestimenti ejus ex carne? Et in nocte invenitur iste lapis, quoniam in istius cœli tenebras descendit, et illuminavit omne hoc genus, quod sedebat in tenebris, et in regione umbræ mortis, sicut David propheta in persona totius humani generis. *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas* (*Psal.* XVII). Venit ergo Dominus, et lucernam quam exstinxerat diabolus, id est animam, et corpus in se suscipiens illuminavit splendore suæ gratiæ vivificans et reparans manifestius, dicente Apostolo de tam admirabilis mysterii sacramento: Etenim manifeste, inquit, *magnum est mysterium pietatis, quod manifestum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (I *Tim.* III). Quod autem de eo lapide dicit physiologus, quod *neque ferrum illi prævalet*, id est mors illi non dominabitur, delevit enim et conculcavit mortem, sicut Apostolus testatur, dicens: *Devicta est mors in victoria. Ubi est mors contentio* [*victoria*] *tua? Ubi est mors aculeus* [*stimulus*] *tuus?* (*I Cor.* XV.) Sed neque ignis illi potest nocere id est diabolus, qui ignitis jaculis suis succendit omnem terram, et civitates, id est luxuriosos, ebriosos et iracundos, de quibus Isaias dicit: *Terra vestra deserta, civitates vestræ igni succensæ sunt* (*Isa.* I). *Dominus* enim *Jesus Christus interficiet eum spiritu oris sui* (*II Thess.* II). Sed neque alter lapis illi nocuit, id est nullus homo penitus, neque ulla creatura prævaluit adversus eum. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, quia sine ipso factum est nihil* (*Joan* I). Adamas parvus est, et indecorus, ferrugineum habens colorem, et splendorem crystallinum, et in modum nuclei avellani invenitur, ac nulli cedit materiæ, nec ferro, nec igni, nec unquam incalescit. Unde et nomen interpretatione Græca indomita vis ejus accepit. Sed cum sit invictus ferro, ignisque contemptor, hircino tamen sanguine recenti, et calido maceratur, sicque multis ictibus ferri frangitur, cujus fragmentis insculptores pro gemmis insigniendis perforandisque utuntur. Hic autem dissidet cum magnete lapide, in tantum ut juxta positus ferrum non patiatur abstrahi in magnetem [magneti]. Sed si fuerit amotus adamas, tum magnes ferrum rapit, et comprehendit et aufert. Fertur quoque electri more venena depellere, metus vanos expellere, maleficiis resistere artibus. Genera ejus sunt sex, quibus quia ad institutum nostrum parum faciunt, supersedeo.

CAP. XXXV. *De concho seu concha margaritifera.*

Est inter conchas margaritiferas, id est conchas et margaritas quæ Latine uniones, et vulgo perlæ vocantur ferentes, species quædam, quæ ab aliis marmætholion, ab Latinis concha Sabæa dicitur, quia concava est et rotunda. Est autem in duas partes divisa, ita ut, cum voluerit, aperiat se, et, cum voluerit, claudat. Hæc ergo de fundo maris ascendit, et matutino rore alit intra se carnem. Ergo cum ascenderit de loco suo super mare, aperit os suum, et suscipit intra se de rore cœli, et circumfulget eam radiis solis, et sic intra eam margarita pretiosa et splendida valde, quippe quæ rore cœli concepta est, et de radio solis clarificata. Lapis autem iste, qui dicitur conchus, figuram gerit sanctæ Mariæ, de qua propheta Isaias dicit: *Et egredietur virga de radice Jesse* (*Isa.* II). Et iterum: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium* (*Isa.* VII). Quæ virga virgo sancta Maria est dicta. Flos vero, qui de sancta Maria est natus, Dominus noster Jesus Christus est. Sicut enim de mari ascendit concha, in qua nascitur conchus lapis, sic sancta Maria ascendit de domo patris sui ad templum Dei, et ibi accepit rorem cœlestem. Hæc sunt verba, quæ dicta sunt ad eam ab angelo Gabriele: *Spiritus Domini superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I). Ecce hi sermones sunt, hic ros cœlestis. Sicut multo ante patriarcha Isaac benedicens filium suum, et significans quod Christus ex semine ejus nasceretur, ait ad eum dicens: *Det tibi Deus de rore de cœli, et de pinguedine terræ* (*Gen.* XXVII), castam atque intactam Mariam virginem significans, matutinus autem ros quem concipit tempus orationis matutinom describit. Quod autem aperit os suum concha, significat ubi Maria dixit ad angelum; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I), et statim accepit Spiritum sanctum in se, et virtus Altissimi tanquam sol justitiæ clarificavit eam, atque quod natum est ex ea, vita est, et lux. *Venit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). De quo et Paulus: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus* (*Hebr.* I), etc. Et alibi: *In quo complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare* (*Coloss.* I). De ista igitur margarita legitur in

Evangelio, quod *simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, vendidit* omnem substantiam suam, et possedit hanc margaritam (*Matth.* XIII). Iste autem negotiator est utique chorus apostolorum. Omnes enim apostolos unum negotiatorem dicit, propter unitatem fidei. Etenim *non est Judæus, neque Græcus, neque servus, neque liber, neque Scytha, neque barbarus, neque masculus, neque femina, omnes enim sumus unum in Christo Jesu* (*Coloss.* III). Idem ergo bonus et sapiens negotiator, id est sanctus chorus apostolorum, quærit bonas margaritas, hoc est lex et propheta, sive omnis anima credens quærit Deum. Quærit etiam vir justus bonas margaritas, hoc est apostolos et prophetas et patriarchas, per quos possit ad illam veram et pretiosam pervenire margaritam. Isti sunt lapides sancti, qui volvuntur super terram. Cum ergo commemoratus ille bonus negotiator invenit illam pretiosam et bonam margaritam, id est Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei vivi, emit eam venditis omnibus facultatibus suis, id est contemnens et spernens non solum istius vitæ substantiam, sed etiam uxorem et filios, et omnem cognationem carnalem, insuper et corpus suum et animam, sicut Veritas dicit: *Quicunque perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (*Matth.* X). Hæc omnia videns apostolorum chorus non aurum accipit, neque argentum, sicut beatus Petrus ad illum claudum stipem petentem: *Argentum*, inquit, *et aurum non est mihi; quod autem habeo, tibi do. In nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni surge et ambula* (*Act.* III). Et Paulus. *Omnia*, inquit, *quæcunque erant mihi lucra, hæc propter Christum arbitratus sum detrimenta, propter eminentem scientiam Christi* (*Philip.* III). Qui ergo confitenter contempserit omnes facultates suas, uxoremque et filios et omnem cognationem suam, insuper corpus et animam propter unius margaritæ acquisitionem; si certissime confisus fuerit, et crediderit posse unam margaritam acquirere, longe majores et meliores divitiarum facultates præcellentioremque honorem, insuper et gloriæ coronam habebit, quæ omnia ille negotiator possidet, qui est apostolorum chorus, per unum illum lapidem pretiosum Dominum nostrum Jesum Christum, qui est veræ margarita, via, veritas et vita nostra (*Joan.* XIV). Denique audi ipsum in Evangelio dicentem: *Ecce dedi vobis potestatem spirituum immundorum, et calcandi super omnes serpentes et scorpiones et supra omnem potestatem diabolicam, et sanandi omnes languores et infirmitatem* (*Luc.* X). Et iterum: *Euntes prædicate quoniam appropinquavit regnum cœlorum, infirmos curate, leprosos mundate, cæcos illuminate, mortuos suscitate, dæmonia ejicite* (*Matth.* X). Videte nunc quam inæstimabilis sit ista margarita sanctis martyribus, qui non solum cum in hac vita essent, sed etiam post hujus vitæ excessum mira egerunt, sicut nunc videmus quomodo in obsessis corporibus spiritus immundi illorum virtute et potestate torquentur et cruciantur, et invisibilibus flagellis verberantur, quousque ejiciantur et effugentur ab hominibus, sicut ipsi dæmones audientibus nobis exclamant vociferantes, et rogantes eos ut cessent torquere eos, tam varii et multiformes. Alii enim clamantes, alii rugientes, sicut serpentes sibilantes fugantur ab obsessis hominum corporibus per apostolorum hominumque sanctorum virtutes, quæ illis secundum merita sua a Domino datæ sunt. Honorem vero illum transcendentem et superimentem omnibus terrenis honoribus, sortiti sunt ab ipso pretioso lapide, pro quo omnia sua bona dimiserunt, ut illum cœlestem thesaurum possiderent, qui dicunt ad Salvatorem: *Ecce nos quidem dimisimus uxores et filios et omnes possessiones propter te, quid facies nobis in regno tuo?* (*Matth.* XIX.) Et ille dicit illis: *Amen, amen dico vobis, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ ad judicandum orbem terræ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Ibid.*). Unde satis confidenter Paulus apostolus dicit: *Nescitis quoniam angelos judicabimus? et a nobis judicabitur hic mundus* (*I Cor.* VI). Tanta enim gloria, tanto honore remuneratus est apostolorum chorus, ut in hoc sæculo adhuc positus legitimus ille atheleta Christi Paulus præviderit in cœlis justitiæ suæ coronam, sicut exsultans ait: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, non solum mihi, sed et omnibus qui diligunt præsentiam regni ejus* (*II Tim.* IV). Talem coronam meretur a Christo honorum apostolorum chorus, talemque retributionem apostoli recipient pro corruptibilibus.

CAP. XXXVI. *De aspidochelone, bellua aquatica, habente partem figuræ aspidis, partem testudinis; cheloni chelone enim est testudo bellua marina; cujus etiam in sequenti opere mentio fiet.*

Est bellua in mari, quæ dicitur Græce Aspidochelone [ἀσπιδοχελώνη], Latine autem aspidotestudo. Cetus autem est magnus, habens super corium suum tanquam sabuli seu arenæ aggerem, juxta maris littus frequenter victitans. Hæc in medio maris elevat dorsum suum super undas maris sursum, ita ut navigantibus nautis non aliud credatur esse quam insula, præcipue cum viderint totum illum locum sicut in omnibus littoribus maris sabulo esse obtectum. Putantes autem insulam esse, applicant navem suam juxta eam, et descendentes, figunt illic palos, et alligant navem, deinde ut coquant sibi cibos post laborem, faciunt ibi focos et ignes super arenam, quasi super terram. Illa vero, ut senserit ardorem ignis, subito mergit se in aquam, et navem secum trahit in profundum maris. Sic patiuntur omnes qui increduli sunt, et quicunque ignorant astutias diaboli, qui spem suam ponentes in eum, et operibus ejus se obligantes, simul merguntur cum illo in gehennam ignis ardentis. Ista est astutia ejus. Secunda hujus belluæ natura est hæc. Quando

surit, aperit os suum, et quasi quemdam odorem suave olentem exhalat de oro suo, quem mox ut senserint minores pisces, congregant se intra os ipsius. Cum autem repletum fuerit os ejus diversis piscibus pusillis, subito claudit os suum, et transglutit eos. Sic patiuntur omnes qui sunt modicæ fidei. Voluptatibus enim ae lenocinlis quasi quibusdam odoribus diabolicis inescati, subito absorbentur ab eo sicut pisciculi minuti. Majores enim se continent ab illo, neque appropriant ei. Sic etiam qui Christum semper in sua mente habent, magni sunt apud eum, et si sunt perfecti, agnoscunt multiformes astutias diaboli, et custodiunt se ab eo, et magis resistunt; ille vero fugit ab eis. Dubii autem et modicæ fidei homines, dum vadunt post voluptates et luxurias diaboli, decipiuntur, dicente Scriptura : *Unguento et variis odoribus delectatur* (Prov. XXVII) Et sic confringitur a ruinis anima. Cetus dicitur ab immanitate corporis. Habent enim ingentia corpora hæc genera belluarum, æqualia montibus, in tantum ut etiam ibi naves quasi ad insulam applicentur, sicut ille qui excepit Jonam, cujus alvus tantæ magnitudinis fuit, ut putaretur infernus, dicente ipso Jona propheta : *De ventre inferni clamavi, et exaudisti vocem meam* (Jon. II).

LIBER TERTIUS,

In quo quia plurima eadem cum iis quæ in superioribus dicta sunt, recitantur, nolui eadem repetere, sed ubi dicta sint, indicare.

Bestia unde dicta sit, et quæ sint bestiæ, vide libro secundo, in prologo.

De leone, et ejus naturis, lib. II, cap. 1.

CAP. PRIMUM. *De tigride.*

Tigris vocata est propter volucrem fugam; ita enim nominant Persæ et Medi sagittam. Est autem bestia variis distinctis maculis, virtute et velocitate mirabili, ex cujus nomine flumen Tigris vocatur, quod is rapidissimus sit omnium fluviorum. Has magis Hircania gignit. Tigris vero ubi vacuum raptæ sobolis reperit cubile, illico vestigiis raptoris insistit, atque ille, quamvis equo vectus fugaci, videns tamen velocitate feræ se posse præverti, nec ullum evadendi suppetere sibi posse subsidium, tigrim hujusmodi fraude amollitur : ubi se contiguum viderit, sphæram de vitro, id est speculum rotundum projicit; at illa imagine sui luditur, et sobolem putat, revocatque impetum, colligere fetum desiderans. Rursus inani specie detecta, totis se ad comprehendendum equitem viribus fundit, et iracundiæ stimulo velociter fugienti imminet. Iterumque illo appropinquantem sphæræ objectu retardat, nec tamen sedulitatem matris, memoria fraudis excludit. Cassum versat imaginem, et quasi lactatura fetum residet. Sicque pietatis sui studio decepta, et vindictam amittit et prolem.

CAP. II. *De pardo, et leopardo.*

Pardus est ferarum genus varium, se velocissimum, et præceps ad sanguinem. Saltu enim ad mortem ruit. Leopardus ex adulterio leænæ et pardi nascitur, et tertiam originem efficit, sicut et Plinius in naturali historia dicit leonem cum parda, aut pardum cum leæna concumbere, et ex utroque coitu degeneres partus creari, quales sunt ex diversis speciebus progeniti mulus et burdo.

De panthera vide lib. II, cap. 23.

De antalope seu antula, lib. II, cap. 2.

De unicorni vide lib. II, cap. 6.

CAP. III. *De lynce.*

Lynx dicitur, quia in luporum genere numeratur, bestia maculis tergo distincta ut pardus, sed similis lupo. Hujus urinam converti in duritiam pretiosi lapidis dicunt, qui lygurius seu lycurius ut a Plinio et Solino appellatur; quod et ipsas lynces hoc modo probatur sentire, nam egestum liquorem arenis quantum possunt contegunt, invidia quadam naturæ, ne talis egestio transeat in usum humanum. Lynces dicit Plinius extra fetum unum non admittere secundum.

CAP. IV. *De gryphe.*

Gryphs, seu, ut Isidorus scribit, gryphes est animal pennatum et quadrupes, quod in hyperboreis nascitur montibus, omni parte corporis, leoni, alis et facio aquilis simile, equis vehementer infestum. Nam et homines vivus discerpit. et integros in nidum asportat.

De elephante vide lib. II, cap. 26.

De castore vide lib. II, cap. 9.

De ibice vide lib. II, cap. 15.

De hiena vide lib. II, cap. 10.

CAP. V. *De bonoso.*

In Asia animal nascitur, quod bonasum vocant, cui caput taurinum, ac deinceps corpus omne rectum, juba equina, cornua autem ita habet multiplici flexu in se recurrentia, ut si quis in ea offendat, non vulneretur, sed quidquid præsidii monstro illi frons negat, alvus sufficit. Nam cum in fugam vertitur, proluvie citi ventris fimum egerit per longitudinem trium jugerum, cujus ardor quidquid contigerit, adurit. Ita egerie noxia submovet insequentes.

De similis vide lib. II, *cap.* 12.
De cervis vide lib. II, *cap.* 14.
De capro vide lib. II, *cap.* 13.
De manocerote sive unicorni vide lib. II, *cap.* 6.

CAP. VI. *De urso.*

Ursus fertur dictus, quod ore suo formet fetus, quasi orsus. Nam aiunt eos informes generare partus, et quamdam carnem nasci quam mater lambendo in membra componit, sed hæc immaturitas facit deformes partus. Denique tricesimo die generat, unde evenit ut præcipitata fecunditas informis procreetur. Ursorum caput invalidum, vis maxima in brachiis et lumbis, unde etiam interdum erecti insistunt. Et medendi industriam non prætermittunt. Siquidem gravi affecti cædo et sanciati vulneribus, mederi sibi solent, herbæ cui nomen flomus, ulcera subjicientes sua, ut solo curentur attactu. Ursus æger formicas devorat. Numidici ursi cæteris præstant rabie duntaxat, et villis profundioribus. Nam genitura par est quoquo loco editis. Coeunt non eodem modo quo aliæ quadrupedes, sed apti mutuis amplexibus velut humanis conjunctionibus copulantur. Desiderium veneris hiems suscitat. Secreti honore reverentur mares gravidas, et in iisdem licet foveis, partitis tamen per scrobes secubationibus dividuntur. Lociniæ illis tempus properantius est, quippe uterum tricesimus dies liberat, unde evenit ut præcipitata fecunditas informes procreet partus. Carnes pauxillas edunt, quibus color candidus, oculi nulli. Hos lambendo sensim figurant, et interdum ad pectora fovent, ut assiduo incubatu calefactæ animalem trahant spiritum. Interea cibus nullus. Sano diebus primis quatuordecim matres ita in somnum concidunt, ut nec vulneribus excitari queant, ita de cavernosis in quibus latent montibus mox egressæ in diem liberum, tantam patiuntur insolentiam lucis, ut putes obsitas cæcitate. Insidiantur alvearibus apum, maxime favos appetunt, nec avidius aliud quam mella captant. Cum gustaverint mandragoræ mala, moriuntur; sed eunt obvism, ne maluni in perniciem convalescat, et formicas devorant ad recuperandam sani atem Si quando cum tauris pugnant, sciunt quibus potissimum partibus minorentur, nec aliud quam cornua et nares appetunt cornua, ut armatura deficiant, nares, ut dolor sit in loco tenerrimo.

CAP. VII. *De leucrocuta.*

In India nascitur bestia, quæ velocitate præcedit universas feras, et dicitur leucrocuta nomine, ipsa asini magnitudine, cervi clunibus, pectore ac cruribus leonis, capite equi, bisulca ungula, ore usque ad nares debiscente, dentium locis osse perpetuo. Hæc quidem quoad formam, nam voce loquentium hominum sonos æmulatur.

De crocodilo vide lib. II, *cap.* 8.

CAP. VIII. *De Manticora.*

In India nascitur animal, quod manticora dicitur, triplici dentium ordine coeunte vicibus alternis, facie hominis, glaucis oculis, sanguineo colore corpore leonino, cauda velut scorpionis aculeo spiculato, voce tam sibila ut imitetur fistularum modulos. Humanas carnes avidissime affectat, pedibus sic vigot, saltibus sic potest, ut morari eam nec extentissima spatia possint, nec obstacula latissima.

CAP. IX. *De tharando.*

Æthiopia mittit bestiam tharandum nomine, boum magnitudine, bisulco vestigio, colore ursi, ramosis cornibus, capite cervino, villo profundo. Hunc tharandum affirmant habitum metu vertere, et, cum delitescit, fieri ad similitudinem cujuscunque rei cui se approximaverit, sive illa sit alba ut saxum, sive virens ut frutetum, sive quem alium modum præferat.

De vulpe vide lib. II, *cap.* 5.

CAP. X. *De eale animali.*

Est bestia quæ dicitur eale, magna ut equus, cauda elephantis, nigro colore, maxillis aprinis, cornua præferens ultra modum longa, ad obsequium ejus, velut motus accommodata, nec enim rigent, sed moventur ut usus exigit præliandi, quorum alterum replicat, et cum altero pugnat, ut si ictu al quo alterius acumen offendatur, acies succedat alterius.

De lupa vide lib. II, *cap.* 20.

CAP. XI. *De cane, et ejus natura.*

Canis nomen Latinum Græcam habere videtur etymologiam. Cynos [κυῶν] enim Græce canis dicitur Latine, licet quidam a canoro latratus appellatum existiment, eo quod canore insonat, unde et canere dicitur. Nihil autem sagacius canibus. Plus enim sensus cæteris animalibus habent; nam soli sua nomina recognoscunt, dominos suos diligunt. Canum sunt plurima genera. Alii ad capiendum investigant silvarum feras. Alii custodes domorum, substantiam dominorum suorum custodiunt, ne forte rapiantur in nocte a latronibus. Pro dominis suis etiam morti se objiciunt voluntariæ, ad prædam cum domino suo currunt, corpus etiam domini sui mortuum custodiunt, et non derelinquunt, quorum postremo natura est extra homines esse non posse. Leguntur canes in tantum suos dilexisse dominos, ut Garamantum regem ab inimicis captum, et custodiæ mancipatum, duceuti canes agmine facto per medias acies inimicorum ab exsilio reduxerint, præliantes adversos resistentes. Jasone Lycio interfecto, canis ejus aspernatus cibum, inedia obiit. Lysimachi regis canis flammis se injecit accenso rogo domini sui, et pariter igni absumptus est. Appio Junio, et Publio Silio consulibus damnatum dominum, canis cum abigi non posset, comitatus est in carcerem, et mox percussum ululatu prosecutus est, cumque ex miseratione populi Romani ei cibus daretur, ad os defuncti escam tulit, ultimo abjectum in Tiberim tumulo cadaver adnatans sustentare conabatur. Canis vero ubi vestigium leporis cervive reperit, et ad diverticulum semitæ venerit, et quoddam viarum compitum, quod partes in plurimas scinditur, ambiens singularum semitarum exordium, tacitus secum ipse pertractat, velut syllogisticam vocem saga-

citato colligendi odoris dimittens. Aut certe, inquit, in hanc partem deflexit, aut in illam. Aut certe in hanc se anfractum contulit, sed nec in istam, nec in illam ingressus est, superest igitur ut in istam partem se contulerit, et sic falsitate repudiata in veritatem prolabitur. Sæpe etiam vocis illatæ evidentia canes ad redarguendos reos indicia prodiderunt, ut muto eorum testimonio plerumque sit creditum. Antiochiæ ferunt in remotiore parte urbis necatum virum quodam crepusculo, qui canem sibi adjunctam habebat, miles quidam prædandi studia minister exstiterat cædis, tectus idem adhuc tenebroso diei exordio, in alias partes secesserat. Jacebat inhumatum corpus, frequens erat spectantium vulgus astabat questu lacrymabili canis, dominique flebat ærumnam. Forte is qui necem intulerat, (ut se habet versatia humani ingenii) vitandi incommodi aviditate, et ut ejus præsentia fidem faceret innocentiæ, ad illam circumstantis populi accessit coronam, et velut miserans appropinquabat ad funus. Tunc canis sequestrato paulisper doloris questu, ultionis arma assumpsit, atque apprehensum tenuit et velut epilogans quoddam miserabile carmen murmurans, universos convertit in lacrymas, fidemque et probationem detulit, quia quem solum tenuit ex pluribus non dimisit. Denique perturbatus fuit ille, et tam manifestam rei indicium, neque odii, neque inimicitiarum, neque injuriæ alienjus vel invidiæ obice, propter objectionem naturæ, vel crimen repellere potuit. Itaque quod erat ratione consonum, ultionem perpessus est, quia defensionem sibi præstare non potuit. Lingua canis dum lingit vulnus, sanat illud. Lictus ejus admodum medicus esse fertur. Catuli denique lingua, vulneratorum solet esse intestinorum salus. Natura ejus at ad vomitum suum revertatur, iterumque comedat. Cumque flumen tranaverit carnem aut aliquid tale in ore suo tenens, cum viderit umbram, os suum aperit, atque dum properat aliam carnem sumere, ipsam quam tenet perdit. Cujus figuram in quibusdam rebus prædicatores habent, qui semper admonendo et exercendo quæ recta sunt, insidias diaboli pellunt, ne thesaurum Dei animas Christianorum ipse auferat. Lingua canis dum lingit vulnus, sanat illud, quia peccatorum vulnora dum in confessione nudantur, sacerdotum correctione mundantur. Intestina quoque hominis curat lingua canis, quia secreta cordis ipsius mundantur opere et sermone doctoris. Medicus admodum canis dicitur esse, quia qui præest aliis, sapientiæ studiis invigilare, omnique modo crapulam vitare debet. Nam in saturitate panis Sodoma periit. Nullo demum ambitu tam cito possidet hominem inimicus, quam voraci gula. Quod canis ad vomitum redit, quosdam post peractam confessionem incaute ad perpetrata facinora redire demonstrat. Quod carnem in flumine per cupitam umbram relinquit, significat homines stultos, qui propter ambitionem rei ignotæ, id sæpe quod sui juris est, derelinquunt. Unde fit ut, dum non valent adipisci quod cupiunt, frustra nolint perdere id quod reliquerunt. Lycisci dicuntur canes qui ex lupis et canibus nascuntur, cum inter se forte miscentur. Solent Indi feminas canes alligare in silvis, ut admisceantur ad tigres bestias, a quibus insiliri, et nasci ex eodem fetu canes acerrimi dicuntur, adeo fortes ut complexu leones prosternant.

CAP. XII. *De animalium in genere nominibus, et speciebus ac proprietatibus.*

Omnibus animantibus Adam primus vocabula indidit, imponens unicuique nomen ex præsenti institutione juxta conditionem naturæ cui serviret. Gentes autem unicuique animalium ex propria lingua dederunt vocabula, non autem secundum linguam Latinam, atque Græcam, aut quarumlibet gentium barbararum nomina illa imposuit Adam, sed illa lingua, quæ ante diluvium una fuit omnium quæ Hebræa nuncupatur. Latine autem animalia sunt animantia dicta, quæ animantur vita, et moventur spiritu. Quadrupedia vocata, quod quatuor pedibus gradiantur, quæ etsi similia sint pecoribus, tamen non sunt sub cura humana, ut cervi, damæ, onagri, etc. Sed neque bestiæ sunt, ut leones, neque jumenta, ut usus hominum juvare possint. Pecus dicimus esse, quod humana lingua et effigie caret. Proprio autem pecorum nomen iis animalibus accommodari solet, quæ sunt ad vescendum apta, ut oves et sues; aut in usu hominum commodata, ut equi et boves. Differt autem inter pecora et pecudes. Nam veteres in significatione omnium animalium pecora dixerunt, pecudes autem tantum animalia illa quæ eduntur, quasi pecudes. Generaliter autem omne animal pecus a pascendo vocatur. Jumenta inde nomen traxerunt, quod nostrum laborem vel onus suo adjutorio subvectando vel arando juvant. Nam bos carpenta trahit, et durissimas glebas vomere vertit. Equus et asinus onera portant, et hominum in gradiendo laborem temperant. Unde et jumenta appellantur ab eo quod homines juvant; sunt enim magnarum virium animalia. Item dicuntur armenta, vel quod sint armis apta, id est bello, vel quod his in armis utimur, vel quod magnos armos habent. Alii armenta boves tantum intelligunt, ab arando, quasi aramenta, vel quod sint cornibus armata. Discretio autem est inter armenta et greges. Nam tantum majorum et equorum et boum sunt armenta, greges vero etiam caprarum, et ovium, et cæterorum minorum gregatim viventium.

CAP. XIII. *De ove.*

Ovis molle pecus lanato corpore, inerme animal, animo placidum, ab oblatione dictum, eo quod apud veteres in initio non tauri, sed oves in sacrificio mactarentur. Ex his quasdam bidentes vocant eas, quæ inter octo dentes duos altiores habent, quas maxime gentiles in sacrificio offerebant, vel quæ essent biennes. Ovis sub adventu hiemis, quia inexplebilis ad escam, insatiabiliter herbam carpit, eo quod præsentiat asperitatem hiemis adfuturam, ut prius

herbæ pabulo se faciat quam gelu adurente omnis A herba deficiat.

CAP. XIV. *De vervece.*

Vervex vel a viribus dicitur, eo quod cæteris ovibus sit fortior, vel quod sit vir, id est masculus, emasculatus tamen, nam masculus aries dicitur, vervex castratus, vel quod vermes in capite habeant, quorum ipsi ut arietes excitati pruritu, se invicem concutiunt. Unde aries ἀπὸ τοῦ ἄρεος, id est a matre, vocatus, quo nomine apud nos in ovibus masculi vocantur, sive quod hoc pecus a gentilibus primo est aris immolatum, ut aries diceretur eo quod imponeretur aris. Unde illud : « Aries mactatur ad aram, » sed id minus placet, et primæ syllabæ quantitas non approbat.

CAP. XV. *De agno.*

B Agnus dicitur, quasi hagnes ἁγνὸς, id est castus. Latini autem sic dictum putant, eo quod præ cæteris animalibus matrem agnoscat, adeo ut etiamsi in magno grege erret, statim balatu recognoscat vocem parentis, festinetque ad matrem, lactis quoque materni notos sibi fontes requirat. Mater vero inter multa millia agnellorum solum filium noscit, et licet unus sit plurimorum balatus, et eadem species, illa tamen fetum suum recognoscit, et discernit a cæteris, et solum filium tacitæ pietatis studio recognoscit.

CAP. XVI. *De hirco et hædo.*

Hircus lascivum animal est, petulans et fervens semper ad coitum, cujus oculi ob libidinem in transversum aspiciunt, unde nomen traxit; nam hirqui C sunt oculorum anguli, secundum Suetonium. Cujus natura adeo calida est, ut adamantem lapidem, quem nec ignis nec ferrum domare valet, solus hujus cruor dissolvat. Hœdi secundum quosdam ab edendo vocati sunt; parvi enim pinguissimi sunt et saporis jucundi, unde et hœdus et hœdulus nominatur, sed quia hœdus scribitur sic, aliis dici videtur quod, si *h* in *f* mutetur, fiat fœdus.

CAP. XVII. *De apro.*

Aper, id est porcus, vel sus silvester a feritate vocatur, ablata scilicet littera quasi asper, ut vult Varro. Unde apud Græcos, agrios, ἄγριος, id est agrestis, ferus dicitur et ferox, omne enim quod ferum est et immite abusive agreste vocamus. Aliis videtur dici a nomine Græco ἀφρὸς, quod est spuma, eo quod spumam ore emittat.

D CAP. XVIII. *De juvenco, et tauro.*

Juvencus dictus eo quod juvare incipiat usus hominum in terra colenda, vel quia apud gentiles semper ubique immolabatur, et nunquam taurus; nam in victimis etiam ætas considerabatur.

Taurus [ταῦρος] nomen Græcum est, sicut et bos. Indicis tauris color fulvus est, volucris pernicitas, pilus in contrarium versus, hiatus magnus. Hi quoque circumferunt cornua, omniqua caput flexibilitate qua volunt tergi duritia omne telum respuunt; tam immani sunt feritate, ut capti animas ne domentur projiciant.

CAP. XIX. *De bove, et uro, et similibus.*

Bos Græcis βοῦς, hic et hæc boys, hujus boos dicitur, hunc Latini trionem nominant, eo quod terram terat, quasi terionem. Boum in socios eximia dilectio est; nam alter alterum inquirit, cum quo ducere collo aratrum consuevit, et frequenti mugitu amicum testatur affectum, si forte defuerit. Boves impendenti pluvia ad præsepia se tenere noverunt, atque, ubi naturali sensu collegerunt mutationem cœli, in serenitatem foras spectant, et ultra præsepia cervices extendunt suas una in omnes partes, ut prodire se velle testentur. Uri agrestes boves sunt, habentes cornua immensa, in tantum ut inter regias mensas ob insignem capacitatem gerulæ potuum fiant.

Sunt etiam in India boves unicornes, solidos ungulis, nec bisulcis, sed atrocissimi. Bubali inde nomen trahunt, quod sint similes boum, adeo indomiti, ut præ feritate jugum non recipiant.

Vacca dicta quasi boacca; est enim ex genere nominum a masculinis formatorum, sicut leo leæna, draco dracena, etc. vitulus et vitula a viriditate vocati sunt, id est ætate viridi, sicut et virgo, vitulam enim parvam esse dicimus, et nondum enixam; nam enixa juvenca est, id est vacca juvenis.

CAP. XX. *De cameli natura.*

Camelis κάμα cama, id est labor nomen dedit, quod jumentum sit laboriosum, vel a chamæ [χαμαὶ] quod Græcorum est adverbium significans humi; nam quando onerantur ut breviores et humiliores fiant, accubant, et sic chamelus scriberetur, sive quia curvos est dorso a chamiro, id est incurvo. Hos licet et aliæ regiones mittant, Arabes tamen plurimos, et Bactri fortissimos camelos mittunt. Verum in hoc differunt quod Arabici bina tubera in dorso habent; Bactriani singula. Hi nunquam pedes atterunt; sunt enim illis reciproca quibusdam pelliculis vestigia carnulenta; unde et contraria sunt illis ambulantibus, nullo favente præsidio ad nisum insistendi. Habentur autem ad duplex ministerium. Sunt enim alii oneri deferendo accommodati, alii perniciores et ad iter faciendum promptiores. Sed illi ultra modum pondera recipiunt, isti amplius quam solita spatia egredi nolunt. Genituræ cupiditate efferuntur adeo ut sæviant cum venerem requirunt. Oderunt equinum genus. Sitim etiam per triduum tolerant; verum cum datur occasio bibendi, tantum implentur, quantum et desideria præterita satiet, et in futurum diu prosit. Lutulentas aquas captant, puras refugiunt. Denique ubi cœnosior aqua defuerit, ipsi assidua proculcatione limum excitant, ut turbetur; durant in annos centum. Si forte translati fuerint in loca peregrina, propter insolitam mutationem aeris, morbos trahunt. Ad bella feminæ præparantur, inventumque est ut desiderium eis coitus quadam castratione extrahatur; putant enim fieri validiores si a coitibus arceantur.

Cap. XXI. *De dromedaria.*

Dromedarius genus est camelorum, minoris quidem staturæ, sed velocioris, unde et nomen habet, Nam dromos [δρόμος] Græce, cursus et velocitas appellatur, centum enim milliaria et amplius una die peragere solet. Quod animal, sicut ovis, bos, et camelus, ruminat. Ruminatio autem dicta est a rumine eminente gutturis parte, per quam viam missus cibus a multis revocatur animalibus.

Cap. XXII. *De asino et asello.*

Asinus et asellus ab assidendo dictus, quasi assessus ab homine, sed hoc nomen, quod magis equis conveniebat, ideo hoc animal sumpsit, quia priusquam equos homines equitarent, huic insidere cœperunt. Animal quippe tardum est et nulla ratione mandatis renitens; statim ut voluit sibi homo substravit. Asini autem Arcadici dicti sunt, eo quod ab Arcadia primum vecti sunt, magni et alti. Minor autem asinus asellus dictus est, et plus necessarius est, quia et laborem tolerat, et negligentiam omnis educationis propemodum non recusat.

De onagro vide lib. II, *cap.* 11.

Cap. XXIII. *De equo, et ejus natura.*

Dicti equi detracta prima littera, id est *a* quæ est in *æquus, æqua, æquum*, ab æqualitate, eo quod quando bigis aut quadrigis jungebantur, pares statura, viribus et cursu copulabantur. Caballus autem a cavando dictus, eo quod gradiens ungula impressa terram cavet, quod reliqua animalia non habent. Inde dictus est sonipes, quod sonat pedibus. Vivacitas equorum et industria multa. Exsultant enim in campis, odorantur bellum, excitantur sono tubæ ad prælium. Voce accensi ad cursum provocantur. Dolent cum victi fuerint, exsultant cum vicerint. Quidam equi hostes in bello sentiunt, adeo ut adversarios morsu petant. Alii etiam proprios dominos recognoscunt, obliti mansuetudinis, si domini mutentur. Aliqui præter dominum, nullum dorso recipiunt. Unde exemplum dabimus Alexandri Magni, cujus equus Bucephalus dictus, sive ab aspectus torvitate, sive ab insigni nobilitate, eo quod taurinum caput habebat, seu quod a fronte ejus quædam exstantium corniculorum minæ protuberabant. Cum ab equario suo alio tempore molliter insideretur, accepto regio stratu, neminem unquam præter dominum vehere dignatus est. Documenta ejus in præliis plura sunt, quibus Alexandrum sospitem e crudelissimis certaminibus ope sua extulit. Equus Caii Cæsaris nullum præter Cæsarem dorso recepit. Regem Scytharum singulari certamine interemptum cum ejus victor spoliare vellet, ab ejus equo calcibus morsuque laceratus est. Nicomede rege interfecto equus ejus inedia vitam expulit. Cum prælio Antiochus Galatas subegisset, Centeretri nomine ducis, qui in acie ceciderat, equum insiliit ovaturus; is autem adeo sprevit lupata, ut de industria acerbatus e. turbatus ruina pariter, et se et equitem affligeret. In hujusmodi animalis genere ætas longior maribus. Legimus sane equum ad annos vixisse septuaginta. Notatum etiam advertimus, Opuntem [Opinicem] nomine, equum ad gregariam venerem durasse ad annos quadraginta. Equarum libido exstinguitur jubis tonsis. In quarum partu amoris nascitur veneficium, quod in frontibus præferunt editi filii; fulvo colore, caricis mulo, quod hippomanes nominatur, quod si præraptum statim fuerit, pullo mater nequaquam ubera præbet. Quo equus sanior fuerit, et spei majoris, eo profundius nares mersitat in bibendo. Interfectis vel morientibus dominis lacrymas infuderunt. Dicunt enim equum solum propter hominem lacrymari, et doloris effectum sentire. Unde et in sentiendo equorum et hominum natura permista est. Solent etiam ex equorum mœstitia vel alacritate eventum futurum dimicaturi colligere. In generosis equis, ut aiunt veteres, quatuor exspectantur, forma, pulchritudo, meritum atque color: forma, ut sit validum corpus et solidum, robori conveniens altitudo, latus longum et substrictum, clunes maximi et rotundi, pes nodosus et siccus, cornu concavo consolidatus; pulchritudo, ut sit exiguum caput et siccum, pelle prope ossibus adhærente, aures breves et argutæ, oculi magni, nares patulæ, et erecta cervix, coma densa et cauda, ungularum soliditas, fixa rotunditas; meritum, ut sit animo audax, pedibus alacer, trementibus membris (quod est fortitudinis indicium), quique ex summa quiete facile concitetur, et excitata festinatione non difficile teneatur. Motus autem equi in auribus intelligitur virtus in membris trementibus; color est hic precipue exspectandus, badius, aureus, roseus, myrteus, cervinus, gilvus, glaucus, scutulatus, canus, candidus, albus, guttatus, niger, sequenti autem ordine varius ex nigro badioque distinctus, reliquus autem varius color, ut cinereus deterrimus est. Badium autem sive, ut vulgo dicunt, bajum et bajadum antiqui quasi vadium dicebant, eo quod ejus coloris equi inter cæterea animalia fortius vadant. Ipse est et spadix, quem phœnicatum vocant, et est dictus spadix a colore palmæ, quam Syrii spadicem vocant. Glaucus vero est veluti pictos habens oculos, et quodam splendore perfusos. Gilvus autem medius color est subalbidus, guttatus est albus nigris intervenientibus punctis. Candidus autem et albus invicem sibi differunt. Nam albus cum quodam pallore est; candidus vero est niveus, et majore albore perfusus. Canus dictus est, qui ex candido colore et nigro est. Scutulatus est dictus propter orbes quos habet candidos inter purpureos, varius quod vias habet imparium colorum. Qui autem tantum pedes albos habent, pediei appellatur, qui frontem albam, candidi. Cervinus est quem vulgo griseum dicunt. Onosinus autem dictus, quod sit color ejus communis cum asino, idem est et cinereus. Sunt autem equi de agresti genere orti, quos equos feros dicimus, et proinde ad urbanam dignitatem transire non possunt. Maurus niger est. Mauron enim Græci nigrum

vocant. Mannos vero equus brevior est. Vorhedos vero antiqui dicebant eo quod rhedas veherent, id est ducerent, vel pervias publicas irent, per quas et rhedas ire solitum erat. Equorum tria sunt genera. Unum generosum, prœliis et oneribus aptum. Alterum vulgare atque gregarium, ad vehendum, non ad equitandum aptum. Tertium ex permistione diversi generis ortum, quod etiam bigenum dicitur, quia ex diversis nascitur, ut mulus. Mulus a Græco fictum vocabulum habet, eo scilicet quod jugo pistorum subactus, tardas in gyrum molendo ducat molas. Judæi asserunt quod Ana abnepos Esau equarum greges ab asinis in deserto ipse prius fecerit ascendi, ut jumentorum contra naturam nova animalia nascerentur. Onagros quoque ad hoc admissos esse ad asinas dicunt, et ipsum istiusmodi reperisse concubitum, ut ex his velocissimi asini nascerentur. Industria quippe humana diversum animal in coitus coegit, sicque adulteriна commistione genus aliud reperit: sicut et Jacob contra naturam ovium colorum dissimilitudines procuravit. Nam tales fetus oves illius procreabant, quales virgas arietes desuper ascendentes in aquarum speculo contemplabantur. Denique et hoc ipsum equarum gregibus fieri fertur, ut generosos objiciant equos visibus concipientium, quo eorum similes concipere et creare possint. Nam etiam columbarum dilectores depictas et pulcherrimas columbas ponunt iisdem locis, quibus illæ versantur, quo rapiente visu limites generent. Inde est quod quidam gravidas mulieres jubent nullos intueri turpissimos animalium vultus, ut cynocephalos et simias, ne visibus occurrentes similes fetus pariant. Hanc enim feminarum naturam esse dicunt ut qualem prospexerint, sive mente conceperint in extremo voluptatis æstu dum concipiunt, talem sobolem procreent. Etenim anima in usu venereo formas extrinsecas transmittit, earumque satiata typis, rapit species earum in propriam qualitatem. In animantibus bigena dicuntur, quæ ex diversis nascuntur, ut mulus ex equa et asino, burdo ex equo et asina. Ibridæ ex apris et porcis, tityrus ex ove et hyrco: musimo ex capra et ariete, qui est dux gregis.

CAP. XXIV. *De cato, seu musione.*

Musio seu muscio a plerisque muricepa seu murilegus appellatur, quod muribus infestus sit; hunc vulgus catum a captura vocat. Alii dicunt quod oculis res captat, id est videt. Nam tam acuto cernit, ut fulgore luminis tenebras noctis superet. Catus enim acutus et callidus dicitur.

CAP. XXV. *De mure et sorice*, etc.

Mus pusillum animal est, Græcum illi μῦς nomen est; quidquid vero ex illo trahitur Latinum est. Alii dicunt mures, quod ex humore terræ nascantur. Nam humus terra, et inde mus; his in plenilunio jecur crescit, sicut et quædam maritima augentur, quæ imminente plenilunio augentur, et rursus deficiente luna deficiunt. Sunt qui inter soricem et murem discrimen ponant, ut sorex sit minus illud animal cui cati insidiantur, mures majus quod non recte glis putatur.

De mustela vide lib. II, cap. 18.

CAP. XXVI. *De talpa.*

Talpa bestiola est nigra damnata cæcitate perpetua; est enim in tenebris absque oculis, et semper terram fodit, et humum erigit, et subter frugibus radices comedit, quæ Græco ἀσπάλαξ aspalax vocatur

De formica vide lib. II, cap. 29.

De hericio seu herinaceo, lib. II, cap. 4.

CAP. XXVII. *De avibus in genere.*

Avium unum quidem est nomen, sed diversa sunt genera. Nam sicut specie differunt, ita et naturæ diversitate siquidem aliæ sunt simplices, ut columbæ, aliæ astutæ, ut perdix, aliæ ad manum se subjiciunt, ut accipitres, aliæ reformidant, ut garamantes, aliæ hominum conversatione delectantur, ut hirundo, aliæ in desertis secretam vitam diligunt, ut vultur, aliæ cantus edunt dulcissimos, ut cygnus et merula, aliæ verba et voces hominum imitantur, ut psittacus et pica; sed et aliæ sicut genere, ita et moribus innumerabiles. Nam volucrum quot genera sint, invenire quisquam non potest. Neque enim omnis Indiæ, Æthiopiæ, aut Scythiæ deserta quisquam penetrare potuisset, qui earum genus vel differentias nosset. Aves dictæ eo quod rectas vias non habent, sed per avia quæque discurrunt, alites, quia alia ad alta tendunt, et ad sublimia alarum remigio conscendunt. Volucres a volando. Nam unde volare, inde et ambulare dicimus. Vola enim dicitur media pars pedis sive manus, et in avibus vola media pars alarum quarum motu pennæ agitantur; inde et volucres. Pulli dicuntur omnium avium nati. Sed et animalium quadrupedum nati pulli dicuntur, et homo parvus pullus aut pusio. Recentes igitur nati pulli dicuntur, eo quod polluti sint. Unde et vestis nigra pulla dicta est. Aliæ sunt, in quibus pennæ per ordinem fixæ volandi exhibent usum; vocatæ autem sunt alæ, quod his aves complexus alant, et foveant pullos. Penna a pendendo dicta, inde et pendere. Volucres enim pennarum auxilio moventur, quando aeri se mandant. Pluma quasi piluma. Nam sicut pili in quadrupedum corpore, ita plumæ in avibus. Avium multa nomina a sono vocis constat esse composita, ut sunt grus, corvus, cygnus, bubo, milvus, ulula, cuculus, graculus, et cætera; varietas enim vocis earum docuit qualiter easdem homines nominarent.

De aquila vide lib. I, cap. 56.

De vulture, lib. I, cap. 38.

De gruibus, lib. I, cap. 39.

CAP. XXVIII. *De psittaco.*

Sola India mittit psittacum, colore viridi, torque puniceo, grandi lingua, et cæteris avibus latiore, unde et articulata verba exprimit, ita ut si eum non videas, hominem loqui putes. Ex natura autem salutat, dicens ave, vel χαῖρε. Cætera nomina ex institutione discit, unde illud Martialis :

Hoc per me didici, dicere : Cæsar, ave.

Cujus rostrum tanta duritia est, ut eum e sublimi præcipitatur in saxum, nisu oris sui se excipiat, et quodam quasi fundamento utatur ordinariæ firmitatis. Studet ut loquatur quod homines, et eum adhuc pullus est, et adhuc infra alterum suæ ætatis annum, quæ monstrata sunt, et citius discit et tenacius retinet.

De caladrio vide lib. I, cap. 48.
De ciconiis lib. I, cap. 42.
De holore aut cygno lib. I, cap. 53.
De ibide seu ibi. lib. I, cap. 57.
De essida seu struthione lib. I, cap. 37.
De fulica lib. I, cap. 58.

CAP. XXIX. *De halcyone.*

Halcyon maritima avis est, quæ in littoribus fetus suos edere solet, ita ut in arenis ova sua deponat medio fere hiemis; nam id tempus fovendis habet deputatum fetibus, quando maxime insurgit mare littoribus, quando etiam vehementior fluctus illiditur, tunc repentina placiditate, in gratiam aut naturam hujus avis aura mitescit, et pasitis ovis mare seipsum demittit, omnes cadunt procellæ, mitescunt flatus ventorum, ac placidum ventis stat mare, donec ova foverit halcyon sua. Septem autem dies sunt quibus educit pullos, fetusque absolvit illico, alios quoque septem adjungit dies, quibus enutriat pullos suos, donec incipiant adolescere. Nec mirerie tam exiguum nutrimenti tempus cum absolutio fetuum tum paucorum dierum sit. Tantam autem gratiam dicunt huic avi ministratam esse et indultum divinitus, ut hos quatuordecim dies nautæ præsumptæ serenitatis observent, quos et halcyoneos vocant, quibus nullus tempestatis motus horreacat.

De phœnice vide lib. I, cap. 49.

CAP. XXX. *De cinnamulgo.*

Cinnamulgus et ipsa Arabiæ, avis est, proinde ita vocata, quod in excelsis nemoribus texit nidos ex fructibus cinnami et quia non possunt illuc homines ascendere propter ramorum altitudinem et fragilitatem, eosdem nidos plumbatis appetunt, et sic cinnama illa dejiciunt, et pretiis amplioribus vendunt, eo quod hæc cinnama magis quam alia mercatores probant.

CAP. XXXI. *De herciniis avibus.*

Herciniæ aves dictæ ab Hercinio saltu Germaniæ, ubi nascuntur, quarum pennæ adeo in obscuris micant, ut quamvis nox obtenta densis tenebris sit, ad præsidium itineris dirigendi projectæ interlucant, cursusque viæ pateat indicio plumarum fulgentium.

De epope dictum est in upupa, lib. I, cap. 52.
De pelicano, lib. II, cap. 27.
De noctua seu nycticorace, lib. I, cap. 34.
De syrenis, lib. II, cap. 32.
De perdice, lib. I, cap. 50.

CAP. XXXII. *De pica et pico.*

Picæ quasi poeticæ, eo quod verba cum discrimine vocis exprimant ut homo, per ramos enim arborum pendulæ, importuna garrulitate sonantes, etsi nequeunt linguas in sermone exprimere, sonum tamen humanæ vocis imitantur, de qua congrue quidam (Martial.) ait :

Pica loquax certa dominum te voce saluto.
Si me non videas, esse negabis avem.

Picus a Pico Saturni filio nomen sumpsit, eo quod ipse in auspiciis ea ave uteretur. Nam ferunt hanc autem quiddam habere divinum, iudicio illo quod in quacunque arbore nidificaverit, clavum vel quidquid aliud ei infixum diu hærere non posset quin statim excidat, ubi illa insederit.

De accipitre vide lib. I, cap. 13.

CAP. XXXIII. *De luscinia.*

Luscinia nomen est avis inde sumptum, quia cantu suo significare solet surgentis exortum diei, quasi lucinia, est enim pervigil custos. Cum ova quodam sinu corporis et gremio fovet, insomnem longæ noctis laborem cantilenæ suavitate remittit. Et, ut mihi videtur, hæc summa est ejus intentio, ut possit, non minus dulcioribus modulis quam fomento corporis, fetum animare atque fovere. Hanc vitam videtur ducere mulier viduata, sed pauper et pudica, quæ colum digitis trahens ut parvulis suis victum acquirat, nocturno cantu mœstitiam paupertatis demulcet, et quamvis suavitatem lusciniæ imitari non possit, imitatur tamen eam seduio maternæ pietatis officio.

CAP. XXXIV. *De Vespertilione.*

Vespertilio animal ignobile a vespere nomen sumpsit, est autem volatile, idemque et quadrupes, et dentibus utitur, quod in aliis avibus reperiri non solet; parit sicut quodrupedia, non ova, sed pullos viventes, volitat autem non aliquo volatu pennarum, sed membranæ suæ fulta remigio, quo suspensa veluti pennarum volatu circumfertur atque vegetatur. Habet aliud hoc vile animal, quod sibi invicem adhærent, et quasi specie botrionis ex alto loco pendent, at si se ultimæ quæque laxaverint, omnes resolvuntur, quod fit quodam munere charitatis, quæ difficile in hominibus et tamen aliquatenus in volucribus hujusmodi reperitur.

CAP. XXXV. *De cornice, et corvo iterum.*

Cornix annosa avis apud Latinos Græco nomine *κορώνη* corone appellatur, quam aiunt augures hominum curas significationibus agere insidias viarum monstrare, futura prædicere. Magnum nefas hoc credere est quod Deus cornicibus sua mandet consilia. His inter multa auspicia tribuunt, et pluvias portendere vocibus, unde est illud :

Tunc cornix pluviam vocat improba voce.
(VIRGIL. *Georg.* lib. I, vers 388.)

Discant homines amare filios suos ex usu et pietate corvorum, qui etiam volantes filios comitatu sedulo prosequuntur, ac sollicite timentes, ne forte deficiant, cibum suggerunt, ac plurime temporia spatio nutriendi officia non relinquunt. At vero feminæ nostri temporis cito abiactant etiam illos quos diligunt, et si ditiores sunt lactare fastidiunt, pau-

periores si fuerint, parvulos abjiciunt, et exponunt, et deprehensos abnegant. Ipsæ quoque divites matres, ne per plures patrimonium dividatur, proprios necant in utero fetus, et parricidalibus succis in ipso genitali alvo pignora sui ventris exstinguunt. Prius enim aufertur vita quam tradatur. Quis docuit nisi homo filios abdicare? Quis inter naturæ fraterna consortia fratres impares fecit? Unius divitis filii diversæ sorti cedunt. Alius totius paternæ sortis asscriptionibus jucundatur, alius opulentæ hæreditatis paternæ deplorat augustam atque inopem portionem. Nunquid natura dividit merita filiorum? ex pari tribuit omnibus unde et nascendi et vivendi possint habere substantiam. Ipsa vos, o parentes, docet non discernere patrimonio, quos titulo germanitatis æquavit. Etenim quibus dedistis communiter esse quod nati sunt, eis non debetis invidere, quin communiter sortem eamdem inter se sortiantur, et habeant.

De columba vide lib. I, *cap.* 1, 2, 3.
De turture, lib. I, *cap.* 20, 23, 24 *et* 25.
De hirundine, lib. II, *cap.* 41.
De coturnice seu qualea, lib. I, *cap.* 51.
De pavone, lib. I, *cap.* 55.
De upupa, lib. I, *cap.* 52.
De gallo, lib. I, *cap.* 56.

Cap. XXXVI. *De anate.*

Anas ab assiduitate natandi aptum nomen accepit. Ex quo genere quædam dicuntur Germaniæ, eo quod plus cæteris nutriant. Anates ponticæ veneno victitant, ideoque cibo humano aptæ non sunt. Putatur etiam anas anseri dedisse nomen, quod et ipsa cum in terris vivat assiduo natet, sed de ansere alibi diximus.

Cap. XXXVII. *De ovis et ex eis natis.*

Omnium genera volucrum bis nascuntur. Primum enim ova gignuntur et pariuntur, inde calore corporis materni formantur et animantur. Ova autem dicta ab eo quod sint uvida. Unde et uva, ab eo quod intrinsecus sit plena humore. Nam humidum est quod extrinsecus humorem habet, uvidum quod interius. Quidam autem putant ova Græcam habere originem nominis, illi enim dicunt ὤ, et in singulari ὠόν, oon, ν littera ablata. Ova autem quædam inani vento concipiuntur, sed non sunt generativa nisi quæ fuerint concubitu masculino concepta et seminali spiritu penetrata. Quorum vim tantam dicunt ut lignum perfusum eis non ardeat, ac ne vestis quidem contracta aduratur, admista quoque calce glutinare fertur vitri fragmenta.

Cap. XXXVIII. *De apibus.*

Apes dictæ vel quod pedibus se alligant, vel pro eo quod sine pedibus nascuntur. Nam postea et pedes et pennas accipiunt. Hæ solertes in generandi mellis officio assignatas incolunt sedes, domicilia inenarrabili arte componunt, et ex variis floribus favum condunt, textisque ceris innumera prole castra replent, exercitum et reges habent, prælia movent, fumum fugiunt, tumultu exasperantur. Has plerique experti sunt de boum cadaveribus nasci; nam pro his creandis, vitulorum occisorum carnes verberantur, ut ex putrefacto cruore, vermes creentur, qui postea efficiuntur apes. Proprie tamen apes ortæ dicuntur de bobus, sicut crabrones de equis, fuci de mulis, vespæ de asinis. Castro [Castoras] Græci appellant, qui in extremis favorum partibus majores creantur, quos aliqui reges putant dici, eo quod castra ducunt. Solæ apes in omni genere animantium commune in omnibus sobolem habent, unam omnes incolunt mansionem, unius patriæ clauduntur limine domus, communis est omnibus, labor, cibus, operatio, usus, fructus et volatus. Quid plura? cum communis sit omnibus generatio, integritas quoque corporis virginalis omnibus est communis, et partus: quoniam nec inter se ullo concubitu miscentur, nec libidine solvuntur, nec partus quatiuntur doloribus, sed subito maximum filiorum examen emittunt, et foliis atque herbis ore suo legentes prolem sibi procreant. Ipsæ sibi regem faciunt et ordinant. Ipsæ populos creant. Et licet positæ sub rege sint, sunt tamen liberæ. Nam et prærogativam judicis tenent, et fide devotionis affectum, quia regem tanquam a se substitutum diligunt, et toto honorant examine. Rex autem non sorte ducitur, quia in sorte eventus est, non judicium, et sæpe irrationabili casu sortis melioribus deterior præfertur. Apibus autem rex, naturæ claris formatur insignibus, ut magnitudine corporis et specie, quodque in rege præcipuum est, morum mansuetudine. Nam etsi habet aculeum, non tamen utitur eo ad vindicandum; sunt enim legis naturæ non scriptæ litteris, sed impressæ moribus, ut leniores sint ad puniendum qui potestate potiuntur majori. Sed et apes quæ non optemperaverunt legibus regis, pœnitentiæ condemnatione se multant, ita ut immoriantur aculei sui vulnere. Quod Persarum populi in se dicuntur observare, ut pro commissi pretio seu magnitudine ipsi in se propriæ mortis exsequantur sententiam. Itaque nulli regem, nec Persæ qui gravissimas habent in subditos leges, nec Indi, nec Judæi, nec Sauromatæ tanta, quanta apes reverentia devotionis observant, ut nullæ e domibus exire audeant, nec in aliquos procedere pastus, nisi rex prius egressus fuerit, et volatus sibi vindicaverit principatum. Processus autem est per rura redolentia ubi inhalantes floribus horti, ubi fugiens rivus per gramina redolentia, ubi amœna riparum. Illic ludus alacris juventutis, illic campestre exercitium, illic curarum remissio, opus ipsum suave de floribus et dulcibus herbis, fundamenta castrorum prima ponuntur. Quid enim aliud est favus nisi castrorum quædam species? Denique ab his præsepibus apum fucus arcetur. Quæ castra quadrata tantum possunt habere artis et gratiæ, quantum habent crates favorum? in quibus minutæ atque rotundæ cellulæ conjunctione sui invicem fulciuntur. Quis architectus eas docuit hexagona illa cellularum in discreta laterum æqualitate compo-

nere, se teneras inter domorum septa ceras suspendere, stipare mella, et intexta floribus horrea nectaro quodam distendere? Cerneres omnes certare de munere, alias invigilare quærendo victuo, alias sollicitam castris exhibere custodiam, alias futuros explorare imbres, et speculari concursus imbrium, alias de floribus fingere ceras, alias de floribus internum rorem colligere, nullam tamen alienis insidiari laboribus, aut raptu vitam quærere, atque utinam raptorum insidias non timerent. Habent tamen venena sua, et inter mella fundunt venenum, si fuerint lacessitæ, animas quoque in vulnere ponunt ardore viodictæ. Ergo mediis castrorum vallibus humor ille recens infunditur, paulatimque et processu temporis in mella cogitur, cum fuerit liquidus ab exordio, et coalitu ceræ florumque odore flagrare mellis suavitatem incipit Merito quasi bonam operariam Scriptura sic apem ut formicam prædicat, dicens : *Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam* (*Prov.* vi). Quasi dicat : Vide quam diligenter et provide operata est, et ejus imitare operationem. Operationem namque venerabilem meditatur apes, cujus laborem et reges et mediocres ad salutem sumunt. Appetibilis enim est sanctificatio omnibus et chara. Audis quid dicat propheta. Mittit itaque te ut apiculæ illius sequaris exemplum, imiteris operationem. Vide quam laboriosa sit, et quam grata. *Brevis in volatilibus apis, et initium dulcoris habet fructus illius* (*Eccl.* xi). Fructus itaque ejus ab omnibus desideratur et quæritur, nec pro personarum diversitate discernitur, sed indiscreta sui gratia regibus pariter ac mediocribus æquali suavitate dulcescit. Nec solum voluptati, sed etiam saluti est. Fauces enim obdulcat, et curat vulnera. Interius quoque medicamentum infundit ulceribus. Itaque cum sit infirma robore apis, valida tamen est vigore sapientiæ, et amore virtutis. Denique apes regem suum summa protectione defendunt et perire pro eo pulchrum putant. Rege incolumi mens omnibus una, amisso rupere fidem. Incolumi enim rege nesciunt mutare judicium, mentem alio inflectere. Amisso rege fidem servandi muneris derelinquunt, atque ipsæ sua mella diripiunt, quod is, qui hujus muneris habuit principatum, interemptus est. Itaque cum volucres aliæ semel tantum quotannis edant fetus, apes bis aut ter nova producunt agmina, et ideo miranda animantibus cæteris fecunditate præponderant.

CAP. XXXIX. *De arbore quadam in India.*

Pendens est arbor in India. Est autem hujus arboris fructus dulcis totus, et valde suavis. Columbæ autem delectantur in fructibus hujus arboris, habitantque in ea pascentes fructus ejus. Draco autem est inimicus columbis, timetque arborem et umbram ejus ubi colombæ morantur, et non potest appropinquare arbori, neque umbræ ejus. Si enim umbra arboris ad occidentem venerit fugit ipso ad orientem, et e converso. Si autem evenerit ut columba inveniatur extra arborem vel umbram ejus, occidit eam draco. Arborem hanc Deum Patrem intellige, umbram Filium ejus, sicut Gabriel dicit ad Mariam : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* i). Fructum cœlestem sapientiam Domini, scilicet Spiritum sanctum. Vide ergo, o homo, ne postquam acceperis Spiritum sanctum, id est spiritualem columbam, et intelligibilem et manentem super te, foris fias ab æternitate, alienus a Patre et Filio et Spiritu sancto, ne draco te interimat, id est diabolus. Nam si in habes Spiritum sanctum, non potest tibi appropinquare draco. Attende ergo, o homo, et permane in fide catholica. Cave quantum potes ne extra domum inveniaris et comprehendat te ille draco serpens antiquus foris, et devoret te sicut Judam, qui mox ut exiit a domo foras, et a fratribus apostolis statim a dæmone est devoratus, et periit.

CAP. XL. *De serpentum generibus.*

Anguis omnium serpentum est genus, quod complicari et contorqueri potest, et inde anguis, quod angulosus sit et nunquam rectus. Coluber ab eo dictus, quod colat umbras, vel quod in lubricos tractus flexibus sinuosis trahatur vel labatur. Nam lubricum dicitur quidquid labitur dum tenetur, ut anguilla, serpens. Serpens autem nomen accepit, quia occultis accessibus serpit non apertis passibus, sed squamarum minutissimis nisibus repit. Illa autem quæ quatuor aut pluribus pedibus nituntur, sicut lacertæ et stelliones, non serpentes, sed reptilia sunt, quia ventre et pectore reptant, quorum tot venena quot genera, tot pernicies quot species, tot dolores, quot colores habentur.

De dracone dictum est lib. ii, *cap.* 24.

CAP. XLI. *De basilisco et sibilo.*

Basiliscus βασιλίσκος Græce, Latine interpretatur *regulus*, eo quod sit rex serpentum, ita ut eum videntes fugiant, quia olfacto suo eos necat. Nam et hominem si aspiciat, interimit. Siquidem ab ejus aspectu nulla avis volans illæsa transit. Sed quamvis sit procul, ore ejus combusta devoratur. A mustelis tamen vincitur, quas inferunt homines cavernis, in quibus delitescunt. Itaque ea visa fugit, quem illa persequitur et occidit. Nihil enim illi parens rerum sine remedio constituit. Est autem longitudine semipedalis, albis maculis lineatus. Reguli autem sicut scorpiones arentia quæque sectantur, et postquam ad aquas venerint ibique aliquem momorderint, hydrophobas et lymphaticos faciunt. Sibilus idem est et regulus. Sibilo enim occidit antequam mordeat vel exurat.

De vipera vide lib. ii, *cap.* 21.

De aspide, lib. ii, *cap.* 30

CAP. XLII. *De cerasta.*

Cerastes ita dicitur, quia in capite cornua prætendit arietum similia; κέρατα enim, id est cerata Græce cornua vocantur. Sunt autem illi quadrigemina corniculа, quorum ostentatione veluti esca sollicitata animalia perimit; totum enim corpus tegit arenis, nec ullum indicium sui præbet, nisi ex ea

parte qua invitatas aves vel animalia capit; est autem flexuosus plusquam alii serpentes. ita ut spinam habere non videatur.

CAP. XLIII. *De scitale ex Plinio et Solino.*

Scitalis serpens ita vocatur, quod tanta præfulget tergi varietate, ut notarum gratia se aspicientes retardet, et quia reptando pigrior est; quos assequi non valet, miraculo sui stupentes capit. Est autem tanti fervoris, ut etiam hiemis tempore exuvias corporis ferventes deponat, de quo Lucanus:

Et scitalis sparsis etiam nunc sola pruinis,
Exuvias positura suas.

CAP. XLIV. *De amphysibœna.*

Amphisibæna dicta eo quod duo capita habeat, unum in loco suo, alterum in cauda, currens ex utroque capite, tractu corporis circulato. Hæc sola serpentium frigori se committit, prima omnium præcedens, de qua idem Lucanus:

Et gravis in geminum vergens caput amphisibœna.
Cujus oculi lucent veluti lucernæ.

De hydro et hydra vide lib. II, *cap.* 7.

CAP. XLV. *De boa serpente iterum.*

Boas anguis Italiæ immensa mole, persequitur greges armentorum, et bubalos, et plurimo lacte irriguis uberibus se innectit, et sugens interimit, atque inde a boum depopulatione nomen boas accepit.

CAP. XLVI. *De jaculo.*

Jaculus serpens volans, de quo Lucanus:

. . . . *Jaculique volantes.*

Exsiliunt enim arboribus ubi insidias ponunt, et dum aliquod animal obvium fuerit, jactant se super ipsum, et perimunt; unde et jaculi dicti sunt.

CAP. XLVII. *De sirenis serpentibus.*

In Arabia autem sunt serpentes que Sirenæ vocantur cum alis, quæ plus currunt equis, sed etiam volare dicuntur, quorum virus tantum est, ut morsum ante mors insequatur quam dolor.

CAP. XLVIII. *De sepe serpente.*

Seps exiguus serpens, qui non solum corpus, sed etiam ossa veneno consumit, cujus poeta sic meminit:

Ossaque dissolvens cum corpore tabeficus seps.

CAP. XLIX. *dypsade serpente.*

Dipsas serpens tantæ exiguitatis fertur, ut cum calcatur, non videatur; cujus venenum ante exstinguit quam sentiatur, ita ut facies præventa morte, nec tristitiam morituro inducat, de quo poeta:

Signiferum juvenem tyrrheni sanguinis aulum [*almum*]
Torta caput retro dypsas calcata momordit.
Vix dolor aut sensus dentis fuit, etc

CAP. L. *De lacerto iterum, et batracha.*

Lacertus reptile genus est, vocatus ita quod brachia habeat. Genera lacertorum plura, ut batracha, salamandra, saura, stellio. Batracha sic dicitur, quod A ranæ faciem habeat; nam Græci ranam batrachon βάτραχον appellant.

De salamandra vide lib. II, *cap.* 16.

CAP. LI. *De saura.*

Saura lacerti species, quæ quando senescit, cæcantur oculi ejus, et intrat foramen parietis, aspiciens contra orientem, et orto sole intendit, et illuminatur.

CAP. LII. *De stellione iterum, et aliis serpentibus.*

Stellio de colore nitido nomen accepit, est enim tergo pictus lucentibus guttis in modum stellarum, de quo Ovidius:

Aptumque colori.
Nomen habet variis stellatus corpore guttis.

B Hic autem scorpionibus adeo contrarius est quod, ut traditur, eo viso pavorem eis incutiat, et torporem afferat. Sunt et alia genera serpentum, ut admordicæ, elephantiæ, chamedracontes, et multa alia; omnia autem homini exitiosa, ut quantus nominum, tantus mortium sit numerus. Omnes autem serpentes natura sua frigidi sunt, nec percutiunt nisi quando calescunt. Nam quando sunt frigidi, nullum tangunt. Unde et venena eorum plus die quam nocte nocent, torpent enim noctis algore, et merito, quia frigidi sunt nocturno rore. In se enim adducunt vaporem torporis gelidæ pestis et natura frigidæ. Unde et hieme in nodos torquentur, æstate solvuntur. Inde est quod quicunque veneno serpentis percutitur, primum obstupescit, et postea ubi in illo calefactum C ipsum virus exarserit, statim hominem exstinguit. Venenum autem dictum quia per venas vadit. Infusa enim pestis ejus per venas, vegetatione corporis destructa, discurrit, et animam exstinguit. Unde non potest venenum nocere nisi hominis tetigerit sanguinem. Unde Lucanus:

Noxia serpentum est admisto sanguine pestis.

Omne autem venenum est frigidum, et ideo anima quæ ignea est, fugit venenum frigidum.

CAP. LIII. *De serpentum varia natura.*

In naturalibus bonis, quæ nobis et irrationabilibus animantibus videmus esse communia, vivacitate quadam sensus serpens excellit. Unde et legitur in Gen. *Serpens* autem *erat callidior cunctis animantibus terræ* (*Genes.* III). Serpens autem tres habet D naturas. Prima est hæc cum senuerit, caligant ejus oculi, et si voluerit novus fieri, abstinet a cibo, et jejunat multis diebus, donec pellis ejus laxetur, et tunc quærit angustam rimam in petra, et intrat in eam, et confricat ac constringit se, et deponit veterem pellem. Sic et nos per multam angustiam corporis et abstinentiam pro Christo, deponamus veterem hominem, et indumentum ejus, et quæramus spiritualem petram Christum, et angustam fissuram id est portam. Secunda natura ejus est quod cum venit ad flumen bibere aquam, non portat secum venenum, sed dimittit illud in fovea. Debemus itaque et nos dum in collectam venimus aquam vivam atque sempiternam haurientes, id est divinum sermonem in Ecclesia, abjicere a nobis venenum, id est terre-

nas et malas concupiscentias. Tertia natura ejus est, quod si viderit hominem nudum, timet eum, et si viderit eum vestitum, insilit in eum. Sic et nos spiritualiter intelligamus, quod primus Adam in paradiso quandiu fuit nudus, non prævaluit serpens in eum. Sed postquam tunica est indutus, id est mortalitate corporis, vel consensu per quem secuta est mors nostra et ipsius, tunc exsiliit in eum serpens. Si ergo, o homo, habes in te mortalem vestem, id est veterem hominem, et inveteratus es dierum malorum, exsiliet in te serpens. Si autem exspolies te indumento principum, et principatuum hujus sæculi et tenebrarum, tunc non poterit exsilire in te serpens, id est diabolus. Serpens quoque pastu feniculi cæcitatem acceptam expellit. Itaque ubi obduci oculos senserit, nota remedia quærit, nec fraudatur effectu. Jejuni hominis sputum si serpens gustaverit, moritur. Dicit autem Plinius: « Creditur quod si caput serpentis evaserit enim duobus digitis, nihilominus vivit. Unde et totum corpus objicit pro capite ferientibus. »

Anguibus universis hebes visus est, et raro in adversum contuentur. Habent enim oculos non in fronte, sed in temporibus, ita ut citius audiant quam aspiciant. Nullum autem animal in tanta celeritate linguam movet, adeo ut triplicem linguam videatur habere, eum non sit nisi una. Testudo etiam visceribus pasta serpentis, eum venenum advertit sibi sarpere, origano medicina suæ salutis se exercet. Serpentum autem omnium humida sunt corpora, adeo ut quaecunque eant viam humore designent. Vestigia serpentum sunt talia ut eum pedibus carere videantur, costis tamen et squammarum nisibus repunt, quas a summo gutture usque ad imam alvum parili modo dispositas habent. Squammis enim quasi unguibus, costis quasi cruribus innituntur. Unde si in qualibet corporis parte ab alvo usque ad caput aliquo ictu collidatur, debilis reddita cursum habere non potest, quia ubicunque ictus ille cecciderit, solvit spinam per quam costarum pedes ac motus corporis agebantur. Serpentes autem diu dicuntur vivere, adeo ut deposita vetere tunica, senectutem deponere, atque in juventutem redire perhibeantur. Tunicæ serpentum exuviæ nuncupantur, eo quod illis quando senescunt, sese exuunt. Dicuntur autem exuviæ et induviæ quia exuuntur et induuntur. Pythagoras dicit de medulla hominis mortui quæ in spina est, serpentem creari; quod etiam Ovidius in *Metamorphoseon libris* commemorat, dicens:

Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulcro :
Mutari credunt humanas angue medullas.

Quod si creditur, merito evenit ut sicut per serpentem mors hominis, ita ex hominis morte vita serpentis sequatur.

CAP. LIV. *De vermibus.*

Vermis est animal, quod plerumque de carne, vel de ligno, vel de quacunque re terrena sine ullo concubitu gignitur, licet nonnunquam et de ovis nascantur, sicut scorpius. Sunt autem vermes aut terræ, aut aquæ, aut aeris, aut carnium, aut frondium, aut lignorum, aut vestimentorum.

Aranea vermis est aeris, ab aeris nutrimento cognominata, quæ exiguo corpore longa fila deducit, et telæ semper intenta nunquam desinit laborare, perpetuum sustinens in suo labore dispendium.

Multipes vermis est terrenus a pedum multitudine dictus, qui contra ictum contractus in globum complicatur.

Sanguisuga vermis est aquatilis, dicta sic, quia sanguinem sugit; potantibus enim insidiatur. Cumque illabitur faucibus, vel ubi aspiam adhæserit, sanguinem haurit, et cum nimio cruore madnerit, evomit quod hauserat, ut recentiorem denuo sugat.

Scorpius vermis est terrenus, qui potius vermibus ascribitur quam serpentibus; animal armatum aculeo, et ex eo Græce nepes vocatum, quod caudam figat, et armato vulnere venena diffundat. Proprium est autem scorpii, quod manus palmam non feriat.

Bombyx frondium vermis, ex cujus textura bombycinum fit. Appellatur autem hoc nomine ab eo quod evacuetur, dum fila generat, et aer solus in eo remaneat.

Eruca frondium vermis, oleribus vel pampino involuta, ab erodendo dicta, de qua meminit Plautus Eruca nequam bestiam et maleficam involutam in pampino imitatus, impliceat se eadem, nec advolat, ut locusta, ut huc illucque discurrens, semipasta dimittat, sed permanet perituris frugibus et tardo lapsu pigrisque morsibus universa consumit.

Teredones lignorum appellant, quidam eo vermes quod terendo edant, vel quod terebant, τέρετρον teretron Græce, Latine terebrum dicitur. Græcis autem δὴξ dex dicitur, et δῆξις dexis morsus, hos Latine termites dicimus, ita enim apud nos ligni vermes vocantur, quos tempore importuno de se arbores gignunt.

Tinea vermis vestimentorum dicitur, eo quod pertineat et eousque insideat donec erodat. Unde et pertinax dicitur, quod in eamdem rem identidem urgeat.

Vermes carnium sunt hipseratos, lumbricus, pediculi, pulices, lendes, tarmus, ricynus, usia, cimex.

Hipseratos vermis capitis vocatur.

Lumbricus vermis est intestinorum, dictus quasi lubricus, quia labitur, vel quod in lumbis sit.

Pediculi vermes cutis, a pedibus dicti, unde et pediculosi dicuntur, quibus pediculi in corpore effervescunt.

Pulices vero vocati sunt, quod ex pulvere nutriantur.

Tarmus vermis est lardi.

Ricynus vermis est canis, ita vocatus quod in auribus canum adhæreat. Cynos [κύων] enim Græce canis est.

Ustula vermis est porci, appellata quod urit, nam ubi momorderit, adeo urit ut statim vesicæ ibi fiant.

Cimex vermis fetidus in parietibus et lecticis nascens, ob similitudinem cimæ herbæ, cujus fetorem habet, vocatur. Proprie autem vermis in carne putrida nascitur, tinea in vestimentis, eruca in olere, teredo in ligno, tarmus in lardo. Vermis non ut serpens apertis passibus, vel squammarum nisibus repit, quia non est illi spinæ rigor ut colubri, sed in directum corpusculi sui partes gradatim porrigendo contractas et contrahendo porrectas, motus explicat, sicque agitatus perlabitur.

Cap. LV. *De piscium diversorum naturis.*

Pisces dicti, unde et pecus, a pascendo scilicet. Reptilia, ideo dicuntur hæc quæ natant, eo quod reptandi habent speciem et naturam, quamvis se in profundum mergant, tamen in natando repunt. Unde et David ait: *Hoc mare magnum et spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus* (*Psal.* CIII).

Amphibia sunt quædam genera piscium dicta, quod in terra et in aquis viventia, ambulandi in terra usum, et natandi in aquis officium habeant. Amphi [ἀμφὶ] enim Græce, utrumque dicitur Latine, id est quæ in terris et aquis vivunt, ut phocæ, crocodili, hippopotami, id est equi fluctuales.

De aspido chelone dictum est *libro* II, *cap.* 36.

Balenæ autem sunt immensæ magnitudinis bestiæ ab emittendo et fundendo aquas dictæ. Cæteris enim bestiis maris magis vomit undas. Βάλλειν enim Græce emittere et jaculari dicitur. Masculus balenæ est musculus, ejus enim coitu concipere hæc bellua dicitur. Est etiam bellua in mari, quæ dicitur serra, de qua *lib.* II, *cap.* 22.

Delphines certum habent nomen vel vocabulum, quod sonos hominum sequantur, vel quod ad symphoniam gregatim conveniant. Nihil est in mari velocius istis. Nam plerumque naves salientes transvolant. Quando autem præludunt in fluctibus, et undarum se motibus præcipiti saltu ferunt, tempestates significare videntur. Hi proprie simones nominantur. Est et delphinum genus in Nilo flumine dorso serrato, qui crocodilos tenera ventrium desecantes interimunt.

Porci marini, qui vulgo vocantur suilli, quia, dum escam quærunt, more suis terram sub aquis fodiunt. Circa guttur enim habent oris officium, et nisi rostrum arenis immergant, pastum non colligunt.

Gladius dicitur ob hoc, quod rostro mucronato sit, propter quod naves perfossas mergit.

Serra nuncupata, quod serratam habeat cristam, et subternatans naves secat.

Scorpius dictus, quia lædit cum manu tollitur. Tradunt enim quidam decem cancris cum ozymi manipulo adalligatis, omnes qui ibi sunt scorpios ad eum locum congregari.

Crocodilus, a croceo colore dictus, gignitur in Nilo flumine, animal quadrupes, in terra et in aquis vivens, longitudine plerunque viginti cubitorum, dentium et unguium immanitate armatum, tantaque cutis duritia ut si fortium ictu lapidum tergo percutiatur, illi non noceat. Nocte in aquis, die in humo quiescit, ova in terra fovet, masculus et femina incubandi vices servant. Hunc serra ventrem desecans interimit.

Lupum aviditas appellavit piscem ingeniosum in captura. Denique circumdatus reti fertur arenas arare cauda, atque ita absconditus transire rete.

Mullus vocatus eo quod sit mollis atque tener, cujus cibo tradunt libidinem inhiberi, oculorum aciem hebetari. Homines vero, qui his sæpe pasti sunt, piscem olent. Mullus in vino necatus, iis qui inde biberint, aut ipsum comederint, tædium vini generat.

Mugilis nomen habet, quod sit multum agilis; nam, ut dispositas senserit piscatorum insidias, confestim retrorsum rediens ita transilit rete, ut volare piscem credas.

Innumera igitur genera piscium, et innumeri usus eorum. Alii ova generant, ut varii majores, quos vocant tructas, et aquis fovenda committunt; aqua vero generat et creat, ut adhuc mandati illius legis perpetuæ munus exsequitur, tanquam blanda mater animantium.

Alii vivos fetus edunt de suo corpore, ut cete ingentia, delphines et phocæ, aliaque cætera hujusmodi, quæ cum edunt partus, si quid insidiarum forte, terrorisque præsenserint circa catulos suos unquam moliri, quo tueantur eos, vel teneræ ætatis materno affectu pavorem comprimant, aperire ora exteriora, et partus suos dentibus suspendere, internoque recipere corpore, et genitali feruntur alvo abscondere. Quis humanus affectus hanc pietatem piscium possit imitari? Oscula eorum nobis satietati sunt, illis non satis est aperire viscera, natosque recipere, et revocare integros, atque iterum fetus suo calore animare, et spiritu adolere suo, duosque in corpus unum immittere, donec aut ad securitatem deferant, aut corporis sui objectu natos suos defendant a periculis. Quis hæc videns non tantæ pietati piscium cedat? quis non miretur et stupeat ut servet natura in piscibus quod non servat in hominibus? Pleræque suspicione novercalis odii appositæ suos occiderunt filios; aliæ in fame, ut legimus, partus proprios comederunt, et humanis pignoribus mater sepulcrum facta est. Piscium autem proli uterus parentis sicut murus, vallo quodam maternorum viscerum pignora inoffensa conservat. Diversa igitur piscium genera diversos usus habent. Alii ova generant; alii vivos et formatos generant fetus, et qui ova generant, non nidos texunt ut aves, non per diuturnum fetus laborem induunt, non cum molestia sui nutriunt. Decidit ovum, quod aqua quodam gremin suæ naturæ quasi nutrix blanda suscipit, et animal celeri fotu reddit. Continuo enim tactu parentis animatum ovum quod decidit, et piscis exit.

Deinde quam pura et inviolata successio, ut nullus alteri, sed generi suo misceretur; nescinnt enim

alienorum piscium adulterina contagia, sicut ea animalia, quæ coeunt, ut equorum et asinorum, quæ inter se diversa genera magna hominum cura perpetrant, vel rursus eum equi et asinæ insimul miscentur, quæ sunt vere adulteria naturæ. Nam utique majus est flagitium quod in naturæ colluvione committitur, quam quod in personæ injuria. Et tu, o homo, ista procuras, interpres adulterii jumentalis? Et illud animal cæteris pretiosus putas, quod est adulterinum, quam quod naturæ lege inventum est. Ipse genera aliena confundis, diversaque misces animalia, et ad vetitos coitus plerumque cogis invita, et hoc industriam vocas, quia hoc de hominibus facere non potes, ut diversa generis commistio fetum possit excludere. Tollis tamen homini quod natus est, et virum de viro exuis, abscissaque corporis parte sexum necas, spadonem efficis, ut quod natura negavit, hominum impleat audacia. Quam bona autem mater sit aqua, hinc considera. Tu homo, docuisti abdicationes patrum in filios, separationes, odia et offensas; disce quæ sit parentis vicissitudo. Vivere pisces sine aqua nequeunt, nec a suæ parentis consortio separari, nec a suæ alterius [altricis] munere discerni, et fit hoc natura quadam ut separati moriantur illico.

Quid autem de densitate dentium dicam? Non enim ut oves et boves ex una duntaxat parte dentes habent, sed utraque pars armata est dentibus; quia enim in aqua sunt, et si diutius cibum versarent, et non cito transmitterent, aquarum colluvione eorum esca de dentibus posset auferri, et dilui, ideo densos et acutos habent dentes, ut cito incidant atque consumant cibum, et sine mora et dilatione transmittant. Denique non ruminant; solus tamen scarus ruminare perhibetur ab iis, quibus aut eventus, aut usus fuit, aut studium talia comprehendere.

Sane nec ipsi pisces potentiorum evasere violentiam, nam avaritiæ potentiorum subjecti ubique inferiores sunt; quo enim quisque infirmior, eo citius raptorum prædæ patet. Et plerique quidem herbis pascuntur, ac minutis vermibus. Sunt autem qui invicem se devorant, ut a sua carne pascantur. Minor apud illos cibus majoris est, et rursus ipse major a validiore invaditur, et prædator alieni fit esca alterius. Itaque usu venit ut, cum ipse alium devoraverit, ab altero devoretur, et in unum ventrem uterque conveniat cum devoratore proprio devoratus, sicque simul in uno viscere prædæ vindictæque consortium. Et ipsius sponte forte assentiens invidia est, sicut et nobis. Non enim ex natura cœpit, sed ex avaritia, aut quia ad usus hominum dati sunt in signum, ut in his nostrorum morum vitia videremus, et eorum caveremus exempla ne quis peccator inferiorem invaderet, daturus in se potentiori exemplum injuriæ. Itaque qui alium lædit, sibi laqueum parat in quem ipse incidat. Et tu piscis es, qui viscera invadis aliena, qui demergis infirmum, qui esdentem persequeris usque in profundum. Cave ne, dum illum persequeris, incidas ipse in validiorem, et deducat te in alienas insidias, qui tuas vitat, priusquam tuam exspectat ærumnam, qui te persequente ipsam reformidabat.

Scarus quidam piscis dictus, eo quod solus escam ruminare perhibetur, si quidem alii pisces non ruminant. Tradunt autem hunc ingeniosum esse; namque inclusum nassis, non illico prima fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inserere, sed crebris, aut dentium, aut caudæ laxare fores ictibus atque ita retrorsum redire, quem luctatum ipsius si forte alius scarus videat, apprehensa mordicus cauda adjuvat nisus erumpentis.

Echineis parvus et semipedalis pisciculus nomen habet quod navem adhærendo teneat, et remoretur, a verbo ἔχω *echo*, quod est *habeo*, aut ἔχομαι *echomæ*, quod est *hæreo*, et nomine ναῦς *nays*, quod est *navis*. Nam licet ruant venti, sæviantque procellæ, navis tamen quasi radicata in mari stare videtur, nec retinendo hoc facit, sed quasi terræ adhærendo. Hunc Latini remoram appellant, quod cogat stare navigia.

Anguillæ similitudo anguis nomen dedit. Origo ejus ex limo et rore cœlesti. Unde et quando capitur, ita lubrica est ut quanto fortius premitur manu nuda, tanto citius elabatur. Ferunt autem Orientis fluvium Gangem anguillas trigenum pedum gignere. Anguillæ vino necatæ, qui vinum biberint, tædium vini habent.

Murænam Græci μύραιναν myrænam vocant, eo quod complicet se in circulos. Hanc feminini sexus tantum esse tradunt, et concipere a serpente; ob id a piscatoribus tanquam sibilo serpentis evocatur, et capitur; ictu autem fustis difficulter interimitur; ferula protinus. Habere animam in cauda certum est; nam capite percusso vix eam interimi dicunt, cauda statim exanimari.

Polypus, id est multipes, plurimos enim pedes habet; iste ingeniosus hamum appetit; et brachiis complexum, non morsu, non prius dimittit quam escam circumroserit.

Torpedo vocata, eo quod corpus torpescere faciat; si eam quisquam viventem tangat, etiam procul, et a longinquo, vel si hasta, vel virga tangatur, quamvis pervalidos lacertos habeat, torpescere faciat quemlibet, et pedes robustissimi viri ad cursum ligabit. Tanta est enim vis ejus ut etiam aura corporis sui afficiat membra.

Cancer, animal gradiens in transversum, has sibi gratia præstigias struit; nam et ipse ostreo delectatur, et carnis ejus epulum quærit, sed appetens cibum prospicit et periculum. Hæc enim venatio difficilis est et periculosa. Difficilis est, quia testis validioribus esca interior includitur; nam velut muris quibusdam mollitiem carnis præcepti regalis interpres natura munivit, quam medio testarum quodam sinu concavo nutrit ac fovet, et quasi in quamdam vallem diffundit, et ideo cassa sunt omnia cancri tentamenta, quia aperire clausum ostreum nulla vi

potest. Et periculosa est, si chelam ejus includit. Unde ad argumenta confugit, et insidias nova fraude molitur. Itaque quia omnia animantium genera aliqua delectatione, licet sint diversa, mulcentur, explorat si quando ostreum in locis remotis ab omni vento scilicet contra radios solis receptaculum illud aperiat, et suarum reseret claustra testarum, ut libero aere visceris sui voluptatem quamdam capiat, et tunc cancer clanculo calculum, id est lapillum immittens impedit conclusionem ostrei, et sic chelas apertum immittens interna ostrei viscera depascitur. Sic etiam homines vitiosi, cancri more in alienæ rei usum fraude circumscriptionis irrepunt, et infirmitatem propriæ virtutis astu quodam suffulciunt, fratri dolum nectunt, et alterius pascuntur ærumnis. Tu autem propriis esto contentus, et aliena te damna non pascant. Bonus cibus est simplicitas innocentiæ sua bona habens, insidiari nescit alienis, nec avaritiæ fetibus inardescit, cui lucrum omne iniquum ad virtutem dispendium est, ad cupiditatem incendium, et ideo beata est si bona sua noverit, cum virtus paupertatis omnibus sit præferenda thesauris. Nonne melius est exiguum quid cum Dei timore et amore, quam thesaurus magnus sine ejusdem timore et amore? Melior est enim hospitalitas in oleribus cum gratia, quam vitulorum pinguium cum discordia præparatio. Utamur ergo ingenio ad quærendam gratiam, et salutem tuendam, non ad alienam circumscribendam innocentiam. Licet tamen nobis uti exemplis sumptis a maritimis ad profectum nostræ salutis, non ad alienæ periculum.

Echinus animal exiguum, vile, ac despicabile maritimum; plerumque index futuræ tempestatis, aut tranquillitatis nuntius solet esse navigantibus. Denique cum procellam ventorum senserit, calculum validum arripit, eumque velut saburram vehit, et tanquam anchoram trahit, ne excutiatur fluctibus, itaque non suis se librat viribus, sed alieno stabilit et regit pondere. Quo indicio nautæ velut signum futuræ perturbationis capessunt, et sibi prætiment, ne eos imperitos turbo improvisus inveniat. Quis mathematicus, quis astrologus, quisve Chaldæus potest siderum cursus, cœli motus, et signa sic comprehendere? Quo ingenio ista colligit? Quo doctore percipit? Quis ei fuit tanti interpres augurii? Sæpe homines confusionem aeris vident, et sæpe falluntur, quod plerumque ea sine tempestate discutiatur. Echinus non fallitur. Echinum sua nequaquam signa prætereunt. Unde exiguo animali tanta præscientia ut futura prænuntiet? Quocirca majus in eo nihil est quam tantam habere prudentiam. Crede quod per indulgentiam Dei omnium rerum Domini, hujus præscientiæ accepit munus. Etenim si fenum Deus sic vestit, sic pascit volatilia, si parat corvis escam (pulli enim eorum clamant ad Dominum), et si mulieribus dedit texturæ sapientiam, si araneam quæ tam subtiliter ac docte laxos casses suspendit in foribus, sapientiæ non reliquit immunem; si ipse virtutem equo dedit, et solvit de cervice ejus formidinem ut ex campis occurrens regibus arrideat, odoretur bellum eminus, excitetur sono tubæ, si hæc irrationabilia, et alia insensibilia, ut fenum et lilia replevit suæ dispositione sapientiæ, quid dubitamus quin etiam in echinum contulerit gratiam præscientiæ? Nihil inexploratum, nihil dissimulatum reliquit. Omnia videt, qui pascit omnia, omnia replet sapientia, qui omnia fecit in sapientia, ut scriptum est (*Psal.* CIII), et ideo si echinum dono visitationis suæ non prætermisit, si eum considerat, et futurorum informat indiciis, te non considerat? Imo vero considerat, sicut testatur ejus divina sapientia dicens: *Si respicit volatilia, si pascit illa, nonne vos pluris estis illis? Si fenum quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos minimæ fidei?* (*Matth.* VI.)

Conchæ et cochleæ ex hac causa sunt vocatæ, quod deficiente luna cavantur, omnium enim clausorum animalium maris atque concharum, incremento lunæ membra turgescunt, defectu lunæ evacuantur. Luna enim cum in augmento fuerit, auget humorem, cum vero in defectu fuerit, minuuntur humores. Hoc enim physici dicunt. Concha autem primæ impositionis nomen est, inde per derivationem cochlea quasi conchula. Concharum genera multa sunt, inter quas et margaritiferæ sunt, quæ cocæloæ dicuntur, in quorum carne pretiosus lapillus cui unioni nomen, solidatur; de quibus tradunt ii qui de animantium naturis scripserunt, quod nocturno tempore littora petant, et ex cœlesti rore margaritas concipiant, unde et cocæloæ quasi concipientes e cœlo nominantur.

Murex cochlea est maris dicta ab acumine et asperitate, quæ alio nomine conchylium nominatur, propterea quod circumcisa ferro, lacrymas purpurei coloris emittit, ex quibus purpura tingitur. Et inde ostrum appellatur, quod hæc tinctura ex testæ humore elicitur.

Cancros vocari volunt, quia conchæ sunt crura habentes, inimica ostreis animalia; nam carnibus eorum vivunt. Animal est, ut jam dixi, raro ingenio; nam validam ostreæ testam aperire non potens, explorat quando ostrea testarum claustra aperiat, tuncque latenter lapillum injicit, atque impedita conclusione ostreæ carnes erodit. Duo autem sunt genera cancrorum, fluviales et maritimi. Ostrea dicta est a testa, qua mollities ejus munitur. Græci enim testam, ὄστρακον ostracon dicunt.

Musculi sunt cochleæ, a quorum lacte concipiunt ostreæ, et dicti musculi, quasi masculi. Testudo piscis dictus eo quod tegmine testæ sit adopertus in modum cameræ. Testudinum quatuor sunt genera, terrestres, maritimæ, lutariæ, id est cœno et palude viventes, quartum genus fluviales, quæ in dulci aqua vivunt. Tradunt aliqui (quod incredibile est) ire tardius navigia pedem testudinis dextrum vehentia. Ranæ a garrulitate, eo quod circa genitales strepunt paludes, et sonos vocis importunis clamo-

ribus reddunt. Ex quibus quædam aquaticæ dicuntur, quædam palustres, quædam rubetæ, ob id quod in rubis et vepribus vivunt, cæteris grandiores. Aliæ calamitæ vocantur, quoniam inter arundines fruticesque vivunt; minimæ omnium, et viridissimæ, mutæ, et sine voce sunt. Agredulæ sunt ranæ parvulæ in sicco vel in agris morantes, unde et sic vocantur. Negant quidam canes latrare, quibus in offa rana viva fuerit data.

Animalium omnium in aquis viventium nomina centum quadraginta quatuor Plinius ait, quæ sunt in generibus belluarum, serpentum communium terræ et aquæ, cancrorum, conchårum, peloridum, solearum, lacertorum, loliginum, et his similium.

CAP. LVI. *De arboribus.*

Arborum nomen a robore quidam derivatum putant, sicut herbarum ab hærendo creditur, eo quod terris suis radicibus adhæreant. Utraque autem ideo sibi pene similia sunt, quia ex uno alterum gignitur. Nam dum sementem in terram jeceris, prius herba oritur, deinde confota surgit in arborem, et intra parvum tempus quod herbam videras, arbustum suspicis. Arbustum arbor est novella et tenera in qua insertio fieri potest, aut arbor cui vitis maritatur et inhæret; unde dicitur arbustum quasi arboris hasta. Alii arbustum locum in quo arbores sunt volunt accipere, sicut et saliceta, et vireta, ubi salices, et virgultæ novellæ, et virentes sunt. Frutex minor arbore juste appellatur, quod fronde terram tegat. Nemus vox Græca est a nemo νέμος, id est pasco quod in eo greges pascantur, estque voluptatis causa comparatum. Alii quasi Latinum sit a nemine, aut numinibus nuncupatum volunt, quia pagani ibi idolis suis sacrificabant. Lucus est densitas arborum solo lucem detrahens, per antiphrasin, eo quod non luceat, sive a luce quod in eo lucebant funalia, vel cerei propter nemorum tenebras. Saltus est densitas arborum alta vocata hoc nomine eo quod exsiliat in altum, et in sublime consurgat, vel quod ibi feræ et pecora interdum saliant. Insitio dicitur cum ipso trunco surculus fecundæ arboris sterili inseritur. Plantæ sunt raptæ de arboribus. Plantaria autem quæ ex seminibus nata sunt cum radicibus, et a terra propria transferuntur. Radix appellatur quod quasi radiis quibusdam fixa terris, in profunda demergitur. Nam physici dicunt parem esse altitudinem radicum et quarumdam arborum. Truncus est stipes, et status arboris insistens radici. Corticem veteres corucem vocabant. Dicitur autem cortex, quod corio lignum tegat. Liber est pars corticis interior, dictus a liberato cortice, id est ablato; est enim medium quiddam inter lignum et corticem. Rami sunt qui de trunco manant, sicut a ramis aut radice surculi. Surculi sunt a præcisione serræ nuncupati. Virgultum est quod de radice pullulat, ramus, qui de ipso arboris robore, virga quæ de ramis. Proprie autem virgultum appellatur quod ad radicem arboris nascitur, et quasi inutile ab agricolis amputatur, et hinc dictum virgultum, quod ex virga tollitur. Virga autem a vi vel a virtute dicitur, quia vim habet in se multam, vel a viriditate, vel quia pacis indicium est, quod vim urgeat: unde virga quæ dicitur caduceum, utuntur magi ad placandos serpentes inter se, et idcirco in ea hos sustinent alligatos; hac etiam philosophi, reges, nuntii, magistri, ac legati utuntur. Flagella dicuntur summæ arborum partes, ab eo quod crebrus ventorum flatus sustinent. Cimas et cimata vocant herbarum summitates quasi comas. Folia φύλλα Græce dicuntur. Unde est ad nos per derivationem translatum. Flores nominati quod cito defluant de arboribus, quasi fluores, quod cito solvantur. In his duplex gratia, coloris et odoris. Austro enim flores solvuntur, zephyro fiunt. Germen dicimus surculum prægnantem, a generando unde et germinatio. Fructus nomen accepit a frumine, id est eminente gutturis parte, quo vescimur; unde et fruges. Fructus proprie dicuntur agrorum et arborum, quibus utimur; in animalibus vero abusive et translative fructum vocant. Poma dicta ab opimo, id est a copiæ ubertate. Matura dicuntur, quod apta sint ad manducandum; sic et immatura, quia priusquam matura fiant, dura sunt ad manducandum. Sunt autem poma quæcunque principalem fructum nucleo non includunt. Ligna secundum Varronem dicta sunt quod leguntur ad ignem construendum, secundum quosdam autem quia accensa convertuntur in lumen. Unde et lychnus lucerna dicitur, et elychnium quod in ea ardens lumen præbet. Torris lignum adustum, quem vulgus titionem vocat, foco semiustum et exstinctum. Quisquiliæ sunt stipulæ immistæ surculis ac foliis aridis; sunt autem purgamenta terrarum.

Palma dicta, quia manus victricis ordinatus est, vel quod oppansis est ramis in modum palmæ hominis. Est enim arbor insigne victoriæ, proceroque ac decoro virgulto, diuturnisque vestita frondibus, et folia sua sine ulla successione servans; hanc Græci phœnicem dicunt, quod diu duret, ex similitudine avis illius Arabiæ, quæ multis annis vivere perhibetur, fructus autem ejus dactyli a digitorum similitudine nuncupati sunt.

Laurus, a verbo *laudo*, laudus dicta. Hac enim cum laudibus victorum capita coronabantur. Apud antiquos autem laudus nominabatur, postea *d* littera sublata, et *r* subrogata, dicta est laurus, ut in auriculis, quæ initio audiculæ dictæ sunt, et meridies, quæ nunc meridies dicitur. Hanc arborem Græci daphnem vocant: eo quod nunquam deponat viriditatem, propter quod illa victores prius coronabantur. Sola quoque hæc arbor vulgo fulminari minime creditur. Malus a Græcis dicta, eo quod fructus ejus sit omnium pomorum rotundissimus, Unde et hæc sunt vera mala, quæ vehementer rotunda sunt. Alii mala quod Græcis mela dicuntur, alii a dulcedine appellari aiunt, quod ejus fructus mellis saporem habeat, vel quod in melle serventur. Malum punicum dicitur, quod ex Punica regione sit

genus ejus translatum. Idem est malum granatum, eo quod intra rotunditatem corticis granorum contineat multitudinem. Ficus Latine a fecunditate vocatur. Feracior est enim arboribus cæteris. Nam ter quaterque per singulos annos generat fructum, atque altero maturescente, alter oboritur, hinc et caricæ a copia nominatæ. Ficus Ægyptia fecundior fertur, cujus lignum in aquam missum, continuo mergitur, et cum in limo aliquandiu jacuerit, deinde in superficiem sustollitur, versa vice naturæ, quoniam madefactum debuit humoris pondere residere. A senibus in cibo sæpius sumptæ ficus rugas eorum feruntur distendere. Tauros quoque ferocissimos ad fici arborem alligatos mansuescere dicunt. Morus a Græcis vocata, quam Latini appellant rubum, eo quod fructus ejus vel virgultum rubet. Est enim morus silvestris fructum afferens, quod in deserto pastorum fames ac penuria confovetur · hujus folia superjactata serpenti, feruntur interimere eum. Sycomorus, sicut et morus, Græca nomina sunt. Dicta autem sycomorus, ficus fatua, quia σῦκον Græce dicitur ficus et μωρός fatuus, dicitur etiam marisca a Latinis et celsa ab altitudine, quia non est brevis ut cæteræ. Nux appellata, quod umbra vel stillicidium foliorum ejus proximis arboribus noceat. Hanc alio nomine Latini juglandem vocant, quasi Jovis glandem. Fuit enim hæc arbor consecrata Jovi. Cujus pomum tantum vim habet ut missum inter suspectos herbarum vel fungorum cibos quidquid in eis virulentum est, exsugat, rapiat, atque exstinguat. Nuces autem generaliter dicuntur omnia poma corio duriori tecta, ut pineæ, nuces avellanæ, glandes, castaneæ, amygdala. Hinc nuclei dicti, quod sint duro corio tecti. At contra omnia poma mollia, mala dicta sunt, sed cum adjectione terrarum in quibus antea nata sunt, ut persica, punica, matiana, etc. Amygdala ἀμύγδαλον Græcum nomen est, quod Latine longa nux vocatur. Cunctis autem arboribus prius se flore vestit, et ad ferenda poma arbusta sequentia prævenit. Castaneam Latini a Græco appellant vocabulo; hanc enim Græci κάστανον castanon vocant. Quidam a castrando dictam putant, eo quod fructus ejus gemini in modum testiculorum intra folliculum sunt reconditi, qui dum ejiciuntur, quasi castrantur; hæc arbor semel, ut excisa fuerit, tanquam silva expullulare consuevit. Ilex arbor grandifera ab electo vocata. Hujus enim arboris fructum homines primum ad victum sibi elegerunt. Unde et poeta :

Mortales cuncti ructabant gutture glandem.

Prius enim quam frumenti usus esset, antiqui homines glande vixerunt. Phagus et esculus arbores glandiferæ ideo vocatæ creduntur quod eorum fructibus olim homines vixerunt, cibumque sumpserunt. Nam æsculus ab esca dicta. Phagus vero a Græco vocabulum traxit; φάγειν enim Græce comedere dicitur Latine. Xylicon quam Latini corrupte siliquam vocant, ideo tale nomen a Græcis accepit, quod ejus fructus sit dulcis Ξύλον xylon quippe Græcis dicitur lignum, et γλυκύς glykis dulcis, hujus arboris pomo succus expressus acatia a Græcis dicitur. Pistatia arbor dicta, quod cortex pomi ejus nardi pistici odorem referat. Pinus arbor picea ab acumine foliorum dicta, pinnum enim antiqui nominabant acutum. Pinum autem aliam pitin, aliam peucen vocant, quam nos piceam dicimus eo quod desudet picem. In Germaniæ autem insulis hujus arboris lacryma electrum gignit. Gutta enim defluens rigore vel tepore in soliditatem durescit, et gemma fit, de qualitate sua nomen accipiens, id est succinum, eo quod succus sit arboris. Pinus creditur prodesse cunctis, quæ sub ea servantur, sicut nux nocere omnibus. Abies dicta; quod præ cæteris arboribus longe eat, et in excelsum præemineat, cujus natura expers est terreni humoris, ac proinde habilis atque levis habetur. Hanc quidam gallicam vocant, propter candorem. Est autem sine nodo. Cedrus est quæ etiam Græce κέδρος cedros vocatur, cujus folia cypressi similitudinem habent; lignum vero jucundi odoris est, et diu durans, nec a tinea unquam exterminatur, unde et in templis propter diuturnitatem ex hoc ligno lacunaria fiunt. Hujus ligni resina cedria dicitur, quæ in conservandis adeo est utilis, ut perliniti ex ea nec tineas patiantur, nec tempore consenescant. Cypressus Græce κυπρίασσος a pueri nomine dicitur, quod caput ejus a rotunditate in cacumen erigitur; unde et conos vocatur alta rotunditas. Hinc et fructus ejus conus, quia rotunditas ejus talis est ut conum imitetur, unde et coniferæ cyparissi dicuntur. Hujusmodi lignum cedro pene proximam habet virtutem, templorum quoque trabibus aptum, impenetrabili soliditate nunquam oneri cedit, sed ea qua in principio fuerit firmitate perseverat. Antiqui cypressi ramos prope rogum constituere solebant, ut odorem cadaverum dum urerentur, opprimerent jucunditate odoris illius.

Juniperus Græce ἄρκευθος dicta putatur, quibusdam Latine, quasi junipyrus, id est juvans. Pyr sive quod ab amplo in angustum finiat, ut ignis, sive quod conceptum diu teneat ignem, adeo ut si prunæ ex ejus cinere coopertæ sint, usque ad annum perveniant. Pyr [πυρ] enim apud Græcos ignis est.

Platanus a latitudine foliorum dicta, vel quod ipsa arbor patula sit et ampla, nam platus [πλάτος] Græci latum vocant. Expressit hujus arboris Scriptura nomen et formam, dicens : *Quasi platanus dilatata sum in plateis* [*exaltata sum juxta aquam*]. Est autem tenerrimis foliis ac mollibus.

Quercus sive querna dicta quod ea soliti erant dii gentium quærentibus responsa dare, arbor multum annosa sicut legitur de quercu Mambre, sub qua habitavit Abraham, quæ fertur usque ad Constantini regis imperium per multa sæcula perdurasse; fructus foliorum ejus galla vocatur, et ramorum glans aut glandula.

Fraxinus vocari fertur, quod magis inter aspera

loca montana et fragrosa nascatur: de qua Ovidius:

. . . et fraxinus utilis hastis.

Alnus vocatur, quod amne alatur, proxima enim aquæ nascitur, nec facile extra undas vivit; hæc est tenera et mollis, quia in humecto loco nutritur. Ulmus nomen accepit, quod in uliginosis locis et humidis melius proficit; nam in montanis et asperis locis minus læta est.

Populus dicta quod ex ea multitudo frondium et surculorum nascatur. Differt tamen a poly et a populo pro gente in primæ syllabæ quantitate. Ejus genus duplex est, nam altera est alba, altera est nigra. Alba est populus dicta, quod folia ejus una parte sint alba, altera viridia; hæc ergo bicolor habet quasi diei et noctis notas, quæ tempora ortu solis, occasuque constant. Generant etiam resinam et electrum circa Eridanum fluvium, vel, ut alii memorant, in finibus Syriæ. Salix dicta, quod celeriter saliat, hoc est velociter crescat, arbor lenta vitibus habilis vinciendis. Cujus seminis hanc esse naturam dicunt, ut si quis illud in poculo bauserit, liberis careat, sed et feminas infecundas efficit. Populus autem, et salix, et tilia mollis materiæ sunt et ad insculpturam aptæ. Vimen vocatur ex eo quod vim multam vigoris seu viroris habeat. Natura enim ejus talis est, ut etiam si arefacta abluatur, virescat, deinde excisa, atque in humo fisa, radicibus sese in humum ipsa demergat. Buxus Græcum nomen est, ex parte a Latinis corruptum. Byxos enim appellatur a Græcis arbor virens, et levitate materiæ elementorum apicibus apta, unde et Scriptura: *Scribe in buxo* (*Isa.* xxx).

CAP. LVII. *De margaritarum inventione, et procreatione, de quo etiam lib.* II, *cap.* 35.

Artifices, qui margaritas quærunt, per agathan seo schaten lapidem inveniunt. Alligant enim agathan lapidem ad funiculum urinatoris, et submittunt in mare et veniens agathes lapis ad margaritam, statim urinatores assequentes ad funiculum, inveniunt margaritam. Quomodo autem nascatur margarita, pronuntiabo. Est lapis vel piscis qui vocatur conchus, et venit ad littus maris per matutinum antelucanum et aperit os suum, et deglutit rorem cœlestem, et radium solis, et quæ sursum sunt, siderum, sicque nascitur margarita de superioribus astris. Sic ergo agathes est Joannes Baptista. Joannes enim iste ostendit nobis intelligibilem margaritam Dominum nostrum Jesum Christum dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Mare autem præsens sæculum designat; urinatores illorum, qui sursum sunt, comitatem sanctorum signant, qui vero deorsum peccatores.

De lapidibus igniferis vide lib. II, *cap.* 19.

CAP. LVIII. *De duodecim lapidibus pretiosis.*

Jaspis primus ponitur in fundamento domus Domini, qui talem habet naturam, virentis coloris est. Qui super se eum habuerit, nulla phantasmata timet, significatque eos qui fidem Dei tenent, et nunquam arescunt ab ea sed semper virent in ea, nec fallacias diaboli timent, *qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* V).

Secundus sapphirus ponitur, qui est aerii coloris, imo talem habet colorem, qualem habet cœlum cum est serenum, et significat illos, qui in terra adhuc positi, intendunt cœlestibus, et cuncta terrena despiciunt, quasi non sint in terra, et hi possunt dicere cum Apostolo: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III).

Tertius est calcedonius [catchedonius] hic quandiu in domo est, non lucet, foris ad apertum lucet, vulentibus eum insculpere contra stat. Calefactus radio solis vel fricatu digitorum trahit ad se paleas. Hoc lapide demonstrantur ii qui bona sua celant et sua opera faciunt in abscondito, jejunium scilicet et eleemosynas, et preces suas, et nolunt videri ab hominibus, sicut Deus præcepit. *Tu autem cum jejunas* (*Matth.* VI), etc. Et iterum: *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*ibid.*). Et iterum: *Cum oraveris intra cubiculum tuum* (*ibid.*). Sed cum magister eorum, id est episcopus aut abbas jubet eos foras exire, tunc apparet bonitas, et lucent, velint nolint. Et si quis vult eis adulari, et quasi eos insculpere vel pingere, non recipiunt eorum laudem et vanam gloriam, sed duriter contra stant, nec concedunt eis, ut Salomon admonet dicens: *Fili, si te lactaverint*, id est laudaverint *peccatores, ne acquiescas eis* (*Prov.* I). Et isti tales afflati radiis veri solis, id est Christi, vel digitis, id est Spiritus sancti donis quasi contracti et calefacti verbo suæ prædicationis, et exemplo suæ bonitatis paleas, id est peccatores attrahunt ad se, et sibi consociant.

Quartus est smaragdus. Hujus natura talis est. Magnæ viriditatis est, ita ut totas herbas, et tota folia arborum, et cunctas gemmas vincat sua viriditate. Nascitur in Scythia, terra scilicet inhabitabili præ frigore, nec ibi habitant nisi gryphes, quæ sunt partim feræ terrestres, partim volucres, et sunt quatuor pedes habentes, et sunt similes leonibus corpore et capite et pedibus, et alis aquilis, et terra illa nimium est oppleta talibus gemmis, et isti gryphes servant eas, ita ut nulla gens possit eas capere, nisi Arimaspi, gens quæ non habet nisi unum oculum in fronte, et isti pugnant cum grypbibus pro his gemmis; nam gryphes, qui servant eas, volunt eis auferre eum illi accipiunt, et per illos Arimaspos habemus nos illas. Hæc gemma significat illos qui fide nitentes, et plus aliis virides, superant per ipsam infideles, qui sunt semper ut gryphes frigidi a charitate et bonitate, quoniam eam non habent, et qui eam habent malefaciunt eis. Gryphes, qui servant eas, significant diabolos, qui pretiosam margaritam fidei invident hominibus, qui volunt eam habere, et volunt eis auferre, non ideo quod sibi prosit, sed nolunt ut ipsi quibus prosit habeant. Qui recte vocantur gryphes quasi terrestres feræ et volucres, quia

sunt ut feræ terrestres, dejecti in infernum pro meritis suis, et volantes per superbiam, sunt quasi alites. Contra hos dimicant monoculi, id est illi qui non ambulant duabus viis, nec habent duplex cor, nec duplicem voluntatem, nec duobus serviunt dominis, sed habent semper unam bonam intentionem ad Dominum, et fidem Dei firmiter contra omnes tenent, et defendunt gratiam fidei, quam grypbes, id est diaboli volunt eis auferre, sed superant illos Dei auxilio.

Quintus est sardonyx. Huic sunt tres colores, fuscus et subniger in imo, in medio candidus desuper rubens. Huic lapidi comparantur homines, qui in corpore suo sustinent flagella et pœnas passionis pro amore Christi, intus in animo candidi, et sine fictione puri, sed tamen sibi ipsis despecti sunt, et sibi videntur quasi peccatores, et dicunt cum Propheta: *Ego sum vermis, et non homo* (*Psal.* XXI).

Sextus est sardus, qui unicolor est, quasi sanguis. Et significat martyres, qui pro Christi amore suum fuderunt sanguinem. David: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV).

Septimus est chrysolithus, qui fulget quasi aurum et emittit ex se scintillas ardentes. Per quem significantur illi qui intelligunt divinam Scripturam, et hoc quod intelligunt, aliis demonstrant opere et sermone, et quasi scintillas boni operis et verbi jactant de se, quibus alii illuminantur et accenduntur, nec abscondunt Deum in terra, *nec sub modio lucernam ponunt, sed in aperto, ut luceat omnibus qui in domo* Dei *sunt* (*Matth.* V), facientes, juxta quod præcepit Dominus: *Luceat lux vestra coram hominibus* (*ibid.*).

Octavus beryllus qui lucet quasi aqua sole percussa, et dicitur calefacere manus tenentis, qui significat homines illuminatos gratia cœlesti, et astutus in scientia sæculari, qui calefaciunt eos qui secum conversantur, igne divini amoris, et exemplo bonæ conversationis, quasi beryllus manum tenentis; habet etiam duos colores, viridem, et pallentem, per quos illorum vita signatur, qui cœlestium contemplatione sunt viriles, et terrenæ administrationis actione pallentes.

Nonus est topazius. Is lapis raro invenitur, eoque carior et pretiosior quo rarior. Et habet duos colores principales, unum purissimum quasi aurum, alterum quasi cœlum cum est serenum, et superat claritatem omnium gemmarum, nec ulla res pulchrior est ad videndum, et si qui velint eum polire obscuratur, si per se relinquitur, clarior est. Hunc diligunt reges super omnes gemmas et super omnes divitias. Hic significat eos qui examinati et purgati cupiditate et sordibus hujus sæculi sunt, ut aurum purum, et intendunt claritati cœlestis vitæ. Et qui hanc virtutem habent, et præfatam amant vitam, sunt clariores et puriores et Deo amabiliores aliis hominibus. Etiam ipsi reges sæculi venerantur et magnificant hanc vitam contemplativam. Dominus enim proprio ore laudavit, ad Martham inquiens: *Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X). Istos tales qui volunt ornare dignitate sæculi, quasi ornando viliores faciunt et minoris meriti. Legitur de beato Martino quod virtutes plures fecit antequam episcopus fuisset, sed episcopatu ornatus ne extolleretur pauciora signa faciens, non merita sed ornatum emisit. Aliter dici potest topazius lapis, qui omnium lapidum colores in se obtinet, omnium vero suum; πᾶν enim Græce, Latine dicitur omne, qui significat sanctos omnium virtutibus refertos, et suam quosque propriam virtutem habentes.

Decimus est chrysoprassus purpurei coloris, et interguttatus guttulis aureis. Hic significat eos qui semper in tribulatione et laboribus passionum vitam suam ducunt, et eam tandem per martyrium finiunt, sicut fecerunt martyres. Dictus est sic, quia chrysos χρυσός aurum, et πάσσω verbum *spargo* significat. Est alter lapis, chrysoprasus aureo et viridi colore mistus, quia πράσον prason significat porrum quod est viride.

Hyacinthus est undecimus, hic mutat colorem suum cum facie cœli. Si clarum est cœlum, lucet, si obscurum, fit obscurus. Per hunc lapidem monstrantur ii qui se ita modificant, ut cum sapientibus sapientes sint, et perfecti et fortes, et tunc descendunt ad insipientes, et imperfectos, et infirmos, coæquando se illis, ut secundum modum audientium et sapientibus sapienter loquantur, et minus sapientibus et infirmis humiliter sicut fecit Paulus, qui mutabat se secundum qualitates eorum quibus loquebatur, cum sapientibus et perfectis sapientiam dicens: *Sapientiam loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II). Ad minus perfectos dicebat: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III). Infirmis dicens: *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* (*II Cor.* XI.) Ita se contemperabat omnibus, ut omnibus omnia esset, sicut dicit: *Omnibus factus sum omnia, ut omnes facerem salvos* (*I Cor.* IX). Aliter hyacinthus, similis aquæ radio solis percussæ, sapientia repletos et veri solis radio perfusos designat.

Amethystus est duodecimus lapis; hic est rubens tanquam rosa, flammulas quasdam de se fundens, et significat eos, qui inter tormenta passionis quæ pro Deo sustinent, tanquam flammas charitatis habent, orantes pro eis qui se occidunt, et plus dolent de peccatis eorum qui occidunt quam de pœna quam patiuntur. Et bene extremus ponitur, quia significat eos qui pro inimicis orant, nam virtus virtutum est orare pro se persequentibus, et paucos invenimus qui hoc faciant. Aliter amethystus tribus coloribus respergitur, purpureo, violaceo, et roseo. Per purpuram notantur sancti, qui cœlestem habitum gerunt in terris; per violam, humilitas eorum cum odore bonæ operationis; per rosam, charitas, quæ tantum in illis viget, ut ad passionem perveniant.

Interpretatur autem quasi nimie ebrius, quia *a* privativa est particula, et μεθυσθεὶς methysthis ebrius et μέθυ ebrietas, qui autem in charitate Dei et proximi vitam agunt, minime sunt ebrii vino voluptatum hujus sæculi.

CAP. LIX. *De natura in communi, et de natura hominis rerum naturalium principis ultimo loco creati, et ultimo loco hic narrati.*

Natura dicta eo quod aliquid nasci faciat. Gignendi enim et faciendi potens est. Hanc quidam Deum esse dicebant, a quo omnia creata sunt et existunt. Genus a gignendo dictum; cui quidam derivant nomen a terra, ex qua omnia gignuntur, γῆ enim, id est ge Græce, terra dicitur. Vita dicta propter vigorem, vel quod vim teneat nascendi atque crescendi, unde et arbores vitam habere dicuntur, quia gignunt et crescunt.

Homo dictus quia ex humo est factus, sicut in Genesi dicitur. *Creavit Deus hominem de limo terræ* (*Gen.* II). Abusive autem pronuntiatur ab utraque substantia totus homo, id est ex societate corporis et animæ; nam proprie homo ab humo dicitur. Græci autem hominem anthropon quasi controversum, ut habentem ramos deorsum, et radicem, id est os sursum appellaverunt, eo quod sursum spectet, sublevatus ab humo ad contemplationem sui artificis. Quod Ovidius poeta designat cum dicit :

Pronoque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

(OVID. Met. l. II.)

Qui Deo erectus cœlum aspicit, ut Deum quærat, non ad terram intendat velut pecora quæ natura prona et ventri obedientia finxit (SALUST. in prol. Catil.).

Anima autem a ventis nomen accepit, eo quod ventus sit. Unde et Græce ventus anemos [ἄνεμος] dicitur, quod ore trahentes aerem, vivere videamur, sed apertissime falsum est, quia multo prius gignitur anima quam concipi ore possit aer, quia jam in genetricis utero vivit. Non est igitur aer anima, quod putaverunt quidam qui non potuerunt incorpoream ejus cogitare naturam. Spiritum idem quod animam evangelistam pronuntiat, dicens : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan.* X). De hac enim Domini anima passionis tempore memoratus evangelista ita protulit, dicens : *Inclinato capite tradidit spiritum* (*Joan.* XIX), et alius : *Emisit spiritum* (*Matth.* XVII). Et quid est spiritum tradere aut emittere, nisi animam ponere? Sed anima dicta est propter hoc quod vivit; dicitur autem spiritus vel spiritualis natura pro eo quod spiret in corpore. Item animus idem est quod anima, sed anima vitæ est, animus consilii. Unde et dicunt philosophi etiam sine animo vitam manere, et sine mente animam durare. Unde et amentes vocant, nam mentem vocant ut sciat, animam ut velit; mens enim vocata quod emineat in anima vel quod meminit. Unde et immemores amentes dicuntur. Quapropter non anima, sed quod excellit in anima, mens vocatur, tanquam caput ejus vel oculus. Unde et ipse homo secundum mentem imago Dei dicitur. Ita enim hæc omnia adjuncta sunt animæ, ut una res sit. Pro efficientiis enim causarum diversa nomina sortita est anima. Nam et memoria mens est, unde et immemores amentes. Dum ergo corpus vivificat anima est, dum vult animus, dum scit mens, dum recolit memoria, dum rectum judicat ratio est, dum spirat spiritus est, dum aliquid sentit sensus est. Nam inde animus sensus dicitur pro his quæ sentit, unde et sententia nomen accepit.

Corpus dictum eo quod corruptum perit. Solubile enim atque mortale est, et aliquando solvendum. Caro autem a carendo aut cadendo appellata, eo quod vita careat, est enim proprie mortuorum, aut quod in mortem cadat, unde et cadaver. Crementum enim semen est masculi, unde et animalium et hominum corpora concipiuntur, hinc et parentes creatores dicuntur. Caro autem pro corpore ex quatuor elementis compacta est. Nam terra in carne proprie dicta est, aer in anhelitu, humor in sanguine, ignis in calore vitali. Habent enim in nobis elementa suam quæque partem, quæ cuilibet redditur compage resoluta.

Sensus corporis quinque sunt, gustus, odoratus, auditus, visio, tactus. Ex quibus duo, id est duo eorum organa, aperiuntur et clauduntur, visus et gustus; duo semper patentes sunt, auditus et odoratus; et quintus, id est tactus utrumque facit et neutrum. Sensus dicti, quia per eos anima subtilissime totum corpus agitat vigore sentiendi. Unde et præsentia nuncupantur, quod sint præsentibus, sicut præ oculis quæ præsto sunt oculis. Visus est qui a philosophis humor vitreus appellatur. Visum autem quidam fieri asserunt aut externa æthera luce, aut interno spiritu lucido, per tenues venas a cerebro venientes, atque penetratis tunicis in aerem exeuntes, et tunc commistione similis materiæ visum dantes. Visus dictus quod vivacior sit cæteris sensibus se præstantior sive velocior, amplius que vigeat, quomodo et memoria inter cætera mentis officia. Vicinior enim est cerebro, unde omnia manant, unde fit ut ea quæ ad alios pertinent sensus, videre dicamus, veluti eum dicimus : Vide quomodo sonat, vide quomodo sapit, etc. Auditus appellatus quod voces audiat vel hauriat, hoc est aere verberato suscipiat sonos. Odoratus quasi aeris odore attactus, tacto enim naribus aere sentitur. Sic et olfactus, quod odoribus fiat. Gustus a gutture vel gustando dictus. Tactus eo quod pertractet et tangat, et per omnia membra vigorem sensus aspergat. Nam per tactum probamus quidquid cæteris sensibus judicare non possumus. Duo enim sunt genera tactus : nam aut extrinsecus venit quod feriat, aut intus in ipso corpore oritur. Unicuique enim sensui propria organa dantur. Nam quod videndum est, oculis capitur, quod audiendum, auribus : mollia

et dura tactu existimantur et judicantur, sapor gustu, odor naribus.

Cap. LX. *De hominis membris ac partibus.*

Prima pars corporis caput est, datumque est illi hoc nomen, eo quod sensus omnes et nervi inde initium capiant, unde ipsius animæ quæ consulit corpori, quodammodo personam gerit.

Vertex est suprema pars capitis, qua capilli revertuntur, id est deorsum dependent, ut nos a vertice montis descendimus.

Calvaria ab ossibus calvis dicta per defectionem, et neutraliter pronuntiatur.

Occipitium capitis pars posterior, quasi contra capitium, vel quod sit capitis retrorsum.

Capilli quasi capitis pili, facti ut decorem præstent, et cerebrum adversus frigus muniant atque a sole defendant. Pili autem dicti a pelle, de qua procedunt, sicut et pilum a pila dicitur, ubi pigmentum contunditur.

Cæsaries a caedendo vocata, ideoque tantum virorum est. Virum enim tonsum esse decet.

Comæ sunt proprio incisi capilli, et est Græcus sermo, nam comas Græci, κόμας a secando vocant, unde et κείρειν tondere. Inde et cirri vocantur, quod etiam idem Græci mallonem vocant.

Crines proprie mulierum sunt. Dicti autem crines, eo quod discernantur vittis; unde et discriminis dicuntur a quibus divisi religantur.

Tempora sunt, quæ calvariæ dextra lævaque subjacent, quæ ideo sic nuncupantur, quia moventur ipsaque mobilitate quasi tempora mutantur.

Facies dicta ab effigie, ibi enim est tota figura hominis et uniuscujusque personæ cognitio. Vultus vero dictus eo quod per eum voluntas animi ostenditur, secundum enim voluntatem in varios motus mutatur; unde et differunt inter se, nam facies simpliciter accipitur de uniuscujusque naturali aspectu, vultus autem animorum qualitates significat.

Frons ab oculorum foraminibus, vel a præ se ferendo nominata est. Hæc enim imago quædam animi quoque motum specie sua exprimit,'dum vel læta vel tristis est.

Oculi vocati sive quod eos ciliorum tegmina occultant ne qua incidentis injuriæ offensione lædantur, vel quia occultum lumen habent, id est secretum vel intus positum; hi inter omnes sensus viciniores animæ existunt. In oculis omne mentis indicium est, unde et animi perturbatio vel hilaritas in oculis apparet. Oculi et lumina idem sunt. Et dicti lumina, quod ex eis lumen manat, vel quod ab initio sui clausam teneant lucem, aut extrinsecus accepta visui proponenda refundant. Pupilla est centrum oculi, in quo vis est videndi, ubi quia imagines parvæ videntur, propterea pupillæ dicuntur, nam parvuli pupilli dicuntur. Hanc plerique pupillam vocant, eo quod sit pura et impolluta ut sunt puellæ. Physici dicunt easdem pupillas, quas videmus in oculis, morituros ante triduum non habere, quibus non visis certa est vitæ desperatio. Circulus vero, quo albæ partes oculi a pupilla separantur discreta nigredine, corona dicitur, eo quod rotunditate sui ornet ambitum pupillæ. Vertices ipsos oculorum quidam valvas appellant, a similitudine valvarum. Palpebræ sunt sinus oculorum, a palpitatione dictæ, quia semper moveatur, et concurrunt invicem, ut assiduo motu reficiant intuitum. Munitæ sunt autem vallo capillorum, ut et apertis oculis si quid inciderit, repellatur, et somno conniventibus tanquam involuti quiescant latentes. In sommitate autem palpebrarum, locis quibus se utræque clausæ contingunt, exstant adnati ordine servato pili, tutelam oculis ministrantes, ne irruentes facile injurias accipiant, et ex eo nocentur, ut pulveris vel cujuscunque crassioris materiæ arceant contactum, ut ipsum quoque aerem turbatum se claudendo excludant, et sic tenuem atque serenum faciant visum. Lacrymas a laceratione mentis quidam putant dictas, alii lacrymas dici existimant, ideo quod Græci δάκρυα vocant. Cilia sunt tegmina, quibus cooperiuntur oculi, et dicta cilia quod celent oculos, quos tegunt tuta custodia. Supercilia dicta quod superposita sint ciliis, quæ ideo vestita sunt pilis, ut oculis munimentum fortius quam palpebræ prætendant, et ut sudorem a capite fluentem repellant. Intercilium vero est medium illud, quod sine pilis est inter supercilia et palpebras.

Genæ sunt inferiores partes oculorum unde barba incheat, nam Græce genos barba, inde et genæ, quod inde incipiant barbæ gigni.

Malæ sunt eminentes sub oculis partes ad protectionem eorum suppositæ. Vocatæ autem malæ sive, quod infra oculos in rotonditatem promineant in modum malorum, quæ Græci mela appellant, sive quod sint supra maxillas.

Maxillæ per diminutionem dicuntur a malis, sicut paxillus a palo, taxillus a talo.

Mandibulæ sunt maxillarum partes quibus et nomen factum.

Barbam veteres vocaverunt, quod virorum sit, non mulierum. Auribus nomen inditum est a vocibus hauriendis: Unde et Virgilius:

Vocemque his auribus hausi :

(Virgil. *Æneid.* lib. IV, vers. 359.)

aut quia Græci vocem ipsam αὐδὴν auden vocant ab auditu. Per immutationem enim litteræ aures quasi audes nuncupatæ sunt. Vox enim repercussa per anfractus aurium sonum facit, quo sensum excipiunt audiendi.

Pinnula summa pars auris, ab acumine dicta. Pinnon enim antiqui acutum dicebant. Unde et bipennis et pinna.

Nares idcirco nominantur, quia per eas vel odor vel spiritus meare non desinit, sive quia odore nos admonent, ut gnari simus ac sciamus; unde econtrario nescientes et rudes ignari dicuntur. Olfecisse enim veteres scisse dicebant. Terentius: « Ac non

totis sex mensibus prius olfecisse quam ille quidquam coeperit. » Narium recta pars, eo quod æqualiter sit in longitudinem et rotunditatem porrecta, columna vocatur, extremitas ejus pyrula a formula pomi pyri, quæ vero dextra lævaque sunt, pinnulæ alarum similitudine, medium autem interfinium.

Os dictum, quia per ipsum quasi per ostium et cibos intromittimus, et sputum foras projicimus, vel quia eo ingrediuntur cibi, et inde egrediuntur sermones.

Labia a lambendo sunt vocata, quod autem superius est. Labium dictum quidam volunt quod inferius, eo quod grossius sit, labrum. Alii virorum labra, muliorum dicunt labia, sed confunduntur.

Linguæ a lingendo cibo putat Varro nomen impositum, alii quod articulatos sonos ligat in verba. Sicut enim plectrum chordis, ita lingua illiditur dentibus, et vocalem sonum emitti efficit.

Dentes Græci odontes [ὀδόντες] dicunt, et inde latinum videntur traxisse nomen: horum primi, præcisores dicuntur sive præcisivi, quia omne quod accipitur, ipsi prius incidunt. Sequentes canini vocantur, quorum duo in dextera maxilla sunt, et duo in sinistra, et dicti canini, quia ad similitudinem caninorum existunt, sicut et homines quod et possunt priores præcidere illia tradunt ut confringant. Hos vulgus pro latitudine, longitudine et rotunditate columellas vocant; ultimi sunt molares, qui concisa a prioribus atque confracta subigunt et molunt atque mandunt, unde et molares vocati sunt. Dentium autem numerum discernit qualitas sexus, nam in viris plures, in feminis pauciores existunt.

Gingivæ a gignendis dentibus nominatæ sunt, factæ sunt autem etiam ad decorem dentium, ne nudi horrori potius quam ornamento existerent.

Palatum nostrum, sicut cœlum sursum est positum, et inde palatum a polo per derivationem. Sed et Græci similiter palatum οὐρανίσκον uraniscon appellant, eo quod pro sui concavitate cœli similitudinem habeat. Fauces a fundendis vocibus nominatæ quasi foces, vel fauces quod per eas famur.

Arteriæ vocatæ sunt sive quod per eas a pulmone aer, id est spiritus fertur, seu quod arctis et angustis meatibus spiritum vitalem contineant, unde sonos vocis emittant, qui soni uno modo sonarent, nisi linguæ motus distantias vocis efficeret. Toles Gallica lingua dicuntur, quas vulgo per diminutionem tonsillas vocant quæ in faucibus turgescere solent.

Mentum dictum quod inde mandibulæ oriantur, vel quod ibi migrantur, vel quod dum mentionem alicujus loquendo facimus ipsum movemus.

Gurgulio nomen trahit a gutture, cujus meatus ad os et nares protenditur, habens viam qua vox ad linguam transmittitur, ut possit verba collidere; unde et garrire dicimus.

Rumen proximum gorgulioni, quo cibus et potus devorantur; hinc et bestiæ, quæ cibum revocant et remandunt, ruminare dicuntur.

Subinguium operculum gurgulionis, quasi parva lingua, quæ foramen linguæ recludit operitque.

Collum dictum quod sit rigidum et teres ut columna, bajulans caput et sustentans, quasi capitolium, cujus anterior pars gula vocatur, posterior cervix.

Cervix autem vocata, quod per eam cerebrum ad medullam spinæ dirigitur, quasi cerebri via. Veteres autem plurali tantum numero cervices dicebant, primus Hortensius cervicem singulariter dixit. Cervix autem nunc in singulari numero membrum ipsum significat, nam plurali numero cervices contumaciam sæpe demonstrant. Cicero in Verrinis: « Prætorem to accusas frangere cervices. »

Humeri dicti quasi armi, ad distinctionem hominis a pecudibus mutis, ut hi humeros, illæ armos habere dicantur; nam proprie armi quadrupedis sunt.

Hala summi humeri pars posterior et occultior.

Brachia a fortitudine nominata sunt, bary [βαρὺ] enim Græce gravo et forte significat. In brachiis enim thori lacertorum sunt, et insigne musculorum robur existit. In his sunt tori, id est musculi, et dicti tori, quia illic viscera torta videantur.

Cubitus dictus, quod ad cibos sumendos ipsi incumbimus.

Ulna secundum quosdam utriusque manus extensio est; secundum alios cubitus quod magis verum est, quia Græce olenos cubitus dicitur.

Alæ sub brachiis sunt appellatæ, eo quod ex eis in modum alarum motus brachiorum inchoet; quas quidam ascillas seu axillas vocant, quod ex eis brachia cillentur, id est moveantur. Unde et oscilla dicta ab eo quod cillentur, id est moveantur ora; nam cillere est movere: has quidam hircos dicunt, eo quod in plerisque hominibus hircinum fœtorem reddant.

Manus dicta quod sit totius corporis munus; ipsa enim cibum ori ministrat, ipsa operatur omnia atque dispensat, per eam accipimus et donamus. Abusive etiam manus ars vel artifex, unde et manus pretiumi dicimus, et armatorum copias.

Dextra dicitur a dando, ipsa enim in pignus pacis datur, ipsa testis fidei atque salutis perhibetur, et hoc est illud apud Tullium: « Fidem publicam jussu senatus dedi, id est dextram. » Unde et Apostolus dicit: *Dextras mihi dederunt et Barnabæ societatis* (*Gal.* II).

Læva dicitur quod sit lævis, id est sine asperitate et callo, qui dextræ ex labore inducitur.

Sinistra autem vocata, quasi sine dextera, sive quod rem fieri sinat, et non faciat. A sinendo enim sinistra dicitur.

Palma est manus expansis digitis, sicut contractis pugnus. Pugnus autem a pungendo dictus, vel a pugna, aut contra sicut palma a pandendo.

Digiti nuncupati vel quod decem sunt, vel quia decenter juncti sunt; nam habent in se et numerum

perfectum et ordinem decentem. Unde primus pollex vocatur, quod inter alios virtute polleat et potestate. Secundus index et salutatorius sive demonstratorius, quia fere eo salutamus, vel ostendimus, vel indicamus. Tertius impudicus, quod plerumque per eum opprobrii insectatio ostenditur et podex mundatur, et iste est medius. Quartus annularis, eo quod in ipso annulus geritur. Idem et medicinalis, quia eo collyria a medicis colliniuntur, vel quod eo pulsus infirmorum sentitur. Quintus auricularis, quod aurem eo scalpimus et purgamus.

Ungues ex Græco vocamus; illi enim hos onyches [ὄνυχες] dicunt. Alii dictum volunt ab unguendo, quod sit politus et lucidus quasi unctus. Estque animalium habentium digitos distinctos, ut hominum, simiarum, avium, leonum, canum, etc. Ungula non habentium digitos, ut equorum, mulorum, asinorum, boum, cervorum, et similium, quorum quædam fissas habent ungulas.

Truncus est media pars corporis a collo usque ad inguina, de quo Nigidius: Caput collo vehitur, truncus sustinetur coxis, et genibus cruribusque.

Thorax a Græcis dicitur anterior pars trunci a collo usque ad stomachum quam nos dicimus arcam, eo quod ibi sit arcanum, id est, secretum, a quo cæteri arcentur. Unde et arca et ara dicta, quasi res secreta, cujus eminentes partes mamillæ dicuntur, inter quas pars illa ossea pectus dicitur; dextra autem lævaque costæ.

Pectus vocatum, eo quod sit pexum inter eminentes mamillarum partes; unde et pectus dicitur, eo quod pexos capillos facit.

Mamillæ vocatæ quod rotundæ sint, quasi malæ per diminutionem. Sed papillæ capita mamillarum sunt, quas infantes sugentes comprehendunt, et dictæ papillæ quod eas infantes quasi palpant dum lac sugunt; perinde mamma est tota eminentia uberis, papilla vero breve illud unde lac trahitur.

Ubera dicta, vel quia lacte ubera, id est fecunda, vel quia uvida, humore scilicet lactis in modum uvarum plena. Lac vim nominis a colore trahit, quod sit albus liquor, leucos [λευκός] enim Græce albus dicitur, cujus natura ex sanguine commutatur. Nam post partum si quid sanguinis nondum fuerit uteri nutrimento consumptum, naturali meatu fluit in mammas et earum virtute albescit, lactis accipiens qualitatem.

Cutis est, quæ in corpore prima est, appellata quod ipsa corpori superposita, incisionem primam patiatur. Cutis enim Græce incisio Latine dicitur. Eadem et pellis, quod externas injurias corporis tegendo pellat, primosque et venti et solis ardores perferat.

Pellis autem jam detracta ac subacta corium dicitur, et est crassior cutis. Corium autem appellatur per derivationem, quod eo caro tegatur vel tegator, sed hoc in brutis animalibus proprium est.

Pori corporis Græco nomine appellantur qui Latine proprie spiramenta dicuntur, eo quod per eos vivificus spiritus exterius ministretur.

Arvina est pinguedo cuti adhærens.

Pulpa est caro sine pinguedine, dicta quod palpitet; resilit enim sæpe. Hanc plerique et viscum vocant, eo quod glutinosa sit.

Membra sunt corporis partes.

Artus quibus colligantur membra, ab arctando dicti. Vel artus dicti quod colligati invicem nervis arctentur, id est stringantur, quorum diminutiva sunt articuli; nam artus dicimus membra majora, ut brachia; articulos minora, ut digitos.

Nervi Græca derivatione appellati, quos illi neura [νεῦρα] vocant. Alii Latine vocatos nervos putant, eo quod artuum conjunctiones invicem his inhæreant. Maximam autem virium substantiam nervos facere certissimum est; nam quanto fuerint densiores, tanto propensius augent firmitatem.

Compagia sunt ossium capita, dicta eo quod sibi compacta nervis, velut glutino quodam adhæreant.

Ossa sunt corporis solidamenta; in his enim positio omnis et robur subsistit. Ossa autem ab usto dicta, propterea quod cremarentur ab antiquis, sive, ut alii putant, ab ore, eo quod ibi pateant; nam alibi ubique cute, visceribusque obtecta celantur.

Medullæ appellatæ quod sint ossium partes mediæ, vel quod eis madefiant ossa; impinguant enim ea et confortant.

Vertibula sunt summæ ossium partes, crassioribus nodis conglobata, dicta eo quod ad inflexionem membrorum illa vertantur.

Cartilagines ossa mollia et sine medulla, quod genus auriculæ, et narium discrimen, et costarum extremitates habent, sive opercula ossium quæ moventur. Et dictæ cartilagines, quod levi attritu carent dolore dum flectuntur.

Costas, appellari quidam putant, quod ab eis custodiantur interiora, et tota mollities ventris vallata salvetur.

Latus, quia jacentibus nobis latet; est enim læva pars corporis et dextra, utrinque inter anteriora et posteriora protensa. Dextro autem lateri habilior motus est, lævo fortior, et oneri ferendo accommodatior; ipsa enim gerit clypeum, ensem, pharetram, et reliqua onera, ut expedita sit dextera ad agendum.

Dorsum est a cervice usque ad renes deorsum. Dictum autem dorsum, quod sit superficies durior corporis, in modum duri ursi, fortis et ad portandum et ad perpetiendum.

Terga dicta, quia in eis supini jacemus in terra, quod solus homo potest; nam muta animalia tantum aut in ventrem, aut in latus jacent, unde abusive in animalibus terga dicuntur. Scapula a scandendo dicitur. Interscapulium est spatium quod est inter scapulas, unde est nominatum.

Palæ sunt dorsi dextra lævaque eminentia membra,

dicta quod in luctando eas premimus et vibramus, quod Græci palin dicunt.

Spina est junctura dorsi, dicta quod habeat radiolos ut spinas acutos, cujus juncturæ spondylis appellantur propter partem cerebri quæ fertur per hos longo tractu ad cæteras corporis partes. Sacra spina est ima perpetuæ spinæ, quam Græci ἱερὸν νῶτον hieron noton vocant, quoniam primum infante concepto nascitur, ideoque et in hostia Id primum a Gentilibus diis suis dabatur, unde et sacra spina dicitur.

Renes ait Varro dictos, quod rivi ab iis obsceni humoris fluant ἀπὸ τοῦ ῥέειν a verbo rhein, quod significat fluere nam [venæ et medullæ tenuem liquorem desudant in renes, qui liquor rursus a renibus calore veneris resolutus decurrit.

Lumbi a libidinis lascivis dicti, quia in viris causa corporeæ voluptatis in ipsis est, sicut in umbilico feminis. Unde et ab Job in exordio sermonis dictum est: *Accinge sicut vir lumbos tuos* (*Job.* XXXVIII), ut in his esset resistendi præparatio, in quibus est libidinis usitata dominandi occasio.

Umbilicus est medius locus corporis, dictus quod sit umbo iliorum; unde et umbo appellatur locus in medio clypei a quo dependet.

Ilia Græco sermone appellantur, quod ibi nos obvolvamus, Græce enim εἰλέω ileo vertere et obvolvere dicitur.

Clunes vocati, quod sint juxta colum quod est longum, suntque tumores natium.

Nates quod in ipsis innitimur dum sedemus. Unde et conglobata est in eis caro, ne premeutis corporis mole ossa dolerent.

Genitalia corporis partes, ut nomen ipsum docet, gignendæ sobolis acceperunt vocabulum, quod his procreatur et gignitur. Hæc et pudenda pro verecundia, sive a pube. Unde et indumento operiuntur. Dicuntur autem ista et inhonesta, quia non habent eamdem speciem decoris sicut membra quæ in promptu et prospectu locata sunt. Dictum et verretrum, membrum virile sive, [quod viri est tantum, sive quod ex eo virus emittitur; nam virus proprie dicitur humor fluens a natura viri, sive a verrendo, sive demum a vere.

Testiculi per diminutionem a testibus dicti quorum numerus incipit a duobus; hi semen calamo ministrant, quod a spinæ medulla et renibus et lumbis suscipiunt gratia procreandi.

Scrotum est pellis in qua testiculi sunt.

Posteriora vocata, quod retro sunt et a vultu aversa, ne dum alvum purgamus, inquinaremus aspectum.

Meatus inde appellatus quod per eum meant, id est egeruntur stercora.

Femora dicta, quod ea parte a femina sexus viri discrepet. Sunt ab inguinibus usque ad genua.

Femina autem per derivationem femorum partes sunt, quibus in equitando tergis equorum inhærenus: unde et olim præliatores sub feminibus equos amisisse dicebantur.

Coxæ quasi conjuncti axes, in ipsis enim femora moventur, quorum concava vertebræ vocantur.

Suffragines sunt plicaturæ crurum posteriorum ex quadrupedibus, quæ retrorsum plicantur ut genua in anterioribus cruribus, antrorsum; dictæque sunt, quod suffringuntur, id est, subtus flectuntur, non supra sicut genua.

Genua sunt commissiones femorum et crurum, et dicuntur genua eo quod in utero genis oculorum sunt opposita. Cohærent enim sibi ibi, et cognata sunt genua oculis lacrymarum indicibus et misericordiæ, nam a genis genua dicuntur. Denique complicatum in genua gigni, formarique hominem dicunt, ita ut genua sursum sint, quibus oculi formantur ut cavi fiant et rotundi et etiam reconditi, ipsos enim in utero matris genus comprimunt. Ennius: « Atque genua comprimit acta gena. » Inde est quod homines dum ad genus se prosternant, statim lacrymantur. Voluit enim natura eos uterum maternum memoris recolere et reminisci, ubi quasi in tenebris considebant antequam ad lucem venirent.

Crura dicta, quod his currimus et gressum facimus, et sunt a genibus usque ad calces.

Tibiæ vocatæ quasi tubæ; sunt enim longitudine et specie eis similes. Et sunt ossa aut partes anteriores in crure, et suræ sunt posteriores.

Talus dictus a tolo; nam tolus est eminens rotunditas, et inde fastigium templi rotundi tolus vocatur. Talus autem sub crure est, et sub talo calcaneum.

Pedes ex Græca etymologia nomen sortiti sunt. Hos enim Græci podas [πόδας] dicunt. Sunt qui a petendo terram dictos putent, quia alternis motibus solo fixi incedunt.

Plantæ a planitie nuncupatæ, quia non rotundæ, ut in quadrupedibus, ne stare non possit bipes homo, sed planæ atque longiores formatæ sunt, ut stabile corpus efficerent. Sunt autem plantæ, anteriores partes, quæ etiam de multis ossibus constant.

Calx vel calcs vel calcis prima pars plantæ, a calco illi nomen impositum, quod terram calcamus, hinc et calcaneus.

Solum est inferior pars pedis, dicta quod eo vestigia terræ imprimimus. Sed et solum dicitur omne illud quod aliquid sustinet, quasi solidum, unde et terra solum dicitur, quod cuncta sustineat: aer solum avium, et solum pedis, quod totam corporis molem portet.

Viscera non solum intestina dicimus, sed quidquid sub corio est inter cutem et carnem et ossa. Item viscera vitalis, id est circumfusa locs cordis, ut sit viscus quasi vis cordis, eo quod ibi vita, id est animus continetur. Item viscera capita nervorum ex sanguine et nervis copulata.

Item lacerti a similitudine lacertorum reptilium, quia in singulis membris loca sunt per quæ eis nomina dantur, ut cor quod sit in medio corporis

appellaturque a nomina similium animalium super terram viventium. Nam inde musculi a murium similitudine. Sicut a lacorta lacerti. Inde etiam tori, quod illic viscera torta videantur.

Cor a Græca derivatum appellatione quod illi cardian καρδίαν dicunt, sicut a cor et uro dicitur nobis cura, in corde enim omnis sollicitudo vitæ et scientiæ cura est. Quod ideo pulmoni vicinum est, ut cum ira accenditur, pulmonis humore temperetur. Hujus duæ arteriæ sunt, quibus sinistra plus sanguinis habet, dextra plus spiritus. Unde et in dextro brachio pulsum despicimus.

Præcordia sunt loca cordi vicina, quibus sensus percipitur, et dicta sunt præcordia, eo quod ibi sit principium cordis et cogitationis, aut quod cor præcingunt, sunt enim pelliculæ circum cor, in quibus affectionum sedes.

Pulsus vocatus est, quod palpitet, cujus indicio aut infirmitatem intelligimus aut sanitatem. Hujus duplex est motus, aut simplex, aut compositus. Simplex est, qui ex uno saltu constat. Compositus est, qui ex pluribus motibus inordinatis et inæqualibus existit. Qui motus certa habent spatia, dactylicum pulsum vocant quandiu sine vitio fuit.

Venæ dictæ eo quod viæ sunt natantis sanguinis, atque rivi per omne corpus divisi, quibus universa membra irrigantur.

Sanguis ex Græca etymologia nomen duxit, quod vegetetur, et sustentetur et vivat σάος saos enim sospes dicitur. Sanguis autem est dum in corpore est; effusus vero cruor, nam cruor vocatur, eo quod effusus currat, vel ab eo quod currendo corruat. Alii cruorem interpretantur saniem et sanguinem corruptum qui emittitur. Alii autem sanguinem vocant, quod sit suavis. Sanguis autem non est integer nisi in juvenibus. Nam dicunt physici minui sanguinem per ætates, unde in senibus tremor est. Proprie autem sanguis animæ possessio et sedes est, ideo genas mulieres lacerare solent in luctu ut manibus gratificent: inde et purpureæ vestes et flores purpurei mortuis præbentur.

Pulmo ex Græco trahit vocabulum, pulmonem enim pleumon [πλεῦμων] vocant, eo quod cordis flabellum sit, in quo pneuma, id est spiritus est, per quod et agitatur et movetur, unde et pulmones vocati sunt. Nam Græce pneuma [πνεῦμα] spiritus dicitur, qui flando et agitando aerem emittit et recipit, a quo moventur pulmones et palpitant, et aperiunt se ut flatum capiant, et stringunt ut ejiciant, est enim ut organum corporis.

Jecur nomen habet ex eo quod vicinum cordi habeat locum; inde enim attrahit sanguinem qui in cerebrum subvolat, et inde ad oculos cæterosque sensus et membra diffunditur, at calore suo succum ad se ex cibo tractum vertit in sanguinem, quem ad usum pascendi nutriendique singulis membris præbet. In jecore autem consistit voluptas et concupiscentia, iræ et amores, secundum eos qui de physicis rebus disputant.

Fibræ sunt jecoris extremitates, sicut extremæ partes foliorum in vitibus, sive quasi linguæ venæ eminentes. Dictas autem volunt fibras, quod apud gentiles in sacrificiis ad Phœbi aras ab ariolis ferebantur, quibus oblatis atque succensis responsa acciperent.

Splen dictus a supplemento, ex contraria parte jecoris, ne vacua existeret, quem quidam risus causa factum existimant; nam splene ridemus, felle irascimur, corde sapimus, jecore amamus, quibus quatuor elementis constantibus, integrum est animal.

Fel est appellatum, quod sit folliculus gestans humorem, qui vocatur bilis.

Stomachus [στόμαχος] Græce os vocatur, eo quod quasi ostium ventris ipse cibum accipiat, atque ad intestina transmittat.

Intestina dicuntur, eo quod corporis interiori parte cohibentur, quæ idcirco longis nexibus coordinata sunt in circulorum modum, ut susceptas escas paulatim digerant, et superadditis cibis non impediantur.

Omentum est membrana quæ continet intestinorum majorem partem; quod epitolin Græci vocant.

Disseptum intestinum quod discernit ventrem et cætera intestina a pulmone, vel a corde.

Cæcum intestinum, quod sit sine foramine et exitu, quod Græci tisonenteron vocant.

Jejunum tenue intestinum, unde et jejunum dicitur.

Venter autem et alvus et uterus inter se differunt. Venter est qui acceptos cibos digerit, et apparet extrinsecus, tenditque a pectore usque ad inguem, et dicitur venter, quod per totum corpus alimenta ministrat vitæ.

Alvus est quæ cibum recipit, et per excrementa purgari solet. Ex ipsa enim sordes stercorum defluunt. Sallustius: « Simulans sibi alvum purgare. » Et vocatur alvus quod abluatur.

Uterum solæ mulieres habent, in quo concipiunt ad similitudinem cauliculi; tamen auctores pro utriusque sexus ventre plerumque ponunt, nec poetæ tantummodo, sed et cæteri. Vocatur autem uterus, quod duplex sit, et ab utraque in duas se dividat partes, quæ in diversum diffusæ ac reflexæ circumplicantur in modum cornu arietini, vel quod impleatur fœtu interius. Hinc et uter, quod aliquid intrinsecus habet, ut membra et viscera.

Aqualiculus proprie porci est, hinc ad ventrem translatio.

Matrix dicitur quod fetus et embrio in ea generentur. Semen enim receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit.

Vulva vocata quasi valva, id est janus ventris, vel quod semen recipiat, vel quod ex ea fetus procedat

Vesica dicta, quod si vas aquæ. Ipsa enim de renibus urina collecta completur, et humore distenditur, cujus usus in volucribus non habetur.

Urina autem dicta a Græco, οὐρέω, id est mein seu mingo, et Græce οὖρος, cujus judicio et salus et ægritudo monstratur. Qui humor Latine lotium dicitur, quod eo lota vestimenta munda efficiantur.

Semen est quod jactum sumitur aut in terra aut utero ad gignendum vel fructus vel fetus. Est enim liquor ex cibi et corporis decoctione factus, ac diffusus per venas atque medullas, qui inde desudatus, in modum sentinæ crescit in renibus, ejectusque per coitum, et in uterum mulieris susceptus, calore quodam viscerum, et menstrualis sanguinis irrigatione formatur in corpus.

Menstruum est supervacuus mulierum sanguis, dicta autem sunt menstrua a circuitu lunaris luminis, quo solet hoc evenire profluvium. Luna enim Græce mene μήνη dicitur, hæc et muliebris nuncupantur. Nam mulier solum animal menstruale est. Cujus cruoris contactu fruges non germinant, acescunt musta, moriuntur herbæ, amittunt arbores fetus, ferrum rubigo corrumpit, nigrescunt æramenta; si qui canes inde ederint, in rabiem efferantur; glutinum asphalti quod nec ferro, nec igne dissolvitur, ipso cruore pollutum sponte disjungitur; post plurimos autem dies menstruos ideo semen non est germinabile, quia jam non est menstrualis sanguis a quo perfusum irrigetur.

Tenue semen in muliebribus locis non adhæret; labitur enim, nec habet vim adhærendi. Similiter et crassum non habet vim gignendi, quia muliebri sanguini se miscere non potest propter nimiam sui spissitudinem; hinc et steriles mares et feminas dicunt fieri vel propter nimiam crassitudinem sanguinis vel seminis, vel propter nimiam raritatem. Primum autem aiunt cor hominis fingi, quia in eo sit et vita hominis, et sapientia. Deinde quadragesimo die totum corpus expleri, quod ex abortionibus, ut ferunt, collectum est. Alii fetus a capite exordium sumere dicunt, unde et in avium fetibus primum oculos fingi in ovis videmus. Fetus autem dictus, quod adhuc in utero foveatur. Item nasci patribus similes aiunt, si paternum semen validius sit; matribus si maternum; hac etiam ratione similes exprimi vultus. Qui autem utriusque parentis figuram reddunt, æqualiter misto paterno, maternoque sanguine vel semine concipiuntur. Dicunt etiam avorum et proavorum consimiles fieri, quia sicut in terra multa semina occultantur, sic et in hominibus semina celantur parentum figuras reddi-tura. Ex paterno autem semine puellas nasci, ex materno pueros, quia omnis partus constat ex duplici semine, et cujus pars major est, involvit et occupat similitudinem sexus.

In corpore nostro quædam tantum ad utilitatis causam facta sunt, ut viscera; quædam et utilitatis et decoris, ut sensus in facie, et in corpore manus et pedes, quorum membrorum et utilitas magna est, et species decentissima. Quædam tantum decoris, ut mamillæ in viris, et in utroque sexo umbilicus. Quædam discretionis, ut in viris genitalia, barba prolixa, et pectus amplum. In mulieribus leves genæ, et angustum pectus; ad concipiendos autem fetus et portandos renes et latera dilatata. Quoniam quæ pertinent ad hominem et partes animæ et corporis, ex parte dictum, est; nunc ætates ejus subjungamus.

Cap. LXI. *De ætatibus hominis, et vocabulis earum, etiam usque ad mortem, et mortuos.*

Gradus ætatis sex sunt, infantia, pueritia, adolescentia, juventus, virilis gravitas, atque senectus. Prima ætas infantia est pueri nascentis ad lucem, quæ porrigitur in septem annos. Secunda ætas pueritia est, id est pura, et nondum ad gignendum apta, tendens usque ad quartum decimum annum; tertia adolescentia ad gignendum apta, quæ porrigitur usque in viginti octo annos; quarta, juventus, firmissima omnium ætatum, finiens in quinquagesimo anno. Quinta ætas est senioris, id est virilis gravitas, quæ est declinatio a juventute ad senectutem, nondum senectus, sed jam non juventus, quia senioris ætas est, quam Græci presbyten vocant, nam senes apud Græcos non presbyter, sed γέρων geron, hujus gerontos dicitur. Quæ ætas a quinquagesimo anno est senectus, quæ nullo annorum tempore finitur, sed post illas quinque ætates quantumcunque vitæ est, senectuti deputatur. Senium autem pars est ultima senectutis, dicta quod sit terminus septimæ ætatis. In his ergo sex spatiis philosophi descripserunt vitam humanam, in quibus limitatur et currit, et ad vitæ terminum pervenit. Pergamus ergo breviter per prædictos gradus ætatum, etymologias earum in homine demonstrantes.

Infans dicitur homo primæ ætatis, dictus autem infans, quod adhuc fari, id est loqui non potest nondum enim bene ordinatis dentibus, minus integra est sermonis expressio.

Puer a puritate vocatus, quia purus est, et nondum lanuginem, floremque genarum habet. Hi sunt, qui hebeti sunt ephebi ab ἥβη hebe quæ est pubertas dicti, pueri autem necdum pro nativitate sunt viri, sed adolescentuli leves. Puer autem tribus modis dicitur, pro nativitate, ut Isaias. *Puer natus est nobis* (*Isai.* IX); similiter pro ætate, ut octennis, decennis, unde est illud:

Jam puerile jugum tenera cervice gerebat.

Secundo pro obsequio et fidei puritate, unde in cantico Virginis. *Suscepit Israel puerum suum* (*Luc.* I). Tertio pro ruditate et ignorantia. Unde: *Puer centum annorum morietur* (*Isa.* V). Puella parvula, quasi pulla, unde et pupillos non pro conditione, sed pro ætate puerili vocamus.

Pupilli autem dicti, quasi sine pupilla et oculis, id est a parentibus orbi, hi autem vere pupilli dicuntur, quorum parentes ante decesserunt quam ab his nomen acciperent. Cæteri orbi vocantur.

Orphani iidem qui et pupilli. Illud enim Græcum nomen est, hoc Latinum. Nam in Psalmo ubi sæpe

legitur : *Pupillo tu eris adjutor* (*Psal.* IX); Græcus habet orphano.

Puberes a pube, id est a lanugine vestiente pudends corporis noncupati, hæc loca tunc primam lanuginem ducunt. Quidam autem ex annis pubertatem existimant, id est eum puberem esse, qui quatuordecim anuos expleverit, quamvis tardissime pubescat. Certissimum autem est eum puberem esse, qui ex habitu corporis pobertatem ostendit, et generare jam potest.

Puerperæ sunt quæ annis puerilibus pariunt, unde et Horatius :

Laudatur jam prole puerpera nata.

Vel sunt dictæ puerperæ, quod puellæ pariunt, vel quod pueros pariunt.

Adolescens dictus, eo quod sit ad gignendum adultus, sive quod adhuc adolescit, id est, crescit et augetur.

Juvenes dicontur quod posse juvare incipiant, ut in bobus juvenci, eum a vitulis discesserunt. Est enim juvenia in ipso ætatis incremento positus, et paratus ad auxilium. Nam juvare hominis est opus aliquod conferentis. Sicut autem in hominibus trigesimus perfectæ ætatis est anous, ita lo pecudibus et jumentis tertius robustissimus est.

Vir nuncupatus, quod in eo major est vis quam in feminla; unde et virtutis nomen accepit, sive quod vi agat in feminam.

Mulier vero a mollitie, tanquam mollier l littera detracta vel mutata appellata est mulier ; utrique enim fortitudine et imbecillitate corporum separantur. Sed ideo viro maxima virtus, mulieri minor, ut patiens et obediens viro esset, scilicet ne feminis repugnantibus libido cogeret viros alind appetere, aut in alium sexum proruere. Dicitur igitur mulier secundum femineum sexum, non secundum corruptionem integritatis, et hoc ex lingua sacræ Scripturæ. Nam Eva facta de latere viri sui, nondum contacta a viro, mulier appellata est, dicente Scriptura : *Et formavit eam la mulierem* (*Gen.* II). Et ad matrem Dominus : *Mulier, ecce filius tuus* (*Joan.* XIX).

Virgo a viridi ætate dicta est, sicut et virga, et vitula. Alioquin ab incorruptione, quasi virago, quod ignoret feminesm passionem.

Virago dicta, quod ut vir agit, id est opera virilia facit, et masculi vigoris est. Antiqui enim fortes feminas ita vocabant. Virgo autem non recte virago dicitur, si non viri officio fungitur. Mulier vero si virilia opera facit, recte virago dicitur, ut Amazones. Quæ vero nunc femina, antiquitus vira vocabatur, sicut a servo serva, et a famulo famula, ita a viro vira; hinc et viraginis nomen dedoctum quidam putant, femina vero a partibus femorum dicta, ubi sexus a viro discernitur. Alii Græca etymologia feminam ab ignea vi dictam putant, quod vehementer virum concupiscit; libidinosiores enim viris feminas esse tam in mulieribus quam in animalibus dicunt. Unde nimius amor apud antiquos femineus vocabatur. Senior est adhuc viridior. Ovid. in lib. VI :

Senior inter juvenemque senemque.

Terentius :

Quo jure sumus adolescentiores.

Ubi adolescentior non utique magis adolescens, sed minus, ut senior minus est quam senex, ubi comparativus gradus minus significat positivo (4). Ergo senior, non satis senex, sicut junior infra juvenem, sicut pauperior infra pauperem. Senes autem quidam putant dictos a sensus diminutione, eo quod jam præ vetustate desipiant. Nam physici dicunt homines stultos frigidioris esse sanguinis, prudentes calidioris, unde et senes, in quibus jam friget, et pueri in quibus nondum calet, minus sapiunt. Inde est quod convenit in hoc infantium ætas et senum. Senes enim per nimiam ætatem delirant, pueri per lasciviam et infantiam ignorant quid agant. Senex autem tantum masculini est generis, sicut anus feminini. Nam anus dicitur sola mulier. Anus autem appellata a multis annis, quasi annosa. Nam si commune nomen esset, eur non diceret Terentius senem mulierem? hinc etiam vetuls, quasi vetusta. Sicut autem a sene senectus, its ab anu anilitas nominata est.

Canities autem vocata a candore quasi candities; unde est illud florida juventus, lactea canities, quasi diceret, candida. Senectus autem multo nobis defert et bona et mala; bona, quia nos ab impotentissimis dominis liberat, voluptatibus imponit modum, libidinis frangit impetus, auget sapientiam, dat maturiora consilia; mala autem, quia senium miserrimum est debilitate et odio; subeunt enim morbi tristisque senectus. Nam duo sunt, quibus minuuntur vires corporis, senectus et morbus.

Mors dicta, quod sit amara, vel a marte, qui effector est mortium, sive a morsu primi hominis, qui vetitæ arboris pomum mordens mortem incurrit. Tria autem sunt genera mortis, acerba, immatura, naturalis; acerba infantium, immatura juvenum, matura, id est naturalis senum. Mortuus autem ex qua parte orationis declinetur, incertum est. Nam, sicut ait Cæsar : « Non potest mortuus aliquis facere post mortem suam, ita homo non potest scire ejus originem, » id est vocabuli mortuus. Ab eo enim quod est *morior*, participium præteriti temporis in *tus* exire debuit, per unum u, non per duo uu, nam ubi est geminata littera uu, nomen est, non participium, ut fatuus, arduus. Convenienter itaque factum est ut quemadmodum id quod significat, non potest agendo, ita et ipsum nomen non potest loquendo declinari. Omnis autem mortuus aut funus est, aut cadaver. Funus est si sepeliatur, et dictum funus a funibus accensis, quos ante feretrum papyris cera circumdatis ferebant. Cadaver autem est si insepultum jacet, nam cadaver nominatur a cadendo, quia jam stare non potest. Quod dum portatur ad sepulcrum, exsequias illi fieri dicimus; ubi crematum est, exstare ejus reliquias, ubi conditum est, jam

(4) Id Valla negat.

sepultum esse. Corpus autem dicitur a consuetudine, quia dum vivebat corpus erat, ut illud :

. . . . . *Tum corpora luce carentum.*

(VIRGIL. *Georg.*, lib. IV, vers. 355.)

Defunctus vocatur, quia complevit vitæ officium; nam dicimus defunctos officio, quia officia debita compleverunt. Unde est et honoribus functus; hinc ergo defunctus, quod ab officio vitæ sit depositus, sive quod sit die functus. Sepultus autem dictus eo quod sit sine pulsu vel sine palpitatione, id est sine motu. Sepelire autem est corpora condere, id est abscondere. Nam humare obruere dicimus, hoc est humum injicere et humo tegere.

LIBER QUARTUS.

De proprietatibus et epithetis rerum, serie litteraria in ordinem redactis.

CAP. I. *De his quibus prima littera est A.*

Ablactatus a mamilla per amarum separatur, patri redditur, et validiori cibo utitur.

Abies est arbor alta, procera, coma pulcherrima.

Accipiter agrestis vel sylvester aves domesticas rapit, captas continuo devorat; ut plumescit, requirit loca opportuna unde non extrahitur, abjectis plumis sylvestres aves capit, columbam persequitur, prædam Domino servat. Domesticus in sinistra geritur, ut volet ad dexteram, compedibus constringitur, corrigia ligatur; quæ cum non rupta, sed soluta est, volare permittitur; visa carne redit ad Dominum.

Acinus in nigredinem vertitur, odorem vini retinet, fetorem emittit.

Activa vita prædicat, sollicita est, finem habitura fructuosum, operibus instat, martyrium subit, periculosa est.

Acus gracilis est, rigida, teres, uno capite acuta, et altero perforata, consuendi officio apta.

Adamas insecabilis et indomabilis est, ferrum attrahit, auro vel alio metallo non retinetur, sed chalybe, et tantum sanguine hirci comminuitur.

Adeps omnis Domini est jure perpetuo, crassitudo interior est cordis vel ventris, jecoris vel hepatis, renum vel renunculorum.

Aer rarus est, mobilis, avibus plenus, facile corrumpitur, spiraculum est viventium, nubibus obscuratur, sole illuminatur, hieme condensatur, vento agitatur, æstate serenatur, nubilosus significat pluviam futuram.

Æs et æthiops, et æstas habentur in littera *E*.

Ager a nocuis purgatur, stercoratur, multipliciter aratur, rastro æquatur, seminatur, semen operitur, fossis circumdatur, sepitur, vacare permittitur, signa ad fugandum aves in eo ponuntur.

Agricola mane consurgit, vilibus induitur, boves jugo sociat, stimulo boves sollicitat, tempora arandi et seminandi observat, tempestatibus aeris non abigitur, rectum sulcum facit, instante vespera domum revertitur, jactum semen patienter exspectat.

Agnus innocens est et pius et simplex, inter multas matrem cognoscit, solo balatu illam cognoscit, matri simillimus est et immolationi aptus; immolandus non clamat. Mater ejus lac præbet ad fomentum, et lanam ad vestimentum, carnem ad esum. Tondendus silet, ungulam findit et ruminat.

Ala gemina est, dorso infigitur, volucrem sublevat.

Alba vestis sacerdotalis corpus operit, est in manicis stricta, inferius lata, linea est.

Alveus aquam continet, profundus est, alluvione dilatatur.

Amygdala dulcis est cibus ægrotantium, dura et aspera testa tegitur.

Ancilla, humilis, obediens, verecunda, timida, fidelis, sollicita, inculta, non habet potestatem.

Anchora fortis est, adunca, ferrea, in portu jacitor, funem habet, navem retinet contra procellas, vix evellitur.

Angelus purus natura, fidelis custodiendo, reconciliator gratiosus, obediens exsequendo, contemplativus favendo, activus nuntiando.

Annulus principio caret et fine, rotundus est, lapide decoratur, digitum circuit et stringit, digitum ornat, strictior non congruit, largior decidit, desponsandis et consecrandis virginibus aptatur, sigillis regiis apponitur.

Annus quatuor temporum vicissitudine variatur, duodecim mensibus distinguitur, in se revolvitur, in se nascentia consumit.

Anseres silvestres in altum et inordinate volant, omnes sunt cinerei coloris, assiduitate clangoris noctis testantur vigilias, simul habitant, sæpius conclamant. Domestici seipsos rostris lacerant, cum sentiunt hominem clamant, varii et nivei coloris sunt, seminibus jactis nocivi.

Apis sine coitu nascitur, de putri bove oritur, sollicita est, floribus pascitur, gregatim volat; alii, non sibi laborat, occisas et mortuas abjicit, cito læditur, frigori inimica, exterius aspera, interius habet dulcedinem, munditiam diligit. Cum pungit, aculeum amittit; quo omisso nunquam fructum facit.

Aqua communis est, sordes lavat, in ima fluit, alveum non deserit, in mare revertitur, omne dilu-

vium sequitur, frigida naturaliter, vino mista valet ægris, cum hordeo cocta sanior est, terræ mista lutum facit, est pauperum potus, clara est pro speculo, sitim sedat, vestigium navis non retinet, ignem exstinguit.

Aquila ab acumine oculorum dicta, quia solis radium irreverberato oculo ac visu intuetur, pullos non sic solem contuentes, quamvis suos, abjicit. In aere alto volans pisciculos in mari conspicit, quos celeri descensu raptos devorat, cæteris altius volat, rostrum in senectute nimis crescens ad petram excutit, et rejuvenescit, in arduis nidificat, trans maria sentit odoratu cadavera, de rapto vivit, et amethysthum ponit in nido, qui fugat venenum.

Aquilo aquas congelat; unde aquilo quasi aquas ligans, frigidus est, flores lædit et herbas, a septentrione flat.

Aranea septem pedes habet, veneno tabet, seipsam eviscerat, de visceribus suis telas texit, irretit muscas, sugit muscas, et sic aret et moritur; turgida est, in aerem se sua tela sine alis aut alio adminiculo erigit.

Aratrum de ligno et ferro fit, terram findit, ab agricola tenetur, terram meliorat, in campo dimittitur.

Arbor, quanto altius radicem figit, tanto firmius hæret, umbram facit, in æstate viret, floret, fructificat, in hieme marcescit, superfluis abscissis magis et uberius fructificat.

Arca fuit de lignis setim, intus et foris auro vestita, in latitudinem habuit cubitum et semissem, in lateribus singulis duo annuli aurei, in annulis vectes de lignis setim deaurati. In ea erant tabulæ et virga Aaron, Deuteronomium, urnaque cum manna.

Arcus medium habet immobile et inflexibile, duo extrema mobilia; sinistra manu tenetur, si diu tenditur lentescit, cito læditur, in ipso durum per molle temperatur; chorda tenditur, sagittam emittit.

Areolæ concavo fiunt lapide, aquam ad hortum vehunt.

Aries duo cornua habet in fronte; dum viget lascivus est, gregem præcedit, gregem tuetur cornibus, regit gregem et fecundat.

Argentum candidum est, mundum, dulcem habet tinnitum, attractivæ naturæ est.

Arrha pars est pretii, confirmatio contractus, certitudo habendi rem.

Asinus silvester, id est onager, ferus est dente, loca horrida inhabitat, canes insequentes lacerat. Domesticus a fero perfoditur, nullum dente petit, stolidus est, in posterioribus fortior, in anterioribus debilior, crucem in dorso gerit, in juventa ætate pulcher, in senectute turpis, horrendum clamat, luxuriosus est, segnis est, carduis delectatur, mitis est, aculeo pungitur, lyra delectatur, ei primum insedit homo.

Aspis veneno nocet, in cavernis habitat, cauda obturat unam aurem, terra alteram, contra incantatores; si quem percutiat statim obdormit, et ita eum perimit.

Athleta comam in rotondum tondet, oleo caput ungit, se vestibus non onerat, omni parte se custodit, rubris induitur, arma firmiter tenet, molestiis non cedit, spe victoriæ adversarium quiescere non desinit, in pugna perseverat, terminos non egreditur, ad victoriam semper oculum habet.

Auceps diversa habet retia, laqueos et viscum, loca avibus frequentiora quærit, laqueos occultat, et seipsum abscondit, voces avium simulat, quandoque per unam decipit alteram, captas præter unam sibi incorporat.

Aurora fugat tenebras, rutilat, diem ministrat, surgente sole obscurior est, inter noctem et diem media; dum rubet, signat pluviam futuram.

Aurum inter omnia metalla pretiosissimum, solidum est, visum fovet, quanto rubicundius, tanto melius, per fornacem purgatur, splendidum est, et regibus aptum.

Auster ventus calidus est, solvit gelu, florem nutrit, a meridie flat.

Autumnus quæ in anno nata sunt, colligit, arbores nudat et agros, fructibus abundans est, flores tardos et inutiles producit.

CAP. II. *De his quibus B est prima littera.*

Baculus longus, teres, rigidus, inflexibilis, sustentationi congruus, defensioni aptus.

Balneum corpus lavat et desiccat, calorem naturalem accendit, carnem emollit, nutrit, membra dissoluta consolidat.

Balsamum odoriferum est, putredinem arcet, stipes ejus viti similis est, juventutem conservat, ejus gutta mista oleo cyprino vel melle adulteratur, sed probatur esse sine melle, si quis cum lacte coagulaverit, chrisma conficit apposito oleo; purum sole ardente sustineri non potest, ut vitis sustentatur et colitur, cujus arboris perpetua coma est insignis, duobus cubitis eminet, acutis lapidibus et osseis cultellis inciditur, quia ferri tactus ei noxius est.

Baltheus militaris aureus est, renes et pectus cingebat vel stringebat, totum corpus ambit et cingit.

Barba fortitudinem designat, sexum denotat, capiti adhæret.

Basiliscus rex est serpentum, solo visu hominem interficit, flatu necat aves volantes, adeo veneno plenus est, quod totus perlucet, prior visus ab homine non nocet homini, et vacua regnat basiliscus arena.

Beata Virgo pauper fuit, humilis, obediens, quieta, modesta, simplex, sapiens, ab angelo nuntiata, in utero sanctificata, prima votum virginitatis Deo sponso suo obtulit, ab angelo salutata, plena gratiæ est prædicata, mater est Domini, domina angelorum, stella maris, terra quæ germinavit Salvatorem, terra de qua formatus est verus Adam, terra de qua orta est veritas, terra de qua eductus est verus panis, terra quæ dedit fructum suum, terra cujus fructus sublimis, terra quam Dominus benedixit, terra de qua dicitur: « Cecidit semen in terram

bonam, terra fluens lacte et melle (*Luc.* VIII), arca testamenti, imo et fœderis, stella ex Jacob orta, urna habens manna, thronus Salomonis, domus salutis, porta clausa, vellus complutum, thalamus sponsi, templum Salomonis, virga Aaron, tunica summi sacerdotis, mulier amicta sole, domus septem columnis excisa, hortus conclusus, fons signatus, triclinium Trinitatis, arca Noe, pulchra ut luna, electa ut sol, et aurora consurgens.

Beryllus lucet ut aqua sola percussa, calefacit manum tenentis.

Bos duo cornua habet, ruminat et findit ungulam, terram arat, jugo premitur, paleas comedit, immolatur, stimulo cogitur, fortis est.

Bubo sonat voce sicut avis, feralis, onerata plumis, gravi pigritia detinetur, in sepulcris die noctuque versatur, noctem amat, cæteris avibus exosa, semper in cavernis moratur.

Buccina in imo stricta, in summo lata, audaces animat, timidos terret, dispersos congregat, horrendum sonat.

Butyrum dulce, candidum, pingue, cito liquescit, ex lacte coagulato fit, raucedinem tollit.

Buxus dura, arbor est humilis, rupibus inhæret, sterilis est, in hieme viret, comam non deponit.

CAP. III. *De his quibus C est prima littera.*

Cadaver, putridum, fetidum, cibus est vermium.

Cæpe lacrymas provocat, diversis operculis tegitur, cito putrescit.

Caladrius seu charadrius avis, quæ posita ante ægrotum, si respicit eum, totum abibit morbum, et convalescit ægrotus; si non velit respicere, signum est mortis.

Calamus est concavus, fragilis, levis, scribendi officio aptus.

Calceamenta pedes tegunt et muniunt, laxiora non congruunt, strictiora lædunt, pedi circumligantur.

Calcedonius seu carchedonius colorem pallentis lucernæ habet, sub die fulget, in domo obscurus est, scalpentium artibus resistit, radio solis vel fricatione digitorum excandens, paleas ad se trahit.

Calculus lapis durus est, volubilis, planus, rotundus, in fluminibus invenitur, in aqua non mollescit.

Calor dissolvit, aperit, cogit, fovet, nigrorem inducit, et nimius urit, at exsiccat.

Camelus ingens corpore, oniler est, gibbosus, et deformis, se ad onerandum inclinat.

Campana somnolentos excitat, horas designat, in imo lata, in summo stricta, si argentum admisceatur dulcius sonat.

Campus est locus capax, incultus, spatiosus, floribus et pascuis uberrimus.

Candela ceram habet et stupam, lumen præbet, seipsam consumit, directa est, plana, longa, superius arcta, inferius lata, subtus perforata et concava.

Candelabrum in templo fuit ex auro purissimo; ductile, hastile ejus ferreum, vestitum quinque calamis aureis; in capitibus calamorum scyphi in modum nucis, lilia de fundo scyphorum procedebant, sphærulas desupar scyphos sex brachia cum hastili, ferrea, vestita calamis aureis septuaginta. Partes habuit in summo, stipitem inferius, quo nitebatur, septem lucernas, septem infusoria, septem emunctoria.

Canis latroni est infestus, cæcus nascitur, nullum cognoscit nisi eos inter quos habitat, linguam habet medicinalem, sagacitatem mirabilem, fidelitatem commendabilem, lupos et fures arcet, odoratu viget, dentes habet acutissimos, sanguinem lingit, rapidæ famis est, ad vomitum redit, ossa rodit.

Cantus pigros excitat, devotos incitat, concordiam retinet.

Capilli teretes sunt, graciles, caput ornant, firmitar radicantur.

Capra ruminat, pedem findit, fetida est, in pascendo duos pedes sursum erigit, de ejus pilis fit cilicium, hirsuta est, immolatur, in summis pascitur.

Caprea munda est, visu acuta, pedem findit, et ruminat, gressu velocissima, in summis pascitur.

Caput eminentissimum membrum est, et cæteris principalius, quinque sensus continet, capillis ornatur, colla superponitur.

Carbo de mortuo reviviscit, de nigro in ruborem vertitur, favillas generat, et dum resolvitur, cinerea.

Carbunculus lapillus lucidissimus est, tenebras noctis fugat, in terra Evilath invenitur.

Carcer tenebrosus est, fetidus, horribilis, profundus, pœnalis, solitarius.

Caro fragilis est, suadet et concupiscit adversus spiritum, pravos motus gignit, infirma est.

Casia herba quæ et fistula in aquis nascitur, concava est, in immensum crescit.

Castrum in tuto locatur, fossis munitur, muris circumdatur, propugnaculis ambitur, in eo sunt defensores, arma, victualia, speculatores.

Catena ponderosa est, ferrea, dura, constringit, moveri non sinit, in ea annulus complectitur annulum.

Cathedra doctorum est sedes, quatuor quibus sustentatur, pedes habet.

Cedrus in Libano nascitur, alta est, sterilis, odorifera, ejus resina litum non putrescit, neque vetustate corrumpitur, quantum in auras se extollit, tantum radicatur in terra, firmiter hæret, imputribilis est, ejus odor serpentes fugat, vel occidit.

Cera sicca est, in favo latet, pura est, fragilis, ad ignem mollefit, tenax et mollis formam sigilli recipit, tumorem reprimit, odorifera est et pallida.

Cerebrum in capite est, citra mortem immobile [*f.* inviolabile], sedes est memoriæ, intellectus vis, et rationis.

Cervical quadratum, breve, bysso insuitur, plenum levissimis plumis, capiti supponitur.

Cervi a patria ipso tempore amoris discedentes,

ordinate incedentes, alter alterum portat cornibus A dorso impositis, per dumeta illæsi evadunt, serpentes de cavernis extrahunt, serpentem extractum comedunt, et hausto fonte visum recuperant, superflua cornua deponunt, et juvenescunt, ludunt, ruminant, et findunt ungulas.

Chrisma ex balsamo et oleo consecratur, eo sacerdotes et reges inunguntur.

Christus vili pretio appretiatus, oravit cum sudore sanguineo, a discipulo traditus, vilissime detentus, ligatus, alapis cæsus, flagellatus, falsis testibus accusatus, reus mortis dictus, barba ejus vellitur, ut dicit glossa super Isaiam : « Coram Pilato a multis accusatus, ab Herode spernitur, alba veste induitur, latro pro eo eligitur, injuste damnatur, chlamyde coccinea induitur, spinis coronatur, arundine caput B ejus percutitur, propriis vestibus exuitur, crucem sibi bajulat, crucifigitur, blasphematur, aceto potatur, clamans et flens emisit spiritum, lancea latus ejus perforatur, imponitur sepulcro. »

Christus etiam est templum Salomonis, botrus de terra promissionis in desertum translatus, columna ignis et nubis, David est quem Saul id est Judaicus populus voluit transfigere, sed plantata est lancea ad parietem, et illæsus evasit, hircus emissarius, et immaculatus, geminus passer quorum unus immolatur, et alter avolabat, propitiatorium, agnus immaculatus, summus sacerdos qui semel introivit in Sancta sanctorum, vitula rufa, serpens in palo erectus, Samson fortis, verus Salomon, David manu C fortis, vel aspectu desiderabilis, Isaac ferens ligna, verus Josue, Joseph pulchra facie et decorus aspectu, Eliseus magnus coaptans se puero.

Chrysolithus lapillus aureum fulgorem habet, ardentes scintillas videtur emittere.

Chrysoprasus vel chrysopassus lapillus viridis, aureæque naturæ, qui in India nascitur, quidam etiam est purpureus cum aureis guttis.

Cicatrix vestigium vulneris est, de facili renovat vulnus, cauterizat carnem, dolorem retinet.

Ciconia veris est nuntia, serpentibus inimica, societatis amica, maria transvolat, in Asiam collecto agmine pergit, coturnices eas duces præcedunt, eximia illis circa filios pietas est, adeo pullos in D nidis fovent, ut assiduo incubatu plumas deponant, et per quantum tempus filios nutriunt, per tantum a filiis nutriuntur.

Cilicium de pilis caprarum fit, vermes nutrit, fetidum est et pungitivum.

Cinnamomum corticem habet ad modum cannæ, in medio Æthiopiæ gignitur, frutice brevi, duorum cubitorum, colore cinereo vel subnigro, erassmo despicitur, gracilius carius est, virgam habet rotundam et gracilem : cum frangitur, visibile evolat spiramentum in modum nebulæ vel pulveris.

Cinis de lignis fit per ignem, minutus est et ponderosus, pannos lavat, fit optimus de sarmentis, id est de vitium putamine.

Cisterna profunda, frigida, pluviæ exceptiva, aquæ conservativa.

Cithara de corio fit animalis mortui super lignum extenso, ordinatæ chordæ ab interiori redduot sonum; si nimis tenduntur, rumpuntur; si minus raucescunt, plectro temperantur.

Clavis intromissoria est, magnam seram evolvit, ostium aperit, strepitum facit.

Claustrum carcer est spontaneus clericorum, locus quietis, securum efficit de externis, lætum de internis, certum de æternis, si corpus compescit, tamen mentem exhilarat.

Clibanus rotundus, solidus, candidus, demissus, patulus, obscurus.

Coccum bis tinctum erat, colorem habens ignis.

Cœlum quæ in eo sunt celat, sedes Dei est, locus angelorum et beatarum animarum, quietum, pacificum, altum, leve, molle, suave, planum.

Collum capiti adhæret, longum est, caput corpori jungit, cibum ad corpus trahit, per ipsum formatur vox, planum est, candidum, teres.

Columba simplex est, osculis instat, felle caret, pedes rubros habet, visum præ cæteris avibus habet acutum, nullum ore vel ungnibus lædit, pauper est, pullos rostro pascit his quibus pasta est, morticinio non vescitur, puro grano vescitur, alienos pullos ut suos fovet, super fluenta residet, ut accipitrem videat venientem, in petris nidificat, alis se defendit, gregatim volat, fecunda est, gemitum pro cantu dat, geminos pullos nutrit.

Columna capitellum habet, stilum, basim, ædificium sustinet; fortis est, directa, gracilis, longa, rigida, detorta, plana.

Consecratio Ecclesiæ sic fit : Reliquiæ asportantur, et viginti una cruces mox fiunt in parietibus, corpora extrahuntur, episcopus ad ostium pulsat, ecclesiam ambit, ter aspergendo eam aqua benedicta, intus etiam aspergitur aqua, vino, sale, cinere, cærei duodecim in parietibus juxta cruces, vel imaginem apostolorum ponuntur et illuminantur, alphabetum in modum crucis in pavimento scribitur, thus super altare crematur, altare chrismate inungitur, operitur, ornatur, missa celebratur, vexillum ecclesiæ superponitur.

Cophinus vilis est exterius, de juncis et foliis palmarum intexitur, vas stercoratum est.

Cor a sinistris est, et citra mortem inviolabile, sedes est caloris in medio corporis; est sedes animæ, et solius Trinitatis habitaculum.

Cornu de carne est, firmiter hæret, carnem excedit, durum est, sed mollius osse, durius carue, rigidum et lucidum.

Corona principio caret et fine, totum caput ambit, floribus intexitur, caput ornat, crines castigat, latior decidit, strictior non aptatur, transposita non congruit.

Corrigia longa est, tenuis, de mortuo animali fit, totum corpus ambit, membra constringit, clavos habet, vestes constringit et castigat, ingressum

habet quasi portam, pertusa acu fibulæ stringitur vel relaxatur.

Cortinæ de quinque coloribus erant, decem erant, operiebant una aliam, ansulas habebant, ornabant (*Exod.* XXVII, XXXVI).

Corvus niger est, cadaveribus pascitur, primum in cadaveribus oculum petit, et sic per oculum cerebrum extrahit, de rapto vivit, rauca voce clamat, clamasus est, fetus nisi nigrescant non nutrit, uidum ex moltis in unum congerit.

Coturnix a sono vocis dicta est qualea, amœnitatis tempora avet; æstate repulsa, maria transvolat. Hæc sola avium sicut et homo caducum morbum patitur.

Crater est tornatilis, rotandus, profundus.

Cremium siccum est, contrahitur, per ignem crematur, ut ignis sanguinem extrahat.

Cribrum purum ab impuro separat, grossa retinet, minuta expellit.

Crux, serpentis ænei palus, ligna Isaac, scala Jacob, virga Moysi, lignum Marath, signum Tau in superliminari domus, ligna Sareptanæ, sycomorus Zachæi, coccineum filum Raab, clavis David, vectis in quo botrus deportabatur. Quatuor habuit partes, ex quatuor lignis fuit composita, oliva, cedro, palma, cypresso. Pellit phantasmata, delet venialia, in modum crucis currunt per maris naves, volant aves in aere, natant homines, fiunt ecclesiæ et cucullæ.

Cultellus manubrio tenetur, ferro incidit, vagina custoditur.

Currus quanto plus oneratur, tanto plus stridet; quatuor rotis volvitur, vestigia relinquit, difficile vertitur, temonem habet, unctus facile currit, scalas habet hinc et inde, in rotis radios habet.

Cygnus natans collum erigit, fortis est in alis, carneto nigram habet. A canendo est appellatus, longum collum habet, plumas candidas, instante morte pennam in cerebro suo figit, et dulcissime canit. Fertur hyperboreis partibus olores plurimos advolare, et præcinentibus citharœdis admodum apto canere.

Cypressus odorifera est, medendis corporibus apta, et venustatem comæ nullo impulsu deponit.

CAP. IV. *De his quibus prima littera est D.*

Damula in montibus habitat, mundum animal est, visu perspicua, cursu viget, ruminat et findit ungulam.

Decem mandata Decalogi, decem virgines in Evangelio, decem leprosi mundati, decem tribus Israel, præter tribum Juda, et tribum Benjamin, decem cornua bestiæ, decem civitates, decem cortinæ super tabernaculum, decem digiti in manibus, et totidem in pedibus.

Denarius argenteus est, rotandus, quatuor quadraturas continet, integer, non imminutus, æqui ponderis, imaginem et superscriptionem continet.

Dentes albi sunt, duri, bene radicati, ordinati, cibos conterunt, fortes sunt.

Desertum infecundum est, ardoum, incultum, solitarium, invium hominibus, et feris habitaculum, ac serpentibus plenum.

Dies colorem restituit rebus, operari sinit, sincera est, et clara sole illuminante, furibus et latronibus et male agentibus adversatur, duodecim horas continet, calida est, noctem et tenebras fugat, dividitur in mane, meridiem et vesperam.

Digitus articulariter distinctus, longus, rectus, teres, unguem habet, gracilis est et flexibilis.

Discipulus debet esse humilis, sanctus, obediens, intentus, patiens, promptus, diligens, præceptorem suum parentis animi non corporis loco habens et colens.

Divitiæ cum dolore amittuntur, cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cito transeunt, superbiam generant, mentem sollicitudine pungunt, viam ad Dominum impediunt, a dæmone denuntiantur. Spinæ sunt semen bonum supprimentes, radicare non sinentes, iis tamen bonæ qui illis utuntur bene. In metallis, et gemmis, et victualibus, ac utensilibus thesauris et possessionibus consistunt.

Doctrina debet esse de fide et moribus, catholica, id est generalis, publica, sana, discreta, vera, matura.

Dolium rotundum est, circulatum, intextum, profundum, patulum.

Dominus Deus ad indulgentiam est facilis, tardus ad vindictam, pronus ad remunerandum, placabilis, benignus, portabilis, sine suspicione, nec incredulus.

Domus sic ædificatur, primo terra effoditur, inde fundamentum jacitur, prius parietes eriguntur, post diversa laquearia interponuntur, tectum superponitur, quadratus est paries, distinguuntur diversoria, multas continet portas et fenestras, habet diversos introitus et exitus. Requiem præbet inhabitantibus, a pluvia et ventis defendit, familiam unam constituit, vagos donat, scientiam et prudentiam in ea quiescentibus et meditantibus procurat.

Duo Testamenta, duæ tabulæ legis, duæ parietes in tabernaculo, duo chori in ecclesia, duo portitores botri, duo pisces in Evangelio, duo homines ascendentes in templum, duæ columnæ in portico templi, duo cherubim super propitiatorium, duo candelabra et duæ olivæ, duo luminaria in firmamento cœli, duæ uxores Jacob, duæ sorores Lazari, duo altaria tabernaculi, duo in homine oculi, duæ nares, duæ aures, duo pedes, duo crura, duo genua, duæ tibiæ, duo latera, duo brachia et cætera fere bina.

Duodecim patriarchæ, duodecim apostoli, duodecim post ascensionem annis prædicaverunt in Judæa, duodecim lapides in rationali, duodecim fontes in Elim, duodecim sedes judicantium, duodecim tribus Israel, duodecim panes propositionis, duodecim patenæ, duodecim pugilli, duodecim partes maris Rubri, duodecim exploratores, duodecim lapides de Jordane translati, duodecim excubiæ circa tabernacula, duodecim portæ civitatis, duodecim

lunculi super gradus Salomonis, duodecim fructus spiritus enumerantur in Epistola ad Galatas, duodecim fructus ligni vitæ in Apocalypsi, duodecim ibidem lapides, duodecim ibidem stellæ in corona mulieris visæ.

CAP. V. *De his quibus prima littera est E.*

Ebrietas ex frequenti potatione provenit, vomitum provocat, hominem audaciorem reddit, gressus titubare facit, linguam impedit, et quasi balbutientem reddit, gressus permutat, insensibilem facit, secreta denudat, fletum provocat, officium membrorum tollit, oblivionem ingerit, sui immemorem facit, discretionem aufert.

Ebur candidum est, frigidum, prius obscurum limis fit lucidum, planum, quanto vetustius, tanto rubicundius et pulchrius.

Elephantes ingentes sunt corpore, apti pugnæ, gregatim incedunt, fraude capiuntur.

Ensis acutus, splendidus, utraque parte planus, in vagina reconditur, litteratus est.

Equus indomitus vix domatur, vix tenetur, fortis est, velox, superbus, sonitu armorum non terretur, frenatur, sessorem sæpe discernit, armatus audacior est, sternitur sella, cingulis constringitur, luxuriosus est, calcaribus urgetur, duram habet ungulam in qua ferratur.

Eremita est solitarius, incultus, pallidus, macilentus, pannosus, hirsutus, horridulus, barbatus.

Ericius seu hericius spinosus est, cito irascitur, dum tangitur in acervum se colligit, in qua se extendit, formam porci gerit, pomis et uvis se involvit, ut se oneret, et postea nutriat.

Æs solidum est, vocale, imputribile.

Æstas calida est et serena, longiores habet dies noctibus, floribus et fructibus abundat, humida desiccat, tonitruis et fulgurationibus coruscat, fructuosas arbores ab infructuosis discernit.

Æthiops crispus est, dentes habet albos, carnem habet nigram, similem sibi generat.

Evangelia quatuor sunt, quatuor animalia in Ezechiele, quatuor pedes in mensa, jugum leve et suave, later æneus in ingressu tabernaculi, columna ignis et nubis, stella Magorum, quatuor quadrigæ in Zacharia, currus Eliæ, quatuor flumina de paradiso, manna in arca, liber septem sigillis signatus.

CAP. VI. *De his quibus prima littera est F.*

Faber noctem tanquam diem transigit, sedet juxta incudem, considerat opus ferri, vapor ignis urit vestes ejus, et carnes ejus in calore fornacis conterit, vox mallei intonat aurem ejus, et contrahit similitudinem vasis oculus ejus; cor suum dabit in consummationem operum, et vigilia sua ornabit imperfectionem (*Eccli.* XXXVIII), officinam habet vel fornacem, incudem, forcipes, malleum, molam ad exacuendum, ignem, folles, aspersorium.

Facies facturam, et sicut vultus voluntatem hominis declarat, cognitionem facit et discretionem.

Fæx in fundo residet, amara est, lutulentum quiddam est, de vino procreatur, odorem retinet.

Falx acuta est, recurva, propius tondet.

Fames vitales meatus arctat, opus attenuat, squalorem generat, vilia pretiosa reputat, cutem tumescere facit et pilosam, desidiam et appetitum excitat.

Farina minuta est, munda est, cum labore habetur, per aquam conglutinatur, fermentatur, acedinem sumit.

Fasciculus ex multis collectis fit, nisi bene colligatur, effluit.

Favilla levis est, in nihilum redigitur, post ignem remanet.

Favus cellulatus est levis, dulcis, ceram continet vel elicit.

Fax concava est, sicca, fragilis, seipsam consumit, lucem maximam diffundit, cum stridore comburitur.

Febris calorem ingerit, tremere facit, palatum corrumpit, sudore terminatur, symptomata relinquit.

Fenestra in cardinibus vertitur, patula est, lumen excipit, et radios solis.

Fera silvas inhabitat, indomita est et crudelis.

Fermentum modicum de pasta farinæ conglutinatæ immittitur.

Ferrum ponderosum exstinguitur ex aqua, magnetem sequitur, rauce sonat, ex ipso fiunt arma, in igne mollescit, crebis tunsionibus extenditur, in ore equi ponitur, equum regit, ipsum de facili circumducit, duabus corrigiis protenditur quibusdam appendiciis.

Ficus lata habet folia, succus eorum pruritum gignit, post grossos affert, qui de facili cadunt, nec sunt esibiles, fructus ejus dulcis.

Figulus sedet ad opus suum, convertit pedibus suis rotam, in sollicitudine positus semper propter opus suum, et innumera est omnis operatio ejus, in brachio suo formabit lutum, et ante pedes suos formabit virtutem suam. Cor suum dabit ut consummet linitionem et vigilia sua mundabit fornacem.

Filius hæreditatem exspectat, obediens est, patri similis, ingratus ab hæreditate expellitur.

Filum gracile est, tortum, longum, vestem consuit, setam sequitur.

Fimus dispersus terram fecundat, fetorem emittit, de animali oritur.

Fistula concava est et perforata, tenuiter sonat, ore sufflatur, decipit avem.

Flamma ex multis scintillis fit, in altum tendit, rutilat vel splendet, rubicunda est.

Flos visu delectat, odore afficit, spes est fructus, cito marcescit, exponitur aeri, vere nascitur, campum ornat, suavis est, frigore læditur, calore nimio uritur, vel grandine intemporanea dejicitur.

Fluvius rapidus est, ex abundantia crescit aquarum et pluviarum, profundus est, solitum alveum non deserit.

Feminalia linea erant stricta, sponte assumebantur, pudenda tegunt.

Fenum æstate viret, molle est, percussum facile sentit injuriam, succisum statim aret, in clibanum mittitur, cibus est jumentorum.

Folium tenue est, latum, leve, umbram facit, arborem ornat, fructum arboris tegit, in autumno pallescit, vento dejicitur, viride est, vento agitatur, et stridet.

Follis ex ligno et corio fit, os habet interiori parte, spiramentum attrahit, et emittit aerem ut ignem excitet.

Fons de terra scaturit, frigidus est, in rivos dividitur, parus est, dulce murmurat, sitim relevat, in hieme calet, clarus est, leviter turbatur, scaturigines sursum tollit.

Forcipes duo brachia habent, scindunt, dum scindunt, stringuntur, clavo junguntur, connectuntur in medio.

Fornax modica est, calida est, aurum purgat, ligna incinerat, scoriam adnihilat.

Frigus poros constringit, membra contrahit, fructificare non sinit.

Frons tenera est, cito rubet, locus est verecundiæ, maculam non celat.

Fructus odore mulcet, gustu reficit, naturam arboris ostendit, calore solis coloratur, maturus decidit, directe jaculatur.

Frusus genus roborum sponte nascitur, in densum pullulat, spinosus est, immeabilis, tenebrosus, densus, implictus, implexus, et sibi cohærens, hispidus, incultus, sterilis.

Fucus non laborat, pungit, aliorum labores devorat.

Fulgur in ura cadit, incutit, subito oritur, clarum est et splendidum, ex calore provenit.

Fumus ex igne nascitur, in directum ascendit, lacrymas provocat.

Funda motu vibratur, de corio fit, circum caput rotatur, lapidem continet, duabus corrigiis appenditur, dure ferit.

Fundamentum profunde locatur, firmum est, ex impolitis fit lapidibus, in imam terram jacitur, terra operitur, latum est, ædificium sustinet.

Fur de nocte venit, spoliat, subito invadit, et perimit incautos, aucupatur, domum suffodit, observatus latet, immisericors est, secretos introitus quærit, ad omnem strepitum pavet.

Fusciuncula recurva est, duos uncos habet, et fere ferrea est.

Fusus filo involvitur, in utroque fine acutus, in medio latus, dextera manu volvitur.

Cap. VII. *De his quibus prima littera est G.*

Galbani odor serpentes fugat, estque succus ferulæ cujusdam arboris quæ nascitur in Syria.

Gallina pullos sub alis fovet, contra milvum tuetur, de dolore pullorum suorum ægrotat, et raucescit, et plumas deponit, ex calore pascitur.

Gallus profundioribus horis noctis valentiores et productiores cantus edero solet, in matutino breviores furmat voces. Antequam canat alis se verberat, diem nuntiat, pigros excitat, omni vento se inclinat.

Gemma pretiosa est et clara, virtute pollet, plana, tota speciosa.

Gena decora, candida, plana, ob verecundiam rubore subfunditur.

Gibbus superfluitas est naturæ, minorem facit, deformitatem ingerit.

Gigas ingens est corpore, insignis membris, fortitudine præstans, sed pietate et ingenio bono deficit.

Glacies ad frigus ex aqua induratur, ad solem liquescit, fragilis est, lubrica, clara, splendida.

Glans a quercu oritur, cibus porcorum est.

Globus rotundus est, volubilis, multis filis circumvolutus.

Grando in aere induratur, friget, in cadendo contunditur et resolvitur, flores et herbas teneras lædit.

Granum seritur, moritur, post pullulat in herbam, post in spicam, et deinde in frumentum, colligitur, trituratur, a palea per ventum separatur, siccatur, et mola conteritur.

Grues viam sequuntur litterario ordine, excelsa petunt, quo facilius videant terras quas petunt. Una præcedit, quæ agmen castigat voce, qua raucescente, alia succedit. Noctis vigilias dividunt, et in ordine vigiliarum pedi semper innituntur uni, in quo calculum tenent.

Gurges profundus est, obscurus, horribilis, absorbens, alioquin immotus.

Gutta gravis est, cito arescit, modica est, præstat refrigerium.

Guttur vehiculum vocis est, et ciborum canalis.

Cap. VIII. *De his quibus prima littera est H.*

Hæreditas a Domino excolitur, Dominum pascit, firmiter possidetur.

Hamus aduncus, esca tectus, gracilis, linea appensus.

Harena [arena] innumerabilis est, minuta, amara, sterilis, ponderosa, humida, bibula.

Harundo [arundo] vacua est, fragilis, omni vento cedit, stridula est, in palude crescit, manum contrectantis sauciat, exterius viret, interius marcet.

Hasta longa, terea, directa, plana, lævia, gracilis, rigida, penetrativa, ferro munita.

Hedera serpit, semper viret, similis rosæ crescit, sterilis est, comam non deponit, attractivæ naturæ est, fetores arcet, victores coronat.

Heremita, videatur *Eremita*.

Herodius avis rapacissima, volantium maxima, aquilam vincit, in maximis petrarum nidificat.

Hiems aquas congelat, frigida est, noctes longiores habet diebus, humida est.

Hinnulus in excelsis moratur, velox est, visu perspicuus, in rupibus summis pascitur.

Hircus fetidus, luxoriosus, hispidus, immundus, immolandus, ruminat, et findit ungulam, cornibus insignis.

Hirundo garrula est, in domibus habitat, sinuosis circumflexibus volat, in nidis ædificandis et fetibus educandis solertissima, lapsura deserit nec appetit culmina, alias aves non impetit, nec impetitur ab eis, maria transvolat, ibique hieme moratur, et per adventum suum veris nuntiat initium.

Homo fragilis est, ad peccatum pronus, ad resurgendum ineptus, ad constantiam tenendam infirmus.

Honus, videatur *onus*.

Hortus, videatur *ortus*.

Hospes in alieno moratur, verecundus est, cito transit, non bene confidit in aliena domo.

Hostia eucharistiæ in colore candida, in quantitate modica, rotunda, triticea, immista, azyma, inscripta.

Hostium, videatur *ostium*, quia ab ore deducitur.

Humerus onera sustinet, geminus est, inflexibilis, fortis, latus.

Humor junctus calori nutrit, a terra in truncum, a trunco ascendit in ramos.

Hyacinthus cum aere mutatur, in sereno perspicuus, in nubilo obscurus.

Hypocrita sua mala celat, pallidus est, bono sua prædicat, incultus ingreditur, omnia operatur ut videatur, superbus, impatiens.

Hyssopus humilis est herba, pectus purgat, petræ hæret, radix ejus tumorem pulmonis sedat.

CAP. IX. *De his quibus prima littera est I et J.*

Jejunium corpus castigat, vitia comprimit, libidines arcet, mentem erigit, animam impinguat.

Ignis rutilat, ad calorem ejus trahuntur quæ in eo ponuntur, splendorem et fumum emittit, fumum generat, calorem ministrat, ligna consumit, attractivæ naturæ est, desiccat, cibos decoquit, materiam suam sequitur.

Imago lineamenta habet, umbram facit, assimilatur rei cujus est imago, inutilis est.

Incus truncus est ferreus durissimus, solidus et firmus, super quem formantur opera, ad nihil aliud utilis.

Insula fluctibus tunditur, fluctus frangit, sed paulatim minuitor.

Invidus, pallidus, macie confectus, cito prorumpit in iram, vultum commutat livore, oculis truculentus, animo inquietus.

Iris duos habet colores, rutilat, igneus exterius, interius aquatilis est, pluviam designat.

Isopus, videatur *Hyssopus*.

Jugum duos conjungit, grave est, ad terram premit, collo insidet, capiti colligatur, curvum est, indomitum castigat, nudum carnis terit.

Jumentum in fimo suo versatur et quiescit, villbus pascitur, oniferum est, sessores non discernit.

Juncus in aqua crescit, flexibilis, in summo acutus, gracilis, viridis exterius, planus, longus, directus, mollis, interius marcidus, nodo carens.

Juniperus est frutex dimissus, in cujus cinere servatur ignis per annum, ut dicitur; umbra et suffitu saluberrimus.

Juventus lubrica est, inconstans, inconsiderata, calida, intemperata.

CAP. X. *De his quibus prima littera est L.*

Lac album est, parvulos nutrit, coagulatum arescit, dulce est, pingue, suave, bulliendo elevatur.

Lacryma brevis, clara, cito arescit, valida, amara et salsa.

Lagnncula ex pluribus asseribus est texta, circulis ferreis constricta, spiraculum habet, vinum conservat.

Lamina tenuis est, crebris tunsionibus extenditur, aurea fuit in fronte sacerdotis, et nomen Dei tetragrammaton habuit, speciem lunæ corniculatæ tenens.

Lampas fragilis, subobscura, inferius stricta, superius lata, oleum continet, lucem præstat.

Lana crispa est, alba, mollis, suavis, levis, primo tondetur, post lavatur, tingitur, netur.

Lapis durus, volubilis, pedem offendit, aqua non mollescit, assidua gutta cavatur.

Later de luto formatur, igne solidatur, quadratus est, ruber, fragilis, crudus, si recens factus plus lavetur, plus sordet, domum tegit.

Lectus secretus, mollis, ornatus, tumidus, furtivus.

Leo rex bestiarum, ore fetet, ut mortuus nascitur, tertia die ad rugitum patris excitatur, vestigia delet cauda dum ab insequente premitur, ad rugitum ejus timent omnes bestiæ; eum circulum cauda facit, nulla ferarum audet transire; superbus est, fortissimus, prædæ semper inhæret.

Lepus velox, in petra cubile suum collocat, debilis, crura retro longiora habet, auriculatus, non ruminat, apertis oculis dormit.

Lex est basis super columnam, basis sub latere æneo, quinque panes hordeacei, mors in olla, baculus Eliæ, sacerdos et levita saucium pertransiens aqua Marath, tibicines circa puellam mortuam, hemorhoissa, sex hydriæ lapideæ, servus summi pontificis auricula altera mutilatus.

Libanus arbor est in Arabia cortice et folio lato, thuri similis, succum emittens modo amygdali; bis in anno, autumno scilicet et vere, colligitur, inciso cortice in æstatis fervore thus candidum exit; spuma contracta et densata in vere inciso cortice rubrum exit, non comparandum priori, sed tamen odoratius.

Liber de pelle mortui animalis fit, encausto scribitur per pennam, plura folia habet, punctatur, torculari constringitur, ligatur, antiqua gesta et secreta conservat, nisi sepe aperiatur, mucessit; insignibus ornatur, sigillis clauditur, de facili coinquinatur, igne contrahitur, aqua diluitur.

Libra duas lances æquales habet, linguam superius, ubi appenditur, æquitas magis ponderosum sequitur, lites dirimit, et pondere tendit in alterutram partem cui inclinat.

Ligna setim humilia, imputribilia, incremabilia, albæ spinæ similia, quanto plus in igne sunt, tanto plus solidantur.

Lilium de facili pullulat, de inculta terra nascitur, in convallibus oritur, odoriferum est, candidum, clausum continet odorem, apertum effundit, sex folia habet, inter spinas crescit, virgulas et stipitem habet in medio; a spinis pungitur, et tamen candorem retinet, directum est in stipite, adustis medetur membris, eradicatum non statim marcescit, ut alii flores.

Lima dentata est, acuit ferrum, et dum acuit trahitur, et retrahitur, seipsam consumit rubigine.

Limen introitus domus, et ejusdem principium et finis.

Lingua modica est, labilis, velox, in humido sedet, verba format, magna exaltat, frigidum est membrum, voluntatem denuntiat.

Linum prius seritur, cito læditur, gracile est et rarum, operitor propter volucres, molle colligitur in fasciculos, in aquam mittitur, ad solem siccatur, multis tunsionibus albescit, et varium colorem deponit, teritur, et a stupa separatur, netur, undatur, evolvitur, iterum lavatur et in telam orditur.

Locusta sordes lavat, se ipsam sordidat, aquæ colorem addit, cum nascitur vocatur bruchus, cum formatur, achelabus, cum perficitur, locusta, altera alteram devorat, in hieme latet, in æstate salit, crura habet retro longiora.

Lorica diversis circulis innectitur, corpus tegit et munit, ferrea est et ponderosa, jacendo fit rubiginosa.

Lucerna modicam lucem præstat, de testa figuli fit, quæ magna fracta apparet.

Lucifer stella matutina mane oritur, rutilantem diem nuntiat, tenebras fugat.

Luna lumen habet a sole, de nocte lucet recedentibus aliis, inferior est, et propior terræ aliis, recedente sole, sola dat lucem nocti, maculam habet, quæ quanto videtur clarior, tanto macula est major, rotunda est, quandoque cornieulata, per tempora crescit et decrescit, cito explet cursum suum, permagna est, et tamen parva videtur.

Lupus fetidus, rapidus, crudelis, absentiam canum et pastorum considerat, caulis ovium insidiatur, horrendum ululat, prius visus quam videat non nocet, prius videns vocem aufert.

Luter erat æneus ad ostium tabernaculi, labium habebat per circuitum desuper, aquam continens ad lavandos sacerdotes, basim subtus habens in directa linea longa et plana.

Luxuria gratuita tollit, animam inficit, corpori morbum paralysis ingerit, et cæcitatem oculis, corpus inquinat, famam deflorat, pecuniam tollit, inimica est proximo, fetet Deo, placet diabolo, odibilis angelis, ejus ignis descendit in infernum, fumus ejus vindictam petens ascendit in cœlum.

Cap. XI. *De his quibus prima littera est M.*

Magister debet esse eruditus, mitis, diligens, sollicitus.

Malleus durus, fortis, ponderosus, ad feriendum elevatur.

Malum granatum exterius rubicundum in cortice, interius pallidum, diversa continet grana rubicunda, quæ sitim sedant, durum habet corticem.

Mamilla in pectore sita, gemina, mollis, candida, rotunda, lac tenens, suavis, in virgine dura, laxatur in muliere, in ea sanguis in lac convertitur.

Manipulus ex multis fit manu collectis, cum labore colligitur, sed in gaudio possidetur.

Manna erat semen minutum quasi pilo tusum, album quasi semen coriandri, quidquid volebant comedentes ipsum sapiebat, ad solem liquefiebat, ad ignem durescebat, in mortariolo terebatur, habens saporem panis oleacei, ultra mensuram collectum scaturiebat vermibus.

Manus digitis distincta, flexibilis, operationi apta, candida.

Mare plenum est monstris, salsum et amarum, ventos generat, periculosum est, profundum, latum, omnis homo vivit in illo. Ibi major piscis minorem devorat, omnia flumina recipit, quæ currunt, viva corpora retinet, mortua projicit, fluit et refluit, nunquam quiescit.

Mater in pariendo anxia, in educando sollicita, in custodiendo diligens, in amore fervens.

Mel dulce, suave, tenax.

Mensa de lignis setim fuit deaurata, quatuor pedes habens, duas coronas, desuper labium æneum, per circuitum rotunda erat, duodecim panes superponendi sunt candidi in Sabbato, duodecim patenæ super panes, duodecim pugilli thuris super patenas, annulos in pedibus habens, et in annulis vectes.

Merula parva avis et nigra, sola volans, non gregatim ut sturnus; in regionibus Achaiæ sunt candidæ.

Miles duris gaudet, et dura sustinet, fortis est, sic armatur: ferreas caligas habet, super femoralia loricam, ornatum super loricam mitram ferream, et galeam, super galeam quoddam insigne ut conum, gladium acutum, lanceam, equo insidet, non cedit ictibus.

Milvus mollis est viribus et volatu, rapacissimus est, cadaveribus pascitur, circa coquinas et macella assidue volat, timidus est in magnis, audax in minimis, domesticis insidiatur avibus, silvestres non audet invadere, pullis insidiatur, et quos incautos reperit citissime necat.

Mola cito volvitur, aspera est, gemina, rotunda, ferro nititur, ponderosa, granum conterit, usu consumitur, farinam reddit.

Mons firmus, altus, sterilis, prius valle radios solis excipit, inferius latus, in summo strictior, majoribus impulsionibus excitatur.

Mors nullios miseretur; nulli compatitur, omnibus æquatur, inesperata venit, nulli parcit, corpus et animam separat, finis est laborum, et ultima linea rerum.

Mundus transitorius, vanos, sollicitus, falsus, deceptorius.

Murilegus callidus est, muribus insidiatur, laqueo capitur, de nocte videt, oculos habet rutilantes, non cito submergitur, unguibus viget; de alto salit nec læditur.

Murus fit de lapidibus sectis, oppida munit, hostes arcet, clausos cohibet.

Mus in caveis moratur, murilegum timet, modica esca capitur.

Mustum vinum dulce est, ventrem inflat, dissolutionem facit, calidum est, sine spiraculo lagunculas novas disrumpit, stridet; dum clarescit, omnia purganda ejicit, ebrietatem generat.

Myrrha arbor est in Arabia, quinque cubitis alta, albæ spinæ similis, ejus gutta viridis et amara, gutta sponte manans, pretiosior est elicita corticis vulnere, vulnerum vermes et putredinem arcet, odorifera est, desiccativæ naturæ est; inflaturas et tumores sedat.

CAP. XII. *De his quibus prima littera est N.*

Nardus herba folia presso et parvo. Ejus cacumina in aristas se spargunt, ejus spicas et folia ad conficiendum nardum deponunt pigmentarii; calida herba est et odorifera.

Naris directa, concava, spirat, odorem sentit.

Nasus directus, planus, candidus. In eo maxima parte consistit species faciei; spiritum emittit per nares.

Natans corpus in aqua habet caput supra aquam, et pedes movet, fluctus retro jacit.

Navis in principio et in fine est angusta, in medio lata et onusta, super aquas fertur, perforata submergitur, malum habet, velo concitatur, gubernaculo regitur, anchora retinetur, qua non munita vento movetur; scopulis confringitur, hauritoriis purgatur, fluctus premit et frangit, fluctibus undique tunditur.

Nauta in fine navis residet, puppim attente respicit, clavum regit, vium considerat et metuit, tempestatem formidat, navem omni tempore lustrat, ne alicunde læsa sit, plus justo eam non onerat, vilibus induitur, in portu mercedem expetit.

Nebula ab humore oritur, late spargitur, frigida est, ascendens pluviam nuntiat, calore solis dissolvitur; descendens serenitatem signat, immota manens obscuritatem.

Nicticorax in domibus habitat et muris, de nocte volat, diem fugit.

Nidus fit avibus secretus, intus calidus, extra asper, ex multis congestus.

Nix ex aqua induratur, candida et frigida est, cito dissolvitur, minuta descendit, desursum venit, calore in aquam resolvitur, terram operit, et segetem fovet

Novacula suaviter radit, acuta est, superflua incidit, firmiter in capsa reconditur.

Novem angelorum ordines, novem leprosi curati et non reversi.

Nox obscura, quieta, frigida, in nocte lignum putridum, et vermiculus quidam fulget, solitaria est, pigra ad operandum, importuna, periculis et phantasmatibus plena, colorem rebus aufert, stellis illuminatur.

Nubes leves sunt, pluviam nutriunt, obscuræ sunt et veloces.

Nutrix infantem lactat, custodit, dulciter tractat, diligenter portat, osculatur, cibos præmandit, infirmitates ejus sustinet, a fletu promissis et minis retrahit, ire et loqui docet, et præambulat quocunque eat, illi osculum dirigit, aliquando permittit eum cadere ut læsus iterum cadere caveat, iratum mulcet, eum lacrymatur oculos tergit, offensum revocat, in sinum levat.

Nux corticem amarum habet, testam duram, pabulum præstat, nucleum habet dulcem, suave lumen ministrat, vel accommodat.

CAP. XIII. *De his quibus prima littera est O.*

Octo sunt beatitudines, ætates hominis et mundi, octo cubitorum vestibulum portæ Ezechielis (*Ezech.* XL).

Oculus clarus, planus, extensus, tenerrimus, corpori lucem dat, cito læditur, pupillam habet, pupilla palpebra tegitur, macula vel nimio splendore obscuratur, geminus est.

Odor delectat, aerem inficit, post ablatum odoriferum fructum aliquantum remanet.

Oleum pingue, suave, pascit, invisibilis naturæ est, supernatat, inficit, fessos refovet.

Oliva arbor index est pacis, oleum dat, speciosa est.

Olla lutea, igne solidatur, fragilis est, fracta inutilis est.

Onus fertur, facile fertur si colligitur, ad terram inclinat, grave est cum ligatur super humeros.

Onycha piscis maritimus, cujus ossa comminuta suavissimum reddunt odorem.

Ordeum [hordeum] asperum est, cibus est jumentorum, humile, aristis plenum, dulce, aqua mistum confert ægris, tenacem habet paleam.

Organum fistulas habet, in modum turris ordinatæ stant fistulæ, concorditer sonant, cito læditur, follibus excitatur.

Ortus [hortus] circumfoditur et circumsepitur, arborum distinctione ornatus, floribus jucundus, germine viridante suavis, aura flante lenis et placidos, umbrarum amœnitate præstans, murmure fontis delectabilis, fructibus variis refertus, a rore illæsus, volucrum cantu laudabilis.

Os forte est, occultum, candidum, carnem sustinet, durum, solidum, concavum.

Osculum duo corpora conjungit, delectat, certificat, signum pacis est, pignus amoris, arrha sponsaliorum.

Ostium inter cardines vertitur, introitum ministrat, sera firmatur, pessulo munitur, duo liminaria habet, superius et inferius, vectibus appenditur.

Ovis lac et carnes præbet ad esum, lanam ad indumentum, immolatur; simplex animal est, vellere suo vestitur, et alios vestit, fecunda est, et fimus ejus utilis, aridis vescitur et pascitur, et paucis saturatur, ruminat, et findit ungulam, timida est, quieta, pellem habet multis usibus accommodam, communicabilis naturæ est.

Ovum perspicuum est, fragile, candidum, spes prolis, natum est ex animali, et ex eo animal nascitur.

P. XIV. *De his quibus prima littera est P.*

Palma juxta terram perquam gracilis est, superius lata, cortice rugoso, exterius dulcedinem habet, in radice aspera, alta, diuturnis foliis, suavibus pomis, ad modum palmæ manus extenditur, centenaria fert fructum, victorum est corona, quia ponderi non cedit, sed renititur.

Palmes in vite fructificat, extra vitem arescit, luxurians putatur, putamen igni traditur.

Palpebra oculum tegit et munit, abscissis palpebris homo non dormit, deformisque redditur.

Palea sicca est, levis, aterilis, tenax, ejicitur per ventilabrum, a grano dividitur, igne crematur, ardentissimum ignem facit et fortem.

Palus longus est, acutus, rigidus, ei præfoditur fovea ut facilius intret, sepi aptus est, acuitur, induratur igne, in ordinem ponitur.

Pannus lineus aperitur, immectatur, in calido lixivio ponitur, calefit, extergitur, flagellatur, torquetur, desiccatur.

Palus terra est aquosa, lutosa, invia, lubrica, plena lacunis, mollis, profunda, rania habitabilis.

Pampinus latus umbram facit, uvam contra intemperiem caloris munit, si luxuriatur succiditur, ut uva recipiat caloris fomentum.

Panis sic conficitur: primo farina molitur, pinsitur, cribratur, conspargitur, fermentatur, revolvitur, formatur panis, coquitur.

Pannus ex multis filis contexitur, lana ejus carpitur, netur, tondetur, orditur, comprimitur, pungitur, a fullono calcatur, lavatur, tingitur, arte extenditur, in vestem conscinditur et consuitur.

Panthera interpretatur omnis fera, pellem habet maculosam, speciosa est valde, mansueta, solis draconibus inimica, saturata draconibus in speluncam se recipit, et tribus diebus dormit, tertia die resurgit, et suavitatis miræ odorem effundit, et rugitum emittit, ad cujus rugitum animalia ubique locorum gressum figunt, et eam præcedentem ordinate sequuntur, solus draco vocem ejus audiens in speluncam se abscondit, et stupens quasi victus obmutescit.

Paralyticus officium membrorum amittit, tremulus est, frigescit et torpescit.

Pardus crudelis est et maculosus.

Passer modicus, luxuriosus, inconstans, instabilis, in tecto manet, in foramine petræ nidificat.

Pastor oves agnoscit, infirmas consolidat, ad pascua ducit et reducit, lupos arcet voce et baculo, morbidas et ægrotas sanat, confractas alligat, errantes reducit, debiles portat, fortes et pingues custodit, pereuntes requirit, fetas portat, agnos in sinu levat, ab eis cognoscitur.

Pater generat, revocat, nutrit, diligit, ditat, hæreditatem dat, erigit, corripit, sustinet.

Pavimentum decorum est, diversimode picturatur, subjectum pedibus conculcatur.

Pavo ex sono vocis subito pavorem incutit audientibus; onde a pavore dictus. Duras habet carnes et putredini resistentes, quæ vix coquuntur et sunt indigestibiles; incessum habet simplicem, caput serpentinum, pectus sapphirinum, in alis plumas aliquantulum rufas, caudam habet oculatam et longam; dum laudatur, erigit caudam; pennas per ordinem erigit in modum rotæ, visis pedibus caudam demittit, quia cum caudam erigit, posteriora nudantur, in cauda magna est ei gloriatio, caput infirmum habet et cristatum et inæquale reliquo corpori; fetus suos persæpe devorat, nisi sua mater occultaverit.

Pecten dentatus est spissis et rarioribus dentibus, crines componit et ordinat, caput purgat, osseus est, planus, lucidus, latus.

Pelicanus avis est Ægyptia, suatro pullos occidit, et eos per tres dies luget, post tres dies seipsam rostro lacerat, et suo sanguine eos sanat; nimiæ maciei avis est.

Pellis ab animali vim pellit, diversis usibus adaptatur.

Pera duabus corrigiis a collo dependet, recepta conservat, peregrinorum est, de corio fit, ad latus gestatur.

Perdix de voce nomen habet; nam avis est dolosa. Aliena ova rapit, et fovet ut sua. Illi pulli sic futi cum vocem propriæ genitricis audiunt, naturali instinctu eam reagnoscunt, et sequuntur. Prope terram volat, gregatim incedit, ejus carnes sunt sanæ, in rete ad sonum campanulæ inducitur, fomenta [frumenta] requirit.

Peregrinus quo tendat, considerat, longitudinem viæ ante meditur, necessaria victui secum portat, quam minimum potest se onerat, fortia calceamenta sibi comparat, peram habet, baculum gerit, pretiosis vestibus non induitur, bonæ societati se conjungit, a perfectione justi itineris aliqua molestia ponderis non impeditur, non retrahitur a transitoriis, per pericula se fidelibus commendat, timore et suspicione non caret, amore patriæ laborem tolerat, sua non multis ostendit, divitem se non prædicat, de fine itineris semper loquitur, cogitat, ad illum suspirat.

Pergamenum de mortuo animali extrahitur, ex-

tenditur, raditur, tenuatur, multis adaequationibus dealbatur, escuratur, tenue est, candidum, planum, aqua molle fit, et scribendi officio congruit, suave est, igne contrahitur et paratur, pumice planum fit, creta candidius, lineis distinguitur, ut sic tandem in ipso scribatur.

Pes terram petit, infima pars corporis est, et calceo munitur, hominemque portat.

Pessulum ostium obfirmat, volubile est, trahitur et retrahitur.

Pila sphaerica, volubilis, levis, intus floccis, spurcitiis, vel feno plena.

Piper est granum modicum, fortissimum gustu, nigrum, rugosum, calidum.

Piscator navem habet cum ornamentis suis, vilibus induitur, cum silentio navigat, retia in aquam mittit, jactis retibus pisces exterret, diversi generis retia ponit, retia sua lavat et reficit, in aqua turbida non ponit, retia sollicite qua jecerit, custodit; quae escae cuilibet pisci conveniant, novit.

Piscis pinnulas et squamas habet, cauda et pinnulis regitur, in aqua nutritur, extra aquam moritur, sine coitu generatur, ventum praevidet, et eo veniente in fundum se demittit, ad calorem saltat, semper ascendit, hamo in esca tecto capitur.

Plaga carnem cito putrefacit, fetet, vix sanatur.

Platanus arbor est alta et patula, juxta aquas crescit, foliis mollis, viti similis in foliis, succum habet teterrimum.

Pluma levis est, corpus tegit, mollis, in carne radicatur, suavis seu levis extrahitur.

Plumbum metallum est ponderosum, in aqua augmentatur, pro auro comburitur, tenerrimum ad scindendum.

Pluvia desursum venit, minuta est, terram emollit, frigus resolvit, terram irrigat, lutum generat, tempestatem temperat, aquas augmentat, ventum sedat.

Pomum sphaericum, visu pulchrum, acre gustu, suave, odoriferum, matorum pallescit, tactu terrae putrescit.

Pons aquae superponitur, trans flumen euntes portat, alluvione interdum dissolvitur, pilis sustentatur.

Porcus nisi currat tardus ingreditur, cursilis est, letosus, setosus, horrendum grunnit, rostro lutum suffodit, non ruminat, in luto delectatur, immundis vescitur, glandibus pascitur, uno percusso caeteri congregantur, et aggrunniunt.

Praedicator debet esse sanctus, doctus, discretus, maturus, facundus, honesto conversationis, constans, integrae famae, humilis, affabilis, missus.

Pruina de humore nascitur, obscura est, lato dispergitur.

Puer innocens est, purus, mundus, simplex, verax, munificus, placabilis, temperatus, laesus non saevit, offensus ad matrem recurrit. Videns mulierem non concupiscit.

Pulmo mollis est, spiritum attrahit, laesionem non patitur, calorem cordis temperat.

Pulvis terrae quasi atomus minimus, vilis, sterilis, mobilis, levis, aridus, vento volvitur, oculis nocius.

Pupilla modica, nigra, aciem habens, per hanc dirigitur, cito laeditur, albugine obumbratur.

Purpura sanguinei coloris est, ornatus regius.

Cap. XV. *De his quibus prima littera est Q.*

Quadratum sex habet latera, quocunque jacitur, super latus recidit et residet.

Quatuor sunt Evangelia et evangelistae, quadrigae Aminadab, quatuor millia in eremo refecta, quatuor annuli in arca, quatuor pedes in mensa, quatuor animalia Ezechiel, quatuor virtutes cardinales, quatuor operimenta tabernaculi, quatuor flumina paradisi, quatuor partes crucis, quatuor latera civitatis in Apocalypsi, quatuor vigiliae noctis, quatuor partes vestimentorum Domini in Joanne, quatuor partes mensurae in Matthaeo; quatuor liciis [*Vulg.* initiis] appensum erat linteum Petro ostensum (*Act.* 20).

Quercus arbor quaerens alta, fortis, porcis cibum ministrat, multumque durabilis est.

Quinque libri Moisi, quinque stolae datae Benjamin a Joseph, quinque panes in Evangelio, quinqua millia hominum, quinque partes Joseph datae prae aliis fratribus, quinque viri Samaritani, quinque columnae ante Sancta sanctorum, quinque virgines fatuae et quinque prudentes, quinque lapides quos sumpsit David de torrente, quinque effusiones sanguinis Domini, quinque vulnera in corpore Christi, quinque sensus in corpore humano.

Cap. XVI. *De his quibus prima littera est R.*

Racemus sphaericus est, intus plenus, grana continet, prius amarus et durus, et cum maturescit dulcescit.

Radius solis est clarus, subtilis, calidus, directus.

Radix praefigitur terrae, aspera est, occulta est, arborem sustinet, late se spargit, ad ramos mittit humorem.

Ramus de arbore, in arbore coalescit, abscissus aret.

Rana loquax est, fontem turbat, saltitat, in palude moratur, a gramine super quod saltat, in lacum se demittit.

Rationale seu logion, in pectore sacerdotis veteris, in quo dependent duodecim lapides, in quibus erant duodecim nomina filiorum Israel, in quo erat scriptum, veritas et judicium, superhumerali erat injunctum quibusdam catenis aureis.

Remus latus est, aquam fundit, navem concitat, et eam dirigit.

Rete diversis maculis intexitur, lavatur, piscem vel avem involvit, plicatur, in aqua lucida videtur, perturbata aqua occultatur.

Rhamnus prius mollis est, deinde spinosa, humilis est, semper virens, de ejus cortice fit gluten.

Rivus a fonte nascitur, a fonte separatur, saporem a fonte trahit et colorem.

Ros invisibiliter descendit, refrigerat, fecundat, suavis est, clarus, modico calore siccatur

Rosa rubicunda, odorifera, speciosa, ex spinis na-

scitur, cito marcescit, marcida albescit et contrahitur, frigida in foliis, calida in semine.

Rota radios habet circa centrum, id est axem, volubilis est, erigendo cadit, arida stridet, et nova similiter, plus justo onerata stridet et frangitur.

Cap. XVII. *De his quibus prima littera est S.*

Sacerdos debet esse vita honestus, pollens sapientia.

Saccus asper, durus, gravis, frumentum celat, quadrangulus est.

Saga de pilis caprarum erant super cornu altaris, terram tangebant, aspera erant.

Sagena multas habet maculas, lata est, bonos et malos, magnos et parvos pisces capit, per medium aquæ trahitur.

Sagitta lignum habet, velociter currit, pennata est, in pharetra custoditur, incastraturam habet, directe procedit, acuto ferro munita, directa, rigida, plana, gracilis, ab arcu emittitur, stridet, subito percutit.

Sal minutum est, cibos condit, carnem siccat, putredinem arcet, vermes occidit, in igne stridet, tumorem sedat, ex aqua plurimum fit per ignem aut solem decocta, terram sterilem reddit.

Salices juxta aquas crescunt, de facili pullulant, infructuosæ sunt, florescunt, et non fructificant, alte crescunt.

Sancta sanctorum propitiatorium habuit, arcam fœderis, velum in introitu, thuribulum aureum, quatuor erat columnarum, semel in anno soli pontifici patebat.

Sanctuarium habebat altare, thymiama, majus velum in introitu, quinque columnas, mensam, candelabrum, omnibus sacerdotibus patebat.

Sanguis calidus, purpureus, ostrinus, spissus, leniter fluit, sedes est animæ.

Sanguisuga in palude habitat, longa est, sanguinem sugit; sed prius cutem vulnerat, postquam plena est, eadem quæ suxerat revomit.

Sapphirus sereno cœlo similis, radio percussus emittit fulgorem.

Sardus non unicolor, niger in imo, candidus in medio, rubeus in summo, rubræ terræ habens speciem, sanguinei coloris est.

Sarmenta vilia de vite projiciuntur, nullis usibus nisi igni apta.

Scopa domum mundat, ex multis fit virgis, seipsam inquinat.

Scutum est latum, triangulum, leve, volubile, protegit, munit, in sinistra geritur, perque ligamentum tenetur.

Securis manubrium habet quo tenetur, ferrum quo incidit, petra hebetatur; quanto magis elevatur, tanto magis ferit.

Semen bonæ terræ traditur, dispergitur, occultatur, ad alterum annum jacitur, gelu multiplicatur, effusione nimia suffocatur, cum multo fenore surgit, in via conculcatur, et ab avibus rapitur, in petrosis locis arescit, in spinis suffocatur, in bona terra bene culta multiplicatur, primo surgit herba, secundo spica, tertio frumentum; inde fit farina.

Senectus fastidiens est, frigida, querulosa, pigra, infirma, curva, sterilis.

Sepes ex palis et virgis contexitur, juxta viam fit, fructus custodit, desicata confringitur, a transeuntibus rapitur, collecto fructu rapitur, tollitur, feras et bestias arcet, spinis munitur.

Septem dona Spiritus sancti, septem petitiones in Oratione Dominica, septem virtutes, septem beatitudines, septem vitia capitalia, septem boves crassæ, et septem macilentæ, septem spicæ pulchræ, et totidem corrosæ, septem columnæ Ecclesiæ, septem modioli contra candelabri brachia, septem in terra promissionis lucernæ, septem emunctoria, septem infusoria, septem psalmi pœnitentiales, septem Ecclesiæ sacramenta, septem Ecclesiæ in Asia, septem panes in Evangelio, et septem sportæ, septem opera misericordiæ, septem reges in terra promissionis, septem circuitiones in habitacolo.

Sepulcrum exterius speciosum, interius fetidum est.

Sera ostio affigitur, diversa habens diverticula, involvitur ligno, et ferro composita, de facili turbatur.

Sermo prius debet venire ad limam quam ad linguam, debet esse præmeditatus, discretus, maturus, distinctus, rarus, ratus, vivus, assiduus, authenticus, humilis, patiens, sollicitus.

Serpens super pectus graditur, terram comedit, occulte nocet, cauda est venenosus, totum corpus pro capite custodiendo exponit, in desertis habitat, leviter repit, hominem nudum fugit, vix exstinguitur, sputo jejuni hominis moritur.

Servus debet esse obediens, fidelis, sapiens, hilaris, promptus.

Seta acuta, rigida, filum introducit, gracilis est, firmiter hæret.

Sex sunt cherubim in Isaia, hydriæ in Evangelio, civitates refugii, opera sex dierum, sex munera Joseph fratribus oblata.

Sigillum imaginem habet et superscriptionem, chartam confirmat impressam ceræ, secreta custodit.

Silva arboribus consita, umbrosa, opaca, condensa, feris inhabitata, inculta, solitaria, lutosa, infructuosa, humida.

Smaragdus nimiæ viriditatis super omnes herbas et frondes, aerem circumfusum reddit viride, pretiosior in Cilicia quam alibi invenitur.

Somnia cito transeunt, vana sunt, vanitatem fingunt.

Somnus officium membrorum tollit, paulatim serpit, phantasmata ingerit, corpus aggravat, post ipsum fovet ad laborem.

Speculum clarum, fragile, planum et extersum, imaginem repræsentat, in ligno locatur, fractum quot partes habet, tot imagines repræsentat.

Spica arietis munitur, culmo sustentatur, granis repletur, ordinata sunt grana in illa.

Spina firmiter hæret, humilis est, aspera, pungitiva, condensa, sponte pullulat, acutum ignem facit, in igne stridet, dura est.

Spongia est levis, vacua, porosa, mollis, humoris receptiva.

Sputum de cerebro descendit, salsum est et album.

Stella in alto fixa est, magna est, et parva videtur, rotunda, noctem illuminat, nautas dirigit, cursum non obliquat, cum firmamento rapitur, ignea est, locum mutare videtur, radios ex se profert, firmamentum ornat.

Sterquilinium est fetidum et sordium receptaculum.

Stillicidium concavum est, pluviam excipit, exceptam dimittit, in ora tecti ponitur.

Stipula terræ hæret, levis, sterilis, post collectas fruges remanet, arida, incendio apta, dura, aspera, fragilis, stridula, concava.

Storax vel styrax arbor est Arabiæ, lacrymam aromaticam distillat, lacryma quæ defluit, munda est et alba, ejus resina odoris est jucundi, humecti, et quasi nullo usui liquorem emittens.

Struthio avis ingens est corpore, rara plumis vel implumis, alas habet similes accipitri et herodio, volare nequit, tamen aliquando alas erigit, ova relinquit, et obliviscitur quod pes conculcet ea, et bestia agri conterat, duratur ad filios suos tanquam non sint sui.

Studium acuit ingenium, fugat otium, scientiæ parit amorem, scientiam conservat, avertit animum a vanis et inutilibus, peccati odium gignit, quietem et pacem quærit.

Stupa purgamentum est lini, mollis est, levis est, cito succenditur.

Stylus longus, planus, gracilis, acutus, directus, in altera parte latus.

Sulphur candidum, fetidum, tenax.

Cap. XVIII. *De his quibus prima littera est T.*

Tabernaculum Domini quatuor habebat latera, in quolibet duorum laterum erant viginti tabulæ, occidentali latere decem, quælibet tabula nitebatur duabus basibus argenteis; in singulis tabulis habebat annulos aureos; in annulis vectes deauratos, divisum fuit in sancta et sancta sanctorum. In sanctis erat altare thymiamatis, coopertum fuit corum ejus pellibus rubricatis. In atrio sub dio erat altare holocaustorum.

Talpa nigerrima terram comedit, terram fodit, et fodiendo terram super se accumulat, quanto magis fodit tanto magis auget cumulum terræ super se; levis est pelle, sub terra murmurat, super terram non vivoret.

Taurus duo cornua habet, fortis est, cornu tenetur, armentum præit, ferus, jugum trahit, armentum fecundat, luxuriosus est.

Tela orditur, succiditur, texitur, crebris lunationibus et lotionibus dealbatur, tenuis est, candida et mollis.

Templum mundum, cameris obvolutum, pallia appenditur et ornatur, floribus sternitur, cerei accenduntur, et campanæ pulsantur in ipso.

Tenebræ obscuræ sunt, lucem fugant; ut ipsæ non sint, a luce fugantur.

Terebinthus in Macedonia brevis arbor, sed fructuosa et magna est in Damasco, habens lignum nigrum cum splendore et solidum in buxi speciem, flos habet racemos sicut olivæ, sed rubent, folia habet densa et folliculos emittentes animalia quasi culices, resina ejus castissima, quæ terebinthina dicitur, vulgo terebinthina. Maculæ hujus arboris fructuosæ, fructum ejus duo sunt genera, alterius fructus ruber lentis magnitudine, alterius pallet, nec faba est grandior, odore jucundo.

Testa fragilis est, de luto fit, per ignem solidatur.

Thalamus debet esse secretus, ornatus, clausus, quietus.

Thesaurus ex pretiosis congeritur, reconditur, custoditur, augmentatur, in tempus necessitatis reservatur.

Thronus de ebore erat, grandis, vestitus auro fulvo nimis, ac mundissimo intus et foris, ejus ascensus erat per sex gradus, ascensus marmoreus, sex leunculi super sex gradus hinc inde, reclinatio throni posterior rotunda erat, super vitulum respicientem sedebat, duæ manus hinc atque inde tenebant illum, duo leones stabant juxta manus singulas; non fuit tale opus in universis regnis.

Thus virgulam fuoii emittit, in vere et autumno colligitur, occensum magis redolet. Regio thurifera Saba dicitur, quod interpretatur *mysterium*, estque undique rupibus invia; orboribus ut lacryma effluit, motus carnis reprimit.

Thuribulum duas partes habet apte convenientes, pars inferior solida est, superior perforata, superius habet annulum, protendunt ipsum quinque catenæ, quarum quatuor immobiles sunt, elevatur et dimittitur in parte inferiori, ignem continet, superiori thus excenditur et movetur, ut majorem fumum exhalet, rotundum est et sculptura terebratur.

Thymiama componebatur ex aceto vel myrrha, ex onycha sive albeola, ex galbano boni odoris, ex thure purissimo, lucidissimo, et hæc omnia in unum redigebantur.

Tinea vestes comedit, modica est, et ex eisdem quas comedit postea oritur.

Tonitruum horribile, ex calore provenit, fulgur præmittit, fulmen immittit.

Torcular volvendo ascendit et descendit, vinum ab acino separat, uvas premit, gradatim ascendit.

Torrens est rapidus, cito transit, omnia obstacula rumpit, subitus est, ex superabundantia pluviarum provenit.

Tres fructus terræ bonæ in Evangelio.

Tres mortuos suscitavit Dominus, tres dies sustinuit terra Dominum, tria loca Dominicæ parabolæ, tribus linguis scriptus Christi in cruce titulus, tres tentationes Domini. Tria loca binos merito dispares continebunt, scilicet ager, mola, lectus. Tres personæ in Trinitate, tres virtutes theologicæ et principales, tria sata farinæ, tres filii Noe. Tres turmæ Chaldæorum contra Job. Tria vitia principalia, tres Magi, et eorum tria munera. Tres dies sepulturæ Domini. Tres homines Noe, Daniel, Job. Tres ordines salvandorum in agro, in lecto, in mola; tria caulstra pistoris in Genesi, tria grana malæ terræ in Evangelio.

Tuba multis fit tunsionibus, in imo est stricta, in summo lata, per flatum oris sonat, concava est, maximum sonum reddit, excitat, congregat, terret.

Tunica Aaron erat hyacinthina, talaris, inferius dependebant tintinnabula, malogranata, totum corpus tegebat.

Turris circumfossa, alta, munita, fortis, firma.

Turtur avis in locis delectabilibus et nemorosis, nidum facit in ramis arboris condensæ; si semel comparem amisit, semper caret, solivaga est, morticinio non vescitur, pullos nocte pascit.

Tympanum manu percutitur, de corio mortui animalis fit, cujus pellis in ligno concavo extenditur.

CAP. XIX. *De his quibus prima littera est U et V.*

Vacca lasciva est, jugum trahit, triturat, lac ministrat, fecunda est, cornua habet, immolatur, ruminat, et findit ungulam.

Vallis demissa, quieta, secreta, humida, umbrosa.

Velum sacrum opere plumario erat factum, quatuor coloribus intertextum, columnis et vectibus appensum. Velum navis colligit ventum, latum est, concitat malum, malo appensum cum ligno ex transverso, in sereno restringitur, in tempestate explicatur, quodam ligno in decursum vertitur.

Vena sanguinem continet, percussa vel incisa eumdem emittit, occulta est.

Venenum inficit, corrumpit, et perimit.

Venter escas recipit, mollis est, tumidus est.

Ventus rapidus, invisibilis, lenis, stridulus, validus, modica pluvia magnus ventus temperatur.

Ver temperatum est, flores producit, plantas germinare facit, volucrum cantus provocat.

Vermis sine coitu de terra nascitur, leniter incedit, ore se trahit, fragilis est, mollis, erecto capite prospicit, ut mollius incedat.

Vesica rotunda, levis, vacua, tumida, flatu distenditur.

Vestimenta sacerdotis sunt hæc, feminalia de bysso retorta, strictissima camisia linea, cidaris in capite, tunica hyacinthina, baltheus aureus. Hi habebant, et aureum ephod, et superhumerale in modum scapularis factum, rationale in pectore quadratum, cidarim, ut dixi, in capite cum lamina aurea.

Vinculum ligat, constringit, grave seu molestum est.

Vinea pullulat, pastinatur, propagatur, putatur, foditur, paxillatur, paxillis colligatur, sepitur, gemmas fert, frondes, flores; surculi evelluntur, ne humor stipitis ad eos transeat: tolluntur pampini propter nimiam umbram, ut horti calorem solis habeant: sit in ea umbraculum, ut custodiatur. In hieme nullum lignum vilius, in æstate nullum utilius.

Vinum clarum est, candidum, dulce aliquantum, inebriat, sanguinem operatur, cor lætificat, ingenium acuit, aliquando acescit, parvulos merum enecat.

Viola purpurea, humilis, odorifera, frigida, mollis.

Virga recta, gracilis, longa, plana, flexibilis, florem habet in summo, flagellat et erudit.

Vitrum clarum, planum, solidum, fragile.

Vitta ambit, ornat, constringit.

Vitula sacra rufa erat, immaculata, quæ jugum non traxerat.

Vitulus hostia sacerdotalis, cornua habet, lascivus est, et simplex.

Umbra calorem temperat, grata est fessis in calore, corporis lineamenta retinet, per ipsam ad corpus venitur, fit enim objectu corporis ad rem lucidam, inanis est.

Undecim discipuli in Galilæa. Undecim saga in tabernaculo.

Unguentum bonum conficitur ex myrrha prima, et cinnamomo, et calamo, ex casiæ fistula, ex oleo olivarum. Hæc redacta in pulverem, cum oleo olivarum sub mensura lini conficiebantur.

Unguis est pars digitorum cornea, dura, lucida, tenuis, plana.

Volucres leves, instabiles, nidificant, et cantant in aere, duabus alis volant, una percussa, aliæ fugiunt, timidæ sunt.

Voluptas virtutes dissipat, corpus emollit, naturalia bona dissolvit, otium quærit.

Vox modesti hominis sit simplex, verecunda, quieta, humilis, modesta, clausa, meticulosa.

Ursus fastidium generat, studium nescit, societatem non habet, ingens est corpore, durissima pelle tegitur, crudelis, brachiis fortissimus, mel appido diligit, super arbores serpit, informis caruncula nascitur, lingua matris lambendo formatur.

Uter de corio animalis mortui fit. Vinum continet et servat, cum fuerit inveteratus inutilis est.

Vulpes callida est, mordax, fetida, in foveia manet, dolosa, inexsibilis.

Vultur trans maria dicitur sentire cadavera, si cadaver conspicit jacens, ad esum illius se deponit, exercitum sequitur, ut cadaveribus satietur, pedibus libenter graditur.

DE ANIMA

ET

EJUS AD SUI ET AD DEI COGNITIONEM ET AD VERAM PIETATEM INSTITUTIONE

LIBRI QUATUOR

Quorum primus et tertius ob summum in eis rutilantem piæ devotionis affectum sub *Meditationum* et *De interiori domo* titulis devoto doctori beato Bernardo Clarævallensi ascripti sunt. Secundum vero tum propter disserendi subtilitatem, tum propter dicendi gravitatem, beati Augustini opera sibi perperam vindicarunt, nam in eo citatur Boetius præter Augustini rationem et contra tempora.

LIBER PRIMUS

(*Exstat inter Opera S. Bernardi, Patrologiæ tomo* CLXXXIV, *col.* 485.)

LIBER SECUNDUS

(*Vide Patrologiæ tom.* XL, *Opp. S. Augustini* VI, col. 779.)

LIBER TERTIUS

(*Exstat inter Opera S. Bernardi Patrologiæ tomo* CLXXXIV, *col.* 507, *usque ad verba capituli* 49 : « *Quam terrestrium occupatione.*)

CAP. L. *Contemplatio super illud* : « *Verbum caro factum est,* » *quæ non habetur in aliis, et videtur novum opusculum.*

Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I). Vere Verbum caro factum est, et nos vere Verbum carnem Dominico cibo sumimus, et ideo manere in nobis naturaliter existimandus est, qui per naturam nostræ carnis jam sibi inseparabilem homo natus assumpsit, et naturam carnis suæ sub sacramento communicandæ carnis nobis admiscuit. Ita enim omnes unum sumus, quia in Christo Pater et Christus in nobis unum in iis nos esse faciunt. Nos ergo qui corpus accipimus, corpus Christi facti sumus, et misericordia ipsius quod accipimus nos sumus. Corpus Christi sumus, et ipse Christus sumus, quoniam nos omnia ejus membra (cum sint multa) unum corpus sumus (*Rom.* XII; *Colosс.* II). Nos ergo, qui membra Christi sumus, et Christus sumus, non solum capiti per dilectionem, sed etiam cum membris invicem uniri debemus. Nam qui accipit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Mysterium nostrum in mensa Domini positum est. Estote ergo quod videtis, et accipite quod estis. Hoc accipitur in pane quod pependit in cruce, et hoc sumitur in calice quod effusum est de Christi latere. Invisibilis enim Sacerdos visibiles creaturas panis et vini in substantiam corporis et sanguinis sui verbo sua secreta potestate convertit, ita dicens : *Hoc est corpus meum*, et sanctificatione repetita : *Hic est sanguis meus*. Cum ergo ad reverendum altare cibis satiandus ascendis, sacrum Domini Dei tui corpus et sanguinem fide respice, mente continge, honore mirare, devotione venerare, cordis manu accipe, et animæ haustu interiori assume. Nam credere in eum, hoc est accipere panem vivum. Nos credimus et dicimus quoniam corpus Christi tale unicuique sit, qualis accesserit ut offerat, et qualis accesserit ut accipiat. Nam unum idemque corpus propter nomen Domini, quod invocatur, semper sanctum est, et tale unicuique fit quali corde ad accipiendum accesserit. Si offerat Deo malus et accipiat bonus, tale utrique erit, qualis uterque fuerit. Credimus et fatemur quoniam corpus illud, quod de Virgine Deus assumpsit, et in quo resurrexit, semper est in cœlo, et ubicunque vult, et in qua specie vult. Qui sursum sedet ad dexteram Patris, tempore sacrificii hominum manibus continetur. Corpus Christi tale accipimus in sacramento, quale post resurrectionem est in semetipso. Cum accipitur non consumitur, sed expleto officio, pro quo sacrificatur et manducatur, in illud quod in cœlo est, transfertur. *Semel oblatus*

est Christus in seipso, et quotidie immolatur in sacramento (*Hebr.* IX).

Cum ergo sacerdos Spiritum sanctum advocaverit, et illam hostiam reverendam immolaverit, communemque Deum subinde contigerit, ubi illud (dic mihi) nostra existimatiune ponemus? Perpende quales oporteat esse manus tantarum rerum ministras, et qualem linguam talia verba fundentem, aut quo genere cæteris non mundiorem et sanctiorem animam talis spiritus receptricem! Tunc enim adsunt angeli sacerdoti, et tribunal atque altaris locus cœlestibus virtutibus adimpletur in honorem illius qui immolatur. In ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœli aperiuntur, in illo Jesu Christi mysterio angelorum chori adsunt, summis ima sociantur, terra cœlestibus jungitur, unum ex visibilibus atque invisibilibus fit. Sed necesse est ut, dum hæc agimus, nosmetipsos in cordis contritione mactemus, et qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Nam tunc vere pro nobis Deo hostia erit, cum nosipsos hostiam fecerit. In Christo semel oblata est hostis ad salutem sempiterna potentia, nos vero per singulos dies offerimus, quoniam per singulos dies peccamus; offerimus, sed ad recordationem mortis ejus, et una est hostia, quia semel oblatus est Christus. Hoc vero sacrificium exemplum est illius, idipsum semper, idipsum secundum substantiam, quanquam diversum secundum formam. Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, Dominici corporis immulationem in cruce ejusque sanguinis de latere effusionem significat. Veruntamen cum Christus in sacramento quotidie immoletur, non dicitur quod iterum occidatur, sed quod vera ejus immolatio repræsentata idem nunc in sacramento, quod tunc in cruce, operetur. Eadem est hic et ibi corporis et sanguinis Christi substantia, quamvis in specie altera, eademque salutis nostræ gratia. Vera etenim caro Christi est, quam forma panis opertam in sacramento sumimus, et verus sanguis Christi, quem sub vini specie ac sapore potamus. Mortalitatis cibus exterius videtur, quia quod de nobis exterius apparet, mortale est. Nihil exterius immutatur, quia nihil de nobis exterius innovatur. Interius vero hoc idem in nobis accipimus quod de illo credimus, quoniam vitam de vita sumimus, per quam reformamur ad vitam. Sicut enim de Virgine per Spiritum vera caro sine coitu creatur, sic per eumdem Spiritum de substantia panis et vini mystice idem corpus Christi consecratur. Et sicut quod ubique offertur, unum corpus est, et non multa corpora, ita unum sacrificium diversis locis a diversis hominibus sacrificatur, et ubique est idem. Per partes dividitur, et a multis accipitur, et semper est integrum. Sicut enim individuum est cum dividitur, sic incorruptum cum fuerit sumptum. Christus in sacramento per partes manducatur et manet integer, totus in cœlo, totus in corde tuo, totus in fracto, totus in integro. Tantum est in exiguo, quantum constat esse in toto. Nihil minus habent singuli quam universi. Totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt, quia non in specie vel quantitate sacramenti est gratia, sed in virtute Christi. Quomodocunque signa varientur in sacramento, Christus semper idem est in seipso. Quod evidentius manifestavit cum in cœna præsens corpus et sanguinem suum discipulis suis distribuit. Tradidit eis seipsum in sacramento quasi alium, et tamen eumdem. Et cum a singulis sumptus comederetur et biberetur in sacramento, unus tamen et integer mansit in seipso. Divina gratia ita est libera, ut nullis hominum meritis vel officiis sit astricta, sed quando vult, quomodo vult, ubicunque vult, semetipsam infundat.

Propterea intra Catholicam Ecclesiam in sacramento corporis Christi nihil a bono majus, nihil a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris et virtute Spiritus sancti. Omnia vero sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus. Communio namque malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum. Sicut enim Judas, cui Dominus buccellam tradidit non malum accipiendo, sed bonum male accipiendo, locum in se præbuit diabolo, sic indigne quisque accipiens locum in se præbet diabolo. Qui ergo de criminalibus nondum digne pœnituerunt, aut adhuc in affectu peccandi sunt, vel aliquem hominem odio habent, corpus Christi non accipiant, ne moriantur. Incesti vero et luxuriosi periculosius sumunt, quoniam nihil sic adversatur munditiæ amatori ut feditas. Porro qui peccare quievit, quamvis peccatum adhuc mordeatur, peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, communicare non desinat. Quomodo quotidie tentamur et labimur, quotidie Christus in sacramento pro nobis immolatur. Cum ergo corpus Christi ore sumimus, amicitias et beneficia ejus corde cogitemus, quomodo passus et mortuus est pro nobis, et morte sua a morte æterna nos liberavit. Participatione autem corporis sui nos sibi concorporavit, ut transeat ipse in nobis ad Patrem, transeamus et nos in illo immo facti cum illo, ut ipsum per ipsum habeamus gustum in via, satietatem in patria, hic viaticum, et ibi præmium.

Quæritur cur corpus et sanguis Christi in pane et vino magis consecretur quam in cæteris corporum speciebus. Ad quod respondetur quoniam sicut panis ex multis granis, et vinum ex multis uvis, sic Ecclesia de diversis personis colligitur. Dignum etiam fuit ut eisdem speciebus, quibus caro alitur et creatur in quolibet homine naturaliter, eisdem consecretur in Dominico homine potentialiter. Si panis in carnem, et vinum in sanguinem cujuslibet transformatur naturaliter, multo magis, si Deus voluerit, in carnem et sanguinem suum transferetur potentialiter. Cum ergo panis in carnem, et vinum in sanguinem verbo Domini mutetur, jam non desperet in corpus Christi trajici rationalis creatura,

in quod trajicitur et bruta, si desistat esse quod ex se male fuerat, ut fiat in Christo bene quod non erat. Sicut enim cibus et potus sunt vita nostra temporalis, quandiu Deo placuerit, sic et multo amplius ipse panis cœlestis erit vita æterna quibus ipse voluerit. Magis enim credendus est vitam æternam conferre qui vitam habet et vita est, quam qui non habet.

Non est mirum si Creator creaturæ vitam possit conferre sempiternam, cum creatura creaturæ potuerit retinere et conservare æternaliter eam. Sicut enim lignum vitæ in paradiso positum est, quo æternaliter homo in corpore viveret, nisi peccaret, sic Christus in Ecclesia lignum vitæ seipsum posuit, ut in se credentibus vita esset æterna. Idcirco tantopere fides in sacramento exigitur, quia falsa fide mundus B periit, quando Adam plus diabolo falsa suggerenti, quam Deo vera premittenti, credere præsumpsit. Dum vero in sacramento plus Deo quam hosti, ut dignum est, creditur, sanatur hac fide vera illa perfida fides. Quoniam autem cibo et potu ita vivimus, ut alterutro carere nequeamus, propterea utrumque Christus in suo sacramento esse voluit, ac si alterum deesset, imperfectum esset. Nec corpus ergo sine sanguine, nec sanguis sine corpore jure communicatur. Panis et vinum proprie proprius cibus est non bestiarum, sed hominum. Ideoque Christus utriusque usus est ministerio, ut singularis et propria hominum crederetur refectio, cui etiam postmodum per apostolos aquam admisceri voluit, ut ad dignitatem tanti mysterii non solum justorum, sed et pec- C catorum consortium pertinere significaret, si pœnitere vellent. Quoniam per aquam sumus regenerati et per sanguinem redempti, sanguis et aqua de latere Christi exivit. Cum ergo pro Christo vinum et aqua sacrificetur pro populo, et utrumque unus sanguis fiat, capitis et membrorum unitatem significat. Sicut ergo unum videtis esse quod factum est, sic unum estote vos diligendo inter vos. Nam qui accipit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Qui autem unum hominem odio habet, quidquid Deo in bonis operibus obtulerit, totum perdet.

Fide omnia sacramenta complentur. Qui ergo ad illa fide et devotione accedit, quamvis incuria vel D ignorantia aliqua erroris verba inserat, non ideo minus sacrificium fieri creditur, quoniam precis vitium superat precantis affectus. Non est attendendum quid faciat homo, sed quo animo et voluntate faciat. In quatuor speciebus sacramenta Ecclesiæ maxime consistunt, aqua scilicet, oleo, pane et vino. Aqua, licet omnibus sit necessaria, sua tamen venalitate et abundantia non est pretiosa. Oleum vero, panis et vinum ita paucitate sua fugiunt pretii quantitatem, ut nullam nisi in spirituali gratia sibi vindicare videantur utilitatem. Aqua exstingnit, mundat, et candidat præ cæteris liquoribus. Idcirco in baptismate carnis incentiva exstinguit, peccatorum tam originalium quam actualium labem abluit. Innocentiæ candorem reducit, et dum sic cœlestis Patris imaginem reformat, filios adoptionis regenerat. Unde vero tanta virtus ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur quoniam fide omnia sacramenta complentur. Baptismus talis est qualis est ille in cujus verbo datur, non qualis est ille per cujus ministerium ministratur. Porro oleum illuminat, ungit et pascit. Illuminat animam fide, ungit devotione, pascit dilectione. Panis vero et vinum homini incorporatum vita est temporalis. Quapropter in hoc sacramento Christus tanquam caput membris uniri voluit, per quem Deo Patri regeneramur. Per corporis et sanguinis Christi participationem Filio Dei ad vitam concorporamur. Per olei unctionem Spiritus sancti virtute confirmamur. Nunquam fidelis Deus a regni sui consortio eos repellet quibus tam familiariter uniri dignatur in hujus mundi exsilio. Imo magni honoris vicissitudinem eis rependet in manifesta suæ majestatis visione, a quibus tam digne susceptus et ordinatus est in occultis et peregrinis sacramentorum figuris. Non poterit ibi fieri diversum quod hic factum est unum. Quidquid deformitatis vel mutationis in Christi sacramento specie tenus contigerit, non debet a nobis extorquere fidem veritatis ejus, quoniam qui in corpore suo, cum Deus esset verus, multa indigna pertulit, nihil indignum in corpore suo usque in finem sæculi perferret, quamvis vere ibi sit. Cum enim omnia ei præter peccatum munda sint, non videtur esse immundius in ventre muris vel canis, quam in ventre impœnitentis peccatoris. Si ignibus comburi dicatur, hoc impossibile est eum sit omnium elementorum Deus. Si sorieum corrosione vel vetustatis mutatione corrumpi videatur, nihil attinet ad sacramenti substantiam, Christum videlicet qui corrumpi non potest, quoniam incorruptibilis est. Talia vero et similia non veniunt nisi pro aliquorum negligentia corrigenda vel punienda, seu pro fide probanda et exercenda ut fideles exerceantur et reprobi indurentur. Necesse est ergo ut ea devotione qua accipitur custodiatur.

LIBER QUARTUS,

Qui est de erectione animæ seu mentis in Deum, ac devoto ad Deum precatu et alloquio et quibusdam ad salutem institutionibus et monitis.

CAP. I. *Quod sit nobis necessarium invocare Deum, et quid sit invocare eum.*

Quoniam in medio laqueorum positi sumus, facile a cœlesti desiderio frigescimus. Quapropter assiduo indigemus monimento, ut expergefacti ad Deum nostrum verum et summum bonum cum defluimus recurramus. Idcirco non præsumptionis temeritate, sed magna Dei mei dilectione huic opusculo ad laudem ejus operam dedi, ut ex elegantibus dictis sanctorum Patrum breve et manuale verbum de Deo meo mecum semper haberem, ex cujus lectionis igne quoties tepesco, in ejus accendar amorem.

Nnne adesto mihi, Deus meus, quem quæro, quem diligo, qoem corde, et ore, et qua valeo virtute laudo, atque adoro. Mens mea tibi devota, qui amore succensa, tibi suspirans, tibi inhians, te solum videre desiderans, nihil habens dulce, nisi de te loqui, de te audire, de te scribere, de te conferre, tuam gloriam frequenter sub corde revolvere, ut suavis tui memoria sit inter hos turbines aliqua repausatio mea. Te ergo invoco, desiderantissime, ad te clamo clamore magno in toto corde meo. Et cum te invoco utique in meipsum voco, quoniam omnino non essem nisi esses in me, et nisi ego essem in te. In me es, quoniam in memoria mea manes ex quo cognovi te, et in ea invenio te, cum reminiscor tui, et delector in te, de te, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

CAP. II. *Quomodo Deus immotus in se manens det cuncta moveri, cunctaque aut agat, aut vagat.*

Tu cœlum et terram imples omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione. Semper agens, semper quietus, colligens non egens, quærens cum nihil tibi desit. Amas nec æstuas, zelas et securus es. Pœnitet te, et non doles. Irasceris et tranquillus es. Opera mutas, sed non mutas consilium. Recipis quod invenis, et nunquam amisisti. Nunquam inops, et gaudens lucris. Nunquam avarus et usuras exigens. Semper erogatur tibi, ut debeas, et quis habet quidquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Qui ubique es, et ubique totus, qui sentiri potes, et videri non potes. Qui nusquam dees, et tamen ab iniquorum cogitationibus longe es. Qui nec ubi dees inde longe es, quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui ubique præsens es, et vix inveniri potes. Quem stantem sequimur, et apprehendere non valemus. Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, super excedis omnia, sustines omnia. Qui corda fidelium doces sine strepitu verborum. Qui locis non distenderis, nec temporibus variaris, neque habes accessus et recessus. Qui habitas lucem inaccessibilem, quam vidit nullus hominum, nec videre potest. In te manens quietus ubique circuis totum. Non enim scindi vel dividi poteris, quia vere unus es. Nec in partes effunderis, sed totus totum tenes, totum illustras et possides. Si totum mundum libri repleant, tua scientia inenarrabilis non potest enarrari. Quoniam vero indicibilis es, nullo modo scribi poteris, neque concludi. Tu es fons lucis divinæ et sol claritatis æternæ. Magnus enim es sine quantitate, et ideo immensus. Bonus sine qualitate, ideo vere et summe bonus, et nemo bonus, nisi tu solus. Cujus voluntas opus est, cui velle posse est, qui omnia, quæ ex nihilo creasti, sola voluntate fecisti. Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, et sine labore gubernas, et absque tædio regis. Et nihil est quod conturbet ordinem imperii tui vel in summis vel in imis. Qui in omnibus locis sine loco haberis, et omnia contines sine habitu, et ubique præsens es sine situ et motu. Qui nec mali actor es, quod facere non potes. Nec unquam te quidquam fecisse pœnituit, cujus bonitate facti sumus, et justitia pœnas luimus, et clementia liberamur. Cujus omnipotentia omnia gubernat, regit, et implet quod creavit. Nec ideo te implere omnia dicimus, ut te contineant, sed ut ipsa potius a te contineantur. Nec particulatim imples omnia. Nec ullatenus ita putandum est, ut unaquæque res pro magnitudine suæ portionis capiat te, id est maxima majus, minima minus. Dum sis potius ipse in omnibus, sive omnia in te. Cujus omnipotentia omnia conclusit, nec evadendi potentiam tuam quis aditum invenire poterit. Qui enim te non habet placatum, nequaquam evadet iratum.

CAP. III. *De pia rursum Dei invocatione, et mentis per eam tranquillitate et gaudio, et de animæ Deum non quærentis miseria.*

Te igitur, clementissime, invoco in animam meam, quam præparas ad capiendum te, ex desiderio quod inspiras ei. Intra, rogo, in eam, et coaptata eam tibi ut possideas illam quam fecisti et refecisti, et ut habeam te velut signaculum super cor meum. Quæso, piissime, invocantem te ne deseras, qui priusquam te invocarem me vocasti et quæsisti, ut ego servus tuus te quærerem, quærendo invenirem, et inventum amarem. Quæsivi et inveni te, Domine, et amare desidero. Auge desiderium et da quod

peto, quoniam si cuncta quæ fecisti mihi dederis non sufficit servo tuo, nisi teipsum dederis. Da ergo te mihi, Deus meus, meus, reddo mihi te; en amo, et, si parum est, amem validius. Tui ergo amore teneor, tui desiderio flagro, tui dulci memoria delector. Ecce dum tibi mens mea suspirat, et tuam ineffabilem pietatem meditatur, ipsa carnis sarcina minus gravat, cogitationum tumultus cessat, pondus mortalitatis et miseriarum more solito non hebetat. Silent contraria cuncta, tranquillaque sunt omnia. Cor ardet, animus gaudet, memoria viget, intellectus lucet, et totus spiritus ex desiderio visionis tuæ accensus in invisibilium amorem rapi se videt. Assumat spiritus meus pennas ut aquilæ, volet et non deficiat; volet et perveniat usque ad decorem domus tuæ et thronum gloriæ tuæ, ut ibi super mensam refectionis civium supernorum pascatur de occultis tuis in loco pascuæ juxta fluenta plenissima. Tu esto nostra exsultatio, qui es nostra spes, salus atque redemptio. Tu esto nostrum gaudium, qui es futurus præmium. Te semper quærat anima mea, et tu præsta ut quærendo non deficiat. Væ miseræ animæ, quæ Christum non quærit nec amat, arida siquidem manet et misera. Perdit enim quod vivit qui Deum non diligit. Qui curat vivere nisi propter te, Domine, nihil est et pro nihilo est. Qui tibi vivere recusat, mortuus est. Qui tibi non sapit, desipit. Misericordissime tibi me committo, reddo, et concedo, per quem sum, vivo, et sapio. In te confido, spero, et totam spem meam pono, per quem resurgam, vivam, et requiescam. Te cupio, diligo et adoro; cum quo manebo, regnabo, beatus ero. Anima, quæ te non quærit nec diligit, mundum diligit, peccatis servit, vitiis subjecta est. Nunquam quieta, nunquam secura est. Famuletur tibi semper mens mea, piissime, suspiret tibi peregrinatio mea, ardeat in tui amore cor meum. Requiescat in te, Deus meus, anima mea. Contempletur te in mentis excessu. Cantet laudes tuas in jubilatione, et hæc sit in hoc exsilio consolatio mea. Confugiat mens mea sub umbram alarum tuarum ab æstibus cogitationum hujus sæculi. Repauset in te cor meum, cor mare magnum tumens fluctibus. Dives omnium bonorum, dapum supernæ satietatis, opulentissime largitor Deus, da lasso cibum, collige dispersum, libera captivum, redintegra scissum. En stat ad ostium et pulsat (*Apoc.* III). Obsecro per viscera misericordiæ tuæ, quibus visitasti nos oriens ex alto, jube pulsanti misero aperiri, ut liberis gressibus ingrediatur ad te, et requiescat in te, et reficiatur de te pane cœlesti. Tu es enim panis et fons vitæ. Tu lumen claritatis æternæ. Tu omnia, ex quibus vivunt recti, qui diligunt te. Deus lumen cordium te videntium, et vita animarum te amantium, et virtus cogitationum te quærentium, ut sancto tuo amori inhæreant; veni, rogo, in cor meum, et ab ubertate voluptatis tuæ inebria illud, ut obliviscatur ista temporalia. Pudet atque piget me talia pati qualia mundus iste agit. Tristia est mihi quod video. Grave est quod de transitoriis audio. Adjuva me, Domine Deus meus, et da lætitiam in corde meo.

CAP. IV. *Orat quo Deum pro modula mentis suæ capere possit, ut dilatetur domus animæ suæ ejectis desideriis pravis, et receptis bonis, meminitque quanta sit felicitas animæ in cœlum receptæ.*

Veni ad me ut videam te, sed angusta est mihi domus animæ meæ; quo venias ad eam, dilatetur abs te; ruinosa est, refice eam; habet quæ offendant oculos tuos, fateor et scio, sed quis mundabit eam? Aut cui alteri præter te clamabo: *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo?* (*Psal.* XVIII.) Fac me dulcis Christe, bone Jesu, fac me, rogo, amore et desiderio tui deponere onus carnalium desideriorum et terrenarum concupiscentiarum. Dominetur, rogo, carni meæ anima, animæ ratio, rationi gratia tua, et tuæ me interius et exterius subde voluntati. Tribue mihi, ut laudet te cor meum, et lingua mea, et omnia ossa mea. Dilata mentem meam, et attolle intuitum cordis mei, ut vel rapida cogitatione spiritus meus attingat te æternam sapientiam super omnia manentem. Dissolve me, oro, a vinculis, quibus constrictus teneor, ut relinquens omnia ista tibi festinem, tibi soli inhæream, soli intendam. Felix anima, quæ terreno resoluta carcere, libera cœlum petit, quæ te dulcissimum Dominum facie ad faciem cernit, quæ nullo metu mortis afficitur, sed de incorruptione perpetuæ gloriæ lætatur. Tranquilla est et secura, non timet hostem neque mortem. Habet jam te pium Dominum quem diu quæsivit, semperque amavit, hymnidicis sociata choris melliflua perpetuæ festivitatis carmina ad laudem gloriæ tuæ, rex Christe, in æternum concinit. Inebriatur enim ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potas eam. Felix societas supernorum civium, et gloriosa solemnitas omnium ad te redeuntium ab hujus nostræ peregrinationis tristi labore. Amœnitatem omnis pulchritudinis, formositatem totius splenduris, atque dignitatem totius elegantiæ jugiter tui cives cernunt. Nihil omnino quod conturbet mentem in te auribus datur. Quæ cantica, quæ organa, quæ cantilenæ, quæ melodiæ ibi sine fine decantantur? Sonant enim semper melliflua hymnorum organa, suavissima angelorum melodia, cantica canticorum mira, quæ ad laudem et gloriam tuam a supernis civibus in perpetuum decantantur. Amaritudo et omnis fellis asperitas in regione tua locum non habet. Non enim est ibidem malignus, neque malitia. Non est adversarius et impugnans, nec est ulla peccati illecebra. Nulla est ibi indigentia, dedecus nullum, nulla rixa, nullum improperium, causatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violentia, nulla discordia; sed pax summa, charitas plena, jubilatio et laus Dei æterna, secura sine fine requies, et gaudium semper in Spiritu sancto. Fortunatus ego si audiero jucundissimas civium tuorum cantilenas, carmina melliflua laudes summæ Trinitati debito honore promentia, sed nimium felix si ego ipse meruero cantare canticum Domino de dulcibus

canticis Sion (*Psal.* cxxxvi). O vita vitalis, vita sempiterna, et sempiterne beata, ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate. Ubi omnia bona in charitate perfecta, ubi species et visio facie ad faciem, ubi plena scientia in omnibus et per omnia. Ubi summa Dei bonitas cernitur, et lumen illuminans a sanctis glorificatur. Ubi præsens majestas Dei conspicitur, et hoc vitæ cibo sine defectu mens intuentium satiatur. Vident et videre desiderant, sine anxietate et sine fastidio satiantur. Ubi verus justitiæ sol mira sui pulchritudinis visione omnes reficit, et ita universos cœlestis patriæ cives illuminat, ut luceant ipsi, lumen videlicet illuminatum per Deum lumen illuminans ultra omnem solis nostri splendorem, atque cunctarum stellarum claritatem immortali adhærentes deitati, ac per hoc immortales et incorruptibiles facti juxta promissionem Domini Salvatoris: *Pater quos dedisti mihi volo, ut ubi ego sum et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, ut omnes unum sint, sicut tu Pater, in me et ego in te, et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* xvii). O regnum cœlorum regnum felicissimum, regnum carens morte et vacans fine. Cui nulla tempora succedunt per ævum, ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus. Ubi victor miles donis ineffabilibus cumulatur.

Nobile perpetuo caput amplectente corona.

CAP. V. *Cœlestibus bonis perfrui, et terrenis malis erui desideranter orat, easque commemorat.*

Utinam remissa peccatorum mole me ultimum servurum Christi juberes divina pietas, hanc carnis sarcinam deponere, ut in tuæ civitatis gaudia æterna repausandus transirem, supernorum sanctissimis choris interessem, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assisterem, præsentem Dei vultum cernerem, nullo metu mortis tangerer, de perpetuæ immortalitatis incorruptione securus gauderem, et scienti omnia conjunctus omnem ignorantiæ cæcitatem amitterem, terrena cuncta parvipenderem, convallem istam lacrymarum intueri, vel reminisci ulterius non dignarer. Ubi vita laboriosa, vita corruptibilis, vita omni amaritudine plena, vita domina malorum, ancilla inferuorum, quam humores tumificant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aer morbificat, escæ inflant, jejunia macerant, joci solvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit, diabolus insidiatur, mundus adulatur, caro delectatur, anima excæcatur, totus homo conturbatur, et his tantis malis mors furibunda succedit, vanisque gaudiis ita finem imponit, ut cum esse desierint, nec fuisse putentur. Sed quas laudes, quasve gratiarum actiones tibi referre valeamus Deus noster, qui nos etiam inter has tantas mortalitatis nostræ ærumnas non desinis consolari mira visitatione gratiæ tuæ? Ecce me miserum multis mœroribus plenum, dum vitæ meæ timeo, dum peccata mea considero, dum judicium tuum formido, dum mortis horam cogito, dum supplicia tartari horreo, dum opera mea qua districtione a te pensentur ignoro, dum quo fine illa clausurus sim penitus nescio, dumque hæc et alia multa mecum sub corde retracto, consolaturus ades solita pietate, et inter has querelas, nimiosque ploratus, ac profunda cordis suspiria assumis mœstam et anxiam mentem, super alta juga montium, ad areolas usque aromatum, et collocas me in loco pascuæ secus rivulos dulcium aquarum, ubi præparas in conspectu meo mensam multiplicis apparatus, quæ fatigatum spiritum recreet, et cor tristitia confectum lætificet. Quibus tandem refocillatus deliciis, multarum miseriarum oblitus, multarum deliciarum affluentia super altitudinem terræ in te vera pace quiesco.

CAP. VI. *Amorem suum in Deum profitetur, ut eum crescere foveat, et causas amoris addit.*

Amo te, Deus meus, amo, et magis magisque amare volo, da mihi, speciose præ filiis hominum, ut desiderem te, ut amem te quantum volo, quantum debeo. Immensus es, sine mensura debes amari, præsertim a nobis, quos sic amasti, sic salvasti, pro quibus tanta et talia fecisti. Amor, qui semper ardes, et nunquam exstingueris, dulcis Christe, bone Jesu, charitas summa, Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tui, dilectione tui, desiderio tui, charitate tua, jucunditate et exsultatione tua, pietate et suavitate tua, voluntate et concupiscentia tua; quæ sancta est et bona, quæ casta est et munda, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma charitatis tuæ vaporatus: Diligam te Dominum meum dulcissimum et pulcherrimum ex toto corde meo, et ex tota anima mea, et ex tota viribus meis, et omni intentione mea (*Luc.* x), cum multa cordis contritione, et lacrymarum fonte, cum multa reverentia et tremore, habens te in corde, et in ore, et præ oculis meis semper et ubique, ita ut nullus in me adulterinis amoribus pateat locus. Pulcherrime animæ meæ sponse, rogo per illam sacratissimam effusionem pretiosi sanguinis tui, quo sumus redempti, da mihi cordis contritionem, et lacrymarum fontem, præcipue dum preces et orationes tibi offero, dum tuæ laudis psalmodiam decanto, dum mysterium nostræ redemptionis manifestum misericordiæ tuæ indicium recolo vel profero, dum sacris altaribus, licet indignus, assisto cupiens offerre illud mirabile et cœleste sacrificium omni reverentia, et devotione dignum, quod tu, Domine meus, sacerdos immaculate, instituisti, et offerre præcepisti in commemorationem tuæ charitatis, mortis scilicet et passionis pro salute nostra, pro quotidiana nostræ fragilitatis reparatione. Confirmetur mens mea inter tanta mysteria dulcedine præsentiæ tuæ. Sentiat te sibi adesse, et lætetur coram te, ignis qui semper luces, amor qui semper ardes, dulcis Christe, Jesu bone, lumen æternum et indeficiens. Panis

vitæ, qui nos reficis, et in te non deficis, quotidie comederis, et semper integer manes. Resplende mihi, accende me, illumina et sanctifica me, vas tuum de malitia evacua, imple de gratia, et plenum conserva, ut ad salutem animæ meæ manducem cibum carnis tuæ, quatenus manducando te vivam de te, vadam per te, perveniam ad te, repausem in te. O dulcedo amoris, et amor dulcedinis, comedat te venter meus, et nectare tui amoris repleantur viscera mea, ut eructet mens mea verbum bonum. Charitas viva, Deus meus, mel dulce, lac niveum, cibus es grandium. Fac me crescere in te, ut sano palato possis manducari a me. Tu es vita mea qua vivo, spes cui inhæreo, gloria quam adipisci desidero. Tu mihi cor tene, mentem rege, intellectum dirige, amorem erige, animum suspende, et in superna fluenta, os sitientis te spiritus trahe. Taceat, quæso, tumultus carnis, conticescant phantasiæ terrarum et aquarum, aeris et poli. Taceant somnia et imaginariæ revelationes, omnis lingua, omne signum, et quidquid transeundo fit. Sileat sibi et ipsa anima, et transeat se non cogitando, sed te, Deus meus, quoniam tu es revera tota spes et fiducia mea. Est enim in te Deo, et Domino nostro Jesu Christo dulcissimo, et benignissimo, atque clementissimo uniuscujusque nostrum et portio, et sanguis, et caro.

CAP. VII. *Spei et fiduciæ suæ, quo constantiores fiant, memorat causas et argumenta.*

Ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo, ubi sanguis meus dominatur, dominari me confido, ubi caro mea glorificatur, gloriosum me esse cognosco. Quamvis peccator sim, de hac tamen communione gratiæ non diffido, et si peccata me prohibent, substantia me requirit; et si delicta propria, me excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim tam immitis est Dominus, ut non diligat carnem suam, membra sua, et viscera sua. Desperare utique potuissem propter nimia peccata et vitia mea, culpas, et infinitas negligentias, quæ egi et quotidie indesinenter ago, corde, ore, opere, et omnibus modis quibus humana fragilitas peccare potest, nisi Verbum tuum Deus caro fieret, et habitaret in nobis. Sed desperare jam non audeo, quoniam subditus ille tibi usque ad mortem, mortem autem crucis, tulit chirographum peccatorum nostrorum, et affigens illud cruci peccatum crucifixit et mortem (*Coloss.* II). In ipso autem securus respiro, qui sedet ad dexteram tuam et interpellat pro nobis. In ipso confisus ad te pervenire desidero, in quo jam resurreximus, et reviximus, et jam in cœlum consecendimus, et in cœlestibus consedimus. Tibi laus, tibi gloria, tibi honor, et gratiarum actio, piissime Domine, qui nos sic amasti, et salvasti, sic justificasti, et sublimasti. Piissime Domine, quam dulcis est memoria tui? quanto magis in te meditor, tanto es mihi dulcior et amabilior. Idcirco delectat me valde bona tua puro mentis intuitu, et dulcissimo pii amoris affectu in loco peregrinationis meæ juxta modulum meum interim quandiu his fragilibus subsisto membris, considerare. Tuæ enim charitatis jaculo vulneratus sum, tui vehementer desiderio flagro, ad te pervenire cupio, te videre desidero. Idcirco super custodiam meam stabo, et vigilantibus oculis psallam spiritu, psallam, et mente, et totis viribus te factorem meum collaudabo (*I Cor.* XIV). Porro penetrabo, mente et desiderio tecum ero, ut in præsenti quidem miseria solo corpore tenear, tecum autem cogitatione, et aviditate, atque omni desiderio sim semper, quatenus ibi sit cor meum, ubi tu es thesaurus meus desiderabilis, incomparabilis, summeque amabilis. Sed ecce Deus meus piissime, ac misericordissime Domine, dum tuæ immensæ bonitatis et pietatis gloriam considerare volo, cor meum non sufficit. Excedit enim omnem sensum humanæ mentis tuum decus, tua pulchritudo, tua virtus, tua gloria, tua magnificentia, tua majestas, et tua charitas. Sicut inæstimabilis est tuæ gloriæ splendor, ita ineffabilis est tuæ charitatis benignitas, qua illos, quos de nihilo creasti, adoptas in filios et tibi conjungis. O anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, et sanctis ejus sociari, nonne erat dignum pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? Indesinenter igitur dæmones parent suas tentationes, fragant corpus jejunia, premant vestimenta, labores graventi, vigiliæ exsiccent, curæ excitent, clamet me iste, inquietet ille, vel ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, inflетur stomachus, pallescat vultus, infirmer totus, *deficiat in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus* (*Psal.* XXX); *ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum* (*Habac.* III).

CAP. VIII. *De cœlestis gloriæ excellentia, et ejus contemplatione, et modo obtinendi eam.*

Quæ tunc erit uniuscujusque nostrum gloria, quam grandis sanctorum lætitia, cum unaquæque facies fulgebit ut sol, cum ordinibus distinctis populum suum Dominus in regno Patris sui cœperit recensere, et meritis atque operibus singulorum præmia promissa restituet, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna? Revera cumulus felicitatis erit, cum Dominus adducet sanctos in visionem paternæ gloriæ, et faciet in cœlestibus considere, ut sit Deus omnia in omnibus. O felix jucunditas, et jucunda felicitas, sanctos videre, cum sanctis esse, et esse sanctum. Deum videre, et Deum habere in æternum et ultra. Hoc sedula mente cogitemus. Hoc desiderio toto desideremus, cito ut ad eos pervenire valeamus. Si quæras quomodo istud potest fieri, vel quibus meritis, quibusve auxiliis, audi. Res ista posita est in potestate facientis, quoniam *regnum cœlorum vim patitur* (*Matth.* XI). Regnum cœlorum, o homo, aliud non quærit pretium nisi teipsum. Tanti valet, quantum

es. Te da, et habebis illud. Quid inrbaria de pretio? Chriatusacmetipsum tradidit, ut acquireret teregnum Deo Patri. Ita to temetipsum da, ot sia regnum ejus, ac *non regnet peccotum in tuo mortoli corpore, sed spiritus in acquisitionem vitæ* (*Rom.* vi). O anima mea revertamur ad civitatem cœlestem, in qua acripti aumna et cives decreti. Sicut ergo *cives sanctorum, et domestici Dei, et sicut hæredes Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* viii), conaideremua inciytam nostræ urbis felicitatem, inquantum considerare possibile est. Dicamus ergo cum Propheta: *O quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei! Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Fundoris enim exsultntione universæ terræ* (*Psal.* lxxxvi). Non est in te senectus, nec senectutis miseria. Non est nanus, nec claudus, nec gibbosus, neque deformia, dum omnes occurrunt *in virum perfectum, in mensurom ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* iv). *Quid hac vita beatins, ubi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas?* Nemo læditur, irascitur nemo, nemo invidet, cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris pulsat aut potestatis ambitio, nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul, mors nulla neque corporis, neque animæ, sed immortalitatis munere jucunda vita. Nulla erit tunc usquam discordia, sed cuncta consona, cuncta convenientia quia omnium sanctorum erit una concordia. Pax cuncta et lætitia continet, tranquilla aunt omnia et quieta. Jugis splendor, non iste qui nunc est, sed tanto clarior quanto felicior. Quia *civitas*, ut legitur, *illa non egebit lumine solis, sed Dominus omnipotens illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus* (*Apoc.* xxi). Ubi *sancti fulgebunt ut stellæ in perpetuas æternitates, et sicut splendor firmamenti qui crudiunt multos* (*Dan.* xii). Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris ardorisve asperitas ulla, sed talis erit rerum temperies, *quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* ii), nisi illorum qui ea perfrui digni inveniuntur, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Verum super hæc omnia consociari choris angelorum et archangelorum, atque omnium cœlestium virtutum, intueri patriarchas et prophetas, videre apostolos atque omnes sanctos, videre etiam parentes nostros; gloriosa aunt hæc, sed multo gloriosius est præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre. Superexcellens gloria erit cum Deum videbimus in seipso, videbimus et habebimus in nobis, quem cernere finis est sine fine.

CAP. IX. *Anima cur sit similitudine Dei prædita, et ad quantam ex ea re spem et fiduciam assurgere valeat, et de amoris animæ in Deum meritis.*

Anima insigni Dei imagine illustris similitudinem habet in sese ex Deo, quo admoneatur semper aut stare cum eo, aut redire ai inuta suis affectibus imo defectibus fuerit. Et non solum habet unde respirare in spem veniæ queat per spem misericordiæ, sed unde etiam audeat aspirare ad nuptias Verbi, et cum Deo inire fœdus societatis, atque cum rege angelorum ducere suave jugum amoris. Hæc omnia facit amor si anima exhibeat se similem Deo per voluntatem, cui similis est per naturam, diligens sicut dilecta est. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectibus, in quo potest creatura et si non ex æquo respondere actori, vel de simili mutuam rependere vicem. Amor ubi venerit cæteros omnes in se traducit et captivat affectus. Amor per se sufficit, per se placet et propter se. Ipse est meritum, ipse præmium, ipse causa, ipse fructus, ipse usus. Per amorem conjungimur Deo. Amor facit idem velle et idem nolle, amor facit prius mores componere, et postmodum omnia quæ adsunt tanquam non adsint considerare, tertio vero loco munda cordis acie superna et interna conspicere. Per amorem primum in sæculo bene geruntur honesta, postmodum etiam honesta sæculi despiciuntur, ad extremum etiam Dei intima conspiciuntur. Deus Pater charitas est. Deus Filius charitas est, Spiritus sanctus amor Patris et Filii est hæc charitas, et hæc charitas aliquid simile requirit in nobis, scilicet charitatem, qua velut quadam affinitate consanguinitatis ei sociemur, et conjungamur. Amor dignitatis nescius reverentiam nescit. Qui amat per seipsum fiducialiter accedit ad Deum, familiariter loquitur ei, nihil timens, nihil hæsitans. Perdit quod vivit, qui Deum non diligit. Qui autem diligit, oculos suos semper habet ad Deum, quem diligit, quem desiderat, in quo meditatur, in quo delectatur, in quo pascitur, et impinguatur. Iste talia sic devotus ita cantat, ita legit, et in omnibus operibus suis sic est providus et circumspectus, quasi Deus adsit præsens ante oculos ejus, sicut revera adest. Ita orat quasi sit assumptus et præsentatus ante faciem Majestatis in excelso throno, ubi millia millium ministrant ei et decies centena millia assistunt ei (*Dan.* vii). Animam, quam visitat amor, expergefacit dormientem, movet et emollit eam, et vulnerat cor ejus, tenebrosa illuminat, clausa reserat, frigida inflammat, mentem asperam et irascibilem, et impatientem mitigat, vitia fugat, carnales affectus comprimit, mores emendat, reformat et innovat spiritum, lubricæ ætatis motus, actusque leves coercet. Hæc omnia facit amor cum præsens est; cum vero abscesserit, ita incipit anima jacere languida, ac si cacabo bullienti subtraxeris ignem. Magna res est amor, quo anima per semetipsam fiducialiter accedit ad Deum, Deo constanter inhæret, [Deum familiariter percontatur, consultatque de omni re. Anima quæ amat, nihil aliud potest cogitare, nihil loqui, cætera contemnit, omnia fastidit, quidquid meditatur, quidquid loquitur amorem sapit, amorem redolet, ita eam amor Dei sibi vindicavit. Qui vult habere notitiam Dei, amet. Frustra accedit ad legendum, ad meditandum, ad orandum, qui non amat. Amor Dei amorem animæ parit, et eam intendere sibi facit; amat Deus ut ametur. Cum

amat nihil aliud vult quam amari sciens amore ipso beatos qui se amaverint. Anima amans cunctis renuntiat sois affectionibus, et tota soli incumbit amori, ut possit respondere amori in redhibendo amore, et cum tota infuderit se in amorem, quantum est ad fontis perennis profluvium? Non pari ubertate currunt amor et amans, Deus et anima, Creator et creatura, tamen si ex toto se Deum diligit nihil deest ubi totum est. Non timeat animo quæ amat, paveat quæ non amat. Anima amans fertur votis, trahitur desideriis, dissimulat merita, majestati oculos aperit, claudit voluptati. Ponens in salutari et fiducialiter agens in eo. Amore anima secedit, et excedit a corporeis sensibus, ut sese non sentiat, quæ Deum sentit; hoc fit cum mens ineffabili Dei illecta dulcedine quodammodo se sibi furatur, imo rapitur atque elabitur a seipsa, ut Deo fruatur ad jucunditatem. Nihil tam jucundum nisi esset tam modicum. Amor dat familiaritatem Dei, familiaritas ausum, ausus gustum, gustus famem. Anima quam tangit amor Dei, nihil aliud potest cogitare, nihil desiderare, frequenter suspirat dicens: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Psal.* XLI). Deus amore venit ad homines, venit in homines, factus est homo. Amore Deus invisibilis servis suis factus est similis. Amore vulneratus est propter delicta nostra.

CAP. X. *De requie tuta et firma in vulneribus, visceribus, et morte Christi, quæ ab omnibus protegant malis et insidiis.*

Tuta et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris. Securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera. Quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. Per foramina corporis patet mihi arcanum cordis, patet magnum pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, *in quibus visitavit nos oriens ex alto* (*Luc.* I). Vulnera Christi Jesu plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine et charitate. Foderunt manus ejus et pedes, et latus lancea foraverunt (*Psal.* XXI, XXXIII). Per has rimas licet mihi gustare, quoniam suavis est Dominus meus, quoniam revera suavis, ac mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus eum in veritate, omnibus inquirentibus et maxime diligentibus. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Salvatoris nostri (*Psal.* CXXIX). Magna multitudo dulcedinis, gratiæ plenitudo, et perfectio virtutum. Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus parat insidias mihi, fugio ad viscera Domini mei, et recedit a me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Filii Dei exstinguitur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium quam vulnera Christi. In illis dormio securus, et requiesco intrepidus. Christus mortuus est pro nobis. Nihil tam est ad mortem, quod morte Christi nobis non solvatur. Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors ejus meritum meum, refugium meum, salus, vita, et resurrectio mea. Meritum meum, miseratio Domini. Non sum meriti inops, quandiu ille miserationum obiitus non fuerit. Et si misericordiæ Domini multæ, multus ego sum in meritis. Quanto ille potentior ad salvandum, tanto ego securior. Peccavi peccatum grande, et multorum sum mihi conscius delictorum. Nec sic despero, quoniam *ubi abundaverunt delicta, superabundavit et gratia* (*Rom.* V). Qui desperat de venia peccatorum suorum, negat Deum esse misericordem. Magnam injuriam Deo facit, qui de ejus misericordia diffidit. Quantum in se est negat eum habere charitatem, veritatem, potestatem, in quibus tota spes mea consistit, scilicet in charitate adoptionis, in veritate promissionis, in potestate redditionis. Murmuret jam quantum voluerit insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu, aut quanta est gloria, quibusve meritis illam obtinere speras? Et ego fiducialiter respondeo: Scio cui credidi, quia in charitate nimia adoptavit me in filium, quia verax est in promissione, potens in exhibitione, et licet ei facere quod vult. Non possum terreri multitudine peccatorum si mors Domini in mentem venerit, quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Clavi et lancea clamant mihi quod vere reconciliatus sim Christo, si eum amavero. Longius aperuit mihi latus Christi lancea, et ego intravi, et ibi requiesco securus. Qui timet amet, quoniam *perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV). Nullum tam potens est et tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quam mors Redemptoris mei. Extendit brachia sua in cruce, et expandit manus suas in cruce paratus in amplexus peccatorum. Inter brachia Salvatoris mei et vivere volo, et mori cupio. Ibi securus decantabo: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me* (*Psal.* XXXIX). Salvator noster caput inclinavit in morte ut oscula daret dilectis suis. Toties Dominum osculamur, quoties in ejus amore compungimur.

CAP. XI. *Excitatur anima ad amandum Christum et se illi conformandam per amorem.*

O anima mea, insignita Dei imagine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata Spiritu, ornata virtutibus, deputata cum angelis, dilige illum a quo tantopere dilecta es. Intende illi, qui intendit tibi. Quære quærentem te. Ama amorem tuum, a quo amaris, cujus amore præventa es, qui est causa amoris tui. Ipse est meritum, ipse est præmium, ipse fructus, ipse usus, ipse finis. Esto sollicita cum sollicito, esto vacante vacans, cum mundo munda, et cum sancto sancta. Qualem te paraveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. *Suavis et mitis et multæ misericordiæ* (*Psal.* LXXXV) suaves et dulces et humiles et misericordes requirit. Ama illum, *qui eduxit te de lacu miseriæ, et de luto fæcis* (*Psal.* XXXIX). Elige illum amicum tuum præ omnibus ami-

ris tuis, qui, cum omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit. In dia sepulturæ tuæ cum omnes amici tui recedent a te, ille te non derelinquet, sed tuebitur a rugientibus præparatis ad escam, et conducet per ignotam regionem, atque perducet ad plateas supernæ Sion, et ibi collocabit cum angelis ante faciem Majestatis, ubi audies melos angelicum. Ibi enim est canticum lætitiæ, vox exsultationis et salutis, gratiarum actio, vox laudis atque alleluia perpetuum. Ibi est cumulus felicitatis supereminens gloris, superabondans lætitia, et omnia bona. O anima mea, suspira ardenter, desidera vehementer, ut possis pervenire in illam civitatem supernam, de qua tam *gloriosa dicta sunt*, in qua sicut *lætantium omnium habitatio est* (*Psal.* LXXXVI). Amore potes ascendere, amanti nihil est difficile, nihil impossibile. Anima quæ amat ascendit frequenter, et currit familiariter plateas cœlestis Jerusalem, visitando illos patriarchas et prophetas, salutando apostolos, admirando exercitus martyrum et confessorum, choros virginum speculando. Cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt, non cessant mihi dicere, ut amem Deum meum. Quid autem amo cum Deum meum amo? Non speciem corporis, non decus temporis, nec candorem lucis istis oculis amicum, non dulces melodias suavium cantilenarum, non florum, et unguentorum, et aromatum suaveolentia, non manna, et mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo cum amo Deum meum, et tamen amo quamdam lucem et quamdam vocem, quemdam odorem, et quemdam cibum, et quemdam amplexum interioris hominis. Ubi fulget animæ meæ quod non capit locus, et ubi sonat quod non rapit tempus, et ubi olet quod non spargit flatus, et ubi sapit quod non minuit edacitas, et ubi hæret quod non divellit satietas, hoc est quod amo cum Deum meum amo. Amo quamdam lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum. Et quid hoc est? Interrogavi terram, et dixi: Non sum. Et quæcunque in ea sunt idem confessa sunt. Interrogavi mare, et abyssos, et reptilia animarum vivarum, et responderunt: Non sumus Deus tuus, quære supra nos. Interrogavi cœlum, solem, lunam, et stellas, Neque nos sumus Deus quem quæris, inquiunt. Et dixi omnibus his quæ circumstant fores carnis meæ: Dicite mihi de Deo meo, quod vos non estis, dicite mihi de eo aliquid, et exclamaverunt voce magna, *Ipse fecit nos* (*Psal.* XCIX). Et direxi me ad me, et inveni te in memoria mea, Deus meus, quoniam dignatus es habitare in ea ex quo te didici, et in ea te invenio cum reminiscor tui, et delector in te.

CAP. XII. *De vitæ nostræ reparatione per mortem Christi, et de laude charitatis ac de latitudine ejus.*

Res vetus erat ut homo moreretur, res nova facta est ut Deus moreretur, quatenus mortis suæ novitate dissolveret mortis nostræ vetustatem, et per crucis irrisionem carnis nostræ perimeret corruptionem. Contra mortis nostræ vetustatem attulit vitæ nostræ novitatem, contra vetus peccatum attulit novum mandatum, scilicet charitatem.

Exstingue cupiditatem si vis amplecti charitatem. Sicut enim *radix omnium malorum est cupiditas* (*I Tim.* VI), ita radix bonorum charitas. *Plenitudo legis charitas* (*Rom.* XIII), *finis præcepti est charitas* (*I Tim.* I). Totam magnitudinem divinorum eloquiorum secura possidet charitas, qua Deum et proximum diligimus. *In his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII). Si non vacat omnes paginas sanctas perscrutari, omnia involucra sermonum evolvere, omnia Scripturarum secreta penetrare, tene charitatem, ubi pendent omnia. Ita tenebis quod ibi didicisti, tenebis etiam quod nondum didicisti. Ille namque tenet quod patet, et quod latet in divinis sermonibus qui charitatem servat in moribus. Charitas non est si patiens et benigna non est. Charitas non est si æmulatur, si agit perperam, si inflatur, si quærit quæ sua sunt. Charitas non est si irritatur, si cogitat mala, si gaudet super iniquitate, si non gaudet de veritate. Charitas omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia suffert. Charitas nunquam excidit (*I Cor.* XIII). Sic probare potest si charitatem habes. Sine charitate dives pauper est, et in ea pauper dives. Charitas in duris passionibus est fortis, in bonis operibus hilaris, in tentationibus tutissima, in hospitalitate latissima. Inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. Summa apostolicæ doctrinæ hæc est, *ut nemini quidquam debeamus, nisi ut invicem diligamus* (*Rom.* XIII). Charitas sic complectatur omnes amicos, ut dilatetur usque ad inimicos. Amicis se volentibus reddat, inimicis se nolentibus ingerat. Istos teneat, illos sequirat. Illos obiectet ut ex amicis non efficiantur inimici, illos invitet ut fiant ex inimicis amici. Dominus etiam usque ad inimicos charitatem jubet extendi dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos*, et orate pro *persequentibus et calumniantibus vos* (*Matth.* V). Dic, Domine, quam mercedem dabis nobis si diligamus inimicos nostros, ut sitis, inquit, *filii Patris vestri, qui in cœlis est* (*ibid.*). Si amarum videtur quod audienti jubetur, sit dulce quod obedienti promittitur. Qui diligunt inimicos suos, et benefaciunt eis qui se oderunt, filii Dei erunt. *Si filii et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII). Audite igitur, Christiani, audite, filii Dei et cohæredes Christi, ut paternam possideatis hæreditatem non solum amicis, sed etiam inimicis impendite, charitatem. Nulli charitas negetur, quæ ab omnibus bonis communiter possidetur. Omnes eam simul habete, et ut eam magis habeatis, et bonis eam et malis impendite. Charitas Dei Deus est, quoniam *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V). Charitas quanto magis multiplicatur, tanto largius a Deo erogatur. Dum redditur charitas, ditescit redditor charitatis. Charitas inimicos vocat ad concordiam. Charitas delectatur illatam injuriam condonare,

Et quis potest charitatis præconium congruis sermonibus explicare? quæ nec in cœlis est sola, nec in terra remanet destituta. In terra habet contubernium amicorum, in cœlo consortium possidet angelorum. Laborat in mundo, requiescit in Deo.

CAP. XIII. *De interioris hominis custodia habenda per virtutes cardinales, et de timore nuntio mortis, et responsis ejus, de diaboli insultu, et de inferni cruciatu: Item consilium virtutum ad evadenda inferni mala.*

Ad insinuandam interioris hominis custodiam Dominus Jesus talem similitudinem ponit: *Hoc autem scitote quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam* (*Luc.* XII). Pater iste familias animus potest intelligi, cujus familia sint cogitationes et motus earum, sensus quoque et actiones, tam exteriores quam interiores. Quæ familia lasciviens nimis et petulans erit, nisi ejusdem patris vigore coercita et disposita fuerit. Nam si vel parum a sua sollicitudine torpuerit, quis potest dicere quomodo per cogitationes, oculi, linguæ, aures, et cætera organa insolescant? Domus est conscientia, in qua pater iste habitans thesauros virtutum congregat, propter quos ne domus effodiatur, semmper vigilatur. Fur autem non unus est, sed multiplex, quia singulis virtutibus singula vitia insidiantur. Principalis tamen fur diabolus intelligitur. Contra quem et ejus satellites pater idem, si tamen non negligens fuerit, domum suam forti custodia muniens, prudentiam in primo aditu constituat, quæ discernat quid sit admittendum, quid vitandum, quid excludendum. Secus hanc fortitudo locetur, ut hostes, quos prudentia venire nuntiaverit, repellat. Justitia sedeat in medio, ut sua cuique tribuat. Et quia qua hora fur sit venturus nescitur, omni hora timeatur, et ne somnus peccati subrepat, assiduo vigilandum est. His ita dispositis introducere debet prudentia aliquos nuntios, qui aliqua narrent quæ ad exercitationem valeant. Itaque nuntius mortis ingressum postulans admittitur. Qui rogatus ut dicat qui sit, unde veniat, quid viderit, se respondit non aliter quidquam dicturum, nisi summum fiat silentium. Quo impetrato sic incipit: Ego sum timor mortis, et mortem vobis venire nuntio. Prudentia loquitur pro omnibus, et interrogat sic dicens: *Ubi est mors?*

MEMORIA MORTIS. Scio quia non tardat venire, et prope est. Sed diem et horam adventus ejus ego nescio.

PRUDENTIA. Et qui veniunt cum illa?

MEMORIA. Mille dæmones ferentes secum libros grandes, et uncos ferreos et igneas catenas.

PRUDENTIA. Quid prætendunt his omnibus?

MEMORIA. In libris scripta sunt omnia peccata hominum, et quorum ibidem peccata scripta sunt, illos sui esse dicunt juris. Uncos ferunt, ut quos sui esse juris convicerint, eorum animus violenter extrahant et ligatas catenis in infernum pertrahant.

PRUDENTIA. Qualis est infernus? vel quid vidisti in eo?

MEMORIA. Infernus latus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili. Ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. Omnis qui est in eo odit se et omnes alios. Ibi vidi omnia genera tormentorum, quorum minimum est majus omnibus his tormentis quæcunque in hoc sæculo fieri possunt. *Ibi est fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII), ibi transitur a frigore nivium ad calorem ignium [nimium], et utrumque intolerabile. Ibi omnes comburuntur et vermibus corroduntur, nec consumuntur. *Vermis quorum non moritur, et ignis non exstinguitur* (*Isai.* LXVI). Nulla ibi vox, nisi væ, væ habent, væ sonant, tortores diabolici torquent pariter et torquentur, et eorum nunquam finis erit aut remedium. Talis est infernus et millies pejor, et hæc vidi in inferno et millies pejora.

PRUDENTIA. Deus, quid faciemus? Nunc, fratres, audite consilium meum, et date vestrum. *Estote fideles, prudentes, et vigilate in orationibus providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (*II Cor.* VIII).

TEMPERANTIA. *Præoccupemus faciem ejus* (*Psal.* XCIV), etc. *Sobrii estote et vigilate* (*I Petr.* V), etc.

FORTITUDO. *Cui resistite fortes in fide* (*ibid.*). Confortamini in Domino, induite vos armaturam Dei, loricam justitiæ, scutum fidei, galeam salutis. Assumite et gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI).

JUSTITIA: *Sobrie, et juste, et pie vivamus* (*Tit.* II). Sobrie in nobis, juste ad proximum, pie ad Deum. Et quod nobis fieri nolumus, aliis non faciamus, hoc enim justum est.

CAP. XIV. *De secundo nuntio, qui est amor et desiderium æternæ vitæ, et de gaudiis et incolis cœli per eum enuntiatis.*

PRUDENTIA LOQUITUR.

Alius nuntius venit pulcher et hilaris, qui videtur afferre bona.

JUSTITIA. Admittatur, forsitan nos lætificabit, nam iste prior terruit nos.

PRUDENTIA. Admittam. Ingredere et quis sis, unde venias, quid videris edicito.

NUNTIUS. Ego sum amor vitæ æternæ et desiderium cœlestis patriæ. Si me vultis audire, silentium et quietem habete; non enim inter clamores et tumultus audiri possum.

JUSTITIA. Si nos, dum timor et memoria mortis loqueretur, tacuimus, justum est ut te loquente multo magis taceamus.

DESIDERIUM VITÆ ÆTERNÆ. Tacete ergo. Vidi talia, quæ nullus hominum potest digne loqui. Dicam tamen aliquid, prout potero. Vidi Deum, sed per speculum et in ænigmate. Contemplatus illam ineffabilem individuæ Trinitatis majestatem initio fineque carentem. Sed quia lucem habitat inaccessibilem

ab ipsa luce reverberati sunt oculi mei, et intuitus obtusus. Essuperat enim omnem sensum, omnemque intuitum illa claritas, illa pulchritudo. Aliquantisper tamen intuitus sum Dominum Jesum Christum in dextera Patris sedentem, in æterna vita regnantem, quamvis super omnem creaturam adeo speciosum, ut in eum desiderent angeli prospicere (*I Petr.* I), ad hæc tamen vulnera passionis, quibus nos redemit, in corpore suo habentem, Patri pro nobis assi tentem. Vidi justa ipsum gloriosam Matrem ejus cum omni honore et reverentia in throno mirabili sedentem, super omnes ordines beatorum angelorum et hominum exaltatam, suum Filium pro nobis interpellantem, et ejus cui vult miserentem. Sed hanc admirabilem claritatem matris et Filii diu ferre non sustinens converti aspectum meum ad illos beatorum spirituum ordines, qui ante Deum assistunt, quorum sempiterna beatitudo de visione Dei et amore, nec minuitur, nec finitur, sed semper crescit, et permanet. Sed nec istorum quidem gradus et dignitates laudes quoque quas Creatori referunt, ullus hominum cogitare nedum enarrare sufficit. Deinde prophetas intuitus sum, et patriarchas miro exsultantes gaudio, qui eam, quam olim a longe salutaverant patriam, obtinent, qui ea quæ in spiritu præviderant completa conspiciunt. Vidi apostolos in thronis sedentes, tribus et linguas omnes judicare paratos, et de pauperibus, et de infirmis tam gloriosos tamque sublimes factos a Domino Jesu, satisque super hoc miratus sum. Vidi, sed pervidere non potui innumerabilem beatorum martyrum exercitum gloria et honore coronatum, qui passiones hujus temporis, quas pertulerant minimas reputabant ad illam gloriam, quæ revelata erat in eis. Horum felicitate et gloria diu delectatus respexi gloriosam multitudinem confessorum, inter quos viri apostolici, et doctores, qui sanctam Ecclesiam doctrinis suis munierunt, fulgent quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sunt ibi monachi, qui pro claustris et cellis angustis immensa et sole clariora palatia possidentes, pro asperis tunicis nive candidiores; omnique suavitate molliores vestes induti, ab oculis quorum abstersit Deus omnem lacrymam. Regem in decore suo vident. Postremo ad chorum virginum respexi, quarum gloria ornatus et melodia dulcis. Nam cantabant canticum, quod nemo alius poterat dicere (*Apoc.* XIV), nulla hominum eloquentia digne enarrare potest. Sed odor in regione earum tam suavis erat, ut omnia aromatum genera exsuperet.

CAP. XV. *De civium cœlestium communi actione, et exsultatione prima.*

LOQUITUR ITERUM PRUDENTIA.

Placet quod dicis. De singulis beatorum ordinibus mira disseris, quæsumus ut quæ sit eorum in communi actio edicas. Desiderium vitæ æternæ. Dicam utcunque potero. Omnium simul in communi actio septiformis est. Vivunt, sapiunt, amant, gaudent, laudant, veloces sunt, securi sunt.

PRUDENTIA. Licet aliquatenus hoc intell gam, tamen propter sedientes de singulis panes dissere.

DESIDERIUM. Fiat. Vivunt vita sine fine, sine molestis, sine diminutione, sine omni adversitate. Vita eorum visio et cognitio beatæ Trinitatis, sicut Dominus ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Sapiunt consilia atque judicia Dei, quæ sunt abyssus multa (*Psal.* XXXV). Sapiunt causas, et naturas, et origines omnium rerum. Amant Deum incomparabiliter, quia sciunt unde et ad quid eos Deus provexit. Amant singuli singulos sicut seipsos. Gaudent de Deo ineffabiliter. Gaudent de tanta sua beatitudine. Et quia unusquisque unumquemque diligit sicut seipsum, tantum gaudium quisque habet de bona singulorum quantum de suo, quoniam bonum, quod non habet in seipso, possidet in altero. Constat igitur quod singuli tot gaudia habent quot socios, et singula gaudia tanta sunt singulis, quantum proprium singulorum. Cum autem quisque plus amet Deum quam seipsum, et omnes alios secum, plus gaudet de Dei felicitate quam de sua et omnium aliorum secum. Si ergo cor uniuscujusque vix capit suum gaudium, quomodo capit tot et tanta gaudia? Ideo dicitur: *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV); non intret gaudium Domini tui in te, quia capi non posset. Inde laudant Deum, sine fine, sine fastidio, sicut scriptum est. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Veloces sunt, quia ubicunque esse vult spiritus, ibi est etiam corpus. Omnes securi sunt. Securi sunt de tali vita, de tanta sapientia, de tanto amore, de tanto gaudio, de tali laude, de tali velocitate, quod nullum finem, nullam diminutionem, nullum detrimentum, habebunt. Ecce pauca dixi vobis, quæ vidi in cœlo. Neque enim ut vidi dicere, neque ut sunt videre potui.

PRUDENTIA. Vere in cœlo te fuisse, vera vidisse, vera narrasse te intelligimus.

FORTITUDO. *Quis igitur nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia*, etc. Certa sum quia *neque mors, neque vita*, neque cætera alia poterunt *nos separare a charitate Christi* (*Rom.* VIII).

JUSTITIA. Ejiciatur foras ille prior nuntius, non est enim justum in eadem domo manere cum isto. *Perfecta enim charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV).

FORTITUDO. Egredere, timor. Jam non eris in finibus nostris.

TIMOR. Quid mali feci? Age, age, ego pro bono dixi quod dixi.

TEMPERANTIA. *Fratres, dico non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII). Tu vero egredere, timor, et æquo animo patere judicium, quod justitia judicavit. Forsitan tu admitteris si desiderium vitæ æternæ aliquando loqui cessaverit.

AUCTOR. Sic debet quisque torporem suum excutere, et a timore ad cœlestis patriæ desiderium transferre.

CAP. XVI. *De beatitudinibus animæ, et fercalis vitæ æternæ, descriptioque virtutum per quas ad eas pervenitur.*

In ea siquidem cœlesti patria est vita sine morte, juventus sine senectute, sanitas sine infirmitate, requies sine labore, gaudium sine tristitia, pax sine discordia delectatio sine fastidio, lux sine tenebris, pulchritudo sine turpitudine, agilitas sine ponderositate, fortitudo sine imbecillitate, libertas sine servitute, voluptas sine anxietate, longævitas sine vitæ termino, sapientia sine insipientia, amicitia sine inimicitia, concordia sine discordia, honor sine dedecore, securitas sine timore.

Charitas est motus animi rationalis ad diligendum seipsum propter Deum, amicum in Deo, inimicum propter Deum. Humilitas est contemptus sæculi, et abjectio sui. Obedientia est vicaria servitus. Disciplina est necessarium sanctitatis officium, vitia arguentis, et peccata corrigentis. Item disciplina est ordinatis morum correctio, majorumque antecessorum regularis observatio; ex hac nascitur clementia. Clementia est benignitas superioris erga inferiores. Ex qua rursus generatur justificatio. Justificatio est rei perfectæ consummatio. Castitas est munditia corporis cum integritate mentis. Perseverantia est exitus rei per consummationem fidei. Charitas est virtutum radix; humilitas, honorum servatrix; obedientia, præceptorum incitatrix; disciplina, vitiorum emendatrix; castitas, monachorum adornatrix; perseverantia, honorum omnium coronatrix.

CAP. XVII. *Descriptio quorumdam vitiorum religionem suffocantium, ut sunt crapula, ebrietas, otiositas, et quæ in otiosis subrepunt cogitationes pravæ, et quod nullum peccatum maneat impunitum.*

Contra has virtutes continuo prælio diversa pugnant vitia, crapula, ebrietas, et otia, ex quibus mala cogitatio. Escæ enim variæ crapulam, potus frequentes ebrietatem generant. Ebrietas autem perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Ebrietas ita mentem alienat, ut ipsa ubi sit nesciat, sæpeque malo consentit, quod per ebrietatem immittitur. Unde est illud quod juxta prophetam dicitur: *Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor* (*Ose.* IV). Fornicatio, sicut Salomonem, infatuat sapientem. Ebrietas, sicut ipsius Lot, sensus ratione captivat. Unde in Proverbiis: *Noli regibus dare vinum quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas, ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum* (*Psal.* XXXI). Plerisque laudi dandum videtur multum bibere et non inebriari, studiant hi adversam se prophetam dicentem: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem!* (*Isa.* V). De otiositate autem Gregorius: « Otiosæ, inquit, menti spiritus maligni pravas cogitationes ingerunt, ut si requiescit ab opere, non requiescat a malorum operum delectatione. » Fac ergo aliquid operis, ut diabolus te semper inveniat occupatum. Nam antiquus hostis, mox ut otiosam mentem invenerit; ad eam sub quibusdam occasionibus locuturas venit, et quædam ei de gestis præteritis ad memoriam reducit. Audita quædam verba indecenter resonat, et si qua dudum turpiter acta sunt, eorum speciem oculis opponit cordis, et quem de præsentibus non valet inquinare, de malis transactis violat, et deceptam mentem sæpe in delectationem reparat. Unde diu per impugnationem afflixit, ut vere cum Psalmista dicat: *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* XXXVII). Ergo cicatrix ad putredinem redit, quando peccati vulnus, quod jam per pœnitentiam sanatum est, in delectationem sui animam concutit. Sæpe quod nunquam fecimus, per hostis callidi insidias cordis oculis videmus. Cumque in hoc sensibiliter delectatio subrepserit, quamvis jam plangat quæ fecerit, tædet tamen infelicem animam quædam non fecisse quæ plangit. Hæ sunt cordis nostri tenebræ, quas in hac vita scientes volentesque sustinemus. Quid contra hæc mala quærendum est, nisi adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Diabolus non cogendo, sed suadendo nocet. Non est unde plus gaudeat diabolus, nisi quando homo dicit, quod ipse fecerit ut peccaret. Gregorius: « Dum in cogitatione voluptas non reprimitur, etiam in actione dominatur. » Augustinus: « Nullus potest facere aliquid, nisi præcesserit jussio cogitationis, quia facta de cogitatione procedunt. » Non potest autem fieri, ut habeat mala facta, quæ habet cogitationes bonas. Firmiter credere debemus, quod nullum peccatum sine vindicta relinquitur. Aut enim hic per pœnitentiam unusquisque peccatum suum delet, aut Dominus pie per suum flagellum purgat, aut post mortem igne purgatorio purgabitur. Quod si his modis peccatum hominis non fuerit deletum post hanc vitam in ignem descendet æternum. Peccator enim, qui in hoc mundo flagellari non meretur, in inferno torquebitur. Sane nullus tantum potest peccare, quantum Dei potestas valet dimittere, quam orabimus ut nobis debita dimittat universa. Amen

EXCERPTIONUM ALLEGORICARUM

LIBRI XXIV

Cum scholiis domini Thomæ Garzonii a Bagnacaballo cœnobii S. Victoris Parisiensis theologi

---

PROLOGUS.

Accipe, charissime frater, Excerptionum munus quod postulasti. Invenies in eo multa ex multis libris collecta, in unam seriem ordinate disposita, sibi prout ratio seorsum postulat cohærentia, continuata et connexa, dilectionis tuæ studio satis utilia. Sacrorum namque librorum fertiles agros pervolantes, et ex eis optima quæque colligentes, pauca vel nulla simplicitati tuæ sacræ Scripturæ lectionem ingredienti necessaria prætermittimus. Per hæc autem, quæ scribimus, nec grammaticos docere, nec sapientes volumina erudire, sed tuæ petitioni, tuo desiderio volumus satisfacere, tuumque studium in melius adjuvare. Sed et hoc tibi notum esse volumus, quod de his, quæ tibi scribimus, nobis gloriam non damus, sed Deo, et sanctis doctoribus, ex quorum libris ea sumpsimus, licet multa ponamus, quæ proprio sensu cogitavimus, propriis verbis dictavimus. Modum scribendi talem servamus. Totam schedulæ hujus seriem in duas partes dividimus. In prima parte materiam habemus originem artium, situm terrarum, cursum historiarum ab initio usque ad nos decurrentium. In secunda parte materiam habemus sensus allegoriarum, et tropologiarum secundum subjacentis lineam historiæ dispositarum. Primam partem per decem libros distinguimus. In primo libro de origine artium, et divisione earum breviter disputamus. In secundo materiam mundanæ et divinæ Scripturæ, et quomodo mundana divinæ subserviat demonstramus cum quorumdam adjectione. In tertio situm terrarum describimus. In quarto summam historiæ divinæ ab initio usque ad nativitatem Christi ponimus. In quinto ortum, cursum et occasum regnorum mundi a tempore, quo ab initio esse cœperunt, usque ad nativitatem Christi. In sexto tractamus de imperatoribus Romanis ab Octaviano [Octavio] usque ad Trajanum. In septimo a Trajano usque ad Constantinum Magnum. In octavo a Constantino Magno usque ad Zenonem. In nono a Zenone usque ad Carolum Magnum. In decimo tractamus de origine, et regibus Francorum usque ad Carolum, et post, a Carolo usque ad nos. Secundam vero partem operis hujus per quatuordecim libros dividimus. Primus liber tractat de mysteriis rerum gestarum ab initio usque ad Abraham. Secundus de mysteriis rerum gestarum ab Abraham usque ad Moysen. Tertius de mysteriis rerum gestarum a Moyse usque ad Josue. Quartus de mysteriis rerum gestarum a Josue usque ad Elcanam patrem Samuelis. Quintus de mysteriis rerum gestarum ab Elcana usque ad David, ubi scriptum est : *Scidit Dominus regnum Israel a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te* (*I Reg.* xv). Sextus de mysteriis rerum gestarum a David usque ad Salomonem. Septimus de mysteriis rerum gestarum a Salomone usque ad transmigrationem Babylonis. Octavus de mysteriis rerum gestarum quæ continentur in Esdra. Nonus de mysteriis rerum gestarum, quæ continentur in libris Esther, Tobiæ et Judith. Decimus sermones diversos singulos de materia sua editos. Cætera, quæ deinceps ponimus, de Novo Testamento sumimus quatuorque libris determinamus. Sicque totum opus viginti quatuor libris consummamus. Quod vero in singulis capitulis brevitati studemus. Ideo facimus ne imperfectionem inchoationis tuæ verbis prolixioribus oneremus. Primæ autem partis libros et capitula taliter in sequentibus ordinamus.

PARS PRIMA

CONTINENS

ORIGINEM ET DISCRETIONEM ARTIUM, SITUM TERRARUM ET SUMMAM HISTORIARUM.

LIBER PRIMUS.

Tractat de origine et divisione artium et continet capitula 25

CAP. I. *De conditione creaturæ rationalis.*

Deus summe bonus, et immutabiliter bonus, sciens suam beatitudinem communicari posse, et minui omnino non posse, fecit creaturam rationalem, ut eam faceret suæ beatitudinis esse participem. Fecit autem eam ad imaginem et similitudinem suam secundum dilectionem; ad imaginem suam, secundum cognitionem veritatis; ad similitudinem suam, secundum amorem veritatis; ad imaginem suam, secundum intellectum; ad similitudinem suam, secundum affectum. Sic opifex fecit Deus creaturam rationalem ad imaginem et similitudinem suam, ut per hoc quod facta esset ad imaginem Dei, Deum cognosceret, et per hoc quod facta esset ad similitudinem Dei, Deum diligeret, et cognoscendo et diligendo Deum possideret, et possidendo beata esset. Sicut enim in uno elemento, scilicet igne duo sunt inter se diversa, et a se prorsus remota, scilicet splendor et calor, nec splendor est calor, nec calor splendor, quia splendor lucet, et videtur, et calor ardet, et sentitur, nec splendor ardet aut aliter quam visu sentitur, nec calor lucet aut videtur. Ita in spirituali creatura imago Dei et similitudo Dei inter se diversa sunt, et a se quodammodo remota. Nam secundum illud originale bonum, quo facta est ad imaginem Dei, ipsa spiritualis creatura elucet ad cognitionem; et secundum illud bonum, quo facta est ad similitudinem Dei, calet ad dilectionem. Jussit autem Conditor ipsius partem ejus in sua simplici puritate subsistere, scilicet naturam angelicam, partem vero illius luteis corporibus inesse, naturam videlicet humanam (5).

CAP. II. *De tribus bonis primordialibus et duobus externis homini datis.*

Tria bona primordialia dedit Deus homini in creatione. Primum bonum fuit quod eum Deus fecit ad imaginem suam; secundum, quod eum fecit ad similitudinem suam; tertium bonum fuit immortalitas corporis, si perstitisset homo in obsequio Conditoris. Ista tria bona fuerunt homini in conditione divinitus data, et naturaliter et originaliter insita. Fuerunt et alia duo bona hominis quasi extra eum, unum subtus eum, alterum supra eum. Subtus eum mundus, supra eum Deus. Mundus visibile bonum et transitorium, Deus invisibile bonum et æternum. In isto fuit homo creatus, in illo beatificandus. Sub Deo fuit homo conditione, supra mundum dignitate, de inferiori bono recessurus, ad superius bonum perventurus. Sunt itaque tria primordialia bona hominis, homini scilicet in condi-

(5) Quomodo rationalis creatura, id est homo, ad imaginem, et Dei similitudinem formata dicatur, notabiliter habetur ex auctoribus diversis. Et primo, ex compendio veritatis Aureoli, triplex imaginis assignatio elicitur. Prima, quod imago quædam est æqualitatis perfectissimæ: et sic solus Filius Dei est imago Patris. Quædam est imago imitationis, et sic *homo factus est ad imaginem Dei*, scilicet ut ipsum agnoscat, et in virtutibus imitando, amare studeat. Quædam autem est imago repræsentationis. Et sic mundus dicitur speculum, et imago bonitatis Dei. Secunda differentia ibidem pro elucidatione est, quod quædam est imago non ad imaginem, sicut Filius Dei. Quædam autem est imago ad imaginem, ut est homo, vel angelus. Quædam est non imago sed ad imaginem, ut mundus, qui non est imago, quia non est capax Dei per amorem et cognitionem, sed tantummodo est vestigium Creatoris. Tertia differentia ad hoc declarativa, quod quædam est imago naturaliter genita, sicut filii regis ad regem, sic est Christus respectu Dei Patris. Quædam autem est imago creata, ut anima humana, et angelus. Quædam vero est imago facta quasi artificialis ut est in nummo vel denario regis vel statua quæ ipsum regem repræsentat. Amplius sciendum quod imaginis Dei nomen in sanctis litteris duobus capitur modis, hoc est secundum substantiam et secundum similitudinem. Porro secundum substantiam imago Dei, ut inquit Eucherius libro primo Commentariorum in Genesim, nihil aliud est quam mens naturaliter omni humanæ animæ a Deo collata, cujus privilegio cætera carent animalia; imago vero Dei, secundum similitudinem, est justæ sanctæque animæ cum Deo conformitas ex divina gratia, et sanctarum actionum studio comparata de qua D. Ambrosius in comment. Epist. ad Colossenses, super illud Apostoli: *Induentes novum hominem, qui renovatur secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Coloss.* III), sic loquitur: « Imago hæc in conversatione bonæ vitæ intelligenda est. » Amplius ex Nicolao Lyrano super illud Gen. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, notandum quod imago Dei consistit in anima, quantum ad proprietates naturales, scilicet memoriam, intelligentiam, et voluntatem. Similitudo autem in gratuitis et ideo similitudo est quædam perfectio imaginis quia gratia perficit naturam.

tinne data, et substantialiter insita, imago Dei, similitudo Dei. immortalitas corporis, si perseveraro voluisset in obsequin Creatoris (6).

CAP. III. *De tribus malis principalibus.*

Sunt autem tria mala principalia, quæ corrumpunt tria bona præcedontia: ignorantia, concupiscentia, infirmitas. Ignorantia boni, concopiscentia mali, infirmitas corporis humani. Per primum malum corruptum est primum bonum; per secundum, secundum; per tertium, tertium. Per ignorantiam namque corrupta est in nobis divina imago. Per coucupiscentiam divina similitudo. Per infirmitatem immortalitas corporis. *Facta est* itaque *via hominis tenebræ et lubricum, et angelus Domini persequens eum* (*Psal.* XXXIV). Tenebræ per ignorantiam, lubricum per concupisceutiam, et angelus Domini, id est, infirmitas corporis corpori ad vindictam immissa, persequens eum per mortalitatem, donec in terram revertatur de qua sumptus est. Solet autem, secundum quosdam, hoc quod hie concupiscentiam nominamus, specialiter vitium dici, ut dicantur tria mala sic : ignorantia, vitium, infirmitas, per quæ tria mala præcedentia bona sunt corrupta (7).

CAP. IV. *De tribus remediis contra dicta tria mala.*

Tria sunt remedia principalia contra tria prædicta mala, ut per tria remedia tria mala repellantur, tria bona reformentur. Sunt autem hæc: sapientia, virtus, necessitas. Sapientia contra ignorantiam, virtus contra vitium, necessitas contra infirmitatem. Sapientia est comprehensio rerum, prout sunt. Virtus est habitus animi in modum naturæ rationi consentaneus. Est autem habitus qualitas veniens per applicationem subjecti difficile mobilis, sicut dispositio est qualitas veniens per applicationem subjecti facile mubilis. Subjectum dicimus animum, qui ad ipsam suscipiendam qualitatem applicatur. Necessitas est sine qua vivere non possumus, sed felicius viveremus. Sunt itaque ista tria remedia, sapientia, virtus, necessitas, contra tria supradicta mala, ignurantiam, vitium, infirmitatem (8).

CAP. V. *De tribus scientiis.*

Propter autem ista tria remedia inventa est omnis ars, et omnis disciplina. Propter inveniendam namque sapientiam, inventa est theorica; propter inveniendam virtutem, invents est practica; propter inveniendam uecessitatem, inventa est mechanica. Theorica ignorautiam expellens sapientiam illuminat. Practica vitium excludens virtutem roborat. Mechanica penurism cavens vitæ præsentis defectum temperat. Theorica in omni quod est et non est, verum scrutari eligit. Practica modum vivendi recte et disciplinæ formam secundum virtutom institutionem disponit. Mechanica, res defluentes administrans, humano corpori necessaria providere satagit. Omnium enim humanarum actionum seu studiorum, quæ ratio moderatur, finis et intentio ad hoc spectare debet, ut vel naturæ nostræ reparetur integritas, vel defectuum, quibus præsens subjacet vita, temperetur necessitas. Reparatur autem naturæ nostræ integritas sapientia, ad quam pertinet theorica, et virtute, ad quam pertinet practica, et temperatur necessitas administratione temporalium ad quam pertinet mechanica. Novissima sutem omnium inventa est logica causa eloquentiæ. ut sapientes, qui prædictas principales disciplinas investigarent et unirent, rectius, veracius, honestius illas tractare, et disserere de illis scirent: rectius per grammaticam, veracius per dialecticam, honestius per rhetoricam. Logica namque facundiæ rectitudine veritatem, venustatem administrat. Theorica interpretatur *contemplativa*; practica, *activa*, mechanica, *adulterina*; logica, *sermocinalis* (9).

CAP. VI. *De philosophia et partibus ejus.*

Quatuor igitur sunt scientiæ, in quas omnis philosophia dividitur : theorica, practica, mechanica, logica. Philosophia est amor sapientiæ, quæ, nullius indigens, vivax mens, et sola primæva rerum ratio est. Philosophia est amor sapientiæ, hoc magis ad etymologiam nominis pertinet. Quod autem additur nullius indigens, vivax mens, hoc significat quod divina sapientia nihil minus continet, sed semel et simul omnia intuetur præterita, præsentia et futura. Vivax mens, quia quod semel in divina fuerit ratione. nulla unquam oblivione aboletur. Primæva rerum ratio est quia ad hujus similitudinem cuncta formata sunt. Item philosophia est disciplina omnium rerum humanarum atque divinarum rationes probabiliter investigans (10).

(6) De immortalitate corporis longe aliter sentit Scotus cum suis asseclis, utpote qui opinantur hominem morti fuisse obnoxium, licet in originali permansisset innocentia, ob mortalis naturæ conditionem. Hanc tamen non pœnalem mortem, sed spiritus dissolutionem suavissimam, veluti flatus ab ore exeuntis, nuncupant.

(7) Intellectui pulchre objicitur malum ignorantiæ, vitæ sanctitati et puritati concupiscentia, infirmitas corporis immortalitati, ut totus homo ex Adæ peccato vulneratum se agnoscat, qui enim prius totus incolumis existere poterat, nisi peccasset, totus infirmus peccando evasit.

(8) Inflictis vulneribus sapientia medetur, intellectum consulendo, virtus concupiscentiam frenando. Necessitas infirmitatem cohortando. Piissimus enim Dominus illa remedia languoribus nostris obtulit, quæ suæ miserationi et nostræ infirmitati apposita essent.

(9) Ut inveniretur sapientia intellectum consulens et ignorantiam excludens, et veritatem rerum propinans, theoricam disciplinam edocuit nos Deus; ut inveniretur virtus concupiscentiam expellens vel refrenans, practicam monstravit; ut inveniretur necessitas infirmitatem cohortans, et adjuvans, ostendit mechanicam, penuriam caventem, et miserias sive hujus vitæ defectus temperantem. In quibus omnibus altissimi Dei charitas in nos elucet.

(10) Philosophia nullum bonum, nec præstantius, nec optabilius hominibus a diis, nec datum, nec dari posse, inquit Ammonius in Porphyrium. Et Themistius in primo Physic. c. 4 : « Philosophia est animæ perfectio, ut medicina corporis. » Philosophia aliter mortis commentatio definitur a Platone. Phi-

Cap. VII. *De theorica et partibus ejus.*

Theorica dividitur in theologiam, physicam et mathematicam. Aliter theorica dividitur in intellectibilem, physiologiam, intelligibilem. Aliter theorica dividitur in divinalem, naturalem, doctrinalem. Eadem namque est theologia, intellectibilis et divinalis. Eadem est physica, physiologia naturalis. Eadem est mathematica, intelligibilis, doctrinalis. Theologia tractat de invisibilibus invisibilium essentiis. Physica tractat de invisibilibus visibilium causis. Mathematica tractat de visibilibus visibilium formis. Theologia est, quando aut ineffabilem Dei naturam, aut spirituales creaturas ex aliqua parte profundissima qualitate disserimus. Physica est, quæ causas rerum ex suis effectibus, et effectus ex causis deprehendit.

Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescunt.
Herbarum ac lapidum vires, irasque ferarum.
Omne genus nantum, volucrum quoque reptiliumque.

Mathematica est, quæ abstractam considerat quantitatem. Abstracta autem quantitas nihil est aliud quam forma visibilis secundum lineamentarem dimensionem animo impressa. Omnis autem forma visibilium in quantitate consistit. Quantitatis autem alia est discreta, quæ multitudo appellatur, ut grex, populus; aut contigua, quæ magnitudo dicitur, ut arbor, lapis. Rursum multitudinis, alia est discreta per se, ut duo, tria, quatuor; alia distracta ad aliquid, ut sesquialterum, sesquitertium. Magnitudinis alia est immobilis, ut sphæra terræ; alia mobilis, ut sphæra firmamenti. Multitudo discreta per se materia est arithmeticæ. Multitudo discreta ad aliquid materia est musicæ. Magnitudo immobilis materia est geometriæ. Magnitudo mobilis materia astronomiæ (11).

Cap. VIII. *De mathematico et partibus ejus.*

Quatuor sunt itaque species mathematicæ: arithmetica, musica, geometria, astronomia. Arithmetica tractat de numero, musica de sonorum proportione, geometria de locorum spatio, astronomia de astrorum motu. Elementum arithmeticæ est unitas. Elementum musicæ est unisonum. Elementum geometriæ est punctum. Elementum astronomiæ est instans. Arithmetica est numerorum scientia. Musica est plurium sonorum dissimilium in unum redactorum concordia. Geometria est disciplina magnitudinis immobilis, formarumque descriptio contemplativa, per quam uniuscujusque rei termini declarari solent. Astronomia est disciplina magnitudinis mobilis, et investigans spatia, motus, et reditus cœlestium corporum certis temporibus (12).

Cap. IX. *De arithmetica.*

Arithmeticam scriptores sæcularium litterarum inter disciplinas mathematicæ ideo primam esse voluerunt, quia ipsa ut sit nulla alia indiget disciplina. Musica autem, et geometria, et astronomia quæ sequuntur, ut sint atque subsistant, istius indigent auxilio. Prima ergo est arithmetica, quia in proportione, spatio et motu numerus invenitur, sed non e diverso. In numero semper proportio, aut spatium, aut motus inesse cernitur. Unde arithmetica et una de quatuor, et aliarum trium instrumentum esse probatur (13).

Cap. X. *De musica et partibus ejus.*

Musicarum alia mundana, alia humana, alia instrumentalis. Mundanarum, alia in elementis, alia in planetis, alia in temporibus. Earum quæ in elementis, alia in pondere, alia in numero, alia in mensura consistit. Quæ in planetis, alia in situ, alia in motu, alia in natura. Quæ in temporibus, alia in annis, ut in mutatione veris, æstatis, autumni, et hiemis; alia in mensibus, ut in incrementis, decrementisque lunaribus; alia in diebus, ut in vicissitudine lucis et noctis. Musica humana alia in corpore, alia in anima, alia in connexo utriusque. In corpore alia in vegetationibus, alia in humoribus, alia in operationibus. Prima convenit omnibus nascentibus, secunda sensibilibus, tertia rationabilibus. Musica in anima, alia in potentiis, ut sunt ira et ratio; alia in virtutibus, ut sunt justitia et fortitudo. Musica in connexo utriusque est illa naturalis amicitia, qua anima corpori non corporeis vinculis alligata tenetur. Musica instrumentalis alia in pulsu, ut in tympanis et chordis; alia in flatu, ut in tibiis et organis; alia in voce, ut in carminibus et cantilenis (14).

losophia, secundum Albertum De Animal. lib. primo: « Nil aliud est, quam victoria, et abstinentia concupiscibilium. » Ipsius philosophiæ, natura est quærere maximas perscrutationes, ut ait Averr., 2 Metaphysic. text., comment. 15.

(11) Theologia nihil habet altius mysterium quam Patris ac Filii divinitas, et notio, idemque Spiritus sancti, ut habetur ex Steucho De Perenni Philos. lib. I. Unde pulchre de invisibilibus invisibilium essentiis tractare dicitur.

(12) Cum naturalia corpora superficies habeant, et solida longitudines et puncta in corpore cum physico mathematica consentit; differt tamen consideratione et aliis, quæ tradit Arist. 2 Phys., c. 2. Eligit quippe ex corpore universo certam partem pertractandam, atque versatur circa lineas, angulos, numeros, aut aliquid cæterorum. Quatuor sunt ejus species ab Hugone commemoratæ, et sunt speculativæ disciplinæ teste Arist. VI, Metaph. cap. 1, et necessariæ ad rerum naturalium, et aliarum cognitionem, ut ait Plato in Epinomide.

(13) Omnia quæ sunt, inquit Boetius, numeris constant, siquidem Deus *omnia* fecit in *numero, pondere, et mensura* (*Sap.* XI), ut non mirum sit, aliquando Pythagoricos dixisse, ex numeris omnia facta, ut ait Aristo. Metaphys. I, cap. 5, et Macrobius dixit animam corporibus certa numerorum ratione sociari, lib. I in Somn. Scip. Verum Proclus in Timæum Platonis, Pythagoricos quatuor numerorum constituisse rationes tradit, aliam musicalem, ut in musica, et carminibus, aliam naturalem, ut in rerum compositione, aliam rationalem, aliam divinam.

(14) Musicam veteres inter disciplinas collocarunt, et quod natura quærit, non solum in negotio recte, verum etiam in otio laudabiliter posse vivere. Arist., lib. VIII, Pol. c. 3. Plerisque autem musica visa est morum esse formatrix, et inventrix, ut Arist., lib. VIII, Pol. c. 5, et Plat. Dial. 6 De legib. Atque musicæ sonis etiam barbarorum animos ad virtutem flecti posse, vel in mollitiem voluptatis resolvi placuit Macrob. lib. II, in Somn. Scip., cap. 3.

CAP. XI. *De geometria et partibus ejus.*

Geometria tres habet species, planimetriam, altimetriam, cosmimetriam. Planimetria longum et latum metitur, et extenditur antorsum et retrorsum, dextrorsum et sinistrorsum. Altimetria metitur altum et profundum, et extenditur sursum et deorsum. Cosmimetria sphærica metitur, id est rotunda (15).

CAP. XII. *De astronomia et astrologia.*

Astronomia in mathematica non solum est ordine postrema, sed et loco sublimior, et excelsior dignitate, quia cum cæteræ tres quodammodo inferius versentur, hæc sola cœlestium et superiorum dispositionem investigandam, ac tractandam suscepit. Astronomia dividitur in duas species, in sphæricam et gnomonicam. Sphærica est, quæ spatia, et situm considerat cœlestium corporum. Gnomonica, quæ motum horologii attendit. Inter astronomiam et astrologiam hoc interesse videtur quod astronomia de lege astrorum, et conversione cœli disserit, regiones, circulos, ortus, occasus siderum, et cur unumquodque ita vocetur investigando. Astrologia autem astra considerat secundum nativitatis et mortis, vel aliorum quorumlibet eventuum observationem, quæ partim naturalis est, partim superstitiosa. Naturalis est in complexionibus, e quibus sunt ægritudo, sanitas, sterilitas, fertilitas, tempestas, serenitas, quæ secundum superiorem contemperantiam variatur. Superstitiosa est in contingentibus, hæc in constellationibus constat, et hanc partem mathematici, qui interpretantur *vani*, tractant (16).

CAP. XIII. *De practica, et partibus ejus.*

Practica dividitur in solitariam, privatam, et publicam. Aliter practica dividitur in ethicam, œconomicam, et politicam. Aliter, practica dividitur in moralem, dispensativam, et civilem. Eadem est solitaria, ethica, moralis; eadem est privata, œconomica, dispensativa; eadem est publica, politica, civilis. Prima mores instituit, secunda familiam disponit, tertia urbes regit. Prima pertinet ad singulos, secunda ad patres familias, tertia ad rectores urbium. Ethica est quæ sui curam gerens cunctis sese erigit, exornat augetque virtutibus, nihil in vita admittens, quo non gaudeat, nihil faciens pœnitendum. Œconomica est, quæ familiaris officii curam mediocri componens dispositione distribuit. Publica est, quæ reipublicæ curam suscipiens, cunctorum saluti suæ prudentiæ solertia, et justitiæ libra, et fortitudinis stabilitate, et temperantiæ patientia medetur (17).

CAP. XIV. *De mechanica et partibus ejus.*

Mechanica septem habet species: lanificium, armaturam, navigationem, agriculturam, venationem, medicinam, theatricam. Ad hanc omnium rerum fabrica concurrere videtur. Ad hanc enim pertinent universa, quæ humanis necessitatibus inveniuntur grata, commoda, necessaria, et quæcunque sub prædictis septem speciebus ejus comprehendi comprobantur (18).

CAP. XV. *De lanificio.*

Lanificium est prima species mechanicæ. Ad hanc pertinet omnis opera neodi, retorquendi, consuendi, quidquid fit instrumento, culo, fuso, acu, pectine, calamistro, girgillo, alibro, subula; in materia lini, lanæ, canabis, et suberis; omnis usus floccorum, filtrorum, sagorum, sagmatum, matularum, et sportarum (19).

CAP. XVI. *De armatura.*

Armatura duas habet species architectonicam et fabrilem. Architectonica dividitur in cæmentariam, quæ ad latomos et cæmentarios, et in carpentariam, quæ ad carpentarios et tignarios pertinet. Fabrilis dividitur in malleatoriam et exclusoriam. Ad armaturam pertinet omnis industria carpentariorum, tignariorum, cæmentariorum, latomorum, et fabrorum, quidquid fit instrumento, securi, ascia, dolabra, trulla, perpendiculo, malleo, scalpello, arctavo, incude. In materia ligno, lapide, sabulo, gipso et ære (20).

CAP. XVII. *De navigatione.*

Navigatio tertia species est mechanicæ. Ad hanc pertinet omnis industria vendendi, et emendi. Hæc invisa littora adit, pacem et familiaritatem cum exte-

(15) Scriptum erat in foribus scholæ Platonis: « Nullus ignarus geometriæ ingrediatur. » Idem, 7 De repub. scribit geometriam ad veritatem attollere animum, et ad philosophandum præparare cogitationem, et interesse ad disciplinas comparandas maxime, attigeritne geometriam aliquis, an non.

(16) Cognitio ex astrorum observatione, et ratiocinatione nata, astrologia dicitur, atque ideo subjectum ejus scientiæ corpora sunt cœlestia. Hujus duæ sunt partes, theorica et practica. Theorica, quæ et speculativa, versatur in contemplatione, quæ observat naturas, motus, orbes, circulos et reliqua astrorum accidentia, quam tractat abunde Ptolomæus in Almagesto. Practica ea est quæ considerat eadem, sed non absolute, sed quatenus res inferiores respiciunt, hoc est quatenus explicant vires suas vel influunt in res inferiores, quæ traditur a Ptolomæo in opere Quadrip.

(17) Pulchras practicæ divisiones affert idem concernentes, de quibus summatim Gregorius Tolosanus, synt. lib. XXI, XXII.

(18) Mechanicus est opifex eorum, quæ simul ingenio et manu perficiuntur. Unde non quælibet artificia protrita et vulgaria mechanica dicenda sunt proprie, sed ea tantum, quæ ingenio succurrunt difficultatibus contingentibus præter naturam, et subveniunt utilitati, ut inquit Arist. in prin. Quæst. Mech.

(19) Plato libro Civili in duas partes lanificii dividit artem: in discretoriam et concretoriam: discretoria est in longum latumque protractio, seu deductio, ut fuso retorto vel rota; concretoria texturæ opus habet implicatione staminis et subteminis.

(20) Fabrilis artis species variæ sunt, cum hoc nomen sit generale ad omnes qui operantur in materia aliqua dura, vel lapidea, vel lignaria, ferraria, aurea, argentea, a quibus fabri cum additione materiæ, in qua operantur, dicuntur. De his omnibus, si placet, videas Gregorium Tolosanum in sua Syntaxi.

ris nationibus componit, et privata bona communia facit (21).

Cap. XVIII. *De agricultura.*

Agricultura quatuor habet species agrorum, arvum, id est, agrum, qui aratur, et sationibus deputatur; consitum, qui deputatur nemoribus, ut sunt pomaria, vineta, oliveta : pascuum, qui pascuis deputatur, ut sunt prata, tempe, tesqua; et floridum, qui floribus addicitur, ut sunt horti, rosaria, apiaria (21').

Cap. XIX. *De venatione.*

Venatio tres habet species, ferinam, aucupium, piscaturam. Ferina fit multis modis, retibus, pedicis, laqueis, præcipitiis, arcu, jaculis, cuspide, indagine pennarum, odore, canibus, accipitribus. Aucupium fit laqueis, pedicis, retibus, arcu, visco, hamo. Piscatura fit sagenis, retibus, gurgustiis, hamis, nassis, jaculis. Ad venationem pertinet omnis industria pistarum, laniarum, coquorum, et cauponum (22).

Cap. XX. *De medicina.*

Medicina continet occasiones et operationes. Occasiones sunt sex : aer circumdans nos, cibus et potus, somnus et vigiliæ, motus et quies, inanitio et repletio et accidentia animæ. Operationes fiunt intus et foris. Intus ut ea, quæ intromittuntur per os, per anum, ad excitandas sternutationes, vomitiones, purgationes. Foris, ut amplastra, incisio, ustio (22').

Cap. XXI. *De theatrica.*

Theatrica continet ludos. Ludorum autem alii fiebant in theatris, alii in gabulis, alii in gymnasiis, alii in arenis, alii in amphicircis, alii in conviviis, alii in fanis. In theatris gesta recitabantur. In gabulis choreas docebant. In gymnasiis luctabantur. In arenis pugiles exercebantur. In amphicircis certabant cursu pedum, equorum, curruum. In conviviis musicis instrumentis ludebant. In fanis laudes deorum cantabant (23).

Cap. XXII. *De logica et partibus ejus.*

Logica dividitur in grammaticam, et rationem disserendi. Grammatica dividitur in litteram, syllabam, dictionem, et orationem. Ratio disserendi dividitur in probabilem, necessariam et sophisticam. Probabilis dividitur in dialecticam et rhetoricam. Necessaria pertinet ad philosophos, sophistica ad sophistas. Grammatica est scientia recte loquendi. Dialectica disputatio acuta, verum a falso distinguens. Rhetorica est disciplina ad persuadendum quæque idonea (23').

Cap. XXIII. *Quomodo legendæ sint artes.*

In legendis artibus talis est ordo servandus. Prima omnium comparanda est eloquentia, et ideo expetenda logica, deinde per ethicam purificandus oculus mentis, et sic ad rhetoricam transeundum. Ægyptus mater est artium, de Ægypto venerunt in Græciam, de Græcia in Italiam. Sola physica tractat de rebus, cæteræ omnes de intellectibus rerum, sed logica tractat de rebus secundum prædicamentalem constitutionem. Mathematica secundum lineamentalem dimensionem, et ideo logica aliquando pura intelligentia utitur. Mathematica nonquam sine imaginatione est. Sciendum est autem quod aliquando physica large accipitur æquipollens theoricæ. Ethica quoque æquipollens practicæ, et tunc philosophia in tres tantum scientias dividitur, physicam, ethicam, logicam. Sciendum quoque est quod mechanica secundum rationem sui sub philosophia continetur, non secundum administrationem. Verbi gratia, ratio agriculturæ pertinet ad philosophum, administratio ad rusticum (24).

Cap. XXIV. *De inventoribus artium.*

Theologus primus apud Græcos Linus fuit, apud Latinos Varro, et nostris temporibus Joannes Scotus De decem in Deum categoriis. Physicam naturalem Thales Milesius, unus de septem sapientibus, invenit. Arithmeticam Pythagoras invenit, Boetius transtulit. Musicæ repertorem divina historia commemorat Jobal; Græci, et alii alios. Geometriam Græci invenerunt; astrologiam, Abraham. Neharot autem astronomiam, cujus etiam nomine inscribitur. Ethicam Socrates docuit. Usum lanificii

(21) Ad navigationem pertinet cognitio marium, locorumque, quæ navigare quis decrevit, diversitatem, et eorum itinera, ac situs ex quadrato nautico. Item tempestates præcognoscere, ventorum discrimina, solis et lunæ varios cursus, et aspectus, et quarumdam stellarum ortus et occasus.

(21') Plato *in Epinomide*, artem non putat humanam agriculturam sed eam sine arte, ab initio beneficio Dei fuisse aggressos homines. Xenophon autem *in Œconom.* artem artium vocat, omniumque nutricem. Ejusdem principia sunt eadem, quæ mundi, secundum Ennium, Aqua scilicet terra, aer, sol, ut etiam Varro, lib. I, cap. 4.

(22) Julius Pollux Commodo imperatori scribens, *lib.* V *Onomasti. In principio*, ut studiosus sit venationis admonet, quod hoc studium sit heroicum, conferens ad corporis animæque bonam constitutionem, atque militaris audaciæ specimen. Idcirco venatio apud Persas valde celebris est, ut scribit Xenophon, lib. I *Cyriped.* et Athenæus, lib. I *Dipnosophist.* inquit. Apud Homerum utuntur juvenes venationibus, ad bellica pericula devitanda, et omnibus indagationibus, quibus robustiores sanioresque efficiantur.

(22') Medicina a medio dicta est; medium autem est inter excessum et defectum. Unde apud Hippocratem dicitur deficientis adjectio, et ablatio superantis. Atque in summa ea est ad temperamentum deducens extrema excedentia, vel medium illud conservans. Sic duo scopi medicinæ, curare, et sanitatem tueri, teste Galeno *de sectis*, et Aristot. libro *De juventute et senectute.*

(23) Ludorum diversa genera habentur tum ex Testuris tum ex Julii Barbaranæ officina. Multa etiam ex libro Plateæ nostræ lingua vernacula haurire poteris.

(23') Logica nil aliud est, nisi ars disserendi. Hujus materia : quæstio generalis, non autem particularis. Finis ejus probare, et disserere, hoc est aliquid percurrere disputando. Instrumenta, et media ejus, definitio, divisio, argumentatio.

(24) Pulchre eloquentiam et ethicam conjungit, quæ oculum mentis purificare habet; nam eur, inquit Marsilius Ficinus in *Platonis Georgiam*, eloquentia sine sapientia est ensis acutus in manu furiosi.

fertur Minerva Atheniensibus tradidisse. Ninus primus omnium bella movit. Usum navigii Pelasgi invenerunt. Ceres frumentum dicitur invenisse. Usum quoque deliciarum coquinæ Aptius. Medicinæ inventor putatur Apollo. Ludos Lydi invenerunt, qui de Lydia quondam egressi in Etruria consederunt, et ibi inter cætera superstitionum suarum genera ludos instituerunt. Unde Romani accersitis magistris ludos Romæ fecerunt. Abraham invenit litteras Syrorum, Phœnix Græcorum, Isis Ægyptiorum, Moyses Hebræorum, Carmentis Latinorum. Alcmun quidam fabulas dicitur invenisse. Parmenides dicitur dialecticam in rupe quadam excogitasse, Demosthenes rhetoricam invenisse (24*).

Cap. XXV. *De magica, et partibus ejus.*

Magica sub philosophia non continetur, sed est foris, falsa professione de vero mentiens, et versciter lædens, homines seducit a religione divina, culturam dæmonum suadet, et ad omne nefas suos sequaces impellit. Hæc quinque genera maleficiorum continet, manticem, mathematicam, maleficia, sortilegia, præstigia. Mantice interpretatur *divinatio*. Hæc quinque species habet, necromantiam, geomantiam, hydromantiam, aeromantiam, pyromantiam. Prima fit in mortuis, secunda in terra, tertia in aqua, quarta in aere, quinta in igne. Mathematica in multis est vanitas. Hæc tres habet species, Haruspicinam (aruspicinam), augurium, horoscopicam. Haruspicina dicitur ab inspectione horarum (ararum), hæc fit quando in fibris animalium, quæ animalia in haris, id est cubilibus ponuntur, facta quæruntur. Augurium dictum est ab avibus, hoc aliquando pertinet ad aures, et dicitur augurium ab avium garritu, aliquando ad oculos, et dicitur auspicium ab avium inspectatione. Horoscopica in constellationibus constat, maleficia fiunt per incantationes; sortilegia, per sortes; præstigia, per phantasticas illusiones. Magicam Zoroastres rex Bactrianorum invenit, et post longa tempora Democritus amplisvit. Hydromantiam Persæ feruntur invenisse. Anguria Phriges; Præstigia Mercurius. Aruspicinam quidam puer Hetruscus, nomine Tages (25).

(24*) De inventoribus artium videndus est partim Polydorus Virgilius, partim Alexander Sardus Ferrariensis. Verum plura in nostra Platea, si libet, degustare potes.

(25) De magica nec quid copiosius, nec quid absolutius legi potest, quam quidquid in palatio nostro reconditum, atque abstructum est. Si enim vel prisci, vel recentes auctores de hac materia quidquam laudabile protulerunt, hoc omne in isto volumine patefiet. Hæc lector in memoria habeat, et cum tibi sucurrit, experiaris.

LIBER SECUNDUS.

Qui tractat de materia mundanæ scripturæ atque divinæ; et quod mundana divinæ subserviat, cum adjectione quorumdam continens decem capitula.

Cap. I. *De materia mundanæ scripturæ et divinæ.*

Sane scriptura sæcularis materiam habet opus conditionis. Divina Scriptura materiam habet opus restaurationis. Duo quippe sunt Dei opera: opus conditionis, et opus restaurationis. Opus conditionis est quo factum est ut essent quæ non erant; opus restaurationis est quo factum est ut melius essent quæ perierant. Opus conditionis est creatio mundi cum omnibus elementis suis. Opus restaurationis incarnatio Verbi est cum omnibus sacramentis suis. Opus conditionis in sex diebus factum est. Opus restaurationis non nisi sex ætatibus perfici potest. Sex tamen sunt contra sex, ut idem cognoscatur esse Redemptor, qui et Creator.

Cap. II. *Quare tria visibilia mundi, tria invisibilia Dei demonstrant.*

Nec prætermittendum quod per opus conditionis tria invisibilia Dei demonstramur. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I). Tria sunt invisibilia Dei, potentia, sapientia, benignitas. Ab his tribus omnia, in his tribus consistunt omnia, per hæc tria reguntur omnia. Potentia creat, sapientia gubernat, benignitas conservat. Quæ tamen tria sicut in Deo ineffabiliter unum sunt, ita in operatione separari non possunt. Potentia per benignitatem sapienter creat. Sapientia per potentiam benigne gubernat. Benignitas per sapientiam potenter conservat. Potentiam manifestat creaturarum immensitas, sapientiam decor, bonitatem utilitas. Immensitas creaturarum constat in multitudine et magnitudine. Multitudo in similibus, in diversis, in permistis. Magnitudo est in mole et spatio. Moles est in massa et pondere. Spatium est in longo et lato, profundo et alto. Decor creaturarum est in situ et in motu, in specie et qualitate. Situs est in compositione et ordine. Ordo est in loco, et tempore, et proprietate. Motus est quadripertitus, localis, naturalis, animalis, rationalis. Localis est antrorsum et retrorsum, dextrorsum et sinistrorsum, sursum et deorsum, et circum. Naturalis est in incremento et decremento. Animalis est in sensibus et appetitibus: Rationalis est in factis, et consiliis. Species est forma visibilis, quæ oculo discernitur, sicut colores et figuræ cor-

porum. Qualitas est proprietas interior, quæ cæteris sensibus percipitur, ut melos in sonu auditu aurium, dulcor in sapore gustu faucium, fragrantia in odore olfactu narium, levitas in corpore tactu manuum. Utilitas creaturarum constat in grato, et apto, et commodo, et necessario. Gratum est quod placet, aptum quod convenit, commodum quod prodest, necessarium sine quo quid esse non potest.

CAP. III. *De Scripturæ divinæ triplici modo tractandi.*

Tractat de materia sua triplici modo divina Scriptura, secundum historiam, secundum allegoriam, et secundum tropologiam. Historia est rerum gestarum narratio, quæ in prima significatione litteræ continetur. Allegoria est, cum per id quod factum B dicitur, aliud factum sive in præterito, sive in præsenti, sive in futuro significatur. Tropologia est, cum per id quod factum legimus quid nobis sit faciendum agnoscimus, et in hoc valde excellentior est divina Scriptura scientia sæculi, quod in ea non solum voces, sed et res significativæ sunt. Sicut igitur in eo sensu, qui est inter voces et res, necessaria est cognitio vocum, sic in eo sensu qui inter res et facta vel facienda mystica versatur, necessaria est cognitio rerum. Cognitio vocum in duobus consistit, in pronuntiatione et significatione. Ad solam pronuntiationem pertinet grammatica, ad solam significationem pertinet dialectica. Ad pronuntiationem simul et cognitionem pertinet rhetorica. Cognitio rerum est in forma et natura. Forma est in exte- C riori dispositione; natura, in interiori qualitate. Omnis autem dispositio vel in numero est, ad quam pertinet arithmetica; vel in proportione, ad quam pertinet musica; vel in situ, ad quem pertinet geometria; vel in motu, ad quem pertinet astronomia. Ad interiorem qualitatem physica spectat.

CAP. IV. *Quod scripturo mundano subserviat divinæ.*

Omnes itaque artes subserviunt divinæ sapientiæ, et inferior scientia recte ordinata ad superiorem conducit. Sub eo igitur sensu qui inter voces et res versatur, continetur historia, et ei subserviunt tres scientiæ, dialectica, rhetorica, grammatica. Et sub eo sensu qui inter res et facta mystica versatur, continetur allegoria. Et sub illo qui est inter res et D facienda mystica, continetur tropologia. Et his duabus subserviunt arithmetica, musica, geometria, astronomia et physica.

CAP. V. *De significatione vocum et rerum.*

Voces non plus quam duas aut tres habent significationes. Res autem tot possunt habere significationes, quot habent proprietates. Hæ autem res primæ, res secundas significantes sex circumstantiis discretæ considerantur, quæ sunt hæ, res, persona, numerus, locus, tempus, gestum. Res autem hic intelligitur in materia quacunque, vel substantia inanimata cœlestium, sive terrestrium constituta, ut sunt lapides, ligna. Res duobus modis significat, natura et forma. Natura, ut nix, quia frigida est, A exstinctionem designat libidinis. Forma, quia candida est, munditiam designat boni operis. Persona significat, ut Isaac significat Deum Patrem, Jacob gentilium populum. Numeri significant novem modis in divino eloquio. Secundum ordinem positionis, ut unitas, qui prior est in numeris, rerum omnium principium significat. Binarius, quia secundus est, et primus ab unitate recedit, peccatum significat, quo a primo bono deviatum est. Secundum qualitatem dispositionis, ut idem binarius, qui sectionem recipit, et in duo dividi potest, corruptibilia et transitoria significat. Ternarius vero, quia unitate media interveniente sectionem non recipit, ut in duo æqua dividatur, incorruptibilia significat. Secundum modum porrectionis, ut septenarius ultra senarium, requiem post operationem; secundum formam dispositionis, ut denarius, quia in longum tenditur, rectitudinem fidei significat; centenarius, quia in latum expanditur, amplitudinem charitatis; millenarius, quia in altum levatur, altitudinem spei. Secundum computationem, ut denarius perfectionem quia in eo porrectio computationis finem facit; secundum multiplicationem, ut duodenarius universitatem significat, quia ex ternario et quaternario invicem multiplicatis perficitur, quoniam quaternarius corporalium, ternarius spiritualium forma est. Secundum partium aggregationem, ut senarius forma est perfectionis, propterea quod ejus ternarius, binarius, et unitas, aggregatæ simul totum complent, et nec ultra exuberant, nec infra subsistunt, secundum multitudinem, ut binarius propter duas unitates charitatem Dei, et proximi significat, ternarius propter tres Trinitatem; secundum exaggregationem, quale est illud in Levitico: *Addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra* (*Levit.* XXVI). Ubi nihil aliud, quam multiplicitas signatur pœnæ expressa per septenarium. Loca significant, ut Jericos significat defectionem mundanam; stabulum, ecclesiam; Jerusalem, vitam æternam. Tempus significat, ut quod leguntur facta encænia Jerosolymis, et hiems erat. Hiems in hoc loco frigidam infidelitatem designat Judæorum. Gestum significat, ut venit Jesus in Bethaniam, et suscitavit Lazarum. Bethania dicitur *domus obedientiæ*, et ad obedientem venit Christus, ut resuscitet Lazarum, id est animam mortuam in peccatis.

CAP. VI. *Quare Scriptura primum ponat opera conditionis.*

Sicut supradictum est, scriptura sæcularis materiam habet opus conditionis. Sacra vero Scriptura materiam habet opus restaurationis. Primum factum est ut stanti homini subesset. Secundum factum est ut lapsum erigeret. Et sacra quidem Scriptura, ut ad materiam suam tractandam competentius accedat, primum opus conditionis commemorat. Sicut namque spiritus humanus propter Deum, et sicut corpus propter spiritum, ita factus est mundus propter corpus, ut mundus serviret corpori, corpus spiritui, spiritus Creatori. Nec posset eloquium sa-

erum reparationem hominis sine lapsu, nec ejus lapsum, sine ejus creatione, nec ejus creationem, sine totius mundi conditione declarare, et ideo voluit prius opus conditionis commemorare.

CAP. VII. *De creatione mundi, et operibus sex dierum.*

De creatione mundi sic refert Scriptura, dicens: *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Genes.* I). Cœlum vocat tria elementa, ignem, aerem, aquam, quæ erant in una confusione permista, sive in una permistione confusa circa quartum, quod est terra, fluctuantia; quæ terra in medio, et in uno trium suo pondere librata subsidebat. Deinde vocat Scriptura sacra tria elementa, quæ simul erant permista, aquas, tenebras; deinde aquas, ubi dicit: *Spiritus Domini ferebatur super aquas* (*Ibid.*); tenebras ubi ait: *Tenebræ erant super faciem abyssi* (*Ibid.*). Cœlum propter suspensionem, aquas propter mobilitatem et fluctuationem, tenebras propter confusionem. Abyssus est concavitas terræ, quæ receptaculum inferiorum futura erat aquarum. In principio itaque creata sunt cœlum et terra, id est quatuor simpla elementa omnium faciendorum materia; deinde subinfert Scriptura: Dixit autem Deus: *Fiat lux, et facta est lux* (*Ibid.*). Lux illa primaria eo in loco creditur facta quo sol modo quotidie oritur, et per eamdem viam per quam sol creditur gyrasse, ac sic vespere et mane peregisse, et hoc fuisse opus primæ diei. Secunda die firmamentum factum est in medio, id est in medio confusionis illius trium elementorum, quæ in principio cœlum, deinde aqua, deinde tenebræ vocata dignoscitur; et hic in opere secundæ diei aquarum vocabulo nominatur. Factum est autem firmamentum in medio aquarum, ita ut partem earum concluderet intra, et haberet sub se, partem vero excluderet a se, et haberet supra se. In massa enim universitatis id, quod est intimum, est infimum; quod est extremum, est supremum. Verbi gratia: terra in rebus corporalibus omnium est intimum, et ipsa est omnium infimum. Aquæ, quæ supra firmamentum sunt, sunt extrema, et ipsæ omnium sunt suprema. In rebus vero mediis, quæcunque sunt interiora, ipsa sunt inferiora, et quæcunque sunt exteriora ipsa sunt superiora. Firmamentum vero ex stellis sibi infixis esse volubile comprobatur, sed de qua materia factum sit ignoratur. Tertia die jussu divino moles aquarum, quæ spatium illud quod inter cœlum et terram est occupatum tenebat, deorsum versa in abyssum descendit, et sic aer in medio purus et serenus permansit. Deinde jussit Deus ut terra herbas et arbores secundum species suas germinaret, et germinavit. Quarta die fecit luminaria, quæ in firmamento probantur esse fixa, exceptis septem planetis, quorum ista sunt nomina: Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Jupiter, Saturnus. Quinta die fecit de aqua pisces et aves, sed pisces in aqua dimisit, avibus vero in aere mansionem habere constituit. Sexta die fecit bestias in terra. Mundo igitur creato, disposito, ornato, et eo, quod esset humano corpori necessarium, commodum, gratum parato, fecit Deus hominem possessorem omnium, dominum universorum, qui, quamvis tempore posterior, causa tamen prior, dignitate superior invenitur. Fecit autem Deus corpus humanum de limo rubræ terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio* (*Gen.* II). Paradisus locus est in Orientis partibus, pro nunquam, propter magnam aeris temperiem, frigus vel æstus attingit, sed perpetuus Maius, vernalisque jucunditas, atque serenitas perseverat. In quo erat lignum vitæ, de quo quandiu homo comederet, nunquam infirmaretur, nunquam senesceret, sed, peracta obedientia, sicut modo per mortem, ita tunc sine morte ad consortium angelorum transferretur. In quo erat etiam lignum scientiæ boni et mali, per quod homo debuit experiri bonum si de eo non comederet, malum si comederet. In hoc itaque loco posuit Deus hominem quem fecerat, lignum scientiæ boni et mali illi tantummodo interdicens; deinde cunctis animantibus ad Adam adductis, et omnibus ab eo nominibus impositis, fecit Deus Evam, quam dedit viro, de quo facta erat, sociam: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I). *Et requievit die septimo ab omni opere quod patrarat* (*Gen.* II).

CAP. VIII. *De quatuor operibus Dei.*

Sed quid est quod hic dicitur Deus ab omni opere requievisse, cum Christus in Evangelio dicat: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor?* (*Joan.* V). Sciendum est itaque quod operatio Dei quadrifariam discernitur. Primum opus Dei est opus conditionis, secundum opus dispositionis, tertium opus propagationis, quartum opus gubernationis. Primum fecit Deus ante omnem diem secundum in sex diebus et ab hoc in septimo die requievit; tertium a principio usque ad finem sæculi facit, quartum in æternum facere non cessabit. Taliter accedit sacra Scriptura per opus conditionis ad materiam suam, id est ad opus restaurationis, de qua materia tripliciter tractat, sicut supradictum est, secundum historiam, secundum allegoriam, secundum tropologiam. Sed priusquam narrationem historicam ingrediamur, oportet ut de situ terrarum nonnulla dicamus. Primum namque summam historiæ non solum divinæ, sed et mundanæ perstringere proponimus, ac deinceps mysteria allegoriæ et tropologiæ pro posse nostro declarabimus.

CAP. IX. *De duobus Testamentis.*

Omnis divina Scriptura in duobus Testamentis continetur, Veteri videlicet et Novo. Utrumque Testamentum tribus ordinibus distinguitur, Vetus Testamentum continet legem, et prophetas et agiographos. Novum autem: Evangelia, Apostolos, Patres. Primus ordo Veteris Testamenti, id est, lex quam Hebræi Torath nominant, Pentateuchum, id est quinque libros Moysi continet hoc ordine: Primus est Bresith, id est Genesis; secundus Hesses-

mot, id est Exodus; tertius Vagethra, qui est Leviticus; quartus Vagedaber, qui est Numeri; quintus Adabarim, qui est Deuteronomion. Secundus ordo est Prophetarum. Hic continet octo volumina: Primum, Josue Bennum, id est filium, Num, qui et Josue, et Jesus Nave, et Jesus nuncupatur; secundum, Soptim, qui est liber Judicum; tertium, Samuel, qui est primus et secundus Regnm; quartum, Malachim, qui est tertius et quartus Regum; quintum, Isaiam; sextum, Jeremiam; septimum, Ezechielem; octavum, Thareastra, qui est liber duodecim prophetarum. Tertius ordo est agiographorum. Hic continet novem libros. Primus est Job; secundus Psalterium; tertius Maslot, qui Græce Parabolæ, Latine Proverbia sonat; quartus Celeth, qui est Ecclesiastes; quintus Sira sirim, id est Cantica canticorum; sextus Daniel; septimus Dabreniamin, qui est Paralipomenon; octavus Esdras; nonus Esther. Omnes vero numero viginti quatuor. Sunt præterea et alii libri, ut Sapientia Salomonis, liber Jesu filii Sirach, et liber Judith, et Tobias, liber Machabæorum, qui leguntur quidem, sed non scribuntur in Canone. His libris viginti duobus Veteris Testamenti octo adduntur Novi. In primo ordine Novi Testamenti sunt quatuor Evangelia, quæ scripserunt Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes. In secundo similiter quatuor, Actus apostolorum, Epistolæ Pauli numero quatuordecim sub uno volumine, canonicæ Epistolæ, Apocalypsis. In tertio ordine primum locum obtinent decreta, quæ canones appellamus; deinde sanctorum Patrum scripta, id est Hieronymi, Augustini, Gregorii, et aliorum, quæ infinita sunt. Hæc tamen scripta Patrum in textu divinarum Scripturarum non computantur, quemadmodum in Veteri Testamento, ut diximus, quidam libri sunt, qui non scribuntur in Canone, et tamen leguntur, ut Sapientia Salomonis, et cæteri dicti. Textus ergo divinarum Scripturarum quasi totum corpus, principaliter triginta libris continetur. Horum viginti duo, sicut supra diximus in Veteri Testamento, et octo continentur in Novo.

CAP. X. *Unde dicatur Testamentum.*

Testamentum dicitur sacra Scriptura, humana consuetudine dante occasionem. Antiquitus enim qui carebant liberis, adoptabant liberos, et eum constituebant illos hæredes, testes vocabant, et scribebant chirographum, non tamen ita ratum, quin posset mutari vivente testatore. Similiter Deus, unum Filium habens ex natura, multos voluit adoptare ex gratia, et primitus unum elegit Abraham cui præcepit exire de cognatione sua, et promisit ei terram Palæstinam (*Genes.* XII). Posthæc eductis filiis Israel de Ægypto eamdem repromisit, et ne dubitarent, fecit testamentum in certitudinem promissæ hæreditatis, scilicet legem, quæ per Moysen data est. Sed quia Deus non poterat mori, et testamentum morte testatoris confirmandum erat, interfectus est pro eo agnus mysticus, cujus sanguine respersus est liber, et totus populus in confirmationem promissæ hæreditatis. Eodem modo Dominus Jesus Christus, vocans ad æternam hæreditatem non unum hominem, sed omnes gentes, ferit testamentum, scilicet Evangelium. In cujus confirmationem non agnus ille antiquus occiditur, sed ipse (quia homo erat, et mori poterat) mortem subiit. Et sicut Deus ad Vetus Testamentum dandum vocavit testes, Aaron scilicet, et Mariam sororem ejus, et Ur, ita Christus, quia majora promisit plures vocavit testes, videlicet apostolos et martyres. Vetus dicitur Testamentum primum, quia prius datum est, vel quia de rebus veterascentibus institutum est. Novum dicitur quia de immutabilibus et semper novis loquitur.

LIBER TERTIUS.

De situ terrarum. Cum Adnotationibus domini Thomæ Garzonii, theologi. Octo continet capitula.

CAP. I. *De tribus partibus mundi.*

Tres sunt partes mundi, Asia, Europa, Africa. Quarum Asia illam medietatem terræ, quæ est ad orientem, tenet. Aliæ duæ illam, quæ est ad occidentem: et mari magno ab invicem dividuntur (26).

CAP. II. *De Asia et partibus ejus.*

Habet Asia provincias multas et regiones quarum nomina et situs breviter expediam, sumpto initio a paradiso. Paradisus est locus in Orientis partibus omni genere ligni et pomiferarum arborum consitus. Habet lignum vitæ; non ibi frigus est, non æstus, sed perpetua aeris temperies. Habet fontem, qui in quatuor flumina dividitur. Paradisus Græce, Hebraice dicitur Eden, quod utrumque junctum in nostra lingua dicitur hortus deliciarum. India Asiæ regio est inter Oceanum et Indum fluvium, et ab Indo fluvio nomen trahit. Habet gentes multas, et oppida, insulam Taprobanam gemmis et elephantibus refertam, Chrysam et Argyram auro et argento

(26) His tribus mundi partibus addunt moderni tres alias partes, Americam scilicet Indiarum occidentalium, antiquis incognitam, Grutlandiam septentrionalissimam recenter detectam, sed adhuc non bene cognitam, et sextam partem Australissimam detectam, sed incognitam, ac innominatam.

fecundas. Bis metit in anno, gignit tincti coloris homines et elephantes ingentes, et rhinoceronta bestiam, psittacum avem, ebenum lignum, cinnamomum, piper, et calamum aromaticum. Mittit ebur, berillos, chrysoprasos, adamantes, lignetes, carbunculos, margaritas, uniones, quibus nobilium feminarum ardet ambitio. Habet et montes aureos, quos adiri propter dracones, tigres, et gryphes, et immensorum hominum genera sane quam difficile est. Inter Indum et Tigrim fluvios sunt Aracusia, Parthia, Assyria, Media, Persis. Aracusia ab oppido suo nomen accepit. Parthiam Parthi e Scythia egressi occupaverunt, eamque de suo nomine Parthiam vocaverunt. Assyria ab Assur filio Sem est vocata qui illam post diluvium primus incoluit. In hac inventus est usus purpuræ. Inde odores crinium, et corporum unguenta venerunt. Media et Persis a Medo et Perseo regibus sunt nominatæ. In Media arbor invenitur, quam alia regio non habet. Persæ ignem colunt, et pyromantiam dicuntur invenisse. Inter Tigrim et Euphratem fluvios sunt Mesopotamia, Chaldea, Arabia. Mesopotamia Græca etymologia dicitur quod duobus fluviis ambiatur, Tigri et Euphrate. Arabia appellatur, id est sacra, eo quod in ea sit regio thurifera. Hæc dicta est Saba a Saba filio Chus. Invenitur in ea arbor thus, myrrha, cinnamomum, Phœnix avis, sardonyx gemma. Inter Euphratem et mare Mediterraneum sunt Syria, Phœnicia, et Palæstina, quæ continet Judæam, et Samariam, et Galilæam. Syriam Syrus quidam nomine a suo fertur vocabulo nuncupasse. Invenitur in ea lapis Syrius qui integer fluctuare dicitur, comminutus mergi. Phœniciæ Phœnix, qui in ea regnavit nomen dedit. In ea est Tyrus. Palæstina a Philisthiim sua metropoli nominatur; Judæa a Juda. Hæc est Chanaan dicta a Chanaan filio Cham. In medio Judææ est Jerusalem, quæ est umbilicus totius terræ, variarum opum dives, frugibus fertilis, aquis illustris, opima balsamis. Samaria ab oppido, quod Samaria dictum est nomen habet. Galilæa dicta est, quod candidos homines gignat, terra frugibus satis fecunda. In latere Asiæ ad aquilonem ab oceano Orientali occidentem versus porrigitur Scythia, hæc undique montibus clauditur, in ejus extremitate ad orientem sunt Seres. Invenitur in ea smaragdus optimus, et crystallus purissimus. Sub Scythia a mari Caspio usque ad Euxinum, vel Hellespontum, et fluvium Tanaim sunt Amazonia, Albania, Hircania, Bactria, Hiberia, Armenia, Cappadocia, Cholcos, Asia minor, Cilicia. Amazonia dicta est eo quod in ea feminæ regnant, quæ, ne impediantur a sagittando, puellis suis dextram mamillam adimunt. Albania ab albedine populi. Hujus terræ canes ingentes tantæ feritatis sunt, ut tauros premant, leones perimant. Hircania ab Hircania silva copiosa feris, et gregibus, pantheris, et pardis. Bactriæ Bactrius amnis nomen dedit. Hæc habet camelos, pedes nunquam atterentes. Armenia ab Armeno quodam nomen trahit. In ejus montibus post diluvium arca quievit. Cappadociam urbs proprie nominavit, terra ante alias nutrix equorum. Asia minor habet provincias Bithyniam, Phrygiam, Galatiam, Lydiam, Cariam, Pamphiliam, Isauriam et Lyciam. Cilicia a Cilice quodam nomen habens, habet metropolim Tarsum. In latere australi Asiæ porrigitur mare Rubrum, ab oceano Orientali occidentem versus usque ad confinia Arabiæ et Palæstinæ. Inter mare Rubrum et oceanum Australem ad orientem supra est Æthiopia superior, quæ ab occidente montibus Æthiopicis per transversum clauditur. Sub Æthiopia sunt Ægyptus superior, deserta Ægypti, Ægyptus inferior, Lybia. Egyptus est regio imbribus insueta, habet crocodilum bestiam et ibim, ac pelicanum aves (27.)

CAP. III. *De Africa et partibus ejus.*

Africæ regiones ab Oriente ad Occidentem porriguntur sic: Æthiopes, Nadaberes, Garamantes, Lybia Cyrenensis, Tripolitana, Futhensis, Zeugis, Getulia, Numidia, Tingitania, Mauritania. Syrtes autem a mari Mediterraneo exeuntes usque ad oceanum Atlanticum in obliquum ductum porrectæ dividunt Zeugin, Numidiam, et Mauritaniam a desertis Africæ, ultra quæ sunt Æthiopes. Nadaberes a Nadaber loco vocantur. Garamantes quoque a Garamo oppido nominantur. Lybia Cyrenensis a Cyrene civitate dicta est. Tripolitana a tribus civitatibus suis. Futhensis autem a Futla putatur cognominata. Porro in Zeugi est Carthago, Getulia, ut fertur, piscatores non habet. Numidia ab incolis per pascua vagantibus nomen trahit. Nam lingua eorum Numidæ incertæ sedes vocantur. Tingitania a Tingi metropoli nomen habet. Mauritania a mauro, quod est nigrum, nominatur (28).

CAP. IV. *De Europa, et partibus ejus.*

Hæ sunt regiones Europæ, et gentes, a fluvio Ta-

(27) Distinguitur Asia in duas partes principales, una ex quibus respiciens septentrionem versus, respondet Europæ, altera respiciens austrum, respondet Africæ. Prima rursus in tres alias dividitur partes. Una est a flumine Tanai, et a palude Meotide usque ad flumen Itha, et usque ad mare Hircanum; secunda a Ponto Euxino usque ad extremam partem Hircani freti. Tertia a flumine Rha et ab extremitatibus maris Hircani, quod est versus orientem, usque ad ultimos fines Asiæ, quæ est a statuta linea septentrionem versus. Altera pars principalis Asiæ subdividitur in tres alias partes. Prima, est a Lycia, et a mare Rubro usque ad sinum Persicum. Secunda est a sinu Persico usque ad flumen Indum. Tertia a flumine Indo, usque ad extremum finem Asiæ, qui est trans lineam montis Tauri, versus austrum. Quot autem provinciæ in omnibus his contineantur, explicat prædictus auctor, in suo De mundo tractatu.

(28) Africa partitur a monte Atlantis, qui pariter discurrit ab occasu in ortu continua quadam serie usque ad Ægyptum, in duas partes potissimas. Prima, quæ respicit septentrionem versus, e regione Europæ posita, usque ad mare Mediterraneum extenditur. Altera extenditur usque ad Oceanum Australissimum, sed restringit se tum ab occasu, tum

nal secus littus Oceani ad Occidentem porrectæ. A Scythæ inferiores, Daci, Gothi, Alani, Gepidæ, Rugi, Bulgari, Unni, vel Hungari, Nores, Sclavi, Germania, Alemania, Gallia, Aquitania, Hispania. Germania dicta est propter fecunditatem gignendorum populorum. Gignit etiam aves hercinias, quarum pennæ nocte lucent, bisontes feras, crystallum lapidem. Alemania gleba uberi, ad usum animalium est apta. Gallia a candore populi nuncupata est. Hanc a'i oriente jugа Alpium tuentur, ab occidente Oceanus includit. A meridie prærupta montis habet Pyrenæi; a septentrione Rheni fluenta, atque Germaniam. Aquitania ab obliquis aquis Ligeris nomen habet. Hispania, ab Hibero flumine prius Hiberia, deinde ab Hispalo rege Hispania dicta est, terra omnium frugum generibus ditissima, gemmarum, B metallorumque copiis plena. Inter Danubium et mare Mediterraneum sub Euxino et Hellesponto sunt Mesia, Histria, Macedonia, et sub Macedonia ab aquilone ad austrum, Arcadia, Hellada, Thessalia, Achaia. Mesia dicitur a messium perventu. Histria ab Histro, id est, Danubio. Thraciæ Thyras filius Japhet nomen dedisse perhibetur. Macedonia a Macedone dicta est, patria Alexandri Magni. Arcadia olim Syciona vocabatur; habet albestum lapidem, qui semel accensus nunquam extinguitur, habet et candidas merulas. Hellada ab Hellene rege dicta est. In ipsa fuerunt Athenæ civitas, philosophorum nutrix. Thessalia a Thessalo rege dicta est. In hac inventus est usus domandorum equorum. Achaia ab Achæo dicta est rege. Hujus metropolis Corinthus. C Post transmisso sinu Dalmatico inter Alpes et mare Mediterraneum, sunt Campania, Apulia, Tuscia, Calabria, Liguria, Italia quæ et Latium, [Umbria. Porro Italia ab Italo rege vocata est, terra omnibus in rebus pulcherrima, soli fertilitate seu ubertate gratissima, gignit gemmas, sertitem, ligurium, corall um, 1 oam serpentem, lyncem feram, diomedias aves. Inter Alpes coccias et montem Apenninum est Longobardia, Valeria. Inter Thyrrenum sinum et montes Pyrenæos est provincia (29).

CAP. V. *De montibus in toto orbe insignibus.*

Supra oceanum Indicum in parte australi est Calidargamera, ad aquilonem Samara. In Scythia Imaos, Caucasus, Parapamsades, Taurus, Oscabares, Parcan, Memarmoli, Ariubarzanes, Acroceramnus, Caucasus. In Armenia Parcoatras, in Cilicia D Taurus, in Borea Riphæi montes, in Phœnicia Libanus, in Arabia Nyseus, in deserto Arabiæ mons Phasga, mons Scorpion, mons Sina, mons Hor, mons Abarim. In Idumæa mons Seur, in Judæa mons Hermon, Carmelus, Gelboe. In Thessalia Olympus, Pindus, Ossa. In Phocide Parnassus. In Macedonia Athos. In Sicilia Ætna. In Italia Apenninus, et Alpes. Inter Galliam et Italiam, Licabantus. Inter Aquitaniam et Hispaniam, Pyrenæus. In Hispania Solurius, Calpe. In Africa Atlas (30).

CAP. VI. *De fluminibus in toto orbe insignibus.*

Ganges fluvius insignis est in India. Indus ab occidente ejus. In Parthia Tigris. Bactrus in Bactris. Tigris item inter Assyriam et Mesopotamiam. Euphrates inter Mesopotamiam et Syriam. Nilus in Ægypto, Jordanis in Judæa. Cygnus in Cilicia. Araxes in Armenia. Timaua in inferiori Scythia. Pactolus, et Hermus, et Meander in minori Asia. Hebrus in Thracia, et Eurotas in Thessalia. Inacus in Achaia. Padus et Tiberis in Italia. Danubius et Rhenus in Germania. Rhodanus, Arar, Mosa, Sequana, Ligeris in Gallia. Hiberus in Hispania. Mineus in Gallicia. Tagus et Bagrada in Carthagine (31).

CAP. VII. *De insulis mundi.*

In oceano Orientali ab austro ad aquilonem sunt Taprobane, Tyle, Argyria, Chrysa. In oceano Septentrionali ab oriente in occidentem insula Phanesiorum, Albatia, Hyperborea, Apolitana, Ganganis, Glossaria, Northmannis, Orcades, Tyle, Scotia, Britannia, Hybernia. In oceano Occidentali Fortunatæ Hesperidum Gorgades. In oceano Australi Gauleum, Ichthyophagorum, Adamus, Coneus, Malicua. In eo mari, quod dividit Europam et Africam ab occidente in orientem, sunt Gades, Baleares, Storchades, Sardinia, Corsica, Sicilia, Cephalonia. In mari Magno sunt Cyclades, Rhodos, Tenedos, Carpathos, Cythera, deinde Cyprus, Sidon, Creta. In mari Syrico est Pathmos (32).

CAP. VIII. *De civitatibus et urbibus insignibus.*

Babylon est in Chaldea, Ninive in Assyria, Nysa in India, Medis in Media, Persepolis et Susa in Perside, Ctesiphon in Parthia, in Mesopotamia Carra, Edesse, Calamiæ. Hæc est Seleucia, Philadelphia. In Scythia Hortogoria, Samarcam, Aripti, Alexandria, Scythopolia, vicus Saphiri. In Syria Antiochia, Damascus, Seleucia. In Phœnicia Tyrus, et Sidon. In Cilicia

ab ortu, ita ut quasi angulum componat in extrema sui parte austrum versus, ubi promontorium, quod vulgo dicitur caput Bonæ Spei, situm est. Provincias in utraque parte contentas ea eodem auctore cernere licet.

(29) Europa commode dividi potest per Adriaticum mare, per Alpes, per montem Adulaon, et per flumen Rheni, in duas potissimas partes. Illa, quæ ab his finibus ad insulas Fortunatas tendit, occidentalis dicetur pars. Altera, quæ ab his terminis respicit flumen Tanai, paludem Meotidem, Pontum Euxinum, et mare Ægeum, orientalis pars dicitur. Quomodo autem hæ partes in alteras rursus dividantur, ex prædicto habes auctore, qui in terræ divisione secutum se profitetur Strabonem, Ptolomei Tabulas, et Jacobi Castaldi Pedemontani, Mappamundum.

(30) Montes Armeniæ, ubi arca Noe requievit, ex sacra Genesi altissimi esse deducuntur.

(31) Flumina totius terrarum orbis copiosius (licet summarie) enumerata habes apud Joan. Thomam Frigium, libro *Hydrographiæ* ipsius.

(32) Insula Diomedea, nunc canonicorum regularium Lateranensium, celebratur a Plinio lib. x. cap. 44, propter aves Diomedis apud poetas celebres. Sed, qui insularum omnium cognitionem absolutam requirit, volumen vulgo insularium dictum legere non tædeat. Insuper et Petri Appiani insularum mundi Catalogum.

Tarsus. In Asia minori Nicomedia, Nicæa, Chalcedonia, Sardis, Ilium, Ephesus, Pergamus Tijatire. In Samaria Bethaniæ, Samaria, Cæsaria. In Galilæa Nazareth, Chorozaim, Bethsaida, Tiberias, Cana, Capharnaum, Naim. In Judæa Jerusalem, Bethlehem, Jerichus et Hebron. In Thracia, Constantinopolis, Panisus, Nicopolis. In Macedonia Philippi. In Ægypto Thebe, Taphnes, Memphis, Heliopolis, Pelusium, Alexandria. In Libya Cyrenensi, Cyrene, Partheminm, Beronice, Appollonia, Ptolemais, Adrimetum. In Italia Roma, Alba, Capua, Beneventum, Sipontus, Neapolis, Tibur, Ostia, Luna, Janua, Ancona. In Longobardia Mediolanum, Ticinum, seu Papia, Brixia, Verona, Vicentia, Patavium, Bononia, Ravenna, Mantua, Cremona. In Valeria Aquileia. In Calabria Tarentum. Istæ sunt civitates transalpinæ. Colonia, Magunciacus, Salzeburgus Ratisbona [Ratispona], Herbipolis, Argentina, Basilea Treveri, Senones, Parisius, Lugdunum, Rothomagus, Remi, Arelas, Vienna, Parentasia, Ebredunum, Bituri, Turoni, Burdegala, Tolosa, Narbona. In Hispania sunt Pampilonia, Osca, Barzinona, Tarracona, Tortosa, Carthago, Hippus, Megala, Cæsarea, Leptis, Bysantium, Cliphea. Duodecim Alexandriæ : Alexandria bucephala, Alexandria montuosa, Alexandria apud Porum, Alexandria in Scythia, Alexandria apud Babylonem, Alexandria in Ægypto, Alexandria apud Massagetas, Alexandria apud Orgalas, Alexandria apud Granicum, Alexandria apud Troadam, Alexandria juxta Tigrim, Alexandria apud Xanthum. His igitur de situ terrarum breviter expeditis, ad sequentia transeamus (33).

(33) Multæ urbes hodie insignes recitentur, ut Venetiæ, Pisæ, Senæ, Florentia, Ferraria, Perusium, et quamplures aliæ, quia partim vetustiores enumerar voluit, partim aliquas tantum, et non omnes, licet antiquas, in catalogum reducere voluit. Eodem stylo usus est recentius Gerama Frigius, in suo *urbium Catalogo*.

LIBER QUARTUS.

Tractat de historia ab Adam usque ad Christum; continet tredecim capitula.

CAP. I. *Per quæ sequens currat narratio.*

Sane sciendum est quod tota ista series et porrectio temporis dividenda est in duos status, veterem et novum, et tria tempora, naturalis legis, et scriptæ, et gratiæ ; et sex ætates, quarum prima est ab Adam usque ad Noe ; secunda a Noe usque ad Abraham; Tertia, ab Abraham usque ad David; quarta, a David usque ad transmigrationem Babylonis; quinta a transmigratione Babylonis usque ad adventum Christi; sexta, ad abventu Christi usque ad finem mundi. Item quinque præcedentes ætates ab Adam usque ad Christum per quatuor successiones dividuntur. Prima successio patriarcharum fuit ab Adam usque ad Moysen; secunda Judicum, a Moyse usque ad David; tertia Regum, ab David usque ad transmigrationem Babylonis; quarta Sacerdotum, a transmigratione Babylonis usque ad Christum. Igitur per istarum quatuor successionum viros eximios ab Adam usque ad Christum sermonem extendo, deinde ab adventu Christi usque ad tempora nostra, primum per imperatores Romanorum, deinde per reges Francorum narrationem deduco.

CAP. II. *Patriarchæ sunt hi.*

Adam, Seth, Enos, Cainam, Malaleel, Jared, Enoch, Mathusalem, Lamech, Noe, Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Reu, Sarug, Nachor, Thare, Abraham, Isaac, Jacob, Levi, Caath, Amram.

CAP. III. *Judices qui fuerunt.*

Moyses, Josue, Othoniel, Aoth, Debora, Gedeon, Abimelech, Thola, Jair, Jepthe, Abessam, Ahialon, Abdon [Labdon], Samson, Heli, Samuel.

CAP. IV. *Reges qui.*

Saul, David, Salomon, Roboam, Abia, Asa, Josaphat, Joran, Azarias, Athalia, Joas, Amasia, Ozias, Joathas, Achas, Ezechias, Manasses, Amon, Josias, Joatham, Joachim, Sedecias.

CAP. V. *Pontifices.*

Jesus, Joachim, Eliasib, Judas, Joannes, Simon justus, Eleazarus, Manasses, Onias, Simon, Onias, Jesus qui et Jason, Onias qui et Menelaus, Alchimus, Judas, Jonathas, Simon, Joannes, Aristobolus, Alexander, Alexandra, Hircanus.

CAP. VI. *Historia ab Adam usque ad Moysen.*

Parentes itaque primi præceptum obedientiæ transgressi de paradiso sunt ejecti, et in miseriam hujus mundi projecti. Cognovitque Adam uxorem suam, et genuit Cain, cujus posteri homines sunt vocati. Genuit Abel, cujus posteri filii Dei sunt vocati. Porro Seth genuit Enos, et Enos genuit Cainam, et Cainam genuit Malaleel, et Malaleel genuit Jared, et Jared genuit Henoch, qui translatus est, et Henoch genuit Mathusalem, et Mathusalem genuit Lamech, et Lamech genuit Noe. His diebus gigantes erant in terra, et omnis caro corruperat viam suam, nam filii Dei, id est illi, qui erant de stirpe Seth, videntes filias hominum, quæ erant de genere Cain, quod essent pulchræ, miscentes sanctum cum profano duxerunt eas uxores. Unde iratus Deus dixit

quod deleret hominem et omnem animam viventem, quam fecerat propter hominem, aquis diluvii. Et invenit gratiam Noe coram Domino, et jussu Dei fecit sibi arcam, in qua salvaretur ipse, et uxor ejus, et tres filii ejus, et uxores filiorum, et de animantibus mundis introduxit septena, de immundis verbo bina. Igitur aquis diluvii deleta est omnis anima vivens, exceptis iis quæ erant in arca. Peracto diluvio egressus est Noe de arca cum omnibus filiis suis Sem, Cham et Japhet. Ab his disseminatum est omne genus humanum post diluvium super terram. Sed antequam posteri eorum ab invicem dividerentur, inchoata est ab eis turris Babylonis, ubi confusum est labium eorum. Postquam divisi sunt, filii Sem meridianam partem Asiæ ab ortu solis usque ad Phœnices possederunt. Posteri Cham meridianam terram a Sidone usque ad Gaditanum fretum. Filii Japhet septentrionalem partem Asiæ, a monte Tauro, et omnem Europam usque ad Oceanum Britannicum, nomina sua locis et gentibus relinquentes, de quibus adhuc quædam permanent ut ab Elam Elamitæ, ab Assur Assyrii; quædam vero mutata sunt, ut ab Indo fluvio Indi, ab Ægypto rege Ægyptii. Sem autem genuit Arphaxad, et Arphaxad genuit Sale, et Sale genuit Heber, a quo Hebræi sunt vocati, in cujus familia primordialis illa, et cunctis communis lingua, quæ Hebræa dicitur, post confusionem remansit linguarum. Heber genuit Phaleg, in cujus tempore turris quæ dicitur Babel ædificatur. Phaleg genuit Reu seu Ragau, sub quo dii primum adorantur. Ragau genuit Sarug, et Sarug genuit Nachor, et Nachor genuit Thare, et Thare genuit Abram, cujus tempore Zoroastres magicam reperit. *Hunc Abram*, cum jam cultus idolorum ferverent ubique, *Deus de Chaldæa eduxit*, et in *terram Chanaan induxit* (*Gen.* XII), et eo quod eam semini ejus daret promisit. Orta fame peregrinatus est Abram in Ægyptum, et inde locupletatus, est reversus; denique divinitus præceptum accepit, ut se cum sua sobole circumcideret. Abraham autem genuit Isaac, qui duxit uxorem Rebeccam, de qua genuit Jacob et Esau. Postquam autem Jacob edulio lentis primogenita fratris sui obtinuit, et eum de benedictione patris supplantavit, ad Laban avunculum suum perrexit, et pro servitio suo filias ejus uxores accepit, et ex eis et ancillis earum, duodecim patriarchas procreavit. Multumque locupletatus in patriam reversus patrem suum cum Esau fratre sepelivit. Deinde Joseph a fratribus in Ægyptum est venditus, et ibi miro Dei nutu sublimatus, eumque pater suus cum omni domo sua est secutus.

CAP. VII. *Historia a Moyse usque ad Josue.*

Mortuo autem Jacob, et Joseph mortuo, in Ægypto multiplicati sunt filii Israel nimis, et surrexit alius rex qui ignoravit Joseph, et cœpit affligere filios Israel in ædificatione urbium, Phiton et Ramesses. Vidit autem Deus laborem eorum, et clamorem exaudivit, et misit Moysen et Aaron, et eduxit de terra Ægypti, decem plagis Ægypto flagellata.

Prima rubens unda, tabes ranæque secunda.
Inde culex tristis, post musca nocivior istis.
Quinta pecus stravit, vesicas sexta creavit.
Pone subit grando, post brucus dente nefando.
Nona tegit solem, primam necat ultima prolem.

Sed quia Scriptura a Moyse et deinceps rerum summam non secundum patriarcharum generationem, sed secundum principum narrat successionem, generationem ipsius Moysi a Jacob ponemus, et sic deinde sub ipso et sub sequentibus cum ducibus, gesta summatim comprehendemus. Jacob itaque genuit Levi, et Levi genuit Caath, et Caath genuit Amram, et Amram genuit Moysen. Sub istius ducatu fecit multa magnalis in mari Rubro, et deserto. Ægyptum namque decem supradictis plagis flagellavit, mare Rubrum coram filiis Israel divisit. In deserto aquas amaras dulcoravit, et manna de cœlo pluit, quo filios Israel annos quadraginta pavit. Aquam de petra produxit, populum Amalec superavit, Legem in monte Horeb dedit, et tabernaculum fœderis et arcam testimonii fieri, et Aaron et filium ejus in sacerdotium et clerum sibi consecrari jussit. His ita transactis cum filii Israel, Moyse duce, columna præcedente de monte, recessissent, denuo Deus eos cothurnicum carnibus satiavit; Dathan et Abiron contra Moysen contendentes, terra eos deglutientes damnavit; et virgam Aaron contra naturam frondere, florere, fructificare fecit; filios Israel murmurantes ignis cœlestis conflagratione punivit, et ignitos serpentes eis immisit, et eos a læsione eorum respectu ænei serpentis sanavit. Eos quoque ad reditum duodecim exploratorum murmurantes, annis quadraginta in deserto detinuit. In quibus annis omnes illi murmuratores et increduli mortui sunt, et filii eorum interim creverunt, qui postea terram promissionis possederunt. Og regem Basam, et Seon regem Amorrhæorum, militantibus filiis Israel, Dominus delevit, et Balach, et populum ejus stravit. Mortuus est autem Aaron in deserto, et sepultus est in monte Hur, completis quoque annis quadraginta mortuus est et Moyses in monte Abarim jubente Domino, et successit ei Josue filius Nun.

CAP. VIII. *Historia ab Josue usque ad Saulem regem.*

Josue populum Dei in terram promissionis introduxit, et gentes Chananæorum, reges triginta et unum in terra illa interfecit, et terram victori populo divisit. Josue successit Othoniel; hic liberavit Israel de manu Cusamzacbaim regis Mesopotamiæ, et quievit terra quadraginta annis. Post hunc fuit Aoth de stirpe Gemini, qui utraque manu utebatur pro dextra. Hic liberavit Israel de manu Eglon regis Moab. Cum enim ferret munera populi Israel regi Eglon, cui tune populus ille serviebat, sociis cum reverteretur dimissis, reversus ad Eglon, secreto eum interfecit, et congregato populo suo Moab expugnavit, et Israel liberavit. Post cujus mortem Debora [Delbora] cum Barach perrexit ad pugnam contra Sisaram principem Jabin Asor, et perterruit Dominus Sisaram coram Barach, et desilivit de curru suo, et fugiens pervenit ad tentorium Jahel uxoris

Haber Cynæi; quæ cum operuisset eum pallio, tulit clavum, et defixit in ejus tempora, et mortuus est. Post Deboram surrexit Gedeon, qui liberavit Israel de manu Madian, et percussit Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana. Porro deinde, mortuo Gedeone, Abimelech filius Jerobaal, quem peperit ei concubina ejus de Sichem, interfecit omnes fratres suos septuaginta viros, excepto minimo Jonatha, qui evasit. Constitueruntque viri Sichem principem Abimelech. Post hæc misit Deus spiritum pessimum inter Abimelech et viros Sichem, et ipse multos illis interfecit, et tandem fragmine molæ, quod jecit mulier super caput ejus, excerebratus interiit. Post hunc surrexit Thola, et post Tholam Jair, et post Jair Jephte. Denique Jephte liberavit Israel de manu filiorum Ammon. Cumque iret ad bellum, vovit Deo quod ei immolaret quod sibi primum revertenti occurreret, si victoriam obtineret. Revertentique occurrit ei unica filia sua, quam immolavit, et votum quod fecerat implevit. Post Jephte judex fuit Abessen; et post hunc Ahialon [Achialon], et post Abdon [Labdon]; et post hunc Samson. Hic leonem interfecit, uxorem de Thamnata accepit, segetes Philisthinorum caudis vulpium junctis facibus accensis, succendit, mille viros mandibula asini stravit. Portas Gazæ super montem portavit. Tandem autem Dalilæ mulieri quod in capillis tantam fortitudinem haberet, aperuit, et ipsa rasis capillis ejus, Philisthæis eum tradidit, qui cruentos oculos ejus molere eum fecerunt. Cumque crevissent capilli ejus, et coram Philisthæis convivia celebrantibus luderet, concussis columnis domus, cus qui in ea erant occidit, et ipse occubuit. Samson successit Heli, sub quo Samuel propheta claruit, arca fœderis capitur, et Ophni et Phinees sacerdotis filii occiduntur. Denique Heli, audito quod capta esset arca Domini, cecidit retrorsum de sella, et fractis cervicibus mortuus est. Et percussit Dominus Philisthæos in secretiori parte natium, et nascebantur in agris mures, qua plaga correcti remiserunt arcam Dei; Heli autem successit Samuel.

Cap. IX. *Historia a Saule usque ad Ezechiam.*

Cum autem senuisset Samuel petierunt filii Israel regem. Quod Domino displicuit; dedit eis tamen regem Saulem filium Cis, qui bonum habens initium defendit Israel, sed finem malum habuit, quia Domino in bello quod fecit contra Amalec inobediens fuit. Reprobatus itaque, a spiritu malo vexabatur. Unctus est autem David pro eo in regem. Post hæc ductus est David in domum Saulis, et quandocunque arripiebat spiritus Domini malus Saulem, psallebat David cithara et levius habebat. Postquam autem David percussit Philisthæum, amovit eum Saul a se, et fecit eum tribunum super mille viros. Jonathas vero filius Saulis, dilexit David quasi animam suam. Cumque Saul ipsum David suspectum haberet de regno, tetendit ei multas insidias ut interficeret eum, sed non tradidit eum Dominus in manus ejus. Denique David fugit ad Achis regem Geth. Mortuo autem Saule ascendit in Hebron, et regnavit super tribum Juda. Deinde post mortem Abner regnavit super omnem Israel. Gad, Nathan et Asaph prophetaverunt. Porro tempus, quo regnavit David, quadraginta anni sunt. Post David regnavit Salomon filius ejus. Hic ædificavit templum Domini; qui bonum quidem initium, sed finem habuit non bonum, quia deos coluit alienos. Unde iratus Dominus scidit regnum de manu filii ejus Roboam, et tradidit illud servo ejus Jeroboam. Cum enim postularet populus ut alleviaret jugum patris sui, respondit ei dure. Constitueruntque decem tribus regem sibi Jeroboam filium Nabath. Porro Jeroboam populum idolorum cultu contaminavit. Cucurrit autem regnum Israel per annos trecentos et quadraginta, et per reges decem novem, quorum ista sunt nomina: Jeroboam, Nadab, Baasa, Ela, Jamri, Amri, Acha, Ochozias, Joram, Hieu, Johath, Joas, Jeroboam, Zacharias, Sellum, Manahen, Faceia, Facee, Ozee. In diebus Ozee regis Israel, et in diebus Ezechiæ regis Juda transtulit Salmanasar rex Assyriorum decem tribus, et posuit in urbibus Medorum, et introduxit Cuseus in Samariam. Isti sunt Samaritani, quibus non coutebantur Judæi. Igitur post Salomonem regnavit in Judæa Roboam: et post Roboam Abia. Hic ambulavit in peccatis patris sui. Post Abiam regnavit Asa, cor autem Asa erat rectum cum Deo, et bellum habuit cum Baasa rege Israel, quo mortuo regnavit Josaphat. Hic fecit quod rectum fuit coram Domino, et perrexit ad bellum cum Achaz contra regem Syriæ. His diebus prophetavit Elias. Post Josaphat regnavit Joram, ambulavitque in viis regum Israel. In diebus illis recessit Edom, ne esset sub Juda, tunc recessit et Lobna, et dormivit Joram cum patribus suis, et regnavit Azarias filius Athaliæ pro eo. Descendit autem Azarias invisere Joram regem Israel, quem vulneraverunt Syri, et occidit ambos Ilieu. Porro Athalia fuit filia Amri regis Israel, qui, videns esse mortuum filium suum, interfecit omne semen regium. Tulit autem soror Azariæ Joas filium Azariæ, et servavit cum sex annis, quibus regnavit Athalia super terram. Anno vero septimo convocavit Juiada sacerdos centuriones, et ostendit eis filium regis, constitueruntque regem, et Athaliam interfecerunt. In diebus illis voluit rex Syriæ pugnare contra Jerusalem, deditque ei Joas ea quæ obtulerant patres ejus in thesauros Domini, et recessit: denique servi Joas interfecerunt eum, et regnavit Amasis filius ejus pro eo. Iste provocavit regem Joas ad bellum, et fugit Amasias, et ascendit Joas rex Israel in Jerusalem, et tulit inde aurum et vasa aurea quæ inventa fuerunt in domo Domini. Facta est autem conjuratio contra Amasiam, et interfectus est in Lachis, et regnavit Ozias filius ejus pro eo. Porro, instante insigni solemnitate, induit se Ozias veste sacerdotali, et intravit in templum oblaturus incensum, statimque lepra percussus est; unde postmodum extra urbem vitam exegit privatam, Joatha filio ejus regni negotia procurante. Olympias a Græ-

tis instituitur. Mortuo deinde Ozia regnavit Joathas filius ejus pro eo; ædificavit autem Joathas portam domus Domini, quæ speciosa vocabatur. Romulus nascitur. Defuncto Joatha regnavit Achas filius ejus pro eo. In diebus illis ascendit Rasim rex Syriæ, et Facee filius Rumeliæ ad prædiandum contra Jerusalem, et conduxit Achas Teglafalasar regem Assyriorum, qui interfecit Rasin, et liberavit Achas. Roma conditur. Mortuus est autem Achas, et regnavit Ezechias filius ejus pro eo.

Cap. X. *Historia ab Ezechia usque ad reditum de Babylonia.*

In diebus Ezechiæ conatus est Sennacherib transferre Judam, sed non permisit eum Dominus; percussit autem in castris Assyriorum centum octoginta millia virorum. Post hæc interfecerunt ipsum Sennacherib filii sui in templo Dei sui. Post Ezechiam regnavit Manasses filius ejus, fecitque malum juxta ritum Gentium, et adoravit omnem militiam cœli; et traduxit filium suum per ignem, et fecit malum super omnes reges, qui fuerunt ante eum in Jerusalem. Locutusque est Dominus per manus servorum suorum Prophetarum dicens: Quia fecit Manasses abominationes istas, delebo Jerusalem, et tradam eam in manus inimicorum ejus. Mortuo Manasse, regnavit Amon filius ejus pro eo. Hic ambulavit in via patris sui, et interfecerunt eum servi sui. Regnavitque Josias pro eo. Ambulavitque Josias in via David patris sui, et non declinavit ab ea ad dexteram neque ad sinistram, et fecit mundari templum, et celebrari Phase quale non fuit a diebus Judicum usque ad tempus illud. Destruxit quoque altare, quod fecerat Jeroboam in Bethel, et combussit in eo ossa sacerdotum qui obtulerant super illud incensum. Veruntamen non est aversus Dominus a furore suo, quem locutus est contra Judam. Josias denique congressus cum Nechao rege Ægypti occisus est in campo Magendo, et regnavit Joatham tribus mensibus, quibus expletis memoratus Nechao cœpit eum, et duxit in Ægyptum, et constituit regem pro eo Eliachim filium Josiæ, quem vocavit Joachim. Condemnavit etiam Judam centum talentis argenti, et talento auri. Annoque Joachim undecimo venit Nabuchodonosar in Jerusalem, et exegit ab eo tributum, quod Ægyptiorum regi solvere solebat, quod ille tribus annis reddere non erubuit, tertio anno audiens Ægyptios contra Babyloniam dimicaturos solvere distulit, unde sicut rebellem eum Nabuchodonosor interfecit, et ad tria millia viros de Juda captivos duxit, et constituit pro eo regem Joachim, qui Jechonias nominatur. Quem Jechoniam non multis interjectis diebus, obsedit Nabuchodonosor, et venientem sibi obviam cum matre et quibusdam de populo cepit, et duxit in Babylonem, et constituit pro eo Sedechiam patruum ejus. Sed et hic Sedechias non multo post contra Nabuchodonosor rebellare cœpit, et tunc secundo reversus Nabuchodonosor duxit eum in Babylonem captivum, et murum civitatis evertit, et templum exussit, et vasa sancta asportavit, et posuit in templo Dei sui. Vixitque Nabuchodonosor post eversionem templi viginti quinque annis. Et hoc recedente, regnavit Evilmerodach: et post hunc Labosordac, et post hunc Egesar, et post hunc Balthasar, quo regnante completi sunt anni septuaginta quibus prophetaverat Jeremias Judæorum captivitatem esse solvendam. Igitur his diebus Cyrus Babyloniam expugnavit, et Judæorum captivitatem relaxavit, sicut scriptum est in libro *Esdræ Prophetæ*. In anno primo Cyri regis Persarum, ut impleretur verbum Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, et traduxit vocem in universo regno suo per scripturam dicens. *Omnia regna mundi dedit mihi Deus cœli, et ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quisquis in vobis est de universo populo ejus, sit Dominus Deus cum eo, et ascendat.*

Cap. XI. *Historia a Cyro usque ad Judam Machabæum.*

Cyrus igitur relaxata Hebræorum captivitate, ferme quinquaginta hominum millia regredi in Judæam permisit. Josedech quoque de genere Aaron sacerdotem, qui fuit cum patribus abductus, redire mandavit, ut ritus veteris solemnitatis per assueti sacerdotis scientiam reformaretur. Cujus fidelis Jesus post eum populum rexit. Itaque per summos sacerdotes post reversionem de Babylone rerum summa agebatur. Illi autem qui venerunt de Babylone statim fundaverunt templum, et fundato templo obtulerunt sacrificium, steteruntque sacerdotes in ornatu suo et Levitæ, et laudabant Deum Israel, et facta est lætitia magna in populo. Mortuo deinde Cyro rege Persarum detulerunt Samaritæ accusationem adversus Judæos ad filium ejus, qui Cambyses, et Assuerus, et Artaxerces est nominatus. Intermissum est igitur opus, donec consummaretur sub Dario, anno secundo regni ejus. Et hujus Darii anno secundo, obtinente Zorobabel duce, completa est ædificatio templi, quadragesimo sexto anno postquam cœpit ædificari. Unde Judæi Domino in Evangelico sermone dixisse referuntur: *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum istud*, etc. Dario successit Xerxes filius ejus. Cujus regni anno septimo Esdras scriba legis Dei, ascendit de Babylone; qui Ægypti referens ad templum Domini pecunias sacras, argenti talenta sexcenta quinquaginta, et vasa argentea talentorum centum, et vasa aurea talentorum viginti, qui et celebravit solemnitatem scenophegiorum. Remeavit etiam Nehemias ipsius regis pincerna de Susis castro, anno ejusdem vigesimo qui muros civitatis reædificavit. Præfatus etiam Esdras Bibliothecam Veteris Testamenti, post incensam legem a Chaldæis divino afflatus spiritu, reparavit; et mets legis, ac prophetarum volumina, quæ fuerunt a gentibus corrupta, correxit, totumque Vetus Testamentum in viginti duos libros constituit, ut tot libri essent in lege, quot habentur et litteræ. Nehemias quoque misit nepotes sacerdotum illorum qui, in transmigratione sacrum ignem in puteo

sicco servaverant. At illi non invenerunt ignem, sed aquam crassam, quam jussit Nehemias aspergi super ligna et holocausta, et accensus est ignis ex aqua illa, et mirati sunt omnes. Tabernaculum vero fœderis, et arca, et altare incensi, quæ Jeremias propheta in monte Abarim abscondit, in eodem monte sunt usque in præsentem diem. Porro Jesu, successit Joachim et Joachim Heliasib, et Heliasib Judas, et Judæ Joannes, et Joanni Jaddus, denique Jaddi temporibus Alexander Magnus regem aggressus est Persarum expugnare, mandavitque Jaddo ut fidelitatem, quam Dario regi Persarum promiserat, et eo usque servaverat, ipsi deinceps observaret. Respondit Jaddus se Dario fidem jurasse, et quod hoc ipse peteret donec ille viveret, nequaquam facere posse. Unde iratus Alexander comminatus est quod urbem Jerusalem subverteret. Extimuit itaque Jaddus, et convocato clero et populo intimavit eis rem. Oblatum est sacrificium, et preces fusæ ad Dominum. Quibus peractis pontifex omnes dimisit, et ipse solus remansit, statimque sopore depressus vidit visionem, dictumque est ipsi: *Ne timeas Alexandrum, sed indueris veste sacra, et sacerdotes induentur stolis suis, et cum venerit exibitis, et suscipietis eum cum honore; nihil enim vobis mali facturus est Alexander*. Interea Magnus Alexander magnis viribus Jerosolymam properabat. Cumque appropinquaret civitati, exivit pontifex cum omni populo et clero. Putabant Alexandrini, quod eos statim interficeret, et urbem deleret. Sed cum vidisset summum pontificem salutavit, miratique sunt omnes Alexandri milites vehementer. Cumque regem de hac re interrogare dubitarent, unus, qui illi erat cæteris familiarior, interrogavit eum, dicens: *Quare rex istum præ omnibus salutasti?* Respondit rex: *Cum essem adhuc in terra mea vidi istum in somnis dicentem mihi quod regnum possem obtinere Persarum, ideo eum præ omnibus salutavi*. Summus itaque pontifex cum pompa cleri, et frequentia populi regem ad templum deduxit, oblatumque est pro eo sacrificium. Denique recedens Alexander promisit quod locum illum deinceps diligeret, honoraret et exaltaret. Porro Jaddo successit Onias, et Oniæ Simon justus, et Simoni justo Eleazarus. Iste misit septuaginta interpretes Ptolemæo Philadelpho, qui secundus post Alexandrum regnavit in Ægypto. Eleazaro successit Manasses, et Manassæ Onias, et Oniæ Simon, et Simoni Onias (cui frater Jesus) qui et Jason eripere sacerdotium cupiens, cœpit Judaicæ legis jura non in occulto violare, sed palam omnibus destruere, quasi sacerdotium quod affectabat aliter quam scelere consequi non valeret. Ausus est enim sub ipsa templi arce gymnasium construere, et optimos quosque Epheborum in lupanaribus ponere, eosque qui erant Jerosolymis, Antiochenos scribere. Sed hoc impii, et non sacerdotis Jasonis nefarium et inauditum scelus ultio divina consecuta est. In leges quippe divinas impie agere non cedit impune; unde post triennium ipse Jason, qui jura violaverat Dei, et proprium germanum captivaverat, jussu regis Antiochi expulsus in Amanitidem est regionem; et Menelaus quidam de tribu Benjamin sacerdotium obtinuit. Unde hujus Menelai factione Onias pius pontifex interemptus est per quemdam regis suffectum Andronicum, et non multo post Menelaus mortuus est, sacerdotio succedente fratre ejus Lysimacho. Sed cum nec sic malis desisteret, tandem dejectus de turri quinquaginta cubitorum infelicem exhalavit animam. Lysimachus quoque jam multo templi auro exportato plebeio concursu secus ærarium lapidatus interiit. Post hæc Antiochus rex Syriæ ascendens Jerosolymam, intravit in sanctuarium cum superbia, et tulit altare aureum et candelabrum, mensam propositionis, et velum, et cætera templi ornamenta et abiit. Demum vero præcepit omnibus regni sui gentibus, ut esset unus populus, et prohibuit in templo Domini fieri holocausta, et Judæos escis coinquinari immundis.

CAP. XII. *Historia ab Juda Machabæo usque ad Christum.*

In illis diebus Judas Machabæus secesserat in desertum, et ibi inter feras vitam cum suis agebat, ne particeps esset coinquinationis. Sed quamvis pauci essent, qui cum eo erant, ita tamen duces regis Antiochi bellis contriverunt, ut et templum quod erat Jerosolymis recuperarent, et leges, quæ abolendæ erant, eorum felici pertinacia restituerentur. Mortuo denique Antiocho regnavit Demetrius, ad quem accessit sceleratissimus Alchimus, et cœpit regem inflammare adversus Judam; dicebat enim regi: *Judas et qui cum eo sunt bella nutriunt, nec patiuntur regnum esse quietum. Unde ego fraudatus parentum gloria* (*dico autem summo sacerdotio*) *veni ad te primum quidem utilitatibus regis fidem servans, secundo etiam civibus consulturus*. Tunc misit rex Jerosolymam Nicanorem, ut et Judam comprehenderet, et Alchimum summum sacerdotem constitueret. Alchimus autem, belluæ animum gerens, cum venisset Jerosolymam, jussit destrui muros domus sanctæ interioris. Sed horum criminum pœnas miser diu vitare non potuit. Subito enim obtusum est os ejus, et loqui non potuit. Sed dissolutus paralysi miserabiliter expiravit. Sicque deficientibus sacerdotibus de genere Aaron, et Juda Machabæo pro patriæ legibus decertante sorte bellica jam defuncto, Jonathas frater ejus adeptus est principatum Judæorum, simulque sacerdotium. Porro gesta Judæ et fratrum ejus quia multa sunt valde, et in libris Machabæorum scripta continentur, nolui præsenti brevitati inserere. Jonathæ vero Simon frater ejus successit. Post Simonem autem pervenit sacerdotium ad Joannem filium ejus, qui adversum Hircanos dimicans Hircani nomen accepit. Joanni Hircano successit Aristobolus. Aristobolus autem factus est rex et sacerdos, et Aristobolo successit rex pariter et sacerdos Alexander. Alexander vero moriens reliquit superstites filios duos, Aristobolum et Hircanum. Sed donec adolescerent pueri, Alexandram conjugem

suam temperamento regali præesse voluit, simul arbitram statuens culmen potissimum illorum summum sacerdotium committeret. Illa Hircanum patri in sacerdotio substituit propter senioris ætatis prærogativam, Aristobolo fratri nihil publicorum committens officiorum. Post Alexandræ mortem Aristobolus invasit regnum, et demum Hircanus sacerdotium ei dimisit. Postea vero idem Hircanus excitatus ab Antipatro, patre Herodis, primum ad Arabiæ regem se contulit fugitivus, ac demum Pompeio Romanorum duci, qui in Syriam Tigranem regem debellaturus advenerat, querimoniam detulit. Qua occasione idem Pompeius consul Romanorum urbem Jerosolymam expugnavit, et templum polluit, et Aristobolum pontificem vinctum cum liberis Romam misit. Hircano vero pontificatum reliquit, et memoratum Antipatrum procuratorem totius regni constituit. Sicque deinceps gens Judæorum tributaria Romano facta est imperio, et ita, sicut dictum est, Hircanus et Aristobolus fratres inter se dimicantes primi occasionem præbuere Romanis ut Judæam invaderent.

CAP. XIII. *De Herode et genere ejus.*

Prædicti Hircani pontificis tempore quidam latrunculi ab Jerosolymis egressi circa Ascalonem prædas egerunt, ubi inter cæteros captivos Antipater quidam juvenis cujusdam Herodis genere Idumæi, qui in Ascalone templi Apollinis sacerdos exstitit, filius, Jerosolymam captivus ductus est. Hic itaque Antipater in domo Hircani aliquot annis serviens, industria ac probitate spectabilis eidem Hircano domino suo gratiosus exstitit, in tantum ut ei universam domum regendam committeret. Antipater autem antiquæ gratiæ non immemor erga Hircanum benignus exstitit, tantaque modestia injunctum officium exercuit, ut iam Judæis quam Romanis complaceret. Genuit autem filium Herodem nomine, qui post mortem patris, tum merito propriæ virtutis, tum etiam gratia paternæ devotionis, a Romanis coronam accepit. Qui cum irrepsisset contra jus, et fas Judaicæ gentis in honorem indebitum, cœpit in sacerdotium indignissimos et ignobiles quosque substituere, quos ei voluntas aut casus dedisset. Vestem quoque summi pontificis occlusam sub suo tenebat signaculo, nec unquam ejus usum potestatemve permisit pontificibus sui temporis, et ut suam sobolem regio Judæorum generi commisceret abjecta uxore Doside, quam privatus acceperat, copulavit sibi Mariamnen regis Aristoboli filiam, et Hircani summi pontificis Judæorum neptem. Sed hujus mulieris expetita societas, sicut post declarabitur, ejus potentiam potius inclinabit quam extulit, et domesticis afferit doloribus. Nam dum sequitur nobilitatem, incidit in perturbationem, quasi domus propria non conveniret. Verum unctione legitima Judaicæ gentis cessante, imminebat secundum sermonem propheticum expectatio gentium Dominus noster Jesus Christus, qui verus rex et sacerdos de regum atque pontificum genere carnem assumens, venit mundo salutarem afferens fidem, in qua populum gentilem atque Judaicum sanctificando sibi connecteret et uniret. Natus est sua ordinatissima distributione anno memorati regis Herodis tricesimo primo, qui est secundum Hebræos ab origne mundi annus quater millesimus nongentesimus et quinquagesimus primus. Porro sicut beatus Maximus in sermone de Pascha testatur, et quemadmodum Græci calculatores computant, est quinquies millesimus quadringentesimus septimus.

LIBER QUINTUS.

Tractat de regnis mundi a tempore quo post diluvium exorta sunt, usquequo in potestatem Romanorum devenerunt, continens capita 21 adnotatiunculis domini Thomæ Garzonii, theologi.

CAP. I. *De regnis mundi*

Modo narrabo quomodo ab initio regna mundi cucurrerunt usque ad adventum Christi. Post diluvium quatuor primum in humano genere excellentia regna exorta sunt. Scytharum ab aquilone, ubi Tanus. Assyriorum ab oriente, ubi Belus. Ægyptiorum a meridie, ubi Mineus. Sicyoniorum ab occidente, ubi Ægialeus, primi regnaverunt. Sed de regno Scytharum, et de regno Sicyoniorum rara in Scripturis memoria fit, eo quod regnum Scytharum longe remotum fuit, et regnum Sicyoniorum citu decidit.

CAP. II. *De regno Scytharum.*

Scytharum igitur gens antiquissima sub septentrione posita, non minus illustria principia quam imperia habuit, nec virorum magisquam feminarum virtutibus claruit. Scythæ per incultas solitudines errare soliti non agrum exercent, sed uxores et liberos secum in plaustris vehunt, coriis imbrem et hiemis asperitatem evitantes, armenta et pecora secum pertrahunt. Lacte et melle vescuntur; gens laboribus et bellis aspera, vires corporum im-

mensæ. Scytharum regnum sub Ragau putatur exortum (34).

Cap. III. *De regno Assyriorum.*

Assyriorum regnum sub Belo primo rege exortum, ab anno vicesimo quinto Sarug proavi Abrææ usque ad annum septimum Oziæ regis Judæ eucurrit. Alii a Nino filio Beli regnum Assyriorum inchoant, propter hoc quod sub eo primum in exteras gentes dilatatum est. Post mortem Nini, Semiramis uxor ejus timens committere regnum Nino filio suo, quia infra regnandi annus erat, nec ipsa ausa regnum tractare, filium in thalamo sedere fecit, et quia similis erat filio, induta veste virili, sexum mentita, finxit pro femina puerum, pro uxore Nini filium, et sic regnum tenuit, et multum dilatavit, et quamplurima viriliter egit. Adulto filio regnum ei tradidit, et tandem accensa in concupiscentiam ejus, eum ad turpem coitum compulit; unde tempore postmodum, dolore correptus, eam interfecit. Cucurrit autem regnum Assyriorum per annos mille trecentos et duos, et per reges triginta septem usque ad Sardanapalum, postquam ad Medos translatum est. Reges Assyriorum hi fuerunt: Belus, Ninus, Semiramis, Zameis qui et Ninias, Arius, Aralius, Xerxes qui et Baleus, Armamitres, Belochus, Baleus, Altadas, Mamintus, Machalous, Sparreus, Mamilus, Sparreus, Ascatades, Amintes, Belochus, Belluparcs, Lamprides, Sosares, Lampares, Pannas, Sosarinus, Mitraeus, Tautories, Theutheus, Tineus, Pergilius, Eupales, Laosthenes, Piorithiades, Offratens, Offratenes, Acrazepes, Thonos, Conoleres, qui Græce dicitur Sardanapalus. Porro isti sunt reges qui post Sardanapalum in Assyria regnasse creduntur, sicut refert divina historia: Ful, Teglat, Falasar, Salmanasar, Sennacherib. Cæterum præfatus Sardanapalus fuit vir muliere corruptior. Semper enim inter feminarum conturbernia versabatur, ad quem admitti cum die quadam præfectus Medis Arbastus, qui et Arbaces vocabatur, obtinuisset, invenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem, et inter virgines pensa dividentem. Quo viso reversus ad socios, quæ viderit refert, negat se illi prorsus parere posse, qui se malit esse feminam quam virum, moxque fit conjuratio Medorum contra Assyrios, et indicitur bellum Sardanapalo. At Sardanapalus eum resistere tot rebellantibus non valeret, in regiam se recepit, ubi accensa pyra se, suasque divitias igne concremavit. Sicque regnum Assyriorum ad Medos translatum est (35).

Cap. IV. *De regno Medorum.*

Regnum Medorum sub Arbace primo rege exortum, ab anno septimo regis Oziæ usque ad annum decimum nonum migrationis Babylonis cucurrit per annos ducentos et quinquaginta octo, et reges octo, quorum ista sunt nomina: Arbaces, Sosarmus, Medus, Cardiceas, Diocles Phraortes [Phraortes], Arsaces, Astyages. Denique Cyrus nepos Astyagis, cum adolevisset, Astyagi bellum indixit, et facta congressione exercitum ejus fudit, et ipsum Astyagen cepit, sed nihil ei præter regnum abstulit. Itaque Cyrus iste dignitatem Medorum ad Persas transtulit.

Cap. V. *De regno Persarum.*

Regnum Persarum sub Cyro primo rege exortum cucurrit per annos ducentos decem et octo, et per reges quatuordecim, quorum ista sunt nomina: Cyrus, Cambyses, Fratres magi, Darius, Xerxes, Artabanus, Artaxerxes qui et Longimanus, Xerxes secundus, Sogdianus, Darius nothus, Artaxerxes qui et Mnemon, Artaxerxes qui et Ochus, Arses Ochi filius, Darius Arsynii. Cyrus itaque Persarum rex primus apud Persas educatus postquam monarchiam obtinuit, Syriam, Scythiamque totam sibi subjugavit. Quibus patratis, Babyloniam obsedit, urbem tunc cæteris cunctis urbibus fortiorem. Hujus enim ambitus circumveniebatur [circuibatur] stadiis quadringentis et octoginta sex. Erat in campi planitie sita, et castrorum facie mœnibus paribus per quadrum disposita. Murorum enim latitudo erat cubitorum quinquaginta, habens altitudinem quater tantum. A fronte murorum erant centum portæ æreæ. Per medium autem hujus Euphrates fluvius transcurrebat, et extrinsecus per circuitum fossa lato patens vice amnis circumfluebat. Arx autem, quæ intus eminebat, fuit turris illa, quæ post diluvium a Nemrod gigante cœpit ædificari. Advenerat illuc Crœsus rex Lydorum, ut auxiliaretur Babylonis, et cum septimum decimum Balthasar complesset regni sui annum, irritam putans prophetiam Jeremiæ qua prædixerat ad annum septuagesimum captivitatem Judæorum esse solvendam, exhiberi fecit in mensa sua vasa sacræ templi Domini, et contra jus et fas bibit in eis, sed hujus criminis pœnas confestim luit; nam antequam illuceret exstinctus est, et Crœsus rex cum aliis regibus multis, qui illuc convenerant fugit, sicque Cyrus urbem intravit. Post hæc Cyrus regem Lydorum Crœsum expugnavit, et regnum ejus obtinuit. Deinde Scythis bellum intulit, ubi eum Tomyris [Tamaris] regina insidiis compositis interfecit; regina enim ubi Cyrum adesse compererat, filium suum cum exercitu ad persequendum eum destinavit. Sed Cyrus Scythiam ingressus, vinum et epulas præparavit, astu quo quasi territus statim epulas dereliquit. At illi

(34) Ut Scytharum regnum quibus constitorit nationibus, percipiatur, breviter Scythiæ populi sunt adnotandi, quos Joannes Honter in suis *Cosmographiæ rudimentis*, fuisse declarat: Moschos, Arimaspos, Agathyrses, Basilides, Roxolanus, Hamaxubites, Basternas, Tauricos, Getas, Nomades, Georgias, Axiaras, Thyssagetas et Gelonos.

(35) Regnum Chaldeorum, sive Assyriorum, quod dicitur Babylonicum, initium sumpsit ab ædificatione turris Babel, ut dicit Berosus Chaldæus anno ab universali aquarum inundatione centesimo trigesimo primo. Omnes reges ejus, et regni mutationes pulchre describuntur a Joanne Lucido in suis *Chronicis*, libro IV in principio, quem videre fas est.

venientes, et castra Cyri grandi apparatu referta invenientes procumbunt, quasi ad epulas invitati. Statimque revertente Cyro pariter obtruncantur. Tomyris autem regina simulavit diffidentiam desperatione cladis illatæ, et hostem victoria superbum ad se evocat, sicque in valle insidiis compositis ducenta Persarum millia subita irruptione delevit. Quibus patratis, jussit Cyri caput amputari, et in utrem humano sanguine plenum inferri, ita inquiens: *Satia te sanguine, quem sitisti.* Regnavitque Cambyses, qui et Artaxerxes et Assuerus dictus est, filius ejus pro eo. Porro Cambyses Ægyptum subjugavit, opus templi inhibuit, ipse secundus Nabuchodonosor a Judæis appellatur, et sub eo quod in Judith historia continetur factum esse putatur, quo decedente regnaverunt duo magi. Et iis interemptis Darius, Antipatri filius, rex est constitutus, qui Cyri regis filiam in matrimonium suscepit, et regalibus nuptiis regnum sibi firmavit, ita ut non tam in extraneum regnum translatum, quam in familiam Cyri videretur reversum. Cui successit Xerxes, qui in exercitu suo septingenta millia armatorum, et de auxiliis trecenta millia Græciam expugnaturus legitur habuisse. Naves etiam rostratas mille ducentas et onerarias ad tria millia; sed tanto agmini dux defuit, nam semper in prælio postremus, et in fuga primus Xerxes apparuit. Unde ante experimentum belli opibus magnis fretus, montes in planum exæquabat, et maria pontibus onerabat, et immensas aquarum voragines permeabiles faciebat, sed ubi ad angustias Thermopylarum pervenit, qua introitus Græciam patet, turpiter est devictus, et cum deinde fuisset terrestri navalique prælio superatus, etiam suis contemptui esse cœpit. Deficiente itaque quotidie regia in eo majestate, Artabanus præfectus ejus eum interfecit. Artabano Artaxerxes, qui et Longimanus, successit. Ipse est Assuerus, sub quo factum est quod in Esther historia continetur. Porro Artaxerxi Longimano successit Xerxes secundus, et Xerxi secundo Sogdianus, et Sogdiano Darius nothus. Denique post hæc Ægyptus a Persis recessit, et proprios reges habere cœpit. Dario notho successit Artaxerxes qui et Mnenon, et post hunc Artaxerxes qui et Ochus. Post hæc Ochus Nechao Ægypti rege in Æthiopiam pulso, Ægyptum recuperavit, et exinde usque ad Alexandrum Magnum Persæ in Ægypto regnaverunt, sic Ochus, Atses Ochi filius, Darius Arsis filius, Alexander Magnus. Sed antequam ad Persicum bellum, et gesta Alexandri narranda accedam, prius ortum regni Macedoniæ in qua primum ipse Alexander regnavit, paucis expedire curabo (36).

CAP. VI. *De regno Macedonum.*

Regnum Macedonum sub Cranao primo rege exortum ab anno tertio decimo Oziæ regis Judæ usque in annum nonum Oniæ pontificis, qui et Menelaus dictus est, cucurrit per annos sexcentos et triginta sex, et per reges triginta novem. Ante Alexandrum isti fuerunt reges: Cranaus, Crenus, Tyriminas, Perdiccas, Argus, Philippus, Europus, Alcetas, Amyntas, Alexander Magnus. Igitur Magnus Alexander, cum vicesimum ætatis ageret annum, regnum adorsus est expugnare Persarum, habens in exercitu peditum triginta millia, et equitum quatuor millia quingentos. Et horum agminum ordines nemo nisi sexagenarius duxit, ut si principia castrorum cerneres, senatum te cernere non militiæ duces existimares. Nemo denique illorum in prælio fugam, sed victoriam cogitavit, nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit. Porro rex Darius fiducia virium, non hostem a finibus Persarum arcere, sed intra regni sinum recipere gloriosius ratus, flumen Euphratem, et montem Ciliciæ murum illum sine impedimento transire permisit, ac demum in campis Adrasti dirigit aciem adversus eum. Habuit itaque Darius in ea congressione sexcenta millia militum. Sed tam numerosus exercitus mox terga vertit, superatus non minus Alexandri arte, quam Macedonum virtute. Magna cædes Persarum in eo prælio fuit; de exercitu vero Alexandri novem tantum cecidere pedites, et centum viginti equites. Post hanc victoriam major pars Asiæ statim ad Alexandrum defecit. Denique plurima gessit bella cum præfectis Darii, quos jam non tam armis quam nominis sui terrore superavit. Jam enim milites Alexandri Persicum aurum, et totius Orientis opes quasi suam prædam ducebant, nec belli periculorumque, sed divitiarum meminerant. Posthæc autem Darius cum quadringentis millibus peditum, et centum millibus equitum in aciem procedit. Occurrit ei Alexander, et committitur prælium ingentibus animis. In eo prælio uterque rex vulneratur, et tandiu tamen anceps fuit quoad fugeret Darius. Exinde magna cædes Persarum secuta est, cæsa enim sunt sexaginta millia et unum peditum, et equitum decem millia, capta quadraginta millia. E Macedonibus cecidere pedites centum et triginta, et equites centum quadraginta. In castris Persarum multum auri et cæterarum opum inventum est, et inter castrorum captivos capta est Darii mater, et uxor, ejusdemque soror, et duæ Darii filiæ, quarum redemptionem, oblata etiam dimidia regni parte, Darius non obtinuit. Illas tamen Alexander haberi apud se ut reginas præcepit, filiabus non sordidius matrimonium dignitate patris sperare jussit. Post hæc autem Darius in gratiam victoris Alexandri aureis vincitur catenis a cognatis suis. Et vinctus pariter cum Persarum regno vitam finivit. Cujus corpus Alexander more regio sepelivit. Sicque Persarum regnum cessit in potestatem Macedonum, postquam steterat per annos ducentos triginta unum

(36) Post Sardanapalum cœpit Medorum et Persarum monarchia bipartita inter Medos et Babylonios. Deinde renita fuit sub primo Cyro, et Dario. Quomodo autem cœperit, et subsecuta fuerit divisio, habes distincte, et diffuse ex Joanne Lucido lib. IV *Chronicorum*, cap. 2.

Interea vero Tyrum florentissimam orbem Alexander expugnavit, et Aleaandriam super amnem Tanaim ædificavit, et Indiam expetiit, ut ultimo Oceani limbo imperii sui fines terminaret. Ubi cum Puro ipsius gentis rege fortissimo equo vectus singulari certamine dimicavit, sed occiso dejectus equo concursu satellitum suorum mortem evasit. Subactis deinde omnibus Orientis gentibus usque ad flumen Indum et ad Oceanum, statuit remeare retrorsum. Verum, cum Darium regem annis duntaxat quinque supervixisset, et Babyloniam reversus fuisset, suorum insidiis in eadem urbe, in ipso ætatis et victoriarum flore, vitam veneno finivit, vitæ videlicet suæ anno tricesimo secundo, regni vero sui duodecimo. Quo defuncto successores ejus orbem universum, qui Macedonum viribus subactus fuerat, inter se partiti sunt, sed postea varia bellorum sorte confligentes ad paucos potestas collecta est. Prima partitio talis fuit: Ptolomæus accepit Ægyptum, Africam, Arabiam; Laius Militeus Syriam, Philotas Ciliciam, Philo Illiricos, Aeropatus Mediam majorem, Sother Mediam minorem, Schynus Suxanianam gentem, Antigonus Philippi Phrygiam majorem, Nearchus Lyciam et Pamphiliam, Cassander Cariam, Menander Lydiam, Leonatus Phrygiam minorem, Lysimachus Thraciam et Pontum, Eumenus Cappadociam et Paphlagoniam, Seleucus summam castrorum, Cassander Antipatri stipatores et satellites regis, Traxiles Seres inter Hydaspem et Indum, Phiton Agenoris colonias in Indis conditas, Oaiarches Paropamenos in fine Caucasi, Subitures Aracusios et Chedros, Statanur Drancheos et Areos, Amyntas Athrianos, Sicheusita Sogdianos, Canor Parthos, Philippus Hircanos, Fratapharnes Armenios, Tlepolemus Persas, Peucestes Babylonios, Arthous Pelassos, Archesilaus Mesopotamiam. Post hæc, ut supra, dictum est, ad paucos potestas collecta est. Et Philippus quidem, qui et Arideus dictus est, tandem obtinuit Macedoniam, Seleucus Syriam, Antigonus Asiam minorem, Ptolemæus Lagi filius Ægyptum. Isti sunt igitur reges qui post Alexandrum Magnum in Macedonia regnaverunt, Philippus qui et Arideus, Cassander, Antigonus et Aleaander Cassandri filii, Demetrius, Pyrrhus, Lysimachus, Ptolemæus Ceraunos, Meleagrus, Antipater, Sosthenes, Antigonus, Philippus, Perses. Post hæc finitum est regnum Macedoniæ. Romani enim, interfecto Persa, Macedones, Illyrios et Galatas liberos esse jusserunt (37).

Cap. VII. *De regnis Syriæ.*

Porro isti sunt reges Syriæ, qui post Alexandrum Magnum in ea regnaverunt: Seleucus, Nicanor, Antiochus Sother, Antiochus Theos, Seleucus Gallinicus, Seleucus Ceraunos. Antiochus iste relaxavit sacerdotes et scribas, et cantores templi Domini a tributis, et a regio vectigali, et ab illis oneribus multis. Post hunc regnavit Seleucus Philopator filius ejus; iste est Seleucus, qui Heliodorum Jerosolymam misit ad spoliandum ærarium, quod erat in templo Domini. Sed Heliodorus, divino correptus judicio, infecto negotio ad regem est reversus. Denique Seleucus successorem reliquit Antiochum fratrem suum, qui Epiphanes, id est illustris, nobilis sive præclarus est appellatus. Iste est Antiochus, qui radix peccati in principio primi libri Machabæorum nominatur, qui tot abominationes fecit in Jerosalem. Quo mortuo regnavit Antiochus Eupator filius ejus annis duobus. Et post hunc Demetrius Seleuci filius egressus ab urbe Roma venit in Syriam, in regnum videlicet patris sui. Cujus adventum comperto exercitus, qui cum Antiocho Epiphane fuerat, ejusdem Antiochi filium, hoc est Antiochum Eupatorem, qui jam regnare cœperat, interfecit; sicque Demetrius Seleuci filius, qui et Sother dictus est, regnum obtinuit. Alexander vero filius Antiochi Eupatoris cum venisset, exercitum collegit, oppressoque Demetrio regnum recepit. Post, Demetrius filius Demetrii, fugato Alexandro, potestatem ad se revocavit. Deinde Triphon quidem parvum Alexandri ejusdem filium Antiochum adolescentem, quem nutriendum acceperat, occidit, sed illo tandem oppresso regnum in progenie Seleuci permansit. Porro Demetrio Antiochus Cyprius successit, et huic Antiocho Antiochus Cyzicenus, et Antiocho Cyziceno Philippus. Tertio decimo anno post mortem Alexandri Magni Seleucus in Syria regnare cœpit, in Asiam autem quadragesimo. Cucurritque regnum usque ad præfatum Philippum per reges decem septem, et annos ducentos viginti. Post hæc Syria in ditionem Romanorum venit. Antiochus enim in Parthos fugiens Pompeio se tradidit, postquam Philippus captus est a Gabino.

Cap. VIII. *De regno Asiæ.*

In Asia minore post Alexandrum Magnum regnavit Antigonus annis decem novem. Post hunc autem regnavit Demetrius Poliorcetes decem septem annis. Post hunc Demetrius Seleuco regi Syriæ se tradidit, et regnavit Seleucus in Asia et Syria. His igitur breviter executis, ad sequentia transeamus. Sed priusquam de Ptolemæo Lagi filio, qui post Alexandrum magnum in Ægypto regnavit, dicam, exordium regni Ægypti, cujus supra meminí, cursumque ejus usque ad hæc tempora paucis expedire curabo (38).

Cap. IX. *De regno Ægypti.*

Quidam in Ægypto primum deos sive heroas quosdam regnasse ferunt sic: Festus primus annis sexcentis octoginta. Sol secundus septuaginta septem. Sosinosiros tertius trecentis viginti. Orontoliarchus quartus decem octo. Tiphon quintus qua tertio.

(37) De monarchia Alexandri Macedonis propria, et de regibus post eum sequentibus in Asia et Syria, nonnulla notatu digna excerpere potes ex Joanne Lucido. libro Chronicorum quarto, capitulo

(38) Quæ hic Hugo noster pertractat, apud Joannem Lucidum, libro et capitulo prædictis, annotare poteris.

draginta quinque. Post hæc Mirtheorum regna sic. Procaanubes annis octoginta tribus. Aplon sexaginta septem. Vera autem narratio habet quod a nativitate Abrae sexto decima dynastia, quam Ægyptii summam potestatem vocant, Thebæorum apud Ægyptios initium accepit, currens per annos centum nonaginta. Quindecim enim dynastiæ in regno Ægyptiorum jam transactæ fuerant, et sextadecima ut diximus, qua Thebæi regnabant exorta est. Dynastia igitur decima sexta, regnaverunt Thebæi annis centum nonaginta. Dynastia decima septima, pastores octo. Dynastia decima octava Diapolitanorum Amasis primus. Hic fuit tempore famis, sexto anno ejus regnare incipiens, Chebron secundus, Menophis, Mephres, Miffar, Mutosia, Theutemosis, Amenuphis, Ortua, Acheneheres, Achoris, Ebencres, hic submersus est. Acherres, Cherres, Armeus qui et Danaus, Ramesses qui et Ægyptus, Menophis. Dynastia decima nona, Zetus, Rampses, Amenophis, Ammenephus, Thuores, qui et Polybus. Ad hunc Menelaus cum Helena post excidium Trojanorum divertit. Dynastia vigesima, Diapolitanorum. Dynastia vigesima prima, Sinendis, Psusennes, Neferoheres, Ameuuphis, Osochor, Psinaces, Psusennes.

Dynastia vigesima secunda Sesonchosis, Osorton, Tacelosis. Dynastia vigesima tertia Petubas, Orsochon, Psammus. Dynastia vigesima quarta, Bochoris. Dynastia vigesima quinta Sabachon, Æthios, Sobicus, Tiaracus, Æthiops. Dynastia vigesima sexta, Merres, Æthiops, Stephinatis, Neheompoa, Nechao Psammeticus, Nechao secundus, qui et Necepsos, Psamuites, qui et Psammeticus, Vafres, Amasis. Dynastia vigesima septima Persarum annis centum et undecim. Cambyses, fratres magi, Darius, Xerses Darii filius, Artabanus, Artaxerses, Xerses secundus, Sogdianus, Darius nothus. Post hæc Egyptus a Persis recessit, et proprios reges habere cœpit, sicut subjectum est. Dynastia vigesima octava, Amarcheus, Saltes. Dynastia vigesima nona, Nephrites, Achoris, Psammitea, Nephrites, Nectanebus. Post hæc Artaxerses qui et Ochus, Nectabo rege Ægypti in Æthiopiam pulso, Ægyptum obtinuit, et ex inde usque ad Alexandrum Magnum Persæ dynastiam Ægypti tenuerunt ab anno decimo septimo Ochi usque ad septimum Alexandri : et nunc Ægyptus in potestatem Græcorum venit. Hac præterea tempestate, qua præfatus Ochus in Perside regnavit et in Ægypto, Brennus, qui apud urbem Senonensem regnabat, cum trecentis millibus Gallorum in Italiam venit, et eam usque ad Senogalliam supra mare Adriaticum sitam occupavit, et ibi ad invicem separati sont, quorum ad centum millia Delphos adeuntes Græcorum gladiis perierunt. Alia vero centum millia in Italia remanserunt, Ticinumque, Mediolanum, Bergamum, et Brixiam constituentes, Cisalpinæ Galliæ nomen dederunt. Unde Gallia Transalpina, quæ ultra Alpes respectu Italiæ habetur, et Gallia Cisalpina, quæ cis Alpes est, vocitatur. Et hæc de Brenno, Gallis, et Gallis pauca dixisse sufficiat. Porro Ocho successit Arxes filius ejus, et Arxi Darius Arxis filius, et Dario, ut supradictum est, Alexander Magnus, cujus imperii anno septimo Ægyptus in potestatem Græcorum venit. Post Alexandrum denique Magnum regnavit Ptolemæus Lagi filius in Alexandria Ægypti.

CAP. X. *De regno Ægyptiorum post Alexandrum Magnum*

Sciendum autem quod omnea reges Ægypti communi vocabulo primum Pharaones sunt dicti, ab Alexandro vero magno usque ad Cleopatram Ptolemæi sive Lagidæ; a Ptolemæo Lagida Lagi filio. Cucurrit itaque regnum Alexandriæ usque ad Octavianum [Octavium] Augustum per reges duodecim, quorum ista sunt nomina : Ptolemæus Lagida. Iste Jerusalem dolo cepit, et Judæos captivavit. Ptolemæus Philadelphus. Iste Vetus Testamentum de Hebræo in Græcum transferri fecit, et Judæorum captivitatem relaxavit. Ptolemæus Evergetes, Ptolemæus Philopator, Ptolemæus Epiphanes, Ptolemæus Philometor. Ptolemæus Evergetes, Ptolemæus Phiscon, qui et Sother. Ptolemæus Alexander, Ptolemæus qui a matre dejectus est, Ptolemæus Dionysius, Cleopatra. Post hæc Ægyptus in potestatem Romanorum venit, cujus regnum semper mollitiem est secutum, et tandem in femina prostratum, cujus finem inferius explicabo (39).

CAP. XI. *De regno Sicyoniorum*

Regnum Sicyloniorum, auo Ægialeo primo rege exortum, ab anno vigesimo quarto Nachor avi Abram usque in annum decimum septimum Heli sacerdotis et judicis Israel, cucurrit per annos noningentos sexaginta et unum, et per reges triginta unum, quorum ista sunt nomina : Ægialeus, Europs, Felchim, Apis, Telon, Ægiorus, Thurimachus, Leucippus, Measspos, Eratus, Plemeus, Orthopolis, Marathias, Maratus, Echireus, Chorax, Epopeus, Lanoedon, Sichon, Polibus, Inachus, Phestus, Adrastus, Polypbides Pelasgus, Zeuxippus. Post hæc sacerdotes Carnii præfuerunt annis viginti octo, quorum ista sunt nomina : Archelaos, Antomidus, Mecludutus,

(39) Ægyptiorum regnum eo tempore cœpit quo et regnum Chaldæorum, hoc est anno centesimo, trigesimo primo a Noatico diluvio, ut ex Beroso accepimus. Ægyptus autem ab Ægypto rege ultimum nomen accepit, ut ait Manethon sacerdos Ægyptius in supplemento Temporum. Prius enim Oceana et Nilea, teste Diodoro Siculo in primo libro; postea vero Aeria dicebatur, ut ait Eusebius in libro De temporibus. Quin etiam ab Osyris nomine, et cognomine Osyriana ab Ægyptiis, et Myzreia ab Hebræis auctore Moyse dicta fuit. Ultimo autem vocata est Ægyptus, ut dictum est, ab Ægypto fratre Danai, qui dicebatur Ramesses. Hæc ex Joanne Lucido, libro Chronicorum v cap. primo, apud quem nonnulla alia ad propositum notatu digna comperire potes.

Heuneus, Themaus, Amphicius, Caridus. Post hæc finitum est regnum Sicyoniorum (40).

CAP. XII. *De regno Argivorum.*

Regnum Argivorum sub Inacho primo rege exortum, usque ad novissimum Acrisium cucurrit per annos quingentos quadraginta quatuor ab anno primo Jacob patriarchæ usque ad annum duodecimum Deboræ et Barach judicum Israel. Reges igitur Argivorum sunt Inachus, Phoroneus, Apis, Argus, Criasus, Phorbas, Triopas, Crotopus, Sthelenus, Danaus, Lynceus, Abas, Prœtus, Acrisius. Post hæc in Mycenas imperium est translatum. Perseus, Acrisio non sponte interfecto, migravit ab Argis. Reges Mycenarum sunt Perseus, Sthelenus, Euristeus Stheleni filius, Atreus et Thyestes, Agamemnon, Egystus, Orestes, Thisamenus, Pentilus, Comethes (41).

CAP. XIII. *De regno Atheniensium.*

Regnum Atheniensium a Cecrope rege primo exortum, ab anno vicesimo secundo Moysi, hoc est quadragesimo quinto ante egressionem Israel de Ægypto usque in annum vigesimum nonum Manassæ regis Juda, cucurrit per annos nongentos quinquaginta tres. Reges igitur sunt, Cecrops, Cranaus, Amphiction, Ericthonius, Pandion, cujus filiæ Progne et Philomena, Ericthens, Cecrops Ericthei, Pandion Cecropis, Ægeus Pandionis, Theseus Ægei, Menesteus, Demophoon Thesei, Osintes, Aphicitas, Thimotes, Melanthus, Codrus Melanthi. Hucusque reges; posthæc autem principes sunt constituti, quorum singuli principatum usque ad finem vitæ tenuerunt, Medrus Codri, Arastus, Archippus, Thersippus, Phorbas, Mezades, Diogneus, Phereclus, Ariphron, Thespieus, Agamestor, Æschilus, Almeon, Carops, Æsimedes, Elidicus, Hippomenes, Leocrates, Absander, Eurisias. Post hæc annui principes Athenis constituti sunt novem ex nobilibus civitatis (42).

CAP. XIV. *De regno Lacedæmoniorum.*

Regnum Lacedæmoniorum sub Eurystheo primo rege exortum, ab anno septimo Samuelis judicis Israel usque in annum quadragesimum omnium Oziæ regis Juda, cucurrit per annos trecentos viginti quinque, et reges novem, quorum ista sunt nomina: Eurystheus, Agis, Echestratus, Labores, Doristeus Agesilaus, Arelulaus, Thelectus, Aleamenes (43).

CAP. XV. *De regno Corinthiorum.*

Regnum Corinthiorum sub Alethe primo rege exortum, ab anno octavo Samuelis judicis Israel usque in annum primum Joatham filii Oziæ, cucurrit per annos trecentos viginti. Reges fuerunt: Alethes, Trion, Agilaus, Primiras, Bacis, Agelas, Eudemus, Aristomedes, Agemnon, Alexander Tholestes, Pritanis (44).

CAP. XVI. *De regno Lydorum.*

Regnum Lydorum sub Ardisu primo rege exortum, ab anno quadragesimo octavo Oziæ regis Juda, usque in annum quadragesimum tertium transmigrationis cucurrit per annos trecentos triginta, et per reges novem, quorum ista sunt nomina: Ardisus, Aliattes, Meles, Candaules, Giges, Ardis, Sagliates, Aliattes, Crœsus. Post hæc subversum est regnum Lydorum a Persis. Crœsus namque Lydorum rex cum Medi et Persæ Babylonem obsiderent, contra eos Chaldæis auxilium tulit, propter quod postea subversa Babylone a Cyro rege Persarum bello oppetitur et superatur. Sicque regnum Lydorum in Persarum ditionem transiit (45).

CAP. XVII. *De regno Parthorum.*

Parthi postquam a Seleuco rege defecerunt, proprios reges habere cœperunt, quorum ista sunt nomina: Arsaces, Arsaces, Priapacius, Phrahates, Mithridates, Phrahates, Artabanus, Mithridates, Orodes. His temporibus, Crassus, Romanum assecutus consulatum, per Mesopotamiam ten eus in Parthiam, Euphratem fluvium, contra fœdus Luculli et Pompeii, consulum Romanorum, transivit, et Carras usque pervenit, ubi a Parthis circumventus exercitum amisit, et ipse est exstinctus. Porro Orodi successit Pacorus, et Pacoro Mithridates magnus, et Mithridati magno Pharnaces filius ejus. Hic est Pharnaces, qui in bello Pharsalico Pompeio auxilium tulit, quem post mortem Pompeii Julius Cæsar in Ponto devicit.

CAP. XVIII. *De regno Numidiæ.*

Reges Numidiæ sunt Gala: Masinissa, Myeipsa, Adherbal, Hiempsal, Jugurtha.

(40) Regnum Sicyoniorum in Græcia, juxta Eusebium De temporibus, initium habuit ante nativitatem Abrahæ annis septuaginta tribus, videlicet anno 52 Beli, et duravit annis nongentis sexaginta, et uno reliquos ejus progressus ex Joanne Lucido, lib. VI Chronicorum, cap. 4, educere poteris.

(41) Mos ortis Esau et Jacob, anno secundo Baldei Xersis octavi regis Assyriorum, initium habuit regnum Argivorum, ut computat Eusebius. Computatio regum et temporum ipsorum cernitur breviter apud Joannem Lucidum, libro Chronicorum VI, cap. V.

(42) Atheniensium regnum, ut ait Berosus in V libro, cœpit anno quarto Spareti XVII regis Assyriorum qui fuit annus primus Jasii regis Eutruriæ, et XXX Ori regis Ægypti. Quorum reges quot annis regnaverunt, ex Eusebio elicit. Joannes Lucidus, libro VI, cap. 6.

(43) Regnum Lacedæmoniorum incœpit, secundum Eusebium, anno quarto Dercisi trigesimi primi regis Assyriorum. Aliqui tamen dicunt id cœpisse prius annis duobus, quod magis computationi nostræ, ait Lucidus, convenit. Tunc enim erat XXXVIII annus vigesimæ dynastiæ Ægyptiorum, et sextus annus Æneæ Sylvii, regis Latinorum, nec non et duodecimus annus Saulis regis Hebræorum. Reges Lacedæmoniorum apud eumdem habes ex Eusebio.

(44) Eodem tempore incœpit regnum Corinthiorum, quo et regnum Lacedæmoniorum, juxta Eusebium. Et reges eorum fuerunt numero duodecim. Joan. Lucidus, lib. VI, cap. 10.

(45) Regnum Lydorum, juxta Eusebium, mox incœpit, post finem regni Corinthiorum, hoc est annis duobus ante primam Olympiadem. Joannes Lucidus, lib. VI Chron., c. 13.

CAP. XIX. *De regibus Babyloniæ.*

Reges Babyloniæ sunt Merodach, Baladan, Nabuchodonosor, Nabuchodonosor, Evilmerodach, Egesar, Labosordach, Balthasar. Isti sunt reges Chaldæorum, qui, quamvis gestis fuerint insignes, in numero tamen regum illustrium non computantur

CAP. XX. *De regno Latinorum.*

Regnum Latinorum sub Jano, ut dicunt, primo rege exortum ab anno septuagesimo sexto Aoth Judicis Israel usque in annum octavum Darii regis, qui est octogesimus post transmigrationem Babylonis, decimus post reversionem, quartus post instaurationem templi, cucurrit per annos octingentos viginti et novem, et reges Latinos sex, Albanos quatuordecim, Romanos septem usque ad Tarquinium superbum. Reges Latini fuerunt Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus, Æneas. Albani, Ascanius, Silvius Posthumus Æneæ filius, Silvius, Æneas, Silvius Latinus, Silvius Epitus, Silvius Capis, Silvius Capetus, Silvius Tyberinus, Silvius Agrippa, Silvius Aremulus, Silvius Aventinus, Silvius Procas, Silvius Amulius. Romani, Romulus, Numa Pompilius, Tullus Hostilius. Ancus Martius, Tarquinius Priscus, Servius Tarquinius, superbus. Post hæc, expulsis ab urbe regibus per Brutum, consules rempublicam tractabant usque ad Julium Cæsarem, hoc est, usque ad annum vicesimum Hircani regis et sacerdotis Judæorum per annos quadringentos sexaginta duos sic. Brutus post expulsos reges primus consul sub anno primo, deinde decem viri constituti sunt anno 40. Camillus consul anno 156. Quintius dictator anno 148. Papirius consul anno 186. Manlius, et Regulus anno 245. Publicius Cornelius Scipio anno 292. Fabius Maximus dictator anno 298. Lucius Æmilius Paulus. Terentius Varro anno 299. Levinus et Marcellus anno 304. Claudius Nero et Marcus Livius Salinator anno 305. Scipio Africanus major anno 311. Scipio Africanus minor anno 364. Scipio Nasica anno 391. Postumus et Metellus anno 393. Marius et Cnæus Mallius anno 401. Sylla anno 422. Marcus Tullius Cicero anno 469. Pompeius, Crassus anno 457. Cæsar solus imperat anno 462. Istos de temporibus consulum excerpsimus, ex eo quo reges expulsi sunt usque ad Julium Cæsarem singulos annos suos et tempora quibus post reges rempublicam tractabant adnotantes, et eos magis signavimus, quorum temporibus, vel ab ipsis vel ab aliis aliqua magna gesta referuntur, verbi gratia temporibus Papirii consulis ea quæ de Alexandro Magno scripta sunt. Temporibus Scipionum, bella punica. Temporibus Marii, Jugurthinum. Temporibus Ciceronis, Catilinarium. Primus itaque Romanorum monarcha Julius Cæsar exstitit, cujus gesta paucis expediam (46).

CAP. XXI. *De Julio Cæsare primo imperatore Romano, et Pompeio Magno.*

Julius itaque Cæsar Gallorum gentem ferocissimam multis præliis expugnavit. Navibus denique in Britanniam transvectus, Romanum imperium ultra terræ limitem dilatavit, mare videlicet Oceanum, quod totum intra decennium consummavit. Quo transacto, decerni sibi a senatu Romano postulavit alterum consulatum; contradictum est a Marcello ter consule, adnitente Pompeio. Deinde decretum est a senatu, ne in Urbem nisi dimisso veniret exercitu. Quod Cæsar graviter tulit, et contractis undique viribus, Romam hostiliter contendit, et Rubicone fluvio transmisso, Ariminum cepit, et Ravennam se contulit. At Pompeius, et omnis Romanorum senatus, crescentibus Cæsaris viribus trepidi, tanquam Italia pulsi Græciam adierunt, Dyrrachium gerendi belli sedem eligentes. Cæsar autem, cum jam adversus Pompeii duces multa peregisset certamina, tandem Romam intravit, et ex ærario publico fractis januis pecuniam tulit, quam suis militibus erogavit. Interea vero apud Dyrrachium multi reges Orientis ad Pompeium cum auxiliis devenere; quod audiens Cæsar, agmine comparato, per Epirum in Thessaliam venit. Pompeius octoginta et octo cohortes ordine triplici collocavit, fueruntque in exercitu ejus peditum quadraginta millia, et equites in sinistro cornu sexcenti, et in dextro quingenti. Inter quos erant reges multi, senatoresque et equites Romani plurimi. Contra Cæsar similiter octoginta cohortes triplici ordinavit dispositione. In exercitu Cæsaris fuere minus quam triginta millia peditum, et equites mille; sed dum utrinque certaretur, tandem universus Pompeii fugit exercitus. Cæsa sunt in eo prælio Pompeianorum duodecim millia, et centuriones triginta quatuor. Pompeius fugiens onerariam navim nactus, in Asiam properavit, et inde per Tyrum in Ægyptum transiit. Ibique statim ut littus attigit, jussu Ptolemæi adolescentis, in gratiam Cæsaris victoris, occisus est. Pompeio interfecto, Cæsar, Syriam pervagatus, Alexandriam venit, ubi Alexandrinis petentibus præfatum Ptolemæum adolescentem Alexandriæ regno donavit; qui tamen illico contra Cæsarem rebellavit, et bellum instruxit. In quo bello referuntur cæsa hominum viginti millia, et duodecim millia septuaginta navibus dedita. Unde territus Ptolemæus scapham ascendit ut fugeret, sed multis post eum in eamdem scapham insilientibus mersus, necatusque est. Cujus dum corpus ad littus devolutum fuisset, indicio loricæ aureæ cognitum fuit, quem cum Cæsar Alexandriam præmisisset, Alexandrinos desperatione ad deditionem coegit. Quibus patratis rursus regnum Ægypti Cleopatræ dedit. Deinde vero Syriam pervagatus, Pharnacem in Ponto devicit. Indeque Romam secundo regressus

(46) Hæc omnia diffusius habes apud Joannem Lucidum lib. III Chronicorum, c. 3; sed Robortelus, et Paulus Manutius, in tabulis quibusdam copiosius dederant.

dictator et consul est appellatus; deinde in Africam transiens, omnes magni Pompeii duces atque nepotes debellavit. Conflixit apud Mundam civitatem adversum Pompeii duces, Labienum atque Accium Varrum, et superavit. Sed et filium Pompei Pompeiam, Faustum, et Syllam, Afranium et Petreium interfecit. Cato vero apud Uticam sese interemit. Indeque reversus Romam, rerum summam ac potestatem solus sibi præsumpsit, quam Græci monarchiam vocant; sed dum ibi reipublicæ statum contra morem majorum clementer instaurat, auctoribus Bruto et Cassio, in curia viginti quatuor vulneribus confossus interiit, post annos tres et menses sex quam imperare incœperat. In hac conjuratione ducentos sexaginta conscios fuisse ferunt. Romanus vero populus dolore stimulatus capitolium cum auctoribus cædis incendere voluit. Apud quos etiam post modum memorabilis factus est, ut omnes post illum imperatores, Cæsares nuncupentur. Breviter itaque ortus, cursus et occasus regnorum mundi, quæ a tempore, quo post diluvium disseminatum est genus humanum super terram, exstiterunt, usque ad tempus Hircani pontificis, declaravi (47).

(47) Quæ de Cæsare ac Pompeio, tum in laudem, tum in opprobrium dici possunt, Plutarchus accuratissimus scriptor in vitis eorum, studiosissime digessit. Quamplurima in Suetonio de Cæsare, et de ambobus in Appiano, et cæteris Romanæ Historiæ scriptoribus, annotari possunt.

LIBER SEXTUS.

Tractat de imperatoribus Romanis, a nativitate Christi, id est ab Octavio, usque ad Trajanum; continet capita tredecim.

Cap. I. ***De concordia agitur præcedentium et sequentium.***

Deinceps consbor regnorum se regum seriem, et nomina simili ordine, quomodo ab incarnatione Verbi usque ad tempora nostra cucurrerunt explicare. Lineam namque computationis quia præsentis sæculi cursum metimur, in geminas partiti sumus partes; superiorem ejus partem ab exordio sæculi usque ad incarnationem Verbi porrigentes; subteriorem atque posteriorem ab incarnatione Verbi deorsum ad nos usque extendimus. Post tempora consulum monarchæ in Romana republica imperium obtinuerunt, primo Julio Cæsare corripiente imperium, repetitusque est Romæ mos uni parendi, anno ab Urbe condita septingentesimo vigesimo secundo, ab exactis vero regibus quingentesimo octogesimo; pro rege, imperatore, vel sacratiore nomine post Augusto appellato.

Cap. II. ***De Octaviano secundo monarcha et de nativitate Christi.***

Secundus Romanorum monarcha, interfecto Julio Cæsare, Octavianus [Octavius] exstitit. Hic Illyricum et Pannoniam occupavit, et Sicambros, et Arturos Hispaniæ populos superavit, et moribus informavit. Norici, Dalmatæ, Mœsi, Bosphorani, Thraces, Daci, Sarmatæ, ducum ejus sunt superati virtute. Sed antequam regni monarchiam obtinuisset ipse, Augustus Italiam, et Galliam, et Hispaniam, Antonius vero Asiam Pontumque possidebat. Porro Antonius, cum esset socer ejus, repudiata Augusti sorore, Cleopatram Ægypti reginam sibi copulavit, et Augusto bellum indixit. Sed ubi ventum est ad prælium, Antonius imperatorem sustinere non valens, propria manu se interfecit, Cleopatra vero admotis sibi serpentibus morte sopita est. Tunc Augustus, potitus Alexandria urbe opulentissima, Romam triumphans ingressus est. Quibus patratis, Parthi incyti nominis gloria territi, Romana signa quæ Crasso interfecto diripuerant, ei ultro reddiderunt, et obsidibus datis fœdus ab eo suscipere meruerunt. Ad hunc quoque Indi, Garamantes, Æthiopia legatos cum donis miserunt. Venit ad eum et Herodes rex Judææ depositu diademate, et insignibus regni sequestratis, eo quod fuisset de amicis Antonii. Venit, inquam, humili habitu, sed regia mente. Cumque coram imperatore fidem, quam Antonio servaverat, elegantissime perorasset, Cæsar fidem et humilitatem admiratus in homine : ***Salve,*** **inquit,** ***et nunc magis utere regna tuo, quoniam non invidemus virtutibus, sed delectamur.*** **Et hæc dicens, imposuit coronam capiti ejus, ampliavitque regnum ejus dans ei Gaddaram et Hyponam, Samariam et Joppen, Turrim quoque Stratonis. Ex quibus Herodes Turrim quoque Stratonis aulicis ædificiis renovavit, et Cæsaream jussit appellari. Pacatis igitur omnibus per universum orbem regionibus :** ***Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino. Ascendit autem Joseph a Nazareth Galilææ in Bethlehem Juda, eo quod esset de domo David, ut profiteretur et ipse cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*** **(Luc. II). Anno igitur imperii Octaviani Augusti quadragesimo secundo, regni Herodis trigesimo primo, Olympiadis centesimæ nonagesimæ tertiæ, cum per orbem terrarum firmissima pax vigeret, Jesus Christus Filius Dei in Bethlehem Judæ nascitur secundum fideles promissiones. In cujus ortu angeli exsultantes cecinerunt:** ***Gloria in excelsis***

Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II). Magi quoque venerunt ab Oriente adorare eum, offerentes ei munera, aurum, thus et myrrham (*Matth.* II). Herodes autem mala suspicione perterritus, occidit omnes pueros, sperans inter coætaneos Christum interficere. Præterea agebatur funestus Herodes suspicione mala per multa flagitia, et ne ignobilis videretur, copulavit sibi Mariannem Aristoboli filiam. Deinde copulavit sibi novem mulieres, sed inter omnes pollebat Marianne excellentissimi gratia decoris, unde diligebat eam Herodes, nec offensam volebat. Verum in Mariannem scena adulterii contexitur, quod Antonio imaginem suam destinasset, ut pulchritudine sua perstrictam excitaret in se viri non sobriam mentem; quod audiens Herodes jussit eam interfici. Sed non multo post secuta est facti pœnitentia. Itaque Marianne illi audiri et videri videbatur, et interdum consistere cum illa et confabulari. Addebantur illi stimuli ab aliis, qui ei a filiorum insidiis cavendum denuntiabant, asserentes quod ultrices materni exitii manus in eum armarent. Tandem igitur ad urbem Sebasten Alexander, et Aristobolus (sic enim vocati sunt) perducti, patris imperio strangulati sunt. Fecit occidi etiam Antipatrum filium suum Herodes. Denique morbo intercutaneo depressus lecto decubuit, et tandem morte pessima vitam finivit. Successit igitur Herodi Archelaus filius ejus, majestate quidem minor, sed vitiis non inferior. Florebant per idem tempus Romæ Virgilius, Sallustius, Terentius, Horatius, Livius, Hortensius. Porro Augustus Cæsar erat ad recipiendas amicitias parcus, sed ad retinendas constantissimus. Fuit mitis, gratus, civilis animi et lepidi, corpore toto pulcher, sed oculis magis. Auxit Romam ædificiis multis, illo glorians dicto : *Urbem inveni lateritiam, relinquo marmoream.* Nolæ morbo obiit, et Tiberium suum privignum sibi successorem reliquit.

CAP. III. *De Claudio Tiberio Cæsare.*

Claudius Tiberius ad imperium sublimatus, imperavit circiter viginti duos annos. Iste tantæ modestiæ fuit primum, ut diceret boni pastoris esse peces tondere, non deglubere. Apud hunc denique rex Archelaus de insolentia accusatus Viennam Galliæ urbem exsilio relegatus est, et ad minuendam regni Judaici potestatem, fratres Archelai tetrarchæ sunt constituti, Lysanias, Philippus, Herodes. Anno autem duodecimo Tiberii Cæsaris Pilatus Judææ præses est designatus. *Annoque quinto decimo Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam*, et prædictis filiis Herodis regiones sibi commissas procurantibus, *factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum in remissionem peccatorum* (*Luc.* III). Eodem anno Dominus noster Jesus Christus evangelicam doctrinam inchoavit, et duodecim apostolos elegit. Deinde elegit septuaginta duos discipulos. Herodes autem tetrarcha abstulit fratr suo Philippo uxorem suam Herodiadem. Cumque argueret eum Joannes Baptista, vinxit eum, trusitque in carcerem, ac demum fecit eum decollari apud castellum quod Macheronta dicitur. Porro, eodem anno quo capite cæsus est sanctus Joannes, passus est Dominus noster Jesus Christus, et resurrexit tertia die. Mos autem erat Romanis antiquitus, ut provinciarum judices, si quid novi in illis quas regebant provinciis contigisset, senatui scripto nuntiarent. Pilatus ergo scripsit epistolam ad Tiberium de his quæ in Dominum nostrum Jesum Christum perpetrata fuerant, significans ei quod ipse esset vere Salvator mundi. Tunc Tiberius cum suffragio magni favoris retulit epistolam ad senatum, postulans ut Christus Deus haberetur. Porro senatus Christum recusavit, indignans quod non sibi secundum morem prius epistula delata fuisset. Ab illa itaque die cœpit immutari laudatissima prius Cæsaris modestia in pœnam contradictoris senatus. Interea apostoli Jerosolymis Matthiam ordinaverunt (*Act.* I), ac demum septem diaconos, quorum ista sunt nomina : Stephanus, Philippus, Procorus, Nicanor, Timon, Parmena, et Nicolaus Antiochenus (*Act.* VI). Ab hoc orta est hæresis Nicolaitarum. Per idem tempus Philippus descendens in Samariam prædicavit illi verbum Dei, et crediderunt multi. Sed et Simon Magus, qui eamdem urbem magicis artibus dementaverat, baptizatus est. Cumque pervenissent illuc Petrus et Joannes, et Simon videret per manus eorum impositionem Spiritum sanctum dari credentibus, obtulit eis pecuniam, postulans ut sibi ista potestas concederetur, sed verbis Petri graviter confutatus abscessit. Circa hos denique dies Paulus Apostolus eligitur, et Stephanus Jerosolymis lapidatur, et Jacobus Alphæi patriarcha constituitur. Apostoli quoque, cum jam Judæa verbum Dei repulisset, singulas provincias adierunt. Petrus Cappadociam et Antiochiam, Joannes Asiam, Paulus Græciam, Andræas Achaiam, Matthæus Æthiopiam, Philippus Scythiam, Simon et Judas Persidem, Bartholomæus Indiam minorem, Thomas Indiam majorem. Porro illi, qui ad fidem convertebantur, discipuli, non Christiani vocabantur. Sed florentissima apud Antiochiam Ecclesia congregata, prima cœpit credentes in Christum Christianos appellare. Præterea Cæsar, cum jam suos et extraneos pariter punirel, resolutis in urbe Roma militiæ artibus, Armenia a Parthis, Mœsia a Dacis, Pannonia a Sarmatis, Gallia a finitimis gentibus direptæ sunt. Demum vero insidiis Caii Caligulæ exstinctus est.

CAP. IV. *De Caio Caligula.*

Tradidit igitur Caius Caligula imperator creatus regnum Judææ Agrippæ Herodi, filio Aristoboli filii Herodis magni et Mariamnes. Tradidit igitur illi Caius Philippi, Lysaniæ, et Herodis tetrarcharum tetrarchias, et Herodem incestuosum una cum Herodiade in Hispanias æterno damnavit exsilio. Filiam quoque Herodiadis, quæ in decollatione sancti Joannis saltaverat, vivam terra deglutivit. Præses etiam

ratoris præponderaret. Sed dum Cecinna moras inverlit, dux partis adversæ Antonius nomine ei occurrit, et conserto prælio eum superavit. Quod ubi Vitellius comperit, primum molitus est imperium deponere, sed postea animatus a quibusdam Sabinum Vespasiani fratrem nihil mali suspicantem interfecit. Post diem alterum adest Antonius, occurritur ex adverso, trinoque circa urbem congressu habito, fusi et cæsi sunt Vitelliani. Deficientibus itaque Vitellianis, Vitellius in cellulam quamdam se intrusit, indeque turpiter protractus ad forum ducitur, et occiditur, et demum in Tiberim tractus, communi caruit sepultura.

CAP. X. *De Vespasiano et destructione Jerosolymorum.*

Vespasianus igitur ad imperium sublimatus anno Incarnationis Dominicæ septuagesimo primo, imperavit annis novem, mensibus undecim, diebus viginti. Interea cum apud Judæos corrupta essent jura legis, et violata religio, deseruit eos divina Providentia, et non solum urgebant Romani, sed et ipsi inter se domesticis seditionibus laborabant. Omnis seditionis erant duo principes, quorum unus erat quidam Joannes, vir levis, populi lues, doli callidus, fallendi artifex, qui fallaciam virtutem putaret, elegantiæ duceret charissimos circumvenire. Alter erat Simon, non dispar crudelitate, quamvis inferior opum quantitate. Porro Titus exsecutor triumphi paterni cum valida manu ab Alexandria ad obsidionem Jerosolymorum est reversus. Obsedit eam igitur die solemni Paschæ, quo frequens eo turba Judæorum convenerat justo Dei judicio, ut qui in die Paschæ Salvatorem nostrum interemerant, in ipso velut in uno carcere conclusi, feralis pœnæ exitium, quod merebantur, exciperent. Denique cohortati sunt factionum viri conspirantibus studiis patriam defendere. Joannes in castro cui nomen Antonia præliabatur. Simon ad Joannis sepulcrum vicem tuendæ urbis suscepit. Judæis itaque audaciam desperatio dabat; Romanis gloriæ cupiditas virtutem addebat. Titus monebat militem consilio pugnare, et eam solam dicebat virtutem cui comes esset providentia. Cæsi sunt itaque multi mortales. Arietibus autem quatientibus, paulatim cadebat murus, et soluta parte prima murorum Judæi ad murum secundum concesserunt. Fugientibus ergo Judæis, Romani introierunt et murum exteriorem diruerunt. Erat civitas plena horroris. Ubique luctus, ubique pavor, clamor mulierum, ejulatus senum, morientium gemitus, viventium desperatio. Denique Cæsar admovere arietem ad murum secundum jubet. Tandemque vi insistentis Cæsaris solutus est murus secundus. Unus murus supererat, hic est tertius, cum jam Titus temperare militem jubet, suadet Judæis ne se incendiis urbis involverent; quæ jam armis teneretur, se veniam præstiturum, si modo vel sibi vel patriæ consulerent. Igitur triduo expleto, quia nihil a Judæis pacificum afferebatur, Titus mœnia aggreditur. Interea clausis infuderat se mirabilis fames. Itaque jam in occultis manducabant incocta cibaria, miserabilis esca, lacrymabilis cibus, parentes filiis, filiique parentibus de ipsis faucibus cibum eruerant. Sed quid opus etiam pondus hujus famis explicare? Cum ibi gestum sit facinus, quale nec apud Græcos, nec apud Barbaros ullos accepit auditus. Manebat in civitate mulier quædam infelix, quæ infantem suum necavit, assavit et comedit. Sed dum assaretur nidor incensi ad principes seditionis pervenit, quem fame cogente secuti, hospitium mulieris ingressi sunt. Compertum est itaque quod factum fuerat. Replevit continuo totam urbem tanti sceleris nefas, et unusquisque ante oculos positum particularis convivii cibum perhorrescebat. Sed et plerique horrore perterriti, ad hostem confugerunt. Quo comperto, Cæsar exsecratus infelicis terræ contagium, manusque elevans ad cœlum, talia protestabatur: *Ad bellum quidem, o commilitones, venimus, sed adversus homines belluis crudeliores decertamus. Feræ diligunt fetus suos, quos etiam in fame nutriunt. Hoc est ultra omnem acerbitatem, ut membra quæ genuit mater devoret. Ab hoc contagio me tibi mundus absolvo, quæcunque in cœlo potestas es. Scis enim quod pacem frequenter obtuli. O infelix civitas, in qua talis officina taleque ministerium est! Operiant eam ruinæ suæ, et abscondant hujus mundi contagium, ne sol videat, et ne stellarum spectet globus, aut maculentur aurarum spiracula. Thyestæas dapes fabulam putabamus, flagitium videmus, excedimus veritatem tragœdiis atrociorem. Maturius igitur bellum conficiamus, et exeamus terram exsecrabilem et perniciosam.* Et his dictis admovere muro arietes jubet. Evoluto igitur biennio postquam obsessa est civitas, victor Titus machinis et aliis bellicis instrumentis muros ejus irrupit, non tamen sine suorum sanguine. Rupto muro, solito terribilior increpuit sonitus tubæ. Titus audito fragore muri, et clangore tubæ exercitum suum jubet ad arma concurrere. Et jam hostes irruerant, jam cuncta turbaverant, fiunt vulnera super vulnera, gladius obtunditur ferri rigore. Cerneres sanguine tanquam fluvio inundari terram: ubique strages, ubique luctus, ubique periculum, ubique clamor, ubique desperatio. Verum nocte superveniente uterque requievit exercitus. Mane facto præcepit Cæsar januas templi argento opertas succendi. Volebat autem Titus templum reservare, sed cum principes dicerent radices rebellionis funditus evertendas, quidam de Romanis admovit ignem portæ templi, quæ vocabatur Speciosa, et liquefactua rigor lignum nudavit, ac deinde furor ignis ingrediens in penetrabilia templi sese proripuit. Flamma jam depascebat templi conclavia, et accurrit Titus cupiens cujusmodi ædes essent inspicere, cujus gratia motus præcellentiorem fuisse operibus templorum suorum fatebatur, et quia tam honestum non nisi summi Dei domicilium crederetur. Mirabatur saxorum magnitudinem, metalli nitorem, venustatem operis, gratiam pulchritudinis. Interea unus ex sacerdotibus sese dedit, et quædam vasa,

lucernas duas, mensas, crateras, phialas aureas, et peripetasmata templi. Phinees quoque custos gazophylacii comprehensus, ostendit sacerdotum purpuram moltam, coccum, et cinnamomum, et thymiamata, et aromata, et vasa, et vestem sacratam summi pontificis. Denique Joannes Tito se tradidit, et Simon a Rufo Terentio comprehensus, Tito est præsentatus. Concremata est igitur civitas, et murus ad solum usque dejectus. Denique Vespasianus et Titus magnificum de Judæis reportantes triumphum Romam ingressi sunt, et continuo in toto Romanorum regno pacem pronuntiaverunt. Itaque Vespasianum respublica Romana fato quodam ne penitus rueret assecuta est. Verum anno vitæ suæ septuagesimo serils joca, quibus delectabatur, admiscens interiit. Nam cum ventris eluvie fessus surrexisset: Stantem, ait, imperatorem excedere terris decet. Sicque exanimatus est, cui successit Titus filius ejus.

Cap. XI. *De Tito Vespasiani filio.*

Titus ad imperium sumptus imperavit annis duobus. Hic fuit omni genere virtutum mirabilis, et morum imperialium floribus adornatus. Qui in tantum facundissimus fuit, ut causas Latino poemate peroraret, tragœdias Græce componeret. Verum assumptæ dominationis decurso biennio cum ingenti suorum luctu apud Sabinos exanimatus est febre.

Cap. XII. *De Domitiano.*

Domitianus, Titi frater junior, imperavit annis quindecim, et mensibus sex. Iste Cattos et Germanos devicit, et Romæ multa ædificia construxit. Ipse ædificavit templum Pantheon, quod nunc in honorem omnium sanctorum est consecratum. Domitianus autem atrox factus multos illustres viros occidit, multos in exsilium misit. Inter quos et Joannem apostolum in Pathmos insulam relegavit exsilio. Porro Domitiani temporibus Clemens papa in Galliam viros ad prædicandum destinavit: Lugdunensibus Photinum, Narbonæ Paulum, Turonis Gratianum, Cenomanis Julianum. Verum Domitianus cum crudeliter populum in urbe Flaviarum, exercitum foris hostes cæderent, a senatu interfectus est, corpusque ejus caruit sepultura.

Cap. XIII. *De Nerva.*

Nerva ad imperium sublimatus primo edicto suo cunctos exsules revocavit, quos Domitianus exsilio damnaverat. Unde et beatus Joannes Ephesum rediit. Porro per Asiam pullulaverunt hæreses multæ Cerinthi, et Ebionis, et aliorum qui negant Christum in carne venisse. Quos apostolus Antichristos vocat. Igitur contra eorum pravitatem præfatus apostolus rogatu multorum scripsit Evangelium. Denique Nerva Cæsar reipublicæ multum consuluit, dum Trajanum virum strenuum sibi in filium adoptavit.

LIBER SEPTIMUS.

Tractat de imperatoribus a Trajano usque ad Constantinum Magnum; continet capitula viginti tria.

Cap. I. *De Trajano Cæsare.*

Trajanus igitur, genere Hispanus, apud Agrippinam urbem insignia imperii suscepit. Moxque Germaniam, et trans Danubium gentes multas superavit, et nationes trans Tigrim et Euphratem in provincias redegit, et usque ad Indiæ fines post Alexandrum Magnum accessit. Erat et dumi sanctitas, et in armis fortitudo. Hujus temporibus Joannes apostolus requievit. Ejusque temporibus ebulliente persecutione, Clemens papa in mare præcipitatus est, Simon filius Cleophæ crucifixus, Ignatius bestiis traditus et papa Alexander martyrio coronatus. Verum Plinius secundus, orator et historiographus, scripsit imperatori, præter confessionem Christi et honesta conventicula, Christianos nihil contrarium Romanis legibus facere, moxque Dei nutu Cæsar temperavit edictum. Hic Cæsar Trajanus denique apud Seleuciam, Isauriæ urbem, profluvio ventris exstinctus est.

Cap. II. *De Ælio Adriano.*

Ælius Adrianus, imperium adeptus, imperavit annis viginti unn. Hic erat musicus, geometra pictor, fictorque ex ære, atque factus, id est acerrimus ad provocandum, et respondendum serio, joco, maledictis. Hic edoctus per Quadratum et Aristidem scripsit epistolam ad Minutium proconsulem Asiæ nemini licere Christianum sine criminis objectione et probatione damnare. Judæos denique, provinciam Palæstinam quondam suam depopulantes, ultima cæde perdomuit, et Jerosolymam reædificavit, et Æliam de suo nomine appellavit. Cujus opera factum est ut loca sancta Dominicæ passionis, et resurrectionis quondam extra urbem jacentia, nunc urbis muro septentrionali circumdentur. Denique præcepit ne quis Judæus eam intraret, Christianis tantum urbe permissa. Floruit per idem tempus Aquila orator, et Aquila interpres.

Cap. III. *De Antonio Pio.*

Antoninus Pius proinde, ab Adriano adoptatus in filium, imperium est adeptus. Huic Justinus philosophus benignum erga Christianos reddidit. Porro Antonius ita tranquillus exstitit, ut merito Pius sit appellatus. Erat autem carens gloriatione et ostentatione. Ad hunc Indi, Bactriani et Hircani legatos

miserunt, justitia tanti imperatoria comperta. Decessit autem anno imperii sui vigesimo secundo. Floruerunt per idem tempus Galenus insignis medicus, et Justinus martyr, et Justinus philosophus.

CAP. IV. *De Marco Aurelio et Aurelio Commodo.*

Marcus Aurelius Antonius imperium consecutus, imperavit annis novemdecim, mensibus undecim. Ascivit autem ad imperii partem Aurelium Commodum propinquum suum. Hi ambo de Parthis triumphaverunt. Hac præterea tempestate quarta persecutio in Christianos distillavit. Verum persecutionem locs magna est secuta, quæ multas provincias vastavit, maxime Italiam. Ab armis denique nulla usquam quies, sed per omnem Orientem, Illyricum, Italiam, Galliam, bella fervebant. Sed Aurelius Commodus dum cum fratre veheretur in vehiculo, morbo, quem Græci apoplexian vocant, suffocatus est. Marcus autem Antonius novis conditionibus severiores leges temperavit. His denique diebus Marcomani, Quadi, Vandali, Sarmatæ, et omnes pene Germaniæ populi Quadorum finibus exercitum Romanum circumvallaverunt. Coarctatus igitur Romanus exercitus siti et hostis periculo in preces effusus, ad invocationem nominis Christi tantum inde pluviæ obtinuit, ut largissime reficeretur. Barbari vero fulminum ictibus perterriti, in fugam versi sunt. Floruerunt per idem tempus Hegesippus historiographus, et Theodotion interpres. Præterea imperator in Pannonia constitutus obiit, cui successit Lucius Aurelius Commodus filius ejus.

CAP. V. *De L. Aurelio Commodo.*

Aurelius Commodus imperavit annis tredecim. Hic luxuriæ deditus occidit plurimos senatorum. Imperatoris flagitia urbis pœna subsecuta est. Nam Capitolium fulmine ictum est, quod Romanam bibliothecam concremavit. His diebus facta est quæstio de Paschate, ut de celebrato concilio apud Cæsaream Palæstinæ statutum fuit ut in die Dominico celebretur. Porro Commodus cunctis incommodus, in domo Vestali strangulatus interiit.

CAP. VI. *De Ælio Pertinace.*

Ælius Pertinax a senatu imperator creatus, imperavit mensibus sex, quibus vix expletis, Juliani jurisperiti scelere in palatio interfectus est.

CAP. VII. *De Juliano.*

Julianus imperavit mensibus septem. Is apud pontem Milvium civili bello exstinctus est. His temporibus Africanus historiographus floruit.

CAP. VIII. *De Severo Cæsare.*

Severus igitur imperator creatus, natura sævus, multis præliis lacessitus, fortissime quidem, sed laboriosissimo rempublicam rexit. Hic Pheseeninum, qui in Ægypto et Asia ad tyrannidem aspiraverat, interfecit. Judæos et Samaritas coercuit. Parthos et Arabes superavit, et Claudium Albinum, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, occidit: et insulam Britanniam magnis præliis recepit. Verum hic quintam persecutionem in Christianos excitavit. Porro apud Eboracum obiit, et reliquit filios Bassianum et Getam. Floruit his temporibus Symmachus interpres.

CAP. IX. *De Aurelio Antonino Bassiano.*

Aurelius Antoninus Bassianus, Severi filius, imperium adeptus, imperavit annis septem; hic fuit libidine intemperantior patre, qui etiam novercam suam duxit uxorem. His temporibus Symmachus hæreticus prædicabat Christum ex Joseph semine esse natum et legem Judaico ritu custodiendam. Cæsar denique Aurelius Antoninus Bassianus contra Parthos egressus apud Edissam occisus est, cui successit nulla voluntate senatus Macer Macrinus, palatii præfectus.

CAP. X. *De Macro Macrino.*

Macer igitur Macrinus post Antonium invasit imperium, sed emenso anno interfectus est.

CAP. XI. *De Marco Aurelio Antonino.*

Marcus igitur Aurelius Antoninus Gabalus imperio potitus nullam sui, nisi obscœnitatis memoriam dereliquit. Hic tumultu militari Romæ exorto cum matre interfectus est.

CAP. XII. *De Alexandro Mammea.*

Alexander Mammeas, senatus et militum voluntate imperium adeptus, in Persas expeditione commota, Xerxem eorum regem victor oppressit. Cujus mater Mammea Christiana Origenem audire curavit. His quoque temporibus Tiburtius et Valerianus cum Cæcilia virgine Romæ martyrizati sunt. Porro Alexander apud Maguntiacum a Maximo filio interfectus est.

CAP. XIII. *De Maximo Julio.*

Maximus Julius, qui et Maximinus, imperium assecutus, propter Mammeam et Christianam Alexandri familiam, persecutionem in sacerdotes et clericos excitavit. Anno autem imperii sui tertio a Pupeieno tyranno Aquileiæ interfectus est. Pupeienus quoque cum imperium cum Balbino fratre suo usurparet, ambo in palatio cæsi sunt.

CAP. XIV. *De Gordiano.*

Gordianus, Romanum sublimatus in regnum, postquam adversus Parthos feliciter dimicasset, suorum fraude super Euphratem interfectus est. Floruit hac tempestate Africanus vir inter ecclesiasticos scriptores nominatissimus, Porphyrius quoque philosophus.

CAP. XV. *De Philippo qui et M. Julius et ejus filio.*

Philippus qui et Marcus Julius dicitur appellatus, imperator constitutus, anno ab Incarnatione Domini ducentesimo trigesimo septimo imperavit annis septem. Hic Philippum filium suum sui consortem fecit imperii, et primus imperatorum Romanorum exstitit Christianus. Verum ambo imperatores fraude Decii circumventi sunt et occisi.

CAP. XVI. *De Decio.*

Decius, Romanum postquam invasit imperium, ad prosequendos Christianos, unus post Neronem, feralia dispersit edicta. Denique non possumus evolvere quantæ multitudines hac persecutione furente

consumptæ sint. Hac præterea tempestate Novatus hæresim condidit, qui dicebat lapsorum in persecutione fratrum pœnitentiam non suscipiendam. Porro Decius, non totis duobus annis expletis, cum filio suo in occisio barbarorum interfectus est.

CAP. XVII. *De Gallo Hostiliano, et Volusiano filio ejus, et Æmiliano tyranno.*

Gallus Hostilianus cum Volusiano filio suo imperium adeptus, cum floreret in initio, sanctos viros, qui pro pace regni ejus supplicabant, persequi cœpit. Sed exorta perse utione, exorta est etiam ultio violati nominis Christiani. Nam nulla fere provincia Romana, nulla civitas, nulla domus fuit, quæ pestilentia evacuata non sit. Hac igitur sola pernicie insignes Gallus et Volusianus dum contra Æmilianum novis rebus studentem civile bellum moliuntur, occisi sunt. Æmilianus quoque tertio mense invasæ tyrannidis exstinctus est. Porro circa hos dies Origenes defunctus est.

CAP. XVIII. *De Valeriano, et Galieno.*

Valerianus ab exercitu in Rhetia imperator creatus est. Assumpsit autem Galienum quemdam nomine in consortium imperii. Porro Valerianus ita primum sanctos Dei venerabatur, ut domus ejus Dei esse Ecclesia crederetur. Sed depravatus postmodum per quemdam magum, fidem Christianorum detestari cœpit. Octavus denique a Nerone, adigi per turm eita Christianos ad idololatriam jussit. Verum per continuis hujus non est impunit ite gavisus. Nam postquam Christianos interfici jussit, subito solutæ barbaræ gentes laxatis habenis fines Romanorum ingrediuntur. Græcia et Macedonia, Pontus et Asia Gothorum invasione perduntur. Germani Ravennam usque perveniunt. Alemanni Gallias ingrediuntur. Quadi et Sarmatæ Pannoniam depopulantur. Parthi Mesopotamiam auferunt. Postumus in Gallia tyrannidem invasit, quam decem annos tenuit. Sed postea sumrum seditione militum peremptus est. Ad extremum vero Valerianus a rege Persarum Sapore captus, donec vixit, hanc infamis officii pœnam tulit, ut acclivis homi, non manu, sed dorso regem ascensurum in equum attolleret. At Galienus, tam claro Dei judicio territus, solus rerum summam assecutus lenius agere cœpit, et pacem Ecclesiis condonavit. Statimque ira Dei in misericordiam versa est; et Æmilianus tyrannus, cum apud Maguntiacum res novas moliretur, occisus est; et Marius, qui in Galliis Posthumi post mortem imperium invaserat, interfectus est; et Victorinus, Cæsar a Gallis creatus, oppressus est. In Oriente quoque per Odenatum victi Persæ, et defensa Syria, et recepta etiam Mesopotamia. Denique Galienus imperatur Claudio succedente defunctus est.

CAP. XIX. *De Claudio et Quintilio.*

Claudius, vir strenuus et moribus probus, imperator creatus, Gothos, jam per annos quindecim Illyricum Macedoniamque vastantes, magna strage coercuit. Unde illi in curia clypeus aureus, et statua simul equestris erecta est. His diebus Paulus quidam hæreticus indigna de Christo sentiens prædicabat eum hominem communis naturæ fuisse, et de terra initium sumpsisse. Verum Claudio imperatore defuncto, Quintilius frater ejus ab exercitu est electus, et in solio sublimatus, sed septimo dio imperii sui interfectus occubuit.

CAP. XX. *De Aurelio, seu Aureliano, et Tacito, et Floriano imperatoribus.*

Aurelius, vir industriæ militaris experientissimus, imperium adeptus, Gothorum gentem diris præliis profligavit, ditionemque Romanam antiquis terminis stabilivit, et Syriam totam et receptam sibi vindicavit. His diebus apud Antiochiam celebre est concilium aggregatum, in quo præfatus Paulus convictus, et damnatus est. Verum cum exire de domo Ecclesiæ nollet, interpellatus est Aurelianus, qui eum vi publica præcepit expelli. Nondum enim erat Aurelianus pravis depravatus consiliis, quibus processu temporis bonum propositum mutavit. Sed cum piorum sanguinem impiissimus funderet Aurelianus, inter Constantinopolim et Heracliam divinitus est exstinctus. Quo defuncto Tacitus imperavit mensibus sex. Et hoc in Ponto interfecto, Florianus Romanum adeptus est imperium. Qui et ipse imperii sui tertio mense apud Tarsum est occisus.

CAP. XXI. *De Probo.*

Probus, denique, sortitus imperium, Gallias jamdudum a barbaris occupatas, per multa bella tandem deletis hostibus liberavit. Egit duo e vilia bella, unum in oriente, quo Saturnum tyrannum oppressit, et alterum quo Proculum et Bonosum apud Agrippinam coloniam interfecit. Hac præterea tempestate quidam Manes, genere Perses, acer ingenio, vita et moribus barbarus, Paraclitum se nominabat. Ab hoc diffusa est hæresis Manichæorum. Hic asserebat duo esse principia, unum boni, et alterum mali. Porro Probus imperator apud Sirmium militari tumultu necatus est.

CAP. XXII. *De Caro Narbonensi, et Numeriano.*

Carus Narbonensis potitus imperio, cum filios suos duos consortes regni fecisset, ad bellum Parthicum profectus, in castris fulmine ictus interiit. Numerianus vero, qui cum patre profectus fuerat, inde rediens Apri soceri sui fraude necatus est.

CAP. XXIII. *De Diocletiano et Maximiano imperatoribus*

Diocletianus igitur ab exercitu imperator electus, Numeriano perempto, anno Incarnationis Dominicæ ducentesimo septuagesimo sexto, imperavit annis ferme viginti. Hic imperator factus Aprum Numeriani interfectorem manu sua interfecit, et Carinum Numeriani fratrem apud Dalmatiam occidit. His diebus Amandus et Elianus in Gallia, collecta rusticorum manu, perniciosus tumultus excitaverunt. Unde Diocletianus Maximianum Herculeum Cæsarem elegit, et in Galliam destinavit, qui facile rusticam manum virtute militari compescuit: sed in ipso itinere Thebæa legio Heduno loco Galliæ a Gauno sub præfato Maximiano pro Christo libenter occu-

buit. Anno autem decimo nono imperii Diocletiani, dum prosperis incrementis Ecclesia Dei per universum orbem dilataretur et cresceret, subito persecutionis turbo increpuit. Et hæc persecutio eousque flagravit, ut etiam Oceani limbum transiret, et semel cœpta rabies usque ad septimum Constantini Magni annum fervere non cessavit. Hac præterea tempestate octodecim millia martyrum passi sunt intra Romam. Sed dum ista geruntur, graves per omnes fines Romani imperii rebellionum fragores concrepuerunt: Carausio rebellante in Britannia, et Achilleo in Ægypto, cum et Quinquagentiani Africam infestarent, et Narseus rex Persarum Orientem bello premeret. Quo periculo motus Diocletianus Maximianum Herculeum ex Cæsare fecit Augustum; Constantium vero, et Maximianum Galerium Cæsares elegit. Porro Carausius fraude Alecti socii sui est occisus. Alectus per Asclepiodotum præfectum est oppressus. Alemanni quoque, qui et ipsi rebellaverunt, per Constantium Cæsarem sunt devicti. Et Quinquagentiani per Maximianum Augustum sunt edomiti. Diocletianus apud Alexandriam interfecit Achilleum. Maximianus Galerius bino cum Narseo congressu habito, tertius victus aufugit sed iterum in hostem reversus magnis eum viribus superavit. Denique Diocletianus ab invito exegit Maximiano, ut simul imperium deponerent, ac junioribus substitutis, ipsi in privato habitu consenescerent. Itaque sub una die Diocletianus apud Nicomediam, Maximianus apud Mediolanum purpuram deposuerunt. Tunc Galerius Maximianus, et Constantius Augusti, in duas procurationes, Orientis scilicet et Occidentis, Romanum imperium primi diviserunt, et Galerius Maximianus Illyricum, Asiam et Orientem. Constantius vero Galliam Hispaniamque possidebat. Maximianus autem gravissimam persecutionem in Christianos excitavit. At Constantius mitius se agebat, et cultores Christi veneratione habebat. Unde Dei gratia matura prædictorum subsecuta est perditio tyrannorum. Nam Herculeus Maximianus imperium, quod abjecerat, iterum arripere volens, a Constantino nondum imperatore Massiliæ exstinctus est. Galerius autem Augustus Severum Cæsarem ad Italiam cum exercitu misit. Ubi cum Urbem possideret, militum suorum scelere desertus et proditus, Ravennæ exstinctus est. Diocletianus quoque, sicut jam dictum est, regia dignitate deposita, Salonæ defunctus est. Constantius denique strenuissimus imperator Eboraci deficiens, anno imperii sui decimo quinto, ordinavit Licinium Cæsarem Hispaniarum, et Constantinum filium suum Cæsarem Galliarum

LIBER OCTAVUS

Tractat de imperatoribus a Constantino Magno usque ad Zenonem; continet capitula XIV.

Cap. I. *De Constantino inquam Magno.*

Constantinus igitur Magnus, Constantii moderatissimi, et egregii principis filius, in Britannia Dei nutu imperator constitutus, imperavit annis triginta duobus. In Orientis autem partibus regnabat Maximianus Galerius adhuc Augustus; Romæ autem a prætorianis militibus Maxentius, Maximiani Herculei filius, imperator erat constitutus; qui postea in tanta fece vitiorum versabatur, ut nihil diri facinoris ab ejus vita vel actibus esset alienum. Igitur cum septimum annum in imperio suo perageret Constantinus, adversus Maxentium conspirante secum collega suo Licinio bellum paravit. Et cum multa de imminentis belli necessitate pertractaret, vidit per soporem in cœlo signum sanctæ crucis το ταυ, id est *Thau*, et angelos sibi assistentes, et dicentes; *In hoc signo vinces.* Et evigilans signum, quod viderat, in vexillo depinxit militari, et cum non procul a ponte Milvio castra posuisset, Maxentius furia instigatus ab Urbe per pontem navigiis compositum egressus, hostiliter ei occurrit. Cumque utrinque acriter pugnaretur, et exercitus Maxentii virtute sanctæ crucis prosterneretur, ad Urbem fugiendo remeare volens Maxentius, pontem quem diximus navigiis compositum, ascendit, et continuo subsedere naves, et ipse lapsu equi, in profunda alvei demersus interiit. Tunc Constantinus Romam triumphans ingreditur et ita totius Occidentis imperium, cum ad Constantinum, tum ad Licinium pervenit. Tamen adhuc regnabat in Orientibus partibus Maximianus, vir impius, et mente ferox, quem Licinius Roma digressus expugnare paravit. Et cum jam ferro Licinii cecidisset exercitus Maximiani, pars quæ supererat Licinio se subdidit, et Maximianus turpiter fugit. Verum dum reparasset exercitum, et secundo vellet cum hoste confligere, dolore internorum viscerum correptus est, ac demum luminibus morbo amissis vivendi finem fecit. Interea Constantinus valida squaloris lepra perfunditur, et cum a medicis curari non posset, sacerdotes Capitolii dixerunt illi debere fieri piscinam in Capitolio, et impleri sanguine innocentum, et calente eo lotum posse sanari. Sed aggregatis innocentibus, dum pius princeps matrum lacrymas vidit, et ejulatum audivit, illico facinus exhorruit, et propitiatus eorum pueros jussit restitui matribus suis. Transacta autem die, apparuerunt ei in somnis apostoli Petrus et Paulus dicentes ei ut advocaret de monte Soracte Sylvestrum papam, quia

ipse ei ostenderet piscinam, in qua lavaretur et sanaretur. Advocatus itaque papa fidem Christi illi exponit, et credentem baptizavit, et egrediens de fonte Constantinus lepra corporis et animæ pariter est curatus. Constantinus igitur Magnus, Christianus effectus, per totum Romanum imperium, publico præcepit edicto ut templa idolorum clauderentur et Ecclesiæ ædificarentur. Denique incredibile est memoratu quam brevi ejus studio sancta late per totum orbem creverit Ecclesia. Porro Licinius invidia stimulatus dissidium moliebatur, hoc in querelam revocans, quod non ita pro se sicut pro Constantino Christiani solemnibus orationibus excubarent. Sed postquam intelligit molimina sua parum prodesse, manifeste imperatori bellum indixit. Factaque congressione, in Bithynia circa Chrysopolim victus est Licinius et comprehensus, atque apud Thessalonicam capite truncatus. Sicque Constantinus Dei nutu soliditatem Romani imperii solus obtinuit. Post hæc ædificavit Constantinus Byzantium maritimam urbem, vocavitque Constantinopolim de nomine suo; Urbem vero Romam cum palatio suo, quod Lateranense dicitur, concessit apostolis Petro et Paulo, et sancto papæ Sylvestro, et Constantinopolim imperialem sedem constituit; dignitate tamen Romani imperatores appellati sunt successores usque ad tempus illud, quo Romanum imperium ad reges Francorum translatum est. Postea enim ii, qui apud Constantinopolim imperabant, Græcorum potius imperatores sunt vocati. Exinde namque series temporum per reges Francorum supputatur. Porro Constantinus sancivit ut omnia quæ ad ecclesiasticum ordinem pertineant, Romani episcopi judicio dispositionem accipiant. Helena quoque mater ejus magnificentia singularis, divinis admonita visionibus, Jerosolymam petiit, lignum Dominicæ crucis exquisivit, et mirifice per mortui cujusdam ad vitam revocationem invenit. Sed et Constantinus prohibuit ista lege crucis supplicium, quod apud Romanos erat in usu, et figuratione solidorum illud jussit inscribi. Erat per idem tempus apud Antiochiam hæreticus quidam presbyter, nomine Arius, qui prædicabat Filium in divinis creaturam esse, et Spiritum sanctum ab eo creatum. Addebat etiam quod erat tempus quando Filius ipse non erat. Quod audiens Constantinus congregari fecit synodum apud Nicæam Bythiniæ urbem anno Incarnationis Dominicæ trecentesimo decimo sexto, conveneruntque eo trecenti decem novem episcopi. In qua synodo definitum est Filium Patri esse consubstantialem, et Arius damnatus est, et ab Ecclesiis segregatus. Floruit per idem tempus inter cæteros anachoritas seu eremicolas Paulus in Ægypto homo Dei. Sanctus quoque Evortius Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, qui in Galliam perquirendorum germanorum suorum causa tunc forte venerat, in Ecclesia Aurelianorum coram clero et omni populo tertio per columbam demissam cœlitus, qui in episcopum eligeretur, designatus, eidem Ecclesiæ pontifex consecratur. Porro sæpe nominatus Constantinus anno ætatis suæ sexagesimo quinto defunctus est. Qui donec vixit habitum suum gemmis, et caput suum perpetuo exornavit diademate. Nutrivit præterea semper bonas artes, sed præcipue litterarum studia, legebat et ipse, scribebat, et meditabatur. Cui successerunt tres filii sui, Constantinus Romæ, Constantius Constantinopoli, Constans Antiochiæ. Isti sunt autem, qui post Constantinum Magnum diviso imperio Romæ et Constantinopoli regnaverunt. Romæ Constantinus, Julianus Apostata; Romæ et Constantinopoli Jovinianus. Romæ et Constantinopoli Valentinianus, Gratianus, Theodosius. Romæ et Constantinopoli Honorius, Valentinianus, Maximianus, Avitus, Majoranus, Athemius, Olybrius, Glycerius, Nepos, Augustulus, Odoacer, Theodericus, Athalaricus, Theodatus, et Vitigis, Totila. Constantinopoli Constantinus, Julianus Apostata. Constantinopoli et Romæ Valens, Valentinianus, Theodosius. Constantinopoli et Romæ Arcadius, Theodosius, Martianus, Leo primus, Leo secundus, Zenon, Anastasius, Justinus, Justinianus.

CAP. II. *De Constantio, Constantino et Constante fratribus.*

Constantius igitur, post patris obitum Romanum adeptus imperium, imperavit annis viginti quatuor. Hic, ut factus est imperator, depravatus est per necessarios suos a catholica fide; cujus præsidio fulti Arianorum episcopi prosperitatem Ecclesiæ domestica turbatione vastaverunt, et plerosque catholicos viros sibi viriliter pro fidei justitia resistentes exsilio damnaverunt. Denique Constantinus Constantinopolitanus Augustus in suburbio Nicomediæ defunctus est. Constans quoque frater ejus, dum se intolerandis vitiis tradidisset, Magnetii tyranni dolo necatus est. Mortuo vero Constante, advocavit Constantius Augustus Julianum quemdam nepotem Magni Constantini, et constituit eum Cæsarem Galliarum. Julianus itaque factus Cæsar devicit Gallos mira felicitate, et cum militibus esset gratus, appellatus est ab eis Augustus. Quo nomine spreto Constantio Augusto, Italiam et Illyricum pervasit. Quod audiens Constantius expeditione belli Parthici derelicta, venit contra illum. Sed in itinere defunctus est anno vitæ suæ quadragesimo quinto. Quo defuncto, Julianus Constantinopolim veniens factus est imperator. Hac præterea tempestate nata est hæresis Anthropomorphitarum. Cujus auctor Audes quidam exstitit, qui dixit formam habere divinitatem, et corporis partibus Deum esse distinctum, quod catholicæ contrarium est doctrinæ.

CAP. III. *De Juliano Apostata.*

Julianus igitur Apostata, factus imperator, reseravit templa gentilium, et factus est Christianorum cæteris persecutoribus callidior persecutor. Porro militiæ cingulum, et procurationem provinciarum, officium jurisdicendi, Christianis non debere committi dicebat, utpote quibus lex propria gladio uti vetuisset. Unde militibus publico postmodum præcepit edicto, ut aut idolis sacrificarent, aut militiæ cede-

rent. Verum quidam catholici officium militiæ quam fidem zelo Dei deserere maluerunt. Peridem tempus Valentinianus, qui postea factus est imperator, zelum, quem proprietate habuit, non celavit. Quadam namque die dum templum ingrederetur Augustus, et minister aqua ingredientes aspergeret, Valentinianus, videns guttam unam in chlamyde sua, pugno ministrum percussit, dicens se illa aspersione potius maculatum quam mundatum. Quod cernens Julianus, jussit eum in custodiam recipi, ac demum ad eremum destinari. Sed cum annus et pauci pertransissent dies, ille pro mercede confessionis imperium recipit. Denique Julianus, impudenter baptisma diluens sanguine sacrificiorum, cuncta faciebat quibus dæmones placari solent. Ipse quoque in Athanasium persecutionem fecit, sed eum Dei nutu comprehendere nequivit. His præterea diebus passi sunt Romæ Joannes et Paulus martyres Christi, sed et apud Sebasten Palæstinæ urbem sancti Joannis Baptistæ sepulcrum populus paganorum funestis manibus effregit, et ejusdem martyris reliquias concremavit, et pulveri immistas per agros sparsit. Adfuere tamen quidam peregrini de Jerosolymis, qui pauca ossa incendio furtim subtraxere, et secum redeuntes devexere. Denique Julianus ad bellum Parthicum profecturus, amplius effrenata rabie in Christi cultores desævire cœpit. Sed cum a Ctesiphonte castra movisset, et jam pugnaturus exercitum ordinaret, incertum a quo ventre sauciatus, ponitur et dum moreretur, cœpit Christum Deum blasphemare, dicens: *Vicisti, Galilæe, vicisti.* Atque in his verbis scelestus exspiravit.

CAP. IV. *De Joviano.*

Jovianus imperium consecutus imperavit mensibus octo, qui cum violenter post Juliani necem a militibus ad imperium traheretur, dixit non se velle paganis hominibus imperare, cum ipse esset Christianus. Cumque vox omnium proclamasset, dicentium se quoque esse Christianos, suscepit imperium. Pepigitque fœdus cum Sapore rege Persarum, et Nisibim oppidum, partemque superioris Mesopotamiæ ei concessit. Muxque Persarum rex forum venalium rerum illi in deserto præparari fecit. Et ita Jovinianus de medio hostium Romanum exercitum eduxit illæsum. Verum cum ad Illyricum per Galatiam remearet, in quamdam cubiculum novum sese recepit, ubi calore prunarum, et nidore parietum nuper calce illitorum prægravatus et suffocatus, octavo mense imperii sui vitam finivit. Et tam pia atque tam læta principia mors immatura corrupit.

CAP. V. *De Valentiniano Magno.*

Valentinianus Magnus, cujus supra meminimus, voluntate militum apud Nicænam urbem imperator creatus, imperavit annis undecim. Iste Valentem fratrem suum sibi in consortium regni assumpsit, et sibi quidem occiduas retinuit, fratri vero suo orientales partes regendas concessit. Verum Valens conjugis suæ seductus est alloquio in hæresim Arianorum, cum esset ante fide Catholicus et secundo baptizatos est ab Eudoxio episcopo Ariano, qui Constantinopolitanæ urbis tabernacula tenere videbatur. Qui ipso baptismate jurejurando obligavit miserum Valentem, ut in impietate permaneret, et contraria sapientes expelleret. Sed mal quam insectationem diu texit, nec vivente fratre voluntati potestatem admiscuit, illius auctoritate compressus. His diebus Auxentius Ariani dogmatis assertor, qui Mediolanensium diu tenuerat præsulatum, sero defunctus est. Cui Ambrosius adhuc catechumenus vir consularis per vocem infantis in concione designatus subrogatur. Interea Valentinianus, Christi cultor, Saxonum gentem virtute terribilem oppressit, et Alanos adeo contrivit, ut eam Meotidas paludes espetere compelleret. Sed rursus eos illuc insecutus, dum situ et difficultate locorum impediretur, Trojanos, qui Sicambriam inhabitabant, sibi in auxilium evocavit. Quibus decennio tributa, si auxiliarentur, indulsit. Qua promissione animati, cum essent locorum gnari, eos facile a palude perturbaverunt. Quorum virtutem admiratus Augustus, Francos a ferocitate eos appellavit. Quorum originem vel successionem inferius latius explicabo. Floruit per idem tempus sanctus Martinus Turonensium episcopus. Denique Valentinianus Augustus anno regni sui undecimo apud Brigitionem oppidum defunctus est. Quo vita privato, milites Italiæ assumentes Valentinianum filium ejus quam teoerrimum, ad imperium provexerunt, fratre ejus Gratiano superstite et Valente eorum avunculo.

CAP. VI. *De Valente.*

Valens ergo, Deo odibilis imperator, post decessum fratris cum nepotibus suis Gratiano et Valentiniano minore imperavit annis quatuordecim. Porro Justina, hujus Valentiniani mater, Arianam, malignam sectam, quam Valentiniano marito suo virente celaverat, eo defuncto detexit, et orthodoxos lædere cœpit. Tentavit denique sanctum Ambrosium in exsilium mittere. Sed dum ille indicto reginæ exire de Ecclesia nollet, cœpit Justina populum adversus eum inflammare. Sed et populo tanta erga Ambrosium fuit observantia et in charitate perseverantia, ut animas quam episcopum mallent amittere. Unde illa sibi injuriam factam existimata, apud filium cœpit conqueri. Tunc adolescentulus, querimonia matris inflammatus, exercitum misit qui ecclesiam obsideret, ut eam nemo catholicus ingrederetur. Sed omnipotens Deus corda militum ad ecclesiæ munimentum convertit; egredi quidem non sinebant, ingredi vero non prohibebant. Ambrosius vero cum orthodoxis, qui intra Ecclesiam tenebantur inclusi, jejuniis et continuis vigiliis Deo vacabat. Qua occasione vigiliæ, hymni et antiphonæ in Ecclesia Mediolanensi primum cœperunt celebrari, cujus celebritatis consuetudo inde per omnes provincias emanavit.

Sed dum hæc in Italia geruntur, Valens, Deo odibilis imperator in Orientis partibus crudeli præcepit

edicto, ut monachi militarent, et nolentes jussit interfici. Qua persecutione furente, multa sanctorum agmina monachorum pro Christo cæsa referuntur. Et cum pene omnes Orientis Ecclesias pastore nudasset, in Cæsaream Cappadociæ venit, ubi Basilium Magnum ejusdem urbis episcopum et per se et per præfectum suum promissis et terroribus ad Arianam perfidiam tentavit inclinare. Sed cum eum a rectitudine fidei flectere non valeret, in exsilium eum mittere decrevit. Cumque legem, quam de ejus exsilio scribi præceperat, manu propria roborare voluisset, tertio in manibus ejus calamus est confractus. Tunc ejus animo terrore completo, ambabus manibus chartam rupit. Verum anno imperii Valentis decimo tertio, quatuor Scythiæ gentes, id est Gothi, Hypogothi, Gippedes, et Vandali una lingua utentes, et nihil aliud nisi tantum nomen mutantes, bipartito agmine Danubium transierunt. Siquidem gens Hunnorum eos ab antiquis eorum sedibus expulerat. Præerant his gentibus duo duces, Frigidernus et Athalicus. Qui cum inter se dissiderent ac bello desævirent, Athalicus ad Valentem confugium fecit. Valens autem memorato Athalico adversus Frigidernum auxilium tulit. Itaque Valentis Augusti fretus auxilio Frigidernum Athalicus superavit. Cujus beneficii gratia Gothi simplices poposcerunt, ut eis episcopi, a quibus regulam fidei discerent, mitterentur. Tunc Valens usus maligna pravitate doctores Ariani dogmatis misit eis, a quibus prima rudimenta fidei susceperunt. Sed et Vulfila quidam eorum episcopus, cujus episcopi verba quasi leges immobiles conservabant, Gothicas litteras adinvenit, et utrumque Testamentum in linguam propriam transtulit, et secundum Arianorum sectam depravavit. Ipsi denique Gothi post modicum interva lum avaritia Maximi ducis fame compulsi, a Valente defecerunt, et per Thraciam sese diffuderunt. Contra quos Valens egressus de Antiochia bellum instructissimum paravit. Ubi statim primo congressionis impetu, conturbatæ equitum turmæ nuda peditum deseruere præsidia. Moxque legiones eorumdem peditum equitatu hostium undique cinctæ, sagittarum nubibus obrutæ perierunt. Ipse vero imperator sauciatus cum in cujusdam villulæ casa lateret absconditus, ab insequentibus hostibus deprehensus, subjecto igne casæ consumptus est decimo quinto imperii sui anno.

CAP. VII. *De Gratiano et Valentiniano.*

Gratianus, Valentiniani filius, Valente defuncto imperavit cum fratre suo juniore Valentiniano annis sex. Iste fuit vir catholicus, et modestus, et admodum litteratus, parcus quoque cibi, et libidinis victor. Sed cum exercitum suum negligeret, et Romanis militibus paucos ex Alanis, quos auro sibi devinxerat, anteferret, in Africæ partibus Firmus quidam excitatis erga se Maurorum gentibus purpuram sumpsit, et Africam et Mauritaniam devastare cœpit. Cæsaraugustam etiam Hispaniæ civitatem nobilissimam dolo captam barbaris in prædam dedit. Quod audiens Gratianus Augustus, et considerans afflictum et desolatum reipublicæ statum, accersivit ab Hispania Theodosium virum moribus et ætate maturum, et militia strenuum. Iste siquidem nuper, a Valentiniano Magno ad Hispaniam destinatus, effusas Maurorum gentes per Africam et Mauritaniam multis præliis edomuerat. Hunc igitur virum propria virtute nominatissimum Gratianus contra Firmum ordinavit imperatorem. Theodosius autem, mox ut factus est imperator, subactis barbarorum gentibus in Oriente, Thraciam ab omni bellorum strepitu liberavit. Sed et Gratianus Hunnos et Gothos magnis præliis superavit, et urbem Constantinopolim victor intravit. Interea vero in Britanniæ partibus Maximus quidam, vir strenuus et imperio dignus, si non contra rempublicam aspirasset, tyrannidem arripuit. Cujus præfectus Andragatus Gratianum dolo et insidiis interfecit. At Valentinianus, fratris nece comperta, fugit in Illyricum, dicens quod hoc malum matris causa, quæ Ariana erat, sustineret. Theodosius vero Archadium suum filium apud Constantinopolim imperatorem relinquens, ad vindictam Gratiani properavit. Et dum ad Italiam venit, occurrit ei Valentinianus. Quem Theodosius paterna pietate suscepit, ac demum Alpes transmeavit, et Maximum cepit et occidit. Andragatus vero, Maximi nece comperta, præcipitem sese in undas dedit. Igitur Valentinianus junior in regno constitutus, exstincto Maximo, ejusdem filium victo, quem imperatorem Gallis Maximus reliquerat, ipse in Gallias se recepit, ubi cum tranquillam rempublicam in pace ageret, apud Viennam dolo Arbogastis comitis sui, ut ferunt, strangulatus est. Mortuo igitur Valentiniano Augusto, Arbogastes Eugenium tyrannum mox imperatorem creare ausus est. Legit itaque hominem, cui cingulum imperatoris imponeret ipse acturus imperium. Moxque vir ille animo barbarus, cum filio manu, audacia, potentiaque nimius, contraxit innumeras copias vel Romanorum præsidiis vel auxiliis barbarorum alibi sibi potestate, alibi vero cognatione subnixas.

CAP. VIII. *De Theodosio Magno.*

Theodosius igitur Magnus, Gratiano imperatore defuncto, imperavit annis quindecim. Porro, sicut dictum est, interfecto juniore Valentiniano, Eugenius et Arbogastes instructas acies campis expedierant, et Alpium alta latera, inoperviosque transitus præmissis callide insidiis occupaverant, etsi numero vel viribus impares, sola tamen belli positione victores. At vero Theodosius in summis Alpibus constitutus, expers somni ac cibi, sciens quod destitutus a suis, nesciens quod clausus alienis, Dominum Christum solus solum qui possit omnia, corpore humi fusus, mente cœlo fixus orabat. Deinde autem postquam insomnem noctem precum continuatione transegit, et testes, quas in precium præsidii cœlestis appenderat, lacrymarum lacunas reliquit, fiducialiter arma corripuit. Solusque sciens se esse

non solum, signum crucis prælio dedit, ac se in bellum, etiam si nemo sequeretur, victor immisit futurus. Prima salutis via exstitit Arbitio hostilium psctlum comes. Qui cum ignarum imperatorem circumpositis excepisset insidiis, conversus ad reverentiam præsentis Augusti, eum non solum periculo liberavit, verum etiam instruxit auxilio. At ubi ad contigua miscendæ pugnæ spatia perventum est, magnus turbo venturum in ora hostium irruit, ferebanturque per aerem spicula nostrorum, atque ultra mensuram humani ictus per inane deportata nusquam cadere, priusquam impingerent, sinebantur; et quæ ipsi vehementer intorserant, excepta venti impetu supinata retrorsum, ipsos infeliciter configebant. Prospexit itaque sibi humanæ conscientiæ pavor. Nam enatuum sese, parva suorum manu fusa, victuri Theodosio hostilis prostravit exercitus, Eugeniusque captus atque interfectus est. Arbogastes vero sua sese manu peremit. Sicque horum duorum sanguine bellum civile restinctum est. Denique fidelissimus imperator contra errorem gentilium insurgens, eum funditus evertere curavit. Lege igitur lata præcepit idolorum templa solo tenus everti. Nam usque ad ejus tempora ad aras idolorum ignis accendebatur, et libamina atque sacrificia querebantur. Sed hæc omnia Theodosius, catholicus imperator, exstirpare radicitus imperavit, evellit, corripuit et condemnavit. Porro Theodosius imperator bene jam tranquilla republica apud Mediolanum ægritudinem incurrit. Qua ingravescente quietem naturalis mortis invenit anno regni sui decimo sexto, vitæ vero suæ quadragesimo. Floruit per idem tempus Hieronymus presbyter, post Septuaginta divinæ legis interpres.

CAP. IX. *De Arcadio et Honorio principibus.*

Arcadius imperator Theodosio patre defuncto, potitus imperio cum Honorio fratre suo imperavit annis tredecim. Verum Arcadius imperabat in partibus Orientis, et Honorius in partibus Occidentis. Utriusque tamen cura palatii duobus potentissimis viris credita manebat, Rufino et Stiliconi. Porro milites, qui contra Eugenium tyrannum vivente Theodosio imperatore profecti fuerant, cum præfato Rufino principe Constantinopolim reversi sunt. Quibus dum secundum consuetudinem ad portas occurrisset imperator, statim milites præfatum Rufinum interemerunt; erat enim suspectus imperatori, quasi qui tyrannidem posset assumere. Præfectus autem Stilico comes Gothos, Alanos, Vandalos, atque Burgundiones in arma sollicitans Gallias bello pulsare cœpit, sperans sub hac necessitate Eleutherio filio suo posse Romanum imperium tradere. Quod ubi imperatori Honorio patefactum est, jussit eum interfici. Occisus est quoque in illis diebus Eleutherius filius ejus. His itaque transactis rex Gothorum Romam obsedit, et cœpit, dato prius præcepto, ut si qui in loca sancta confugissent, liberi et inviolati persisterent. Et non multo post Alaricus, qui et Athalaricus defunctus est. Cui successit Athaulphus ejus propinquus, qui et ipse Romam irrupit, in qua irruptione Placidiam Theodosii filiam; Arcadii et Honorii germanam, captivam abduxit, et eam sibi matrimonio copulavit. Quod postmodum reipublicæ valde profuit. Nam idem Athaulphus satis domino fideliter Augusto Honorio militavit. Arcadius vero imperator postquam cum patre Theodosio tredecim annis, et cum fratre Honorio quatuordecim imperasset, relicto Theodosio octo annorum filio defunctus est. Sub quo orta est hæresis Priscillianistarum, qua qui involvuntur, astruere conantur fatalibus stellis homines colligatos. Pelagiana quoque hæresis, qua qui polluuntur, destruere conantur orationes quas facit Ecclesia pro fidelibus.

CAP. X. *De Honorio et Theodosio juniore imperatoribus.*

Honorius igitur imperator Arcadio defuncto imperavit annis sexdecim cum Theodosio nepote suo; sed Honorius, sicut jam dictum est, partes regebat Hesperiæ, Theodosio vero Arcadii filio subjacebant orientales provinciæ. Porro Athaulphus rex Gothorum, cujus supra meminimus, apud Barcinonam, Hispaniæ urbem, dolo suorum occisus est, cui Segericus successit, qui pacem optimam cum Honorio imperatore constituit, et Placidiam ejus sororem secum honeste habitam ei restituit. Honorius autem illam Constantio comiti desponsavit, et eum apud Ravennam imperatorem ordinavit. His vero diebus Lucia(?) na venerabili presbytero revelatum est corpus protomartyris Stephani. Floruit quoque per idem tempus Augustinus Hipponensis Ecclesiæ episcopus, doctorque egregius. Verum Honorius transactis decem annis, quibus cum Arcadio fratre suo imperaverat, et aliis quindecim, quibus imperaverat cum Theodosio nepote suo rebus humanis excessit. Quo defuncto, Joannes quidam tyrannus Hesperiæ invasit imperium. Sed hunc Ardaburens patricius, a Theodosio missus, intra Ravennam interfecit. Assumpsitque Theodosius Valentinianum puerum supradictæ Placidiæ, et Constantini filium, et coronavit eum, et cum matre sua Placidia ad Italiam destinavit, illumque imperatorem, et Placidiam designavit Augustam.

CAP. XI. *De Theodosio juniore et Valentiniano principibus.*

Theodosius igitur junior imperavit cum Valentiniano annis viginti uno. Per idem tempus gens Saxonum ad Britanniam tribus longis navibus applicuit, et totam pene insulam ab orientali parte usque ad occidentalem occupavit. Tunc etiam quoniam Pelagiana hæresis Anglorum maculaverat fidem, Gallicani episcopi Germanum Antissiodorensem, et Lupum Trecassionorum insignes episcopos ad eamdem hæresim exstirpandam direxerunt. Eo quoque tempore Eudoxia, Theodosii filia, Valentiniani uxor, imperatrix attulit catenas, quibus quondam ab Herode sanctus Petrus ligatus fuit. His etiam diebus in urbe Constantinopolitana quidam episcopus, Ne-

storius nomine, eloquentia sæculari præditus, contra catholicam dogmatizavit fidem, sanctam Mariam non esse Dei genitricem, et hominem purum de ea natum, sed postea homini Deum fuisse permistum. Unde collecta est Ephesi tertia sancta synodus, papa Cœlestino jubente. Convenerunt patres ducenti, et ibi Nestorius est damnatus, et anathematizatus, et firmatum ut beata Maria Theotocos, Θεοτόκος, id est Mater Dei appelletur. Floruit per idem tempus sanctus Mamertus Viennensium episcopus, qui tres dies Rogationum instituit. Verum Theodosius Augustus Constantinopoli est defunctus anno imperii sui quadragesimo secundo.

Cap. XII. *De Martiano et Valentiniano imperatoribus.*

Martianus igitur, ad imperium assumptus, imperavit cum Valentiniano annis sex. Iste cum Parthis et Vandalis Romanum infestantibus regnum, pacem constituit. Horum quoque imperatorum, Martiani scilicet et Valentiniani, temporibus celebrata est Chalcedoniæ quarta sancta synodus universalis sexcentorum triginta reverendorum episcoporum, sancti papæ Leonis industria congregata. Ibi Euthices hæreticus cum Dioscoro Alexandrino episcopo abdicatus est, et damnatus. Interea Valentinianus imperator factione Heraclii spadonis Agerium patricium interfecit. Sed non multo post, idem Valentinianus a satellitibus Agerii dolo Maximini comitis palatii est occisus, et mox idem Maximinus ejus invasit imperium, ejusque uxorem in suum conjugium transire coegit. Verum hac incontinentia non est diu gavisus. Nam post alterum mensem a famulis regis membratim dilaniatus, et in Tiberim est projectus. Post cujus mortem Romani Avitum Cæsarem creaverunt. Porro Martianus sexto imperii sui anno, et sexto pariter mense defunctus est.

Cap. XIII. *De Leone Magno.*

Leo Magnus post mortem Martiani assecutus imperium, imperavit annis sexdecim. Cujus primo anno Hesperiarum imperator Avitus, intra Gallias ab exercitu suo spretus et derelictus, ad Italiam remeavit, et post paucos dies, honore dignitatis depositu, Placentinorum ordinatur episcopus. Eodemque anno Majoranus a Romanis militibus apud Ravennam Cæsar Italiæ est ordinatus. Qui quidem ad Hispanias abiit, et inde contra suos ad Carthaginem transire proposuit, sed penitus spe sua frustratus, ad Italiam est regressus, ubi tertio principatus sui anno vix expleto decessit. Tunc Leo imperator Arthemium Cæsarem in Italiam destinavit. Qui ubi Romam attigit, Riccimerem generum suum contra Alanos direxit, et per eum multitudinem Alanorum fugavit, et regem eorum Beorgicum primo certaminis impetu superatum interemit. Sed non multo post idem Artbemius, ipsius Ricemeris fraude interemptus, regnum reliquit Olybrio. Olybrius vero non mense octavo transacto sui principatus finem vitæ dedit. Quo defuncto, Glycerius ejus sibi præsumpsit imperium. Verum anno vix expleto, Nepos quidam nomine eum e regno ejiciens episcopum ordinari fecit, et sibi regnum rapuit. Tantas varietates mutationesque Romanorum principum cernens Theodoricus, Visigothorum rex, Avernorum occupavit civitatem, contra quem Nepos Cæsar ab Italia Orestem militiæ suæ magistrum prodire mandavit. Orestes autem ubi cum exercitu Ravennam venit, Augustulum imperatorem filium suum creavit. Quod audiens Nepos, præsidio nudus ad Dalmatas fugit, ubi et privatus defecit. Augustulo vero in Ravenna degente, Odoacer Tutilingorum rex, habens secum Herulos diversarumque auxiliarios gentium, Italiam occupavit. Qui et Orestem interfecit, et filium ejus Augustulum de regno pulsum in Lucullano Campaniæ castello exsilii pœna damnavit. Sicque Hesperium Romanæ gentis regnum, quod septingentesimo nono urbis conditæ anno primus Augustorum Octavius [Octavianus] Augustus obtinuit, in hoc Augustulo dignitatis suæ privilegium perdidit, et in manus regum exterarum gentium tandem collapsum corruit. Memoratus denique Visigothorum rex Theodoricus, Illyricum et partem magnam Italiæ occupavit. Porro Leo Orientis imperator Zenonem generum suum magistrum totius Orientis fecit, et Basilicum fratrem Berinæ Augustæ magistrum instituit Thraciæ, Leonem vero filium suum coronavit Augustum.

Cap. XIV. *De Leone secundo, Basilico et Zenone.*

Leo secundus, post patris obitum, imperavit anno uno; quo defuncto Basilicus frater Berinæ ab aulicis militibus acclamatur Augustus, sed Zeno demum factus est imperator.

LIBER NONUS.

Tractat de imperatoribus a Zenone usque ad Carolum Magnum; continens capitula viginti tria.

Cap. I. *De Zenone.*

Zenon gitur sumpto diademate imperavit annis duobus cum Basilico, et quindecim solus. Porro Zeno iste Enothion composuit contra fidem ecclesiasticam. Theodoricum quoque Visigothorum regem ad se venire fecit, eique curam palatii sui

commendavit, et non post multos dies patriciatus honore iterum eum insignitum ad partes Italiæ destinavit. Qui dum pervenisset, Odoacrum Herulorum regem variis successibus debellavit, et regno tandem exturbatum interfecit. Demum autem regnum Italiæ sibi præsumpsit et usurpavit. Quod ut sibi perenniter confirmaret, filias suas vicinis regibus copulavit, dans unam Gothorum regi Alarico, alteram regi Burgundorum Sigismundo, neptem vero suam dedit regi Thuringorum Hermenfrido, et sororem suam Vandalorum regi Trasemundo, Clodovei quoque regis Francorum filiam suo conjunxit matrimonio. Sessionem denique suam Ravennæ constituit; homo Arianæ sectæ, et bestialem contra Catholicos gerens in animo crudelitatem. Per idem tempus facta est inventio cryptæ sancti Michaelis archangeli in monte Gargano. Mortuo autem Zenone Augusto, quidam Anastasius assumptus ab Augusta, imperator simul, et Augustæ maritus cunctis innotuit.

Cap. II. *De Anastasio.*

Anastasius igitur purpuram sumens imperavit annis viginti. Iste ab Acatio depravatus Constantinopolitano episcopo, favebat hæreticis, et Catholicos persequebatur. Misit autem ad eum Hormisda papa venerabilis corripiens eum ab errore suo. Sed perfidus per legatum ipsius mandavit Anastasius: *Nos jubere volumus, non juberi.* Sed cum in sua perduraret perfidia, ictu fulminis interiit. Floruit per idem tempus sanctus Remigius Remorum archiepiscopus.

Cap. III. *De Justino Seniore.*

Justinus igitur christianissimus imperator Anastasio perfido succedens in regno, anno incarnationis Dominicæ quingentesimo et undecimo, imperavit annis viginti tribus. Ad hunc misit Hormisda venerabilis papa ab urbe regia sanctum Germanum Capuanum episcopum, et Joannem et Claudinum presbyterus, Felicem quoque et Dioscorum diaconos, necnon et Petrum notarium suum, ut episcopos, quos Anastasius pro catholica exsulare fecerat fide, ad proprias revocaret Ecclesias. Quos omnes cum grandi lætitia suscepit clementissimus imperator, et remisit honorabiliter. Post Hormisdam autem Joannes cathedram ascendit apostolicam. Qui et ipse ad eumdem principem venit. Denique dum Constantinopolim pervenisset, et ibidem vir Dei honorifice ab imperatore, et ab omni fere ejusdem urbis populo susceptus fuisset, mox in eorum conspectu ad portam, quæ Aurea vocitatur, roganti cæco lumen indulsit. Demum vero impetratis pro quibus ierat, Ravennam remeavit. Ubi sæpe nominatus tyrannus Theodericus zelo et invidia, quod audierat eum ab Augusto honorifice susceptum atque tractatum, cum comitibus ejus tenuit, et carceris afflictione peremit, Symmachum quoque patricium interfecit. Sed et Boetium consularem virum summæ prudentiæ, qui dialecticam, arithmeticam, atque musicam suo sermone nobilitaverat, et alius libellos elegantissime composuerat, idem tyrannus exsilii pœna damnavit, et in territorio Mediolanensi jugulari fecit. Hac tamen immanis sævitiæ impunitate Theodericus nequaquam est gavisus. Nam non multo post horribili et inopinata morte pollutam peccatis animam exhalavit. Quam etiam quidam solitarius apud Liparem manens insulam corporeis oculis vidit in ollam Vulcani demergi, ubi mare sicut cacabus fervescit ab igne. Theoderico vero regi Athalaricus nepos ejus successit, et Athalarico Theodatus. Porro Longobardis adhuc in Pannonia consistentibus præerat Alboinus filius Aldoini, qui non multo post ipsam Longobardorum gentem in Italiam introduxit. Interea vero Justinus, christianissimus Augustus, contra Parthos feliciter dimicavit, et tandem cum rege eorum fœdus firmissimum stabilivit. Qui etiam dum deficeret, Justinianum suum ex sorore nepotem sibi designavit successorem.

Cap. IV. *De Justiniano Magno.*

Justinianus igitur magnus assecutus imperium, imperavit annis triginta octo, et diebus undecim. Iste de multis gentibus triumphavit. Nam septimo imperii anno facta sunt Vandalica bella, et recepit Belisarius Africam, et favente Deo eo perrexit magna cum celeritate, infideles Vandalos superavit, et totam tandem Africam prius avulsam, ad antiquæ reipublicæ corpus revocavit. Rex quippe Vandalorum Getimer cum imperium Belisarii ferre nequiret ad Maurusios fugit. Sed eum ibi Belisarius celeriter insecutus comprehendit, et argentea vinctum catena secum adduxit, et de eo Constantinopoli triumphavit. Et non multo post Justinianus Augustus eumdem Belisarium ad Italiam destinavit. Quo Belisarius veniens primo accessu Siciliam pervasit, et Neapolim obsedit, et expugnavit, et exspoliavit. Quod ubi rex Italiæ Theodoaldus audivit, Vitigem sui exercitus ducem contra eum destinavit. Sed postquam Vitigis Campaniam est ingressus, et rex ab exercitu est creatus, expeditionem solvit et retro remeavit. Tunc spreto Theodoaldo, et prima conjuge repudiata, Mathesuentem [Mathesuntem] Theoderici regis neptem sibi matrimonio junxit. Sed dum novis nuptiis delectatur, Belisarius Romam ingreditur, et cum gaudio suscipitur. Confestimque vicina occupavit loca, Romam, oppidorumque præsidia: quibus sine dilatione patratis Vitigis rex Romam aggreditur, eamque per annum integrum obsidione circumdat. Verum tandem Belisarius machinas ejus igne consumpsit, et inde eum exturbatum usque ad Ariminum effugavit, et non multis diebus interjectis, apud Ravennam inclusum in deditionem suscepit, eumque cum uxore sua, et opibus palatii Constantinopolim deportavit. Sicque Justinianus orthodoxus Augustus brevi temporis intervallo de duabus validis gentibus per manum Belisarii ducis inclyti nobiliter triumphavit. Porro post Belisarii ducis discessum, Gothi qui trans Padum et in Liguria consistebant, contra Romanos rebellantes Totilam, qui et Badula dicitur, sibi regem creaverunt. Qui contra Romanos sæpe

dimicans, eorum vires multis victibus fregit ac superavit. Coruscabat per idem tempus in Italia, vir Domini gratia Benedictus, et nomine. Ad quem cum præfatus Totila causa perscrutandi an spiritum prophetiæ haberet, venisset, prænuntiavit ei idem Domini vir quæ ei ventura erant, dicens: *Multa mala facis, multaque fecisti; jam aliquando ab iniquitate conquiesce, et quidem Romam ingressurus es, mare transiturus es, novem annis regnabis, decimo morieris.* Igitur non multo post dum mare transiens, Siciliam depopulatus fuisset, et inde reversus Romam cinxisset, atque cepisset, tota ferme nocte suos tubis clangere præcepit, ut Romani a Gothis sese quibuscunque modis occulerent. Capta est igitur Roma a præfato Totila rege anno XXI Justiniani Augusti. Quod audiens Justinianus, Narsetem virum sapientem ordinavit patricium Romanorum, et misit eum ad Italiam. Quo dum pervenisset, regem Totilam superavit, et secundum Patris Benedicti prophetiam Totila mortuus est. Per idem tempus facta est mortalitas apud Byzantium magna. Qua de causa eodem anno celebrari solemnitas cœpit sanctæ Dei genitricis Mariæ purificationis ipsius secunda die Februarii mensis, et cessavit mortalitas illa. Et hæc solemnitas ὑπαντή hypante Domini Græce solet nominari, eo quod hac ipsa die allatus in templum Domino Simeon et Anna ei obviam venerunt, hypantao ὑπαντάω enim Græce idem est quod *obviam eo honoris gratia*. Post hæc autem Justinianus Augustus trigesimo imperii sui anno ab Anthimo seductus episcopo cœpit declinare a catholica fide. Et dum a divinis mandatis aurem cordis avertit, justo Dei judicio amentiam incurrit. Unde accersito viro Christianissimo Justino, curopalatem eum constituit, et ei totius curam imperii delegavit. Quod cum fecisset, decessit imperii sui anno trigesimo octavo, et mense septimo. Floruit bis temporibus in urbe regia Priscianus grammaticus, et Romæ quidam subdiaconus Arator nomine, qui apostolorum Acta versibus hexametris decantavit [perornavit].

CAP. V. *De Justino Juniore.*

Justinus itaque Junior genere Thrax, ex curopalate factus imperator, anno Incarnationis Dominicæ quingentesimo septuagesimo secundo, imperavit annis undecim, mensibus decem, et diebus viginti. Hujus temporibus Narses Romanorum patritius, cujus supra meminimus, cum ab incursu diversorum hostium totam quietam reddidisset Italiam, pro magnis beneficiis magnam pertulit invidiam a Romanis, ita ut in urbem regiam Justino mandarent dicentes quod melius erat Romanis Gothis servire quam Græcis, ubi Narses eunuchus imperat et dominatur pro sua libidine. Quibus sermonibus commotus imperator, Longinum præfectum suum Narsetis loco substituit. Sed et Augusta Sophia hanc Narseti mandavit contumeliam, ut Constantinopolim remearet, cum puellis suis in gynæceo feminarum lanarum pensa divideret. Ad quæ verba Narses dicitur respondisse eam se ei telam orditurum, quam, dum viveret, nunquam detexeret, et Neapolim secedens Longobardis mandavit, ut paupertina Pannoniæ rura, quæ incolebant, desererent, et ad Italiæ fertile solum possidendum confluerent. Quod audiens Albuinus rex Longobardorum, in Italiam commeavit cum multitudine magna Longobardorum, anno ab Incarnatione Domini quingentesimo septuagesimo octavo. Deinde Mediolanum ingressus est; et intra breve spatium temporis sibi pene totam, præter Romam et Ravennam, subjecit Italiam. Proinde Justinus imperator octavo imperii sui anno pedibus cœpit infirmari, qua de re assumens comitem excubitorem Tiberium, adoptavit eum in filium, et successorem suum illum declaravit.

CAP. VI. *De Tiberio imperatore I.*

Tiberius igitur Romanorum quinquagesimus imperator, imperium sumens anno Incarnationis divinæ quingentesimo octogesimo secundo, imperavit annis tribus, et decem mensibus, et novem diebus. Hic fuit vir ca holicus et religiosus. Unde mul as [illegible] Constantinopolitana urbe renovavit ecclesias. Hic etiam terram Persarum intravit, et eos potentissime debellavit, indeque regrediens tantam molem prædæ cum elephantis multis adduxit, ut humanæ cupiditati crederetur posse sufficere. Cæterum idem Tiberius Augustus, ubi sibi finem vitæ imminere prævidit, elegit ad imperium quemdam virum genere C p[illegible]docem, strenuum ac sapientissimum, qui Mauritius nuncupatus est. Cui filiam suam Constantiam ornatam reddidit regalibus ornamentis, dicens: *Sit tibi imperium meum cum hac puella concessum. Utere ergo feliciter eo, et habe in mente incessanter æqui atem et justi iam præcipua optimi imperatoris esse insignia.* Quod postquam dixit, spiritum exhalavit. Tiberio vero defuncto, Mauritius purpura indutus et diademate coronatus ad circum processit, et acclamatis sibi laudibus, et largitis secundum morem muneribus, primus ex Græcorum gente Romano potitus est imperio.

CAP. VII. *De Mauritio imperatore ex Græcis primo apud Romanos.*

Mauritius igitur genere Cappadox, Romanum assecutus imperium, Humnus magna superavit industria. Hac præterea tempestate sanctus Gregorius septiformem litaniam propter pestilentiam, quam inguinariam vocabant, instituit, et celeriter est populus liberatus. Septiformis litania ideo dicta est, quod omnis populus septiformiter fuit divisus. In primo choro fuit omnis clerus; in secundo, omnes abbates cum monachis suis; in tertio, omnes abbatissæ cum congregationibus suis; in quarto, omnes infantes; in quinto, omnes laici; in sexto, omnes viduæ; in septimo, omnes conjugatæ. Is etiam sanctus Gregorius Augustinum, Melitum et Joannem cum aliis pluribus misit in Britanniam, ut Anglorum gentem ad fidem converterent Christi. Quam gentem præfatorum labore virorum Deo lucrifecit. Porro Mauritius Augustus dum esset vir Deum timens, malebat in hoc sæculo facinorum suorum corporali

supplicio vindictam persolvere, quam tormentis gehennalibus cruciari: quod cum jugiter in suis orationibus Dominum precaretur meruit exaudiri. Quadam itaque nocte cum in stratu suo quiesceret, vidit per somnum ante æneam se astare Salvatoris effigiem, quæ erat ante palatii portam, ex qua emissa est vox ad eum dicens: *Date Mauritium*, et tenentes quidam judiciarii ministri exhibuerunt ei. Tunc ait ad eum Salvatoris imago: *Ubi vis reddam tibi mala quæ meruisti? hic an in futuro sæculo?* Et ille: *O amator hominum, Domine, hic potius quam in illo.* Tunc jussit divina vox tradi illum, et Constantiam ejus uxorem, et omnem eorum cognationem Phocæ militi. Expergefactus vero misit ad accersendum Philippicum generum suum. Cui sibi assistenti dixit Mauritius: *Scis inter agmina nostra aliquem militem, nomine Phocam?* Cui ille: *Scio unum.* Et imperator: *Cujus est qualitatis?* Qui ait: *Juvenis, tumens, et temerarius.* Tunc referens Philippico Augustus somnium suum glorificabat magnifice Deum pro hujusmodi revelatione. Post hæc autem Mauritius Augustus, in hostili terra positus, cum milites suos ferro et rapinis abstinere compelleret, nec tamen eis consueta stipendia largiretur, Phocam rogare cœperunt, ut imperii regnum super eos acciperet. Quibus sæpe nominatus Phocas obediens, regalem purpuram sumpsit. Quod audiens Mauritius animo dissolutus, rebus adversum se fluctuantibus cessit, et in quamdam silvam mari contiguam fugit; in qua cum uxore et quinque filiis jussu Phocæ Cæsaris interemptus est.

CAP. VIII. *De Phoca.*

Phocas ergo propria temeritate Romanum invadens imperium imperavit annis octo. Hic ut factus est imperator Leuntiam uxorem suam coronavit Augustam. Imperii denique hujus anno secundo venerabilis papa Gregorius ex hac luce migravit. Cujus in locum ad apostolatus officium Sabinus est ordinatus, et Sabino subrogatus est Bonifacius tertius, et Bonifacio tertio Bonifacius quartus. Quo rogante statuit (47*) memoratus Augustus sedem Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum. Nam antea Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium scribebat Ecclesiarum. Impetravit quoque ipse papa Bonifacius a præfato principe dari Ecclesiæ Christi templum Romæ, quod ab antiquis Pantheon vocabatur. Porro Phocas cum crudeliter in suos desæviret domesticos, Heraclii Africæ patricii jussu peremptus est, qui post hujus necem sibi rempublicam vindicavit.

CAP. IX. *De Heraclio.*

Heraclius igitur Romanum assecutus imperium anno Incarnationis Dominicæ 615, imperavit annis triginta. Hic invenit valde dissolutam rempublicam, et attritam. Siquidem Europam vehementer Avares vastaverant. Hujus etiam diebus rex Persarum Cosdroes cepit Damascum, et vastavit Jerosolymam, et venerabilia loca, quæ erant in ea, conflagravit, et populorum copias captivavit una cum patriarcha ejusdem urbis Zacharia, et pretiosum Christi crucis lignum secum in Persidem asportavit. Igitur Heraclius prætores Cosdroæ Sarabbagam et Sabasam, Sain et Razatem superavit, et multas cepit munitiones. Denique Cosdroes ab eo captus est, et in carcerem missus, ubi et mortuus est. His itaque transactis Heraclius Byzantium est reversus, habens secum sanctum Dominicæ crucis lignum. Deinde larga militibus præmia donavit et paululum recreatus revexit Jerosolymam lignum sanctæ crucis; plurimas Deo pro tantis triumphis referens gratias. Verum per idem tempus Cyrus Alexandrinus episcopus, et Sergius Constantinopoleos patriarcha Monothelitarum hæresim prædicabant. A quibus depravatus Heraclius Augustus aberravit a catholica fide. Unde divino judicio Agareni, qui et Sarraceni dicuntur, Hummaro duce imperium ejus cœperunt lacerare. Hac præterea tempestate Sarraceni, qui et Turci dicuntur, Mahumet pseudopropheta ducatum eis præbente, a suis sedibus exierunt, Heracliique imperium devastare cœperunt. Porro Mahumet iste Sarracenorum et Arabum princeps, et pseudopropheta fuit de genere Ismael filii Abrahæ. Heraclius denique Augustus imperii sui anno tricesimo primo defunctus est. Imperavitque post ejus decessum Heraclius Constantinus filius ejus mensibus quatuor. Quibus vix expletis veneno sublatus est propinato a noverca sua Martina. Sicque eo defuncto imperavit Heraclonas frater ejus pro eo cum matre sua Martina.

CAP. X. *De Heraclona.*

Heraclonas igitur Heraclii filius imperavit cum matre sua Martina mensibus sex. Imperii hujus tempore Machinas Arabum admiraldus missus ab Hummaro cepit Cæsarem Palæstinæ, et occidit in ea septem millia hominum. Et eodem anno repulit senatus Heraclonam cum matre sua Martina, et lingua Martinæ rescisa, et Heraclonæ naso resciso provexit ad imperium Constantem filium Heraclii Constantini, nepotem Heraclii.

CAP. XI. *De Constante Constantini Heraclii filio.*

Constans igitur Heraclii Constantini filius, nepos Heraclii Augusti, apud Byzantium Romano potitus imperio anno Incarnationis divinæ 644, imperavit annis viginti sex. Hic etiam in Monothelitarum hæresim incidit, sicut et avus ejus Heraclius Augustus, suggerente ei venenum perfidiæ Paulo Constantinopolitanæ urbis episcopo, qui Pyrrho successit in episcopatu. Multos etiam orthodoxorum verberibus et exsiliis condemnavit, eo quod hæresi suæ nullatenus acquiescere vellent. Propter quod cum apud Byzantium pene omnibus esset exosus, ad Italiam navigavit, volens illam et a potestate Longobardorum eruere, et

(47*) Statuit, id est declaravit, contra petulantiam antistitum Constantinopolitanorum; non enim hoc ad sæcularem partem pertinebat, et omnes Romani pontifices a Petro usque ad Bonifacium primaria præstante functi sunt. Vide de hac in re inter cæteros Melchiorem Canum.

ibi aliquantulum manere. Egressus igitur de regia urbe venit Athenas, ibique mare transiens Beneventanorum fines invasit. Sed ejus exercitum Grimoaldus ejusdem dux provinciæ fortiter attrivit. Igitur cernens Augustus, quod nihil contra Longobardos proficeret, Romam perrexit, cui sexto ab urbe milliario Julianus papa reverenter occurrit, et cum ad beati Petri limina cum magna populi perduxit frequentia. Quo cum pervenisset obtulit sancto Petro pallium optimum auro textum. Et cum in urbe jam per duodecim dies recedisset, magna tactus cupiditate varia ornamentorum genera ex ære et marmore, quibus urbs decorabatur, in Tiberim vexit, ut ea Constantinopolim ferret, inter quæ basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, et omnium martyrum, quæ Pantheon antiquitus vocabatur, æreis tegulis discooperuit. Quibus patratis, statuit remeare retrorsum. Igitur a Roma digressus ad Siciliam navigavit. Ubi cum quodam die secretius in balneo lavaretur, a suis interficitur. Post cujus decessum milites assumentes Mezentium quemdam Armenium sibi creaverunt imperatorem, sed non post multos dies Constantinus Constantis Augusti defuncti filius cum multo illuc veniens navigio, et imperialem purpuram sumpsit, et Mezentium cum interfectoribus patris sui morte pessima condemnavit.

CAP. XII. *De Constantino Constantis filio.*

Constantinus igitur Constantis filius post patris interitum, ejus obtinens imperium anno Incarnationis Christi 680, imperavit annis sexdecim. Hic fuit vir fide catholicus, modestus. Sapienti quoque usus consilio, cum Arabibus qui Damascum inhabitabant, et cum Bulgaribus pacem firmissimam fixit; restauravit etiam ecclesias, quæ fuerant dirutæ a temporibus Heraclii proavi sui. Insurrexit præterea contra Monothelitas, satagens eorum opiniones subvertere, qui unam tantum in Domino nostro Jesu Christo naturam esse opinabantur ac prædicabant. Mortuo denique apud urbem regiam Constantino orthodoxo Augusto, filius ejus Justinianus imperii moderamina gubernanda hæreditario jure suscepit.

CAP. XIII. *De Justiniano.*

Justinianus itaque patri suo succedens in regno, anno Incarnationis divinæ 696, imperavit annis decem. Hic cum esset quasi annorum sexdecim puerili usus temeritate, pacem quam pater ejus cum Abimelech Arabum principe fixerat, solvit, pacem cum Bulgaribus perturbans et ea quæ a patre suo ordinabiliter fuerant facta. Renovavit etiam Marcianitarum exercitum, quo imperium suum ab impetu Arabum tuebatur. Quibus repressis, pace et quiete potitus est Arabum principatus usque in præsentem diem. Et ex tunc liberius barbari Romaniam depopulaverunt. Porro posthæc Justinianus contra Sclavos perrexit, et multos ex eis prostravit. Sed dum inde reverteretur præpeditus a Bulgaribus in arcto clausuræ cum proprii populi cæde et vulneratione vix prævaluit remeare. Sustinuit præterea Stephanum Persam, sacellarium suum, virum crudelem, ac pessimum, qui plures reipublicæ principes graviter affligebat. Quique matrem ipsius Augusti Anastasiam absente eo præsumpsit more pueri flagellare. Quæ res maxime fecit exosum cunctis principibus, et domesticis suis. Insurrexit ergo adversum eum Leontius patritius, conspirante secum Gallinico patriacha, et carceribus reseratis, solutisque multis retrusis, qui sex vel octo annis in vinculis detenti fuerant, quorum plures milites erant cum eis, exivit in forum, moxque Justinianum naribus amputatis ad Cersonam exsilio relegavit; deinde præfatorum armis munitus virorum, augustalem arripuit dignitatem.

CAP. XIV. *De Leontio imperatore.*

Leontius igitur, anno Incarnationis Domini 700 imperium sumens, imperavit annis tribus. Imperii hujus anno tertio Arabes Africam debellabant. Contra quos direxit Joannem patritium cum stolo copioso. Qui cum Carthaginem pervenisset, Arabes in fugam convertit, et ibidem hiemavit. Demum ad imperatorem regressus est, volens ab eo deposcere stolum majorem. Sed exercitus, qui in Africa remanserat, absente Joanne patricio, elegit quemdam Absimarum, quem et nominavit Tiberium, et creavit imperatorem. Absimarus autem, sumpto stolo qui secum erat, navigavit ad urbem, et sine mora introivit in eam per murum Blachernarum, et apprehendens Leontium exsilio relegavit.

CAP. XV. *De Absimaro seu Tiberio.*

Absimarus igitur qui et Tiberius nominatur, imperavit annis circiter septem. Iste Philippicum filium Nicephori in exsilium relegavit, qui asserebat in somnis se vidisse quod caput suum obumbraretur ab aquila, eo quod somnium hujusmodi ipsum regem futurum designare videbatur. Porro imperante Absimaro Justinianus degens in Cersona cœpit manifeste populo, quod esset iterum suum accepturus imperium, prædicare. Qua de re loci incolæ Augusti zelo permoti, propter hujusmodi opinionem parabant eum quasi regis insidiatorem interficere, vel comprehensum ad eum dirigere. Sed cum hoc idem Justinianus sensisset, fugit; et Turcorum chagano se præsentavit. Chaganus autem illum cum honore suscepit, et tradidit ei uxorem germanam suam. Indeque navigavit ad Terebellum Bulgariæ regem, qui et ipse ei auxilium tulit, et suo imperio restituit.

CAP. XVI. *Item de Justiniano restituto, et ejus sævitia.*

Justinianus autem imperavit secundo annis sex. Qui ut imperium recepit, omnes qui eum ante expulerant interfecit; et Absimarum, in circum deductum et multis injuriis fatigatum, jugulari præcepit. Sed et Gallinicum patriarcham erutis oculis Romam destinavit, et Pyrrhum abbatem in locum ejus provexit. Innumerabilem denique civium multitudinem interfecit. Statuitque Cersonam ubi exsulans degerat subvertere, et colligens omnes naves quas habere potuit, dromones, scilicet trieres, sca-

puas, chimæros, et linthres usque ad Chelandriam eas destinavit, præcipiens omnes ibidem habitantes interfici a minimo usque ad maximum. Quo cum pervenissent Mauritius patricius, et Elias spatarius secundum imperatoris jussionem omnes interfecerunt, exceptis infantibus. Tuduinum civitatis principem cum aliis quadraginta principibus ad imperatorem miserunt, et alios septem ejusdem civitatis primores igni in ligneis verubus applicantes assaverunt. Deinde Justinianus misit alium stolum mense Octobri, præcipiens ut omnes pueri, qui reservati fuerant, morti traderentur. Sed ille stolus pene totus in pelago est demersus, et perierunt ibi hominum millia septuaginta tria. Quibus agnitis Justinianus furens adhuc magna crudelitate misit iterum alium stolum, jubens arari, et ad pavimentum illidi totam civitatem. Quod audientes homines illius provinciæ assumpserunt Philippicum, qui illic exsulabat, et imperatorem creaverunt. Deinde Philippicus Constantinopolim veniens Justinianum Augustum, et Tiberium filium ejus pariter interfecit.

CAP. XVII. *De Philippico Bardorio.*

Philippicus igitur qui et Bardavius nominatur, creatus apud Cersonam imperator anno divinæ incarnationis 722 imperavit anno uno et dimidiato. Iste cum esset hæreticus Cyrum Constantinopolitanum episcopum exsilio relegavit, et posuit in eamdem sedem quemdam sui sensus pseudoepiscopum, nomine Joannem monachum. Ipse etiam Philippicus Romam Constantino papæ pravi dogmatis litteras destinavit, quas vir sanctus consilio Romani populi respuit, et præcepit ne ejus nomen in chartis poneretur, aut percussura solidorum ejus reciperetur, aut ad missarum solemnia recitaretur. Et cum imperasset Philippicus uno anno, et dimidio anni, insurrexit contra eum Anastasius, qui et illum oculis privavit, et ab imperiali dignitate deposito sibi ejus vindicavit imperium. Apud Italiam vero Ariperto mortuo regnavit Luitprandus filius ejus.

CAP. XVIII. *De Anastasio Arthemio.*

Anastasius igitur qui et Arthemius dictus est, imperavit annis tribus et sex mensibus. Iste cum esset vir catholicus litteras Constantino papæ per Scholasticum patricium exarchum Italiæ destinavit, quibus se fautorem catholicæ fidei, et sancti sexti concilii prædicatorem esse declaravit. Post hæc autem classem in Alexandriam contra Sarracenos direxit. Omnia exercitus ad aliud versus consilium ab itinere medio ad Constantinopolitanam urbem regressus Theodosium orthodoxum virum inquirens imperatorem elegit, et coactum imperiali solio sublimavit. Theodosius vero Anastasium apud urbem Nicæam gravi prælio superavit, eumque postmodum presbyterum fieri jussit.

CAP. XIX. *De Theodosio.*

Theodosius igitur Anastasio defuncto imperavit anno uno. Quo finito, adversus eum insurrexit Leo quidam vir potentissimus, qui eum quidem ab imperiali vertice deposuit, sed indemnatum abire permisit. Ipse vero, postmodum clericus factus, reliquum vitæ transegit in pace.

CAP. XX *De Leone.*

Leo igitur anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi 727, Romano potitus imperio imperavit annis XXIV. Hujus in diebus gens Sarracenorum Constantinopolim hostiliter circumdedit fere per triennium. Sed civibus multa precum instantia Deum deprecantibus, tandem fugam gens inefficax arripuit, et postmodum dum per altum mare navigaret, subitanea tempestate submersa periit. Porro Leo Augustus anno imperii sui octavo omnes sanctas imagines destrui præcepit. Maximo enim odio illas abominabatur, et omnes virtutiferas sanctorum reliquias. Post hæc rex Italiæ Luitprandus audiens quod Sarraceni, depopulata Sardinia, loca illa fœdassent, ubi ossa beati Augustini Hipponensium episcopi requiescebant, quæ propter vastationem barbarorum olim eo translata, et honorifice tumulata erant, misit illuc, et dato pretio accepit, et transtulit ea Ticinum ibique in monasterio, quod Cella Aurea vocatur, recondidit. Postea Constantinopoli factus est terræmotus magnus, at corruerunt ecclesiæ multæ, et exstinctus est populus multus. Eodem anno mortuus est Leo imperator, animæ simul et corporis morte; et fit imperii ejus, et impietatis pariter successor Constantinus filius ejus, cum esset annus a conditione mundi secundum Romanos sexies millesimus ducentesimus quadragesimus, sed secundum computationem Ægyptiorum et Alexandrinorum sexies millesimus ducentesimus et tricesimus secundus.

CAP. XXI. *De Constantino impio.*

Constantinus igitur, persecutor legum a patribus traditarum, imperium sumens, imperavit annis XXXIV, mensibusque II et diebus XXVI. Hic omni vitæ suæ tempore magicis maleficiis et cruentis sacrificiis, et luxuriis semper operam dedit, et multi clerici, ac monachi, et religiosi laici sub eo propter rectam periclitati sunt fidem, habebat etiam sibi consentientem in omnibus propter amorem terreni principatus Anastasium Constantinopoleos falsi numinis patriarcham, unde divinitus indignatio venit in cives ejusdem urbis, admonens impium imperatorem, ut se cohiberet ab insania, qua flagrabat. Sed ille ut Pharao quondam inemendatus permansit. Venit quippe pestilens mors incipiens a Sicilia et Calabria in regiam urbem, et ita eam devastavit, ut et in ipsa plures domus integræ clauderentur, eo quod non esset qui eas inhabitaret, ferebantur etiam in plaustris ad sepeliendum cadavera mortuorum. Per idem tempus et stellæ de cœlo cadentes apparuerunt, ita ut omnes id videntes finem sæculi instare putarent. Interea Constantinus nefandissimus imperator contra Bulgares pergens horribilem infirmitatem incurrit, qua et defunctus est, non minus quam Diocletianus sanguine martyrum plenus. Cui successit Leo quartus filius ejus.

CAP. XXII. *De Leone.*

Leo igitur anno Nativitatis Christi 780 potitus imperio, imperavit annos quinque. Cui successit Constantinus vir christianissimus filius ejus.

CAP. XXIII. *De Constantino imperatore et Irene matre ejus.*

Constantinus igitur cum matre sua Ireae Romanum sortitus imperium anno Incarnationis divinæ 786 imperavit annis decem. Hic facta pace cum Arabibus per Stauratium patritium de Sclavis triumphavit. Hac præterea tempestate direxit Irene sacellarium suum ad Carolum regem Francorum, ut filiam suam nuptam traderet imperatori Constantino filio suo, sed hoc postmodum irritum fecit. Nam anno imperii Constantini et Irenes decimo excitavit diabolus livorem discordiæ inter ipsam Irenem et filium ejus imperatorem, et sepsit eum custodia, imperavitque annis quinque. Quibus expletis, Armeniorum fretus auxilio filius ejus rursus recepit imperium. Quod ubi resumpsit, unx Stauratinm patricium, et Hetieium protospatarium matris suæ amicos, omnesque simul spadones ejus domesticos in exsilium misit. Ipsam tamen locavit cum affluentia copiosa in palatio Eleutherii, quod ipsa ædificaverat, et in quo pecunias multas absconderat. Postmodum vero movit exercitum suum adversus Bulgares; sed victus ab eis rediit ad urbem multis amissis. Qua de re quidam principum contra eum indignati, Nicephorum filium proavi sui Constantini parabant imperatorem facere. Quod ut comperit Constantinus, eumdem statim Nicephorum, et fratrem ejus Christophorum linguis privavit. Alexium quoque, patricium Armeniorum, luminibus orbavit. Sed et uxorem suam, nomine Mariam, monacham fieri coegit, et Theodoram cubiculariam suam coronavit Augustam. Interea vero Irene muneribus et possessionibus cœpit sibi consiliare duces, et principes regni, ita ut a suis domesticis Augustus secundo comprehenderetur. Consiliarii namque matris ejus eum oculis privaverunt tam nequiter ut statim cruciatum mors sequeretur. Sicque secundo imperavit Irene, uno fere quinquennio. Sub hoc tempore imperium Romanum ad reges Francorum translatum est, Carolo Magno filio Pippini primo imperatore facto. In Constantinopoli vero regnum Græcorum permansit, et post Irenem Nicephorus imperium arripuit. Post Constantinum Magnum sedes quidem imperii apud Constantinopolim erat, pro eo quod ipse piissimus et christianissimus imperator privilegium Romanæ sedis beato Petro principi apostolorum, ejusque vicem tenentibus in perpetuum relinquens apud eamdem sibi urbem sedem imperialem statuerat; dignitate tamen Romani imperatores appellati sunt usque ad illud tempus quo Romanum imperium ad reges Francorum translatum est. Postea enim ii qui apud Constantinopolim imperabant, solo imperii nomine retento Græcorum potius imperatores appellati sunt. Exinde autem series temporum per reges Francorum supputatur. Verum priusquam imperium Caroli Magni describamus, pauca de origine et regno Francorum perstringere libet, ne tantæ gentis primordia vel gesta penitus silentio videamur transire.

LIBER DECIMUS.

Tractat de gente et regibus Francorum ab origine Francorum usque ad Carolum magnum; et post a Carolo Magno usque ad Caroli Simplicis successores; continet capitula decem.

CAP. I. *De origine Francorum.*

Franci ab origine Trojani, post eversionem Trojæ, Priamo quodam duce inde regressi juxta Thraciam super Danubii ripas consederunt, ædificantesque ibi civitatem vocaverunt eam Sicambriam, manseruntque ibidem usque ad tempora Valentiniani imperatoris, a quo sunt inde expulsi, eo quod tributa Romanis juxta morem cæterarum gentium solvere recusarent. Egressi inde Marcomiro, Sunnone, et Gennebaldo ducibus venerunt et habitaverunt circa ripam Rheni in confinio Germaniæ et Alemaniæ. Quos cum Valentinianus multis postmodum præliis attentasset, nec vincere potuisset, proprio eos nomine Francos quasi furnicos, id est feroces appellavit. Ab illo tempore in tantum virtus Francorum excrevit, ut totam tandem Germaniam et Galliam usque ad juga Pyrenæi et ultra subjugarent. Alii Francus a quodam Francione appellatos volunt. Dicunt namque quod post excidium Trojæ multitudo magna inde fugiens, ac deinde in duos populos se dividens, altera pars Francionem quemdam supra se regem constituerit, altera Turcum [Teucrum] nomine secuta fuerit, atque ex eo duos populos simplo nomine Francos et Turcos [Teucros] usque hodie vocari.

CAP. II. *De gente Francorum, et de regibus eorum.*

Francorum itaque gens Marcomiro mortuo Pharamundum sibi regem constituit. Pharamundo deinde Clodio successit, qui Cameracum cepit, et inde Romanos ejiciens, usque ad Somonam fluvium dilatavit limitem suæ dominationis. Post Clodionem regnavit Meroveus, a quo Merovungi vocabantur, qui nunc Franci dicuntur. Post Meroveum regnavit Childericus, et post Childericum Clodoveus. Porro Clodoveus Clotildem, christianissimam puellam

et valde speciosam Childerici quondam Burgundiæ ducis filiam, duxit uxorem.

CAP. III. *De Clodoveo rege.*

Interim vero cœpit regnum dilatari Francorum, et præfatus rex Cludoveus Childerici filius a beato Remigio Remorum archiepiscopo tali occasione voluit baptizari. Dum quadam die contra Alemannos confligeret, et ejus graviter cæderetur exercitus, elevatis oculis in cœlum dixit : *O Domine Jesu Christe, quem Clotildis uxor mea colit et adoret, tuam opem devotus efflagito, et si mihi victoriam dederis in hoc certamine, spondeo tibi, quod deinceps credam in te, et baptizabor in nomine tuo.* Quod cum dixisset Alemanni in fugam acti sunt, et rex Clodoveus cum triumpho remeavit ad propria. Tunc accersito sancto Remigio episcopo, quæ Deo voverat fideliter adimplevit, et baptizatus est cum gente sua, regni sui anno decimo quinto. Porro Clodoveus, amplificare cupiens regnum suum, invasit Aquitaniæ regnum, quod rex Alaricus obtinebat. Et cum transisset Ligeris alveum, Turonos ad Sancti Martini basilicam divertit. Quam cum intraret, insonuit in choro vox psallentium dicens : *Præcinxisti me, Domine, virtute* (*Psal.* XVII), etc. Qua voce audita lætior effectus, et Deo gratias agens inceptum remisit iter. Et cum fluvium, cui Vigenna nomen est, transire vellet, et vadum non inveniret, eo quod nimius fluvius exundasset, cerva subito per eumdem fluvium transiens vadum ei ostendit. Deinde Alarico occurrit decimo milliario ab urbe Pictavensi, ubi ambo congressi invicem pugnaverunt. Sed tandem Alaricus ibidem confossus occiditur, et ejus exercitus hue illucque dispergitur. Qua patrata victoria in illo anno Clodoveus Burdegalis hiemavit, sed recedente hiemali rigore, et succedente vernali tempore Tolosam caput regni Gothorum petiit, et expugnavit; et inde thesauros Alarici auferens ad Engulismum properavit. In cujus adventu murus urbis divino nutu sponte corruit, et advenienti regi patens iter præbuit. Inde Turonicam pervenit ad urbem, ubi dum fessum recrearet exercitum, suscepit litteras Anastasii imperatoris, quibus illum designabat Romanæ reipublicæ consulem, et Augustum. Quod gratanter suscipiens, statim consulari trabea indutus, ob illa die cousul simul et Augustus meruit appellari. Et inde Parisios revertens, pro tantis honoribus et beneficiis a Deo sibi collatis regalem ibidem ecclesiam ædificavit, quam sanctis apostolis Petro et Paulo consecrari præcepit. Postea vero industria filii sui Theoderici Lemuvicenses, Rutenos, Cadurcos, Avernos, necnon et reliquas Aquitaniæ gentes seu provincias a Rhodano fluvio usque ad Ligeris alveum, et item a Pyrenæis montibus usque ad Oceanum totum, videlicet Alarici regnum, suo copulavit regno. Almaricus quoque Alarici filius ei cessit invitus, et ab Aquitania in Hispaniam migravit. Igitur Gothis Arianis ab Aquitania pulsis, Franci catholici ipsam melioris regula religionis et fidei continuo repleverunt. His rex Cluduveus, Deo favente, patratis, et longe lateque Francorum regno dilatato, obiit anno regni sui tricesimo, ætatis vero suæ quadragesimo quinto, relinquens quatuor filios regni sui hæredes. Qui patri succedentes regnum Francorum inter se diviserunt. Et Theodericus quidem sedem regni sui sortitus est Metis, Clodomirus Aurelianis, Clotarius Suessione, Childebertus vero Parisiis.

CAP. IV. *De filiis Clodovei.*

Tres itaque Cloduvei filii, Clodomirus, Childebertus atque Clotarius, sibi invicem fœderati, et regni sui fines dilatare cupientes, Burgundiæ regnum ingrediuntur, et Sigismundum fratremque ejus Gotmarum prælio aggressi sunt. Statimque in ipso primo belli impetu Sigismundus a Clodomiro capitur, et Aurelianos perducitur, ibique perimitur, et in puteum projicitur. Non multo tamen post inde elevatur, et in monasterium, quod in loco Aguino sancto construxerat Mauritio, sociisque ejus honorifice sepelitur. Demum quoque non multis diebus transactis supra nominati fratres Burgundiam repetentes Gutmarum Sigismundi fratrem iterum adoriuntur. Sed in illa expeditione Clodomirus interficitur. Successerunt que ei tres filii ejus Guntramnus, Cerbaldus, et Clodoaldus. Reliqui vero Childebertus atque Clotarius Gotmarum apud Augustodunum obsidentes interfecerunt, et totam Burgundiam in suam potestatem redegerunt. Theodericus autem memorati Clodovei filius major cum fratre suo Clotario, et filio Theoberto Thuringorum fines ingreditur, et fugato Hermenfridio, regnum ejus in suam redegit potestatem. Clotarius vero inde rediens Radegundem Bertarii regis filiam, Hermenfridi neptem, secum abduxit, et eam sibi legitimo matrimonio copulavit. Sed illa post tempus modicum relicto maritali toro intra Pictavensem urbem vestem suscepit religiosam, in qua perseverans, cursum vitæ laudabiliter consummavit. Porro memorati Theoderici filios, nomine Theodebertus, cum bellator strenuissimus esset, adhuc patre superstite Italiam penetravit, et eam ab Alpibus usque ad maritimorum confinia locorum sibi tributariam fecit. Et dum inde rediret, ducem exercitus sui nomine Bucellenum, ad pervadendam Siciliam et reliqua Italiæ loca, quæ non adierat, dereliquit. Sed et iterum memorati fratres, Childebertos ac Clotarius, a Gallia prodeuntes, Hispaniam intraverunt; quam graviter devastantes magnam auri copiam cum stola sancti martyris Vincentii inde secum detulerunt. Verum Theoderico successerunt Theodebertus et Theobaldus. Tandemque monarchia ad Clotarium revertitur. Qui postquam sexaginta annis Suessionis regnaverat, defunctus est, relinquens quatuor filios sibi successores, Chilpericum Suessionis, Carebertum Parisiorum, Guntrannum Aurelianis, Sigisbertum Metis.

CAP. V. *De filiis Clotarii, et quibusdam aliis regibus.*

Sigisbertus autem uxorem accepit Brunichildem [Brunechildem] Lemingildi Hispaniæ regis filiam. Chilpericus vero frater ejus, cum esset lascivus et

vanus, multas habuit uxores. Inter quas habuit Fredegundem satis quidem speciosam, sed pessimis artibus opulentam, quæ memoratum Chilpericum suis voluptatibus tenebat astrictum. Hæc cum Landrico comite palatii solebat misceri. Quod Chilpericus tandem persensit. At illa ubi sibi periculum imminere sensit, usa calliditate feminea, crimen majori crimine parat obtegere, et redeunti a venatu suo marito struit insidias. Nam equo descendens Chilpericus, dum a propriis satellitibus excipitur, duobus cultris transfossus occiditur. Successit tamen ei filius ejus Clotarius. Ante hæc præfatus rex Sigisbertus Clotarii regis Francorum filius est occisus. Cujus regnum Childebertus filius ejus cum matre Brunechilde regendum suscepit. Et non multo post Guntrannus Chilperici germanus defunctus est. Qui regnum suum reliquit nepoti suo modo dicto Childeberto. Childebertus quoque cum viginti tres annis regnasset in Austrasia, et quatuor in Burgundia, decessit duos sibi relinquens hæredes filios. Quorum unus, cui nomen Theobertus erat, regnum Austrasiorum regebat, et Theodericus regnum Guntranni gubernabat. Verum Theoberto et Theoderico varia sorte defunctis, Clotarius regnum Francorum obtinuit. Clotarius vero Brunechildem reginam equo indomito alligatam judicantibus Francis pro diversis pravitatibus suis dirumpi præcepit. Porro Clotario Dagobertus successit. Qui cum se ad mortem urgeri conspiceret, concessit regnum Austrasiæ filio suo Sigisberto, regnum vero Neustriæ Clodoveo. Inter Rhenum et Mosam est Austrasia; inter Mosam et Ligerem Neustria, quasi nova Austrasia, quæ nunc Franconia et Francia appellatur. Post hæc Clodoveus deficiens duos filios suos sibi reliquit successores, Clotarium in Neustria, Childericum in Austrasia. Quorum Clotarius post annos tres assumpti principatus regnum cum vita perdidit. Quo vita privato successit ei frater ejus Theodericus. Verum hunc post modicum tempus Franci de regno depellunt, et Ebroinum regiæ aulæ præpositum Lupunio monasterio intrudunt, cum ejus nequitias ultra tolerare nequirent, deinde assumentes Theoderici fratrem Childericum sibi statuerunt regem; sed non multo post Childericus interficitur, et Theodericus in regnum revocatur. Quod audiens Ebroinus, monachali qua induebatur veste deposita, e monasterio egreditur, et undique circa se viribus aggregatis, iterum major regiæ domus efficitur, et contra viros qui aulæ præfuerunt regiæ Childerici regis temporibus, et maxime contra Leodogarium Heduensem episcopum sæviens illum comprehendit, et post multa tormentorum genera decollari præcepit. Defuncto vero Ebroino Pippinus filius Anchesigilli dominari sub regibus cœpit in Austrasia. Qui ex uxore Pletrude duos filios habuit Drogum et Grimoaldum. Sed ex concubina genuit Carolum Tuditem. Porro Theoderico successit Clodoveus filius ejus, et Clodoveo Childebertus, et Childeberto Dagobertus filius ejus. Hac denique tempestate cœperunt reges Francorum a solito vigore deficere, et regni negotia per majores aulæ regiæ administrare, id est per dapiferum, comestabulum, et camerarium. Post hæc mortuus est Pippinus, et successit ei Carolus Tudites filius ejus. Qui Tudites a majoribus fabrorum malleis, quibus tundi et extenuari massa solet, appellabatur. Qui major aulæ regiæ factus sub Dagoberto minore satis strenue cum Sarracenis pugnavit. Nam præcedenti tempore Sarraceni ex Africa transfretantes in Hispaniam, eam subjugaverunt; indeque Dagoberti temporibus cum uxoribus et pueris erumpentes, Aquitaniam Galliæ provinciam invaserunt, et usque ad Septimaniæ et Viennensis provinciæ fines, quæque depopulantes pervenerunt. Sed hos Carolus Tudites duobus magnis prœliis, uno in Aquitania, et altero juxta Narbonem ita devicit, ut in Hispaniam eos redire compelleret. In quo bello trecenta Sarracenorum millia interfecit. Iste est Carolus Tudites, qui propter assiduitatem bellorum res ecclesiasticas laicis tradidit, pugnavit etiam contra Saxones et Bavaros [Bavarios], quos cum magna difficultate superavit. Pugnavit et cum Hendone Aquitanorum duce, et Raufredum comitem regalis palatii e palatio expulit. Sed unam ei tantum civitatem, hoc est Andegavensem concessit. Porro Dagoberto regi Francorum successit Theodoricus filius ejus. Carolus quoque Tutides defunctus est. Et obtinuerunt principatum ejus filii ejus, Carolus Magnus atque Pippinus. Præfato denique Dagoberto decedente regnavit pro eo Theodoricus filius ejus; et Theodorico successit Childericus, quem et Hildericum vocant. De quo cum esset vir inutilis ac remissus, Pippinus major aulæ regiæ studuit per legatos Zachariam Romanum antistitem interrogare dicens, an ille deberet esse rex Franciæ, qui, otio deditus, solo nomine regio contentus erat. Cui pontifex remandavit illum debere appellari regem qui bene regeret rempublicam. Qua responsione Franci animati Hilderico in monasterium detruso, et monachali tunica palliato, Pippinum sibi regem constituerunt. Mortuo proinde Pippino anno regni sui decimo quinto, Carolus et Carolomannus filii ejus regnum obtinuerunt. Quorum Carolus in Noviomensi urbe suscepit regiam coronam, et frater ejus Carolomannus Suessione. Sed Carolomannus, transacto biennio quo sublimatus est in regnum, vita decessit. Et uxor ejus, et filii ejus ad Desiderium Longobardorum regem nulla vi compulsi fugerunt. Sicque totius regni Francorum monarchiam Carolus solus obtinuit.

CAP. VI. *De regno Caroli Magni.*

Carolus primo regni sui anno Aquitaniam ingressus ducem Hunoldum, qui post Waifarii mortem eam provinciam sibi retinere parabat, aggressus est; quem etiam Vasconiam petere compulit. Sed Carolus Vascorum duci Lupo mandavit ut perfugam reddat, et nisi hoc mature faciat bello se eum expetiturum. Lupus vero, saniori usus consilio, non solum Hunoldum reddidit, verum etiam

seipsum cum provincia, cui præerat, ejus potestati promisit. Porro dum ad Carolum sicut dictum est Francorum ex integro pervenisset regnum, legatus Romanæ Ecclesiæ nomine Petrus, ab Adriano pontifice missus ad eumdem gloriosum regem Carolum venit, postulans ab eo auxilium contra Longobardorum regem Desiderium, qui more patris sui Astulphi Romanam inquietavit Ecclesiam. Cui Carolus obediens bellum contra Desiderium magna virium copia præparavit, et per montem Cenisium Italiam intravit, et forti robore Ticinum nunc Papiam Italiæ civitatem circumdedit, ubi Desiderium regem cepit, et in exsilium misit. Præterea filium Desiderii Adalgisum a regno patrio effugavit, et subactæ Italiæ filium suum Pipinum regem constituit. Quo in Italia composito negotio Saxonicum bellum arripoit. Saxones autem ita sunt virtute ejus perdomiti et emolliti, ut decem millia hominum ex eis cum uxoribus et parvulis sublata transtulerit, et per Galliam et Germaniam multimoda divisione distribuerit. Taliqne tandem conditione bellum constat esse finitum, ut, abjecto dæmonum cultu, Christianæ fidei sacramenta susciperent, et Francis uniti unus cum eis populus efficerentur. Interim tamen dum hoc bellum gereretur, dispositis per loca congrua præsidiis, Hispaniam est ingressus. Saltuque Pyrenæi montis superato, et omnibus, quæ adierat, oppidis atque castellis in deditionem susceptis, reversus est. Sed dum inde rediret in ipso Pyrenæi jugo Vasconum perfidiam est expertus. Nam cum agmine longo ut loci et angustiarum situs exigebat porrectos iret exercitus, Vascones in summo montis insidiis collocatis, extremam partem agminis invaserunt, et in subjectam vallem dejecerunt.

Consertoque cum eis prælio, omnes quos invenerunt interfecerunt. In quo prælio Eggihardus, regiæ mensæ præpositus, Anselmus comes palatii, et Rolandus præfectus limitis Britannici cum aliis compluribus interfecti sunt. Ex quibus Rolandus Blavis castello deportatus est sepultus. His quoque diebus magnus rex Francorum Carolus ab Hispania reversus reperit conjugem Hildegardam geminam edisse prolem. Post hæc Carolus subjugatis Narbonensibus in Franciam regressus est, et non post multum temporis ad Capuam Campaniæ urbem per Italiam perrexit, et inde rediens Beneventanis bellum indixit. Verum dux Provinciæ, Aragisus nomine, ferocitatem regis ferre non prævalens, filios suos, Romoaldum et Grimoaldum, obsides ei pro conservanda fidelitate transmisit. Et iterum post hæc Carolus Magnus ad Galliam reversus. Bajoaricum denique bellum est exortum, et celeriter consummatum. Sed et Suævis bellum est illatum, Dani vero Suævis erant confœderati. Sed hos omnes una tantum expeditione edomuit Carolus. Hunnos quoque et Avares bello aggressus est. Quod bellum intra octavum, ex quo cœptum fuerat, annum feliciter consummatum est. Totam præterea Frisiam atque Britanniam suo dominatui subjugavit.

CAP. VII. *Quomodo Carolus Magnus factus est imperator.*

Romæ denique Adriano papæ subrogatus est Leo. Præfati vero Adriani papæ cognati Romæ commoventes populum contra Leonem papam tenuerunt, et excæcaverunt eum; non tamen lumen ejus penitus exstinguere potuerunt. At ille confugit ad Carolum regem Francorum, qui ultus est eum, et restituit in sedem suam. Leo vero coronavit eum in templo Sancti Petri imperatorem, circumdans eum imperatoria veste. Tuncque ipsi acclamatum est ab omni populo Romanorum: *Carolo Augusto a Deo coronato, magno, pacifico imperatori vita et victoria.*

CAP. VIII. *De imperio Caroli Magni.*

Carolus igitur Magnus ex rege Francorum factus imperator Romanorum, anno Incarnationis Dominicæ septingentesimo octogesimo quarto, imperavit annis circiter quadraginta septem. Ille suscepta sicut superius dictum est et ordinata republica inchoavit opera plurima ad imperii dignitatem, inter quæ videntur esse præcipua, basilica Sanctæ Mariæ Aquisgrani, et pons apud Moguntiacum in Rheno quingentorum passuum longitudinis. Præcipue ædes sacras in toto regno suo ubicunque collapsas reperit, pontificibus, ad quorum curam pertinebant ut restaurarentur, adhibens curam per legatos imperavit, ut imperata perficerentur. Præcipue vero Romanam Ecclesiam defendebat, et suis opibus exornabat. Religionem christianam summa pietate semper excoluit, et ecclesiam mane et vespere, et nocturnis horis, et sacrificii tempore impiger frequentavit. Circa pauperes quoque maxima liberalitate præditus erat, ut qui non solum in regno suo, verum etiam in transmarinis regionibus illis subveniebat, et in Syriam, Ægyptum, et Africam, et Jerosolymam, et Alexandriam, atque Carthaginem pecunias multas mittere satagebat. Legebantur ei historiæ, et res gestæ. Delectabatur et in libris sancti Augustini, præcipue in iis, qui De civitate Dei titulum habent. Habuit præterea tres filios, Carolum, Pippinum, et Ludovicum. Verum tandem magnificus imperator Carolus cum finem sibi vitæ cerneret imminere, Ludovico filio suo coronam imperialem dereliquit. Decessit autem anno vitæ suæ septuagesimo secundo, regni vero sui quadragesimo septimo, et Incarnationis Christi octingentesimo decimo quarto, indictione quarta, quinto Kalendas Februarii. Sepultus est autem in ecclesia Beatæ Mariæ Aquisgrani. Eodem quoque tempore claruit Ægidius sanctus confessor præcipuus, natione Græcus, qui Dei nutu veniens ad Gallias, in provincia cui Septimania nomen est, eremiticam duxit vitam.

CAP. IX. *De Ludovico pio, et quibusdam aliis regibus.*

Ludovicus denique pius Magni Caroli imperatoris filius, post patris obitum Romanum obtinens imperium, anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo decimo quarto, imperavit annis ferme viginti septem. Hic fuit vir clementissimæ naturæ. Unde cum, justa suorum lenitatem morum, rempublicam disponeret, tulit finem multis adversitatibus plenum, tam a liberis quam regni proceribus crudeliter impugnatus. Fuit etiam præceptorum Domini ferventissimus executor, et legis sanctæ strenuissimus propugnator. Ipsius denique tempore cœperunt deponi ab episcopis et clericis baltei gemmis onerati, et sæcularia ornamenta. Genuit etiam ipse serenissimus imperator filios tres ex Hermengarda prima uxore sua, Lotharium, Pippinum, atque Ludovicum: et ex secunda nomine Judith Carolum regem Francorum. Porro Lotharius imperatoris primogenitus, dum esset a patre benegnissimo rex super Italiam constitutus, Romam venit, et sancto Paschæ die in Ecclesia Sancti Petri a Paschali papa coronam cum nomine suscepit Augusti. Verum Lotharius iste postea patrem suum Ludovicum comprehendit, et apud Sancti Medardi monasterium custodiri mandavit. Uxorem quoque ipsius Judith exsilio relegavit, et Carolum, quem ex ea Ludovicus genuerat, castro Privinnæ commendavit. Sed non multo post Franciæ principes imperatorem Ludovicum a custodia liberaverunt, et patri Lotharium filium reconciliaverunt. Post hæc vero clementissimus imperator inter quatuor suos filios suum divisit imperium, et Lothario quidem Italiam, Ludovico autem Germaniam atque Saxoniam, Pippino Aquitaniam, Carolo vero Franciam delegavit atque Burgundiam. Sed Lotharius hanc imperii divisionem non æquanimiter tulit, et totum imperium sibi subjicere tentavit. Quod ut pater comperit, illico adversus eum iter arripuit. Sed in ipso itinere adversa comprehensus valetudine, diem clausit extremam. Post cujus obitum quatuor ejus filii apud Fontanidum campum atrociter inter se dimicaverunt. In quo bello Franciæ, Italiæ, Aquitaniæ, Alemaniæ, Saxoniæ, Burgundiæque omnes pene milites mutuis vulneribus sese occidere. Victoriam tamen Carolus Calvus obtinuit. Floruit etiam his temporibus Theodulfus, Floriacensium abbas et Aurelianensium episcopus. Qui cum insimulatus multis criminibus apud imperatorem Ludovicum fuisset, Andegavos est exsilio relegatus. Ubi dum custodia teneretur, contigit ut eodem die Palmarum veniret jam dictus imperator. Et dum secus domum, qua custodiebatur idem Theodulfus, processio pertransiret, facto silentio præsente imperatore illos pulcherrimos versus, qui nunc usque per Galliam in eadem solemnitate psalluntur, a se editos per fenestram decantavit, quorum hoc est exordium. *Gloria, laus, et honor tibi sit, Rex Christe Redemptor.* Quibus verbis imperator emollitus, mox eum a vinculis absolvi præcepit, et pristina gratia condonavit. Floruit quoque per idem tempus Rabanus. Porro Lotharius post patris obitum non multis diebus evolutis adversa valetudine correptus, monachus factus est, relinquens Ludovico filio suo Italici dignitatem imperii. Carolus vero Franciam, Burgundiam, et Aquitaniam obtinuit solus. Ludovico autem in Italia successit Lotharius, et Lothario Hugo. Isti sunt quoque, qui post Ludovicum imperaverunt in Alemania, Ludovicus, Carolus, Arnulfus, Ludovicus, Conradus, Henricus, Otho, Otho, Otho, Henricus, Conradus, Henricus, Henricus, Luiterus. Verum Carolo Calvo successit Ludovicus Gallus, et huic Carolomannus, et Carolomanno Ludovicus, et Ludovico Carolus Simplex.

CAP. X. *De gente Northmannorum, et successoribus Caroli Simplicis.*

Hac præterea tempestate regnante Carolo Simplice, Northmanni, origine Dani, duce quodam, Rollone nomine, a Scythia inferiori egressi, atque per Oceanum vecti, cum sæpenumero ante, tam Germaniam quam Galliam more piratico per eadem Oceani littora excurrentes infestassent; tandem egressi, Galliam, qua parte Britanniam respicit, pervaserunt, civitatemque in ea Rothomagum occupantes, usque in hanc diem Northmanniam de suo nomine vocaverunt. Northmanni enim lingua barbara, quasi viri septentrionales dicti sunt, eo quod primum ab illa mundi parte venerant. Carolus autem rex Francorum, inito cum eis fœdere, filiam suam Rolloni uxorem dedit, eamque terram, quæ nunc Northmannia vocatur concessit. Qui scilicet Rollo baptizatus, Roberti nomen accepit. Atque exinde gens Northmannorum Christo credens fidei subjecta est. Postquam autem Northmanni in ea, quam pervaserant, parte Franciæ confirmati sunt, etiam ultra manus extendere conati sunt. Guillelmus siquidem Nothus, dux Northmanniæ, Angliam sibi subjugavit. Alii autem progressi, Apuliam, Calabriam, Siciliamque occupavere. Carolo denique Simplici successit Robertus, qui fuit alienus a regno, regnavitque annis duobus, et Roberto successit Radulfus alienus, regnavitque tredecim annis. Post hoc reductum est regnum, regnavitque Ludovicus filius Caroli, cui successit, Lotharius, et Lothario Ludovicus, et Ludovico Carolus frater ejus, qui regnavit anno dimidiato. Post hoc translatum est regnum ad Hugonem. Porro Hugoni successit Robertus. Iste Robertus fuit vir bonus, et fide catholicus, qui sanctam Ecclesiam, et ecclesiasticos viros semper studuit honorare et exaltare. Hic etiam condidit Ecclesiam præcipuo Christi confessori quem multum diligebat, et summo venerabatur honore Aviano in civitatis Aurelianensis suburbio. Post hunc fuerunt isti Henricus, Philippus, Ludovicus Grossus, Ludovicus Junior, et Philippus.

(Excerptionum pars II exstat supra in Appendice ad opera exegetica; pars III, sermonibus centum constans, in Appendice ad opera mystica.)

DE UNIONE CORPORIS ET SPIRITUS.

Quod natum est ex carne caro est, et quod natum est ex spiritu spiritus est (Joan. III). Si nihil inter spiritum et corpus medium esset, neque spiritus cum corpore, neque corpus cum spiritu convenire potuisset. Multum autem distat inter corpus et spiritum; longe sunt a se duo hæc. Est ergo quiddam quo ascendit corpus, ut appropinquet spiritui, et rursum quiddam quo descendit spiritus, ut appropinquet corpori. Id quo ascendit corpus, altius corpore est: et iterum id quo descendit spiritus inferius est spiritu. Sed et ipsa corpora non omnia ejusdem qualitatis sunt, sed facta sunt alia superiora, alia inferiora, alia suprema, et corporeæ naturam pene transcendentia. Similiter et spirituum sunt alii superiores, alii inferiores, alii infimi, et pene infra spiritualem naturam prolapsi, ut in hunc modum infima cum summis copulentur. Ascendit Moyses in montem, et Deus descendit in montem. Nisi ergo Moyses ascendisset et Deus descendisset, non convenissent in unum. Magna sunt in his omnibus sacramenta. Ascendit corpus, et descendit spiritus. Ascendit spiritus, et descendit Deus. Quo ascendit corpus, superius est corpore. Quo descendit spiritus, inferius est spiritu. Rursum quo ascendit spiritus, superius spiritu: et quo descendit Deus, inferius Deo. Corpus sensu ascendit, spiritus sensualitate descendit. Item spiritus ascendit contemplatione, Deus descendit revelatione. Theophania est in revelatione, intelligentia in contemplatione, imaginatio in sensualitate, in sensu instrumentum sensualitatis, et origo imaginationis. Vide scalam Jacob, in terra stabat, et summitas ejus cœlos tangebat. Terra corpus, cœlum Deus. Ascendunt animi contemplatione ab infimis ad summa. A corpore ad spiritum, mediante sensu et sensualitate. A spiritu ad Deum, mediante contemplatione et revelatione. Dominus autem scalæ innititur, ut ad infima suprema inclinentur. Ascendamus igitur et nos consideratione, quantum possumus, quia etsi totum non possumus, forte aliquid possumus. Si non sumus angeli volantes, tamen sumus homines ambulantes. Angeli scala non indigent qui volant divina contemplatione; sed homines qui repunt, vel, si amplius, ambulant humana ratione. Ego non puto angelos scalam quæsivisse propter se, sed ut homines docerent quid facere deberent ipsi. Ascensum est ab infimis ad suprema. Pone ergo primum quæ infima sunt, ut ab illis incipiens ordine ad superiora conscendas. Sunt igitur in hoc mundi corpore quatuor elementa propriis qualitatibus distincta, id est terra, aqua, ignis, aer. Sed ex his primum, id est terra sola per se immobilis est, quia moveri non potest, nisi extrinsecus impellatur. Reliqua tria mobilia sunt, quia per se moventur sine impulsu extrinseco. Hoc tamen interest quod aqua teneri potest, ut non moveatur, aer et ignis non possunt. Rursum aer ad statum teneri non potest, ad præsentiam potest. Ignis vero nec ad statum tenetur, ut non moveatur, nec ad præsentiam, ut non elabatur. Quæcunque ergo extrinsecus sive ad præsentiam, sive ad statum teneri possunt, extrinsecus etiam moveri possunt, vel ut moveantur, si immobilia sunt, vel ut amplius moveantur, si mobilia sunt. Solus ignis sicut teneri non potest, sic etiam extrinsecus moveri non potest, in se omnem motum habens et ex se.

In his ergo quatuor quæcunque magis sensui subjacent, magis corpora dicuntur: quæ vero a sensu plus longe sunt, magis a natura corporum recedunt, et ad naturam spirituum accedunt. Hinc est quod ipse aer, quia præ sui subtilitate videri non potest, spiritus appellatur, cum corpus sit quoniam in ea parte qua sensum corporis excedit, tantum spirituali naturæ appropinquat, ut in appellatione etiam nomen illius usurpet. Sed ignis qui ipso aere longe subtilior est et mobilior, et non sicut aer, extrinsecus terrena corpora afflando movet, sed interius vegetando vivificat, magis proprie vocatur spiritus. Sed hic spiritus, id est ignis alius est in iis corporibus, quæ tantum vegetat, non sensificat; alius in iis quæ et vegetat et sensificat. Vegetat enim quædam, non sensificat sicut arbores et plantas, et universa in terra germinantia; quædam autem vegetat et sensificat, sicut bruta animantia omnia, in quibus quædam sunt quæ sensum tantum habent, imaginationem non habent; quædam quæ sensum et imaginationem habent. Cum itaque sensificari majus sit quam vegetari tantum, constat profecto hanc vim subtiliorem esse ubi sensum præstat, quam illic ubi solam vegetationem confert. Ubi autem magis subtilis est, quodammodo magis spiritus est, quin in eo quo magis incorporeæ naturæ approximat, nomen pariter et proprietatem illius usurpat; non tamen propriæ, quia in eo ipso quod spiritus dicitur, corporeæ naturæ proprietatem nequaquam excedere comprobatur. Ig-

firmum vero et maxime corpus est illud quod per se omnino moveri non potest. Post hoc proximum et minus corpus est illud quod per se quidem moveri potest, et tamen extra se ad statum cohiberi potest. Deinde sequitur illud quod in natura corporis jam spiritus nomen sortitur; quod per se moveri potest et extra se quamvis ad præsentiam, ad statum tamen teneri non potest, quod non videtur et semper movetur. Summum est corpus et spirituali naturæ proximum, quod per se semper moveri habet, extra nunquam cohiberi habet; quod quidem, in quantum sensum præstat, imitatur rationalem visum, in quantum imaginationem, format vitalem sapientiam. Nihil autem in corpore altius, vel spirituali naturæ vicinius esse potest quam id ubi post sensum et supra sensum vis imaginandi concipitur. Quod quidem, in tantum sublime est, ut quidquid supra illud est, aliud non sit quam ratio. Ipsa utique vis ignea, quæ extrinsecus formata sensus dicitur, eadem forma usque ad intimum traducta imaginatio vocatur. Forma namque rei sensibilis per radios visionis foris concepta, operante natura, ad oculos usque retrahitur, atque ab eisdem suscepta visio nominatur. Deinde per septem oculorum tunicas et tres humores transiens, novissime purificata et collata introrsum ad cerebrum usque traducitur, et imaginatio efficitur. Postea eadem imaginatio ab anteriore parte capitis ad mediam transiens, ipsam animæ rationalis substantiam contingit, et excitat discretionem, in tantum jam purificata et subtilis effecta, ut ipsi spiritui immediate conjungatur; veraciter tamen naturam corporis retinens et proprietatem, ut constet quod scriptum est: *Quod natum est ex carne caro est* (*Joan* III). Sicut enim de spiritu corpus non nascitur, sic etiam de corpore spiritus non procreatur. Quamvis enim corpus usque ad spiritum sublimetur, et spiritus usque ad corpus humilietur, nec spiritus tamen in corpus, nec corpus in spiritum transmutatur. Sed *quod natum est ex carne caro est, et quod natum est ex spiritu spiritus est.* (*Ibid.*) Tamen quod summum est in corpore, propinquum est spiritui, et in ipso vis imaginandi fundatur, supra quam est ratio. Quod enim imaginatio extra substantiam animæ rationalis sit, argumentum est quod bruta animalia vim imaginandi habere probantur, quæ rationem omnino non habent.

Est itaque imaginatio similitudo sensus, in summo corporalis spiritus, et in imo rationalis corporalem informans et rationalem contingens. Sensus namque sive per visum, sive per auditum, sive per olfactum, sive per gustum, sive per tactum, extrinsecus corpus contingens formatur, ipsamque formam ex corporis contactu conceptam intrinsecus reducens per meatus singulis sensibus emittendis et revocandis introrsum dispositos ad cellam phantasticam colligit, eamque illi parti puriori corporei spiritus imprimens imaginationem facit. Quæ quidem imaginatio in brutis animalibus phantasticam cellam non transcendit; in rationalibus autem usque ad rationalem progreditur, ubi ipsam incorpoream animæ substantiam contingit, et excitat discretionem. Ergo imaginatio nihil aliud est quam similitudo corporis, per sensus quidem corporeos ex corporum contactu concepta extrinsecus, atque per eosdem sensus introrsum ad partem puriorem corporei spiritus reducta, eique impressa. Hæc autem in rationalibus purior fit, ubi ad rationalem et incorpoream animæ substantiam contingendam defecatur; tamen illic quoque extra substantiam illius manens, quia similitudo corporis est et fundatur in corpore. Rationalis autem substantia corporea lux est; imaginatio vero, inquantum corporis imago est, umbra est. Et idcirco postquam imaginatio usque ad rationem ascendit, quasi umbra in lucem veniens, et luci superveniens, inquantum ad eam venit, manifestatur, et circumscribitur; inquantum illi supervenit, obnubilat eam, et obumbrat, et involvit, et contegit. Et siquidem ratio ipsa sola contemplatione eam susceperit quasi vestimentum, ei est ipsa imaginatio extra eam, et circa eam quo facile exui et spoliari possit. Si vero etiam delectatione illi adhæserit, quasi pellis ei fit ipsa imaginatio, ita ut non sine dolore exui possit, cui cum amore inhæsit. Hinc est quod animæ corporibus exutæ, corporalibus adhuc passionibus teneri possunt, quia videlicet a corruptione corporalium affectionum nondum mundatæ sunt. Habet namque et ipse spiritus quamdam in sua natura mutabilitatem, secundum quam corpori vivificando appropinquat, in qua illa spiritualis et incorporea substantia nonnihil suæ puritatis deponit, et quasi quamdam grossiori proprietate corpori assumendo occurrit. Quæ quidem coaptatio, si secundum solam naturam fit, mutationem habet, corruptionem non habet. Sin autem vitiosa est, in hoc ipso poriorem naturam corrumpit, quod eam ad consortium ignobilioris terminos naturæ transire compellit. Et hoc vitium quanto altius animæ in corpore manenti inhæserit, tanto difficilius a corpore discedentem deserit: et non tollitur passio, etiam cum tollitur causa passionis. Ipsa quippe anima, inquantum delectatione corporis afficitur quasi quamdam corpulentiam trahens, in eadem phantasiis imaginationum corporalium deformatur, eisdemque alte impressis etiam soluta corpore non exuitur. Quæ vero in hac vita se ab ejusmodi fæculentia mundare studuerint, hinc exeuntes quia nihil corporeum secum trahunt, a corporali passione immunes persistunt. Sic itaque ab infimis et extremis corporibus sursum usque spiritum incorporeum, quædam progressio est per sensum et imaginationem; quæ duo in spiritu corporeo sunt. Postea in spiritu incorporeo proxima post corpus est affectio imaginaria, qua anima ex corporis conjunctione afficitur, supra quam est ratio in imaginationem agens. Deinde ratio pura supra imaginationem, in qua ratione supremum est animæ

a corpore sursum. Quando autem ab anima sursum itur ad Deum, prima est intelligentia, quæ est ratio ab interiori formata, quia rationi concurrens conjungitur præsentia divina, quæ sursum informans rationem facit sapientiam, sive intelligentiam, sicut imaginatio deorsum informans rationem, scientiam facit.

Quomodo sermo Dei unus est, scilicet Verbum incarnatum; item vivus, efficax, penetrabilis, etc., et quomodo omnia nuda et aperta sint Deo; et de sacerdotio Christi.

Semel locutus est Deus (*Psal.* LXI), quia unum Verbum genuit, per quod omnia fecit. Hoc Verbum est sermo ejus. Unus est ergo sermo Dei, quia unum est Verbum Dei. Et ideo vere unus, quia unius unus, qui sententias multiplices non complectitur; sed uno et simplici verbo consummatur. Quare ergo dicitur in psalmo: *Ut justificeris in sermonibus tuis* (*Psal.* L). Et alibi: *Vivifica me ut custodiam sermones tuos* (*Psal.* CXVIII). Si enim vere sermo Dei unus creditur, quomodo multi sermones ejus dicuntur? Sed sciendum est quod aliter per hominum ora loquitur Deus, aliter per semetipsum. Nam quod Deus in hominibus per homines loquitur, hoc fere omnis et Veteris et Novi Testamenti scriptura testatur. Loquitur ergo Deus per homines, loquitur per se, multos sermones per homines, unum per semetipsum. Sed quoscunque per hominum ora protulit, iste unus in omnibus illis fuit, et omnes in isto uno unum sunt, qui sine isto quolibet loco vel tempore prolati esse non possunt. Videamus ergo magnum sacramentum, verbum Dei humana carne vestitum, semel visibile apparuit, et nunc quotidie idem ipsum humana voce conditum ad nos venit. Et quamvis aliter per carnem, atque aliter per vocem humanam hominibus innotescat, quodam modo tamen hic intelligenda est vox Verbi, quod ibi caro Dei. Humanitatem Christi mali quoque et increduli non solum videre, sed etiam occidere potuerunt: et adhuc quotidie sermonem Dei foris audiunt et contemnunt. Et quemadmodum illi hominem occidere non præsumerent, si Deum cognoscere potuissent, ita quoque isti nequaquam verba divina audita respuerent, si virtutem eorum interno sapore gustare valerent. Sermo igitur Dei vivus est, quia vita in eo est. In eo quod foris auditum excitat, id quod intus est cor vivificat. In eo quod auribus illabitur, id quod cordi inspiratur. Quod foris est transit, quod intus est mutabilitatem non recipit. Quod foris decursus verborum explicat, intus veritas incommutabilis dictat. Propterea, inquit, *cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Luc.* XXI). Ubi utique non transibunt ubi transitoria non sunt, quia sicut in multis unum verbum non dividitur, ita multa in uno verbo non variantur.

His itaque de sermone Dei breviter explicatis, nunc Apostoli verba inspiciamus: *Vivus est*, inquit, *sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti* (*Hebr.* IV). Vivus, quia non mutatur; efficax, quia non deficit; penetrabilis, quia non fallitur. Non mutatur in promisso, non deficit in facto, non fallitur in judicio. Promissio ejus oblivione non moritur, nec intentione mutatur. Operatio ejus difficultate non vincitur. Judicium ejus ambiguitate non fallitur. Veraciter promittit, fortiter facit, subtiliter discernit. Vivus est sermo Dei ut credas, efficax ut speres, penetrabilior ut timeas. Vivus est in præceptis et prohibitionibus, efficax in promissis et comminationibus, penetrabilior in judiciis et damnationibus. Sed quis veritas promissorum, et omnipotentia operum ejus credenda potius quam discutienda sunt, quæ sit subtilitas judiciorum ejus consideremus. *Penetrabilior*, inquit, *est sermo Dei omni gladio ancipiti*. Anceps est gladius, qui ex ambabus partibus incidit, qui cum infigitur penetrans ex utraque parte secundo viam sibi aperit, hic tamen non nisi carnem incidit; sed Dei gladius utrinque secat, quia potest *animam et corpus perdere in gehennam* ignis (*Matth.* X). Sive in judiciis utrinque secat, quia utrumque dijudicat, incidit et discernit. Sequitur: *Pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus* (*Hebr.* IV). In unoquoque homine tria sunt, caro, spiritus, et mens. Ad carnem pertinet delectatio, ad spiritum cogitatio, ad mentem discretio. Delectatio est serpens, cogitatio Eva, discretio Adam. In delectatione est superfluitatis concupiscentia. In cogitatione est necessitatis providentia. In discretione est veritatis sententia. Delectatio providentiam obtentu necessitatis ad superfluitatem præcipitat. Providentia rationem per compassionem inferioris inclinat a sententia veritatis. Prima divisio est inter serpentem et Evam, hoc est inter carnalitatem sive animam, vel animalitatem et spiritum, inter delectationem et cogitationem, inter superfluitatem et necessitatem. Secunda divisio est inter Evam et Adam, inter cogitationem et intentionem, vel discretio inter prudentiam carnis et sententiam veritatis. Sermo etiam Dei quasi inter animam et spiritum dividit, quando sacrum eloquium nobis, quæ inter carnalia et spiritualia desideria repugnantia habeatur ostendit. Sequitur: *Compagum quoque et medullarum* (*ibid.*), id est etiam usque ad divisionem compagum et medullarum pertingit ipse sermo Dei. Quid vero per compages et medullas accipere debeamus, explanatur cum subditur: *Cogitationum et intentionum* (*ibid.*). Compages sunt cogitationes, medullæ intentiones. Primum foris sunt opera quasi cutis, deinde delectatio quasi caro, deinde cogitationes quasi ossa, deinde intentio quasi medulla. Sicut cutis carnem tegit, sic opera delectationem, et sicut ossa carnem fulciunt, sic cogitationes desideria pascunt; et sicut medullæ ossibus interiores sunt, sic in cogitationibus intentiones latent. Cogitationes etiam compages vocantur, quia quodammodo ita desideria adinvicem copulant, sicut compages membrorum artus ligant. Compago enim vinculum est quod medium est, et extrema conjungit. Et similiter cogitationes, quia et ex desideriis nascuntur, et

desideria generant quodammodo, et hæc nutriendo, et illa gignendo utraque ad invicem ligant. Quasi enim præcedentibus sequentia connectunt, quia de illis et ipsæ, et illæ de ipsis prodeunt. Quod vero desideria cogitationes gignere diximus, nemini qui seipsum cognoscit, ignotum esse potest, quia illius profecto sæpius in cogitatione volvimur, cujus amore plus affecti sumus. Unde etiam Dominus in Evangelio dicit : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum* (*Matth.* VI). Ac si diceret : Ubi est desiderium tuum, ibi est et cor tuum, id est ubi est affectio tua, ibi est et cogitatio tua. Rursus quod cogitationes desideria generent, Psalmista ostendit dicens : *In meditatione mea exardescet ignis* (*Psal.* XXXVIII). Quia cujus rei cogitatio animo frequenter insederit, illius amor acrior in corde exardescit. Convenienter igitur per medullas, quæ in corpore magis secretæ sunt et reconditæ, intentiones accipimus, quæ quasi cogitationum nostrarum medullæ sunt, quia in cogitatione cordis latet intentio cogitationis. Quam dum subtiliter discutimus, quasi ad interiora ossium penetramus.

Liquet ergo quod recte compages, cogitationes, et medullæ dicantur intentiones. Superest inquirere quomodo sermo Dei usque ad divisionem eorum pertingat. Prima divisio est inter animam et spiritum, hoc est inter voluptates carnales et spirituales. Secunda divisio est inter compages, id est cogitationes carnales et spirituales. Primum enim discernuntur voluptates, et utrum bono an malo desiderio affectus sit animus. Quæ discretio ideo prima est, quia facilius quisque sua desideria dijudicare potest; deinde sequitur discretio cogitationum, quæ magis est occulta, et difficilius comprehenditur. Quia enim ex pravis desideriis bonæ nonnunquam cogitationes oriuntur, et rursus ex bonis desideriis pravæ cogitationes prodeunt : non facile est cogitationum qualitatem discernere vel discutere, cum non solum ex præcedentibus desideriis, de quibus oriuntur, sed etiam ex subsequentibus quæ ipsæ gignunt, eas oporteat judicare. Sed ut apertius videatur qualiter ex pravis desideriis bonæ, et ex bonis desideriis pravæ cogitationes nascantur, exemplo monstretur. Nemo est qui desiderium rapinæ nesciat malum esse, sed aliquando ex desiderio rapiendi nascitur desiderium occidendi, et sæpe ex desiderio occidendi nascitur horror homicidii. Dum ergo ex malo desiderio cogitatio bonorum gignens affectum prodit, quasi in radice mala surculus bonus dulcem fructum facit. Similiter aliquando ex bono desiderio mala cogitatio nascitur, ut nonnunquam pollutionem carnis abominando, turpitudinem carnalis concupiscentiæ cogitare incipimus, et ex ipsa nostra cogitatione ad delectationem illicitam inflammamur, et quasi de puro fonte aqua manare incœperat, sed paulatim defluens in sentinam turpitudinis ibat. Aliquando autem cogitationes et ex bonis desideriis prodeunt, et bona desideria gignunt, vel ex malis ortæ similiter mala proferunt. In qua ambiguitate quia difficilius veritas discerni potest, bene post divisionem animæ spiritus, id est carnalium et spiritualium voluntatum, divisio compagum, id est cogitationum bonarum et malarum, quasi perplexior et difficilior est posita. Postremo, quia discretio intentionum iis omnibus secretior esse cognoscitur, merito in extremo medullarum quoque divisio subditur. Hæc autem omnia sermo Dei dijudicando penetrat, quia ille qui per sapientiam suam intus secreta nostra subtiliter intelligendo discernit, foris per doctrinam suam utiliter nos illuminando eadem intelligere facit. Quia igitur *vivus est sermo Dei*, credamus eum vera promittere; quia *efficax* est, speremus eum promissa perficere; quia *penetrabilis* est, et falli non potest, offendisse eum pœniteamus, et de reliquo timeamus offendere. Ipse enim et voluntates nostras intelligit, et cogitationes videt, et intentiones comprehendit. Sequitur :

Non est ulla creatura invisibilis coram ipso (*Hebr.* IV). Oculus Dei et longinqua capit, quia ubique præsens est, et intima, quia in omnibus est, et subtilia, quia perspicax est, et maxima comprehendit, quia omnia in ipso sunt. Hoc prosequitur dicens : *Omnia sunt in conspectu ejus nuda* (*ibid.*), quia in ipso sunt omnia *et aperta* (*ibid.*), quia ipse est in omnibus, vel nuda creatura dicitur, nuda actio vel cogitatio, vel intentio humana. Quidam est oculus, qui foris est et non intus, sicut oculus carnis; quidam intus est ad aliquid, et ad aliquid foris, ut oculus cordis; et quidam oculus, qui intus est tantum et non foris, ut oculus Dei. Oculus carnis videt tantum extima corporum, et oculus mentis extima cordium. Oculus Dei intima videt. Oculus cordis ad oculum carnis intus est, ad oculum Dei foris. Et sicut oculus carnis non capit quæ capit oculus cordis, sic oculus cordis non capit quæ capit oculus Dei; sed oculus Dei capit quæ capit oculus cordis. Igitur oculus carnis tantum capit extima corporum. Oculus cordis et extima et intima corporum sed tantum extima cordium. Oculus vero Dei extima simul et intima non solum corporum, sed etiam cordium capit. Ergo non est ulla creatura invisibilis coram eo. Omnia autem sunt nuda et aperta coram eo. Ab oculis nostris teguntur sæpe etiam quæ visibilia sunt; quæ invisibilia sunt clauduntur. Actio visibilis est, intentio invisibilis est. Sed actiones hominum licet in sua natura visibiles sint, multis tamen modis teguntur ab oculis nostris, ne videantur. Intentio autem videri non potest, etiamsi ipsa actio videatur. Igitur oculis Dei omnia sunt nuda, quia ipse omnes actiones hominum videt ubicunque fiant, quia non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ubi abscondantur qui operantur malum; nec operimentum tegit, nec velamen protegit, nec paries intercludit, nec caligo abscondit nos ab oculis ejus. Ergo omnia sunt nuda, quia ipse videt omne quod agitur; omnia aperta quia ipse videt qua intentione agatur. Sequitur :

Ad quem nobis sermo (*ibid.*), id est ad Deum vel ad sermonem ejus, subauditur vel est, vel erit, vel

esse debet sermo. Primum fit sermo Dei ad nos, postea sermo noster ad Deum. Duobus autem modis fit sermo Dei ad nos, interius et exterius. Interius per inspirationem, exterius per prædicationem. Item per inspirationem duobus modis, per naturam et per gratiam. Per naturam, quando conditis inspirat cognitionem boni; per gratiam, quando reparatis suggerit amorem boni. Duobus etiam modis fit noster sermo ad ipsum, vel consulendo rationem, vel reddendo rationem. Si modo rationem ex voluntate consulero ad faciendum nolumus, tunc ex necessitate de factis rationem reddemus : sicut in Apocalypsi dicuntur libri aperti, et deinde liber alius apertus qui est vitæ, postea judicatos mortuos ex iis quæ scripta erant in libris (*Apoc.* XX). Libri sunt corda hominum. Liber vitæ est sapientia. Dei libri aperiuntur, quando manifesta sunt secreta cordium. Liber vitæ aperietur, quando unicuique luce interiori manifeste patescet omne quod faciendum est. Et mortui ex his quæ in libris sunt, non quæ in libro, judicantur, quia peccatores ex suis operibus judicabuntur. Libri nostri ad librum Dei scripti sunt, quia corda nostra ad similitudinem sapientiæ Dei condita sunt sicut dicitur : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV). Adhuc scribi debent libri nostri secundum exemplar libri vitæ, sicut dicit Apostolus : *Estote imitatores Christi sicut filii charissimi* (*Ephes.* V). Etsi scripti non sunt, saltem corrigendi sunt. Conferamus itaque libros nostros cum hoc libro, ut si quid aliter habuerint, corrigantur, ne in illa ultima collatione, si quidpiam aliter inventi fuerint habentes, abjiciantur. Sic intelligi potest, ad quem, id est sermonem est nobis sermo. Vel aliter, ad quem est nobis sermo. Loquamur ad Christum de nobis, ut ipse ad Patrem loquatur pro nobis, quia pontifex est, ut conferat Deo vota populi, et magnus. Magnus secundum divinitatem, quia Filius Dei; magnus secundum humanitatem, quia penetrat cœlos. Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, id est ad ipsum in quo regnat gratia. Gratia autem in eo duobus modis regnat, quia nec in eo malitia est, quæ affectum gratiæ impediat quin velit, nec in nobis miseria quin possit. Accedamus ergo cum fiducia, quoniam et officium ejus est ut pro nobis oret, quia pontifex constitutus; et meritum ipsius ut impetret, quia justus. Denique libenter compatietur, quia et ipse propter nos infirmitatibus circumdatus est. Constitutus est, quia a Deo. Non enim ipse se constituit, sed Deus illum glorificavit, qui dixit : *Filius meus es tu : ego hodie genui te* (*Psal.* II; *Matth.* II, XVII; *Marc.* IX). Quando in baptismo hoc dictum est super Christum, tunc quasi ad pontificatum electus est. Quando in monte dictum est, tunc quasi pontifex est ordinatus, et veste indutus gloriæ. Postea in tertia voce quæ ad eum venit de cœlo, dicens : *Et clarificavi, et iterum clarificabo* (*Joan.* XII), approbatus et confirmatus est in dignitate sua, sicut Aaron post ordinationem, quia quosdam æmulos et suo sacerdotio derogantes habuit, a Deo probatus est et confirmatus. In monte vestem gloriæ in ordinationem accepit; in resurrectione ad offerendas pro nobis preces Deo induit. *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat oblationes et sacrificia pro peccatis* (*Hebr.* V). Duplex esse debet assumptio eorum qui præficiuntur, scilicet ut primum intus per gratiam assumantur ad excellentiam virtutis, postmodum foris per obedientiam vocentur ad excellentiam dignitatis. Alii assumuntur intus, et non foris sicut boni subjecti. Alii assumuntur foris et non intus sicut mali prælati, alii foris et intus sicut boni prælati, alii nec foris nec intus sicut mali subjecti. Sequitur :

Pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum (*ibid.*). Dicitur in Evangelio : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (*Luc.* XX). Sicut Cæsar habet præfectos suos ad populum qui exigant ea quæ Cæsaris sunt, sic et Deus habet præfectos suos ad populum suum, qui ea quæ Dei sunt requirant. Et sicut præfecti Cæsaris legatione populi funguntur ad intercedendum, et legatione Cæsaris ad populum ad imperandum, sic et præfecti Dei, id est prælati in Ecclesia legatione populi funguntur ad Deum ut obsecrent, sive legatione Dei ad populum ut jubeant. Aliud est enim officium prælati, inquantum est legatus populi ad Deum, et aliud est inquantum legatus Dei ad populum. In illo officio, quo est legatus populi erga Deum, devotionem exhibere debet, ut eum oblationibus et sacrificio spirituali precibusque placatum reddat. In eo officio quo est legatus Dei ad populum, ad ipsum pertinet ignorantes docere, peccantes corrigere. De illo officio in quo est legatus populi ad Deum dictum est, ut offerat sacrificia et oblationes pro peccatis. De illo officio in quo est legatus Dei ad populum, dictum est, *ut sciat compati iis qui ignorant et errant. Quoniam et ipse circumdatus est infirmitate* (*Hebr.* V). Quidam sunt qui se in infirmitate esse cognoscunt, sed circumdatos infirmitate non putant, hi videlicet qui in quibusdam actionibus suis fortes se esse considerant. Qui vero in omnibus suis se infirmari conspiciunt, in quantum ad æstimationem suam, undique infirmitate circumdati sunt.

APOLOGIA DE VERBO INCARNATO

AUCTORE, UT VIDETUR,

JOANNE CORNUBIENSI,

CONTINENS

Objectiones contra eos qui dicunt Christum non esse aliquid secundum quod est homo.

Fides est certitudo rerum invisibilium ad religionem pertinentium, supra opinionem et infra scientiam constituta. Ex hac fidei assignatione patet quod non licet dubitare, vel opinari circa fidei articulos. Ubi enim est opinio, non est certitudo, ubi vero non est certitudo, non est fides. In naturalibus opinionibus vel poeticis existimationibus, vel in allegoricis, vel tropologicis sententiis, licet diversas sententias promere. Circa fidem non licet non solum aliud constituere, sed nec de ipsa veritate ad modicum dubitare; sed oportet firmiter ipsam profiteri. Unde in Symbolo Athanasii: *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Si autem de nullo fidei articulo licet diversa opinari, maxime de illo qui cæteris est principalior, cui cæteri tanquam fundamento innituntur, qui in his verbis exprimitur. *Verbum caro factum est* (*Joan.* I), id est homo constans ex carne et anima. Unde Augustinus: *Firmissime tene, et nullatenus dubita ipsum qui æternaliter natus est de Patre, esse illum qui essentialiter conceptus est et natus de Virgine, unius naturæ cum matre.* Ecce Augustinus prohibet dubitare, et jubet firmissime tenere in Christo duas esse naturas, divinam scilicet, secundum quam dicit: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X); et humanam, secundum quam dicit: *Pater major me est* (*Joan.* XIV).

QUÆSTIO I. Quæro igitur ab his qui dicunt Christum non esse aliquid in eo quod est homo, quid per me significetur cum dicitur: *Pater major me est*, an quod est Christus: an quod non est Christus? Si dicatur aliquid quod non est Christus per me significari in tali loco, consequens est ut Christus dicat se esse aliquid quod ipse non est; quod non convenit veritati. Item si aliquid per me ibi significatur quod est Christus, illud est vel substantia increata vel creata. Sed nulla substantia increata major est Pater. Sin autem substantia creata est, vel est rationalis, vel irrationalis. Sed substantia irrationalis esse non potest. Ergo est substantia rationalis. Et sic vel angelica, vel humana; sed angelica non est, ergo humana. Oportet itaque ibi significari substantiam creatam et rationalem, et humanam, id est hominem constantem ex anima et carne. Unde Augustinus dicit quod pars, cum dicitur: *Verbum caro factum est*, ponitur pro toto, scilicet caro pro homine. Necessario ergo homo est aliquod totum, cujus pars sit caro, et illud totum sit Christus. Unde idem dicit: *Deus in æternum personam divinitatis temporalem accepit substantiam carnis.* Quid est in personam accepit, nisi personaliter sibi univit, id est ut quod assumptum est, una esset cum assumente persona? Unde in libro De agone christiano: *Incommutabilis veritas per spiritum animam, et per animam corpus suscipiens totum hominem assumptum liberavit.* In eodem: *Non eos audiamus qui sic dicunt ab æterna sapientia susceptum hominem, qui de Virgine natus est, quomodo et alii homines ab ea sapientes fiunt.* Aliud est enim sapientem tantum fieri per sapientiam Dei; et aliud est ipsam personam suscipere sapientiæ Dei. Audis quod homo ille personam suscepit sapientiæ Dei. Unde et per gratiam homo transivit in Deum, non naturæ versibilitate, sed Dei dignatione mirabiliter assumptus in unitatem personæ. Quapropter et aliter sapiens homo ille, qui personam sapientiæ gerit, aliter alii. Unde Augustinus super Epistolam ad Galatas: *Per fidem induendo Christum, omnes fiunt filii, non natura, sicut unicus Filius, qui sapientia Dei est. Neque præ potentia et singularitate susceptionis ad habendum naturaliter, et agendum personam sapientiæ, sicut ipse mediator unum cum ipsa suscipiente Sapientia.*

QUÆST. II. Quæro item quomodo Augustinus dicat susceptum hominem ad habendam naturaliter personam Sapientiæ Patris, cum alibi dicat quod in unitate personæ assumptus homo ille gratiæ est non naturæ? Solutio. Naturale duobus modis dicitur; et quod est de substantia rei, et quod est originale, id est ab origine creationis suæ datum. Unde quia homo assumptus ex quo fuit, persona divina fuit, non tamen per naturam, sed per gratiam; quodammodo naturale est ei esse personam Dei, sed hoc naturale non excludit gratiam. Unde Augustinus in Enchiridio: *In naturæ humanæ susceptione facta est quodam modo ipsa gratia illi homini naturalis.* Nam ex quo homo esse cœpit, non aliud esse cœpit quam filius, et hic unicus, ut quemadmodum una est persona, anima rationalis et caro; ita una persona Deus et homo. Filius tribus modis dicitur, adoptione, ut nos per fidem; susceptione ut mediator, scilicet homo assumptus; natura ut Verbum, quod eadem

substantia est cum Patre, non persona : et eadem persona cum Mediatore non substantia. Unde Augustinus in libro De Trinitate: *Cum filius sit Deus et homo, alia tamen substantia Deus, alia substantia homo.*

QUÆST. III. Quæritur an substantia humana in Christo sit adoranda. Solutio. *Dignitatis potestas non amittitur, dum humilitas adoratur*, ut dicit Hilarius. Et Augustinus. *Terra adoratur a Verbo Dei assumpta, quia nemo carnem ejus manducat, nisi prius eam adoret non tamen propter ipsam, sed propter eum cui unitur.* Dicit auctoritas quod Creator est creatus, prædestinans prædestinatus, infectus factus; quod secundum naturam humanam intelligendum est. *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, ad Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* xx). Si Christus non est aliqua substantia creata, non habet Deum, quia tantum creaturæ Deus est; sed ipse dicit se habere Deum necessario, ergo est aliquid quod habet Deum vel Creatorem. Dicitur alibi quod *tanta est unio hominis et Dei, quod totum est Deus, totum est et homo.* Quid per hominem significatur cum dicitur, *totum est homo?* Quid est quod sequitur quod *non in substantiis hominis?* Si enim sic intelligitur, Deus est homo, id est habet hominem. Sic potest dici, anima est caro, id est habet carnem. Augustinus dicit super Joannem, quod *aliud est Verbum Dei, et aliud homo.* Quid hic per hominem significatur? Si enim ut quidam opinantur, hic per hominem anima et caro intelligitur, et non aliquid compositum ex duobus dicere deberet, aliud est verbum Dei, alia sunt homo, cum per hominem plura, et non unum significetur. Augustinus dicit alibi super Epistolam ad Colossenses: *Homo excellentius assumptus personam gerit sapientiæ.* Si igitur id quod est assumptum non est persona, ut volunt quidam, nec personam gerit sapientiæ, quomodo ergo audent negare hominem assumptum personam esse? cum adeo aperte hic dicat auctoritas: *Qui descendit*, id est Deus, *et qui ascendit* (*Ephes.* IV), id est homo. Dicit enim expositor quod deitas et humanitas sunt eadem persona. Unde Leo papa: *Mirabilior nobis fit in Deo humilitas, quam potentia; et difficilius capitur a nobis majestatis divinæ exinanitio quam servilis formæ summa provectio.* Et post: *Licet aliud sit Creator, et aliud creatura, in unam tamen personam concurrit utriusque naturæ proprietas.* Omnia quæ Dei sunt et hominis simul humanitas explevit et deitas. Legitur quod Christus sicuti est homousios [ὁμοούσιος] Patri, sic est homousios [ὁμοούσιος] matri. Sed si Christus non est id quod est homo, sed tantum id quod est Pater, nihil quod est consubstantiale matri, est substantiale filio, et e diverso, ergo non est ei consubstantialis, cum nullum habeat substantiale cum illa commune. Sed dicent forsitan : Christus ideo homousios [ὁμοούσιος] matri dicitur, quia ejusdem naturæ est cum matre. Et ego quæro quid per naturam humanam intelligant, cum dicitur, Christus est ejusdem naturæ cum matre. Dicunt corpus et animam. Sed alia est anima Christi, et alia anima Virginis. Unde si idem est natura humana quod anima et corpus, si non sunt ejusdem animæ et carnis, nec ejusdem sunt naturæ, vel si ejusdem sunt naturæ; nec tamen sunt ejusdem carnis et animæ, aliud intelligitur per naturam, aliud per animam et carnem. Notandum autem quod natura humana tripliciter accipitur, scilicet pro forma substantiali, quæ humanitas dicitur, et pro re existenti in tali proprietate, scilicet pro illo composito ex corpore et anima, quod quandoque hoc nomine humanitas significatur. Dicitur etiam quandoque humana natura corpus et anima. Verum est ergo Christum assumpsisse corpus et animam, et illud compositum, et illam formam, scilicet humanitatem. Quin autem hæc forma sit assumpta, non potest negari, cum non solum corpus et anima sint assumpta, sed etiam omnes proprietates assumptæ sint.

QUÆST. IV. Ideo quæro ab iis qui dicunt quod in Christo non est aliquid quod sit homo, quid sit subjectum humanitati huic formæ. Non enim deitas potest ei esse subjecta, nec caro nec anima. Quid ergo? Si nihil est constitutum ex corpore et anima Christi, quod sit Christus, in quo quasi in subjecto possit esse humanitas, necessario igitur Christus est quoddam totum constans ex anima et corpore; vel non habet hanc formam humanitatem. Confitemur itaque in Christo duarum substantiarum unionem, non mutationem, vel versibilitatem, vel permistionem, vel confusionem.

QUÆST. V. Dicit Hilarius in nono libro De Trinitate : *quod homini acquirebatur ut Deus esset.* Quæro igitur quis sit iste homo, cui acquiritur ut Deus sit? Numquid animæ vel carni? Non utique, sed homini constanti ex utroque. Idem in octavo libro De Trinitate : *Nescit plane vitam suam, nescit, qui ipsum Jesum, ut verum Deum, ita verum hominem ignorat.* Si enim non est id quod est homo, non est homo; et si non est homo, non est verus homo. Quanta ergo est temeritas, negare Christum aliquem hominem esse; et tamen ipsum verum hominem prædicare! Augustinus dicit super *Domine, refugium* (*Psal.* LXXXIX) : *Quod Christus incœpit esse quod non erat, servata substantiarum proprietate.* Quod erat creabile mansit creabile; et quod increabile, increabile : et quod mortale, mortale : et quod immortale, immortale. Utrumque una immortalis tamen persona, et vere immortalis. Unde Isidorus in libro De summo bono ait : *Humanitas a Christo suscepta tertia persona est in Trinitate.* Cui consonat illud quod Augustinus dicit in secundo libro De Trinitate. *Forma suscepti hominis persona Filii est.* Quid apertius? Quomodo ergo audes dicere quod nihil quod est, assumptum est persona Filii? Redi ad cor tuum, et animadverte veritatem. Quis sit qui loquitur attende. Recole quod periculum animæ tuæ incurris, si negaveris tam manifestam veritatem. Memorare etiam quod homo, qui negavit Christum esse aliquid, sit homo; et ideo potuit

decepi. Et utinam solus deceptus, alios non decepisset! Si nondum credis prædictis auctoritatibus, audi quid Augustinus dicat in eodem libro: *Humanam illam formam ex Maria virgine Trinitas operata est, sed Filii solius persona est.* Idem in tertio decimo de Trinitate. *Humana natura Deo Verbo copulata est, ita ut cum ipso fieret una persona.* Nota quod in hujusmodi locis humanitas vel forma servi, vel natura humana, non significat corpus et animam, vel illam proprietatem, quæ proprie et secundum usum loquendi dicitur humanitas, sed rem existentem in tali proprietate notat. Firmiter ergo tenendum quod nomine humanitatis quandoque id quod est homo significatur. Noli ergo mirari quod humanitas dicta est persona, cum nomine humanitatis homo assumptus significetur in tali loco. Hilarius in octavo libro De Trinitate sic ait: *Deo est proprium fuisse aliud quam manebat; nec tamen non esse quod manserat.* Hilarius dicit *quod Deus est aliud quam fuit, manens quod fuit.* Et quia nulli creaturæ hoc potest convenire, ut maneat simul quod est, et aliud fiat, dicit hoc proprium Deo esse, aliud esse quam fuit, et manere quod fuit. Dic ergo quomodo præsumis dicere quod Christus non est aliquid quod non fuerit ab æterno. Ecce plures auctoritates habemus, quod Christus factus est aliquid quod non fuit. Quæso ut saltem unam auctoritatem ostendas quæ dicat quod Deus non est aliquid in eo quod est homo, vel quod non factus sit aliquid quando factus est homo.

Nunc ponendæ sunt objectiones quorumdam contra nos: Si Deus essentialiter est homo, vel homo est Deus, tunc si Deus assumpsisset hominem in sexu muliebri, et mulier esset Deus, et Deus esset mulier. Sed potuit Deus in tali sexu assumpsisse hominem, ergo potuit Deus esse mulier. Solutio. Augustinus dicit: *Qui essentialiter natus est de Patre, est essentialiter ille qui conceptus et natus est de Virgine.* Ideoque fateor quod Deus semper potuit, potest et poterit utroque sexu assumpsisse hominem. Utinam te videres ubi te video, qui hæc objicis. Cum igitur uterque sexus erat redimendus, decens fuit ut sexus honorabilior assumeretur, et de femina, ut sic uterque sexus ad redemptionem pertinere ostenderetur. Unde Augustinus de Symbolo fidei: *Illa dispensatio utrumque sexum honoravit, et ad curam pertinere monstravit. Non solum quem suscepit, sed per quam suscepit virum gerendo, de femina nascendo.*

QUÆST. VI. Quæro ab iis qui dicunt nihil esse compositum ex anima et carne Christi, quomodo sexus sit assumptus. Non enim in carne vel anima est aliquis sexus sed in solo toto ex duabus partibus constituto. Decuit quaternarium divinum compleri. Fecit enim Deus primum hominem sine complexione sexuum. Feminam vero produxit de viro. Ex maritali vero admistione formavit utrumque. Restabat quartum ut quasi vicem femina redderet viro: quod completum est, dum contra rationem, et supra naturam peperit virgo.

Objicitur. Si Deus potuit assumere mulierem, ergo mulier potuit esse Deus. Solutio. Non sequitur. Sicut non sequitur: Deus potest de homine facere lapidem, ergo homo potest fieri lapis. Deus enim potest impossibilia, nec tamen impossibilia sunt possibilia. Item objicitur. Si illa substantia quæ Verbo unita est, cœpit esse Deus, et econtrario Deus cœpit esse illa, quædam substantia est Deus quæ non semper fuit Deus, et quædam substantia est Deus quæ non est divina substantia, et Deus est aliquid quod non semper fuit. Adduntque: Si homo assumptus est persona, ergo vel tertia in Trinitate, vel alia; sed non alia, ergo tertia in Trinitate, et sic Deus. Solutio. In hoc ipso se probant non esse Catholicos cum id quod tot auctoritatibus probatur, habent pro inconvenienti. Nonne Isidorus dicit quod *humanitas a Christo suscepta est tertia persona in Trinitate?* Et Hilarius asserit quod *proprium est Deo fuisse aliud quam manebat, nec tamen non esse quod manserat.* Et Augustinus: *Creator temporum inventus est in tempore: etiam ipse factus.* Et alibi: *Homo recens, sed non Deus recens.* Hoc est inconveniens quod nos adoramus. Hæc est abusio, per quam redempti sumus. Scio ubi tenentur oculi tui qui habes pro inconvenienti, quod Deus sit aliquid quod non semper fuit, quia non capis modum illum, quo aliquid dicitur esse aliud, propter ineffabilem unionem. In hoc enim quod Deus homini secundum plenitudinem se infudit, et omnia sua illi attulit, et omnia quæ hominis erant in se suscepit, vere dicitur et est Deus homo, et homo Deus. Homo est Deus non per naturam, sed per gratiam, non adoptionis, sed per gratiam unionis sive susceptionis. Deus est homo per dignationem. Cum ergo Deum hominem, vel hominem Deum prædicamus, non naturæ in naturam versibilitatem significamus, sed naturæ utriusque mutuam omnimodam participationem. Notandum esse quosdam quibus non videtur esse argumentum. Illa substantia Deo unita est Deus ergo quædam substantia quæ non semper fuit. Ut in hoc simili apparet. Candela lucet, ergo quædam substantia quæ non est ignis lucet, cum ignis ex se, candela ex igne luceat. Est alia similitudo: Hic homo factus est ad imaginem Dei, ergo quædam substantia quæ non est animal vel angelus, non sequitur. Sic Verbum per se Deus est, sicut ignis lucet, homo vero Deus ex Verbo, sicut candela lucet ex igne, et homo est imago ex anima. Nullo tamen modo negandum substantiam unitam Verbo Dei, esse Filium Dei, sed, ut jam dictum est, homo per gratiam Deus est. Verbum est per naturam Deus.

QUÆST. VII. Si nondum credis, audi adhuc verba Veritatis super Lucam, ubi scriptum est: *Hic erit magnus* (*Luc.* I). Legitur quod potentiam, quam Dei Filius naturaliter habet, homo accepturus erat ex tempore, ut una sit persona Deus et homo. Quæro quid per hominem significatur; et cum dicitur homo

accepturus, etc., an substantia divina, an humana; sed naturæ divinæ nil datum est ex tempore, ergo humanæ. Et sic substantia humana habet potentiam, quam Filius Dei habet per naturam; ergo homo habet omnipotentiam, et sic est omnipotens, et sic Deus quod ipse profitetur, dicens: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII). Cui data est omnis potestas. Audi expositorem super eumdem locum. Hoc non de coæterna Patri divinitate, sed de assumpta humanitate. Quidquid dicas de Christo, ego melius credo Christo de se quam tibi. Nonne contradicis Christo dum negas quod ille affirmat? Vide ergo quod tua expositio contraria est Christo et orthodoxis Patribus. Tu dicis quod homo assumptus non habet omnipotentiam. Et ipse dicit: *Data est mihi omnis potestas*. Unde Apostolus: *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II). Tu ipse dijudica. Quid est illud: *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis?* Nunquid Verbum Dei? Cur ergo addit *corporaliter?* Hilarius in octavo dicit: *Vera fides est neque Deum ignorare quod homo sit, neque carnem ignorare quod Verbum sit.* Recole quid nomine carnis significetur. Audi Augustinum. *Verbum caro factum est, id est, homo pars pro toto ponitur.* Cui consonat illud in Joanne: *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est* (*Joan.* V). In hujusmodi quæ Deo convenire non possunt, solent sic exponere. Hoc accepit persona secundum naturam humanam. Intelligis quæ dicis? Si persona non est aliquid secundum humanitatem ut tu asseris, quomodo persona accepit aliquid secundum eam? Item dicitur tibi. Si natura humana hoc non accepit, ergo nec persona secundum eam, sicut corpus tuum non est album, ergo nec tu es albus secundum corpus. Vel, si anima non est rationalis, nec tu es rationalis secundum eam. Concedendum quidem est quod persona accepit potentiam, quam habet naturaliter secundum humanitatem, et ipse homo accepit eam, et sic in ipso ipsa persona. Et quod sic sit intelligendum, declarant aliæ auctoritates. Unde Hilarius dicit: *Non est ignorandum carnem esse Verbum, et humanitati datam esse omnem potestatem in cœlo et in terra.* Assignent, si possunt, quid sit illud cui data est omnis potestas judicandi quod vocatur Filius Altissimi; quod temporali relatione refertur ad matrem. Non enim æterna filiatione filius dicitur matris. Quomodo filius matris, si nihil habet esse ex matre? Nunquid dicendus est aliquis ducere originem ex ove, quia ejus vestis inde est? Si ergo Christus non est aliquid ex Virgine, sed ejus vestis inde est, quomodo est filius Virginis? Sicut ergo Verbum lucis est per se homo assumptus ex Verbo, sic Verbum per se persona est: homo vero personantiam ut sic loquar habet ex Verbo.

Sed dicet aliquis: Nonne homo assumptus persona, et esset, si non esset unitus Verbo? Solutio. Esset quidem persona, et haberet suam personantiam ex sua rationalitate. Nunc vero ex quo totus splendor divinitatis se infudit lucernæ humanitatis, unus lumen cedit majori, id est homo assumptus trahit suam personantiam ex Verbo, et dicitur, et est persona una cum illo ex eadem personantia quam habuit Verbum ab æterno. Unaquæque creatura rationalis ex hoc dicitur persona quod habet excellentius, quia ergo splendor divinitatis incomparabiliter excellentior est lucerna humanitatis, merito ex eo homo est persona. Unde scriptum est: *Natura naturam non consumit, sed persona personam, quia nomen juris est.* Hæc diligenter intuere, lector, et intelliges quare homo dicatur in personam, non in naturam assumptus, et quare Verbum dicatur assumpsisse naturam, non personam. Ideo enim homo assumptus est in personam divinam, quia factus est particeps divini luminis, ut per ipsum ab omnibus discerneretur sicut Verbum. Non in naturam, licet persona divina sit divina natura, quia hoc esset mutari et converti in eam. Verbum vero ideo naturam hominis non personam assumpsit, licet id quod est assumptum sit persona, quia non trahit personalitatem, vel personantiam ex eo quod est assumptum, habens multo digniorem personantiam ex natura divinitatis. Sicut lampas in nocte dicitur lumen Ecclesiæ, in die vero solis majore splendore superveniente, jam lampas non dicitur lumen Ecclesiæ, sed potius lumen solis. Sic homo persona quidem esset ex sua rationalitate, si non esset assumptus. Nunc ut jam dictum est ex eo quod in ea dignius est, id est in lumine divino est persona. Qui non videt hoc quærat a Domino intellectum. Hujus rei in creaturis expressam non invenio similitudinem. Nihil enim manens quod est potest aliud fieri; quod soli Deo est proprium, ut dicit Hilarius. Qualiter tamen splendor Verbi se infundat homini, ut eum illuminet, licet a Verbo non recedat, potest qualicunque similitudine ostendi. Splendor siquidem ignis, vel calor, candelæ vel carboni accedit, nec ab igne recedit, sed simul in igne et in candela est. Sed in igne per naturam, in candela ex accidenti. Major tamen est unio inter Deum et hominem. Unde Verbum confert homini ut sit cum illo non una substantia, sed una persona. Inde est quod aliud est Deus, aliud homo, sed non alius Deus, alius homo, sed unus et idem Deus et homo, sicut multæ auctoritates manifeste ostendunt. Veluti corpus et anima unus homo et una persona sunt, licet aliud sit corpus, et aliud anima. Christus itaque gemina est substantia, scilicet divina et humana, tamen non nisi una persona quia utraque substantia una persona.

Cum igitur Christo sit substantia humana, nunquid est concedendum quod sit creatura, cum omnis homo sit creatura? Solutio. Non est simpliciter concedendum quod Christus sit creatura, nisi addatur secundum hominem. Neque concedimus simpliciter quod Christus est homo? Quare ergo non similiter conceditur quod sit creatura? Solutio. Ideo sine determinatione usus sanctæ Ecclesiæ non

consuevit concedere simpliciter Christum esse creaturam, ne secundum utramque naturam hoc intelligatur, ne videatur consentire perfidiæ Arianæ, quæ dicebat Christum tantum esse creaturam, cum fides catholica dicat eum esse et Creatorem secundum divinam naturam, et creaturam secundum humanam substantiam. Tene ergo firmiter Verbum assumens naturaliter esse Deum, assumptam vero substantiam naturaliter esse creaturam, et propter ineffabilem unionem, et mirificæ susceptionis sacramentum, ut Verbum sit homo, et homo Deus inconfusa et inconversa utraque perseverante substantia. Unde Hilarius in quinto libro De Trinitate : *Ex virtute potentis naturæ est, cum in eo quod esset maneret, tamen quod non erat esse passet.* Moneo ut his quæ in Scripturis sanctis leguntur, fidei assensum adhibeas. Nec tibi mirum videatur, si nondum omnia ad plenum intelligas. Recole quod fides non habet meritum, cui ratio humana præbet experimentum. Solet ignorantia naturalium amplius angere quosdam, quam ignorantia credendorum. Ut imago in speculo quid sit, aut quomodo habeat esse. Quomodo idem fons sit modo hæc aqua, modo illa. Quomodo diversæ voces sint idem nomen. Amice, si hæc levia et quasi puerilia non capis : qua fronte ineffabile incarnationis sacramentum attentare præsumis? Noli ergo sic argumentari circa Christum. Si Christus est quædam substantia simplex vel increata, ergo non est quædam composita vel creata, cum sit utrumque, licet non secundum idem. Cur non sic argumentaris? In diebus carnis suæ fuit mortalis, ergo tunc non fuit immortalis. Vel sic. Tunc fuit passibilis, ergo tunc non fuit impassibilis.

Dicet aliquis mihi : Arianum te video, quia dicis Christum esse creaturam. Diligentius ergo intueamur an verum sit. Arius dicebat Christum esse puram creaturam, non a Patre consubstantialiter genitum, sed tantum creaturam, ideoque Patre minorem et posteriorem : affirmans quidem Christum esse Deum, non quidem per naturam, sed tantum per adoptionem. Nunc quæro an Hieronymus idem senserit quod Arius cum dicat : *Audacter proclamamus Christum esse creaturam.* Et Hilarius qui dicit : *Quid est quod non fuit?* Aut Apostolus qui ait : *Qui fidelis est ei qui fecit illum* (*Hebr.* III). Et alibi dicit : *Qui factus ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I). Et Augustinus qui asserit *divinam substantiam immutabilem, et creaturam mutabilem, secundum quam Christus omnia pertulit quæ Scriptura de eo recolit.* Tametsi ergo hæreticus et Catholicus eadem verba habent in ore, non est consequens ut idem sensus sit in corde utriusque. Veluti non sequitur : Si aliqua participant eodem nomine, quod ideo etiam re nominis, ut Deus et idolum, nomine Dei, non tamen eadem deitate participant. Quod ergo scriptum est : *Qui dixerit Christum esse creaturam, anathema sit*, intelligendum est puram, ut Arius intelligebat vel dicebat. Secundum eamdem rationem intelligendum est quod dicit Ambrosius *Christum non esse vanitati subjectum, et ideo creaturis non esse connumerandum, quia creatura omnis vanitati subjecta est.* Nunquid quia Christus est homo, et omnis homo mendax, ergo Christus mendax? Multa dicuntur generaliter de homine, non tamen de homine Christo, quia non est purus homo, sed Deus et homo. Augustinus dicit : *Non est creatura per quem facta est omnis creatura.* Ecce negat Christum esse creaturam : quod contrarium videtur prædictis. Solutio. Non est creatura per quem, etc., id est id in Christo per quod facta est omnis creatura, non est creatura, sed creatrix essentia. Agit enim de persona secundum divinam naturam. Item dicit Hilarius : *Non est aliud filius hominis, et aliud Filius Dei; et nos dicimus et credimus quod aliud filius est hominis, et aliud Filius Dei.* Quid ergo? Contrarii sumus Hilario? Solutio. Frequentius quidem his terminationibus significatio est substantiæ. Interdum tamen in neutrali licet raro significatur persona. Sensus est : Ergo non est alius filius hominis, et alius Filius Dei, id est non est alius filius hominis, et alius Filius Dei, sed unus et idem. Unde Augustinus de tribus personis loquens ait : *Et hæc tria unum.* Et alibi dicit quod *Mediator ipse unum sit cum ipsa suscipiente Sapientia.* Quibus verbis substantiarum differentia non confunditur, sed unio personalis prædicatur. Hilarius tamen non ait : Non est aliud Verbum, aliud homo; sed hoc neutrum est aliud quam Christus. Et Augustinus dicit : *Homo ille non est factus aliud quam Dei Filius*, id est non est factus aliquid quod non sit Dei Filius. Quidquid enim est persona divinæ essentiæ, non est aliud quam ipsa persona, licet aliud sit quam natura divina. Unde Hieronymus : *Verbum Deus, est non caro assumpta.* Quibus verbis non naturæ ad personam, sed naturæ ad naturam ostenditur differentia. Si autem per carnem pars non totum intelligitur, constat quod Verbum non est caro. Sed per carnem totus homo significatur tamen ut ait Ambrosius *aliud est quod est assumptum, et aliud est quod assumpsit.* Alioquin Christus si non est aliquid secundum quod est homo, ipse non est aliquid secundum quod est matri homousios [ὁμοούσιος], vel secundum idem est homousios [ὁμοούσιος] Patri et matri. Hilarius alibi seipsum exponit dicens : *Naturam Dei in virtute resurrectionis intellige, dispensationem hominis in morte cognosce. Et cum sint utraque suis gesta naturis, unum tamen Christum Jesum eum memento esse qui utrumque est.* Non dixisset utrumque de una natura, neque unus de duabus personis. Utrumque non admittit naturarum singularitatem, unus excludit personarum pluralitatem.

Dicunt quidam quod sicut non est alius Filius Dei, et alius filius hominis, sic non est aliud Filius Dei, et aliud filius hominis. Sed si hoc est, ergo sicut est indifferens persona, sic indifferens est natura.

Dicunt quidam quod quando Verbum caro factum

est, factum est quoddam totum compositum ex Creatore et creatura, scilicet divinitate et carne et anima. Illud compositum est creatura, quia non semper fuit, et illius compositi pars divinitas, ergo Creator est pars ejusdam creaturæ. Sed quid absurdius, imo quid falsius? Item omne totum majus est qualibet sua parte; ergo si divinitas est pars alicujus, oportet quod aliquid sit majus ipsa divinitate. Vel si ipsa est major omni re, ergo major est eo cujus est pars, et sic ipsa legem, et jus totalitatis suo toti adimit, vel totum suum illa circumscribit. Item si divinitas est pars integralis, ubicunque ipsa est et suum totum; sed ipsa est ubique ergo et suum totum ubique est. Item nulla pars integralis prædicatur de suo toto. Ergo si Christus esset quoddam totum, cujus pars esset Deus vel deitas, nullo modo esset Christus Deus, cum nullum totum sit sua pars. Multo ergo melius sacra Scriptura dixit personalem unionem esse inter Deum et hominem; vel inter assumptum et assumens Verbum, quam integralem constitutionem vel compositionem.

Sciendum est plura genera esse compositionis. Aliter enim domus componitur ex suis partibus, aliter panis ex aqua et farina, aliter statua ex materia et forma, aliter species ex genere et differentia, aliter homo ex carne et anima. Dicuntur etiam quandoque unita composita, ut cum legitur quod hypostasis est composita ex duabus naturis, quod sic est intelligendum. Duæ naturæ sunt unitæ in una persona sine versibilitate et confusione. Sicut ergo ignis carboni infunditur, non tamen partialiter ei sociatur, ut ex igne et ex carbone aliquod totum perficiatur, quod non sic ignis vel carbo, sic Verbum homini unitur, non tamen aliquod totum inde efficitur, quod non sit homo vel verbum.

Quæst. VIII. Quæro a te qui negas aliquid quod est assumptum esse Filium Dei, quid dicas esse semen Abrahæ? illudne, ad cujus adventum prædicat Apostolus legis statum, dicens quod lex disposita est in manu Mediatoris, donec veniret semen cui promissum est? (*Galat.* III.) Nunquid semen Abrahæ dices quod non est ex Abraham? Deus Pater non nisi id quod ipse est genuit, id est Deus Deum. Quid ergo genuit Abraham homo, nisi id quod est homo, suæ naturæ prolem? Quod semen venturum erat, quando promissio facta est Abrahæ. Hoc ergo semen quid est, si id quod est assumptum, homo non est. Nunquid homo non hominem genuit?

Quæst. IX. Quæro an Christus sit aliquid quod mediante Virgine sit de Abraham, id est homo de homine, creatura de creatura? *Mediator Dei et hominum est Christus Jesus* (*I Tim.* II). Medium non est aliquod nisi inter extrema. Quæro igitur quid sit hoc medium, et quæ sint extrema. Habes unum de extremis, ubi legitur, *Mediator Dei*; alterum ubi ait, *et hominum*. Quæro quid sit medium. Audi Apostolum: *Homo Christus Jesus* (*ibid.*). Non ait Verbum, quia non est mediator in eo quod est Deus, sed unum de extremis. Si ergo id quod est assumptum, non est Christus, nec est mediator. Quid ergo? Dic quæ sint illa tria quorum duo sunt extrema et tertium mediator. Deus enim et homines reconciliati, duo sunt extrema. Mediator autem quid erit? Audi saltem quid super hoc dicat Apostolus: *Homo Christus Jesus*, quem nobis conjungit naturarum communio, Deo autem eum sociat unius et ejusdem personæ unio, non integralis, Deo indigna compositio. Quod autem Deus non sit pars hujus personæ, Augustinus dicit his verbis: *Christus est persona geminæ substantiæ, non tamen pars hujus Deus est.* Hæc dictio totum, quandoque vim collectivam partium integralium habet, ut cum dicitur totus homo creatus est a Deo, videlicet quælibet pars hominis, anima et caro, forma et compago partium, creatione Dei existit. Quandoque per eamdem vocem fit omnis compositionis exclusio. Ut cum dicitur, totus Deus est ubique essentialiter, quibus verbis partes habere negatur. Si enim diversitate partium occuparet diversitatem locorum, non esset ubique totus. Sensus hic est: Deus ubique est totus, id est nusquam de ejus essentia quidquam abest. Quandoque totum significat, non totaliter unitorum consortium. Ut cum unionem animæ et corporis totum dicimus, vel carbonem ignitum. Baptismus etiam ex duobus constare dicitur, elementis scilicet et verbo vitæ; et sacramentum Eucharistiæ ex specie visibili, et corpore et sanguine Christi. Sic Christum dicimus quasi totum, quantum ad divinitatem et humanitatem, quia hæ duæ naturæ in una persona sunt sociatæ, sicut elementum et verbum in baptismo, et species visibilis et caro Christi in altaris sacramento sibi sociantur. Multum tamen differenter, quia incomprehensibilis est concretio, qua uniuntur Deus et homo. In nullis prædictis unitis alterum dicitur de altero. Quia nec ignis carbo, nec carbo ignis. Visibilis species non est caro Christi, nec caro anima, et e converso. Sed in Christi persona ineffabilis invenitur convertentia. Nam et Deus homo, et homo Deus; et totum Deus, et totum homo. Quid est totum? Christus. Sicut enim animæ et corporis consortium vocatur homo, sic humanæ et divinæ naturæ personalis concretio dicitur Christus, etiam sic quasi quoddam totum quantum ad duas unitas in Christo naturas. Nec tamen est eadem prædicandi in homine reciprocatio, quia duæ rationales et personæ capaces non sunt unitæ in eo substantiæ. In Christo ergo vel ejus sacramentis non est partialis integritatis vulgaris compositio.

Dicunt quidam quod ex anima et carne Christi nihil est compositum, sicut nec ex duabus naturis. Unde consequenter adjungunt quod nihil quod est homo, est Deus, vel tertia persona in Trinitate. Nos credimus et confitemur utrumque, quod ex carne et anima Christi sit quoddam compositum, et quod illud sit Deus, et tertia in Trinitate persona per gratiam, non per naturam; quod prius demonstrandum est authenticis testimoniis, et deinde rationibus. Hoc autem in primis sciendum est quod

nec canonica Scriptura, sed nec sanctorum Patrum hoc dicit quod ex duobus prædictis non sit aliqua composita substantia. Quomodo ergo audes prædicare quod nulla auctoritate potest probari? Dic tu ipse, si potes, quis sanctorum sit usus his verbis: Christus nihil est in eo quod est homo, vel nihil constat ex anima et carne Christi, vel nihil quod est homo est Deus, vel tertia persona in Trinitate? Fatetur tamen nobiscum Deum esse hominem, et hominem esse Deum.

Quæst. X. Quæro ergo quid sit res hujus nominis homo? Nonne res constans ex anima et carne? Quomodo nominis rem negant, et ipsum nomen sine re sua Deo tribuunt? Non enim corpus purum et anima nuda est homo, sed corpus animatum vel anima habens carnem. Cum igitur anima Christi per omnia vegetet corpus suum, et vivere faciat, sicut anima mea corpus meum, imo multo excellentius, quomodo ex conjunctione corporis mei et animæ meæ habet esse verum homo, et ex anima et corpore illo sanctissimo non habet esse verus homo? Si ergo nihil habet esse ex illis duobus, ut quidam dicunt, non fuit in Christo animæ et corporis similis cæteris hominibus concretio. Contra quos dicit Hilarius in nono libro: *Cum unus sit Christus lege hominum, non tamen conceptus, habens in se etiam constitutionem humanæ conditionis in origine.* Intueamur igitur quæ sit constitutio hominis in nobis, et hanc credamus cum Hilario esse in Christo. Idem in eodem: *Christum non ambigimus esse Deum Verbum. Neque rursus filium hominis ex animo et corpore constitisse ignoramus.* Fiducialiter ergo credamus quod sic affirmat Hilarius, cui consonat quod Augustinus dixit, exponens illud: *Et Verbum caro factum est.* Asserit enim quod *pars pro toto ponitur.* Quæ pars pro toto? Caro pro homine. Oportet ergo hominem esse quoddam totum, cujus pars sit caro. De hoc eodem jam superius dictum est. Sed et alia quæ jam dicta sunt, non est superfluum repetere in testimonium veritatis. His consentit Hieronymus: *Ipsum Dei Filium dicimus in fine sæculorum perfectum hominem nostræ naturæ suscepisse.* Si igitur nihil est ex anima et carne Christi, quod perfectum dicit susceptum hominem? Nonne Athanasius in Symbolo de Christo: *Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens?* Si adhuc post tanta testimonia veritatis dubitas, audi Hieronymum dicentem: *Anathematizamus Apollinarem et ejus consimiles, qui dicunt hominem assumptum his propter quos assumptus est falsæ dissimilem.* Dic, quæso, quid anima tua agat in corpore tuo, quantum ad naturalia, quod anima Christi non faciat in corpore suo? Dicit aliquis: Ex anima et corpore hujus hominis consistit quædam persona, quæ non est Filius Dei. Nonne igitur ex anima et carne Christi est quædam persona quæ non sit Filius Dei? Solutio. Concedendum est quod id quod est compositum ex persona, non tamen a natura suscepta contrahit suam personalem differentiam, sed a Verbo Dei cui unitur. Hinc dicimus quod homo assumptus est in personam Verbi, sed Verbum non assumpsit personam hominis, quia non superius ab inferiori, sed inferius a superiori persona dicitur. Recole quæ dicta sunt de persona in præcedentibus.

Quæst. XI. Si Christus non est aliquid constans ex corpore et anima, quæro quid fuerit in eo capax eorum quæ in Evangelio de eo dicuntur. Legitur enim quod jejunavit, comedit, sedit, stetit, dormivit, vigilavit, quievit, itinere fessus fuit, flevit, infremuit, ingemuit, super mare ambulavit. Talium ergo capax fuit substantia an non substantia, creata an increata, animata an inanimata? Nemo dicat has appellationes nudas fuisse in Christo. Ut enim Hilarius dicit in sexto, *proprietates nominum sequuntur.* Nonne ergo insaniæ est professioni nominum detrahere veritatem proprietatum? Quid igitur mortis capax fuit, assumens an assumptum? Mortuus est homo ille. Nunquid more solito sic expones: Homo ille, id est habens hominem mortuus est? Hic non licet procedere. Absit enim ut mortuum sit Verbum quod hominem assumpsit, quia fons vitæ non aruit! Cum enim legitur: *Dominus gloriæ crucifixus est, et vita in ligno moritur,* solum id quod assumptum est, morti subjectum esse debet intelligi. Sed anima mori non potest, ergo vel corpus, vel aliquid constitutum ex anima et corpore mortuum est, sed corpus quod non est rationis capax nunquam vixit vita humana, quomodo ergo mortuum eo genere mortis quo homines moriuntur?

Quæst. XII. Quæro quid in Christo subjectum fuit sensibilitati? Non enim anima fuit sensibilis, nec caro, quia quod non est animal, non est sensibile. Si ergo in Christo non fuit aliquod compositum ex anima et carne, nec vere Christus fuit sensibilis, nec mortalis, et sic nec vere mortuus. Item: Nonne perceptibilis erat disciplinæ, vel visibilis? Si ista ei conveniunt, quomodo non erat id quod est homo? Vel si hæc species homo non prædicatur de eo, quomodo ejus proprium potest ei convenire? Nunquid dicet aliquis quod potuit Christus flere, sed non ridere? Si ergo ea dicuntur de Christo, quæ soli substantiæ ex anima et carne constitutæ habent convenire, quis audet negare ipsum esse substantiam ex corpore et anima constitutam? Non est auditum a sæculo esse aliquam animam quæ cum corpore personam sive hominem non constituerit. In hoc enim differt anima ab angelo. Cum igitur anima Christi sit spiritus, nec angelus, naturalis conditio exigit ut cum corpore aliquam substantiam constituat. Dominus dicit loquens Judæis: *Solvite templum hoc, et in triduo excitabo illud (Joan. II).* Quæro igitur cujus rei fuerit illa solutio? De carne enim scriptum est: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem (Psal. XV).* Ergo necessario separatio illa fuit animæ et carnis. Divinitas enim a neutro separata est. Sed quomodo mors secuta est divortium, cum non erant unita ad aliquid vivens constituendum. Dicit Joannes: *Hoc autem dicebat de tem-*

plo corporis sui (*Joan.* II). Quod non est intelligendum quasi in se fuerit caro dissoluta, quia, ut jam dictum est, non vidit corruptionem. In quo ergo fuit illa dissolutio? Vel quod subjectum fuit dissolutioni? Non invenies quid, nisi dicas aliquod compositum ex corpore et anima. Conjuncta ergo erant vivendo quæ dissoluta sunt moriendo, et animal vivum et spirans templum quod mori potuit, et a morte excitari, animal vivum et spirans templum, de quo dixerat ego in triduo excitabo illud. Concedunt nobiscum quod Christus est homo; non enim cum mutatione intellectus audent mutare et verba. Nos quidem sic intelligimus, imo omnes catholici intellexerunt. Christus est homo, id est substantia creata constans ex corpore et anima. Ipsi sic exponunt: Christus est homo, id est habens hominem.

QUÆST. XIII. Quæro ergo an Christus et Enoch sint homines? Si Christus non est homo eadem significatione qua aliquis ex nobis, quomodo frater noster est? Petrus homo erat, non hominem habebat. Christus homo erat, id est hominem habebat, ut isti exponunt. Nunquid igitur licet pluraliter inferre: Ergo Christus et Petrus homines erant? Item: Nunne passibilis et mortalis erat sicut unus ex nobis? Si ergo passibile potest nobis et illi in eadem significatione convenire, quare non homo? Quare potius concedimus accidentia nobis et illi esse communia, et non esse hominem? Nunquid convenit nobiscum in accidentalibus, et non in substantialibus? Augustinus dicit quod *habitus est hominis susceptio quasi vestis quæ non mutat quod vestitur*. In quo verbo multi gloriantur. Non ait tamen Augustinus quod homo susceptus est vestis verbi assumentis, sed quasi. Et in quo consistat similitudo ostendit dicens quod non mutat quod vestitur. Quibus verbis nihil aliud vult ostendere, nisi hoc quod in susceptione hominis non est mutatum vel conversum in aliud Verbum Dei. Deus enim factus est homo, ut dicit Scriptura, non conversione divinitatis in carne, sed assumptione. Non ergo qui inventus est ut alius homo caruit veritate humanæ naturæ. Nunquid vestis aliqua sic unitur homini, ut vestis appellatio transeat in vestitum, ut homo dicatur vestis, vel ejusdem naturæ cujus vestis? Sicut Deus est homo et ejusdem naturæ cum homine?

QUÆST. XIV. Quæro quid sit ille habitus qui prædicatur de Verbo, cum dicitur: Deus est homo secundum istos. Habere enim animam et carnem prædicatur, ut dicunt. Est accidens, an substantia, an aliquid quod non est hoc vel illud, respondeant. Non enim potest dici quod nihil, cum eo Christus sit similis aliis hominibus. Petrus est id quod est homo, non habet hominem, Christus non est id quod est homo. In quo ergo similes? Quomodo ergo fratres? Dicent forsitan: In hoc similes sunt, quod uterque habet carnem et animam. Sed Petrus, cum dicitur esse homo, prædicatur substantia constans ex carne et anima. Cum vero Christus dicitur esse homo, prædicatur habere carnem et animam, non substantia constans ex carne et anima. Secundum opinionem eorum ergo in hoc non sunt similes, sed valde dissimiles. Si qua ergo est ibi similitudo, secundum solam nominis æquivoci appellationem intelligitur. Sed hæc modica vel nulla est similitudo, cum Christus non sit idem quod homo, nec etiam vestitus aliquid quod sit homo, nec eo modo participat carne et anima quo cæteri. Dicit Apostolus in Epistola ad Hebræos quod Christus similiter nobis carne et sanguine, id est anima participavit, ubi dixit: *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse participavit similiter eisdem* (*Hebr.* II), id est erat homo constans ex anima et carne, ut dicit expositor. Et alibi super Epistola I ad Timotheum ubi legitur: *Regi sæculorum* (*I Tim.* I), dicit expositor quod homo assumptus non semper fuit Rex sæculorum, sed in tempore cœpit esse Rex sæculorum. Videat hæc quilibet fidelis, et judicet an Scripturæ manifeste dicant quod Christus sit id quod est homo, ut sic nobiscum habeat veram fraternitatem, et non fictam humanitatem. Item dicit idem Apostolus: *Angelos nusquam apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit* (*Hebr.* II), id est in unitatem personæ univit. *Unde debuit fratribus per omnia similari* (*ibid.*), sed in nullo substantiali nobis similis est, si non est id quod est homo, quomodo ergo per omnia fratri assimilatus? Agnosce saltem quod ipse Apostolus aliter sentit quam tu de Christo. Vel responde, si potes. Si Christus per omnia assimilatur fratribus, ergo in substantialibus genere et specie, et aliis substantialibus et omnibus naturalibus. Videatur an sententia apostolica, velis, nolis, te convincat qui dicis: Hæc species homo non convenit Christo. Item quid magis naturale est homini quam constare ex carne et anima, cum sit esse animalis secundum prudentiam hujus sæculi; nec naturæ humanæ capax est, cui talis compositio non competit. Si ergo non convenit Christo hoc sine quo nullus potest esse homo, quomodo per omnia fratribus assimilatur? Si hominis tibi simili contingeret dissidium, nunquid amplius tibi similis diceretur? Si ergo Christus non constat ex corpore et anima, quomodo per omnia fratribus assimilatur? Ergo aut confitere Christum plenum hominem nostræ naturæ per omnia participem, et ex anima et carne constantem, aut nega ipsum per omnia nobis præter peccatum assimilari. In quo nihil depressum, sed aliquid est erectum, qui solus potuit creaturæ suæ illabi sine ulla diminutione suæ substantiæ. Omnia enim quæ Dei sunt per naturam sunt, et hominis per gratiam, et omnia quæ hominis sunt per naturam, etiam Dei sunt per dignationem. Inde est quod Deus homo et homo Deus verissime prædicatur, et Deus propter humanitatem suam, et homo Deus propter divinitatem suam; et persona eadem est utriusque, sicut Augustinus dicit: *Christum esse id quod est Deus, et esse id quod est homo*. Quod et nos credimus et confitemur, quia hæc est fides communis omnium sanctorum. Per id, in-

quit, quod Verbum est, æqualis est Patri; per id quod est homo, major est Pater. Si Christus non est id quod est homo, quomodo Apostolus eum annumerat hominibus dicens: *Factus est primus homo Adam in animam viventem secundus homo [novissimus Adam] in spiritum vivificantem?* (*I Cor.* XV.) Et: *Primus homo de terra terrenus; et secundus homo de cœlo cœlestis* (*ibid.*). Unde si Christus non esset id quod est homo, non diceretur *secundus homo* vel *novissimus* respectu primi. Veluti nemo dicit de non veste: Hæc vestis est prima, hic vestitus est vestis novissima. Si ergo primus homo verus homo fuit, secundus homo quomodo non est id quod est homo, sed habens hominem? Aufer omnem ordinem inter illos, et ille non dicetur primus, nec iste novissimus. Si enim tantum haberet materiam primi hominis, et non esset aliqua substantia constans ex carne et anima, quomodo esset de eadem materia do qua primus homo? Nunquid est purpuratus, et hæc purpura possunt dici de cadem materia? Quod in Christo fuit animale, nunquid anima caruit? an animale fuit et non sensibile? Nonne si sentire non potuit, animale non fuit? Non enim animale fuit quod cujuslibet sensus expers fuit. Vide ergo, si Christus sentire potuit, quia aliquod animale et sensibile fuit, et sic substantia constans ex anima et carne fuit.

QUÆST. XV. Quæro ergo an animale quod fuit Christus, fuerit rationale, an non rationale? Sed irrationale esse non potuit, quod bruta anima non vixit; fuit ergo rationale et mortale quod in Christo prius fuit animale, nunc vero spirituale. Quod probat talis connumeratio: *Primus homo de terra terrenus; secundus de cœlo cœlestis* (*I Cor.* XV). Si ergo secundus homo non esset id quod est homo, nullo modo connumeraretur eum primo homine. Quis enim sic connumerat: primus homo Adam, secundus homo Gabriel? Solent his et hujusmodi respondere dicentes. Ideo dictus est Christus esse humanæ naturæ, quia indutus est carne et anima. Nunquid natura vestis dicitur esse vestiti: *Qualis cœlestis, tales cœlestes* (*ibid.*), ut dicit Apostolus. Uniformis naturæ identitatem postulat relatio, quam facit Apostolus per talis et qualis. Et alibi dicit: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis* (*ibid.*). Quis est iste cœlestis? Nonne homo Verbo Dei unitus, qui dictus est cœlestis, quia supra legem humanam de sancto Spiritu conceptus est? Dicit Augustinus in homilia De symbolo: *Hæc fuit natura hominis qui factus ex Virgine, quæ natura fuit Virginis ex qua Christus formatus et natus est, quemadmodum ejusdem naturæ est cum Patre secundum divinitatem.*

QUÆST. XVI. Quæro quid ejusdem naturæ sit cum matre, si aliquis homo non consistet ex anima et carne Christi. Item si caro et anima in Christo uniantur dissimiliter cæterorum hominum, quomodo similis est matri? Cum qua idem est humanitate sicut cum Patre idem est deitate. Dicit Hilarius in II libr. De Trinitate quod *Christus voluit se esse corporeum.*

QUÆST. XVII. Quæro quid illud *corporeum* fuerit vel sit quod Hilarius confitetur Christum fuisse, si non est homo constans ex anima et carne? Nunquid mavis Christum membra corporis humani habere quam verum esse hominem. Pro Isaac oblatus est aries, viva hostia; pro Christo vero secundum deitatem passibili quid est oblatum? Nunquid sola caro, et non potius consortium animæ et carnis, id est homo? Non est auditum ut quod non est homo, verus homo diceretur agnus paschalis qui Christum figurabat; erat aliquid, et Christus secundum humanitatem nihil erat? Figura aliquid erat, ipsa vero veritas nihil erat? Non enim deitatis, sed humanitatis aries vel agnus ille figura, sed humanitas nihil est, sed aliqua secundum dogma novitatis. Si igitur homo assumptus non unum, sed aliqua fuit, nec Christus aliquid abtulit, sed duo: Ecclesia confitetur duas naturas in Christo unitas.

QUÆST. XVIII. Quæro quid per duas naturas debeamus intelligere. Oportet per duas naturas intelligere aut duas substantias, aut proprietates essentiarum, aut unam substantiam et unam proprietatem. Quin autem altera natura sit divina usia, nemo est qui ambigat, quæ non est ex compositis, ut in ea aliud sit quod habet, et aliud quod habetur? Nihil est enim in Deo quod non sit Deus; quæ enim possit partium vel formæ ad substantiam adesse concretio, a quo creata consistit omnis forma omnisque compago? Quid igitur per alteram naturam intelligitur substantia an proprietas? Forsitan more solito dices. Non unum aliquid, sed plura per alteram naturam intelligi, scilicet animam et corpus.

QUÆST. XIX. Quæro, si Deus crearet nunc animam et carnem non unitas ad aliquid constituendum, utrum una natura nominarentur, an una substantia? Quid plura? Rectius Christus sic triplicis substantiæ quam geminæ diceretur, nec aliquod corporeum erit contra Hilarium. Neque substantia humanitatis ex anima et carne contineretur contra Hieronymum. Neque audiendi sunt Augustinus et Hilarius qui dicunt: *Aliud Verbum, aliud homo, sed non alius.* Aliud est enim esse, aliud habere. Hoc est Verbum vitæ, de quo Joannes dicit: *Quid audivimus et vidimus, et manus nostræ contrectaverunt* (*I Joan.* I). Non solum audiebatur, quia et paterna vox audita est (*Matth.* III), sed etiam visus et manibus contrectatus. Negabis visibile et palpabile quod Joannes confitetur se contrectasse? Aliud est enim rem indumenti tangere, aliud est ipsum indumentum. Sed Joannes dicit se in ipsum Verbum horum effectus expleviase sensuum. Si potes, detrahe hæc Christo, et confer ea indumento: *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi unus Deus* (*Marc.* X). Eo tendit negantis intentio, ut quem verum hominem videbat et bonum magistrum nominabat, Deum quoque crederet. Cui singulariter et incomparabiliter congruit appellatio bonitatis. *Ego principium qui et loquor*

vobis (*Joan.* VIII). In *principio* verum Deum esse intellige; in eo quod dicit *qui et loquor vobis*, verum hominem agnosce. Dicit propheta: *Post hæc in terra visus est et inter homines conversatus est homo* [Vulg. omit. *homo*] (*Baruch.* III): quis cognoscet illum? Quomodo ergo audes negare ipsum esse verum hominem vel id quod est homo? cum Spiritus sanctus per prophetam asserat verum hominem super terram visum et inter alios homines conversatum: *Humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur* (*Psal.* XXXIV). Cujus est hæc vox? Hominis assumpti, qui orat non alium, sed sibi personaliter unitum, ut dicit expositor.

Constat igitur quod persona non est unita personæ, nec habens hominem est sibi unitum. Quis ergo orat? quis est oranti personaliter unitus? Homo assumptus loquebatur ad Verbum sibi unitum. Hic *est homo qui vivet et non videbit mortem, et eruet animam suam de manu inferi* (*Psal.* LXXXVIII). Centurio ille magnus dicit: *Vere Filius Dei erat homo iste* (*Marc.* XV). Quid, quæso, demonstrabat? Quid Filium Dei prædicabat? Nonne illum hominem assumptum? Nam ut dicit Hilarius creaturam illam Filium Dei profitebatur. Augustinus dicit quod *assumptus est homo ille in unitatem personæ, ut qui suscepit et quod suscepit una esset persona*. Quid apertius? Aiunt tamen sic exponendum: Utrumque est Christus et una persona, quia in utraque una persona et unus Christus subsistit. Ita etiam susceptum: Una est persona cum suscipiente quia susceptum suscipienti est unitum in unitatem personæ, id est ita quod unitas personæ permansit. Hoc dicentes negant *acquisitum esse homini assumpto ut sit Deus*, quod Hilarius dicit. Sed hoc est ut aiunt hominem assumptum esse, in personam assumentem personam non esse divisam: sed permansisse unam in incarnatione quemadmodum et ante. Fatentur Christum esse in utroque unde oportet esse duo in utroque: quorum assignent Christum personaliter esse, vel damnent Augustinum qui ut diversa *quod assumpsit et quod assumptum est* commemorat. Si Christus suscepto tantum hoc contulit ut in eo una persona sit, non tamen illud sit persona, quid aliud accepit illud unitum quam quælibet et creatura? quæ est creatura in qua non sit essentialiter illa persona? Nonne animam et corpus assumpsit et humani corporis partes, ut manus et pedes? Nunquid diceret singulum horum personaliter Christum assumpsisse, eo quod hæc assumendo una persona esse non desiit? Nonne Spiritus sanctus in columba, vel in linguis igneis apparens permansit una et eadem persona quæ fuit prius? Nefas est tamen dicere Spiritum sanctum ea personaliter assumpsisse. Item: Quid est hominem in eamdem personam uniri, nisi unam et eamdem personam fieri? An idem putas in personam assumi, et in personam uniri? Membra humani corporis Christus suscepit, an singula in unitatem personæ assumpsit? Non est manus mea spiritui meo personaliter unita, nec animam habere dicitur, quamvis sit in ea, quia sicut cæteræ partes animata est. Nota quod homo est corpus habens animam rationalem, vel anima rationalis habens corpus.

Si hominem illum Virgo peperisset non unitum Verbo, nunne persona esset? Solutio. Persona esset quidem, sed humana, a sua rationalitate trahens personalitatem, qui nunc sacramento unionis factus divina est persona. Si persona assumens non esset id quod assumpsit, sed assumptum assumentis indumentum tantum et vestis esset, cur pro solo indumento Filius diceretur patre minor? Item. Moysi cæterisque sanctis in multis formis apparuit, non tamen propter illas formas minoratus est angelis. Oportet ergo esse differentiam inter hanc incarnationem et illas apparitiones. Hæc enim non fuit indumentalis, sed potius personalis. Illæ vero tantum indumentales, non personales. Unde nusquam Pater major Spiritu sancto vel Spiritus sanctus Patre minor, ut dicatur, legitur, quia non sic assumpta est creatura in qua appareret Spiritus sanctus sicut assumptus est Filius hominis in qua formæ persona Verbi præsentaretur, ut non haberet Verbum Dei sicut cæteri sapientes, sed ut Verbum ipsum esset. *Aliud est Verbum in homine, aliud Verbum homo.* His verbis Augustinus manifeste exprimit hoc quod credimus de Verbi incarnatione. Dicit enim filium hominis esse assumptum. Velis, nolis, oportet ut concedas quod hoc quod Verbum assumpsit est filius hominis. Dic, quæso, quid est hoc quod est assumptum, et quod est filius hominis? Vide saltem nunc tot documentis edoctus quod aliquid quod est homo constat ex anima et carne Christi. Igitur si id quod est assumptum est filius hominis, necessarium est ut sit et Filius Dei, vel Filius Dei non sit filius Virginis. Absit autem ut Verbum et id quod est assumptum non sit filius Virginis: cum de utroque dicat auctoritas quod filius est Virginis. Item attende quod dicit Augustinus quod assumptus est filius hominis, non ut haberet tantum, sed ut esset ipsum Verbum. Ait enim: *Aliud est Verbum in homine, aliud Verbum homo.* Dicit Christus: *Ascendo ad Patrem meum et ad Patrem vestrum, ad Deum meum et ad Deum vestrum* (*Joan.* XX). Si igitur Christus non est nisi id quod fuit ab æterno, dic quomodo habet Deum. Nil enim Deum habet nisi id quod est aliquid creatum. Dicit alibi idem Christus: *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a me* (*Joan.* X). Verbum a se animam non separavit. Ex quo enim Deus factus homo animam non deposuit, nec etiam desiit secundum quosdam esse homo; anima quoque sibi absentari non potuit: ergo a carne separata est necessario. Sed quæ fuit in carne separatio, nisi eam corpori sociaverit vitalis unio? Ipse ergo homo assumptus animam deposuit, dum carni sensualis vegetatio abscessit. Solutum est ergo consortium quo fiebat homo ex anima et carne, unione Verbi ad utrumque perseverante. Caro igitur spoliata est anima, vel anima carne; quæ duo in hora resurrectionis sibi sociata sunt. Unde Scriptura dicit

Christum factum hominem denuo. In quo nil aliud intelligitur quam carnis et animæ iterata conjunctio. Sicut etiam illud beati Job: *Exspectabo usquequo iterum fiam [donec veniat in manu mea]* (*Job.* XIV). Dicit Augustinus: *Si quis dixerit atque crediderit hominem Jesum Christum a Filio Dei non fuisse susceptum, anathema sit.* Cui consonat illud Bedæ: *Pereat de terra memoria eorum qui Christum Deum et hominem esse verum denegant.* Eadem igitur substantia et facta est et prædestinata: ab æterno prædestinata, et facta in tempore. Et gerit ergo homo universa quæ Dei sunt, habetque Deus et gerit omnia quæ hominis sunt præter peccatum.

Hinc est quod fidei profitetur religio vera esse de Christo utrinsque gesta substantiæ et utrinsque veritatem substantiæ. Inde est ut infectus dicatur secundum divinitatem, factus secundum humanitatem, ut dicit Apostolus de Christo loquens: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute* (*Rom.* I). Quid est enim prædestinatio? In tempore gratiæ conferendæ præparatio, seu salvandorum prælectio. Quid igitur beate vivere potens prædestinatum fuit in Christo? Quod enim semper fuit prædestinationi subesse non potest. Dicent forsitan hominis animam esse prædestinatam. Sed cur eam animam hominis dicent quæ nunquam aliquem hominem cum carne constituit? Item non ait Apostolus de Filio Dei cujus anima est prædestinata, sed *qui prædestinatus est.* Relatio cogit eumdem Dei Filium et prædestinatum intelligi. Hic ab eis respondetur esse prædestinatum Filium Dei, non tamen secundum id quod assumpsit, sed secundum id quod assumptum est. Hæc verba sana sunt; et utinam horum verborum intellectum sanum haberent! Responde, quæso, si Christus nihil est quod sit assumptum, quomodo ipse sit prædestinatus secundum id quod est assumptum? vel si id quod est assumptum non est prædestinatum, quomodo Christus secundum id quod est assumptum est prædestinatus? Si autem dixeris quod id quod est assumptum est prædestinatum, oportet te nobiscum concedere quod id quod est assumptum est Filius Dei. Dictio hæc *secundum*, quandoque indicat causam, ut cum dicitur quis rationalis secundum rationalitatem, eo quod qualitas illa sit causa formaliter efficiens cur sit rationalis. Quandoque significat unde aliquid contingit, est quasi materiale, ut cum dicit: Homo est rationalis secundum animam, vel visibilis secundum corpus. Neutrum autem diceretur si anima non esset rationalis vel corpus visibile. Quandoque *secundum* innuit tenorem vel qualitatem rei ex persona, ut cum dicitur: Secundum Lucam vel Marcum est hoc Evangelium. Cui aliquantulum accedit quod secundum conscientiam quis dicitur judicare vel loqui. Quandoque significatur per *secundum* velut *in quo*, ut cum dicitur: Hæc dictio est hujus proprietatis secundum hanc vocem, vel illius secundum illam.

QUÆST. XX. Quæro ergo quid per *secundum* significetur, cum dicitur, Christus secundum humanitatem est prædestinatus. Respondent quod *secundum* unitatis personæ expressivum est. Ideo quæro quomodo unitas personæ exprimitur hac voce *secundum*, cum dicitur, Christus est prædestinatus secundum id quod est assumptum, si id quod est assumptum non est una persona cum illo? Augustinus loquens de assumpto et assumente dicit: *Utrumque non duo, sed unus est Christus: qui secundum id quod homo quidem est prædestinatus, ut sit Filius non adoptivus, sed sit Filius naturalis, non per naturam sed per gratiam, non adoptionis sed unionis.* Apparet itaque in capite nostro fons gratiæ. Ita enim quilibet fidelis fit per eamdem gratiam Christianus, sicut homo ille per gratiam Christus. Idem alibi: *Qui fecit hominem illum talem ut nunquam habuerit voluntatem malam nec habiturus sit, ipse fecit in membris ejus ex mala voluntate bonam.* In libro De Trinitate idem dicit: *Ille fecit nos credere in Christum*, qui nobis fecit in quem credimus Christum. *Ille facit in hominibus principium fidei qui fecit hominem principem fidei et perfectorem Jesum.* Cui igitur diligenter inspicienti quæ præmissa sunt dubitare licebit ex anima Christi et carne hominem quemdam subsistere, qui prædestinationis et aliorum quæ prædicta sunt valeat esse capax? Moneo, lector, ut prædicta sub uno rationis intuitu congreges, et videbis homini esse collatum ut sit persona divinæ substantiæ, et quod manens Deus quod erat sit homo factus quod non erat.

DE VERBO INCARNATO

COLLATIONES SEU DISPUTATIONES TRES.

COLLATIO I.

De triplici silentio, in quorum secundo agitur de incarnatione Verbi.

Dum medium [quietum] silentium tenerent omnia (*Sap.* XVIII). Tria sunt silentia. Primum silentium est ignorantia languoris. Secundum silentium est desperatio curationis. Tertium silentium est adeptio sanitatis. Primum silentium fuit ante legem. Secundum inter legem et gratiam. Tertium erit post hanc vitam. Primum silentium fuit, quando homo non agnovit morbum suum; et idcirco siluit, nec quærebat remedium. Sed postquam lex subintravit

et ostendit languidis vulnera sua, statim ruptum est silentium, et cœperunt nos ægri salutem quærere; sed quia per opera legis, ubi salus non est, sanari volebant, quod quærebant non poterant invenire. Tandem igitur considerans homo per legem neminem justificari posse, quasi post diuturnos clamores fatigatus et jam desperans rursum loqui cessavit, et subsecutum est secundum silentium. Tunc ergo omnipotens Verbum Dei Patris in carnem veniens rupit silentium, locutum est pacem, dedit gratiam, proposuit misericordiam, promisit veniam; et cœperunt ægri currere ad medicum, et quasi magnis clamoribus sic pura fide cordis et vera confessione oris flagitare remedium. Hoc itaque in præsenti vita hac agitur, ut homo per gratiam Dei sanitatem recipiat. Sed cum plenam sanitatem receperit, et ad illam felicitatem venturæ immortalitatis perductus fuerit, non erit amplius quod petat; et tunc sequetur tertium illud beatum silentium quod nunquam finem habebit. Inter primum et medium silentium multa verba sonuerunt, inter medium et ultimum silentium sonat unum verbum. Multa verba fuerunt multiplicia legis mandata, quæ per Moysen data est. Unum verbum est una Dei gratia, quæ per Jesum Christum facta est, vel potius ipse Jesus Christus. Moyses famulus Dei multa verba et multos sermones protulit. Deus Pater unum Verbum, unumque sermonem misit. Sed sermones Moysi omnipotentes non fuerunt, quia quod dicebant facere non poterunt; et ideo tandem quandoque in promissione deficiendo siluerunt. Et tunc omnipotens Sermo venit, qui non solum dixit, sed quæcunque dixit, imo quæcunque voluit fecit. Iste sermo, istud Verbum adhuc loquitur, quandiu in fidelibus suis promissiones suas operatur. Sed cum promissa impleverit, tunc quasi loqui cessabit. Cum autem promissa impleta fuerint, quia amplius quod petatur nihil deerit, felix in sempiternum silentium erit.

Dum ergo *medium silentium tenerent omnia*. Bene *omnia*, hoc est non solum illi qui in petitione desperabant, sed et illa quæ in promissione defecerant, *et nox in suo cursu medium iter haberet*. Nox in sacra Scriptura aliquando pro diabolo, aliquando pro membris ejus, id est pro peccatoribus iniquis, aliquando pro peccato, aliquando pro præsenti vita accipitur. Per noctem ergo in hoc loco, mortalis hujus vitæ fluxus signatur, sicut per diem alibi claritas vitæ perpetuæ. Præsens ergo vita nox est, vita vero futura dies. Nox ista habet vesperam, dies illa habet auroram. Vespera præsentis noctis fuit inclinatio unius diei, aurora illius diei inclinatio præsentis sæculi. Vespera hujus noctis fuit ex quo Adam peccavit, donec accepta sententia mortis a paradiso pulsus in tenebras hujus mundi exiit. Aurora sequentis diei est a resurrectione Christi usque in finem sæculi. Ergo vita ista nox est. Sed quis est cursus vitæ hujus? Videamus quo currat. Per mortalitatem currit in mortem. Per mortem currit in damnationem. Igitur vita mortalis deorsum currit, sicut vita immortalis sursum. Iter sursum est in cœlis, iter deorsum est in inferis. Iter medium est stadium vitæ præsentis, quod nascendo intramus, vivendo percurrimus, moriendo exímus. Quando ergo nox in suo cursu medium iter habuit, nisi quando mors universos, quos in stadio vitæ præsentis reperit, secum ad inferos traxit, et nemo adhuc mortalium ad vitam immortalem ascendere potuit? Vel per noctem accipere possumus peccatum: quæ videlicet nox ab originali peccato cœpit, et per actualia cucurrit. Quando ergo post originalem prævaricationem primum prævaricatione naturalis legis, ac deinde, scriptæ legis prævaricatione succedente, peccatum ad summum incrementum venerat, quasi nox in suo cursu medium iter habebat; sed ista nox, vera luce apparente, mox deorsum vergere cœpit; et nunc quasi quadam alterna mutuatione paulatim decrescens elongat quousque lux crescendo ad plenam diem perveniat. Vide ergo ordinatissimum divinæ dispensationis consilium. Quando omnis recuperandæ salutis spes perierat, et mors omnia secum deorsum rapiebat, peccatum ad summum venerat, tunc omnipotens sermo liberandis mittitur, ut amplius divinæ gratiæ munus commendetur. *Venit*, inquit. Quis? Unde? Quo? *Sermo Altissimi*, Verbum Dei, unicus Patris, rex, filius regis, de consensu Patris, ad tolerantiam passionis. De æqualitate majestatis ad patibulum crucis, de sede regali ad officinam peccati, de lumine cœli usque ad tenebras inferni. Sed nunquid iden regnum perdidit? Imo eos qui servi erant peccati liberans usque ad conregnandum sibi sublimavit. Et ideo fortassis a *regalibus sedibus venit*, quia *in domo Patris* ejus *mansiones multæ sunt* (Joan. XIV), et regnabunt cum illo in æternum, cum sceperint regnum quod paratum est ab initio sæculi. Unicus enim regis erat, solus regnum habuit; sed quia ad conregnandum sibi fratres adoptare venit, non jam a sede regali, sed *a sedibus regalibus* venire debuit, quia regnum ad quod vocantur electi Dei præparatum est ab initio sæculi.

COLLATIO II.

Quod Verbum, dum caro factum est, naturam assumpsit, non personam, et quod una persona est assumens et assumptum.

Verbum caro factum est (Joan. I.) Quod verbum Dei quod et Deus est? verbum enim hominis non est homo, sed verbum Dei Deus est. Sicut verbum cordis cor est, et de corde verbum exit, et non est aliud verbum cordis quam ipsum cor, sic verbum Dei aliud esse non potest quam Deus. Sapientia est verbum cordis; quæ de corde nascitur, et a corde non separatur. Ipsum cor sapientia est, et de corde ipso sapientia est, et una sapientia cor et sapientia sua. Sic Deus sapientia est, et de ipso Deo sapientia est, et est una sapientia Deus et sapientia sua. Sapientia Dei verbum Dei est. Ipsum Verbum caro factum est. Quid est caro? Homo. Factum est caro, factum est homo. Quomodo factum est homo? Assumendo hominem. Verbum quippe hominem

assumpsit naturam, non personam. Non enim assumpsit hominem personam, sed assumpsit hominem in personam. Intellige quod dico. Firma est fides catholica; Verbum persona assumpsit hominem non personam, sed naturam. Quare non dicimus personam assumptam, sicut dicimus personam assumentem? Ne duas personas prædicemus in Christo, et ne quaternitatem inducere videamur, et confundatur Trinitatis confessio. Propterea dicimus hominem naturam, non personam, assumptum a Verbo. Quid est homo? Anima et corpus. Propterea homo assumptus est, quia anima et corpus assumptum est. Propterea persona assumpta non est, quia anima et corpus antequam Verbo unirentur in personam, non erant inter se unita ad personam. Idcirco quia assumpta non sunt, unita non sunt, assumpta persona, quia vero in eo quod assumpta sunt unita sunt, in personam assumpta sunt. Sed dices: Si anima et corpus antequam unirentur Verbo, ideo persona non erant, quia inter se unita non erant, nonne tamen anima etiam sola per se persona erat, inquantum spiritus rationalis erat? Si autem anima etiam sola persona erat inquantum spiritus rationalis erat, quomodo persona non assumpta est quando anima rationalis assumpta est? Sed sicut anima rationalis et caro ideo non sunt assumpta persona, quia ante assumptionem non habuerunt unionem, sed assumpta in personam, quia ex eo unita sunt quod assumpta sunt, sic et anima rationalis ideo assumpta non est persona, quia ante unionem Verbi sicut per se esse non habuit, ita persona esse non habuit. Ex quo enim cœpit, uniri cœpit; et ex quo fuit, unita fuit. Ex quo autem unita fuit, una cum eo cui uniebatur persona fuit. Vide quid sequitur. Si ex quo fuit unita fuit, et ex quo unita fuit persona fuit, ergo ex quo fuit persona fuit? Si autem ex quo fuit persona fuit, quomodo persona assumpta non est quæ persona fuit, quando assumpta est? Sed considera. Non te perturbet sermonis involucrum: fides quæritur. Sermo multa perturbat. Intende tibi. Ex quo fuit persona fuit, quia ex quo fuit unita fuit. Quare ergo non dicimus personam assumptam? Intende. Quando assumebatur, uniebatur. Ex quo cœpit uniri cœpit et ex quo uniri cœpit persona esse cœpit, non tamen inquantum erat, sed inquantum unita erat. Si per se aliquando esse habuisset, ex se persona habuisset. Quia autem semper unita fuit, semper una cum illo cui uniebatur persona fuit. Ideo non dicimus hominem personam assumptam esse, sed assumptum esse hominem in personam, quia humana natura in Christo ex eo quod fuit persona non fuit, quia per se non fuit. Sed ex eo quod unita fuit, una cum illo cui uniebatur, persona fuit. Persona enim notat discretionem. Propterea quod per se persona fuit, ex se persona non fuit. Idcirco non est assumpta persona, sed natura, quia quod assumptum est rationalis naturæ, sicut extra assumptionem per se esse non habuit, ita personam esse non habuit. Sed dices: Quare ergo assumptus esse dicitur, si persona assumpta non dicitur, cum illud rationalis naturæ quod assumptum est, ante ipsam unionem nec homo nec persona fuit, quia extra unionem per se nunquam fuit, quoniam assumptum est ex quo fuit? Sed considera quia id rationalis naturæ quod assumptum est ex eo quod fuit homo, id est humana natura, esse habuit. Quia ergo assumptum est in eo quod fuit, ex quo homo fuit, ideo homo assumptus est. Id enim assumptum est quod homo fuit in eo et ex eo quod assumptum est, quia autem id quod assumptum est rationalis naturæ ex eo quod fuit persona non fuit, quia per se non fuit; sed ex eo quod assumptum est unitum est, et ex eo quod unitum est, una cum Verbo uniente persona est. Idcirco persona assumpta non dicitur, sed natura, quia quod assumptum est ex eo quod fuit, et natura et homo, id est natura humana esse habuit; persona autem non ex eo quod fuit, quia illud per se nunquam fuit, sed ex eo quod Verbum personæ unitum est, esse cœpit. Propterea homo assumptus est, id est humana natura, non persona.

COLLATIO III.

De incarnatione Verbi et mysteria ejus respecta nuntii et Virginis.

Omnia per sapientiam Dei facta sunt; ad ipsam autem sapientiam facta non sunt, nisi illa solum quæ sapientia frui possunt. Hæc autem sunt ratione utentia, et intelligentiam sensumque percipiendi boni malique fugiendi habentia. Quorum pars sursum erat condita in angelis, pars deorsum in hominibus ordinata. Igitur homo non solum per sapientiam Dei factus erat ut esset, sed etiam ad sapientiam Dei factus erat ut beate esset, ut illa videlicet frueretur eo sensu quo sapientia percipi potest. Sed quia peccando sensum amisit quo sapientia frui debuisset, oblitus est ipse comedere panem suum, et refectionem illam qua vivunt animæ in corporalem commutavit delectationem. Terrenis igitur et corporalibus sensu et affectu immersus, non potuit se ad spiritualium cogitationem sive amorem erigere, sed sola ea quæ carnis sunt sapiens, spiritualium jucunditatem non agnovit. Ipsa autem Dei sapientia noluit amittere hominem qui propter ipsam factus fuerat. Et cum ipsa sursum esset, ille, deorsum, venit ubi ille erat, ut eum revocaret ad se unde ceciderat. Factum est Verbum caro ut homo inter homines esset, qui Deus erat supra homines. Et versus est panis ille in lac, ut a parvulis sumi possit. Sapientia sursum panis erat, et eadem ipsa sapientia deorsum lac erat. In divinitate panis, in humanitate lac. Sic enim parvuli sensu per lac humanitatis nutriti sunt, et roborati sunt ad panem divinitatis, ut idem ipse utrobique reficeret, et reficiendo languidos ad incorruptionem repararet. Dedit ergo reparandis ad incorruptionem alimentum incorruptionis. Parvulus quidem immaculatam carnem quam sumpsit de Virgine matre, perfectis au-

tem incorruptibilem divinitatem quam habuit de æterno Patre. Istis ut interim non deficerent in via, illis ut postea perficerentur in patria. Istis ad consolationem, illis ad glorificationem. Propter hoc ergo Dei Filius pro redemptione hominum homo factus est, ut caro per carnem liberaretur, et generi humano de suo sumeretur pretium redemptionis, quatenus inde remedium fieret, unde vitium contractum fuerat, et in eodem monstraretur et peritia medici et justitia redempti, quando de suo et sanando invenitur remedium, et pretium redimendo. Quia vero a corruptione liberandum erat, idcirco pretium redemptionis incorruptum esse debuerat. Propterea mater Virgo electa est ut de munda immaculatus nasceretur, ut sicut in cœlo Deus habuit Patrem immortalem æternus, sic in terra haberet matrem Virginem incorruptus. Igitur in cœlo qualis Pater talis Filius, et in terra qualis mater talis filius. In cœlo cum Patre æternus et immensus, in terra cum matre immaculatus et mansuetus. In cœlo cum Patre incorruptus et sublimis, in terra cum matre virgo et humilis. In cœlo imago Patris, in terra imitator matris. Mater virgo erat, et in humilitate exsultabat. Filius Virginis virgo humilitatem commendabat. Talis ergo Agnus, qualis mater Agni; ex munda mundus, ex Virgine incorruptus. Per Virginem veniens ad nos: per virginitatem præcedens nos. Per incorruptionem veniens ut peccatum tolleret, per virginitatem præcedens ut virtutem demonstraret. Veniens ut conferret remedium, præcedens ut daret exemplum. *Non enim potuit arbor bona malum fructum facere, sicut arbor mala fructum bonum facere non potest* (*Matth.* VII; *Luc.* VI). Quoniam omnis arbor ex fructu suo cognoscitur, radix integra, et ramus incorruptus.

Hujus ergo adventus Gabriel nuntius missus est, ut novam in carne Filii Dei nativitatem prædicaret, in qua forma servi, domino sociata, hostem potenter devicit. Fortis in illo, non tamen violenta ad inferendam injuriam, sed efficax ad justitiam obtinendam. Propterea Gabriel missus est, quod *fortitudo Dei* interpretatur, quia ipsam etiam infirmitatis fortitudo fuit, quoniam in ea superatus est inimicus, et capta præda a violento reducta est. Tres enim perierant, et subsecutus est quartus, scilicet Redemptor eorum. Primus sine masculo et sine femina; secundus de masculo, sine femina; tertius de masculo et femina; quartus sine masculo de femina. Adam quippe nec de masculo nec de femina erat; Eva autem de masculo sine femina: qui autem de illis erant, de masculo simul et de femina erant. Et ceciderunt primi masculus et femina, et per eos qui post eos erant omnes de masculo et femina. Et quia primus auctor culpæ dejectus est a femina, auctorem gratiæ sine masculo concepit et peperit femina, ut idem sexus initium gratiæ esset, qui peccati origo exstiterat. Propterea ait: *Ave, gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* I). Vere enim Maria gratia plena fuit, per quam gratia descendit super omnes filios hominum. Primum gratia super eam, postea gratia in ea: deinde gratia ex ea. Super eam, ad umbrationem; in ea, ad fecunditatem; ex ea, ad salvationem. Venit enim gratia ut humanam naturam visitaret, et intravit ad eam unde exierat. Per feminam enim exierat, et per feminam intravit. Et venit gratia primum in ipsam, deinde descendit in illud quod erat ex ipsa, et sumpsit de carne Virginis naturam, hostiam pro natura, quam liberam pro liberandis offerret, ut prius in ipsam totum effunderet, quod per ipsam post modum redemptis omnibus exhiberet.

Ideo gratia plena, de qua ortus est fons gratiæ. Et ideo, o Virgo gratiosa, totum nobis quodammodo est a te, quod per per illum nobis est qui natus est ex te. Gratia plena, intantum plena, ut ex tuo redundante, totus hauriat mundus. Si enim *prudentes* virgines *oleum acceperunt in vasis suis cum lampadibus* (*Matth.* XXV); tu, prudentissima Virgo, et Virgo virginum, non unum tantum vas habuisti oleo gratiæ repletum, quo lampadem tuam inexstinguibiliter ardentem nutrires, sed aliud gestasti vas redundans et indeficiens, ex quo effuso oleo misericordiæ omnium lampades illuminares, et vasa omnium usque ad summum et perfectum impleres, et in illo nihil minueres. Prudens ergo fuisti ut tibi provideres, nec timida ut aliis subvenires. Nec dixisti: *Ne forte non sufficiat mihi et vobis* (*ibid.*), sed sciens quod sufficeret et tibi et nobis, sufficienter retinuisti et sufficienter tribuisti. Lumen in lampade fuit in carne virginitas; oleum in vase in corde humilitas. Et erat aliud vas humanitas Verbi in utero tuo gratiæ plena, ex cujus plenitudine tu quoque accepisti et lumen virginitatis in carne et oleum humilitatis in corde. Postea autem partu intemerato nobis propinans ipsum indeficiens tribuisti, ut ex illius plenitudine effunderetur, quo et lampades nostræ exstinctæ illuminarentur et vasa vacua replerentur. Si gratiæ plena fuisti, cum de terra carnis tuæ fons gratiæ erupit: ut manaret super omnem terram, et irrigaret aridam, et sterilem fecundaret. Ex hac plenitudine gratiæ et illa acceperat quæ sterilis conceperat, quæ et Virginem fecundam ad se venientem agnovit et dixit: *Unde mihi hoc, ut veniat mater Domini mei ad me?* (*Luc.* I.) Bene *mater Domini*, quia in forma servi Dominus majestatis advenit. Qui enim natus est homo, idem erat et Deus. Ex eo quod assumptus est, filius Virginis; ex eo autem quod assumpsit, Filius majestatis. Idem tamen et filius Virginis, et Filius majestatis. Et propterea qui assumptus est homo, naturalis est Filius Dei, propter eum qui assumpsit; verus est filius hominis, propter eum quem assumpsit. Nemo igitur dicat Christum Filium adoptivum, cum naturalis sit Filius, quoniam quem assumpsit homo, et qui assumpsit Deus, non duo filii sunt, sed unus est Filius, Deus et homo, Jesus Christus. Ideo mater Domini est quæ genuit formam servi, quia in forma servi erat majestas Domini, et unus cum forma servi et

majestate Domini. Bene ergo matrem Domini sui vocat quæ Deum credidit esse ipsum qui homo conceptus fuerat, et portabatur in utero Virginis secundum carnem, qui deitate sua omnia portabat. Ideo ait : *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me : Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te omnia quæ dicta sunt tibi a Domino.* Tunc ait *Maria : Magnificat anima mea Dominum* (*ibid.*). De quo ante allegorias in Evangelium Lucæ explicatio posita est.

DE FILIA JEPHTHE.

De filia Jephthe, quod eam pater in holocautoma obtulit Deo, quoniam in bello voverat, si vicisset, eum se in holocautoma oblaturum qui sibi de domo exiens primus occurrisset, quod cum vovisset, vicit, et occurrente sibi filia, quod voverat reddidit, solet esse magna et ad judicandum difficillima quæstio, quibusdam quid sibi hoc velit nosse cupientibus et pie quærentibus, quibusdam vere qui Scripturis hic sanctis imperita impietate adversantur hoc maxime in crimen vocantibus quod legis et prophetarum Deus etiam humanis sacrificiis fuerit delectatus. Quorum calumniis sic primitus respondemus ut Deum legis et prophetarum, atque, ut expressius dicam, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob nec illa sacrificia delectaverint, ubi pecorum holocausta offerebantur, sed quod significativa fuerint et quædam umbræ futurorum, eum res ipsas nobis quæ his sacrificiis significabantur commendare voluisse. Fuisse autem etiam istam utilem causam cur illa mutarentur, nec modo non juberentur offerri, imo prohiberentur, ne vere secundum carnalem affectum talibus Deum delectari putaremus. Sed utrum etiam humanis sacrificiis significari futura opportuerit merito quæritur. Neque mortes hominum quanquam mortuorum, in hac causa exhorrescere et formidare deberemus, si illi qui hæc de se fieri gratanter acciperent in æternam remunerationem commendarentur Deo. Sed, si hoc verum esset, hoc genus sacrificiorum Deo non displiceret. Displicere autem Deo satis evidenter eadem Scriptura testatur. Nam, cum omnia primogenita sibi dicari et sua esse voluerit atque præceperit, redimi tantum a se voluit primogenita hominum, ne immolandos Deo crederent filios suos quos natos primitus suscepissent. Deinde hoc apertius ita loquitur, quod humana holocausta sic Deus improbet ut prohibeat detestans ea in aliis gentibus, et populo suo præcipiens ne audeat imitari. *Attende*, inquit, *tibi ipsi : Ne sequaris gentes, postquam exterminatæ fuerint a facie tua, ne exquiras deos eorum dicens : Quemadmodum faciunt gentes diis suis, faciam et ego. Non facies ita Domino Deo tuo. Abominamenta enim quæ Dominus odit fecerunt diis suis quoniam et filios suos et filias comburunt igni.* (*Deut.* XII).

Quid evidentius ostendi potest his sanctæ Scripturæ testimoniis (ut alia hujuscemodi omittamus) quam Dominum a quo hæc Scriptura humano generi attributa est, non solum non diligere, verum etiam odisse talia sacrificia in quibus homines immolantur ? Illa plane diligit et coronat, cum quisque justus iniquitatem patiens usque ad mortem pro veritate decertat, vel ab inimicis, quos pro justitia offendit, occiditur, retribuens eis bona pro malis, id est pro odio dilectionem. Talem dicit Dominus sanguinem justum *a sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ* (*Matth.* XXIII). Præcipue autem quod sanguinem fudit ipse pro nobis, et sacrificium seipsum obtulit Deo, sic utique obtulit, ut ab inimicis pro justitia occideretur. Hunc imitata multa martyrum millia usque ad mortem pro veritate certarunt, et ab inimicis sævientibus immolata sunt. De quibus dicit Scriptura : *Tanquam aurum in fornace probavit eos, et sicut holocausti hostiam accepit illos* (*Sap.* III). Unde et Apostolus dicit : *Ego enim jam immolor* (*Philipp.* II). Sed non sic Jephthe de filia fecit holocautoma Domino, sed sicut præceptum fuerat pecora offerri, et prohibitum fuerat homines immolari. Magis hoc illi simile videtur quod fecit Abraham, quod Dominus specialiter fieri præcepit non generali lege. Ut talia sibi sacrificia fierent aliquando mandavit, imo etiam fieri prohibuit. Distat itaque hoc quod fecit Jephthe a facto Abrahæ, quoniam ipse jussus obtulit filium, iste autem fecit quod et lege vetabatur et nullo speciali jubebatur imperio. Deinde non solum in sua lege postea, verum etiam tunc Dominus in ipso Abrahæ filio, talibus sacrificiis quam non delectaretur ostendit, cum patrem cujus fidem jubendo probaverat, a filii tamen interfectione prohibuit, et arietem, quo sacrificium licite secundum veterum congruentiam temporibus consuetam compleretur, apposuit. Si autem hoc quempiam movet · quomodo pie crediderit Abraham Deum talibus sacrificiis delectari, si hæc illicite offeruntur Deo ; et ideo recte putant credidisse etiam Jephthe quod tale sacrificium Deo posset esse acceptum, primo consideret aliud esse ultro vovere, aliud jubenti obtemperare ; non enim, si aliquid præter morem in domo a Domino institutum servo jubetur, atque id laudabili obedientia facit. Ideo non est plectendus, si hoc sponte præsumpserit. Deinde habebat quod crederet Abraham

ut propter divinum imperium non parceret filio, non credens Deum tales victimas libenter accipere, sed hoc eum propterea jussisse ut resuscitaret occisum, et huic aliquid tanquam Deus sapiens demonstraret. Nam hoc de illo etiam in Epistola legitur quæ inscribitur ad Hæbræos, et fides ejus, quia hoc de Deo crediderit, quod posset filium ejus suscitare, laudatur (*Hebr.* xi). Iste vero, et Deo non jubente neque poscente, et contra legitimum ejus præceptum ultro sacrificium vovit humanum. Sicut enim scriptum est : *Et vovit Jephthe votum Domino et dixit : Si traditione tradideris mihi filios Ammon, quicunque exierit de januis domus meæ, in obviam mihi, in revertendo me in filiis Ammon in pace, offeram eum holocaustoma Domino* (*Judic.* xi).

Non utique his verbis pecus aliquod vovit quod secundum legem holocaustoma posset offerre, Neque enim est aut fuit consuetudinis ut redeuntibus cum victoria de bello ducibus pecora occurrerent. Quantum autem attinet ad muta animalia, canes solent dominis blando famulatu alludentes currere obviam; de quibus ille in suo voto cogitare non posset, ne in injuria Dei aliquid non solum illicitum verum etiam contemptibile et secundum legem immundum vovisse videretur. Nec ait, Quodcunque exierit de januis domus meæ obviam mihi, offeram illud holocaustoma, sed ait : *Quicunque exierit obviam mihi, offeram eum.* Ubi procul dubio nihil aliud quam hominem cogitavit; non tamen fortasse unicam filiam, quanquam illam in tanta paterna gloria quis posset anteire, nisi forte uxor? Nam quod non dixit, quæcunque, sed *quicunque exierit de januis domus meæ* (*ibid.*), solet Scriptura pro quolibet sexu masculinum genus ponere, sicut de Abraham dictum est, surgens a mortuo (*Gen.* xxiii), cum ejus uxor mortua fuisset. Quia ergo de hoc voto atque facto nihil videtur Scriptura judicasse, sicut de Abraham, quando filium jussus obtulit, apertissime judicavit, sed tantummodo scriptum reliquisse legentibus judicandum, quemadmodum de facto Judæ filii Jacob quando ad nurum quidem nescius intravit, verum quantum in ipso fuit fornicatus fuit quia meretricem putavit, neque approbavit, hoc Scriptura neque reprobavit, sed justitia et Dei lege consulta existimandum pensandumque dimisit. Quia ergo de isto Jephthe facto in neutram partem sententiam Scriptura Dei protulit, ut noster sensus in judicando exerceretur, possemus jam dicere Deo displicuisse tale votum et ad illam perductum fuisse vindictam ut potissimum filia unica occurreret. Quod si sperasset atque voluisset, non continuo, ut eam vidit, scidisset vestimenta sua atque dixisset : *Heu me, filia! impedisti me : in offendiculum facta es in oculis meis* (*Judic.* xi). Deinde quod sexaginta dierum tam longa dilatione data filiæ suæ, Dominus eum ab unicæ charissimæque nece non prohibuerit, sicut prohibuit Abraham, donec perficiendo quod voverat seipsum percuteret orbitate gravissima, Deum autem nequaquam hominis immolatione placaret. Et ideo hujuscemodi patri pœnam fuisse retributam, ne impunitum talis voti relinqueretur exemplum, neve magnum aliquid se vovere Deo putarent homines cum victimas humanas voverent, et (quod est horribilius) filiorum, aut non vera sed potius simulata eadem vota essent, cum velut exemplo Abrahæ sperarent qui vovissent, Deum prohibiturum talia vota compleri.

Possemus, inquam, hoc dicere nisi ab ista sententia duo nos præcipue divinarum Scripturarum testimonia revocarent, ut hanc rem gestam in libris, tantæ auctoritatis memoriæ commendatam diligentius (quantum Dominus adjuvat) et cautius perscrutemur, ne in ullam partem judicium temerarium proferamus. Unum, quod in Epistola ad Hebræos iste Jephthe inter tales commemoratur, ut eum culpare vereamur : Ubi scriptum est, *Et quid adhuc dicam : deficiet enim me tempus enarrandi : de Gedeon, Barach, Samson, Jephthe et David et Samuel et prophetis, qui per fidem devicerunt regna, operantes justitiam, consecuti sunt promissiones* (*Hebr.* xi). Alterum, quod ubi de illo ista narrantur, quod tale voverit et impleverit votum, præmisit Scriptura dicens : *Et factus est super Jephthe Spiritus Domini et circuiens Galaad et Manasse, transiit speculam Galaad; et de specula Galaad trans filios Ammon, et vovit Jephthe votum Domino* (*Judic.* xi), et cætera ad ipsum votum pertinentia, ut omnia quæ deinceps facta sunt tanquam opera spiritus Domini qui super eum factus est intelligenda videantur. Ista testimonia nos compellunt quærere potius cur factum sit, quam facile improbare cur factum sit. Sed primo illud ad quod ex Epistola quæ ad Hebræos est eum memoravi, inter illos laudabiles viros, qui ibidem commemorantur non solum est Jephthe, verum etiam Gedeon, de quo similiter Scriptura dicit : *Spiritus Domini confortavit Gedeon* (*Judic.* iv), et tamen ejus factum quod de illo operatus est ephod, et fornicatus est post illud omnis Israel : et factum est domui Gedeon in scandalum, non solum laudare non possumus, verum etiam quia Scriptura hinc apertissime judicavit reprobare minime dubitamus. Nec tamen ex hoc ulla fit injuria Spiritui Domini, qui eum confortavit ut hostes populi ejus tanta facilitate superaret.

Cur ergo inter eos commemoratur *qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam* (*Hebr.* xi), nisi quia sancta Scriptura quorum fidem atque justitiam veraciter laudat, non hinc impeditur eorum etiam peccata (si qua novit, et oportere judicat) notare veraciter. Nam et in eo quod idem Gedeon signum petens tentavit in vellere, nescio utrum non fuerit transgressus præceptum quo scriptum est : *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Matth.* iv). Verumetiam in ejus tentatione Dominus quod prænuntiare volebat ostendit, in compluto scilicet vellere et area tota circumquaque sicca, figurare primum populum Israel ubi erant sancti selecti tanquam pluvia spirituali, et postea com-

pluta area sicco vellere figurare Ecclesiam toto orbe diffusam, habentem non in vellere tanquam in velamine, sed in aperte, cœlestem gratiam, ille priore populo velut ab ejusdem gratiæ rore siccato atque alienato. Nec tamen frustra inter fideles et operantes justitiam, propter bonam fidelemque vitam in qua eum credendum est esse defunctum, tale in Epistola ad Hebræos meruit testimonium. Utrum autem quia postea quam dictum est, *factus est super Jephthe Spiritus Domini*, ea secuta sunt ut votum illud voveret, et quod voverat redderet, Spiritui Domini omnia deputanda sint, ut perinde habeatur hoc sacrificium, tanquam id Dominus sicut Abrahæ fieri jusserit, non facile dixerim, cum utique de Gedeon possit hæc afferri differentia, quia post peccatum quod fecit, quando fecit ephod, nulla est ejus commemorata prosperitas, postea vero quam Jephthe votum vovit, illa est insignis ejus victoria consecuta, propter quam adipiscendam voverat, et qua adepta, quod voverat solvit. Rursus enim considerandum est quod Gedeon etsi non postea quam fecit ephod, tamen postea quam tentavit Dominum (quod utique est peccatum) magnas strages hostibus cæsis atque superatis fecit, ac populo salutem acquisivit. Sic enim scriptum est: *Non irascatur indignatio tua in me; et tentabo adhuc semel in vellere* (*Judic.* VI). Iram quippe Dei metuebat, quia noverat se tentando peccare, quod Deus in lege sua manifestissime prohibet. Hoc tamen ejus peccatum et mirabilis signi evidentia et magna victoriæ prosperitas liberationisque populi consecuta est. Jam enim Deus statuerat afflicto populo subvenire, atque hujus ducis quem ad hoc opus assumpserat utebatur animo non solum fideli et pio, verumetiam sub deficiente et, delinquente, et ad prænuntianda quæ volebat, et ad complenda quæ dixerat.

Non enim per istos tantum qui etiamsi peccaverunt inter justos tamen narrantur, sed etiam per ipsum Saulem, omni modo reprobatum, multa Deus populo suo præstitit: in quem insilivit etiam Spiritus Domini et prophetavit (*I Reg.* X); non cum juste ageret, sed cum in virum sanctum David innocentemque sæviret. Agit enim Spiritus Domini et per bonos et per malos, et per scientes et nescientes, quod agendum novit et statuit; qui etiam per Caipham acerrimum Domini persecutorem (nesciente quid diceret) insignem protulit prophetiam, quod oporteret Christum mori pro gente (*Joan.* XI). Quis enim egit, nisi Spiritus Domini, curans pronuntiare ventura, ut judici Gedeon, volenti tentare Dominum et non credenti quod fuerat ei per manum ejus de salute populi locutus, hoc potissimum de vellere compluto postmodum sicco, et de area primum sicca postea rigata, veniret in mentem, ut subdeficienti a fide infirmitati ejus delictoque deputetur. Quod vero etiam tali ejus animo ad hoc quod generi humano significari oportebat, usus est Deus ad ejus intelligatur misericordiam et mirabilem providentiam pertinere. Si quis autem dicit scientem omnia fecisse et dixisse Gedeon, ex revelatione prophetica, ut per eum talia signa monstrarentur, nec defecisse a fide, et quod ei promiserat Dominus credidisse, sed auctione propheticis in vellere voluisse tentare, atque ita illius tentationem fuisse inculpabilem, sicut dolum Jacob, et illud quod Domino ait: *Non irascatur indignatio tua in me*, non ideo dixisse quod iram ejus timeret, sed quod eum confideret non irasci, cum ea faceret quæ Spiritu ejus dictante facienda esse tanquam propheta sciret, audiendus videatur, dummodo illud quod de facto ephod Scriptura ipsa culpavit, quodlibet significet, non audeat excusare a peccato. Nam et illud quod trecenti viri ad signum crucis ipso numero pertinentes, hydrias fictiles acceperunt, eisque ardentes faculas incluserunt, quibus hydriis fractis repente lumina numerose micantia tantam hostium multitudinem terruerunt, tanquam ex suo arbitrio videtur fecisse Gedeon. Non enim Scriptura dicit Dominum admonuisse ut hoc faceret, et tamen tam grande signum quis ejus animo atque consilio faciendum, nisi Dominus inspiravit qui præfiguravit sanctos suos thesaurum evangelici luminis in vasis fictilibus habituros? Unde dicit Apostolus: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* IV). Quibus in passionibus martyrii tanquam vasculis fractis, major eorum gloriæ fulgor emicuit, quæ impios evangelicæ prædicationis inimicos inopinata illis Christi claritate superavit.

Seu ergo per scientes seu per nescientes, prædicationem præfigurationemque futurorum Spiritus Domini propheticis temporibus operatus est, non ideo peccata eorum dicendum est non fuisse peccata, quia et Deus, qui et malis nostris bene uti novit, etiam ipsis eorum peccatis usus est ad significanda quæ voluit. Proinde, si propterea peccatum non fuit, sive cujuslibet necis humanæ, sive etiam parricidale sacrificium vel vovere vel reddere: quia magnum aliquid et spirituale significavit, frustra Deus temporalia prohibuit, et se odisse testatus est, quoniam et illa quæ fieri jussit, utique ad aliquam significationem rerum spiritualium magnarumque referuntur. Cur ergo illa prohiberet, quandoquidem poterant propter eamdem earumdem rerum significationem, propter quam et ista licite fiebant, nihilominus licite fieri, nisi nec tale aliquid significantia, quale expedit credere, humana Deo sacrificia placuerunt, quando non pro justitia quisque ab inimicis, quia recte vivere voluit, vel peccare noluit interimitur, sed homo ab homine tanquam electa hostia more pecoris immolatur? Quid si (ait aliquis) quoniam pecorum victimæ jam eo ipso quo fuerant usitatæ, quamvis et ipsa ea recte intelligentibus ad significationem spiritualium referuntur, minus tamen faciebant intentos ad magnum sacramentum Christi et Ecclesiæ requirendum; propterea Deus re insigni et inopinata volens quasi dormientes hominum animos excitare, eo magis quo

talia sibi sacrificia offerri vetuerat, curavit sibi ejusmodi aliquid offerendum ut ipsa admiratio magnam gigneret quæstionem, et magna quæstio ad perscrutandum magnum mysterium studium piæ mentis erigeret : piè vero perscrutans mens hominis altitudinem prophetiæ, velut hamo piscem Dominum Christum de profundo Scripturarum levaret.

Huic nos rationi et considerationi non obsistimus, sed alia est quæstio de animo voventis, alia de providentia Dei qualicunque animo ejus bene utentis. Quamobrem si Spiritus Domini qui factus est super Jephthe, ut hoc voveret omnino præcepit (quod quidem Scriptura non aperuit) tamen si hoc ille præcipit cujus non licet jussa contemnere, non solum insipientia culpanda non est, verum etiam obedientia laudanda est. Hoc enim si se homo interimat (quod utique humana voluntate atque consilio facere nefas est) profecto intelligendum est obedienter fieri potius quam sceleste, si divinitus jussum est. De qua quæstione in libro I De civitate Dei satis disputatum est. Si autem Jephthe humanum secutus errorem, humanum sacrificium vovendum putavit, ejus quidem peccatum de unica filia jure punitum est; quod etiam ipse verbis suis satis videtur ostendere ubi ait : *Heu me, filia! impedisti me, in offendiculum facta es tu in oculis meis* (*Judic.* XI); discissis etiam vestimentis suis. Verumtamen etiam hic ejus error habet aliquam laudem fidei, qua Deum timuit, ut quod voverat redderet. Nec divini in se judicii sententiam declinavit; sive sperans Deum prohibiturum, sicut fecit Abrahæ, sive ejus voluntatem etiam non prohibentis intellectam facere potius quam contemnere statuens. Quanquam et hic merito quæri potest utrum verius intelligitur hoc Deum nolle fieri, et in eo potius Deo si non fieret obediretur, quoniam hoc se nolle et in Abrahæ filio, et in legitima prohibitione monstraverat. Verumtamen si propterea Jephthe non faceret, sibi potius in unica pepercisse, quam Dei voluntatem secutus esse videretur. Magis ergo intellexit in eo quod sibi filia occurrit, ultorem Deum, justæque pœnæ se fideliter subdidit, timens sæviorem tanquam de tergiversatione vindictam. Credebat enim bonæ et virginis animam filiæ bene recipi, quod non seipsam voverat immolandam, sed voto et voluntati non restiterat patris, et Dei fuerat secuta judicium. Mors enim sicut nec sibi a quoquam nec cuiquam sponte inferenda est, ita, Deo jubente, recusanda non est, cujus constitutione quocunque tempore subeunda est. Nec quisquis eam perpeti detractat, ut omnino evitetur, sed tantummodo ut differatur laborat.

Nunc jam quid Spiritus Domini, sive per nescientem Jephthe, sive per scientem, sive per ejus imprudentiam, sive per prudentiam, sive per obedientiam, sive per offensionem, sive per fidem in hac re gesta præfiguraverit, quantum Deus adjuvat, requiramus breviter et pandamus. Admonet enim nos et urget quodammodo iste sacrarum Scripturarum locus, cogitare quemdam potentem virtute; talis enim dicitur Jephthe, quod nomen interpretatur *aperiens*. Dominus autem Christus, sicut indicat Evangelium, discipulis suis aperuit sensum ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). Hunc Jephthe fratres ejus reprobaverunt, et de paterna domo expulerunt, objicientes ei quod esset filius fornicariæ, tanquam ipsi essent de uxore legitima nati. Hoc etiam egerunt adversus Dominum principes sacerdotum et Scribæ et Pharisæi, qui de legis observatione gloriari videbantur, tanquam ille solveret legem, et ideo veluti non esset legitimus filius. Et quoniam de sancta quidem Virgine corpus assumpserat, quod fidelibus notum est, tamen ejus mater, quantum ad gentem pertinet, etiam illa Judaica Synagoga dici potest. Revolvat qui voluerit propheticos libros, et videat quoties et quanta verbi severitate atque indignatione Domini illa gens velut impudica mulier de suis fornicationibus arguatur. Unde est etiam illud in hoc libro recentissimum, vel eum post Ephod quod fecit Gedeon, omnis Israel legitur fornicatus, vel quod abierunt post deos gentium quibus erant circumdati. Unde in illos divina ira commota est, ut per annos octodecim contererentur a filiis Ammon. Sed numquid non ex eadem gente Israel etiam illi nati erant sacerdotes et Scribæ et Pharisæi, quos in eis diximus præfiguratos, qui Jephthe tanquam isti Dominum Christum veluti non legitimum filium persecuti expulerunt? Sed in eo similitudo adumbrata est, quod isti, ut dixi, veluti legis observatores eum qui contra præcepta legis facere videbatur tanquam legitimi non legitimum vere sibi visi sunt ejecisse. Secundum hoc enim plebs illa dicta est fornicari, quod legis præcepta non servans tanquam viro non exhibebat fidem. Sic autem scriptum est de Jephthe : *Et creverunt filii uxoris et ejecerunt Jephthe* (*Judic.* XI). Verbum quod positum est *creverunt*, significat in figura prævaluerunt. Quod in Judæis impletum est, qui prævaluerunt infirmitati Christi, quia ita voluit ut ab eis quæ oportebat in passione perferret. Sicut hoc idem significans Jacob prævaluit angelo cum quo, ut ipsum portenderet, luctabatur. Dixerunt ergo ad Jephthe : *Non hæreditabis in domo patris nostri quoniam filius mulieris fornicariæ es tu* (*ibid.*). Tanquam dicerent quod Evangelium loquitur : *Non est iste homo a Deo qui sic solvit Sabbatum* (*Joan.* IX). Se autem jactantes velut legitimos filios, Domino dixerunt : *Nos ex fornicatione non sumus nati; unum Patrem habemus Deum* (*Joan.* VIII). *Et fugit Jephthe a facie fratrum suorum et habitavit in terra Thob* (*Judic.* XI). Fugit, quoniam se quantus esset abscondit. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II). Fugit, quoniam morientis infirmitatem viderunt, virtutem autem resurgentis non viderunt. Habitavit autem in terra bona, vel ut expressius dicamus, opima. Quod enim Græce agathon [ἀγαθόν] dicitur, hoc Latine *opimum* dici-

tur. Id autem interpretatur Thob, ubi mihi intelligenda videtur ejus a mortuis resurrectio. Nam quæ terra magis opima quam terrenum corpus excellentia immortalitatis et incorruptionis indutum? Quod autem dicitur de Jephthe, quod posteaquam fugiens a facie fratrum suorum habitavit in terra Thob, colligebantur ad eum viri latrones, et ambulabant cum ipso (*Judic.* XI). Quanquam et ante passionem objectum fuerit Domino, quod cum publicanis et peccatoribus manducaret, quando respondit non esse necessarium sanis medicum sed ægrotis; et inter iniquos deputatus est, quando inter latrones crucifixus est, et unum ex eis de cruce in paradisum transtulit, tamen posteaquam resurrexit et esse cœpit secundum id quod supra exposuimus in terra Thob, collecti sunt ad illum scelerati homines propter remissionem peccatorum, qui cum illo ambulabant, quia secundum ejus præceptum vivebant. Neque hoc fieri desinit usque nunc et deinceps, quousque ad eum confugient mali ut justificet impios, quoniam ad eum convertantur, et discant iniqui vias ejus.

Jam illud quod hi qui abjecerant Jephthe (erat enim Galaadites) conversi sunt ad eum, et quæsiverunt eum per quem liberarentur ab inimicis suis (*ibid.*), quam præclara præfiguratione significat, quod qui adjecerunt Christum, ad eum rursus conversi in illo reperiunt salutem, sive illi intelligantur quos Petrus apostolus cum de ipso scelere arguisset, sicut in Actibus apostolorum legitur, et hortatus esset ut ad eum quem fuerant persecuti converterentur, compuncti sunt corde, et ab illo quam a se alienaverant desideraruni salutem. Quid est autem liberari ab inimicis, nisi a peccatis? Sic autem illis ait : *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi, et remittentur vobis peccata vestra* (*Act.* II). Sive illa potius significetur quæ in fine speratur novatio gentis Israel. Magis quippe id videtur apparere in eo quod dicitur : *Et factum est post dies*, quod utique post tempus significat, et per hoc significat non illud intelligendum quod recenti passione Domini factum est, sed postea futurum est. Quo videtur etiam id pertinere quod seniores Galaad venerunt ad Jephthe, ut per ætatem senilem posteriora et novissima tempora accipienda sint. Interpretatur autem Galaad *ubjiciens* sive *revelatio*. Quorum utrumque satis huic rei congruit, quia primum Dominum Jesum Christum abjecerunt, eisque postea revelabitur. Quod vero contra filios Ammon dux quærebatur Jephthe, quibus victis liberarentur qui eo duce adversus illos debellare cupiebant, quoniam interpretatur Ammon *filius populi mei* sive *populus mœroris*, profecto aut illi significantur inimici qui ex ipsa gente perseverantes in infidelitate prædicti sunt, aut omnino gehennæ prædestinati, ubi erit fletus et stridor dentium, tanquam populo mœroris. Quanquam populus mœroris non inconvenienter et diabolus et angeli ejus intelligantur, sive quis æternam miseriam eis quos decipiunt acquirunt, sive quia et ipsi æternæ miseriæ deputati sunt. Elegnnter sane ad exprimendam multo evidentius prophetiam Jephthe respondit senioribus Galaad : *Nonne vos odio habuistis me, et ejecistis me de domo patris mei, et emisistis me a vobis? et quid est quod venistis quando tribulati estis?* (*Judic.* XI.) Inde aliquid figuratum est in Joseph quem fratres vendentes abjecerunt, et, eum fame tribularentur, ad ejus opem misericordiamque conversi sunt. Hic vero multo amplius elucet significatio futurorum, quod non ipsi prorsus fratres qui ejecerunt Jephthe ad eum venerunt; sed Galaad seniores pro universo illo populo supplicantes, sicut eadem gens dicitur Israel, sive in eis qui tunc fuerunt, Christumque reprobaverunt, sive in eis qui ad ejus opem postea reversi sunt. Populo enim dicitur inimico, sive in majoribus sive in posteris suis longa odis trahenti atque servanti, tandemque converso in eis qui tunc convertendi sunt : *Nonne vos odio habuistis me et ejecistis me de domo patris mei?* Hoc enim eis visum est qui persecuti sunt, quod ejecerunt Christum de domo David, in qua *regni non erit finis* (*Luc.* I).

Et dixerunt seniores Galaad ad Jephthe : Non sic modo venimus ad te (*Jud.* XI), tanquam dicerent Judæi conversi ad Christum : Tunc venimus ut persequeremur. Profitentur etiam adversus inimicos eum futurum sibi caput. Respondet etiam ille qui eorum vicerit inimicos, quod erit eis in principem, quod Gedeon noluit, cum id Israelitæ voluissent. Respondit quippe illis : *Princeps vester Dominus erit* (*ibid.*). Rex enim nomine principis significatur quem nondum habebat gens illa tempore judicum. Cœperunt autem habere Saulem, et deinde alios successores ejus qui in libris Regum leguntur. Nam in Deuteronomio cum eis præcipitur qualem debeant habere regem, si hoc eis placuerit, non ibi rex, sed princeps appellatur sed quia iste Jephthe illum figurabat qui verus est Rex, quod etiam in titulo scriptum fuit, qui cruci ejus affixus est, quem Pilatus delere vel emendare ausus non est, ideo credendum est esse dictum : *Ero vobis in principem* (*ibid.*). Illi autem dixerunt : *Eris nobis in caput* (*ibid.*), quoniam caput viri Christus, et ipse est caput corporis Ecclesiæ. Denique postea quam eos liberavit Jephthe ab omnibus inimicis, non eis factus est rex, ut intelligeremus illud quod dictum est ad prophetiam potius pertinuisse de Christo, quam ad ipsum proprie Jephthe, de quo Scriptura narrationem ita concludit : *Et judicavit Jephthe Israel sex annis, et mortuus est Jephthe Galaadites, et sepultus in civitate sua Galaad* (*Judic.* XII). Judicavit ergo Israel sicut cæteri judices; non ibi regnavit ut princeps, sicut ii qui in regnorum volumine continentur. Jam vero quod postea quam eis idem Jephthe constitutus est, misit nuntios ad hostes primum pacis verba portantes, illud ostenditur quod ait Apostolus, in quo Christus loquebatur : *Si fieri potest, quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII). Verba porro ipsa quæ mandavit Jephthe omnia pertractare, nimis longum est festinantibus ad alia nobis. Videa-

tur tamen mihi sic intelligenda quantum attinet ad significationem futurorum, ut in eis advertatur doctrina Christi. Admonet nos quemadmodum sit ambulandum, hoc est vivendum inter eos *qui non secundum propositum vocati sunt* (*Rom.* VIII). Novit enim Dominus qui sunt ejus (*II Tim.* II). Jam vero quod cum esset debellaturus inimicos, factus est super eum Spiritus Domini, significatur Spiritus sanctus impertitus membris Christi. Quod autem pertransiit Galaad et Manasse, et transiit speluncam Galaad ad trans filios Ammon, proficientia significantur membra Christi ad victoriam de inimicis reportandam. Galaad quippe interpretatur *abjiciens*, et Manasse *necessitas*. Transcendendi sunt ergo a proficientibus abjicientes, id est contemnentes, transeunda et necessitas, ne forte cum transierit qui proficit cedat terrentibus. Transeunda etiam specula Galaad; quæ Galaad etiam *revelatio* interpretatur. Est autem specula altitudo ad aspiciendum vel despiciendum, id est desuper aspiciendum. Specula itaque Galaad congruenter mihi videtur significare superbiam revelationis. Unde dicit Apostolus : *Et in magnitudine revelationum ne extollar* (*II Cor.* XII). Ergo et ipsa transeunda est, id est non est in ea manendum, propter cadendi periculum. His pertransitis, facile superantur inimici; quod significat dicendo : Et ab specula Galaad transiit ad filios Ammon (*Judic.* XII), de quibus inimicis jam supradictum est : *Et vovit Jephthe votum, et dixit : Si traditione tradideris mihi filios Ammon in manu mea : et erit quicunque exierit de januis domus meæ obviam mihi, in revertendo me a filiis Ammon in pace et erit, offeram eum holocaustoma Domino* (*Judic.* XI). Quemlibet in hoc loco cogitaverit Jephthe secundum cogitationem humanam, non videtur unicam filiam cogitasse. Alioquin non diceret eum illam cerneret occurrisse : *Heu filia mi, impedisti me, in offendiculum facta es in oculis meis* (*ibid.*). *Impedisti* enim ita dictum est, tanquam se ad hoc impeditum judicaverit ne illud quod cogitarat impleret. Sed quem potuit cogitare primitus occurrentem, qui liberos alios non habebat? An conjugem cogitavit : et ut hoc fieret Deus noluit, et ut non relinqueret impunitum, ne quis deinceps id auderet, et ut magna providentia ex hoc quoque ipso quod accidit sacramentum Ecclesiæ figuraret?

Ex utroque igitur prophetia coaptata est, ex eo quod vovens cogitavit, et ex eo quod nolenti contigit. Si enim conjugem cogitavit, conjux Christi Ecclesia est : *Propterea relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II). *Sacramentum hoc magnum est*, inquit Apostolus, *ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V). Sed quia hujus Jephthe conjux virgo esse non potuit in eo quod filia potius occurrit, et inulta non remansit, prohibitum sacrificium, voventis audacia, et virginitas Ecclesiæ figurata est. Nec abhorret a vero quod filiæ nomine eadem significatur Ecclesia. Nam cujus alterius typum gerebat etiam illa mulier cui post tactam fimbriam suam sanatæ, ait Dominus: *Filia, fides tua salvam te fecit, vade in pace* (*Luc.* VIII). Et certe, unde nullus ambigit, discipulos suos ipse sponsi filios appellavit, se apertissime judicans sponsum. *Non possunt*, inquit, *jejunare filii sponsi quandiu cum illis est sponsus* (*Matth.* IX). Holocaustoma ergo erit Ecclesia, quam virginem castam B. Apostolus appellat, quando in resurrectione mortuorum fiet in universa quod scriptum est : *Absorpta est mors in victoria* (*I Cor.* XV). Tunc tradet regnum Deo et Patri. Quod regnum ipsa Ecclesia est, cujus figuram vovens ille gestabat. Sed quoniam tunc fiet cum completa fuerit sexta ætas sæculi, ideo sexaginta dierum ad deplorandam virginitatem dilatio postulata est. Ex omnibus quippe ætatibus Ecclesia congregatur. Quarum prima est ab Adam usque ad diluvium, secunda a diluvio usque ad Abraham, tertia ab Abraham usque ad David, quarta a David usque ad transmigrationem in Babyloniam, quinta ab hac transmigratione usque ad Virginis partum, sexta inde usque in hujus sæculi finem. Per quas sex ætates tanquam per sexaginta dies flevit sancta virgo virginalia sua, quia licet virginalia, tamen fuerant peccata deflenda, propter quæ universa ipsa virgo toto orbe diffusa quotidie dicit : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI). Eosdem autem sexaginta dies, duos menses maluit appellare, quantum existimo propter duos homines, unum per quem resurrectio mortuorum : propter quos etiam duo Testamenta dicuntur. Quod vero factum est in præcepto in Israel : Ex diebus in dies conveniebant lamentari filiam Jephthe Galaaditidem quaternos dies in anno (*Judic.* XII); non puto significare aliquid post impletum holocaustoma, quod erit in vita æterna, sed præterita tempora Ecclesiæ, in quibus erant beati lugentes. Quatriduo autem figurata est ejus universitas propter quatuor partes orbis, per quas longe lateque diffusa est : Ad historiæ vero proprietatem non arbitror hoc decrevisse Israelitas, nisi quia intelligebat in ea re judicium Dei magis ad percutiendum patrem fuisse depromptum, ne tale sacrificium deinceps ullus vovere auderet. Nam quare luctus et lamentatio decerneretur, si votum illud lætitiæ fuit? Sic autem et illud quod populus Ephrem postea ab eodem Jephthe debellatus est, ad judicium Dei quod erit in fine referendum est, sicut ipse Dominus dicit : *Eos qui noluerunt me regnare sibi, adducite huc et interficite coram me* (*Judic.* XII). Nec ibi quadraginta duo millia vacanti numero commemorati sunt. Sicut enim illi duo menses propter sexaginta dies senarium numerum sex ætatum significant, ita et ibi sexies septenarius ductus hoc idem figurat, quantum ad sex ætates sæculi pertinet. Sexies etenim septem, quadraginta duo sunt. Nec frustra et ipse Jephthe sex annis populum judicavit (*ibid.*).

SPECULUM DE MYSTERIIS ECCLESIÆ.

PROLOGUS.

De sacramentis ecclesiasticis, ut tractarem, eorumque mysticam dulcedinem vobis exponerem, vestra rogavit dilectio. Cum autem libentius, quia facilius et audentius, logicas quam theologicas, jure consuetudinis, revolvam sententias: dubitare cœpi, an contradicerem, an potius scribere mallem. Mox vero illud recolens, quod omne bonum communicatum pulchrius elucescit, eum communicatur, consequenter stylum ad scribendum converti, ejus invocato auxilio, *qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit* (*Apoc.* III). Desideratum itaque libellum æterno fluentem nectare, velut favum mellis, vestræ propinavi intelligentiæ, quem quia in eo speculari licet quid mystice repræsentent singula in Ecclesia, Speculum Ecclesiæ inscribi placuit.

CAP. PRIMUM. *De Ecclesia.*

Ecclesia igitur, in quam populus convenit ad laudandum Deum, significat Ecclesiam sanctam Catholicam, quæ construitur in cœlis vivis ex lapidibus. Hæc est domus Domini firmiter ædificata. Angularis fundamentum lapis Christus missus est. Super hoc autem, non præter hoc, fundamentum est apostolorum et prophetarum, sicut scriptum est: *Fundamento ejus in montibus sanctis.* (*Psal.* LXXXVI). Superædificati parietes, Judæi sunt et gentiles de quatuor mundi partibus venientes ad Christum. Omnes lapides expoliti sunt et quadrati, id est sancti, mundi atque firmi. Qui per manus summi artificis disponuntur permansuri. Quorum quidam feruntur et non ferunt, ut simpliciores in Ecclesia. Alii feruntur et ferunt, ut medii. Alii tantum ferunt et non feruntur, nisi a solo Christo, qui est singulare fundamentum. In hoc enim ædificio quanto quis differentius excellit, tanto humilior plus ædificii sublevat. Omnes una charitas muro cæmenti conjungit, dum vivi lapides pacis compago ligantur. Turres autem prædicatores sunt et prælati Ecclesiæ, qui sunt munimenta et defensio ejus. Unde sponsus ad sponsam in Canticis canticorum sic loquitur: *Collum tuum sicut turris David, ædificata cum propugnaculis* (*Cant.* IV). Gallus qui superpositus est prædicatores repræsentat. Gallus enim, noctis profundæ pervigil, horas ejus dividit cantu, dormientes excitat, diem appropinquantem præcinit; sed prius seipsum verbere alarum ad cantandum excitat. Notate singula mystice; non enim est hic quidquam otiosum. Dormientes sunt filii hujus sæculi in peccatis jacentes; gallus, chorus prælatorum qui districto prædicant, dormientes excitant, ut abjiciant opera tenebrarum, clamantes: Væ dormientibus! Exsurge, qui dormis. Lucem venturam prænuntiant: dum diem judicii et futuram gloriam prædicant. Prudenter autem antequam aliis prædicent, virtutibus se a somno peccati excitantes, corpus suum castigant. Unde Apostolus: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX). Hi etiam vertunt se contra ventum, quando increpando et arguendo contra rebelles fortiter dimicant vel resistunt, ne lupo veniente quandoque fugisse arguantur. Virga ferrea in qua gallus sedet rectum repræsentat sermonem prædicantis, ut non loquatur ex spiritu hominis, sed Dei secundum Scripturas, juxta illud: *Si quis loquitur quasi sermones Dei* (*I Petr.* IV). Quod virga est supra per crucem posita innuit sermonem Scripturarum per crucem consummatum esse et confirmatum. Unde ait Dominus in passione: *Consummatum est* (*Joan.* XIX). Et titulus ejus super eum indelebiliter scriptus est. Tholus, super quem crux ponitur, perfectionem per rotunditatem significat, quoniam perfecte et inviolate fides catholica prædicanda est et tenenda. *Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.* Vel tholus mundum significat pretio crucis redemptum; propter quod crux ponitur super ipsum. Gallus supra crucem positus significat quod hoc debet prædicator astruere quod Christus per crucem suam redemit mundum. Pinnaculum turris, mentem vel vitam prælati quæ tendit ad alta, repræsentat. Campanæ quarum sonoritate populus ad ecclesiam convocatur, prædicatores mysticant, qui quia ad multa sunt necessarii, multis designantur vocabulis. Plectrum quod ex utraque parte sonum elicit, lingua prædicatoris est, quæ utrumque Testamentum resonare facit. Lignum, unde pendet campana, crucem significat; ligatura, charitatem, per quam charitatem prædicator cruci astrictus gloriatur, juxta illud: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi!* (*Gal.* VI.) Chorda vita est et humilitas prædicatoris. Unde Apostolus: qui propter alios condescendit: *Sive excedimus propter Deum, sive condescendimus propter nos* (*II Cor.* V). Annuli in fune, perseverantia vel corona præmii.

Fenestræ ecclesiæ vitreæ Scripturæ sunt divinæ, quæ ventum et pluviam repellunt, id est nociva prohibent; et dum claritatem veri solis in Ecclesiam per diem transmittunt, inhabitantes illuminant. Hæ intus latiores sunt, quia mysticus sensus amplior est et præcellit litterali. Has frequentant prædicatores, *qui ut nubes volant et quasi columbæ ad fenestras suas* (*Isai.* LX). Item per fenestras quinque sensus corporis significantur, qui extra stricti esse debent, ne vanitates hauriant, et intus patere ad bona spiritualia. Ostium Christus est, unde in Evangelio: *Ego sum ostium*, dicit Dominus (*Joan.* X). Co-

lumnæ, doctores sunt, qui templum Dei per doctrinam, sicut thronum Dei et evangelistæ, spiritualiter sublevant. Illi pro sonoritate eloquii divini, argenteæ dicuntur columnæ, juxta illud in Canticis canticorum : *Columnas fecit argenteas* (*Cant.* III). Reclinatoria contemplativos designant, in quibus Deus sine offensa requiescit. Qui quia summam divinitatem et æternæ vitæ claritatem contemplantur, auro comparantur. Unde in prædictis Canticis dictum est : *Reclinatorium fecit aureum* (*ibid.*). Tigna sunt quæ spiritualiter sublevant. Laquearia quæ ornant vel roborant, de quibus, quia per vitia non putrescunt, in eisdem gloriatur Canticis sponsa dicens : *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cupressina* (*Cant.* I). Deus enim sibi Ecclesiam construxit vivis ex lapidibus et lignis imputribilibus, juxta illud : *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani* (*Cant.* III), id est Christus de sanctis castitate candidatis. Cancellus humilior reliquo corpore ecclesiæ mysticat quanta humilitas debeat esse in clero, juxta illud : *Quanto major es, tantum humilia te in omnibus* (*Eccli.* III). Altare Christum significat, sine quo nullum munus Patri offertur acceptabile. Unde Ecclesia ad Patrem orationes solet dirigere per Christum. Vestimenta, quibus altare ornatur, sunt sancti, de quibus propheta ad Deum loquitur dicens : *His omnibus sicut vestimento vestieris.* (*Isa.* LIX). Gradus, quibus ascenditur ad altare, spiritualiter demonstrant apostolos et martyres Christi, qui pro amore ejus sanguinem suum fuderunt. Sponsa in Canticis canticorum vocat *ascensum purpureum* (*Cant.* III). Quindecim quoque virtutes exprimuntur, quæ per quindecim gradus quibus ascendebatur in templum Salomonis, significantur; et a propheta in quindecim psalmis continue demonstrantur, quas vir beatus ascensiones in corde suo disposuit. Hanc vidit Jacob scalam : summitas cujus cœlos tangebat. Luminaria ecclesiæ sunt illi quorum doctrina fulget Ecclesia ut sol et luna. Quibus voce Domini dicitur. *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V) : et bonorum operum exempla. Unde ipse admonens ait : *Luceat lux vestra coram hominibus* (*ibid.*).

Quod Ecclesia intus ornatur festive, non extra moraliter innuit quod omnis gloria ejus ab intus est. Licet enim sit exterius despicabilis, in anima tamen quæ sedes Dei est radiat, unde dicit : *Nigra sum sed formosa* (*Cant.* I). Hinc dicit : *Etenim hæreditas mea præclara est mihi* (*Psal.* II). Hoc propheta considerans ait : *Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ* (*Psal.* XXV). Quam spiritualiter exornant fides, spes, charitas. Crux triumphalis in medio Ecclesiæ ponitur, eo quod in medio cordis Ecclesia Redemptorem suum diligit, qui media charitate constravit propter filias Jerusalem. Quam ut signum victoriæ videntes, dicant omnes et dicant singuli : *Ave, salus totius sæculi, arbor salutifera.* Quare ne tradatur unquam oblivioni circa nos Dei dilectio, qui ut servum redimeret, Filium unicum tradidit; hoc signo armat se Ecclesia in pectore et fronte, significans crucis mysterium corde credendum et manifeste ore confitendum. Cujus in Ægypto figura præcessit. Dum autem signamus nos a fronte deorsum, deinde a sinistra ad dexteram, illud exprimimus mysterium, quod Deus inclinavit cœlos et descendit, ut doceret præferre æterna temporalibus. Per hoc autem signum confunditur civitas diaboli. Triumphat Ecclesia *terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Cant.* VI). *Terribilis est* inquit *locus iste; non est hic aliud nisi domus Domini* (*Gen.* XXVIII). De qua dicitur : *Vexilla regis prodeunt, fulget crucis mysterium.* Quam frequentant agmina cœlica. De qua scriptum est : *Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo* (*Apoc.* XII). Ecclesia enim hic militat, in patria regnat : pars peregrinatur, et pars gloriatur. Quæ peregrinatur, ascendens de exsilio per desertum suspirat ad patriam, desuper flumina Babylonis ad supernam Jerusalem, quæ assidue videns pacem, festum agit continuum. *Urbs beata Jerusalem, dicta pacis visio.* Quam gloriosum regnum; *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXVIII). Cujus custodes cives sunt cœlorum, exercitus angelorum, cum claro senatu apostolorum, prophetæ cum patriarchis, purpurata martyrum agmina, flores virginei, vernens chorus confessorum, et universalis circumdata varietate sanctorum societas, casta generatio cum claritate. Hanc tanquam admirandam cœli curiam mirifice adornat gemma illa singularis et incomparabilis, quæ mater et Virgo. *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.* De visione autem ipsius regis quanta sit omnium admiratio, et voces in laudes ejus consonæ, solis illis notum est qui inter eos interesse meruerunt, et mysterium Trinitatis, et gloriam Christi videre, cui astant angelorum chori, in quem angeli desiderant semper conspicere. Ad hunc regem immortalem videndum facie ad faciem præparat se præsens Ecclesia; et dum hic agit festa temporalia, patriæ suæ festiva et æterna recolit gaudia, ubi sponsus angelicis laudatur organis. Omnesque sancti diem magnæ festivitatis quam fecit Dominus continue celebrantes, in epithalamiis laudare non cessant Sponsum immortalem, speciosum forma præ filiis hominum, qui Ecclesiam sibi gratuita elegit clementia. De qua, ut ab æterno præviderat, ait : *Ibo ad montem myrrhæ et ad colles Libani, et loquar sponsæ meæ* (*Cant.* IV). Pro qua *exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII) : dum factus est egressus ejus a patre, regressus ejus ad Patrem ; excursus usque ad inferos, recursus ad sedem Dei, ut omnes electos a principio usque ad finem mundi unum regnum in visione summæ Trinitatis faciat, in qua gloriatur unus per cuncta sæcula Deus.

CAP. II. *De dedicatione Ecclesiæ.*

Quanto autem studio et amore Christus sibi sponsam ornat et preparat ad cœlestem dedicationem, per temporalem Ecclesiæ dedicationem ex parte

significatur. Pontifex enim ter circuit ecclesiam dedicandam, aspergens eam aqua benedicta, clero et populo sequente. Interim extrinsecus, et intrinsecus duodecim, ardent luminaria. Quoties ad portam venitur, propter mysterium clausam, episcopus percutit super liminare virga pastorali dicens: *Tollite portas, principes, vestros, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ* (*Psal.* XXIII). Diaconus respondit : *Quis est iste Rex gloriæ* (*Ibid*) . Cui pontifex : *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ?* (*Ibid.*) Tertia vice reserato ostio intrat cum clero et populo dicens. *Pax huic domui.* Deinde cætera peragit quæ ad dedicationem pertinent. Quæ autem hic fiunt visibiliter, omnia in anima per invisibilem virtutem Deus operator, quæ verum templum Dei est, ubi fides fundamentum facit, spes erigit, charitas consummat. Ipsa etiam Ecclesia catholica, una ex multis lapidibus adunata, templum Dei est, quia multa templa unum templum, quorum unus Dominus et una fides. Domus ergo dedicanda est anima sanctificanda; aqua, pœnitentia; sal, sapientia; trina aspersio, trina immersio baptizandi; luminaria duodecim, totidem apostoli crucis mysterium prædicantes; pontifex, Christus; virga ejus, potestas; trina percussio, cœlestium, terrestrium et infernorum dominatio; ut trina rerum machina flectat genu jam subdita; interrogatio inclusi, ignorantia populi; apertio ostii, evacuatio peccati. Pontifex intrans pacem domui precatur; et Christus ingrediens mundum pacem inter Deum et homines facit. Deinde prostratus pro sanctificatione Dominum orat; et Christus humiliatus ad passionem pro discipulis et credituris hominibus orabat dicens : *Pater, sanctifica eos in veritate.* (*Joan.* XVII.) Surgens non salutat, sed orat tantum, quia non est applaudendum iis qui nondum sanctificati sunt, sed pro ipsis orandum. Descriptio alphabeti in pavimento est simplex doctrina fidei in corde humano. Versus a sinistro angulo orientis ductus in dextram occidentis, et alter a dextro orientis in sinistrum occidentis, crucem exprimunt et collectionem utriusque populi figurant, juxta illud quod Jacob cancellatis manibus filios Joseph benedixit (*Gen.* XLVIII). Licet enim ab oriente transiens Christus, tamen in sinistra relinquit Judæus, quia infideles, et venit ad gentes : quibus licet fuissent in occidente dat esse in dextera, et tandem a gentibus in dextera positis orientis transiens visitabit Judæos in sinistro angulo occidentis, quos constat esse deteriores quam prius gentiles invenerit. Cambuca qua scribitur mysticat ministerium doctorum, quo facta est conversio gentium et perficienda Judæorum. Quod deinde stans ante altare Deum in adjutorium invocat, significat eos qui percepta fide ad pugnam se præparant. Et quia adhuc sunt in certamine, quasi inter suspiria, nondum alleluia adjungitur. Post hoc aqua benedicitur cum sale et cinere, etiam addito vino aquæ misto. Aqua est populus, sal doctrina, cinis memoria passionis Christi. Vinum aquæ mistum Christus Deus et homo, vinum divinitas, aqua humanitas. Sic populus sanctificatur doctrina fidei et memoria passionis junctus suo capiti Deo et homini. Unde altare et Ecclesia interius aspergitur, ut intus, sicut extra, spiritualis Ecclesia sanctificanda ostendatur. Aspersorium de hyssopo humilitas est, qua aspersa mundatur Ecclesia catholica. Circuit aspergendo quasi lustrans et curam omnibus impendens. Interim cantatur : *Exsurgat Deus et dissipentur* (*Psal.* LXVII), etc. Responsorium ejus cum antiphona quam sequitur alia : *Qui habitat in adjutorio Altissimi* (*Psal.* XC). Et pontifex cantat : *Domus mea domus orationis vocabitur* (*Matth.* XXI). Et item : *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI). Et quia sine Deo nullum opus proficit, io consummatione orat ut exaudiantur beneficia ibi ingredientes petituri. His factis venit ad altare cantans : *Introibo ad altare Dei* (*Psal.* XLII), cum psalmo toto, etc., et quod remansit de aqua ad basim altaris effundit, committens Deo quod excedit vires humanas in tanto sacramento. Dehinc altare linteo extergitur. Altare Christus est, linteum caro ejus tunsionibus passionis ad candorem et gloriam immortalitatis perducta. Hinc pontifex offert super altare thus in modum crucis accensum in medio altaris, et per quatuor angulos ejus crucem facit de oleo sanctificato. Deinceps cruces tres per singulos parietes Ecclesiæ de eodem oleo chrismantur, et sic peracta consecratione altare albo velamine operitur. Incensum, orationes, oleum, gratiam spiritus sancti demonstrat. Cujus plenitudo : *sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron* (*Psal.* CXXXII), descendit in apostolos eorumque discipulos : qui crucis mysterium per quatuor climata mundi Domino cooperante prædicaverunt. Album velamen immortalitatis mysticat lætitiam : de qua Filius exsultat Patri dicens: *Concidisti saccum meum et circumdedisti me lætitia* (*Psal.* XXIX).

CAP. III. *De officiis Horarum canonicarum.*

Esdras propheta populum Israeliticum reversum a captivitate Babylonis docuit laudare Deum quater in nocte et quater in die, quia propheta David septies in die laudem se dixisse Domino, et media nocte ad confitendum Domino surrexisse indicat. Octo igitur horas sancti Patres præ cæteris ad laudandum Deum elegerunt. Mediam scilicet noctem, diluculum, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, completorium. Quia dignum est ut homo qui corpus gerit ex quatuor elementis, quater respectu noctis, et quater respectu diei; per diem naturalem Deum placare sibi satagat, et cum omni tempore laudandus sit Deus, potissimum in prædictis horis laudatur ab Ecclesia, in quibus opera præ cæteris insignia dignatus est facere. Nocte enim media natus est de Virgine, diluculo surrexit, hora prima mulieribus ab angelis annuntiata est resurrectio, hora tertia Spiritus sanctus inflammavit apostolos, hora sexta crucifixus est Dominus, scilicet mundi Redemptor, hora nona emisit

spiritum pro salute mundi. In vesperis commemoramus adventum Domini in mundi vespere. In completorio completum erit gaudium sanctorum in die generalis retributionis. Merito ergo media nocte sicut per prophetam monemur, surgendum est, quia *dum medium silentium tenerent omnia* (*Sap.* XVIII), *exortum est lumen in tenebris* (*Psal.* CXI), id est, Christus, ut illuminaret sedentes in tenebris (*Luc.* I). Tempore noctis natus est de Virgine. In principio officii hujus horæ quia somno prius dominante conticuimus, dicitur : *Domine, labia mea aperies* (*Psal.* V), quia, non *est laus speciosa in ore peccatoris* (*Eccl.* XV), nisi ipse in laudem sui labia aperire dignetur. Deinde divinum invocamus auxilium : postea glorificamus Deum in Trinitate personarum, sicut æternaliter ei est gloria. Sequitur invitatorium alta voce, per quod mater Ecclesia invitat omnes juxta illud : *Venite, filii, audite me* (*Prov.* VIII). Quod autem hoc in Epiphania prætermittitur, ideo est quod magi primitiæ gentium a nullo invitati, juxta illud : *Nemo nos conduxit* (*Matth.* XX), venerunt regem cœli adorare. Et nota quod humilis vox premittitur, sed convenienter ad invitatorium exaltatur, quia Ecclesia secreto quasi clauso ostio laudat Deum propter se; sed manifeste propter alios, ut ascendat ardor proximos. Sequitur hymnus, qui est laus Dei cum cantico, vel vox humana in laudem Dei metrice composita, quia post invitationem multi consequenter laudant Deum cum lætitia, juxta illud : *Audivit et læta est Sion* (*Psal.* XCVI).

Postea psalmi, qui opera significant, sequuntur, duodecim, vel, novem, quatenus per duodecim, horas noctis a negotio perambulante in tenebris divina defendamur virtute et novem ordinibus angelorum mereamur conjungi illisque sociatos nos esse quorum festa agimus, monstremus. Per hoc autem quod in Dominicis noctibus duodecim psalmos in primo nocturno canimus, numerum patriarcharum et prophetarum atque apostolorum memoriæ commendamus. Et quod quatuor psalmos una glorificatione Trinitatis copulamus, eos significat in una fide Trinitatis quatuor virtutes cardinales habuisse et aliis exempla monstrasse, scilicet prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Quod psalmi alternatim cantantur, innuit alternam sanctorum ad bene operandum cohortationem. Antiphonæ charitatem exprimunt, quæ numerum psalmorum habent propter causas supradictas de psalmis. In non festis diebus duodecim psalmos canimus pro singulis horis noctis in quibus Deo serviendum est, et sex antiphonis binos psalmos copulando, quia charitas necessaria per sex ætates opus Dei et proximi conjungit. Quod ab uno singulariter incipitur antiphona et a cæteris communiter cantatur significat quod Deus prior dilexit nos, et nos dilectioni ejus communiter respondere debemus. Pneuma in fine loquitur ineffabile gaudium. Post psalmos et antiphonas exclamatur Versus acuta voce ad excitandos animos, nec in opere vel cogitatione in amore divino quandoque pigritemur, et ut vertamus nos ad orientem et toto corpore ad Deum. Sequitur Dominica Oratio ad mundata corda et corpora nostra, et cum communi assensu terminata propter sanctorum communionem. Lecturus dicens vicario Christi : *jube, Domine, benedicere*, principatum Ecclesiæ innuit, et quam larga potestas benedicendi illi tradita sit, cui jubere datum est. Quod autem sacerdos orat ut Dominus benedicat, sapienter per Christum benedicit, qui totius fons est benedictionis. Accepta benedictione, singulas lectiones singula sequuntur responsoria. Lectionibus itaque prædicamus. Responsoria sunt bona opera. Unde sic pulchre dicuntur, quia per ea respondemus. Pulchre enim respondet prædicationi qui quod audivit implet opere. Numerus istorum idem gerit mysterium quod numerus psalmorum. Tres turbæ Lectionum et responsoriorum notant sanctos trium temporum participare gloria Dominicæ resurrectionis; quæ nocte Dominicali vel festiva ad memoriam reducitur. Ternarius numerus in singulis Nocturnis, fidem Trinitatis designat in tribus temporibus; quaternarius apud monachos stabilitatem quadratam et evangelicam in sanctis exprimit, vel quadruplicem sensum Scripturarum propter quadrigas Aminadab, id est historialem, allegoricum, tropologicum, et anagogicum. Ut Jerusalem intelligitur civitas terrena, et Ecclesia, et quælibet fidelis anima, et superna patria.

Sequitur alta voce : *Te Deum laudamus*; per quod monstratur quam manifeste et mirifice laudat Ecclesia Deum in tempore gratiæ. Deinde sacerdos per versum exhortatur, ut in laude Dei permaneant. Sequitur matutinale officium, de quo propheta : *Ad te de luce vigilo, Deus* (*Psal.* LXII). Per hoc officium recolimus populum Israeliticum in figura nostri mare Rubrum transisse et, hostibus submersis, Domino laudes cecinisse : quod in vigilia matutina Exodus monstrat factum fuisse (*Exod.* XIV). In hoc etiam Dominicam recolimus resurrectionem, et nostram pronuntiamus futuram, initio claritatis secundæ stolæ. Unde hoc officium prædictis de causis plenum est laudibus. In principio hujus divinum invocamus auxilium, deinde glorificamus Deum, summæ Trinitatis fidem confitentes, quæ est fundamentum totius boni operis. In hac Hora quasi quinque psalmos ad muniendum quinque sensus corporis canimus. Mystice etiam per primum psalmum primitiva Ecclesia de Judæis designatur; per secundum, secundaria de gentibus; per tertium, qui alius psalmus sub uno conjungitur *Gloria Patri*, mysterialiter innuitur quod uterque populus in fine mundi sub una fide confitebitur; per quartum quem pueri in camino ignis cantaverunt, figuratur Antichristi tribulatio, quam uterque populus pro fide Christi patietur. Per tres psalmos Laudis qui quasi unus sub una *Gloria* demum conjunguntur tres ordines Ecclesiæ, quos Job, Noe, Daniel exprimunt, cum sponso Ecclesiæ in laudo

epithalamica gloriose regnaturi significantur. Vel octo psalmi exprimunt octo ordines qui per baptismum in Ecclesia sicut octo animæ per diluvium in arca salvantur. Primus notatur per primum psalmum, prima Ecclesia ædificata per apostolos conversans in Judæa; secundus per secundum, de Judaismo transiens ad gentes, apostolis prædicantibus ubique; tertius, credens gentilitas; quartus resipiscens in Judæa. Sed tertius et quartus sub una gloria junguntur; quia gentiles et Judæi in unitatem fidei conjunguntur ante quam veniat persecutio Antichristi. Sub quo quintus ordo benedicit Deum sicut pueri in fornace. Sextus et septimus et octavus collecti ex Africa et Asia et Europa, post Antichristum pace fruentur. Unde tres ultimi psalmi fluunt Laudibus, qui sub una dicuntur *Gloria* et conjunguntur, quia illi tres ordines simul erunt et pariter glorificabuntur. Post psalmos fit exhortatio, per Capitulum, ne deficiamus in via, cui chorus assentiens Hymnum resonat. Rursos quoque excl ati per prophetiam Zachariæ Deum benedicimus, recolentes quod fecit redemptionem sicut locutus est per os sanctorum, et juravit ad Abraham patrem nostrum.

Interim sacerdos cum thuribulo incensat altare. Thuribulum est cor hominis, ignis charitas, incensum oratio, quæ suaviter Deo redolet cum per ignem divini flagrescit amoris. Unde Propheta : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL). Quælibet antiphona charitatem exprimit, sine qua opera quæ per psalmos significantur, non prosunt. Quod autem antiphona ante psalmum incœpta, post psalmum decantatur integre, significat quod charitas hic initiata post hanc vitam consummabitur æternaliter, et hoc erit in lætitia inenarrabili. Unde Pneuma subjungitur : quod ineffabile gaudium æternæ vitæ indicat. Quod tantum est quod, dum hic prægustatur, nec penitus exprimi nec penitus taceri potest. Unde Ecclesia verbis demissis jubilando cum Pneumate in admirationem prosiliit, ac si dicat : Quæ vox, quæ poterit lingua retexere? Hic enim verba non sufficiunt, nec intellectus, nec tamen amor sinit tacere. Sic itaque Ecclesia pneumatizando expressius quodammodo (mirum loquor) sine verbis quam per verba innuit, quantum sit gaudium cœli, ubi verba cessabunt, cum omnes omnia scient. Post Pneuma sequitur Oratio, intactio nostra quæ per Deum incipit, per ipsum finiatur. Quod autem in fine voce puerili dicitur : *Benedicamus Domino*, significat quod omnis laus nostra pueriiis est ad comparationem Dei quem laudamus, et quod quidquid hic dici potest minus est a laude Dei. Ac si dicat Ecclesia : Laudamus, sed laudando non sufficimus, quia supereminentia Dei eloquium nostrum superat et intellectum, quia *accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (*Psal.* LXIII). Unde ab omnibus consequenter *Deo gratias* dicitur, quia placet, ut pium est, in laude Dei superari.

Horæ autem Primæ officium merito celebramus, quia mulieribus venientibus, orto jam sole, ad monumentum, angeli annuntiaverunt Christum surrexisse. Et quia hæc hora initium est diei, in ea laudamus Deum, quia dedit nobis noctem eum salute transire. Invocato ergo divino auxilio, et glorificata Trinitate personarum, ut dignum est, Hymnum Deo, *Jam lucis orto sidere*, reddimus. Deinde in hac Prima Hora quotidie quinque psalmos canimus, ut quinque sensus nostri divinitus per diem muniantur. His adjungimus expositionem catholicæ fidei, ex eo quod *hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra* (*I Joan.* V), et clypeus inexpugnabilis contra antiquum hostem, unde Petrus, *Cui*, inquit, *resistite fortes in fide* (*I Petr.* V). In hac Hora dicitur Dominica Oratio, in qua septem petitiones sunt ad habenda septem dona Spiritus sancti, per quæ mereamur septem virtutes quibus a septem vitiis liberati ad septem perveniamus beatitudines. Deinde per Symbolum fidei contra omnia adversa armamur, qui per Dominicam Orationem mundamur. In hac etiam hora fit communis confessio, ut mundemur a peccatis venialibus, sine quibus communis vita non facile ducitur : Et preces multiplicantur, ut per diem a malis imminentibus defendamur.

Horæ autem Tertiæ officium celebratur, quia in tali hora Spiritus sanctus apostolos inflammavit.

In Sexta celebratur officium in commemorationem illius rei quod in ea crucifixus est Redemptor mundi.

In Nona, quia tunc emisit spiritum. In eadem enim hora mori voluit pro homine in qua homo expulsus est de paradiso, et in eadem die hominem per lignum redimere placuerat quæ eum per lignum hostis deceperat : *Ars ut artem falleret, Et medelam ferret inde, Hostis unde læserat.* In his tribus Horis et in cæteris primum invocamus divinum auxilium (ut in omni bono opere faciendum est), sanctamque glorificamus Trinitatem, et hymnum Deo reddimus. Psalmos, qui opera significant, cum trina glorificatione Trinitatis canimus, quia in fide Trinitatis operari oportet. Per antiphonas, quæ charitatem exprimunt, psalmos conjungimus, quia per charitatem opera nostra confirmare debemus, et in ea manere, sicut Apostolus ait : *In charitate radicati et fundati* (*Ephes.* III). Et iterum : *Omnia opera vestra in charitate fiant* (*I Cor.* XVI). Per Capitula significatur exhortatio boni operis, per Responsoria bonum opus, per Versus fructus boni operis. Unde et Pneuma habet. In Oratione concluditur servitium, ut divina gratia quæ actiones nostras præcedit ipsa subsequatur.

Succedunt Vesperæ, in quibus commemoramus adventum Domini, *Vergente mundi vespere*. In hac Hora, quia finis est diei et propinqua nocti, quinque psalmos canimus, ut quidquid in die per quinque sensus venialiter offendimus, hæc psalmodia dimittatur pœnitentibus, et inde sensus nostri per noctem in beneplacito Dei custodiantur. Alternatio psallendi, est sanctorum admonitio. Antiphonæ, ut dictum est, charitatem significant. Per capitulum

innuitur exhortatio spiritualis, ut in bono perseveremus. Unde Apostolus: *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (*II Cor.* VI). Responsorium opus bonum significat, per quod probamus nos obedire exhortationi, et quod de opere bono laudandus est Deus. Sequitur Hymnus, ut demus exemplum proximis, deinde dicto Versu ad excitandos animos Hymnus beatæ Dei Genitricis cum Antiphona cantur, in quo exemplo humilitatis ejus reformamur, et Filii Dei incarnatio, per quam *deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles* (*Luc.* I), ad memoriam reducitur, ut fidei nostræ excitetur devotio. Interim autem, juxta quod Dominus Moysi præcepit, incensatur altare, per quod fragrantia orationis Christo placere monstratur. Postea decantata Antiphona cum Pneumate, sequitur Oratio: et puerili voce *Benedicamus Domino*, propter causas prælactas. Novissime succedit Completorium; per quod significatur gaudium, quod (completo electorum numero) complebit Deus sanctis suis in die generalis resurrectionis. In hac ultima Hora dicitur: *Converte nos, Deus salutaris noster*, ad hoc insinuandum quod, post omnem perfectionem quæ hic haberi potest ubi sæpe erramus, orandum est ut amplius convertat nos Deus ab errore. Quod Propheta considerans in fine psalmi muraliter ait: *Erravi sicut ovis quæ periit* (*Psal.* CXVIII). In hac Hora, secundum quatuor elementa corporis nostri in quo sæpe offendimus, quatuor psalmos ad placandum Deum dicimus. In hac etiam Hora non præcedit Capitulum Hymnum, per quod typice monstratur quod illi in quibus completa sunt significata præcedentium laude, præveniunt exhortationem. Nec tamen Capitulum prætermittitur, quia hic semper est utilis exhortatio. Deinde dicitur Versus acuta voce cum Pneumate; unde excitati et memores facti ineffabilis gaudii, quod erit merces laboris nostri, canticum justi Simeonis canimus, ut exemplo ejus invenientes pacem, mereamur lumen videre, quod est Christus. Postea Dominica Oratione et Symbolo munimus nos propter nocturnos timores; et alterna confessione mundamur, juxta illud: *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* V). Et excitamur, ne demus *requiem temporibus nostris, donec inveniamus locum Domino* (*Psal.* CXXXI). Nec non hujus Horæ officium complemus precibus et oratione, juxta apostolum: *Orate pro invicem ut salvemini* (*Jac.* V). Mystice preces humilitatem significant, quæ in fine esse debet: quis sicut in principio ipsa necessaria est, sit quod significandum humillima voce servitium inchoatur, sic in consummatione eadem humilitas monstranda est contra superbiam, in quam eeciderunt omnes qui operantur iniquitatem. Unde hac lue ooonunquam rosa vertitur in aalinncam.

Versus orientem oramus, licet Deus sit ubique, cujus magnitudinis non est finis, memores quod ipse, qui est splendor lucis æternæ, illuminavit sedentes in tenebris, quando visitavit nos oriens ex alto. Genua flectere in Ecclesia cordis contritionem insinuat et quod Christo omne genu flectitur: nec unum tantum, sed utrumque flectimus, ne Judæis assimilemur. In die Dominica et in paschali tempore pro reverentia Dominicæ resurrectionis non licet genuflectere, sed stantes orare debemus, inclinato capite, ut devotæ mulieres ad monumentum, ubi pro reverentia corporis Domini se inclinaverunt. Tria quæ fiunt in percussione pectoris, id est pectus, sonus, manus, significant quod pœnitendum est de iis quæ mente, voce, opere peccavimus. Cum psalmis diurni officii duodecies dicitur *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*, per duodecim horas diei, et duodecies pulsantur campanæ. In prima hora semel, et in ultima hora semel, quia ab uno Deus omnia, et idem unus erit omnia in omnibus. Sed in tertia sonatur ter, pro secunda et tertia et quarta hora, et similiter in sexta pro tribus, id est septima, octava, et nona; ad Vesperas vero multipliciter, quia in tempore gratiæ multiplicata est prædicatio apostolorum. Item ad matutinas sæpe, quia sæpe exclamandum est: Exsurge qui dormis. Divinum officium in his celebratur horis, in quibus exisse commemoratur paterfamilias conducere operarios in vineam suam. Item nocturnale tempus est ab Adam usque ad Noe; matutinale, inter Noe et Abraham. Prima inter Abraham et Moysen; tertia, inter Moysen et David; sexta, inter David et adventum Domini; nona, a primo adventu usque ad adventum quando venturus est reddens vicem pro abditis. Per Vesperas autem Sabbatum, id est requies intelligitur animarum post exitum e corporibus usque ad diem judicii. Per Completorium vero ad memoriam reducimus completum numerum, et consummatum gaudium sanctorum quod complebitur in die magnæ festivitatis, quando benedicti regnum percipient. Tres enim dies ante Pascha tropologiam Scripturarum demonstrant. Quorum primus est dies pœnitentiæ, secundus dies justitiæ, tertius dies retributionis, in quo fit consummatio. Unde Dominus in Evangelio: *Hodie et cras ejicio dæmonia, et sanitates perficio; et tertio die consummor* (*Luc.* XIII). Dies pœnitentiæ significatur per diem in quo Dominus passus est; dies justitiæ, per diem in quo in sepulcro jacuit; dies retributionis, per diem in quo resurrexit Dominus. Pœnitentia Domini cruciat, justitia tranquillat, remuneratio lætificat. Item hi tres dies per vigilias et festivitates et octavas sanctorum intelliguntur, et iterum per quinquagesimum psalmum et centesimum, et centesimum quinquagesimum. Quinquagesimus enim pœnitentiam loquitur, centesimus justitiam, centesimus quinquagesimus laudem Dei in sanctis ejus, quando, completo eorum numero, magnæ festivitatis completorium celebrabitur in æternum. Ad hæc cantus in Ecclesia cœli lætitiam significat, de qua exsultant sancti in Domino. Voces autem graves et acutæ et superacutæ innuunt tribus modis prædicandum esse tribus ordinibus Ecclesiæ, propter tricesimum et sexagesimum et centesimum fructum, vel juxta tria volumina Salomonis. Processio est via ad cœlestem pa-

triam. Procedens aqua benedicta est munditia vitæ. Luminaria opera misericordiæ, juxta illud: *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII). Sequitur crux, signum triumphale, quia mundi et factores legis crucifigunt carnem et triumphant. Deinde ad legendum Evangelium fertur pulvinar, et textus evangelicus. Pulvinar est suavitas et dulcedo in mandatis Domini. Unde Propheta: *Parasti in dulcedine tua pauperi* (*Psal.* LXVII). Et item: Quam *dulcia faucibus meis eloquia tua!* (*Psal.* CXVIII.) Evangelium vero est præcedentium confirmatio. Lecto Evangelio, textus reportatur super pulvinar, quia Ecclesia, ut audivit Evangelium, suaviter in corde suscepit, et læta est juxta illud: *Audivit et lætata est Sion* (*Psal.* XCVI). Et alibi: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est* (*Cant.* V).

Cap. IV. *De servitio totius anni.*

In principio Septuagesimæ incipit Ecclesia servitium totius anni, et legitur Pentateuchus. Septuagesima enim tempus captivitatis nostræ designat de qua ad Jerusalem mystice redire debemus, ut per Hebræos olim de Babylone exeuntes figuratum est. Ut ergo memores sint captivitatis suæ qui sursum tendunt, legitur primum de Adam, qui in principio mundi factus est, et de ejectione ejus de paradiso, deinde de diluvio, et quomodo Abraham exiit de terra sua, et de hujusmodi laboribus, ad exemplum patientiæ. Et sicut olim Hebræi captivi ducti in Babylonem in tristitia fuerunt fere usque ad finem septuaginta dierum, tacentur voces lætitiæ, gemitum cum utroque habentes irriguo, ut in die resurrectionis multiplicatis civibus festivius gaudeat Ecclesia. In Sabbato paschali pro Dominica resurrectione unum canimus Alleluia, et quia hic non est gaudium nisi in labore, sequitur Tractus. In octava autem, hoc est in Sabbato in Albis duplex canitur Alleluia quia in die judicii plenum erit gaudium, et pro Dominica et nostra resurrectione, et quia duplici stola justi fulgebunt. Quindecim autem diebus ante Pascha legitur Jeremias, quia passionem Domini aperte præsignavit. Ab octavis Paschæ, viginti diebus Apocalypsis legitur et cantatur propter mysteria passionis et resurrectionis, quæ Joanni revelata sunt, et apostoli prædicaverunt. Deinde usque ad Ascensionem Domini, Epistolæ canonicæ leguntur et Actus apostolorum, et cantatur de psalmis quia et David prophetavit de passione et resurrectione et ascensione, et apostoli prædicaverunt quæ a Domino didicerant usque ad ascensionem ejus corporali fruentes præsentia. Inter Ascensionem et Pentecosten cantatur de festo quia discipuli sursum sublevati, Patris promissa exspectabant munera. Post Pentecosten usque ad Kalendas Augusti leguntur libri Regum, et cantatur *Deus omnium* quia sicut Saul, Samuel, David, et alii pro lege Dei pugnaverunt, sic nos postquam accepimus donum Spiritus sancti in baptismate et virtute pugnare debemus contra dæmones, formati, nati, nutriti, armati.

A Kalendis Augusti usque ad Kalendas Septembris legitur et cantatur de Sapientia quia Augustus sextus est mensis, et in sexta ætate, quia Dominus venit, debemus propter ejus præsentiam sapienter vivere, quoniam inter nos Sapientia ipsa audita est quæ ex ore Altissimi prodiit. Rursum mensis iste calidus est et medius anni et in media ætate, ubi quisque ab æstu vitiorum plus accenditur, plus succurrere Sapientia debet. In Septembri legitur et cantatur de Job, Tobia, Esdra, Judith et Esther, quia hi adversa patienter sustinuerunt et Ecclesia in fine mundi adversa omnia pro Domino tolerabit. A Kalendis Octobris usque ad Novembrem Machabæorum libri leguntur; et cantantur inde responsoria quia iste octavus mensis lætitiam resurrectionis mysticat, quia sicut Judæi finitis præliis et restaurato templo, in hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, sic in gloria resurrectionis et magnæ festivitatis, destructis diaboli præliis, sancti et justi in Domino festivi gaudebunt, juxta illud: *Beati qui habitant in domo tua, Domine* (*Psal.* LXXXIII). A Kalendis autem Novembris usque ad adventum Domini leguntur et cantantur Ezechiel, Daniel, et duodecim prophetæ cum Responsorio: *Vidi Dominum*. Ezechiel enim vidit quatuor animalia in figura quatuor evangelistarum, qui nativitatem, passionem, resurrectionem Domini, et ascensionem docuerunt, quorum quisque ex principali intentione propriam formam meruit. Daniel quoque Christum venturum prophetavit dicens: *Aspiciebam in visu noctis, et ecce Filius hominis venit* (*Dan.* VII).

Similiter et alii prophetæ prædixerunt Christum venturum et imo isti ante adventum ejus leguntur, quia clarius adventum ejus prædixerunt. Ab Adventu Domini usque ad Natalem ejus, legitur Isaias quia, quanto de Christo urbanius et apertius prophetavit, tanto nativitati ejus legitur vicinius. Quare autem in nativitate de eadem nativitate legatur et cantetur, res manifesta est. Tantum enim gaudium en tempore spiritualiter prædicandum et cœlitus demonstrandum agnoscitur. Prima vero missa in nocte Natalis Domini celebrata, tempus ante legem Moysi typice designat. Secunda, quæ aurora apparente celebratur, tempus scriptæ legis et prophetarum ad memoriam revocat quia per legem et prophetas lux de Christo velut diei nuntia mundo apparuit. Tertia vero, quæ in media diei claritate festivius celebratur, ad tempus refertur gratiæ, in quo descendit lux magna de cœlo *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Deinde in singulis festis eadem de causa legitur et canitur. Ab octavis autem Epiphaniæ usque ad Septuagesimam canitur de psalmis, et leguntur Epistolæ Pauli, quia post legem prophetia, et post Evangelium Scriptura apostolica ad id quod audivimus intonando commovet. Item a Septuagesima, usque ad Pascha repræsentat tempus ab Adam usque ad Moysen, in quo mors regnavit. Unde quia tunc culpa contraria justitiæ commemoratur, *Gloria in excelsis Deo* (*Luc.* II) siletur, quod

in testimonium pacis auditum est quando *veritas de terra orta est justitia de cœlo prospexit* (*Psal.* LXXXIV). Et quia pœna in quam homo cecidit per culpam, ad memoriam per Scripturas reducitur, Alleluia cantus lætitiæ tacetur. Ab adventu usque ad Natalem Domini, a Moyse usque ad Christum tempus est in quo peccatum regnavit, non propter ignorantiam ut mors prius, sed propter infirmitatem carnis. In hoc Alleluia canitur, quia patres sub lege fuerunt, sed *Gloria in excelsis Deo* siletur, quod est signum pacis et justitiæ, quam lex dare non potuit. Tempus a primo adventu usque ad secundum, est inter Pentecosten et Adventum Domini. In hoc cantat Ecclesia Alleluia in spe resurrectionis, et *Gloria in excelsis Deo*, pro justitia reddita. Quotidie canit *Alleluia*, quia spes ejus firmatur. *Gloria in excelsis Deo*, non quotidie sed tantum in festis, quia quotidie offendit. Sed in fide tamen, id est in die quam fecit Dominus, semper tenet justitiam, quia semper in fide, et non semper in operibus laudat. Quartum tempus est inter Pascha et Pentecosten et statum æternæ felicitatis significat, in quo *Gloria in excelsis* quotidie canitur et duplex Alleluia januas; Ecclesiæ etiam publice pœnitentibus aperimus, genua non flectimus sed ad quid hoc cernimus si mysterium non intelligimus? *Gloria in excelsis* tunc canitur, quia in resurrectione justitia, id est charitas perficietur, et pax plene dabitur. Duplex dicitur Alleluia, propter duplicem stolam in Albis, quia gloria incorruptionis crimus vestiti. Pœnitentibus Ecclesiæ janua aperitur, quia nullius peccati improperium tunc erit, quia totum absorptum erit a gloria. Stantes oramus, quia tunc non erit pro quo flectantur genua, sed domus Dei replebitur gloria. Sed quid est quod nqu canimus in privatis feriis, *Gloria in excelsis Deo*, nec duo Alleluia nisi quod nondum habemus perfectam justitiam nec gloriam quam exspectamus? Tamen simplex Alleluia canitur, qua Ecclesia jam primam resurrectionem habet. Unde semper Alleluia canitur excepta Septuagesima. Quia igitur hoc tempus figura est tanti gaudii, in Dominicis et festis hoc cantat Ecclesia. Sed quia nondum sumus in illo in privatis feriis tacet. Ergo per Quatuor Tempora variatur status Ecclesiæ. Primum culpam intulit, secundum detexit, tertium eam delevit per justitiam sed reservavit pœnam, quartum perficiet justitiam et absorbebit pœnam. Primum fuit culpæ et pœnæ, secundum pœnæ et prophetiæ, tertium pœnæ et gratiæ, quartum gratiæ et gloriæ. Posterus ordo anni, in significatione mysticat in resurrectione primos novissimos; similiter in quibusdam quæ in festo fiunt circumcisionis. Inter hæc autem multa, quæ licet minima videantur, magno tamen fiunt mysterio, prætermittimus, quia ad alia quæ proposuimus festinamus.

Cap. V. *De ordinibus clericorum.*

Sequitur ut videamus de septem ordinibus clericorum, qui sunt septem gradus Ecclesiæ per quos qui clericus est ascendens efficitur ostiarius, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, sacerdos. Primus ergo gradus est ostiariorum, quorum est discernere quos ab ecclesia juste repellant, et quos ad eam digne recipiant. Ad istos etiam pertinet res ecclesiæ fideliter custodire; unde claves ecclesiæ eis traduntur, cum ordinantur. Postea promoventur ad officium lectorum; ad quos pertinet legere in ecclesia prophetias et apostolicas Scripturas. Istis, cum ordinantur, traditur codex divinarum lectionum, et dicitur eis: *Accipite et estote verbi Dei relatores, habituri, si bene impleveritis officium, partem cum iis qui fideliter ministraverunt Domino.* Unde qui ad hunc gradum provehitur, litterarum scientia debet resplendere. Tertio loco promoventur ad ordinem exorcistarum, ut habeant imperium super dæmones ejiciendos. Hos decet mundum spiritum habere qui debent immundis imperare. Hi, cum ordinantur accipiunt librum exorcismorum, et dicitur eis: *Accipite et habete potestatem imponendi manum super energumenos.* Cum autem ordinantur acolythi accipiunt candelabrum cum cereo, ut sciant se mancipatos ad succendendum et deferendum luminaria. Accipiunt etiam urceolum ad infundendum aquam in calicem, in quo consecrandum est corpus Christi. Quinto loco ordinantur subdiaconi, qui ministerio altaris approximant; quorum est portare vasa corporis et sanguinis Christi. Unde lex continentiæ imponitur illis, juxta illud: *Mundamini qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII). Cum enim spiritualis radius luminis castitas sit in clericis, est tamen castitas quasi propria virtus eorum, qui accedunt ad hos tres summos ordines, qui per antonomasiam, id est per excellentiam, jam sacri ordines appellantur. Subdiaconi autem ministrant officiis levitarum. Ad horum officium pertinet corporalia et substratoria levare vel lavare. Hi, cum ordinantur, accipiunt patenam et calicem de manu episcopi; de manu vero archidiaconi urceolum et aquam in eodem, et manutergium accipiunt, quibus sacerdos et levita mundare manus debent tractaturi Dominica sacramenta.

Sexto loco succedunt diaconi non sine mysterio senarii, qui numerus perfectionem significat. Hic ordo in Veteri Testamento a tribu Levi sumpsit exordium, et in Novo Testamento ab apostolis confirmatus, quando apostoli septem viros Spiritu sancto plenos ad hoc officium elegerunt (*Act.* VI). Unde sancti decreverunt, ut in omni matre Ecclesia septem diaconi in celebratione circa altare missæ assisterent, propter septem dona Spiritus sancti. Hi in Apocalypsi dicuntur septem angeli tuba canentes, quia illorum est alta mysteria Dei inspiratione intenta foris resonare. Hi dicuntur septem candelabra aurea, quia eorum est lucem Evangelii aliis ostendere. Hi sunt septem tonitrua, quia terribiliter tonare debent: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur* (*Matth.* XXXI). Isti in modum præconis manifeste admonent ad orandum, et ad genu flectendum. Isti evangelizant, et sacramenta corporis et sanguinis Domini dispen-

sant. Non licet sacerdotibus calicem Domini tollere nisi tradatur eis a diacono. Cum autem ordinantur levitæ (quod licite fieri potest a viginti onnis et supra) accipiunt orarium super sinistrum humerum: ut intelligant se accepisse Dei jugum quo premant omnia quæ ad mundum pertinent, quæ significantor per sinistrum homerum. Accipiunt etiam textum Evangeliorum, ut intelligant se esse præcones Evangelii.

Seqoitur ordo presbyterorum, qui a filiis Aaron sumpsit exordium. Dum isti a triginta annis et supra ordinantur (episcopo eos benedicente, et manus super capita eorum tenente) omnes presbyteri, qui cum eo sunt præsentes, manum cum episcopo levantes super eos Spiritum sanctum invocant. Post invocationem accipiunt stolam super utrumque humerum, ut intelligant se debere esse munitos per arma justitiæ a dextris et a sinistris, ut nec eos adversa frangant, nec prospera extollant. Accipiunt et calicem cum vino de manu episcopi, et patenam cum hostia: ut intelligant se habere potestatem offerendi Deo hostias placabiles, corpus scilicet et sanguinem Christi. Magna dignitas, mira potestas, excelsum et expavendum officium! Hoc ordine non est alius excelsior in Ecclesia. Episcopis tamen superaddita est ordinatio clericorum, basilicarum dedicatio, chrismatis consecratio, per manus impositionem confirmatio, et generalis super populum benedictio ne si eadem potestas auctoritatis in omnibus et ab omnibus haberetur, obedientiam dissolveret et scandalum generaret. Qui autem septem ordinibus exaltantur spiritaliter ipsa officia implere debent. Qui igitur infidelem convertit, vel fidem docet catholicam, et sic spiritaliter in ecclesiam introducit, vel juste per excommunicationem expellit, ostiariorum implet officium. Qui autem male viventes in Ecclesia docendo corrigit, et minores instruit juxta Scripturas authenticas, lector est spiritaliter. Qui vero orationibus suis aliquem a vitiis liberat diabolicis, officium exorcistæ celebrat. Qui lucem boni operis aliis ministrat, spiritaliter acolythus est. Qui tantæ munditiæ est quod exemplo ejus et consilio, cæteri sordibus criminum lavantur, officium subdiaconi implet et possidet. Qui corpus et sanguinem Christi discrete dispensat digne accipientibus, vel ad orandum et vigilandum exemplo sui alios hortatur, diaconi gerit officium. Qui autem corpus et sanguinem Domini [digne consecrat, officium sacerdotis spiritaliter perficit]. Sacerdotes successores sunt septuaginta duorum discipulorum, episcopi autem apostolorum. Episcopus interpretatur *superintendens*, sacerdos *dans sacra*, diaconus *minister*, subdiaconus *subminister*, acolythus *ceroferarius*, exorcista *conjurator*. Quod autem lector a *legendo*, vel ostiarius ab *ostio* dicatur, non ignorat lingua Latina. Nunc autem videndum est quod omnes habentes hos gradus prætactos spiritaliter vicarii sunt episcopi, qui in se hæc officia complevit. Ostiarium enim se monstravit esse, quando ejecit ementes et vendentes de templo. Quod in Ecclesia quotidie spiritaliter agit. Unde in Evangelio, *Ego sum ostium*, dicit Dominus (*Joan.* x). Lectorem vero se ostendit cum in medio seniorum librum Isaiæ aperiens distincte legit ad intelligendum. Exorcistam se indicavit, ejiciens dæmonia; acolythum, dicens: *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII). Subdiaconum, quando lavit pedes discipulorum; diaconum, quando corpus et sanguinem suum propriis manibus dispensavit discipulis, et iterum quando eos ad orandum hortatus est, dicens: *Vigilate et orate* (*Matth.* XXVI). Verum sacerdotem se monstravit quando panem et vinum in corpus et sanguinem suum commutavit, et ut in memoriam suæ passionis idem facerent discipulis injunxit. Et iterum manifestius hoc implevit officium quando ipse idem sacerdos et hostia seipsum in ara crucis obtulit Patri. Et adhoc gloriosius implet, dum sedens ad dexteram Patris, interpellat pro nobis. Et sic quæ in cœlis et in terris sunt pacificans, soli polique patriam unam facit rempublicam.

CAP. VI. *De vestimentis sacris.*

Post hæc de vestimentis sacerdotalibus breviter dicamus et primum commemoranda sunt Veteris Testamenti quæ fuerunt: duæ tunicæ, bissina et hyacinthina, zona, feminalia, superhumerale, mitra (quæ alio nomine cidaris vel tiara dicitur), et lamina aurea, quæ supra mitram ante faciem ponebatur. Zona autem et superhumerale, variata erant quatuor coloribus, bysso, purpura, hyacintho, croco, per quos quatuor elementa significantur. In superhumerali autem erant insculpta nomina duodecim patriarcharum, in duobus pretiosis lapidibus, sex in uno, et sex in altero. In rationali autem erant duodecim lapides, duodecim patriarcharum similiter nomina in se sculpta habentes. In lamina aurea insculptum erat nomen Dei, quod vocant Hebræi, ineffabile. Sacerdotes autem Novi Testamenti non utuntur his omnibus ornamentis, quia non utuntur nisi una tunica præter pontifices: amictum etiam habent in loco superhumeralis et rationalis, quia et nunc superhumerale appellari solet. Nulli autem lamina aurea utuntur modo, quia quod olim in illa, nunc in signo crucis monstratur. Ut enim dicit Hieronymus, sanguis Evangelii pretiosior est auro legis. Zona autem nunc omnes utuntur sacerdotes, et stola, qua vetus sacerdotium non utebatur, ut illud impleant Evangelicum: *Tollite jugum meum super vos* (*Matth.* XI). Quod autem zona, et superhumerale nunc tot coloribus non variantur, nec illi lapides solent poni in superhumerali nil refert, cum Christiana religio veritati serviens idem mystice rebus compendiosis facit, quod vetus observatio sumptuosis.

Nunc vero quid significent vestimenta Novi Testamenti, breviter dicamus. Alba, id est, tunica illa quæ Græce poderis [ποδήρης], hoc est talaris dicitur, significat munditiam in anima. Zona castitatem in corpore, quod ad temperantiam pertinet.

Superhumerale quod hebraice dicitur ephod, justitiam. Rationale quod Græci λόγιον appellant, sapientiam designat, utriusque typum amictus continet; unde et humeros protegit et pectus. Stola quæ alio nomine orarium dicitur, in prosperis et adversis fortitudinem significat, sine qua cæteræ virtutes expugnantur, et minime coronantur. Longitudo stolæ notat perseverantiam, idem quod tunica, in hoc quod ipsa talaris est, hoc est in patientia tandem animas possideri, quod ad fortitudinem pertinet. Quod stola autem cum zona colligitur, innuit quod virtutes virtutibus adunantur. His supradictis casula apponitur; quæ alio nomine planeta vel infula dicitur. Hæc charitatem exprimit, quæ loco prudentiæ ponitur, quia plenitudo legis est dilectio. Manipula quæ in sinistra ponitur ante tergum oculos, significat vigilantiam per quam acidia (quæ sæpe mentibus accidit, et post supradictas virtutes sobrepit sæpe removenda est et abstergenda ab oculis rationis sive animæ. Dalmatica etiam qua utuntur levitæ, latitudine sui idem significat quod casula, id est charitatem. Per duas lineas coccineas, quibus ipsa ante et retro a summo usque deorsum decoratur, utriusque Testamenti prædicatio Dei et proximi dilectio figuratur. Duodecim fimbriæ linearum utrinque duodecim charitatis ramos exprimunt, quos Apostolus enumerat, dicens: *Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit* (*I Cor.* XIII). Tertia linea, quæ inter duas est et tribus fimbriis ante et retro insignitur, charitatem, fide Trinitatis condecoratam, demonstrat. Per fimbrias in sinistro latere, sollicitudo vitæ activæ circa plurima intelligitur; per dextrum latus, quod caret fimbriis, contemplatio cœlestium sine multitudine perturbationum. Quod autem pontifices utuntur duabus tunicis præter poderem, qua cæteri communiter utuntur, monstrat quod proprium est ipsorum scientiam habere duorum Testamentorum, ut sciant de thesauro suo proferre nova et vetera. Propter hoc etiam unaquæque ex tribus tunicis typum gerit proprium. Poderis enim in hoc quod byssina est vel linea, munditiam indicat. Quia sicut bysso vel lino candor, qui non per naturam est, contingit per exercitium abluendi, ita munditiam quam natura non administrat, sancti per industriam, juvante Spiritus sancti gratia, acquirunt, dum per exercitium bonorum operum corpus macerant et mundificant.

Secunda autem tunica serica, quæ originem habet et traducit ex vermibus qui sine coitu procreantur, et parvi sunt, castitatem demonstrat et humilitatem. Tunica vero tertia sicut olim erat hyacinthina est; et color ejus, similis lapidi hyacintho, qui ætheris serenitatem imitatur, sanctos significat cogitantes et imitantes cœlestia. Et merito hæc tunica hyacinthini est coloris, quia sicut lapis ille mutat co'o e n cum aere, (in sereno enim aere serenus est, at in obscuro pallidus) sic spiritualiter et propric decet episcopum gaudere cum gaudentibus et flere cum flentibus. Mitra pontificis cornicalata, duo prætendit Testamenta, quibus ipse expugnare debet hostes Ecclesiæ. Sandalia quibus utuntur episcopi et cardinales, integra sunt inferius, quia non debent inhiare terrenis, et desuper sunt forata, quia oculos mentis debent aperire ad ea quæ sursum sunt. Quod autem in quibusdam locis aperta et in quibusdam sunt integra, monstratur aperte quod cœlestia sacramenta quibusdam sunt revelanda, et quibusdam tegenda. Unde Dominus in Evangelio: *Vobis datum est nosse mysterium Dei, cæteris autem in parabolis* (*Luc.* VIII). Horum calceamentorum mysteria consideravit, qui ait: Quam *pretiosi pedes annuntiantium pacem* (*Isa.* LII). Caligæ pontificis significant præparare iter et festinare ad prædicandum. Annulus autem episcopi est fidei signaculum, quia sicut antiquitus in sigillo annuli nomen regis et imago exprimebatur, ita in fide catholica nomen regis cœlestis et imago declaratur, verbi gratia, nomen ejusdem demonstratur cum dicitur: *Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus*, quia *Dominus nomen est illi*. Imago autem ejus ostenditur, hoc est qualis ipse sit, cum dicitur *Omnipotens* et *Æternus* et his similia, licet secundum proprietatem loquendi nulla qualitas vel diversitas in eo reperiatur. Gerit itaque episcopus annulum pro Ecclesia, quam fide ornare debet, et cœlesti sponso castam exhibere Christo (*II Cor.* XI). Et ut sponsa cantare possit: *Annulo suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus*. Quod annulum episcopus gerit in manu, docet quod fidem in opere monstrare debeat. Per chirothecas in manibus, exempla sanctorum, quæ in operibus habenda sunt, intelliguntur, et quod opera ab omni inquinamento munienda sunt naturæ, ne *modicum fermentum totam massam corrumpat* (*I Cor.* V). Baculus pastoralis rectitudine sui rectum regimen significat. Quod autem una pars curva est, altera acuta, monstrat præesse subjectis et debellare rebelles. Unde dictum est:

Curva trahit mites, pars pungit acuta rebelles.

Et iterum:

Curva trahit quos virga regit, pars ultima pungit.

Et item:

Attrahe per curvum, medio rege, punge per imum.

Et item: *Per baculum rectum doceas, episcope, recte vivere, per ferri flexus properes misereri.*

Pallium quod supera ponitur archiepiscopis, torquem et bravium significat quod legitime certantes accepturi sunt, et disciplinam exprimit qua se desuper induere et constringere ad exemplum subditorum debent. Coccinea vero planeta, qua induitur apostolicus, quocunque proficiscitur prædi-

cando, martyrium declarat. Crucem præcedere nunc vel illum significat ei magis convenire illud : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI). Tonsura capillorum in clericis, docet omnia superflua esse resecanda, ut libere possint audire et videre legem Dei. Corona monstrat clericos specialiter esse regnum Dei. Quod manus sacerdotum unguntur oleo, significat eos habere per Spiritum sanctum virtutem consecrandi, et quod manus debent esse porrigibiles ad largiendum, et non aridæ et curvæ ad retinendum. Hæc igitur supradicta signa non sunt ipsæ virtutes, sed virtutum insignia, quibus tanquam scripturis docentur utentes quales esse debeant. Hæc sacramenta intelligant prælati Ecclesiæ qui capsarii sunt et dispensatores secretorum Dei. Alioquin *cæci sunt et duces cæcorum* (*Matth.* V), more Judæorum portantes mysteria quæ non vident nec intelligunt, tantum inde habituri quantum capiunt jumenta quæ portant panes ad usum aliorum. Nisi in hoc sit differentia, ut vere est quod ipsi quibus tanta commissa sunt merito pro negligentiis rationem reddituri sunt in die iræ et vindictæ, quando tremebunt cedri paradisi, quid faciet virgula deserti? Nec tamen Deus sacramenta sua hic deserit, sed complet ea per ministros licet indignos, ad salutem eorum *qui secundum propositum vocati sunt sancti* (*Rom.* VIII). Et attende quod cum sacramentum dicatur sacræ rei signum vel sacrum secretum, hic accipimus sacramenta pro signis. Qui ergo portant sacramenta, debent fulgere virtutibus quæ per sacramenta significantur, ut ex luce ipsorum cæteri similiter illuminentur. Eisdem enim supradictis virtutibus suo modo clarere debent singuli, licet figuraliter non sint omnes insigniti. Potest enim quilibet in se spiritualiter habere effectum sacramentorum. Verbi gratia, quicunque est de sorte Domini, ut vere possit dicere : *Dominus pars hæreditatis meæ* (*Psal.* XV) ; et illud : *Elegi abjectus esse in domo Dei* (*Psal.* LXXXIII) ; spiritualiter clericus est, licet exteriore schemate, scilicet signo, clericatus non sit signatus. Hoc enim nomen clericus sonat in Græco, quod sit de sorte Domini, hoc est, quod Dominus sortitus est eum et ipse Deum. Ostiarius est enim spiritualiter, quicunque alios spiritualiter in Ecclesiam introducit, id est, qui fidem prædicando docet. Lector est quilibet mores docendo, exorcista orando, acolythus illuminando, subdiaconus humilitatem monstrando, diaconus alios exhortando, sacerdos seipsum hostiam sanctam Deo offerendo. Induat ergo quisque humeros et pectus amictu spirituali, hoc est muniat se virtute operum justitiæ, sanctitate sensatorum cogitatuum indutus. Sitque indutus munditia, quæ per albam significatur. Sit indutus, quantum fieri potest, utraque tunica, id est intelligentia utriusque Testamenti et litteræ, id est spiritus litteralis et spiritalis intelligentiæ. Habeat zonam castitatis, stolam fortitudinis, et plenitudinem scientiæ, id est charitatem quam figurat infula. Qui cum sic ornatur, habet verum et regale sacerdotium intra templum Dei quod ipse est.

Manifestum est ergo quod significata sine significantibus, id est virtutes sine exterioribus sacramentis quandoque justificant; hæc autem sine illis nihil penitus prosunt, imo arguunt. Simul vero juncta majus bonum conferre videntur, quia dum aliquid alicui additur, totum majus efficitur. Sed numquid ideo magis bonum, cum non utrumque divisum bonum sit? Ad quod dicimus quod bonum sit, licet non divisum, tamen cum simul sunt, utrumque bonum est, et ideo totum majus esse bonum patet, ut in exemplo brevi claret, sed excelso. Virginem Mariam corporaliter Christum portare magnum fuit adjuncto amore, quod non esset divisum; etiam majus fuit quod per dilectionem spiritualiter ipsum portabat. Sed quia utrumque meruit habere simul, incomparabiliter felix meruit existere, quia sæpe pro donis externis collatis charitas intus magis flammescit et meritum crescit. Hic si quis dicat quod sola charitas est solum remunerabile, verum quidem est si ita intelligat quod sola non excludat alia, sed aliorum comparatione tollat, vel nullum sine ea et nisi propter eam remunerandum esse, quæ tanta est quod *nunquam excidit* (*I Cor.* XIII), hoc, est nec hic nec in futura vita deest, sed sola virtutum manet in perpetuum. Ergo secundum supradicta probabiliter dici potest quod multa bona in sanctis Deus remunerat præter charitatem, non quasi sine charitate, sed multa quæ non sunt illa charitas. Numquid enim nos dicemus quod fides non habeat meritum? absit! et tamen ipsa non est charitas; sine ea enim esse potest, sed sine ea non remuneratur : simul autem cum ea auget meritum. Sic ergo sua cætera dona remunerat Deus iis qui ea cum charitate conservant, ex quibus ipse omnia cooperatur in bonum (*Rom.* VIII) : et pro singulis suis donis sive virtutibus sive sacramentis quæ per charitatem custodiuntur, coronas reddit singulas, sola tamen gratia. Reddit, dixi, intuens liberum arbitrium, et sola tamen gratia subjunxi, considerans quod *omne bonum est desursum, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I). Sed his hactenus in publico ostensis quasi in plaois convallium, hinc transeamus ad montem myrrhæ et ad colles Libani.

CAP. VII. *De celebratione missæ.*

Sancti Patres et prophetæ, ante adventum Domini suspirantes et præconizantes, præmiserunt desideria, opera, laudes et preces. Hæc autem in Introitu missæ commemorantur. Chorus enim clericorum canentium chorum significat prophetarum, et multitudinem sanctorum qui exspectaverunt adventum Domini. Introitus (qui dicitur officium, quia per ipsum inchoamus missæ officium) exprimit desideria exspectantium cum præconiis. Versus psalmisticus opera et vaticinia; Gloria Patri laudes. Iteratio officii innuit eos sæpe iterasse suspiria de Christo atque præconia. Kyrie eleison ter triplicatum, significat preces illorum, qui ad hoc multipli-

cant, ut gratia summæ Trinitatis per adventum Christi novies distinctis angelorum agminibus eos conformaret. Interim autem dum hæc dicuntur vel aguntur, sacerdos sacra veste indutus de sacra æde procedit, significans quod Christus exspectatio gentium sic desideratus, carne sacrosancta assumpta de Virginis carne incorrupta, de secreto habitaculo cœlorum egressus est in mundum, vel de secreta æde egressus est, id est de virginali utero, *tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal.* XVIII). Quod ad nativitatem pertinet quam habet a matre, de alia autem dictum est : *Egressus ejus a Patre*, etc. Duas enim habet generationes, unam æternam, alteram temporalem. Sed utramque secretam et inenarrabilem, quia illam habet sine patre, et hanc sine matre, unde propheta : *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isai.* LIII.) Sacerdotem autem egredientem præcedunt duo ceroferarii et portator thuribuli, deinde subdiaconus portans Evangelium, et diaconus lecturus evangelium. Per ceroferarios et thuriferarium intelligimus sanctos qui Novum præcesserunt Testamentum; per subdiaconum portantem textum evangelicum, et per diaconum Evangelii præconem, sanctos Novi Testamenti. Per duo autem candelabra cum cereis, ardentibus, legem commemoramus et prophetas; per textum evangelicum Novum Testamentum. Unde pulchre præcedunt candelabra, quia lex et prophetæ præcesserunt legem gratiæ. Iterum per thuribulum cor hominis intellige; per ignem, charitatem. Et in thure, exemplum bonorum operum, vel orationes suavissimas considera. Sicut enim thus in igne thuribuli suaviter redolet et sursum ascendit, ita opus bonum vel oratio ex charitate fragrescit ultra omnia balsama, pigmenta et thymiamata. Thuriferarius autem, ceroferarius et sequentes præcedens, monstrat quod thuris significatio communis est sanctis utriusque Testamenti. Subdiaconus et diaconus præcedunt sacerdotem, quia discipuli missi sunt ante Dominum, et adhuc mittuntur prædicatores, id est prælati Ecclesiæ, præparare viam Domini spiritualiter ante faciem ejus. Cum vero ventum est ante altare, ponitur Evangelium super illud. Altare enim significat Jerusalem, ubi primum prædicatio facta est primitivæ Ecclesiæ, et inde exivit in publicum, sicut scriptum est : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem* (*Isai.* II). Et nota quod, facta generali confessione ut pura pectora sint servientium, sacerdos dat osculum, significans Christum qui nobis pacem attulit primus. Post hoc veniens ad altare, similiter osculatur ipsum et Evangelium. Altare in hoc loco Judaicum populum significat; Evangelium gentilem, qui per Evangelium credidit. Utrique enim Christus dedit pacem, quando, lapis angularis factus, fecit utraque unum. Et nota quod diaconus vel subdiaconus offert sacerdoti Evangelium ad osculandum, quia prædicatores reconciliaverunt et obtulerunt gentes Christo, quibus et ipse per se non prædicavit. Quod autem sacerdos prius dexteram partem petit altaris, innuit quod Emmanuel in lege promissus prius venit ad Judæos quam ad gentes. Judæi enim propter legem in dextera parte tunc fuerunt; gentes vero quasi in sinistra, quia colebant idola. Post hoc vero finitis supradictis, et choro tacente, sacerdos in medio altaris Hymnum incipit angelicum, scilicet Gloria in excelsis Deo, significans quod cum Deus umbram legis amplius non postularet, et *dum* (*quietum*) *medium silentium tenerent omnia* (*Sap.* VIII), natus est in medio, id est, pro omnibus, Messias quem prophetæ prædixerunt; in cujus nativitate angelus ad pastores ait : *Annuntio vobis gaudium magnum* (*Luc.* II). Quod autem chorus communiter vociferans deinde complet Hymnum, quem solus sacerdos prius incœpit, significat quod statim facta est cum angelo multitudo cœlestis exercitus laudantium et dicentium : *Gloria in excelsis Deo* (*ibid.*). Finito Hymno sacerdos salutat populum dicens : *Dominus vobiscum*. Orat ut Deus sit cum illis, et in illis maneat. Hæc autem salutatio in Veteri Testamento audita est. Per hoc vero quod ab episcopo dicitur *Pax vobis*, datur intelligi quod ipse magis proprie sit vicarius Christi, qui post resurrectionem pacem annuntians sic salutavit apostolos.

Deinde sacerdos oraturus hortatur alios ut orent, quia Dominus monuit discipulos orare, et ipse oravit. Epistola quæ Orationem sequitur, prædicationem Joannis Baptistæ repræsentat, quia sicut ille præcursor fuit Christi, ita præcedit Epistola Evangelium. Epistola etiam exprimit doctrinam septuaginta duorum discipulorum, quos Dominus misit in omnem civitatem et in locum quo erat ipse venturus, et quibus ait : *Messis multa quidem, operarii autem pauci* (*Matth.* IX). Responsorium, quod Epistolam sequitur, assensum significat quem auditores monitis præbuerunt prædicantium. Unde pulchre Responsorium nominatur. Quod enim per prædicationem crediderunt juxta velle prædicantium responderunt, dum Dei legem sancte vivendo compleverunt, vel quia respondente choro cantatur, Responsorium dicitur, et activam vitam significat, in qua sancti se ad invicem exhortantur, ut ad æternam vitam perveniant. A quibusdam autem Graduale vocatur, vel quia in gradibus canitur, vel propter mysticam significationem, quia activi etiam viri in gradibus virtutum cantant, dum in virtutibus excelsa faciunt opera. Sequitur Alleluia, quod est Hebraicum. Tres enim linguæ sunt quæ inter alias excellunt, Hebræa propter legem, Græca propter sapientiam, Latina propter regnum. His tribus linguis titulus Christi triumphalis enituit, et his tribus linguis laus Dei in Ecclesia decantatur. Itaque Alleluia Hebrææ linguæ est, et Latine interpretatur Alleluia *laudate Dominum*. Sed viam prosequamur. Alleluia quod jubilum habet, exprimit gaudium et amorem credentium, et quanta lætitia et laus secuta sit fidem, audita prædicatione. Neque enim tantum assensum præbuerunt prædicationi, sed ea

audita læti sunt. *Audivit et lætata est Sion, et exsultaverunt filiæ Judæ* (*Psal.* xcvi). Unde dicunt in Canticis canticorum : *Exsultabimus et lætabimur in te* (*Cant.* i). Et sponsa : *Anima mea*, inquit, *liquefacta est, ut dilectus locutus est* (*Cant.* v). Significat et Alleluia vitam contemplativam, onde mystice in altiori gradu canitur quam Responsorium. Item Alleluia dum post Versum repetitur, significat æternum gaudium quod post hanc vitam sancti recipiunt. Unde Alleluia modicum est in sermone, et multum in Pneumate, quia gaudium illud majus est, quam sermone possit explicari, ad cujus magnitudinem revelandam omnis lingua modica est et imperfecta. Quis enim plane enarraret, *quod in cor hominis non ascendit?* (*I Cor.* ii.)

Hoc ergo gaudium quia nec penitus verbis exprimi, nec penitus taceri potest, Ecclesia quasi demissis verbis jubilando quasi in admirationem prosilit, ac si dicat : Quæ vox, quæ poterit lingua retexere, etc. Hic enim verba non sufficiunt nec intellectus, nec tamen amor sinit tacere. Sic ergo Ecclesia pneumatizando, dicto mirabile, expressius quodam modo et melius sine verbis quam per verba innuit quantum sit gaudium Dei ubi verba cessabunt. Per pneuma enim, licet non enarretur quantum ait æternum gaudium, saltem monstratur ipsum esse inenarrabile. Quando autem Sequentia sequitur, posterius Alleluia non habet Pneuma, sed chorus in loco ejus sequentiam concinit, quæ idem significat, id est æternæ vitæ gaudium atque delicias. Unde illa nova solet habere verba et inusitata, quia cœli gaudium secretum est et incognitum mortalibus. Vel sequentia æternæ vitæ mysticat laudes. Unde dictum est : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* lxxxiii). Huic significationi pulchre convenit quod Sequentia verba habet laudiflua et cantum dulcisonum, quia ibi omnia erunt plena laude, et melodia cœlestis organi abundabit dulciflua lætitia. Quia *sicut lætantium omnium habitatio* erit ibi (*Psal.* lxxxvi). Et quia laudes æternæ vitæ humanis verbis non resonabunt, quædam Ecclesiæ mystice pneumatizant Sequentiam sine verbis. Nulla enim verborum significatio necessaria, ubi corda singulorum patebunt singulis librum vitæ intuentibus. Tractus autem, quia gemitum et cantum lacrymabilem exprimit, lacrymas sanctorum sive in activa sive in contemplativa vita repræsentat. Unde Tractus dicitur, quia sancti suspirantes ab imo pectoris gemitum trahunt, qui licet spe gaudeant, ut monet Alleluia, tamen in valle lacrymarum hic commorantes habent irriguum superius, et irriguum inferius, quod tractus mysticat. Gemunt enim flebiliter pro supernæ dilatione beatitudinis, super flumina Babylonis sedentes patriæ suæ memores. Iterum lacrymas fundunt pro suis et aliorum excessibus dum ex vicinitate Babylonici fluvii seipsos vident sæpe aspersos, et alios penitus immersos ipsius fluvii rapiditate ferri deorsum. Sed quis hic ploratus quandoque est respectu superni gaudii, quandoque est respectu nostræ miseriæ; Tractus quandoque tangit lætitiam pro superiori irriguo, ut in *Jubilate* et *Laudate* et quandoque tristitiam pro irriguo inferiori, ut in *De profundis* et aliis hujusmodi. Et quia gaudium sanctorum non est plenum et continuum, sed sæpe interrumpitur, Ecclesia quandoque interponit Tractum, ut in Septuagesimali tempore. Et enim repetit Alleluia in Sabbato paschali, Tractus Alleluia sequitur, quia gaudium hic non expedit sine fletu. In Sabbato in Albis, hi est in octavis Paschæ duplicatur Alleluia, quia in æterna vita perfecto tunc erit gaudium, glorificata carne cum anima, et completa resurrectione sanctorum cum resurrectione Christi. Unde cantat Ecclesia. *Hæc dies quam fecit Dominus* (*Psal.* cxvii), etc. Merito itaque Ecclesia significans æternum gaudium, ut supra diximus, quandoque gaudium per Alleluia innuit, quandoque in mœrore vivens per Tractum ingemiscit et plorat. Considerans enim in paradiso divinarum Scripturarum, quod per paradisum virtutum ad paradisum cœlestium divitiarum perventura sit, exsultat; respiciens autem quod adhuc in valle lacrymarum retinetur, et quod de terrestri paradiso cecidit, plorat. Sed de hoc gaudio et de hoc ploratu plenius explicabo divisim in duobus voluminibus, quorum uni erit nomen *Paradisus*, et alteri *Cur flet qui gaudet*.

Hinc autem ad aliud transeuntes intueamur transitum apostolorum de Judæis ad gentes, quem per hoc commemorat Ecclesia, quod Evangelium a dextera parte ad sinistram transfertur et ibi legitur. Judæa enim respuente verbum Dei, apostoli transierunt ad gentes, dum siccato Gedeonis vellere, ros irrigavit aream. Qui enim prius dixerat: *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* x), post hæc præcepit dicens *Prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* xvi). Quia ergo prædicatio pervenit etiam ad illos qui in sinistra parte fuerant, merito in sinistra parte legitur Evangelium; nec tantum in sinistra, sed etiam adversus aquilonem, qui malos significat juxta illud: *ponam sedem meam ad aquilonem* (*Isai* xiv); quia etiam ad tales pervenit prædicatio qui longe a calore veri solis recesserant. Vel propter hoc potius contra aquilonem legitur, quia aquilo ventus frigidus diabolum significat, qui flatu tentationum corda hominum congelat et infrigidat ab amore Dei, Unde: *ab aquilone*, inquit, *pandetur omne malum* (*Jerem.* i). Et sponsa in Canticis canticorum: *Surge* inquit, *aquilo*, *et veni*, *auster* (*Cant.* iv). Hoc est, recede, maligne spiritus, qui hortum meum infrigidas, et veni, auster, id est Spiritus sancte, qui perflans aromata fluere facis. Merito ergo contra aquilonem legitur Evangelium, quia fides quæ in Evangelio continetur, armatura nostra est contra diabolum. *Cui*, inquit *resistite fortes in fide* (*I Petr.* v). Nunc considera quod plebs baculos hic deponit, reclinatoria relinquit, caput detegit, crucem fronti imprimit, stans audit; quod Evangelium in altiori gradu legitur quam Epistola, nota singula. Deponere

baculos innuit Christianæ esse perfectionis, non vindicare, sed Domino reservare vindictam, quia inquit: *Mihi vindictam et ego retribuam* (*Heb.* x). Reclinatoria relinquere, significat quod non debemus confidere in principibus vel sustentaculis terrenis, quia *vanitas vanitatum et omnia vanitas*, dicit Ecclesiastes (*Eccli.* I), subauditur comparatione Dei, in quem nostram curam jactare debemus. Caput detegitur, ut ostendatur quam attente audire et intelligere verbum Dei debemus. Signum crucis fronti imprimitur, ne hostis antiquus superveniens per zizania hæresis corrumpat semen rectæ fidei. Per hoc quod stantes audimus, gravem pugnam restare consideretur: *Quia nobis non est colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes tenebrarum harum* (*Ephes.* VI). In altiori gradu legitur Evangelium quam Epistola, quia doctrina Christi longe excellit doctrinam apostolorum. Post Evangelium chorus cantat compendium nostræ fidei, ostendens se præbere assensum verbo Evangelii, et in quem vel quid credit. Rectus ordo; quo res vocat, respondent milites: Sequimur.

Deinde sacerdos salutat populum dicens: *Dominus vobiscum.* Hæc salutatio ab antiquo sumpta est: Booz enim messores suos sic salutavit, et propheta in Paralipomenon Asa regem et eos qui cum eo erant. Salutat ergo sacerdos populum, et monet orare, ut in fide recitata permaneat stabilis. Quod ei promittens chorus, Offertorium succinit, ac si dicat: Credo, et fidem quam confessus sum opere implebo. Unde sacerdos statim offert dona consecranda; et dehinc munera sua populus, significans offerre seipsum Deo. Considera ordinem: Evangelium præcedit, fides sequitur, dehinc offeruntur munera. Necesse est enim primum audire verbum Dei. Quis enim crederet nisi prius audiret? *Quomodo*, inquit, *credent nisi prædicentur*? (*Rom.* x.) Deinde quis non recte credens, munus Deo acceptabile offerre poterit? quia *sine fide, impossibile est placere Deo* (*Hebr.* x). Possumus etiam per oblata munera commemorare copiosam victimam, quæ oblata est a populo cum rex Salomon templum et altare Domino sacraret. Exemplo illius plebs fidelis offert se et sua dona Domino. Nunc autem diligentius ad hoc referamus oculos, quod sacerdos, ut supra commemoravimus, offert dona sacrificanda, panem scilicet et vinum. Utraque typice obtulit Melchisedech, utraque Christus dedit discipulis cœnantibus. Sed utraque in corpus et sanguinem conversa sunt. Utrum autem utraque convertantur in utrumque, supra me est definire. Tutius tamen quod panis tantum in corpus, et vinum in sanguinem, quam utrumque in utrumque converteretur dicerem, nisi videretur occurrere quod sub utraque specie utrumque sumi credimus. Sed nec hoc repugnat si rem subtilius intueamur. Sub specie enim panis utrumque esse potest et sumi, non quia panis in utrumque forsitan transierit, sed quia ubi unum est corpus est, et separatum non est, nec divisim sumitur ut divisæ sunt species sub quibus sumitur, sed utraque simul, licet divisim loquamur secundum species diversas: *Hoc est*, inquit, *corpus meum*, et deinde: *hic sanguis meus.*

Sed dicit aliquis: Estne proprium corpus ipsius quod dedit, an figurate locutus est, ut quando se vocavit ostium? Proprium quidem erat corpus ejus et verum corpus quod tunc dedit discipulis et nunc in altari sumitur et manducatur, idem, inquam quod de Virgine natum est et jam immortale ad dexteram Dei est in gloria. Mira res! Caro quæ comeditur in imis, integra manet in excelsis. Ad quid opponis dialectico? quid hic meditaris, sophista? cur argumenta hic quæris? hoc est pulverem in astra spargere. Dialectica tua tantum non ascendit. Respice enim et vide ubi es, et intellige quod sensus primam tenet regionem ascendendi, imaginatio secundam, ratio tertiam, in qua dialectica tua didicit ludere. Supra hanc fides est excelsior dialectica, quæ non est audita in Chanaan nec visa est in Theman, cui humana ratio non præbet experimentum, maxime cum de fide Trinitatis, vel de corpore Domini et hic sermo contexitur. Intellectum vero fides transcendit, per quam sancti vident cœli secreta ut Paulus in tertio cœlo, et Joannes in Apocalypsi. Sed intellectus in visione æternæ vitæ perficietur, quando videbimus Deum facie ad faciem quem hic contemplamur in ænigmate (*I Cor.* XIII). Nemo hic proterve disputet, sed quod auget fidei meritum humiliter quæratur, et quod sine periculo non discutitur, firmiter credatur.

Potest ergo quæri cur Dominus carnem suam sumi voluit, nec tantum carnem, sed carnem et sanguinem, et quare non in specie carnis et sanguinis, cum sit caro et sanguis, et quare sub sacramento, et utrum sumatur tantum caro et sanguis Christi, an totus Christus, et si totus Christus, quare usualius dicamus corpus Domini sumere quam Christum vel Dominum. Voluit ergo Christus carnem suam sumi a fidelibus ut per cibum carnis invitaret ad gustum divinitatis, et quod hic temporaliter gerimus æternis gaudiis consequamur, ut hic sit in medicina, et ibi in deliciis. Utrumque sumi voluit, ut corpus nostrum et animus simul nostra cum eo glorificetur. In specie carnis et sanguinis non sumitur, ne humanus animus abhorreret, et sensus sibi insolita expavesceret, ut quando, orante beato Gregorio, digitus auricularis cruentatus sanguine in calice inventus se ostensus est. Sub sacramento et non sub propria forma sumitur, ut fides comprobetur, quæ est de iis quæ non videntur, vel quia non posset mortalis homo intueri claritatem quæ esset in corpore Christi, quam experti sunt discipuli in transfiguratione. Sub tali autem sacramento sumitur, id est sub specie panis et vini, propter hanc similitudinem quia *panis confirmat*, et *vinum lætificat cor hominis* (*Psal.* CIII), et Christus virtus est et lætitia hominum et angelorum. Et licet in qualibet istarum idem et totum sumatur tamen in utraque sumitur, ad significandum

quod duplex est effectus hujus sacramenti. Est enim redemptio corporis et animæ quod non significaretur, si in una tantum specie sumeretur, [quod licet in utraque specie utrumque sumatur, non tamen in utraque utrumque significetur. Sed species panis corpus et species vini sanguinem Christi respectu resurrectionis significat, et sumptio in utraque specie simul redemptionem corporis et animæ sumentis significat. Alibi autem alio respectu panis et vinum corpus Christi, quod est Ecclesia, significant: quia sicut unus panis ex multis granis, et vinum ex multis racemis, ita una Ecclesia quæ typice corpus Christi ex multis personis adunatur. Hic autem, hoc est in sacramento altaris, in specie panis et vini verum corpus et verus sanguis ejus sub utraque specie veraciter post consecrationem sumitur. Licet ergo utrumque sit sub utraque specierum illarum, sub utraque tamen sumitur ad significandum ut diximus duplicem effectum. Nec est iteratio sacramenti nisi secundum eamdem speciem denuo sumatur. Quod autem non debeat dari intinctum, ex decretis habemus. Et nota quod non de quolibet pane hoc consecratur sacramentum, sed tantum de pane frumenti quia ipse de se dicit: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet* (*Joan.* XII). Pulchre autem se vocat granum frumenti quia granum frumenti candidum est interius et rubrum exterius. Et Christus candidus dicitur respectu divinitatis, et rubicundus in carne propter passionem. Unde sponsa in Canticis canticorum: *Dilectus meus candidus et rubicundus* (*Cant* V). De hoc rubore vox illa est admirantium: *Quis est iste qui venit de Edom tinctus vestimentis de Bosra*? (*Isai.* LXIII.) De vino autem sanguis Christi consecratur, ut intelligamus quod ipse est vitis vera, suos vere lætificans, unde sponsa cantat: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi* (*Cant* I). Et merito hoc sacramentum consecratur de pane frumenti et vino, in quibus est principalis refectio, ut intelligamus principalem refectionem in corpore et sanguine Christi ex divinitate, quia *caro* Christi *est vere cibus, et sanguis* ejus *vere est potus* (*Joan.* VI), dum in perceptione gratiæ donum internæ et æternæ refectionis meretur qui communicat corpori Christi.

Ad hoc restat quærendum utrum sumatur tantum caro et sanguis, an totus Christus. Ad quod respondeo quod ego filius a matre Ecclesia didici quod totus Christus sumitur non divisus Sed quæritur quare usualiter dicitur sumi corpus ejus, quasi divisim cum in persona Christi tres sint substantiæ: Verbum, caro et anima. Non est autem intelligendum divisim, quasi tantum illud quod est corpus sumatur. Sed dicitur corpus Domini sumi, ut intelligatur ipsum Dominum vere sumi, quo genere loquendi dicimus: corpus regis ibi fuit, id est vere rex ibi fuit. Vel corpus Domini dicimur sumere, quia corporea substantia, scilicet panis et vini, non transit in substantiam incorpoream, sed in substantiam corpoream, videlicet in corpus et sanguinem Christi. Vel nimio amoris affectu corpus nominamus velcum in Christo diversæ sint naturæ, illud nominamus cum sic loquimur, quod proprie corporis oculis videri potest. Hoc est corpus. Sed licet corpus Christi usualiter dicatur sumi, tamen Christus integer sumitur, nec pars sub specie panis, et pars sub specie vini; sed totus hic, et totus ibi, non pars in parte, sed totum in parte. Videtur pars una, et quasi pars esse videtur, et totum ibi est. Et pars altera videtur, et quasi altera pars est, et idem totum est. Totum hic et totum ibi, nec minus in parte quam in toto, nec majus in toto quam in parte. Et quotcunque partes feceris, totum in singulis est. Nec mireris; opus Dei est. Si in diversis locis potest esse unus, quare non in singulis partibus potest esse totus? Utrumque mirum est, sed utrumque verum est. Nec tamen mirum est respectu facientis. Quid enim mirum si omnipotens et mirabilis miranda operatur? Sed dicis: Quomodo corpus unum eodem tempore in diversis locis esse potest? Super altare est et in cœlo est; hic est et ibi est, et totum est ubicunque est, tantumque hic quantum ibi, et in multis locis similiter totus est. Noli mirari, qui fecit corpus et locum, utrumque facit in altero esse ut vult, et semper sicut ipse vult, qui sic et aliter facere novit et potest, cujus sapientiæ non est numerus, cujus potentia naturis rerum imperat. Sed tu miraris quando vides vel audis quæ videre vel audire non consuevisti. Idcireo quando mirari cœperis et dixerit tibi cogitatio tua, quomodo hoc esse potest? cogita facientem et respice omnipotentem, et desinet esse mirum quidquid illud fuerit. Et si forte mirabile esse non desierit, incredibile tamen non erit, quia si factor omnipotens cogitatur, non erit impossibile apud eum quidquid erit.

Sed dicit forsitan cor tuum: Ubi est corpus Domini, postquam sumpsi illud et manducavi? Audi ergo: Corporalem præsentiam Christi quæris? in cœlo quære. Tecum per corporalem præsentiam ad tempus esse voluit, quando et quandiu necesse fuit. Exhibuit ad tempus præsentiam, ut per illam ad spiritualem inveniendam excitaret et juvaret. Ideo ad te corporaliter venit, ut per corporalem præsentiam spiritualis inveniatur quæ non auferatur. Venit ad te corporaliter, non ut hic tecum permaneat corporaliter, sed spiritualiter. Sic per assumptam carnem occultus venit in mundum, et secundum corporalem præsentiam cum hominibus conversatus est, ut ad spiritualem elevaret præsentiam, et completa dispensatione secundum corporalem præsentiam recessit, sed secundum spiritualem remansit. Unde ait: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Sic ad te venit corporaliter, ut tecum maneat spiritualiter. Quando in manibus tenes ejus sacramentum, corporaliter tecum est. Quando ore suscipis et quando ore manducas, corporaliter tecum est. Denique in visu, in tactu, in sapore corporaliter tecum est. Et quandiu sensus tuus corporaliter afficitur, ejus præsentia non

aufertur corporalia. Postquam autem sensus corporalis in percipiendo deficit, deinceps corporalis Christi præsentia non est quærenda, sed spiritualis retinenda. Dispensatio completa est, perfecta est, perfectum sacramentum: virtus manet. Christus de ore ad cor transit, non cibus corporis, sed animæ. Venit ad te per corporalem præsentiam, ut comedatur, non ut consumatur, ut gustetur, non ut incorporetur. Sed quando caro Christi manducatur, non qui manducatur, sed qui manducat, ei quem manducat incorporatur. Audivit Augustinus de cœlo Christum dicentem: *Cibus grandium sum. Crede et manducabis me, non ut me mutes in te sicut cibum carnis tuæ, sed ut tu muteris in me.*

Completa ergo sacramentali dispensatione si corporalem præsentiam Christi quæris, in cœlo quære. Ibi quære ubi prius fuit quam per sacramentum corporaliter tecum esse inciperet, et unde non discessit quando ad te venit. Itaque prudenter discerne quid in sacramento altaris sensui exhibitum sit, quid spiritui accommodatum. In hoc enim sacramento tria considerantur: Unum, quod est tantum sacramentum; alterum quod est sacramentum et res sacramenti; tertium, quod est res tantum et non sacramentum. Sacramentum tantum est visibilis species panis et vini. Sacramentum et res est corpus Christi et sanguis, res quantum ad species sub quibus sumitur. Sacramentum est alterius rei, quia signum est illius gratiæ et virtutis quæ ibi percipitur, scilicet unionis et capitis et membrorum. Et hæc unio res est non sacramentum, sed virtus sacramenti. Ecce tria consideravimus. Primum est secundi signum; secundum, causa tertii; tertium, virtus secundi et veritas primi. Aliud ergo est species quæ visibilis cernitur; aliud veritas corporis et sanguinis quæ invisibiliter creditur; aliud spiritalis gratia, quæ cum corpore et sanguine invisibiliter et spiritaliter percipitur. Visibilis species sacramentum est corporis et sanguinis Domini; corpus autem et sanguis sacramentum invisibilis gratiæ, sine qua sacramentum non prodest. Cum autem sacramentum dupliciter dicatur, vel sacræ rei signum, vel sacrum secretum, species panis et vini sacramentum dicitur, hoc est sacræ rei signum, scilicet corporis et sanguinis Domini. Corpus autem et sanguis Domini sacramentum dicitur, quia sacrum secretum est quod per visibilem speciem significatur, quia sacræ rei signum est, quia significat gratiam spiritalem, quæ dicitur spiritalis caro Christi. Ut enim dicit Hieronymus, intelligitur dupliciter caro Christi, vel caro quæ nata est de Virgine: vel caro spiritalis, de qua dicit Dominus: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus; qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI). Hanc carnem manducat quicunque per fidem et dilectionem Christo unitur et consecratur et conformatur. Particeps enim fit corporis et sanguinis Domini spiritualiter, licet non sacramentaliter, et hoc Augustino attestante, quicunque in baptismo membrum Christi efficitur. Nec tanto sacramento privatur ille in quo hoc invenitur quod sacramentum illud significat, hoc est ipsa efficacia, quæ virtus sacramenti et caro spiritalis appellatur, ut supra diximus.

Hic perpendere potes quod sicut dupliciter caro Christi intelligitur, ut jam diximus, ita sumptio duplex est, sacramentalis et spiritalis; quia boni et mali sacramentum sumunt, rem sacramenti tantum boni. Sacramentum in hoc loco corpus Domini appellamus; rem sacramenti ipsam efficaciam et gratiam spiritualem, quam, ut supra diximus, Hieronymus vocat spiritualem carnem Christi, quam non manducant nisi boni. Sacramentalis autem communio est communis bonis et malis, quæ sine spirituali non prodest. Unde Dominus: *Caro non prodest quidquam, spiritus autem vivificat* (*Joan.* VI). Ac si diceret: Carnem meam sumere non prodest nisi sumatur in gratia spirituali. Imo *qui sumit indigne reus est corporis et sanguinis Domini* (*I Cor.* XI). Spiritalis autem sumptio, quæ vera fide percipitur, sine sacramentali, ubi non est contemptus religionis, sufficit. Qui ergo manducat digne, habet sacramentum et rem sacramenti. Qui credit et diligit, etsi manducare sub sacramento non possit, rem tamen sacramenti habet, et spiritualiter manducat, et veraciter Christo incorporatur. Sic itaque quidam manducantes non manducant, et quidam non manducantes manducant. Quidam enim indigne manducantes corpus Domini non percipiunt gratiam spiritalem. Indigne manducat qui in crimine manet vel irreverenter sumit non dijudicans corpus Domini. Quidam autem licet corporaliter sumere non possint tamen spiritualiter manducant spiritalem carnem Christi, hoc est efficientiam sacramenti, sine qua non est vita spiritualis. Unde Dominus dicit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Corpus igitur Domini aliis est ad judicium et aliis ad salutem. Virtus autem hujus sacramenti nullis ad mortem, sed omnibus sumentibus est ad salutem; quæ etiam per communionem sacramenti augmentatur quoties hoc sacramentum, id est corpus Domini percipitur. *Hic est panis vivus qui de cœlo descendit; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* (*Joan.* VI). Igitur cum fide vera et mundo corde accedendum est ad hoc tantum sacramentum, ad hoc sacramentum et immortale præsidium, mysterium et libamen agendum, quod est sacramentum sacramentorum omnia sanctificans sacramenta. Unde per excellentiam dicitur eucharistia, id est *bona gratia*, quia non tantum in hoc sacramento gratia sumitur, sed etiam ipse a quo est omnis gratia. Hæc eucharistia dicitur divina, quia digne sumentes divinos et participes divinitatis facit. Hic est panis quotidianus quem necesse habet quotidie Ecclesia sub sacramento sumere. Sicut enim necessaria fuit illa nobis Christi præsentia in carne olim qua mori posset, ita necessaria est usque ad finem mundi ejus præsentia

eo modo quo panis vivus qui *de cœlo descendit* (*ibid.*) manducari possit. Igitur qui tunc ex sola dilectione exhibuit se talem, ut lancea perforari posset, et nunc usque ad finem sæculi se talem exhibet, qui in sacramento manducari possit.

Hoc sacramentum firmamentum est contra hostes, de quo Ecclesia in Propheta. *Parasti in conspectu meo mensam* (*Psal.* XXII). Hoc sacramentum viaticum est ascendentium de exsilio ad patriam. Hoc enim significabatur per manna: illud enim post transitum maris Rubri filiis Israel datum fuit viaticum per desertum ad terram promissionis. Hoc spiritale manna Dominici corporis post baptismum datur Christianis, qui habent potestatem filios Dei fieri, ut hoc pane angelico per desertum hujus sæculi ad terram viventium perveniant. Eumdem panem manducat homo et angelus. Sed homo adhuc in medicina, angelus jam in deliciis. Solet autem quæri de sacramento utrum Dominus corpus suum mortale dederit discipulis suis ante passionem, an immortale, quod magis credimus, et quomodo tunc potuit dare corpus immortale cum esset ipse adhuc mortalis? Hic quæri potest quomodo de Virgine nasci potuit, et quomodo nunc corpus ejus totum in diversis locis simul esse possit, et quomodo panis et vinum in corpus et sanguinem transeat non per unionem, sed per transmutationem, et multa hujusmodi quæ in hoc sacramento mira videntur. Est enim secretum hoc sacramentum et miraculis plenum et mysterium inscrutabile. Unde quia, dum de eo tractamus, supra nos rimamur, ad id quod residuum est vicina domus advocetur. Quod si nec ipsa suffecerit, igne quod remanet comburatur, hoc est Spiritui sancto tradatur, qui omnia subtiliter et plene intuetur, qui ubi vult et quantum vult spirat et erudit. Nunc autem ad hoc redeamus quod sacerdos, ut supra diximus, offert dona ad sacrificandum, panem scilicet et vinum, sed et vino superadditur aqua. Hoc forsitan miraris, sed et hoc magnum est sacramentum. Unde labilis homo est mortalis, hæc misto vino significat hominem Christo unitum cum sanguine Christi. Qui separat aquam negat unionem Christi et Ecclesiæ. Rursus hæc ideo conjungi debent, quia nihil prodest fons baptismi sine sanguine Christi, nec sanguis sine baptismo; utrumque de latere Christi manavit. Qui unum demit non imitatur mysterium passionis. Sacerdos tantum incœpturus sacramentum orat ut oratio omnium sibi auxilietur. Unde et Ecclesia pro eo orat dicens: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I). Vel illud: *Mittat tibi Dominus auxilium de sancto, et de Sion tueatur te* (*Psal.* XIX). Vel: *Sit memor omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat* (*ibid.*); vel aliquid hujusmodi. Post hoc sacerdos secreto orans significat secretas preces Christi dicentis: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI).

Post preces sacerdos salutat populum sublimi voce, et monet sursum habere corda et gratias agere Patri per Christum, et agendas asserit esse per ipsum sub quo tremit omnis potestas. Tandem sacrat dona sacranda. Nota singula. Hæc omnia Christus egit. Post preces venit ad discipulos dicens: *Vigilate et orate* (*ibid.*). Deinde dicit: *Dormite jam et requiescite* (*ibid.*). Post hæc oblatus est. Dum jussit vigilare, salutavit, quia salus adest vigilantibus. Dum dixit: *Orate*, monuit sursum corda habere, quia non sunt oranda nisi quæ sursum sunt. Dum vocat ad requiem dicens: *Dormite*, monet gratias agere. Qui enim requiescit a malo, gratus Deo efficitur; quod est gratias ei agere. Et ut digne Deo gratiæ reddantur, id est, ut vita nostra consonet supernis civibus, orat sacerdos preces nostras adjungi vocibus angelorum, qui per Christum majestatem Patris laudant, adorant atque concelebrant, et tremunt, et quos tanto mysterio missæ certum est adesse, ubi ima adjunguntur supernis et homo Deo sociatur. Dehinc statim chorus gratus de perceptis et de percipientis donis hymnum cantat angelicum, quem cœlestis militia clamare non cessat. In quo, ut in libro Isaiæ reperitur (*Isa.* VI), chorus triplicat *Sanctus* propter personarum Trinitatem, et semel dicit *Dominus sabaoth*, propter divinæ usiæ, id est, substantiæ unitatem. Gratias agit Creatori de beneficiis, cum dicit: *Pleni sunt cœli et terra gloria tua*. De beneficiis specialiter redemptionis, dum cantat, *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Hic vexillum crucis imprimitur quia Christus per crucem triumphavit, et nos triumphare facit. Chorus iterat *Hosanna in excelsis*, ut salvemur corpore et anima inter angelos. Post hæc sacerdos Secretum incipit. Hoc a quibusdam missa vocatur quia in primitiva Ecclesia catechumeni solebant interesse celebrationi missæ usque ad consecrationem, et tunc clamabat diaconus dicens: *Catechumeni exeant foras*. Et quia tunc mittebantur foras, hoc mysterium missa vocabatur. Secretum autem ideo appellabatur quia secreta voce peragitur. In primitiva autem Ecclesia alta voce proferebatur, donec pastores memoriter ex quotidiano usu verba retinentes, in campis eadem cantabant. Sed ipsi divina vindicta ibidem percussi sunt. Unde Ecclesia consuevit propter reverentiam tantum mysterium secreto agere. Secretum etiam dicitur, quia humana ratio nequaquam plenarie tantum mysterium capere potest. Ad quod significandum merito secreta voce celebratur. De hoc tanto et tam secreto officio summam breviter tangamus.

Sacerdos igitur Secretum missæ celebrans repræsentat ea quæ olim pontifex egit, quæ illæ præfiguravit. Nunc ergo considerandum est quod templum Dei olim divisum erat in duas partes, velo interposito; priorem autem partem illi vocabant sancta, interiora vero sancta sanctorum. Quidquid ergo in officio missæ agitur ante Secretum, quasi in æde priore est. Quod autem in Secreto agitur, intra sancta sanctorum. Erat

igitur intra sancta sanctorum, ut canones testantur, ara incensi et arca testamenti, et tabula supra arcam, et supra tabulam duo cherubim gloriæ mutuo vultu sese respicientia. Hunc intrabat solus pontifex semel in anno, habens nomina Patrum in rationali et superhumerali scripta ferens sanguinem et carbones; quos cum thymiamate in thuribulo orans ponebat, donec fumus obumbraret eum. Deinde aspergebat tabulam et arcam sanguine, post exibat ad populum et lavabat vestes, nec vocabatur mundus ante vesperam. Hæc signa fuerunt, et recesserunt postquam venerunt significata. Prior ædes præsentem Ecclesiam mysticat; sancta sanctorum, cœlum; pontifex, Christum; sanguis, passionem; carbones, charitatem Christi; thuribulum, carnem ipsius Christi; thus crematum, preces odoriferas; ora, cohortes cœli; arca, Christum secundum humanitatem; tabula super arcam, Deum Patrem; duo cherubim, duo testamenta: quæ adinvicem respiciunt sese, quia concordant. Vestis quæ lavatur, hominem significat; vespera, finem luminis. Confer ergo quæ olim fiebant et quæ Christus egit, et respice quomodo minister Ecclesiæ illa repræsentat et hæc peragit.

Te igitur usque *in primis*. Pontifex olim intrabat sancta sanctorum cum sanguine semel in anno; et *Christus, per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa* (*Hebr.* IX). Sic minister Ecclesiæ intrat cum sanguine in sancta sanctorum, quoties in mente memoriam sanguinis Christi gerens, hic incipit mysterium; qui non solum mente, sed crucis signaculo passionem Christi retractat, dum primo versu crucis signum apponit. Et nota quod triplici nomine appellat: dona, munera, sacrificia. Ideo dona, quia Deus ea donavit, ut homo inde sustentetur; munera, quia inde homo munerat auctorem; sacrificia, quia ea sacrificantur. His etiam tribus nominibus pulchre innuitur complutum esse in hoc sacrificio quod olim triplex apponebat hostia legis.

In primis usque *Communicantes*. Regalis pontifex, ingrediens sancta sanctorum, orabat, et Christus ante passionem suam oravit se glorificari, discipulosque conservari. Nunc etiam sedens ad dexteram Patris, interpellat pro nobis. Sic noster minister, sequens Aaron et Christum, pro tota supplicat Ecclesia, deinde pro prælatis et subditis.

Communicantes usque *Hanc igitur*. Pontifex, ut lex jubebat, thuribulum aureum plenum vivis carbonibus intra sancta sanctorum secum portabat, et Christus carnis suæ thuribulum omni virtute plenum tulit ad astra. Item sacerdos legalis portabat nomina Patrum scripta in rationali et superhumerali, et Christus novit mente et actu nomina sanctorum. Nec sufficit sacerdoti tantum verbis commemorare, nisi ipse sanctos repræsentet intus in amore et foris in moribus, ut intus calens sit amore et extra coruscans moribus: quod significant logion et superhumerale.

Hanc igitur usque *Supplices*. Pontifex legalis orans fumo thymiamatis obumbrabatur et tegebatur, ne pateret alicui dum cremaret incensum; et Christus, dum Patrem interpellat pro nobis, angelorum transit intuitum, quia intelligi non potest quantum præsentia sumptæ carnis impetret apud Deum Patrem pro nobis. Item sacerdos, dum vicem Christi gerit, quodammodo tegitur et latet, quia nec cogitari nec enarrari potest quanta virtus et potentia sit in verbis in hoc mysterio, quia latet homines et angelos quomodo verba et mystica signa crucis provehant dona oblata. Dum enim rogat Dominum ut placatus oblationem accipiat et quibusdam aliis interpositis rogat, ut dignetur facere oblationem *benedictam*, hoc est ut promoveat in melius *ascriptam*, hoc est sibi propriam, *ratam*, hoc est ut sufficiens sit ad salutem, *rationabilem et acceptabilem*, hoc est ut ipse recte dividat et Dominum placare possit, rogat. Et hoc totum confertur in illis verbis Domini in cœna prolatis, quæ sacerdos subjungit. Sed ea dicturus sic prius incipit: *Qui pridie quam pateretur*. In his verbis sumit ab altari panem adhuc communem, et elevatum benedicit et signum crucis imprimit, et priusquam deponat repræsentat verba Domini dum dicit: *Benedixit et fregit*, et quæ sequuntur. Postea tollit calicem et signat, et repræsentat verba Domini dicens: *Et dedit discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex hoc omnes*. Hic fit illud insigne miraculum. In his verbis cibus carnis fit cibus animæ. Per hæc verba et per crucis signaculum novatur natura, et panis fit caro, et vinum sanguis. Unde merito cum venitur ad hæc verba in quibus tanta gratia datur, sacerdos tollit alte utrumque, significans hunc cibum et hunc potum excellentiorem cæteris.

Supplices te rogamus usque *Oremus. Præceptis*. Pontifex, ut lex jubebat, aspergebat et aram et exterius sacrum sanguine pacifico; et Christus, toties aspergit Patrem sanguine, quoties eum placat per carnem assumptam. Aram aspergit quandiu numerum restaurat angelorum. Exterius sacrum aspergit, dum homines signat, et Patri reconciliat quæ in terris sunt. Sacerdos eosdem aspergit, quia per hoc sacrificium placat Deum et impetrat veniam, et sic aspergit super nos. Nam, cum nos emundat, numerum augmentat supernorum civium. Dum autem nominat sublime altare, commemorat sancta sanctorum. Dumque nominibus suis recenset sanctos, gerit nomina Patrum. Sed ut habeat utrumque, scilicet logion et superhumerale, bis recenset nomina. Hoc juxta principium Canonis et in hac parte tropologice fert logion pectus et superhumerale quod humeros tegebat, dum mores rationabiles imitatur et opera. Deinde dicit quod *Deus per Christum hæc omnia creat, sanctificat, vivificat*,

benedicit. Per Verbum enim Pater naturam rerum creavit, et per eumdem Christum mirificat, ut cibus et potus communis fiat cibus et potus singularis. Per Verbum utrumque significat, dum tantum rebus confert gratiam, ut homo qui percipit sanctificetur, *vivificat*, ut qui digne sumit vivificetur, *benedicit*, ut qui participat æternam accipiat benedictionem.

Oremus. Præceptis salutaribus moniti. Pontifex legalis, regressus ad populum, lavabat vestes, et immundus tamen erat usque ad vesperam. Sic Christus qui intravit sancta sanctorum, redit ad Ecclesiam compatiendo et auxiliando, et lavat vestes suas, id est sanctos mundificat, et tamen usque ad finem sæculi membris ejus aliquæ adhærent maculæ. Sacerdos etiam redit ad populum; qui dum rursus alta voce preces multiplicat, foras exire videtur, qui precibus velut aquis vestimenta sua, id est populum, lavat et mundat, et tamen immundus judicatur, quia usque ad mortem quod lavetur erit in omni homine, et in luna est macula. Oraturus ergo monet orare, docens quod fiducialiter orare possumus ut filii patrem, quod ipse Dominus ad orandum sic informavit, dicens: *Pater noster* (*Matth.* VI). Septem ergo petitiones in Dominica Oratione ponuntur, ut septem dona mereamur Spiritus sancti, quibus recipiamus septem virtutes, per quas a septem vitiis liberati ad septem perveniamus beatitudines. Septem enim sunt vitia principalia, quæ sunt origo omnium malorum, scilicet superbia, invidia, ira, tristitia, avaritia, gula, luxuria; quorum tria exspoliant hominem, quartum exspoliatum flagellat, quintum flagellatum ejicit, sextum ejectum seducit, septimum seductum conculcat. Superbia enim aufert homini Deum, invidia proximum, ira seipsum. Exspoliatus vero his, qui nec de suo bono, nec de alieno pie lætari velit, cum nihil supersit onde gaudeat, per tristitiam flagellatur. Cui avaritia succedit, quæ flagellatum ejicit, quia interno amisso gaudio, foris consolationem quærere compellitur. Postea accedit gula, quæ animum caterinribus hiulantem ad excessum illicit. Sequitur luxuria, quæ illectum et seductum servituti violenter subjicit. Per superbiam ergo cor inflatur, per invidiam arescit, per iram crepat, per tristitiam conteritur, et quasi in pulverem redigitur. Per avaritiam dispergitur, per gulam inficitur et quasi humectatur, per luxuriam conculcatur et in lutum redigitur, ut dicere possit infelix homo: *Infixus sum in limo profundi* (*Psal.* LXVIII), qui ut lutum platearum delebitur. Punitur itaque prima petitio contra superbiam, quando dicitur: *Sanctificetur nomen tuum*, ut det nobis timere et venerari nomen suum, quatenus per humilitatem ad Deum redeamus, qui per superbiam recessimus. Huic petitioni datur donum quod dicitur spiritus timoris Domini, per quem ad humilitatem venitur, quæ superbiam sanat, ut regnum cœlorum quod superbus perdidit, humilis acquirat. Unde in Evangelio: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V).

Secunda petitio est contra invidiam. *Adveniat regnum tuum.* Regnum Dei salus est hominum. Qui ergo sic petit, communem salutem omnium postulat, et sic invidiam reprobat. Huic datur spiritus pietatis, accendens cor ad benignitatem quatenus ad eamdem possessionem terræ viventium perveniat ad quam alios pervenire desiderat, juxta illud: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V). Tertia est contra iram, cum dicitur: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Non enim vult contendere qui sic petit, sed placere sibi judicat quidquid divinæ placet voluntati. Huic datur spiritus scientiæ, ut ipse ad cor veniens erudiat illud et salubriter compungat, ut sciat homo malum quod patitur, ex culpa; si quid autem boni habuerit, ex misericordia Dei procedere. Per compunctionem, igitur, ira et indignatio animi mitigatur, et per hanc virtutem, id est compunctionem venitur ad veram lætitiam, juxta illud quod dicitur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). Quarta petitio contra tristitiam est, qua dicitur: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Tristitia est tædium animi cum mœrore; cum mens amaricata interna bona non appetit. Propterea languenti animæ necessaria est interna refectio. Dat ergo Deus ei spiritum fortitudinis qui animum erigat, quatenus ad desiderium æternæ refectionis convalescat. Hoc igitur donum fortitudinis accendit cor hominis ad famem justitiæ, quæ ducit ad plenam beatitudinis saturitatem et satietatem. Unde dicitur: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*ibid.*). Quinta petitio est contra avaritiam: *Dimitte nobis debita nostra.* Huic petitioni datur spiritus consilii qui docent libenter misereri, ut misericordiam consequamur, juxta illud: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*ibid.*). Sexta petitio est contra gulam de qua dicitur: *Et ne nos inducas in tentationem.* Huic datur spiritus intelligentiæ, ut interna refectio verbi Dei exteriorem appetitum cohibeat; nec corporalis egestas frangere, nec carnis illecebra hominem superare possit. Propterea ipse Dominus tentatori dum sibi esurienti fraudulentam suggestionem de exteriori pane proponeret respondit, dicens: *Non in solo pane vivit homo* (*Matth.* IV). Ut aperte demonstraret quod cum mens interiori pane reficitur, parum curat si foris gulam ad tempus famem carnis patitur. Datur ergo contra spiritus intelligentiæ ut ille ad cor veniens horridas nostræ mentis purget tenebras, et nostri oculum interioris hominis adeo luminosum efficiat et serenum, ut ad ipsius divinitatis claritatem contemplandum perspicax et mundus inveniatur. Ex spiritu enim intelligentiæ munditia cordis nascitur. Munditia vero cordis visionem promeretur sicut scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.*

v). Septima petitio est contra luxuriam, cum dicimus: *Libera nos a malo.* Convenienter servus sanatus libertatem petit cui datur spiritus sapientiæ, qui captivo amissam restituat libertatem. Sapientia namque a sapore dicitur. Hæc datur cum mens, gustu internæ dulcedinis tacta, totam se per desiderium colligit intus, nec jam foris per carnis voluptatem dissolvitur, quia totum intus possidet in quo delectatur. Igitur contra exteriorem voluptatem interior dulcedo opponitur, ut quanto plus illa sapere et placere cœperit, tanto liberius et libentius ista contemnatur et tandem in semetipsa pacifica mens, dum nihil foris appetit, tota per amorem intus requiescat. Sic spiritus sapientiæ, cor tangens dulcedine sua, foris concupiscentiæ ardorem temperat, et intus pacem constituit, ut dum mens tota ad internum gaudium colligitur, plene ac perfecte homo ad imaginem Dei reformeretur, juxta illud: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*ibid.*). De hinc rogat minister a malo liberari interventu sanctorum, et pacem in diebus nostris. Nocet enim infirmis perturbatio.

Sequitur mystica fractio panis. In lege enim jubebatur similago frustatim offerri, et Redemptor benedixit panem et fregit, fractumque discipulis distribuit. Sacerdos quoque sequens legem et Christum, panem sacrosanctum partitur in tres partes, quarum una in sanguine ponitur pro illa parte Ecclesiæ, quæ adhuc peregrinatur, passionibus exposita. Aliæ duæ illis adaptantur partibus Ecclesiæ, quarum una extra vitam in igne emundatur, et altera cum Christo jam gloriatur, ut una pars Ecclesiæ justificetur, et altera citius liberetur, et pro tertia gratiæ solvantur. Sumpturus autem minister Agnum quem lex prænuntiavit, petit sibi et populo tria. Primum inter eos numerari quos pudet secundum carnem vivere, deinde in regno Dei glorificari, postremo quia caro resistit spiritui, postulat pacem sine qua nullus justificatur homo. Unde bene chorus consequenter alta voce *Agnus Dei* concinit tertio, ad laudem sanctæ Trinitatis, quæ Agnum Dominatorem terræ misit. Communio quæ post cantatur, innuit omnes fideles corpori Christi communicare, quod pro omnibus minister assumit sacramentaliter, ut sibi et omnibus sumatur spiritualiter. His completis sacerdos redit ad dexteram partem altaris, significans quod in fine mundi Christus rediturus est ad Judæos, quos jam reprobavit, donec plenitudo gentium intraret. Tunc enim reliquiæ Israel secundum Scripturas salvæ fient. Sequitur tandem oratio in fine totius officii ut gratia quæ prævenit subsequatur per Christum, per quem omnia facta sunt, qui, Dominus omnium per creationem, factus est spiritualiter noster Dominus, assumpta humanitatis nostræ natura. Deinde, salutato populo, admonet ire. Non est enim sedendum vel jacendum in hoc exsilio, sed hinc transeundum est ad patriam: quia missa *digna* est *hostia, per quam fracta sunt tartara.*

Cap. VIII. *De occultis scripturarum Veteris et Novi Testamenti.*

Nunc ergo ad occulta veniamus Scripturarum, etiam quia mystico sensu sigillantur. Occultæ sunt, et fons sunt signatus aliæ, quia de occultis tractant, et de iis quæ humanum excedunt intellectum, ut est mysterium summæ Trinitatis et Verbi incarnati, aut corporis et sanguinis Domini. Aliæ vero occultæ sunt, quia de quibusdam tractant, quæ licet ex se facilia sint, tamen pro brevitate vel difficultate dicendi, minus patent intellectui. Unde homo qui veri cognoscendi desiderio carere non potest, crebris movetur quæstionibus. Sicut enim oculus lumen appetit, ita anima verum videre ut bonum proprium desiderat quod cognoscere et amare eam facit felicem. Sed fallitur dum quærit cognoscere verum aliquod cujus cognitio non facit beatum, nec adesse beatum conducit. Sunt enim diversa genera veri, ut est verum curiositatis, cupiditatis, et iniquitatis, quorum nullum bonum est. Est autem quoddam genus veri, ut in cognitione omnium artium liberalium, quod quidem bonum est, nec tamen summum bonum est, quia ejus notitia nequaquam facit beatum. Hujus autem veri vere boni cognitionem habendam sacra ministrat Scriptura; quæ docet hominem scipsum cognoscere et Creatorem suum. Se cognoscere præcedit et via est; Creatorem autem perfecte cognoscere, patria est: unum meritum, alterum præmium. Omnis igitur sacra Scriptura in duobus constat Testamentis. Utrumque tribus ordinibus distinguitur. Vetus continet legem et prophetas et agiographos. In primo ordine quinque sunt volumina: Pentateuchi, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. In ordine prophetarum octo sunt volumina: liber Josue, liber Judicum, liber Samuelis, qui est primus et secundus Regum; quartus Malachim, qui interpretatur *Regum*, qui dicitur tertius et quartus secundum computationem Latinorum; quintus Isaias, sextus Jeremias, septimus Ezechiel, octavus liber duodecim prophetarum, qui dicitur Thareasra. Hi prophetici dicuntur eo quod eorum sint qui ex officio prophetæ dicebantur, licet non omnes prophetæ sint. In ordine hagiographorum novem sunt volumina, liber Job, liber Psalmorum, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica canticorum, Daniel, Paralipomenon, Esdras, Esther. Sunt præterea in Veteri Testamento alii libri qui leguntur, sed in canone autoritatis non scribuntur ut liber Tobiæ, et Judith, et Machabæorum, et qui inscribuntur Sapientia Salomonis, et Ecclesiasticus.

Novum autem continet evangelistas, apostolos, Patres. Evangelium quatuor continet volumina; Scriptura apostolorum quatuor, id est Epistolas Pauli, Epistolas canonicas, Apocalypsim, Actus apostolorum. Scriptura vero Patrum non habet numerum definitum.

Est autem considerandum quod Scriptura sacra cæteris profundior triplicem habet sensum, historialem, allegoricum, moralem; non enim tantum in ea

voces, sed etiam res significare habent. Per vocum significationem, historialem; per rerum autem significationem intelligimus allegoriam et tropologiam. Historia est significatio vocum ad res. Allegoria est quando per factum intelligitur aliud factum. Si visibile, simplex allegoria est, si invisibile et cœleste anagogo dicitur. Tropologia est quando perfectum ostenditur aliud faciendum. Historia dicitur a Græco ἱστορία, id est video, inquiro, quia historiographorum est res gestas secundum primam significationem vocum exponere. Allegoria quasi alieni loquium dicitur, quando non per voces, sed per rem factam alia res intelligitur, ut per transitum maris Rubri transitus intelligitur per baptismum ad paradisum. Tropologia dicitur conversiva locutio, dum quod dicitur ad mores ædificandos convertitur, ut sunt moralia. Anagoge vero dicitur sursum ductio. Unde anagogicus sensus dicitur qui a visibilibus ducit ad invisibilia. Ut lux prima die facta, rem invisibilem, id est angelicam significat naturam in principio factam. Non tamen ubique tam multiplex sensus invenitur quia quandoque solus historialis, quandoque etiam allegoricus, vel tropologicus, vel uterque habetur, nonnunquam, licet raro, anagogicus admiscetur, ut Jerusalem intelligitur historialiter civitas terrena, allegorice Ecclesia, tropologice anima fidelis, anagogice cœlestis patria. Igitur sacra Scriptura cæteris in hic sensibus superabundat. In libris autem Ethnicorum voces tantum mediantibus intellectibus res significant. In divina pagina non solum intellectus et res significant, sed ipsæ res alias res significant. Unde claret scientiam artium ad cognitionem divinarum Scripturarum valde esse utilem. In hoc enim quod in divina pagina tam rerum quam vocum necessaria est significatio artes ei subserviunt dum trivium vocum, quadrivium physicarum rerum administrat notitiam. Significatio tamen rerum dignior est, quia allegoricus sensus acutior, tropologicus suavior est. Item voces ex humana, res ex divina institutione significant. Sicut enim homo per voces alteri, sic Deus per creaturas voluntatem suam indicat. Est enim rerum significatio profundior quam vocum, quia voces aut univoce unum, aut æquivoce plura significant. Sed æquivoce pauca, prout ab homine facta est institutio, significant. Res vero multo aliter quia tot figuras quot naturas, et quot habent proprietates, tot significationum habent diversitates. Res autem omnis aut secundum exteriorem formam significat, ut nix per albedinem; aut secundum interiorem naturam juxta illud: *Capilli tui sicut grex caprarum* (*Cant.* IV, VI): propter subtilitatem videndi. Patet igitur quam sit necessaria artium scientia. Mathematica enim de exterioribus formis, physica de interioribus docet naturis, et theorica. Ut autem breviter utilitatem artium tangamus, dicimus quod philosophia dividitur in tres partes vel species, logicam, ethicam, theoricam. Logica de vocibus, ethica de moribus, theorica de rebus tractat. Item theorica subdividitur in mathematicam, physicam, theologiam. Mathematica de invisibilibus formis rerum visibilium agit, physica de invisibilibus naturis rerum visibilium, theologia de invisibilibus essentiis et earumdem naturis. Sic ergo per artes juvamur in divina pagina ubi vocum significationem attendimus propter litteralem sensum, et rerum significationem consideramus ut capiamus mysticum intellectum per formam visibilem ubi juvat mathematica, aut secundum naturam invisibilem ubi physica et theologia serviunt.

CAP. IX. *De materia divinæ Scripturæ.*

Est autem materia divinæ Scripturæ specialiter opus restaurationis, id est incarnatio Verbi cum omnibus sacramentis suis, sicut opus creationis materis est physicorum gentilium; sed differunt, quia hoc in sex diebus, et illud in sex perficitur ætatibus. Dividitur autem hæc materia in rem interiorem et speciem exteriorem. Res interior in veritatem et virtutem; exterior species in signum veritatis, et in signum virtutis. Cum enim auris interior obsurduerat, foris locutus est homini Deus per signa. Signum autem veritatis aliud in operatione, ut cum res tropologice significat; aliud in voce, ut *Diliges Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI). Per signum veritatis fides, per signum virtutis moralitas docetur. Res ergo interior veritas vel virtus dicitur, res exterior signum. Ut in sacramento Verbi incarnati duo inveniuntur, humanitas et divinitas: et in sacramento corporis Domini, species exterior signum est, res interior veritas et virtus, id est corpus Domini et gratia quam soli boni percipiunt. Itidem autem res et signum hic invenitur. Omnis ergo materia divinæ paginæ aut res aut signum est. Res hic dicuntur quæ non habent significare signa quæ habent. Quorum quædam justificant, quædam non. Item rerum aliæ sunt quibus fruendum est, ut summum bonum; aliæ quibus utendum, quibus adjuvamur; aliæ quibus fruuntur et utuntur ut homines et angeli. Frui autem est amare aliquid propter ipsum, ut in eo finem ponas. Uti est quod in usum venerit referre ad habendum id quod fruendum est, licet frui et uti frequenter aliter et improprie accipiantur. Virtutibus igitur non fruimur sed utimur, licet enim ipsæ sint amandæ et petendæ, tamen non propter se tantum, sed propter solum Deum finaliter; quo hic fruuntur sancti in spe, et aliquando in re, quia jam quodammodo habent quo plene et perfecte fruentur in futuro. Utendum est virtutibus ergo et per eas fruendum summa Trinitate, id est summo et incommutabili bono. Idem de bona voluntate dicimus. Unde Augustinus: *Voluntas est per quam fruimur.* Per virtutes ergo fruimur, non eis; nisi forte aliqua virtus sit Deus, ut charitas. Utitur autem Deus nobis, non ut nos aliis rebus. Miseretur enim nobis, non ad suam utilitatem; nos vero miseremur aliis ad nostram utilitatem.

Cum vero, ut dictum est, omnis materia sacræ Scripturæ aut res sit aut signum, quia de occultis intendimus, de re interiori prius dicamus. Et pri-

mum de illa quæ Veritas dicitur, nec a qualibet sed a summa veritate ipsa juvante incipiamus, a monte umbroso et condenso, qui vocibus significatur cum dicitur : Deus est unus vel trinus. Nec solæ voces hanc significant Trinitatem, sed res quoque, ut quando Abraham in figura summæ Trinitatis tres angelos vidit et unum adoravit. In baptismo quoque Christi et transfiguratione ostensa est Trinitas cujus imaginem anima quodam modo repræsentat; cui Deus se manifestavit per naturam et gratiam. Per naturam, id est per rationem et creaturam; per gratiam, id est per inspirationem et doctrinam. Per inspirationem intus juvat rationem, per doctrinam foris creaturam. Hos quatuor modos Apostolus breviter comprehendit dicens : *Quod notum est Dei, manifestum est in illis*(*Rom.* I). Nunc autem videmus quantum ratio per se valuit. Ratio invenit Deum esse, et unum esse et trinum. Considerans enim non semper se fuisse, intelligit se esse ab alio; quod ne in infinitum procedat, probat id nunquam cœpisse, et sic cognoscit Deum esse. Item considerans quod si plures essent, vel singularitas imperfecta, vel pluralitas superflua esset, probat unum esse, non unum collectione vel compositione aut similitudine, sed essentia, quia caret partibus, et identitate, quia non variatur, et ideo vere et summe una est essentialiter. Spiritus autem creatus vere, sed non summe, unus est essentialiter, non invariabiliter ut Deus.

Nunc autem qualiter anima rationalis deprehendit Deum esse trinum videamus. Augustinus, in libro De Trinitate, trinitatem quamdam in omni re demonstrat, ut facilius per trinitates creaturarum ad trinitatem Creatoris ascendat. Sed quia hoc longum est, recurramus ad eximium simulacrum, id est ad mentem quæ est imago Dei, et sicut per illam Deum esse et unum esse cognovimus, ita per eamdem trinum esse intelligamus. Anima igitur in se reperit quamdam trinitatem, scilicet memoriam, intelligentiam, delectationem vel gaudium, aut si dicamus naturalem vim intelligendi quæ mens appellatur, ex qua nascitur notitia, et ex his procedit amor. Hæc tria idem sunt in essentia, scilicet secundum proprietates differunt. Tria quoque ad se invicem referuntur, nec tamen sunt accidentia, scilicet substantialiter in anima, et unum in essentia, quia una vita, una mens, una essentia et quidquid ad seipsa singula dicuntur, etiam simul non pluraliter, sed singulariter dicuntur, et inseparabilia et æqualia sibi sunt, quia a singulis capiuntur omnia et tota. Ex hoc enim sensu hæc tria unum dicuntur, quia, secundum Augustinum, substantialiter existunt in anima, non tanquam in subjecto, ut color in corpore, quia etsi relative dicuntur singula, tamen substantialiter sunt in sua substantia. Mens se cognoscens, notitiam tanquam prolem gignit. Tertius est amor, qui ab ipsis procedens utrinsque complexio est. Anima autem ex hoc quod reperit in se, investigat supra se et invenit in Deo potentiam, sapientiam, gaudium, sed differenter. In anima enim sic sunt, quod tempore mens præcedit, ex qua est intellectus; sequitur gaudium. In Deo simul, quia ab æterno. Sic ratio per se invenit Deum esse et unum esse et trinum esse. Sed quia debilis est nisi juvetur, idcirco consuluit creaturam utrum aliquod vestigium Trinitatis in ea reperiret : et ideo per eam cognovit quod in se sentiebat. Per transitum enim rerum cognovit Deum esse, quia qui transit ab alio habet initium. Per statum rerum intellexit unum esse, quia ordinatæ res sibi proveniunt, ut summa infimis et prima postremis concordent. Itaque per unicam concordiam non dubitat unum esse artificem. Trinum quoque cognovit, quia per immensitatem rerum divinam investigavit potentiam; per pulchritudinem, sapientiam; per utilitatem, benignitatem. Sed licet contestentur idem ratio et creatura, hoc tamen interest quod tria quæ in mente reperiuntur, tantum signa sunt et imago Trinitatis, quæ in Deo est. Tria vero quæ foris in creaturis conspiciuntur, tantum signa sunt, sed non imago. Licet enim per immensitatem creaturæ investigaretur potentia Dei, non tamen immensitas est potentia, vel pulchritudo sapientia, vel utilitas benignitas.

Quæ vero in anima sunt etiam imago sunt, quia sicut in mente est potentia, ita in Deo potentia est, sed nimis incomparabiliter, cujus in mente est potentia imago. Item sapientia vel gaudium in mente, imago est sapientiæ vel gaudii quæ in Deo sunt, sed hæc verius in Deo. Quæ enim in Deo in veritate sunt, hic in imagine comparent. Nec tantum per testimonium creaturæ juvatur judicium rationis, sed etiam per doctrinam et inspirationem. Cum autem ratio invenisset, ut dictum est, Deum esse, et unum esse et trinum, in unitate etiam invenit æternitatem et immensitatem, in æternitate immutabilitatem, in immensitate simplicitatem, hoc est æternitatem sine tempore, immensitatem sine quantitate. Æternitatem dico sine tempore, quia initium non habuit. Illud enim a quo omnia esse habent, a nullo esse habet, nec habiturum est finem, quia idem est ei esse et idem quod est, nec ullam recipit mutabilitatem. Nullo enim genere mutabilitatis potest mutari. Nec enim loco vel forma vel tempore mutari potest; quibus modis corpora mutantur. Mutatur enim corpus secundum locum, quando totum de loco ad locum transfertur; secundum formam, id est dispositionem partium, tribus modis cum aliqua pars additur vel aufertur ut aliter sit. Quando et cum aliquis rubet vel pallet, transfertur sanguis, et est mutatio secundum formam. Secundum vero tempus, quando res est prius uno modo, postea alio. Cum ergo corpora tribus modis mutentur, secundum formam, secundum locum, secundum tempus, primus infert secundum et tertium, secundus tertium tantum, tertius infertur ab utroque et infert neutrum. Incorporalia quoque tribus modis moventur, cognitione, affectu et tempore. Cognitione tribus modis, per augmentum, per diminutio-

nem, et per successionem. Affectu mutatur spiritus, cum modo tristis sit modo lætus. Sed sive mutetur cognitione sive affectu, necesse est ut mutatio secundum tempus commutetur. Semper enim aliquid sibi prius et aliquid posterius est. Singulæ autem harum mutationum removentur a Deo quia nec loco movetur, quia ubique est; nec forma, quia simplex essentia partibus caret; nec cognitione, quia ejus scientia nec crescit, nec minuitur, nec unum prius vel aliud posterius comprehendit. Similiter nec affectu mutatur, quia summe bonus nihil contrarium suæ bonitati recipit. Cum igitur Deus nullo genere istorum quatuor mutetur, nec tempore mutabitur. Quia ergo caret principio, et fine, et mutabilitate, ut dictum est, Deus æternus est.

Reperit quoque ratio in Trinitate communionem unitatis, coævitatem æternitatis, æqualitatem immensitatis. Et communionem quidem unitatis sine divisione, coævitatem æternitatis sine successione, æqualitatem immensitatis sine diminutione. In unitate totum, in immensitate plenum, in æternitate perfectum. Cum autem anima in Deo trinitatem per hoc quod in se sentiebat per creaturas, per doctrinam, per inspirationem invenisset, ut aliquibus certis et discretis vocabulis de Trinitate ageretur, fides tria quasi propria imposuit nomina, eum qui a nullo est appellando Patrem; qui ab illo solo est, Filium; qui ab utroque est, Spiritum sanctum. Quæ vocabula ut quod æternum est significaretur ab humano usu accepta sunt. Sed ne omnimoda inter divina et humana videretur similitudo, adjecit ut Patrem omnipotentem Filium sapientem appellaret, ne putaretur esse ut in aliis. Et qui a nullo est, Pater dicitur, quia ibi erat qui ab illo erat; et ille Filius, cum in substantia et natura idem sit quod ille, non qui ille. Qui ab utroque est Spiritus sanctus, qui ab utroque spiratur. Ut autem ait Augustinus, hoc vocabulum persona, fides reperit Catholica ad discretionem Trinitatis, non ut per id diceretur quid esset, sed ne omnino taceretur quid esset. Per hoc enim vocabulum, ut idem dicit, non diversitatem significare voluit, sed singularitatem noluit. Cum enim fides plurali numero personas confitetur, non per hoc in essentia tres esse intelligit, sed eamdem personam non esse declarat. Et hoc est solum vocabulum quod cum de singulis singulariter dicatur in summa, non tamen singulariter, sed pluraliter pronuntiatur. Pluralitas enim vel distinctio personarum non ponit aliquid sed removet, non unitatem substantiæ sed solitudinem, negat enim solitudinem et singularitatem. Unde Hilarius: *Professio consortii sustulit intelligentiam singularitatis.* Itaque cum dicimus plures personas, tollimus solitudinem et significamus quod Pater non est solus. Cumque tres profitemur personas, prædicamus quod non tantum unus est, nec tantum duæ, sed tres simul. Et tres profitemur, quia quidquid de Deo vere dicitur, ad potentiam ejus, vel sapientiam, vel bonitatem refertur.

Sed quæri potest, cum hæc tria in Deo personæ dicantur, quare illa tria in anima quæ sunt imago hujus Trinitatis, personæ non dicantur. Ad quod dicimus quod, licet sint substantialiter in anima, non tamen omni modo sunt idem cum ea, sed variantur circa eam. Quæ autem in Deo sunt, non variantur, sed vere idem sunt cum Deo in quo sunt, et unumquodque idem quod Deus, et Deus est et unus Deus et tres personæ, quia una divinitas in tribus est. Sed ecce, dum investigatur vera et summa Trinitas in ipsa ejus imagine et similitudine quæ tam pulchra tamque subtilis resplendet, in anima apparent miræ dissimilitudines. Anima enim vel homo qui propter hæc tria imago Dei dicitur, non tamen est hæc tria. Deus autem est tres personæ, et hæ tres personæ unus Deus. Item homo habens hæc tria una est persona. Summa vero Trinitas non est una persona, nec tantum unius personæ, sed tres personæ, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Itemque in anima mens præcedit tempore, sequitur intellectus et gaudium. In Deo nil prius nil posterius. Trinitas ergo mentis qualiscunque imago respectu summæ Trinitatis exigua est, et ex maxima parte illi dissimilis, sed tamen imago. Nec propter hoc tantum dicit Augustinus quia sui meminit mens, et intelligit et diligit se, sed quia potest meminisse et intelligere et amare Deum, a quo facta est. Qui autem reminiscitur per memoriam, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem, hic reperit imaginem, et illum cujus est imago. Verius enim invenit amans quam disputans.

DE CÆREMONIIS, SACRAMENTIS, OFFICIIS ET OBSERVATIONIBUS ECCLESIASTICIS,

AUCTORE, UT VIDETUR,

ROBERTO PAULULO.

PRÆFATIO.

Memini dudum, de ecclesiasticis officiis dum parva quædam ad memoriæ conservationem mihi ipsi scriberem, te, frater amantissime, quaterniunculum meum extra armarioli clausulam incaute derelictum invenisse, ut aliqua quæ tibi placere videbantur legisse. Cum autem postea ejusdem tibi fieri copiam sæpius postulares, negabam, nunc opusculum inexpletum esse asserens, nunc incorrectum; et utrumque vere. Ipsa enim ecclesiastica officia, quibus agendis divina gratia parvitatem nostram deservire voluit, de ecclesiasticis officiis agere non sinebant. Sed ne forte propter dilationum nimiam aliquid aliud suspiceris, partem noctis sopori furatus, feci quod potui. Eaque quæ mihi ipsi dictaveram et quædam alia in Patrum tractatibus inventa moderata brevitate perstrinxi, ut et memoria concludi possint, et tædium lecta non afferant. In quibus si quid laudabile inveneris, meum nullatenus arbitreris. Nihil enim hic meum dixerim, nisi quod in diversis reperta libris, prout potui breviando transcripsi, et quasi paleas amovens grana congregavi. Pauca etiam, sed quæ nihil scrupuli habent, non ingenio meo inventa sed ob ore suscepta magistrorum, quia perutilia videbantur apponere curavi. Verbis communibus et rebus ipsis de quibus agitur cognatis opus explicare congruentius xi, quam schismatum varietatibus involvere, et res per se fulgidas decolorando verba colorare. Sicut enim mulier pulcherrima inde pulchritudinis suæ amittit pretium, unde turpis sibi umbratilem quamdam pulchritudinem in oculis hominum acquirit, sic colorum rhetoricorum cerussa et purpurissa cætera exornantur, quæ autem proprium fulgorem habent, eorumdem super inductione fuscantur. Si quid in hoc opusculo vel insufficienter, vel non recte dictum inspexeris, tu, frater charissime, corrigere non pigriteris, sive cum notula aliquo mihi corrigendum remittere. Titulos capitulorum annotare placuit et numeros, ut quod quæsieris facilius queas invenire

LIBER PRIMUS.

DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ ET DE SACRAMENTIS ECCLESIASTICIS.

INCIPIUNT CAPITULA.

CAP. I. — De trina circuitione episcopi cum aqua benedicta, et de luminaribus interim in ecclesia accensis.

CAP. II. — De trino accessu episcopi ad ostium basilicæ, et percussione superliminaris, et apertione ostii in tertia percussione.

CAP. III. — De scriptura duplicis alphabeti in pavimento.

CAP. IV. — Quid ingressus in basilicam episcopus primum faciat vel dicat.

CAP. V. — De aqua intra basilicam sanctificata et de admistione salis et cineris et vini.

A CAP. VI. — De crucibus factis, et de aqua sanctificata in altari et in cornibus ejus.

CAP. VII. — De septenaria circuitione episcopi circa altare.

CAP. VIII. — De residuo moltæ ad basim altaris.

CAP. IX. — De extersione altaris lineo panno facta.

CAP. X. — De unctione altaris.

CAP. XI. — Quid significent altaris velamina.

CAP. XII — De sacramentis ecclesiasticis quæ et quibus conveniant.

CAP. XIII. — De baptismo et forma ejus et efficacia.

CAP. XIV. — Quare in aqua tantum baptizetur.

CAP. XV. — De responsione patrinorum pro parvulo.

Cap. XVI. — Quid dimittatur in baptismo.
Cap. XVII. — De die scrutinii.
Cap. XVIII. — De antecedentibus ante baptismum.
Cap. XIX. — De trina immersione et unctione chrismatis.
Cap. XX. — De veste alba et communicatione parvulorum.
Cap. XXI. — Quod parvuli in ætate congrua patrinorum promissione teneantur.
Cap. XXII. — De confirmatione.
Cap. XXIII. — De pœnitentia.
Cap. XXIV. — Quare pœnitentia solemnis non iteretur.
Cap. XXV. — Qualiter sacerdos peccata dimittat.
Cap. XXVI. — De injuste excommunicato utrum ligatus sit
Cap. XXVII — De unctione infirmorum.
Cap. XXVIII. — De conjugio.
Cap. XXIX. — De bonis conjugii.
Cap. XXX. — Quid facit conjugium.
Cap. XXXI. Quid impediant conjugium.
Cap. XXXII. — De ordinibus.
Cap. XXXIII. — De ostiariis.
Cap. XXXIV. — De lectoribus.
Cap. XXXV. — De exorcistis.
Cap. XXXVI. — De acolythis.
Cap. XXXVII. — De subdiaconibus.
Cap. XXXVIII. — De diaconibus.
Cap. XXXIX. — De presbyteris.
Cap. XL. — De episcopis.
Cap. XLI. — De archiepiscopis.
Cap. XLII. — De patriarchis et sedibus eorum.
Cap. XLIII. — De summo pontifice.
Cap. XLIV. — Quare episcopi die Dominica consecrentur.
Cap. XLV. — De veste sacerdotali.
Cap. XLVI. — De alba.
Cap. XLVII. — De cingulo.
Cap. XLVIII. — De stola.
Cap. XLIX. — De subcingulo.
Cap. L — De casula.
Cap. LI. — De favone.
Cap. LII. — De veste episcopali.
Cap. LIII. — De dalmatica.
Cap. LIV. — De sandaliis.
Cap. LV. — De mitra.
Cap. LVI. — De chirothecis.
Cap. LVII. — De pallio archiepiscopi.

—

PROLOGUS.

Inter omnes quærentium faciem Dei Jacob occupationes, nil æque memoria pariter et usu dignum arbitror, ut ecclesiastica sacramenta simul et officia. Illa enim de fide et moribus recte considerata docent et instruunt, hæc rerum auctori pro donis quotidianis vectigalia rependunt, ut ampliora promereantur divinæ largitatis beneficia. Propter utraque, quæ de Scripturarum silvis elicere congrua potuimus, in unum colligere studuit parvitas nostra et primo de consecratione ecclesiæ materialis, quæ sacramentorum nostrorum præfert figuram, succinctis agere verbis.

Cap. I. *De dedicatione*

Dedicatio sive consecratio ecclesiarum episcopali dignitati reservata est, sicut et consecratio virginum et ordinatio clericorum. In primis episcopus ad consecrandam accedens ecclesiam aquam benedicit, cui et salem benedictum admiscet. Inde ecclesiam ter gyrando exterius aspergit. In quo et baptismi, et pœnitentiæ comitantis baptismum, figura prætenditur. Sic enim homo cum baptizatur, propter tres personas, quarum muneris est peccatorum remissio, ter in aquam mergitur. Per pœnitentiam autem dimittit Deus quidquid humana perversitas cogitatione, locutione, vel actione committit. Quod bene in aqua et sale figuratur, quia et a sordibus emundat, et a vitiorum putredine mentem conservat. Interim in ecclesia locis duodecim luminaria sunt accensa : quibus significatur ardens et lucens apostolica doctrina, quæ et in ecclesia materiali prædicatur, et in templo non manufacto per Spiritum sanctum accenditur. Sic quoque cum tabernaculum a Moyse Domino jubente constructum fuisset dedicatum, duodecim duces eadem munera obtulerunt, sed diebus diversis (*Num.* VII), hoc significante Spiritu sancto quod apostolica doctrina, quocunque tempore prædicata, in Ecclesia concors esset et indivisa.

Et notandum quod ecclesia, antequam pontifex eam ingrediatur, populi, ignorantis Deum et perfidiæ tenebris inclusi, typum gerit. Quam ter circuit pontifex aqua benedicta admisto sale aspergendo, sicut dictum est, subsequente clero et populo, *quia sicut leo rugiens diabolus circuit, quærens quem devoret* (*I Petr.* V), sic prælatus Ecclesiæ circuire debet quærens quem a faucibus leonis illius eripiat, ad pœnitentiam adducens et baptizans. Unde et Petrus ait : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (*Act.* II).

Cap. II. *De trino accessu episcopi ad ostium basilicæ.*

Ut autem ostendat pontifex sibi concessam potestatem liberandi et utiliter captivandi captivitatem diaboli, sacramenta Ecclesiæ ministrando, de qua dictum est : *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI), ad singulos circuitus accedit ad ostium basilicæ, et superliminare percutit virga pastorali, quæ typum gerit sacerdotalis potestatis, sicut et illa quam Dominus discipulos ad prædicandum mittens in via ferre permisit. Percutiendoque dicit Antiphonam : *Tollite portas, principes, vestras*, etc. Principes populi, per basilicam non consecratam significati, dæmones sunt; portæ, per quas introeunt ad corda hominum, vitia sunt et prava opera. Hæc imperat auferri ut eleventur portæ per quas introitur ad æternitatem, scilicet virtutes, ut introeat Rex gloriæ ad corda hominum ad fidem venientium. Figuram autem populi præfati gerit archidiaconus, qui intus ad admonitionem pontificis quasi admirans interrogat : *Quis est* iste *Rex gloriæ?* Post trinam percussionem ostium aperitur, quia trinitatis potestate pars adversa superatur. Ingrediens episcopus cum clero et populo dicit ter : *Pax huic domui* ; quia Christus per assumptionem carnis mundum ingrediens, parietem inimicitiarum destruxit, et pacem inter cœlestia et terrestria reformavit. Pontifex ergo basilicam intrans, *Pax huic domui* dicit, quia sancti doctores hic intonant ut populus qui a Deo discordaverat per peccata, ei reconcilietur per bonorum operum exercitia. In-

gressus episcopus ecclesiam, primo prostratus orat A cum clero et populo, adimplens quod dicit Apostolus : *Obsecro primum omnium fieri orationes, obsecrationes, postulationes pro omnibus* (*I Tim.* II), etc. Surgens ab oratione nondum salutat populum dicendo *Dominus vobiscum*, sed ad orationem invitat quia novellus populus nondum salutatione pontificis dignus videtur. Magis autem pro eo quod ab eo orandum est, ut postea salutatione dignus habeatur. Inde est quod Dominus prædicatoribus suis præcepit ut neminem in via salutarent, quod est ut hominem adhuc hominem corde, non spiritu, id est adhuc transitoria et non spiritualia appetentem, non demulceant spe vana.

CAP. III. *De scriptura duplicis alphabeti in pavimento.*

His itaque completis, incipit pontifex de sinistro B angulo orientali in dextrum occidentalem pavimenti alphabetum scribere, et de dextro orientali in occidentalem sinistrum. Alphabetum rudimenta doctrinæ ecclesiasticæ significat. Unde græce scribitur et latine, quia hæ duæ linguæ in doctrina Christiana concordant, et uterque populus ad rudimenta fidei vocatus est. Quod autem ab angulo in angulum cancellatis lineis scribitur, duplici figuræ alludit. Quarum prior est ut (quia tali forma crux figuratur) doctrinæ evangelicæ qua simplices imbuendi sunt, mors Christi principaliter inseratur. Unde Paulus Corinthiis adhuc rudibus dicit : *Non judicavi me aliquid scire inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum* (*I Cor.* II). Secunda est, ut quia scriptura alphabeti a sinistro angulo transit ad C dextrum et e diverso, intelligamus per doctrinam evangelicam et crucem factam quod populus dignior factus est indignior, et econtrario. Quod et in benedictione Jacob figuratum est, quando cancellatis manibus dextram posuit super caput junioris filii Joseph, scilicet Ephraim, et sinistram super caput majoris, scilicet Manasse.

CAP. IV. *Quid ingressus basilicam episcopus primo dicat vel faciat.*

Per ea quæ hactenus nostra explicavit oratio, ecclesia dedicanda ad hoc præparata est, ut dedicari possit et debeat, id est consecrari. Pontifex ergo ad altare accedens, et quasi incipiens dicit : *Deus, in adjutorium meum intende* (*Psal.* LXIX) etc., absque D alleluia. Est enim versus ille laborantium in hac vita, et contra hostes visibiles et invisibiles colluctantium, et ideo in suum adjutorium Deum invocantium. Alleluia autem laus angelorum est, ad homines per Joannem in Apocalypsi delata, ubi se perhibet vocem angelorum audisse dicentium *alleluia* (*Apoc.* XIX). Est autem vox lætitiæ spiritualis. Unde in tempore luctus, scilicet a Septuagesima usque ad Pascha, in Ecclesia non cantatur. Pontifex ergo, qui cum subditorum imperitia adhuc certat, et adhuc in figura non fidelem Ecclesiam ad fidem vocat, vel lapsos ad pœnitentiam, adjutorium quidem Dei postulat, sed alleluia pro eis non decantat de quorum salute nondum plene sperat.

CAP. V. *De aqua et sale et cinere commixtis.*

Post hæc benedicitur aqua, cui admiscentur sal et cinis, et ad ultimum vinum. Aqua expiationem significat, quia per aquam coinquinata emundari et ablui solent. Expiatio autem peccatorum recte fit, si adhibeatur sal sapientiæ, qui corruptibilia a corruptione servat. Unde in lege præcipitur : *In omni sacrificio offeres sal; nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio ejus* (*Levit.* II). Quod est : Nihil Deo temere offeras. Illa enim opera placent illi quæ sale sapientiæ sunt condita. Cinis vero significat reliquias, id est memoriam Dominicæ passionis; quam etiam significabat cinis vitulæ aspersus ad expiationem populi, sicut in Deuteronomio legitur. Non est autem expiatio a peccatis sine fide Dominicæ passionis. Vel cinis, qui de carbonibus efficitur exstinctis, mortificationem vitiorum significat et exstinctionem. Vinum spiritualem dulcedinem significat, quia ab ubertate domus Dei mentes sobriæ inebriantur, ad quam per prædicta venitur, sicut promittitur in figura, cum vinum post cætera omnia infunditur. Potest etiam dici quod aqua et vinum duas in Christo significant naturas, quarum fides emundat a peccatis.

CAP. VI. *De crucibus aquæ in altari.*

In hac aqua tingit pontifex pollicem suum, et facit crucem in altari quæ attingit totam ejus longitudinem et latitudinem; deinde facit crucem per quatuor cornua altaris. Altare enim Christi figuram præfert ; quod per quatuor cornua distenditur, quia Christus in membris suis per quatuor mundi cardines dilatatur. *Dilataberis*, inquit, *usque ad orientem, et occidentem, et septemtrionem et meridiem* (*Genes.* XXVIII). Bene autem crux de aqua fit, et in toto et in partibus, ut ostendatur et universam Ecclesiam Christi et singulas Ecclesias per lavacrum aquæ et fidem passionis s peccatorum sordibus esse mundatas.

CAP. VII. *De septenaria circuitione episcopi circa altare.*

Inde circuit altare septem vicibus et aspergit. Quo numero significatur plenitudo Spiritus sancti, id est *spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis et spiritus timoris Domini* (*Isai.* XI). Huic enim spiritui septiformi cedit quidquid contra Deum se erigit. Sicut et in circuitu septimo muri Jericho corruisse legantur. Aspergitur autem aqua hyssopo, quæ est herba humilis, purgans pectus et duritiam saxorum radicibus penetrans. Significat autem humilitatem Christi, qui superbiæ nostræ tumores humiliando se usque ad mortem curavit et duritiam cordium nostrorum suæ humilitatis intuitu emollivit. Deinde circuitu totam ecclesiam intus ter, et aqua parietes aspergit. Quæ aspersio templi non manufacti emundationem significat interiorem quæ quotidie fit per veram pœnitentiam. Sicut enim aspersio aquæ exterior significat baptismi ablutionem, id est illam quæ in baptismo fit peccatorum emundationem, sic interior

eam quæ fit per veram pœnitentiam. Ideo autem ter, quia per pœnitentiam dimittitur quidquid prava locutione, cogitatione, vel opere committitur, sicut supra dictum est. Canitur autem psalmus : *Exsurgat Deus* (*Psal.* LXVII), cum Antiphona, ut viribus destituantur hostes huic emundationi resistentes. Canitur et Antiphona : *Qui habitat in adjutorio Altissimi* (*Psal.* XC), innuens nullum a Deo protegi, nisi eum qui, de suis viribus non præsumens, Dei adjutorium imploraverit. His peractis, pontifex ad orationem se confert, petens ut omnes qui eamdem domum intraverint exauditos se esse gaudeant.

CAP. VIII. *De residuo moltæ seu molæ ad basim altaris condendo.*

Completa oratione, convertit se pontifex ad altare incipiens Antiphonam cum psalmo : *Introibo ad altare Dei* (*Psal.* XLII). Et quod remanet de molta qua condita sunt sanctorum reliquiæ, fundit ad basim altaris, quia quod ipse nequit, humiliter Deo committit, et purgationem scilicet subditorum per aquam intelligunt, et honorificationem sanctorum. Hinc est quod in sacrificiis Veteris Testamenti de sanguine hostiarum digito sacerdotis aspergebatur contra Deum ; vel in cornibus altaris ponebatur juxta sacrificiorum diversitatem, et quod reliquum erat, ad basim altaris fundebatur, quia sacerdotum est quidquid possunt ad utilitatem gregis sibi commissi facere ; quod autem vires suas excedit, Domino devotissime commendare. Quam formam summus Pastor cæteris reliquit, cum passioni appropinquans Patri dixit : *Pater, serva eos quos dedisti mihi* (*Joan.* XVII). Quam Magistri formam secutus Paulus in supremo articulo vitæ præsentis, dicebat discipulis suis : *Et nunc commendo vos Domino, et verbo gratiæ ejus* (*Act.* XX). Hoc autem innuit Antiphona. Dicit enim se introiturum ad altare Dei, videlicet ad illud quod significatur per istud visibile, ad quod non penetrat oculus carnis, sed pura et devota intentio mentis. Et hoc est quod sequitur : *Ad Deum qui lætificat juventutem meam* (*Psal.* XLII).

CAP. IX. *De extersione altaris cum lineo panno.*

Postea altare linteo extergitur. Linum enim de terra ortum, cum magno labore perducitur ad candorem. Ergo quasi linteo altare non manufactum extergimus, quando Christum per angustias passionis intrasse prædicamus in gloriam, et eos qui de corpore ipsius sunt, quod est Ecclesia, ad ejus imitationem invitamus. Deinde offertur incensum, quod significat orationes sanctorum, quia pro eis debent orare prælati, quos ad tolerantiam passionum invitant.

CAP. X. *Quid significetur in unctione altaris.*

His expletis, pontifex crucem facit de chrismate in medio altaris; deinde per quatuor ipsius cornua, sicut prius fecerat de aqua consecrata. Et est ordo congruus, ut post emundationem per aquam et post alia quæ dicta sunt, oleum adhibeatur, quia et sancta Ecclesia prius in aqua mundatur baptismatis, et sic unctione chrismatis insignitur per manus pontificis. In qua unctione datur Spiritus sanctus ad diligendum Deum et proximum, sicut in ea unctione quæ fit in baptismo datur idem Spiritus ad remissionem peccatorum. Ungitur ergo altare et cantatur Antiphona : *Unxit te Dominus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV). Ut in hac unctione intelligamus gratiæ plenitudinem quæ præcessit in capite, et misso Spiritu sancto die Pentecostes refulsit in apostolis. *De* qua etiam *plenitudine*, teste Joanne, *omnes accepimus* (*Joan.* I). Unde consecrato altari cruces undique chrismantur in parietibus.

CAP. XI. *Quid sit quod altare velaminibus albis cooperitur?*

Peracta denique consecratione, altare velaminibus albis cooperitur, quibus et sacramentum novitatis intelligitur in baptizatis, et prænuntiatur gloria futuræ incorruptionis, quæ erit in dedicatione illa gloriosa quæ jam completa in capite, in membris exspectatur adimplenda.

CAP. XII. *De sacramentis ecclesiasticis.*

Quoniam de ecclesiæ consecratione, prout brevitatis ratio poscebat, egimus, sub eadem compendii regula de eis quæ in Ecclesia geruntur, aliquid dicamus. Septem sunt principalia sacramenta quæ in ecclesia ministrantur, quorum quinque generalia sunt, quia ab eis neuter sexus, nulla ætas, conditio nulla excluditur, videlicet baptismus, confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, unctio infirmorum. Duo particularia sunt, eo quod non tribuantur omnibus, sed quibusdam hominum, ordines scilicet et conjugium. De his omnibus scribere necessarium duxi, ut memoriter teneam quid in his acceperim, sive ministrem, si quando aliquod eorum manibus meis ministrari contingat. Alioquin ad usus aliorum panes porto, nec gusto, divina tamen gratia sua non deserente sacramenta. Notandum igitur quod prædicta quinque sacramenta generalia remedia sunt contra peccata, et originalia, et actualia. Et est baptismus intrantium Ecclesiam : confirmatio stantium quasi in pugna, pœnitentia lapsorum sed resurgentium, eucharistia manentium in Ecclesia, unctio exeuntium ab hac vita. Quæ quidem remedia ante legem fiebant per sacrificia : sub lege, et per circumcisionem et per sacrificia. Sacramentum duobus modis dicitur. Aliquando enim sacramentum dicitur sacræ rei signum, velut in baptismo exterior ablutio, quæ interiorem significat emundationem. Aliquando dicitur sacramentum quasi sacrum secretum, velut sacramentum incarnationis et hujusmodi. Sacramentum autem in tribus consistit, videlicet in factis, in dictis, in rebus. In rebus, ut est aqua et oleum, in dictis, ut est invocatio Trinitatis ; in factis, ut est submersio in aquam et insufflatio.

CAP. XIII. *De baptismo.*

Primum sacramentum est baptismus. Est enim quasi janua omnibus atria Ecclesiæ introeuntibus. Est autem baptismus immersio hominis in aquam,

facta in nomine Trinitatis. Baptismus interpretatur *ablutio*. Circa sacramentum baptismi, hæc inquisitione digna videntur : Quæ sit ejus forma, a quo sit ministrandum, quæ ejus efficacia, et unde, et quaodo incœpit. In baptismo hæc forma servanda est, ut in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizetur. Sic enim Magister summus docuit discipulos dicens : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matt.* xxviii). Legitur tamen in Actibus apostolorum apostolos baptizasse io nomine Christi. (*Act.* x). In quo, ut Ambrosius ait, Pater intelligitur a quo unctus est, et Filius qui unctus est, et Spiritus sanctus quo unctus est. Administratio autem baptismi sacerdotum est ea institutione. Necessitate tamen instante, baptizare possunt alii altaris ministri ordine servato dignitatis, ut præsente diacono subdiacoons baptiaare non præsuoiat ; sic in cæteris. Absentibus altaris ministris, et clericis omnibus, et urgente necessitate, laicus baptiaare potest. Si nec laicus præsto fuerit, mulier baptiaet. Si nulla alia reperiri potuerit, mater ipsa baptizet. Nec propter hæc a viro suo separabitur, quia per necessitatem excusator. Virtutem autem et efficaciam dat baptismo, et baptismus Christi, et sanguis Christi. Ipse enim ad baptismum Joannis accedens, vim regenerativam contulit aqois, ut efficaciam remissionis haberent, non tamen ex seipsis, sed ea gratia operante oer sanguinem fusum pro peccatis. In cujus figura quoniam sacrificiorum sanguis fundebator sub lege, etiam ex ipso remissionis efficaciam habuisse creditur. Tempus baptismi incœpit quando dictum est : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti*. Qui tamen prinsquam prædicationem apostolorum audire possent sine baptismo decesserunt, non ideo perierunt, postquam autem *in omnem terram* sanus *prædicationis eorum exivit* (*Psal.* xviii), non salvatur non solum qui baptizatus non fuerit, ut ait Augustinus, sed qui nec esse potuerit. De illis tamen qui ad baptismum properant et interim decedunt quæritur utrum salventur. Quod inde videtur quia in contritione cordis et proposito confessionis dimittuntur peccata, juxta illud : *Dixi : Confitebor adversus me injustitiam meam Domino* (*Psal.* xxxi), etc. Verbi gratia : Aliquis contritus est corde, et confessus iniquitatem suam coram sacerdote, habet etiam dilectionem Dei et proximi, ut Cornelius : cur igitur non intraret ad nuptias cum vocatus sit et habeat vestem nuptialem? Aliquibus tamen visum est talem non posse salvari, quoniam scriptum est : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei* (*Joan.* iii). Hanc autem litem dirimit Augustinus, dicens : Quantum valeat sine visibili etiam sacramento baptismi, quod ait Apostolus : *Corde creditur ad injustitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x), in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter cum mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Quibus verbis solvit Augustinus quod ab adversa parte objectum est : *Nisi quis renatus*. Quod sic intelligendum docent ipsa Augustini verba : Qui renasci contempserit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum. Quod autem martyrium locum baptismi suppleat, nulli est dubium. Qui baptizati fuerunt baptismo Joannis, rebaptizati leguntur. Non enim erant renati ex aqua et Spiritu sancto. Baptizati autem etiam ab hæreticis in forma a Christo tradita, scilicet cum invocatione Trinitatis, non rebaptizantur. Si præter formam illam, rebaptizantur, imo vere baptizantur: quia prius baptizati non fuerant.

Cap. XIV. *De verbis rustice prolatis, et quare in aqua tantum fiat baptismus.*

Si sacerdos sive alius in baptizando corrupte proferat verba, ut *in nomine patria et filia et spiritu sancta*, non tamen errorem aut hæresim intendens, sed ea ignorantia, non est rebaptizandus. Ideo non in vino vel oleo sed in aqua tantum institutum est baptismum celebrari, ut sacramentum cum re sacramenti convenientiam haberet, et per visibile sacramentum res invisibilis possit intelligi. Ablutio enim exterior emundationem significat interiorem. Ad abluendum autem nil accommodatius aqua potest inveniri.

Cap. XV. *De responsione patrinorum pro puero.*

In persona pueri respondent patrini *Credo*, id est sacramentum fidei accipio, quia hic, sicut dicit Augustinus, sacramentum fidei fides appellatur. Quod autem in persona pueri dicunt : *Abrenuntio Satanæ*, etc., spondent puerum, si ad annos discretionis venerit, sic et sic facturum. Per quæ verba puer obligatur in posterum, ut nisi sic fecerit, promissionis violatæ reus habeatur. Nullus baptizari potest in utero matris, non enim renasci potest nondum natus. Quod autem Jeremias et Joannes in utero sanctificati sunt, in miraculis est habendum divinæ potestatis. De qua tamen sanctificatione diversi diversa sentiunt. Nam quia sanctificatio cum peccato originali non est, dicunt quidam eos sanctificatos in utero, id est a peccato originali mundatus. Mihi sine potioris sententiæ præjudicio, videtur quod propter futuræ sanctitatis signa, in utero sanctificati dicuntur, quia nec tunc charitatem habuisse credendi sunt, penes quam totius est summa sanctificationis, nec charitatis sive alterius gratiæ sacramentum.

Cap. XVI. *Quid in baptisma dimittatur.*

Per baptismum reatus dimittitur, Pœna autem pro peccato inflicta non tollitur : illa scilicet pœna temporalis quam quotidie in frigore et æstu et fame et siti hujusmodi sentimus, quæ in nobis manet, ut vita æterna ardentius quæratur a nobis. Illa quæ præcedunt baptismum, ut exorcismus, id est abjuratio, et catechismus, id est instructio minuunt diaboli potestatem, non conferunt peccato-

rum remissionem. Quædam etiam ibi sunt ad honorem sacramenti.

CAP. XVII. *De die scrutinii.*

Notandum etiam quod baptizandi in sabbato paschali, quarta feria quartæ hebdomadæ Christianæ militiæ, id est quadragesimæ, deferuntur ad ecclesiam ut exorcizentur et catechizentur. Ideo autem quarta feria quartæ hebdomadæ hic officio deputata est, ut qui baptizandi sunt, ipso numero intelligant se non ad otium, sed ad Christianam vocari militiam; ac si quarta ætate, scilicet juventute quæ pugnæ est apta, ad militiam eligantur. Et quia prædicta quarta feria de fide inquiruntur et instruuntur, ideo dies illa dies scrutinii, et officium illud scrutinium, appellatur. Vocantur autem prædicta die per lectionem quæ præcedit epistolam, quæ et ipsa de aquis baptismi est, sicut et ordinandi propter similem causam quarta feria Quatuor Temporum ante Epistolam vocantur per lectionem quæ pertinet ad Spiritum sanctum, per quam scilicet consecrandi sunt. Unde et ea die veniunt de iis quæ ad officium suum pertinent requirendi et esaminandi.

CAP. XVIII. *De antecedentibus ante baptismum.*

Sunt et alia quædam circa baptizandos consideranda. Signantur enim primum in fronte, in pectore, inter humeros, in auribus, in ore, crucis signaculo, cujus virtute et omnia sacramenta complentur, et omnia diaboli figmenta frustrantur. Sic cum occiderentur primogeniti Ægypti, populus Hebræorum, signatis postibus domorum sanguine agni paschalis in typo Dominicæ passionis, salvatus est. Sic etiam apud Esechielem ab imminenti clade Jerusalem liberandi prænuntiantur qui litteram Thau (quæ figuram crucis exprimit) in frontibus haberent insignitam. Postea datur sal benedictus in os baptizandi, ut sale sapientiæ sit conditus. Exsufflatur non quidem creatura Dei in ipso, sed diabolus in cujus regno propter peccatum natus est, exsufflatur ab ipso, id est, per Spiritum sanctum cujus signum est flatus exterior, amovetur, dum per ea quæ ibi dolet agi, potestas ejus minuatur, nondum omnino tollitur. Nundum enim per baptismum renatus est, sed tantum per crucis signum et cætera quæ circa eum acta sunt in utero matris Ecclesiæ conceptus et nutritus, ut tandem per aquam salutis Christo renascatur. Deinde tanguntur aures et nares cum saliva; quæ, quoniam a capite descendit, supernam signat sapientiam. Cujus tactu et aures cordis aperiuntur ad intelligendum verbum Dei, et nares cordis ut sentiant fragrantiam unguentorum Christi, et dicat cor, eam sentiens: *In odore unguentorum tuorum currimus* (*Cant.* I). Hanc formam Christus Ecclesiæ tradidit, quando, muti et surdi os et aures tangens, dixit: *Ephpheta: quod est adaperire* (*Marc.* VII).

CAP. XIX. *De trina immersione et unctione chrismatis.*

His peractis, benedicuntur fontes, et traditur novæ vitæ iter aggredientibus fidei Symbolum; quod a duodecim apostolis ordinatum est et totidem sententiis comprehensum. Postea interrogatur si abrenuntiet Satanæ, etc. Et post trinam responsionem immersione trina baptisatur, quia ibi Trinitatis virtute et gratia mundatur a peccatis. Dehinc sacro chrismate ungitur in vertice, ut intelligat se promoveri in regem et sacerdotem, non ministerio quidem sed dignitate sanctitatis, secundum illud: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* (*I Pet.* II). Et ut a Christi consortio vocetur Christianus, et æterni regis sit cohæres, huic sacramento post aquam baptismi Spiritus sanctus infunditur, ut sit renatus ex aqua et Spiritu sancto, imo infusus ostenditur. Si quidem Spiritus sanctus in ipsa trina immersione remissionem confert peccatorum. Sed non simul cum immersione poterat exhiberi ejus sacramentum.

CAP. XX. *De veste alba et communicatione parvulorum.*

Exinde datur baptizato vestis candida, quæ innocentiam significat; et stolam jucunditatis perpetuæ, si innocentiam servaverit, ei pronuntiat. Ad ultimum datur cereus accensus in manu ejus, quatenus illud Evangelii implere doceatur: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent*, non vos, sed *Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V). Ominibus his novus homo in utero matris Ecclesiæ inchoatur, provehitur, consummatur, et universitati Ecclesiæ aggregatur, hoc est corporis Christi membrum efficitur. Unde si ejus valetudinis est, sacramenta unitatis, id est corpus et sanguinem Christi, accipere debet. Pueris recens natis idem sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito sacerdotis, quia talea naturaliter sugere possunt. Augustinus ad Bonifacium contra hæresim Pelagianorum: In Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt sicut ex aliis quæ in baptismo dimittuntur peccata traxerunt. Nec illud cogitetis eos vitam habere posse qui sunt expertes corporis et sanguinis Christi, dicente ipso Domino: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem* (*Joan.* VI), etc., ergo si sine periculo fieri poteat, juxta primariam Ecclesiæ institutionem sacramentum eucharistiæ in specie sanguinis est tradendum pueris. Unde ignorantia presbyterorum, adhuc formam retinens, sed non rem, dat eis loco sanguinis vinum, quod penitus supervacuum arbitrarer si sine scandalo simplicium dimitti posset. Si autem in reservando sanguinem Christi, vel in ministrando, pueri immineat periculum, potius supersedendum videtur. Nec terreant vos præmissa Augustini verba. Ipse enim alibi, quasi ea determinans, dicit: Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini

participem fieri, quando in baptismo membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis consortio, etiamsi antequam illum panem comedat et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.

CAP. XXI. *Quod parvuli in ætate congruo patrinorum promissione teneantur.*

Cum vero ad intelligibiles annos pervenerit, monendus est a presbyteris et ab iis per quorum vocem Satanæ abrenuntiavit et fidel Symbolum accepit, quatenus quod per aliorum ora promisit jam studeat corde credere, et ore proprio confiteri, et opere imitari. Unde Augustinus in sermone habito Dominica prima post Pascha : Vos ante omnia tam viros quam feminas moneo qui filiolos in baptismo suscepistis, ut cognoscatis vos fidejussores exstitisse apud Deum pro illis. Ideo semper illos monete ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant, hoc omnibus faciant quod sibi fieri volunt. Ante omnia Symbolum et Dominicam orationem et vos ipsi tenete, et illis quos excepistis ostendite, et paterno affectu eos in Domino diligite.

CAP. XXII. *De confirmatione.*

Cum in baptismo plena sit facta peccatorum remissio, quid confert confirmatio? In baptismo datur Spiritus ad remissionem, hic vero ad robur. Per hanc enim contra hostes invisibiles armamur. Sine hoc sacramento potest homo salvari, si non ex contemptu dimiserit. Est autem adeo necessarium et efficax ut episcopali dignitati ministratio ejus reservata sit, et ut ab alio traditum, habeatur irritum.

De eucharistia in sequentibus dicemus ubi de missa tractatus habebitur.

CAP. XXIII. *De pœnitentia.*

Pœnitentia est commissa flere, et flenda nolle committere. Et : *Est*, ut dicit Hieronymus, *secunda tabula post naufragium*, quia si quis de mundilia in baptismo recepta periclitatur, per pœnitentiam resurgere potest et evadere. Ut autem pœnitentia sit utilis, tria sunt necessaria : cordis compunctio, oris confessio et satisfactio. In contritione tamen cordis ante oris confessionem peccata dimitti credendum est, propter illud*: Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Quid igitur prodest sequens oris confessio? Multum. In cordis enim contritione dimittitur reatus et æternæ damnationis debitum pro criminalibus, sed non debitum pœnæ temporalis. Deus enim misericors et justus sic peccata dimittit, ut ea tamen non relinquat impunita; pœnam autem temporalem recipit pro æterna. Illa autem ad sacerdotis arbitrium habenda docetur, ubi mundato a lepra dictum est : *Vade, et ostende te sacerdotibus* (*Matth.* VIII), etc. Quod si post contritionem contemnatur, aut peccata jam dimissa redeunt (secundum quosdam) aut peccato ingratitudinis pari, dimissis omnibus, reus tenetur qui gratiæ Dei ingratus invenitur.

CAP. XXIV. *Quare pœnitentia solemnis non iteretur.*

Solemnis pœnitentia, quæ scilicet in publico extra ecclesiam agitur, non iteratur, licet iterentur crimina propter quæ suscipitur, imo iteranti crimina, aliud consilium datur. Quod ideo in Ecclesia videtur constitutum, ut iteratio peccatorum post pœnitentiam amplius timeatur; quæ adeo detestabilis est, quod auctorem suum etiam pœnitentia conveniente reddit indignum. Inconsulto episcopo non debet presbyter excommunicatos vel publice pœnitentes reconciliare, nisi ultima cogat necessitas.

CAP. XXV. *Qualiter sacerdos peccata dimittit.*

Solus Deus peccata dimittit. Habent tamen auctoritates quod sacerdotes peccata dimittunt, et quod Deus per eos ea dimittit. Sed sacerdotes peccata dimittere dicuntur, quia sacramenta ministrant, in quibus et per quæ peccata auctoritate divina dimittuntur. Vel ideo sacerdotes peccata dimittere dicuntur, quia eum qui pro peccatis suis excommunicationis vinculo ligatus fuerat absolvunt. In quo suo modo peccata dimittunt, quia eum propter præcedentia peccata non amplius debere vitari ostendunt. Retinent autem peccata iterum et iterum ut magis evitentur, excommunicando : Domino utrumque approbante sicut dictum est apostolis : *Quorum dimiseritis peccata, dimittentur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX). Non ergo de omnibus peccatis intelligendum videtur secundum hunc modum remissionis vel retentionis, quod sacerdotes ea dimittant vel retineant, sed de eis tantum propter quæ lata est sententia excommunicationis. Secundum priorem modum de omnibus potest intelligi.

CAP. XXVI. *De injuste excommunicato utrum ligatus sit.*

De injuste excommunicato quæritur utrum apud Deum ligatus sit. Si enim non est, quid est quod in typo Ecclesiæ dictum est Petro : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis?* (*Matth.* XVI.) Sed forte solutionem mendicans dices : *Quodcunque ligaveris* juste *super terram, erit ligatum et in cœlis*. At quomodo dicetur injuste dedisse sententiam, qui rei veritatem scire non prævalens secundum audita recte judicavit? Item beatus Gregorius ait : Sententia pastoris sive justa sive injusta timenda est. Ad quid ergo timenda est si non tenet? Econtrario videtur quod sententia injuste lata in irritum cedat. Dicit enim decretum, causa 11 : Si lata fuerit in te sententia, depone errorem et evacuata est sententia. Errorem dicit culpam propter quam datur sententia. Si ergo deposito peccato propter quod data est sententia, ipsa evacuatur, multo magis vacua est ab initio, quæ non propter peccatum ejus qui in causam ductus fuerat, sed ex odio sacerdotis est pronuntiata, vel sine ordine canonico vel ex causa injusta. Hæc tria namque in sententia excommunicationis pensanda sunt : animus judicis,

ordo et causa. Quorum si unum pervertatur, dicitur Injusta, modo ex animo, modo ex ordine, modo ex causa. Cum autem prædicta tria ad sententiæ justitiam exigantur, videlicet ut animo correctionis detur non odii, et ordine canonico, et pro causa talem promerente sententiam, causa præ omnibus judicium obtinere videtur ut si causa non præcesserit, excommunicatio vera non sit, nec apud Deum teneatur ligatus, qui sine culpa sua fuerit excommunicatus. Quomodo enim sine culpa potest quis ligatus esse apud Deum, qui merita causarum sine fallacia solus examinat? Nam et apud homines injustum habetur, ut quis sine merito puniatur. Denique excommunicationis et absolutionis idem est (quantum ad hoc) judicium. De absolutione autem sic loquitur beatus Gregorius : *Tunc vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis.* Quod bene quatriduani Lazari illa resurrectio designat, quem mortuum Dominus vocavit et vivificavit, dicens : *Lazare, veni foras* (*Joan.* XI), et postmodum is qui vivens fuerat egressus, a discipulis est solutus. Ex qua consideratione nobis intuendum est quod illos nos debeamus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum intelligimus per suscitantem gratiam vivificare. Ex his verbis videtur nec excommunicationem nec absolutionem veram esse, quæ non sequitur summi pastoris sententiam, quæ merita causarum examinat nec aliquem immeritum damnat. Augustinus in psalmum XXVIII : Prævalebit in te falsum testimonium, sed apud homines. Nunquid apud Deum valet, ubi causa tua dicenda est? Quando Deus erit judex, alius testis quam conscientia tua non erit. Inter justum judicem et conscientiam tuam, noli timere nisi causam tuam. Ut hanc quasi contrariarum litem rationum dissolvere possis, vide quando dictum est Petro in typo Ecclesiæ : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis* (*Matth.* XVI). Invenies hoc dictum esse in datione clavium regni cœlorum. Ac si diceret Dominus : His clavibus utere, et quidquid secundum eas ligaveris vel solveris, ligatum erit vel solutum erit apud me. Quod est : Ratum erit apud me quidquid secundum has quas tibi do claves feceris. Hæ claves, potestas et discretio intelliguntur. Discretio autem datur ut clavis, quando usus ejus conceditur, sicut pennas avi dare dicitur qui solvit ligatas. Discretio autem quædam est in re, quædam in operatione. Discretio est in re, qua sine fallacia verum a falso discernitur. Discretio in operatione, qua ordine judiciario proceditur in causa, et secundum audita recte judicatur. Quod et sine fallacia et cum fallacia fieri contingit. Discretio autem quæ hic clavis dicitur, utrumque complectitur. Si quis ergo potestatem excommunicandi habens, ea discrete utatur, at ordine judiciario procedat, et diligentiam quam potest adhibeat, verum etiam a falso sine fallaciæ nubilo discernat, ipse ex potestate sibi tradita ligat, et qui sic ab eo ligatus est apud homines, etiam apud Deum ligatus est, id est ratum habet Deus quod potestate sua discrete utendo fecit minister ejus. Et sicut in terra ligatus est, id est, ab Ecclesia militante separatus, ita etiam a curia cœlesti, ut sicut nullus hominum cum eo habet colloquium, ita nullus angelorum ei credator præstare auxilium. De eo qui ordine judiciario ligatus est pro causa tamen injusta, dicimus quod non est ligatus apud Deum, nisi contumax inveniatur, salva tamen Evangelii veritate dicentis : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* Cœlorum enim nomine præsens Ecclesia designatur. In qua excommunicatus habetur et evitatur ut excommunicatus, et si apud homines teneat sententia, apud Deum non tenet, et ideo irritari meretur. Si post appellationem ad majorem audientiam fuerit excommunicatum, non tenet sententia, sed ipso jure habetur irrita.

Cap. XXVII. *De unctione infirmorum.*

Unctio infirmorum ab apostolis est instituta. Unde Jacobus : *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ et ungant eum oleo sacro, et alleviabit Dominus infirmum ; et si in peccatis fuerit, dimittentur ei* (*Jac.* V). Hic sacramentum est unctio, res sacramenti peccatorum remissio. Hoc sacramentum contemnere, damnabile est. Sine contemptu absque eo decedere, damnabile non est. Hoc sacramentum sæpius iterari potest, sicut et quod majus est eucharistiæ sacramentum. Augustinus tamen dicit sacramentum non esse iterandum. Sed hoc de sacramentis baptismi et confirmationis, de quibus tunc sermo erat, intelligendum est; vel forte non dicitur iteratio sacramenti, etsi pro parte iteretur. Licet enim iteratio fiat quantum ad personam quæ iterum suscipit sacramentum, tamen non est iteratio quantum ad hostiam vel oleum.

Cap. XXVIII. *De conjugio.*

Expeditis his quæ de quinque sacramentis generalibus nullatenus oportet ignorare, ad duo particularia accedamus. In quibus licet sacramentum ordinationis dignius sit, de conjugio tamen prius nos volumus expedire. In conjugio quoddam Trinitatis vestigium invenitur. Est enim vir principium, unde mulier. De quibus procedit tertium, id est proles. Institutio conjugii in paradiso facta est ante peccatum propter humani generis propagationem, dicente Domino : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I). Eadem conjugii causa manet et in Novo Testamento. Sed est et altera, scilicet fornicationis evitatio, dicente Paulo : *Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem* (*I Cor.* VII). Ubi subintelligendum est, qui legitime uxorem habere potest. Non enim sub hac universitate includendi sunt qui sacros ordines susceperunt, vel continentiæ aliter votum fecerunt. Et sciendum quod cum in Veteri Testamento unusquisque præciperetur de tribu sua ducere uxorem, ut unicuique tribui sua portio terræ promissionis absque confusione servaretur, in Novo tamen Testamento institutum est ut quilibet de aliena tribu ducat uxorem, propter amplificationem charitatis,

ut amor qui non erat per cognationem nasceretur per affinitatem. Unde qui ex eisdem majoribus processerunt post septimum gradum, possunt conjugio copulari, quia ex tunc deficit amor cognationis, et notitia personarum cessante et propinquitatis fomes. Isidorus tamen sex tantum gradus ponit, quia gradum primum, scilicet duos fratres, non gradum appellat, sed truncum.

CAP. XXIX. *De bonis conjugii.*

Tria sunt bona conjugii: Fides, sacramentum, proles. In fide hic intelligitur fides tori; in prole, grata prolis susceptio, et religiosa educatio; in sacramento, ut qui maritali copula juncti sunt, ad spiritualem Christi copulam aspirent, et qui per carnalem copulam sunt una caro, adhærendo Christo per charitatem sint unus spiritus. Est enim maritalis copula, conjunctionis Christi et Ecclesiæ sacramentum, sive cujuslibet fidelis et devotæ animæ cum Christo.

CAP. XXX. *Quid faciat matrimonium.*

Conjugium autem facit consensus legitimarum personarum de maritali copula per verba præsentis temporis expressus. Unde post hujusmodi consensum neutri divertere licet, sive ad alterius conjugium transeundo, sive claustrum intrando, sive votum continentiæ faciendo, nisi ex consensu alterius similiter continentiæ voto sese astringentis. Ad alias vero transire nuptias omnino illicitum est. Quod aliqui sancti, cum jam ad carnalem copulam accedendum esset, sponsas suas et torum nuptialem fugisse leguntur, hoc post desponsationem, in qua est pactio de futuro, factum esse intelligendum est, non post prædictum consensum, qui forte tunc de consuetudine non fiebat, aut non præcesserat. Legitimæ autem personæ sunt ad contrahendum, quarum neutrum impedit ordo, aut votum aut conditio, aut impossibilitas reddendi debitum, aut cognatio, aut affinitas, aut spiritualis proximitas. Ordo impedit conjugium faciendum et dirimit contractum, quia votum continentiæ sacris ordinibus est adnexum, ut licet verbis non fiat, nihilominus tamen in ipsa susceptione factum intelligatur. Subdiaconatus etiam inter sacros ordines computatur, quod non fiebat antiquitus. Votum quoque verbis expressum impedit conjugium vel dirimit, non tamen quantum ad judicium Ecclesiæ, nisi fuerit publicum, quia Ecclesia de occultis non judicat. Conditio quidem impedit quia si liber duxerit ancillam, et se hoc ignorasse probaverit, separabitur. Si vero scienter hoc fecerit, non separabitur. Impossibilitas reddendi debitum, modo ex frigiditate naturali, modo ex maleficio contingit. In frigiditate naturali potest ordine canonico dissolvi matrimonium. Sed frigidus ad alias nuptias non transibit. Si frigiditatem allegaverit in divortio, et ad alterius torum transierit, reddetur copulæ priori. Si autem maleficium allegaverit et facto divortio ad alia vota transierit, juxta decretum Hincmari Remorum archiepiscopi remanebit in secunda copula, nec ad priorem redire cogetur, sicut qui frigiditatem naturalem in causa divortii allegavit. Ille enim si facto divortio ad alia vota transierit, reddetur copulæ priori. Quare? quia per opus sequens judicatur eum in causa divortii mentitum fuisse, dicendo se naturaliter frigidum esse; et Ecclesiam, quantum ad veritatis cognitionem, fuisse deceptam. Non enim in eo erat impossibilitas reddendi debitum ex frigiditate proveniens. Ut enim aiunt physici, calor naturalis semel amissus nunquam redit. In eo autem divortio quod propter maleficium impetratum est, per opus sequens conjugii falsitas deprehendi non potest. Potest enim fieri per maleficium ut alicui auferatur possibilitas cognoscendi istam, manente in eo possibilitate cognoscendi aliam. Ideoque Ecclesia quod de priori conjugio rationabiliter factum est, non rescindit. Dicunt tamen quidam in divortio naturalis frigiditatis et in divortio maleficii eamdem regulam esse tenendam, videlicet ut qui postea vivente compari ad alia vota transierit, ad priorem cogatur redire copulam, decretumque prædicti Remorum archiepiscopi Hincmari non recipiunt. In utraque tamen causa, tam frigiditatis quam maleficii, non passim admittendum est divortium, sed ordine canonico faciendum ut in causa frigiditatis naturalis tam vir quam mulier septima propinquorum manu juret quod se non cognoverunt carnaliter nec cognoscere potuerunt. Si autem maleficium in causa divortii fuerit allegatum, prius adhunendi sunt ut orationibus et eleemosynis insistant, et benefaciendo gratia Dei præeunte maleficii vires evacuent. Quod si sic liberari non potuerint, septima manu propinquorum fidem facere debent, quod maleficio impediente nec se cognoverunt carnali copula nec cognoscere potuerunt, et sic poterunt separari. In hujusmodi autem divortiis non est faciendum juramentum quod fit in divortio consanguinitatis, quod scilicet carnali copula non sint sese deinceps cogituri. Potest enim aliquis ab aliqua causa maleficii separari, et reddita sibi eundem cum ea possibilitate, cessante maleficio eidem reddi. Usque ad quem propagationis gradum cognatio conjugium impediat ne possit fieri, vel factum dirimat. Et quare? Superius dictum est.

CAP. XXXI. *Quæ impediant conjugium.*

Affinitas etiam matrimonium contrahendum impedit, et dirimit contractum. Sunt autem affinitatis tria genera. Primum genus per primas contrahitur nuptias, id est per nuptias quas nullæ inter eosdem affinitatem procreantes præcedunt. Quod autem de nuptiis, honestioris gratia exempli dico, de qualibet carnali copula est intelligendum. Et hæc primi generis affinitas paribus passibus cum cognatione procedit, et ad eumdem modum usque ad septimum protenditur gradum. In hoc autem differunt quod cognatio totum percurrit; affinitas autem personam per quam ipsa est non excedit. Verbi gratia: Tu vinculo consanguinitatis impediente non potes ducere in conjugem sororem tuam, nec filius tuus

filiam ejus, nec nepos tuus neptam ejus, et sic usque ad septimum gradum. In affinitate non sic. Tu enim omnibus uxoris tuæ consanguineis es affinis, sed filius tuus, sive nepos, sive etiam frater, nulli eorum propter hoc erit affinis. Sicut autem tota cognatio uxoris tuæ tibi est affinis, sic tota cognatio tua uxori tuæ affinis erit, sed non ejus cognatione, quia, ut dictum est, affinitas personam non excedit. Secundum genus affinitatis est quod per secundas contrahitur nuptias, ejus scilicet qui jam primi generis affinitate tenebatur affinis. Et hæc affinitas usque ad quartum protenditur gradum. Tertium genus affinitatis contrahitur per carnalem copulam ejus qui jam in secundo genere erat affinis. Et hoc usque ad secundum solummodo gradum procedit. Hæc tria tribus declaremus exemplis: Uxoris tuæ filius de alio marito tibi est affinis affinitate primi generis; uxor illius affinitate secundi generis; secundus maritus uxoris filii tuæ uxoris tibi tenetur affinitate tertii generis. Hæc autem si quis plenius nosse desiderat, in libro Decretorum Gratiani, causa 35, q. 3 et 4 requirat. Proximitas spiritualis quæ compaternitas dicitur, similiter matrimonium et impedit et dirimit. Est autem compaternitas quædam directa, sive principalis, quædam emergens sive accessoria. Directa, inter eos quorum alter alterius filium aut filiam de sacro fonte suscepit. Accessoria, per carnalem contrahitur copulam cum altera talium personarum. Verbi gratia: Uxor tua suscepit sine te de sacro fonte filium alterius mulieris. Ecce uxor tua directa commater est illius cujus filium levavit. Tu vero quia una caro es cum uxore tua, mediante ea factus es ejusdem mulieris compater, et ideo indirecta sive emergenti sive accessoria compaternitate compater ejus es, nec mortua uxore tua poteris eam uxorem habere. Sicut autem spiritualis proximitas contrahitur, filium cujuslibet de baptismate suscipiendo, sic etiam efficitur, ante episcopum ad confirmandum tenendo, et post consignationem chrismatis ligando.

Cap. XXXII. *De ordinibus.*

Post cætera Ecclesiæ sacramenta de ordinibus restat agendum. Septem igitur sunt ordines ministrantium in Ecclesia, videlicet ostiarii, lectores, exorcistæ, acolythi, subdiacones, diacones, presbyteri. Nos ergo, frater charissime, qui universos ordines suscepimus, omnium eorum ministerium et significantiam scire, et eis vitam et mores nostros coaptare debemus, ut vita concordet cum nomine, et professio appareat in opere. Primum enim clerici dicimur a Græco cleros, quod hæreditas sive sors interpretatur, quia de sorte esse Domini et solum Deum in hæreditatem accipere elegimus. Unde nos tales et exhibere debemus, ut de nobis dicere possimus: *Funes ceciderunt mihi in præclaris* (*Psal.* xv). Videamus igitur ne sanctitatis signa inaniter gestemus, scilicet tonsuram, coronam, ornamenta etiam nostris officiis deputata; sed eis quæ exterius appareut, interiora digne respondeant. Capillos siquidem ante præcidimus, et ab eis sensuum instrumenta liberamus, ut hoc signo curarum illecebras frequenter redeuntes et cogitationes supervacuas a cordibus nostris resecare discamus. Summitatem capitis in modum coronæ radimus, ut mentem quæ nostrum superius est, ad superna contemplanda et desideranda liberam habere doceamur. Qui sic affecti sunt et moribus esse student quales se debere esse exterius ostendunt, ad clericalis militiæ officia promovendi sunt. Quæ septem sunt sicut dictum est. Quorum primum est ostiariorum. Sciendum autem quod hæc omnia de legali ritu sumpta sunt, et ad Ecclesiam cum quadam imitatione translata.

Cap. XXXIII. *De ostiariis.*

Qui enim in synagoga janitores vel æditui dicebantur, in Ecclesia ostiarii nuncupantur. Illorum officium erat in lege quod templum aperiebant et claudebant, mundos recipiebant, et immundos excludebant. In Ecclesia autem ostiarii hoc habent officium, ut catechumenos baptizandos in ecclesiam introducant, et pœnitentes per episcopum reconciliatos in ecclesiam recipiant.

Cap. XXXIV. *De lectoribus.*

Qui in templo dicebantur cantores, in Ecclesia lectores dicuntur. Eorum officium erat hymnos et cantica ante arcam Domini resonare. In ecclesia autem id officii habent, ut divinas Scripturas recitent, et ad laudem Dei Gradualia, Alleluia, et hujusmodi cantent.

Cap. XXXV. *De exorcistis.*

Exorcistæ dicuntur quasi adjuratores. Hi per carmina quædam, quæ Salomon composuisse dicitur, dæmones adjurabant, et de obsessis corporibus ejiciebant. Exorcistæ autem nostri catechizandos exorcizant officio, et dæmones ejiciunt, vel eis infantium corpora interdicunt.

Cap. XXXVI. *De acolythis.*

Acolythi quasi ceroferarii dicuntur. Eorum officium est in ecclesia, sicut et in templo, luminaria accendere et exstinguere, thuribulum cum igne præparare, in exornatione altaris deservire, urceo vel ampulla aquam ministrorum manibus ministrare.

Cap. XXXVII. *De subdiaconibus.*

Quia apud Hebræos nathinnei, id est in humilitate servientes dicebantur, a Græcis hypodiacones, a nobis subdiacones, id est ministri dicuntur. Eorum erat oblata a populo sacrificia recipere, et aquam vel quælibet necessaria ad ministeria templi deferre. In ecclesia hoc habent officium ut Epistolam legant, calicem et patenam cum corporali diacono ad altare offerant.

Cap. XXXVIII. *De diaconibus.*

A Levi filio Jacob, Levitæ, id est assumpti denominantur: per quos cuncta sacrificia administrabantur sub sacerdotibus. Hos Ecclesia diacones, id est, ministros nuncupat. Horum officium est in ecclesia Evangelium legere, sacrificium in altari

componere, corpus et sanguinem Domini distribuere, licet non ubique hoc observetur, licentiam abeundi populo dare, et, si necesse est, prædicare et baptizare.

CAP. XXXIX. *De presbyteris.*

Presbyter dicitur senior; quod non ad ætatem, sed ad sensum referendum est, quia senectus venerabilis est, non diuturna, nec numero dierum computata. Cani sunt autem sensus hominis. Per hos populi legalia offerebant sacrificia. Eorum in Ecclesia est officium missas celebrare, corpus Domini dispensare, prædicare, baptizare, pœnitentes absolvere, mortuos sepelire, et omnia Ecclesiæ sacramenta episcopis non reservata administrare. Quædam enim episcopali dignitati reservata non omnibus sunt presbyteris concessa.

CAP. XL. *De episcopis.*

Episcoporum ordo in tria dividitur: in episcopos, archiepiscopos, patriarchas. Episcopus dicitur quasi superintendens, quia tanquam vineæ Domini in specula custos residens instructioni et correctioni subditorum intendit. Hic quoque, quia dignitate præsidet aliis, præsul vocatur. Hic etiam antistes, quasi ante stans, vel quasi contra stans dicitur. Anti enim dicitur *contra*, quia hæreticis tanquam lupis pro defensione gregis resistere debet. Idem dicitur pontifex quasi pons factus, vel pontem faciens, doctrinæ scilicet pontem quo itur ad atria vitæ. Quod pontifex in consecratione oleo ungitur, ex lege sumptum est, in qua rex et sacerdos vel propheta oleo ungebantur. Quod autem benedictio per manus impositionem datur, inde exortum creditur quod Isaac manus imposuit Jacob, dum eum benedixit, et Jacob moriens duobus filiis Joseph, et Moyses Josue manus imposuit, dum eum ducem populo fecit, et apostoli manus illis imponebant, quibus Spiritum sanctum dabant. Huic dum regimen Ecclesiæ committitur, baculus quasi pastori traditur. In quo tria notantur quæ significatione non carent. Hæc sunt recurvitas, virga, cuspis. Quorum significationem breviter aperit egregius ille versificator episcopus Cenomanensis versibus his:

Collige, sustente, stimula: vaga, morbida, lenta.
Hoc est pastoris: hoc virga figurat honoris.

Et iterum quidam dicit:

Attraho peccantes, justos rego, pungo vagantes.
Officio triplici servio pontifici.

Annulus ei tanquam sponsæ Christi in typo Ecclesiæ, cujus ipse est caput, traditur, et mitra tanquam sponso et magistro juxta illud: *Sicut sponso alligavit mihi mitram.* Hujus officium est ministros Ecclesiæ ordinare, virgines velare, baptizatos confirmare, chrisma et oleum consecrare, ecclesias dedicare, vasa et vestes ecclesiæ benedictione sanctificare, rebelles excommunicare, pœnitentes reconciliare.

CAP. XLI. *De archiepiscopis.*

Archiepiscopus quasi princeps episcoporum dicitur. Idem metropolitanus nuncupatur, quia civitati præest quæ metropolis vocatur, id est mater civitatum. Horum officium est episcopos consecrare, congregare concilium, et jura dilapsa reparare. Hi præter cætera episcopalia indumenta pallio in modum torquis decorantur, quia si recte suum explevorint officium, eis æternæ remunerationis torques tanquam victoribus promittitur.

CAP. XLII. *De patriarchis et eorum locis.*

Patriarcha dicitur quasi patrum vel patriæ princeps. Patriarchæ tantum tres fuisse leguntur, quorum figuram Abraham, Isaac et Jacob prætulerunt. Horum unus in Asia Antiochiæ præsedit; alter in Africa primatum Alexandriæ tenuit; tertius in Europa Romani apicis jura possedit. Has tres sedes ideo principales Ecclesia constituit, quia eas princeps apostolorum sua possessione consecravit. Duabus quippe ipse beatus Petrus præsedit, scilicet Antiochenæ et Romanæ; tertiam, scilicet Alexandrinam, Marcus evangelista nomini ejus dedicavit. Postquam vero Nicæna synodus Romano pontifici hoc contulit privilegium, ut sicut Augustus præ regibus, ita ipse præ omnibus episcopis haberetur, et papa et Pater Patrum vocaretur, jus Romani patriarchatus ad Constantinopolim transivit. Quod aliæ duæ sedes sunt mutatæ, causa est quod loca illa, meritis exigentibus, in manus paganorum tradita sunt. Unde Antiochenus patriarchatus est ad Jerosolymam translatus; Alexandrinus vero ad Aquileiam, quia huic civitati primum Marcus evangelista præsedit, qui postea Alexandriæ præfuit. Horum officium est archiepiscopos consecrare, concilia episcoporum congregare, decreta canonum instaurare.

CAP. XLIII. *De summo pontifice et officio ejus.*

Papa dicitur, quia Pater Patrum. Hic universalis dicitur, quia universæ præest Ecclesiæ. Hic quoque apostolicus appellatur, quia principis apostolorum vice fungitur. Hic etiam summus pontifex nuncupatur, quia caput est omnium episcoporum. Hujus nomen in ordinatione mutatur, quia Petri nomen in prælatione Ecclesiæ a Christo mutatum est. Huic etiam claves traduntur, sicut Petro a Domino claves regni cœlorum traditæ sunt, ut se janitorem regni cœlorum esse cognoscat. Ejus officium est missas et divina officia ordinare, canones etiam pro tempore ad utilitatem Ecclesiæ promulgare vel immutare, Augustum consecrare, pallia archiepiscopis, privilegia Ecclesiis dare, totam Ecclesiam vice Christi gubernare. Itaque papa vicem et locum Christi tenet, episcopi apostolorum, presbyteri septuaginta duorum discipulorum, reliqui ministri diaconorum ab apostolis constitutorum.

CAP. XLIV. *Quare episcopi die Dominica consecrentur.*

Papa et omnes episcopi ideo die Dominica consecrantur, quia apostoli, quorum successores sunt et vicarii, Dominica die Spiritum sanctum, qui oleo unctionis designatur, acceperunt. Oleum quippe lumen ministrat et vulnera sanat, ita et Spiritus sanctus lumen scientiæ dat, et vulnera peccatorum

curat. Ideo etiam die Dominica consecrantur, ut se rum Christo resurrexisse et in novitate vitæ ambulare debere admoneantur. Presbyteri autem et cæteri ministri Ecclesiæ ideo in Sabbato ordinantur, ut se ab omni opere servili debere quiescere et Dei servitio vacare intelligant. Sabbatum enim *requies* interpretatur. Virgines ideo in natalitiis apostolorum velantur, quia apostoli morem virginitatis primum Ecclesiæ servandum tradiderunt, et virgines apostolis quasi paranymphis Christo sponso immortali consecrantur.

CAP. XLV. *De veste sacerdotali, et primo de humerali seu amictu.*

Hæc strictim de ministris Ecclesiæ sunt relata, nunc de sacris vestibus pauca subjicienda sunt. In habitu enim sacerdotali nihil esse quod vacet ratione apud veteres quoque constat, sicut beatus Hieronymus ad Fabiolam testis est : Apud nos ergo quanto sacerdotium Christi veteri sacerdotio dignius est, tanto in habitu sacerdotali causas probamus haberi digniores. Illi enim sacras vestes secundum colorem, materiam, positionemque cujusque ad quatuor elementa mundi, ad duo hemisphæria cœli partesque zodiaci referentes, hoc significare volebant quod omnia ejus subsunt arbitrio, cujus personam gerit eis indutus sacerdos. Licet nostri et beatus Hieronymus in illis quoque spiritualis intelligentiæ vela pandere velint, quoniam ergo nec vetera caruerunt ratione, nos exemplaria supergressi cœlestium, ipsa potius in vero sacerdotio cœlestia contemplemur. Vestes sacras a veteri lege sumpsit Ecclesia. Humerale quod in lege ephod a nobis amictos dicitur, caput et collum atque humeros (unde et humerale vocatur) cooperit, et vittis duabus pectus stringit. In humerali igitur spes æternorum intelligitur; de qua Apostolus : *Et galeam salutis*, inquit, *assumite* (*Ephes.* VI). Caput amictu cooperimus, ut omnibus sensibus quorum plenitudo in capite est, pro spe æternorum Deo serviamus. Collum per quod vox transit eo circumdamus, ut spe æternorum ori nostro ponamus custodiam, et nil nisi quod laudem Dei sonet proferamus. Humeros quibus onera portantur eo velamus, ut jugum Domini patienter ferre doceamur. Vittis humeralis pectus stringimus, ut in pectore nostro cogitationes iniquas et inutiles reprimamus.

CAP. XLVI. *De alba.*

Alba, quæ in lege tunica linea vel talaris, et a Græcis poderis dicitur, munditiam vitæ designat. Hæc descendit usque ad talos, ut qui ea se induunt, usque in finem vitæ suæ munditiam carnis servare admoneantur. Alba et amictus non nisi de lino fiunt, quod multiplici labore in candorem vertitur, quia quæ per hæc duo signantur, magno labore acquiruntur et acquisita custodiuntur.

CAP. XLVII. *De cingulo.*

Per cingulum, quod in lege baltheus, a Græcis zona dicitur, continentia intelligitur, qua cor ne lasciviat restringitur, ne bonorum impediat gressum operum.

CAP. XLVIII. *De stola.*

Stola quæ et orarium dicitur, collum circumdat, per quam Evangelii obedientia signatur. Evangelium quippe est suave jugum Domini; obedientia vero lorum. Sacerdos igitur quasi ad jugum Domini loro ligatur, dum collum ejus stola circumdatur. Hæc primitus sinistro humero in ordine diaconatus scilicet suscipitur. In ordine vero presbyteratus non remota a sinistro etiam dextro humero applicatur, quia obedientia Evangelii primum in eis quæ ad activam pertinent vitam suscipitur, quæ significatur per humerum sinistrum, ac deinde per dilectionem in dextrum contemplative porrigitur. Et notandum quod apud antiquos non orarium dicebatur stola; sed alba, quam vitæ munditiam signare diximus, stola vocabatur. Unde : *Qui laverunt stolas suas in sanguine Agni* (*Apoc.* XXII). Et illud : *Habemus stolam primam in lavacro, et annulum fidei signaculum.* Utrobique enim nomine stolæ vitæ munditia significabatur, quæ in baptismo per effusionem sanguinis Christi confertur.

CAP. XLIX. *De subcingulo.*

Per subcingulum quod perizoma vel cinctorium dicitur, eleemosynarium studium significatur. Hoc duplicatum suspenditur, quia primum animæ suæ misereri peccata evitando, deinde proximo necessaria impendendo cuilibet præcipitur.

CAP. L. *De casula.*

Casula, quæ et planeta dicitur, omnibus indumentis superponitur, per quam charitas intelligitur, quæ omnibus virtutibus eminentior creditur. Hæc super dextrum brachium levatur, ut amici in Deo amentur; replicaturque super sinistrum, ut inimici propter Deum diligantur.

CAP. LI. *De fanone.*

Ad extremum sacerdos fanonem in sinistro brachio ponit, quem et manipulum et sudarium veteres appellaverunt, per quem olim sudor et narium sordes extergebantur. Per hoc pœnitentia intelligitur qua quotidiani excessus extergendi sunt. In sinistro brachio portatur, quia in præsenti vita quæ per sinistrum significatur, pœnitentia necessaria est. His omnibus ornamentis sacerdos decoratur.

CAP. LII. *De veste episcopali.*

Episcopus autem et his et aliis quibusdam exornatur, scilicet tunica, dalmatica, sandaliis, mitra, chirotecis, annulo, baculo. Et quoniam superius de duobus ultimis, scilicet annulo et baculo, dictum est in ordine episcoporum, de cæteris dicamus. Tunica quæ strictas habet manicas, et non usque ad talos sicut alba, sed usque ad medium crus porrigitur; militem Christi vult esse liberum et ad bona opera expeditum.

CAP. LIII. *De dalmatica.*

Dalmatica a Dalmatia provincia dicitur, in qua primum est inventa. Hac pro colobio apostolorum, quod erat vestis cucullata sine manicis, utitur Ec-

clesia ex beati Silvestri institutione. Hæc vestis in modum crucis formata, indicat portantem eam cum vitiis et concupiscentiis debere esse crucifixum. Duæ lineæ coccineæ, sanguinis Christi effusionem significant pro duobus populis factam. Fimbriæ quæ quasi quædam linguæ de dalmatica ante et retro procedunt, sunt verba et exempla prædicatoris quæ nobis imitanda proponit. Sinistrum latus dalmaticæ fimbrias habet, quia activa vita impedita [est et turbatur erga plurima. Dextrum latus non habet fimbrias, quia contemplativa vita quieta manet, et regina a dextris stans nihil in se sinistri habet. Manicarum largitas est datoris hilaritas et largitas.

CAP. LIV. *De sandaliis.*

Sandaliis utuntur episcopi, quæ subtus integra aperturas habent superius, ut per hoc designetur quod prælatorum affectus, qui pedum nomine in Scripturis designantur, a terrenis removendi sunt et ad cœlestia dirigendi.

CAP. LV. *De mitra.*

Mitra pontificalis est assumpta ex usu legis. Hæc Græce tiara et mitra, Latine vero infula et pileum appellatur. Mitra quæ caput tegit et velat, in quo est sensuum plenitudo, custodia est sensuum ab illecebris mundanorum. Duo ejus cornua duorum Testamentorum munimenta significant, quibus episcopi et se et alios contra mundi illecebras muniro debent et hostes Christi ventilare.

CAP. LVI. *De chirothecis.*

Chirothecarum usus ab apostolis traditus est. Per manus operationes, per chirotecas earum occultationes signantur. Sicut enim aliquando manus chirothecis velantur, aliquando extractis illis denudantur. Sic bona opera interdum propter arrogantiam declinandam celantur; interdum propter ædificationem proximis manifestantur. Chirothecæ induuntur, cum hoc impletur : *Cavete ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (*Matth.* VI). Rursus extrahuntur, cum hoc impletur : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V).

CAP. LVII. *De pallio archiepiscopi.*

His omnibus insignibus fulget archiepiscopus; insuper et pallio, quo a cæteris discernitur episcopis. Hoc duas lineas habet, a summo usque deorsum ante et retro dependentes, et purpureum sanctæ crucis signaculum præferentes. Hoc est duorum Testamentorum doctrina passioni Christi testimonium perhibens. Circulus circa collum pontificis torques est aurea, quæ legitime certantibus promittitur. Mos apud veteres fuit, ut legitime certantes coronam in capite, torquem in collo acciperent. Unde theologia dives rerum, sed vocabulorum pauper, hæc nomina, corona, torques, ad intelligendum æternæ retributionis præmium sæpe transsumit. Spinulæ quibus pallium affigitur, stimuli charitatis sunt, quibus circa curam subditorum stimulatur archiepiscopus.

LIBER SECUNDUS.

DE ECCLESIASTICIS OFFICIIS.

CAP. I. De Hora Prima.
CAP. II. Qualiter et ad quid preces fiant.
CAP. III. De Tertia, et Sexta et Nona.
CAP. IV. Quando preces dicantur ad Horas, et quando taceantur.
CAP. V. De officio vespertino.
CAP. VI. Unde cœpit Antiphonarum usus.
CAP. VII. De Completorio.
CAP. VIII. De officio nocturnali.
CAP. IX. Quare hoc officium tres habet distinctiones.
CAP. X. De laudibus matutinis.
CAP. XI. De missa unde sumpsit exordium et unde augmentum.
CAP. XII. Quod missa tribus linguis celebratur et quare.
CAP. XIII. Quæ ratio modulizandi in celebratione missæ.
CAP. XIV. De Introitu missæ et processione ministrorum.
CAP. XV. De cantico Gloria in excelsis Deo.
CAP. XVI. De Oratione; quare Collecta dicatur.
CAP. XVII. De Epistola et causa nominis hujus.
CAP. XVIII. De Graduali sive Responsorio, et causa utriusque nominis.
CAP. XIX. De Alleluia et Pneumatum significatione.
CAP. XX. De missione diaconi ad legendum Evangelium.
CAP. XXI. De Symbolo apostolorum, quando et quare cantandum sit.
CAP. XXII. De Offerenda et significatione Versuum.
CAP. XXIII. De oratione Secreta, et quare in fine ejus vox elevatur, et de patena, qualiter et a quibus feratur.
CAP. XXIV. De Præfatione.
CAP. XXV. Summa sententiæ totius Canonis.
CAP. XXVI. De significatione altaris exterioris.
CAP. XXVII. De significatione altaris interioris.
CAP. XXVIII. De propitiatorio mystico.
CAP. XXIX. De actione prima in missa.
CAP. XXX. De mystico rationali.
CAP. XXXI. Quid petat Oratio primæ actionis
CAP. XXXII. De actione secunda.
CAP. XXXIII. Quid petat Oratio secundæ actionis.
CAP. XXXIV. De actione tertia.
CAP. XXXV. De Oratione pro defunctis.
CAP. XXXVI. De mystico superhumerali.
CAP. XXXVII. Quod signa crucis ultima a præcedentibus omnibus differunt in causa.
CAP. XXXVIII. Quid significet elevatio sacramenti.
CAP. XXXIX. De Oratione Dominica, quæ est Oratio tertiæ actionis.
CAP. XL. Quare pax datur ante Communionem.
CAP. XLI. De Communione.

CAP. I. *De Hora Prima.*

Exsecutis principalibus Ecclesiæ sacramentis, de ecclesiasticis officiis addere propositi ratio deposcit, et prius de Horis Canonicis. Horæ Canonicæ dicuntur officia constitutis horis regulariter in Ecclesia celebranda.

Hæ siquidem Creatori nostro debitæ laudes et pro certis et magnis ejus beneficiis quasi vectigales sunt gratiarum actiones. Inter Canonicas autem Horas ea quæ dicitur Prima, primum teneat locum. Ab illa namque hora incipiendum videtur, qua paterfamilias operarios in vineam suam conduxit. Siquidem vinea Domini est Ecclesia, ministri sunt operarii. Illi vineam fodiunt, quando naturæ nostræ humilitatem ad memoriam sibi et aliis reducunt, et humiliari faciunt et se et alios sub potenti manu Dei. Ipsi enim operarii de vinea sunt. Stercorant autem vineam, quando propter ampliorem fructificationem peccata ad memoriam reducunt. Illi ad imitationem David qui dicit : *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII). Septies in die ad confitendum Domino conveniunt, Hora scilicet Prima, Tertia, Sexta, Nona, ad Vesperas, ad Completorium, et nocte ad Matutinas, pro eo quod scriptum est : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* CXVIII). His adjunguntur Laudes Matutinæ, quæ tamen inter Horas diurnas computantur. Septies itaque in die conveniunt ad confitendum Domino, semel in nocte. Conveniunt autem prædictis horis ad laudandum Deum in psalmis et hymnis : et ut aures divinis lectionibus accommodent. In omnibus enim etiam divinis Horis Lectiones recitantur, quas nos in Horis diurnis Capitella vocamus. Capitella ideo dicuntur, quia distinctionis officiorum post psalmodiam capita sunt, id est principia. Verbi gratia : In omni die Hora Tertia eadem manet psalmodia et hymnus idem. Post psalmodiam vero aliud sequitur in Dominicis diebus, aliud in ferialibus, aliud in festis martyrum, aliud in festis confessorum. Cujus varietatis capitellum principium tenet.

Sed notandum quod in Prima et Completorio nulla post psalmodiam est pro diversitate dierum sive festorum varietas, ut per hoc insinuetur quod principium et finem operum nostrorum firmiter et inconcusse soli Deo attribuere debemus.

Sed ad id unde cœpimus revertamur. Mane congregatis ad pascua vitæ Christi ovibus, opilio noster, timens lupos qui *rapit et dispergit oves*, ut habemus in Evangelio (*Joan.* X), et non minus leonem *qui circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* V), sic incipit: *Deus, in adjutorium meum intende : Domine, ad adjuvandum me festina* (*Psal.* XXXVII). Et quoniam *sine recta fide aliquid Deo placere impossibile est* (*Hebr.* XI), subjungit ipse pastor cum grege suo : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Quod est : Una et eadem creditur esse gloria Patris, et Filii et Spiritus sancti, *et nunc et semper*, id est omni tempore, *in sæcula sæculorum*, id est post omnia tempora æternaliter. Quod dicitur *sæcula sæculorum*, circumlocutio æternitatis est.

Sicut enim sæculum annorum dicitur quod constat ex centum annis, ita sæculum sæculorum convenienter diceretur sæculum constans ex centum sæculis. Sed quoniam totum præsens sæculum non tanto tempore creditur duraturum, in eo quod dicitur *per omnia sæcula sæculorum*, nihil aliud quam æternitatis durabilitas interminabilis intelligitur. *Sicut erat in principio.* Unde : *Clarifica me, Pater, claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te* (*Joan.* XVII).

Deinde sequitur psalmus quem cantavit David, quando Ziphæi voluerunt eum capere et tradere in manus Saul. Ziphæi interpretantur *florentes* : per quos diabolus et sui intelliguntur. Diabolus enim florem mundo promittit. Qui autem ejus sunt florem suum et delectationem suam in mundanis constituunt. Contra hujusmodi Ziphæos precamur nobis adesse tuitionem divinam per omnes horas diei, ut neque diabolus suggerendo, neque membra ejus operte persequendo, sive occulto, nobis prævaleant. Postea sequuntur duo octonarii psalmi : *Beati immaculati* (*Psal.* CXVIII), cum uno *Gloria* tanquam psalmus unus ; et duo alii cum uno *Gloria* tanquam unus. Psalmus enim prædictus scilicet *Beati immaculati* (*ibid.*) plenus est morum instructionibus. Oportet autem ut quos Deus liberaverit de vinculis et carcere inimicorum, moribus bonis et piis ei assistant. Isti quasi tres psalmi obsequium nostrum Domino præsentant per tres Horas, Primam scilicet, Secundam et Tertiam, ut in his tribus a Domino custodiamur. Singulis repetitionibus subjungitur *Gloria Patri*, ne propter psalmos, qui de Veteri Testamento sunt, officium nostrum ad Novum Testamentum non putetur pertinere. Et hoc semel dictum, ubique intelligatur. His addidit fidelium devotio : *Quicunque vult salvus esse*, ut articulorum fidei qui sunt necessarii ad salutem, nulla diei hora obliviscamur.

Postea juxta Ecclesiæ nostræ consuetudinem sequitur Lectio ex Isaia sumpta : *Domine, miserere nostri, te enim* (*Isai.* XXXIII), etc., servata videlicet illa antiqui populi consuetudine, quæ in libro Esdræ scripta est. Ait enim : *Convenerunt filii Israel in jejunio et saccis, et humus super eos, et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena ; et steterunt et confitebantur peccata sua et iniquitates patrum suorum, et consurrexerunt ad standum ; et legerunt in volumine legis Domini Dei sui* (*Nehem.* IX). Unde Beda super memoratum librum : Quorum exemplo reor in Ecclesia morem inolevisse pulcherrimum, ut per singulas divinæ psalmodiæ Horas, Lectio una de Veteri sive de Novo Testamento cunctis audientibus dicatur : et sic apostolicis sive propheticis confirmati verbis ad instantiam orationis genu flectant. Usus tamen multarum est Ecclesiarum ut ad Primam non legatur Lectio, sed usque ad Capitulum post Primam reservetur. Lectionem se-

quitur Responsorium, sicut in omnibus fere Horis, *Christe, fili Dei vivi*, etc.

Deinde Versus *Exsurge, Domine* (*Psal.* XXXIII), etc. In aliis tamen Ecclesiis sine Lectione et Responsorio psalmodiam sequitur Versus. Versus a reversione nomen accepit. Legitur enim in libro Numerorum quod, dum arca Domini, quæ significabat Ecclesiam, poneretur in tabernaculis, dicebatur: *Revertere, Domine, ad multitudinem filiorum Israel* (*Num.* X). Reversio Domini ad Israel non est aliud quam ut reverti faciat Israel toto corde ad se. Deus enim non habet a quo revertatur, cui totum præsens est. Juxta morem hunc statutum est a sanctis Patribus ut Versus diceretur in unoquoque officio, ut, si mentes nostræ cogitamio illicita pro nimio opere psalmorum deviaverunt, Versu excitatæ ad Deum revertantur.

CAP. II. *Qualiter et ad quid preces fiunt.*

His rite peractis, inclinamus implorare Dei misericordiam, dicendo *Kyrie eleison*. Ter invocamus Patrem, ter Filium, ter Spiritum sanctum, ut nostri misereatur exaudiendo preces quæ sequuntur. Unamquamque trium personarum ter invocamus, quia uniuscujusque trium misericordia trium misericordia est, sicut tribus est honor unus et una majestas. Preces ex persona eorum dicuntur qui quotidie cadunt, et nituntur resurgere per pœnitentiam. Unde post Dominicam Orationem sequitur: *Vivet anima mea et laudabit te* (*Psal.* CXVIII). Quasi sit: Mortua fuit anima pro erratibus meis; at deinceps vivet per conversionem. *Et judicia tua adjuvabunt me* (*ibid.*). Quia dixisti: *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII); et melius judicas parcere pœnitenti quam conterere peccantem. Hoc officium, sicut quodlibet aliud, præter Nocturnum, Oratione concluditur: *Domine Deus Pater, qui nos ad principium*, etc. Et hæc omnia in Dominicis et cæteris festivis diebus stando dicuntur, propter memoriam Dominicæ resurrectionis, cum qua omnes sancti spe resurrexerunt. In aliis autem diebus genua in terram fixa tenemus, dum dicuntur preces quæ dicuntur propter levia peccata, et dum dicitur pœnitentialis psalmus: *Miserere mei, Deus* (*Psal.* L), qui propter gravia peccata frequentatur. Ideo autem hoc officium et omne aliud præter nocturnum Oratione concluditur, quia dum sumus in præsenti sæculo, maxime quando ad extrinseca negotia eximus, necesse est nobis ut orationibus sanctorum muniamur, sive quia mos est ut quamdiu familiare colloquium habemus cum servis Dei, amorem religionis antequam separemur ab illis, in ultimo benedictionem petamus. In Nocturno autem non ita fit, quia ibi non est separatio, sed Matutinum conjunctim cum eo canitur. Post finem hujus officii additur in veneratione omnium sanctorum: *Pretiosa est in conspectu Domini* (*Psal.* CXV), etc. Finitaque Oratione sequitur familiare obsequium pro nobismetipsis et pro familiaribus nostris. Unde quia nos plus cæteris peccasse reputamus ut auxilio Dei præterita et præsentia peccata diluere, et in posterum vitare possimus, ideo dicimus: *Deus in adjutorium meum* (*Psal.* LXXIX). Et finita Oratione Dominica additur: *Respice, Domine, in servos tuos et in opera tua* (*Psal.* LXXXIX). Quod ideo fit quia nos sumus et servi Dei, et opera ipsius. *Et dirige filios eorum* (*ibid.*), filios dicit cogitationes quæ nascuntur ex mente.

CAP. III. *De Tertia, Sexta et Nona.*

Hora Tertia in qua tuitionem divinam rogavimus, congregati hora prima, hora, inquam, tertia, iterum in ecclesia congregamur ad confitendum Domino, et per tres repetitiones psalmi supradicti nos famulatui Dei per tres sequentes Horas præsentamus et offerimus, per quartam et quintam et sextam. In sexta iterum congregamur ad psallendum Domino, et per tres repetitiones psalmi supradicti nos divinæ tuitioni per tres sequentes horas commendamus, scilicet per septimam horam, octavam et nonam. Iterum hora nona convenimus, et tribus repetitionibus ejusdem psalmi, nos in Dei famulatu per tres sequentes horas statuimus, sive munimus nos ab insidiis inimici, scilicet per decimam horam, et undecimam et duodecimam. Unumquodque horum officium suum habet Lectionem; quæ, sicut supra diximus, Capitellum appellatur. Quæritur cur in diurnis Lectionibus benedictio non postuletur, sicut in Nocturnis. Quod ideo fit quia major eas recitat, cujus est dare benedictionem; in Nocturnis autem petitur, quoniam a minoribus leguntur. Sed non minor quæstio occurrit, cur scilicet diurnæ Lectiones legantur a majoribus, cum Nocturnæ legi soleant a minoribus. Quod ideo fit, quia in diurnis officiis non pro diversitate temporum sive festorum variantur ea quæ Lectionem præcedunt, sed semper eadem manent. In Lectione autem incipit pro varietate temporum et solemnitatum officium variari. Quam officiorum variationem, majores, quia certius noverunt quam minores, Lectionem legere consueverunt. In Nocturno autem officio, et Invitatorium, et Hymnus et psalmi ipsi hanc faciunt distinctionem. Iterum quæritur cur in Lectionibus diurnis et quandoque in Nocturnis non pronuntiatur auctor sicut in his quæ ad missam leguntur. Quod ideo fit, quia bubulci et subulci et omnes fere operarii ad missam conveniunt; ad cæteras autem horas clerici et domestici ecclesiæ, qui ex verbis auctorum, propter frequentem consuetudinem audiendi satis auctores cognoscunt. Illi autem propter raritatem audiendi, qui sunt auctores Lectionum nesciunt nisi nomina eorum proponantur. Quæritur etiam quare officia diurna accipiunt nomen a Prima, et Tertia, et Sexta, et Nona, et non ab aliis. Quod ideo fit, quia his horis convenimus ad Dei servitium, per quas Evangelium narrat operarios introductos in vineam, quæ significat Ecclesiam.

CAP. IV. *Quando preces dicuntur ad horas, et quando taceantur, et quare.*

In omnibus officiis, excepto nocturno, nisi in festi-

vitatibus, dicuntur Preces et *Miserere mei, Deus.* Preces propter levia et quotidiana peccata; *Miserere mei, Deus* (*Psal.* L), propter gravia. Et notandum quod preces retinent modos orandi quos enumerat Paulus dicens: *Obsecro primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, et pro iis qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate* (*Tim.* II; *Psal.* XL). Obsecratio est cum solutionem malorum petimus, ut illud: *Ego dixi: Domine, miserere mei* (*Psal.* XL), etc. Oratio est cum postulamus bona nobis a Deo dari ut illud: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam* (*Psal.* LXXXIV). Postulatio est cum precamur ut omnia quæ sunt contraria bonis nostris, ut est subreptio dæmonum, sive molestiæ passionis, minuantur et superentur. Unde illud: *Convertere, Domine, usquequo et deprecaberis* (*Psal.* LXXXIX). Gratiarum vero actio est ut illud: *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua* (*Psal.* CXLIV). Pro his qui in sublimitate sunt precamur, ut illud: *Domine, salvam fac regem* (*Psal.* XIX); et: *Oremus pro pontifice nostro.* Dum Preces dicuntur, sacerdos, quia peccator est, cum peccatoribus prostratus est. Sed quia vicem tenet Christi, stando dicit Orationem, ut resurrectionem recolat ejus cujus vicem tenet. In Dominicis et festivis diebus non fiunt hujusmodi Preces per Horas, ut ad memoriam reducamus, quia in futura resurrectione, ubi erit vera libertas et vera sanctorum cum angelis societas, nulla deprecatio pro miseriis erit necessaria. Salutatio præcedit et subsequitur Orationem, propter duplicem Domini ad discipulos salutationem dicentis: *Pax vobis* (*Joan.* XX). Post Orationem autem sequitur *Benedicamus Domino, et Deo gratias*, quia sicut Dominus, postquam salutavit discipulos, iterum benedixit eis, et illi gratias referendo adoraverunt eum, ita presbyter qui vicarius ejus est, post iterum factam salutationem confratribus dicit: *Benedicamus Domino*, scilicet subaudiendo cujus membra sumus in quo benedicimur omnes. Et confratres gratias referunt dicentes: *Deo gratias.*

Cap. V. *De officio vespertino.*

In noctis initio, sole videlicet occidente, vespertinum Deo offerimus sacrificium, quando ad confitendum Domino convenimus. Dicit Isidorus in libro Etymologiarum: Vespertinum officium est in noctis initio vocatum a stella vespera, quæ surgit oriente nocte. Et Augustinus in psalmo XXIX: Vespera fit quando sol occidit. Hinc possumus conjicere, quando festos et a servili opere feriatos dies observamus, quod eos observare debemus a vespera usque ad vesperam, id est ex quo sol occidit usque ad alium solis occasum. Quotidianus usus noster tenet ut quinque psalmos cantemus in officio vespertino. Quis enim nescit, quanquam per quatuor horas diei nos Deo commendavimus, sicut supradictum est, quanta impedimenta et quot tristitiæ seu lætitiæ inanes occupent mentem justi etiam per diem? Oculi enim adducunt ad eam illices formas. Per aures intrant verba detractionis aut luxus. Nares quoque non sunt alienæ ab hoc pestifero internuntio. Per os quoque mens polluitur, quando criminosa seu etiam otiosa loquitur verba. Manus procul dubio et pedes id tangunt; unde anima fit deterior per cogitationem. Atque in istis quinque sensibus quotidiano tunditur assultu. Unde in noctis initio quando ad dormitionem accedimus, quæ quasi quædam imago mortis est, et cui multa assistunt pericula, pro delictis quinque sensuum veniam deprecando quinque psalmos cantamus.

Cap. VI. *Unde cœpit Antiphonorum usus*

Hos quinque psalmos Antiphonarum solemus cantare. Usus antiphonarum in Ecclesiis ab Ignatio episcopo Antiochiæ ut Tripartita narrat historia cœpit actitari. Ita enim narrat. Dicendum est tamen unde cœpit initium ut in Ecclesia Antiphonæ decantentur. Ignatius, Antiochiæ Syriæ tertius post apostolum Petrum episcopus, qui etiam cum ipsis degebat apostolis, vidit angelorum visionem, quomodo per Antiphonas sanctæ Trinitati dicebant Hymnos. Isque modum visionis Antiochenæ tradidisse probatur Ecclesiæ; et ex hoc ad cunctas transivit Ecclesias. Antiphona autem dicitur eo quod juxta ejus modulationem altera pars chori contra alteram sonet, dum duæ chori partes psalmum alternatim decantant. Post hæc sequitur Lectio a pastore prolata, deinde psalmus. Et quoniam in eo suavis et beneplacita est modulatio, ne cor sui oblitum per superbiam, quæ ex dulci modulatione nasci solet evanueris, sequitur versus per quem mens ad se revocatur et excitatur, ut melius attendat sequentia, hymnum scilicet beatæ Mariæ, qui ad expellendas diurnas illecebras in initio noctis decantatur. Quem enim superbia in die rapit extra se, audiens: *Dispersit superbos* (*Luc.* I), revertatur ad se. Si quem temporalium rerum appetitus delectat, *Divites dimisit inanes* (*ibid.*), eum ad se retrahat. Si quem specialis afflictio conturbat, recogitet quia *Dominus exaltat humiles* (*ibid.*). Si cui obrepit potentia hujus sæculi, supprimat eam *Deposuit potentes* (*ibid.*). De Oratione, et quando preces faciendæ sint, vel non, et quare, superius dictum est

Cap. VII. *De Completorio.*

Completorium ideo dicitur, quia in eo complentur quæ usque ad dormitionis quietem facienda sunt. Unde et apud monachos tenetur ex Regula beati Benedicti ut ab ejus officio claustra oris muniant, et et. aliena faciant a communi colloquio usque dum iterum ad opera redeant. In eo officio quatuor psalmi recoluntur usque ad Versum. In quatuor psalmis, quatuor elementa nostri corporis Deo commendamus. Quod ostendunt ipsa psalmorum verba. In primo dicitur: *In pace in idipsum dormiam et requiescam* (*Psal.* IV). Quod licet Propheta de dormitione mortis intellexerit, tamen institutor officii ad somni

dormitionem hæc retulit · quia somnus quædam imago mortis est, sicut prædiximus. In secundo dicitur : *In manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII). Quem versum Christus ante mortem protulit ultimum. Unde et nos de eodem psalmo nil amplius dicimus. In tertio psalmo dicitur : *Qui habitat in adjutorio Altissimi* (*Psal.* XC), etc.; quæ fere omnia oratione sunt plena, licet affirmativo proferantur. Quarto, ut hæc omnia nobis a Deo concedantur, monemur Deum benedicere et laudare. Similiter et Hymnus corpora nostra Deo commendat, quod patet ex ipsis Hymnorum verbis. In Hymno quotidiano sic habes :

> *Procul recedant somnia*
> *Et noctis phantasmata,*
> *Hostemque nostrum comprime*
> *Ne polluantur corpora.*

In alio Hymno sic

> *Fessa labore corpora*
> *Noctis quiete recrea.*

Et in alio sic .

> *Precamur, sancte Domine,*
> *Defende nos in hac nocte,*
> *Sit nobis in te requies,*
> *Quietam noctem tribue*, etc.

Hoc etiam Versus aperte dilucidat, dicens :

Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi; sub umbra alarum tuarum protege nos (*Psal.* XVI). Hoc autem propter pericula fieri consuevit quæ plus dormiendo quam vigilando homines invadunt. Sicut enim periculosum est homini, dum transit ex hoc sæculo,nisi se commendaverit Deo, ita periculosum est hominibus dormientibus nisi commendati Deo fuerint aut per hos quatuor psalmos, aut per crucis signaculum per quod Dominus corpora nostra custodiat, sicut in Hymno rogamus. In cantico Simeonis cum ipso oramus ut in pace a tumultu sæculi quiescamus. Unde patet quod ii qui dormiunt, eis qui mortui sunt in Christo conformantur. Simeon enim morte corporis orabat in pace dimitti, nos somni dormitione.

Cap. VIII. *De officio nocturnali.*

In nocturnali officio dicimus primo : *Domine, labia mea aperies* (*Psal.* L), etc. Quod ideo fit quia in Completorio nos Deo commendamus, et concludimus ora, singuli quodammodo in singulis sepulcris quiescimus, Deo soli astantes cui non sunt verba necessaria, quia cogitationes omnes novit. At nunc quia iterum convenimus ad confitendum Domino, precamur eum ut sua directione labia nostra aperiat. Deinde per Invitatorium omnes circumquaque ad confitendum Domino vocantur. Juxta quod ipsius Invitatorii Versus secundus sonat : *Præoccupemus faciem ejus in confessione et in psalmis jubilemus ei* (*Psal.* XCIV). Invitatorium sequitur Hymnus, qui corda adhuc torpentia ad laudes Dei excitantur. Sed quæritur cur in hoc officio et in quibusdam aliis, scilicet Prima, Tertia, Sexta, Nona, Hymnus præponitur psalmodiæ, in Vesperis autem et Completorio et Laudibus Matutinis sequitur psalmodiam. Ad quod dicendum videtur quod in Matutinis sicut dictum est, Hymnus statim in principio ponitur ut excitet sua modulatione corda torpentia. In Prima autem et cæteris Horis diurnis, ut ad divini amoris dulcedinem retrahat corda curis quotidianis occupata. In Vesperis autem ideo post psalmos ponitur Hymnus, ut corda excitet ad canticum Simeonis quod de Evangelio sumptum, statim sequitur post Hymnum, præposito tamen eidem versiculo. Eadem causa potest non inconvenienter assignari et in Vesperis et in Laudibus Matutinis. In Vesperis autem modulatione Hymni excitamur ad intelligendum Canticum Mariæ virginis : *Magnificat anima mea Dominum* (*Luc.* I). In Matutinis Laudibus ad Canticum Zachariæ præparamur : *Benedictus Dominus Deus Israel* (*ibid.*).

Cap. IX. *Quare hoc officium tres habeat distinctiones.*

Psalmi et Lectiones et Responsoria diebus festis sub tribus distinctionibus cantantur. Quartam faciunt laudes Matutinæ ; Tres priores Nocturni, sive vigiliæ, more Romano nuncupantur. Siquidem nox in quatuor vigilias antiquo more dividitur. Quarum prima conticinium dicitur, secunda intempestum, tertia gallicinium, quarta antelucanum. Unaquæque autem tribus horis contenta est. Unde et trium nocturnorum singulum tres habet psalmos quibus nos totidem horis noctis Dei servitio præsentamus. Juxta numerum psalmorum Lectiones recitantur, quia in singulis Horis præsertim noctis contra spirituales nequitias muniendi sumus. In festis minoribus retento numero psalmorum propter idem, minuitur numerus lectionum ad tollendum fastidium, quod in eis rebus præcipue vitandum est in quibus solum acceptatur desiderium. In diebus profestis, quando videlicet nulla sanctorum occurrit festivitas, psalmi combinantur, et quasi sex psalmi per *Gloria Patri* distinguuntur, ut et psalterii lectio in singulis perficiatur hebdomadibus et numeri mysterium conservetur. Sex enim psalmi, imo sex psalmorum combinationes, ad sex ætates mundi, sive ad sex vitæ nostræ dies referuntur, quibus anima et corpore propter Sabbatum VII ætate et VII die designatum, in Dei servitio laborandum est. Quidam aliud assignant mysterium ubi sub tribus distinctionibus nocturnum celebratur officium. Nox enim ad quam pertinet hujusmodi officium, huic sæculo tenebris ignorantiæ pleno comparatur. Secundum autem hoc est spatium, quod cum mundo incœpit, et usque ad communem resurrectionem durabit, tria complectitur tempora, videlicet tempus ante legem, tempus sub lege, tempus gratiæ. Hæc tria tempora triplici Nocturno exprimuntur. Qui enim ante legem, et qui sub lege fuerunt,nondum vera redemptione luven a, diversa Deo sacrificia pro expiatione peccatorum offerebant sicut Levitici liber ostendit. Hæc diversa sacrificia Deo oblata exprimimus, dummodo psalmos,

modo Lectiones, modo Responsoria cantamus. Quorum psalmus quilibet a pluribus cantatur, lectio ab uno tantum, Responsorium modo ab uno, modo a pluribus. Quia et sacrificia quædam populi multitudo offerebat, quædam vero solus sacerdos, quædam sacerdos cum populo. Tertium Nocturnum exprimit tempora primitivæ Ecclesiæ, in quo et Judæi et gentiles in Christum credentes, quia veram hostiam nesciebant, diversa adhuc sacrificia offerebant, vel offerenda mente judicabant. In quorum persona sicut et priorum dicit Psalmista : *Quandiu ponam concilia in anima mea ?* (*Psal.* xii.) Siquidem diversa concilia quærebant, quia unicum non invenerant. Postea vero Ecclesia per vicos et plateas civitatis quærens quem diligit anima ejus, invenit unicum consilium, unicam vitæ viam, Christum (*Cant.* iii). Quod nos post tertium Nocturnum exprimimus exclamando *Te Deum laudamus*, etc. Hoc officium secundum usum monachorum, Oratione sicut cætera terminatur. In quo primariam servare videntur institutionem. Nostra autem consuetudo humanæ infirmitati parcens et labori, officio prædicto laudes Matutinas continuat, et Oratione una duo claudit officia.

Cap. X. *De laudibus Matutinis.*

Laudes Matutinæ noctis partem sibi vindicant ultimam, quartam videlicet vigiliam, quæ usque ad solis ortum protenditur. In hoc officio quasi reperta salutis via unica, Domino laudes multipliciter decantamus. Nec jam tres tantum psalmos, sicut in tribus prædictis nocturnis, et in diurnis officiis, nos tribus quæ restabant horis Dei servitio præsentamus et offerimus, sed curam ipso corda nostra effundentes, Redemptori nostro undique laudes colligimus. Primo idecantamus psalmum *Dominus regnavit* (*Psal.* xcii). In quo Christus miranda brevitate multipliciter laudatur. Primo loco a pulchritudine, secundo a fortitudine, tertio ab operibus, quarto a ptante [*f.*, potest te]; quinto a laudibus universitatis, sexto veritate dictorum, septimo a sanctitate propriæ domus. Quæ omnia diligens lector in eodem psalmo notare poterit, et in expositionibus sanctorum invenire. Sequitur psalmus *Jubilate Domino, omnis terra* (*Psal.* xcix). Qui non jam angulum terræ invitat ad laudem, sed sicut ubique seminata est benedictio, ita undique exigit jubilationem. Unde et titulus ejus habet : *Psalmus in confessione*. Tertius psalmus est *Deus, Deus meus* (*Psal.* lxii) ad laudem resurrectionis pertinens. Ubi dicitur, *ad te de luce vigilo*, ipso scilicet diluculo quando Christus surrexit. Tunc enim enixius orandum est, quando Christus resurgens spem resurgendi mortalibus dedit. In hoc dicitur : *Obstructum est os loquentium iniqua* (*ibid.*). Quod maxime in resurrectione factum est, quia tunc omnis ambiguitas calcata est. Sed quia resurrectio Christi credere eam nolentibus inutilis est, consequenter adjungitur psalmus *Deus misereatur nostri* (*Psal.* lxvi), in quo oramus ut collata nobis beneficia per Christum cognoscamus. Nec minus idem psalmus ad laudem invitat ibi. *Confiteantur tibi populi, Deus*, et repetit, *Confiteantur tibi populi omnes* (*ibid.*). Continuantur autem hic psalmi duo et postea tres, videlicet *Laudate Dominum de cœlis* (*Psal.* cxlviii), et duo sequentes, non interponendo, *Gloria Patri*, ut justa sensuum nostrorum numerum quasi quinque psalmi computentur in hoc officio, ut qui eos Domino decantaverunt, seipsos in omnibus sensibus suis Deo offerre significentur. Quod hymnus Zachariæ, *Benedictus Dominus Deus Israel* (*Luc.* i), etc., ad hoc officium in quo de redemptione nostra essultatur spiritualiter pertineat, ipsius hymni continentia declarat. In diebus profestis loco psalmi in hoc officio primi cantatur pœnitentialis psalmus *Miserere mei, Deus* (*Psal.* l), quia dies illi dies pœnitentiæ sunt, festivitates sanctorum, dies lætitiæ. Loco cantici trium puerorum ponitur aliud canticum juxta varietatem dierum. Illud enim instinctu lætitiæ omnia clementa et universas creaturas vocat ad laudem; hoc beneficia Dei miserentis reducit ad memoriam ut pœnitentes non desperent.

Cap. XI. *De missa unde initium sumpsit et unde augmentum.*

Sed jam decursis officiis quæ sanctorum Patrum institutio docuit ad illud veniamus, quod ipse Dominus Jesus sacerdos secundum ordinem Melchisedech instituit et suis præcepit hæc in sui celebrare memoriam. Primo igitur dicendum videtur unde missa initium sumpserit, et unde augmentum. Dominus et Salvator noster Jesus missam celebrari instituit, quando panem et vinum in corpus et sanguinem suum commutans suis præcepit hæc in sui facere commemorationem. Apostoli missam auxerunt, dum super panem et vinum verba quæ Dominus dixerat, et Orationem Dominicam dixerunt. Deinde successores eorum Epistolas et Evangelia legi statuerunt. Alii cantum addiderunt, et alii alia. Porro Cœlestinus papa psalmos ad Introitum missæ cantari instituit : de quibus Gregorius papa postea Antiphonas ad Introitum modulandas composuit. Unde adhuc aliquis versus illius psalmi ad Introitum cantatur, qui olim totus ad Introitum cantabatur. *Gloria Patri* Nicæna synodus composuit, sed Damasus papa ad missam cantari instituit. *Kyrie eleison* Sylvester papa de Græco sumpsit; quod Gregorius papa statuit ad missam cantari. *Gloria in excelsis Deo*, angelorum chorus primum cecinit, sed Hilarius Pictaviensis, ab illo loco *Laudamus te*, usque in finem composuit. Telesphorus autem papa ad missam cantari instituit; Symmachus vero papa in festis tantum diebus cantari censuit. *Dominus vobiscum* de Veteri Testamento, scilicet de libro Ruth est sumptum : *Pax vobis*, De evangelio; *et cum spiritu tuo*, de Epistolis Pauli; *Amen*, de Apocalypsi. Hæc Anacletus papa dici statuit. Epistolam et Evangelium Alexander papa ad missam legi decrevit. Hieronymus presbyter Lectionarium ut hodie habet

Ecclesia collegit, sed Damasus papa ut nunc moris est legi instituit. Qui etiam in festivis diebus Pneuma quod Jubilum dicitur, cantare statuit. Sed abbas Notherus de Sancto Gallo Sequentias pro Pneumis composuisse legitur; quas Nicolaus papa ad missam cantari concessit. Anastasius papa decrevit ut dum Evangelium legitur nullus sedeat. *Credo in unum Deum* Constantinopolitana synodus invenitur composuisse; sed Damasus papa ad missam cantari instituit. Offertorium Gregorius composuit, et ad missam cantari instituit. Apostoli et eorum primi successores in quotidianis vestibus et ligneis calicibus missas celebraverunt, sed Clemens tradente Petro apostolo usum sacrarum vestium ex lege sumpsit, et Stephanus papa in sacris vestibus missam celebrari instituit. Zepherinus papa vitreis; B Urbanus autem papa aureis vel argenteis calicibus et pateuis offerri statuit. Sylvester papa corporale lineum addidit, eo quod Joseph corpus Dominicum involvit in sindone munda. *Orate pro me* Leo papa statuit dici; qui etiam præfationes composuit. Dionysius tamen Areopagita primus Præfationem composuisse putatur; sed Gelasius papa ad missam cantari instituit. *Sursum corda* de Jeremia; *Gratias agamus Domino Deo nostro*, de Apostolo est sumptum. *Sanctus, sanctus, sanctus*, Sixtus papa dimidium de Evangelio, dimidium de Isaia composuit, et ad missam cantari statuit. Canonem Gelasius papa composuit; sed Gregorius papa Capitulum interposuit, quod sic incipit *Diesque nostros*. Leo papa *sanctum sacrificium et immaculatam hostiam* apposuit. *Pater* C *noster* Dominus quidem docuit, sed Matthæus composuit; Gregorius vero papa ad missam cantari censuit. Ipse et præcedens Capitulum *Oremus : Præceptis*, et sequens *Libera nos, quæsumus, Domine*, addidit. Benedictionem episcopalem Martialis episcopus apostolorum discipulus ex magisterio apostolorum tradidit; quam probabile studium Deo servientium auxit; isque mos ex eo usquequaque invaluit. Ambrosius dicere cœpit, *Pax Domini sit semper vobiscum*. Innocentius papa dici et pacem dari constituit. *Agnus Dei* Sergius papa composuit, et ad missam cantari instituit. Julius papa intinctionem corporis Domini in sanguinem prohibuit, et Gelasius papa illum excommunicavit qui D corpus Domini acceperit, et sanguinem non sumpserit, id est sumere contempserit. Sic enim verba decreti intelligenda sunt : alioquin anathema essent qui in die Parasceves communicant, quia tunc corpus Christi sumitur sine sanguine Christi in specie vini. Consecratur quidem vinum per tactum corporis Christi, sed in sanguinem non mutatur, cum verba ad hoc instituta non dicantur. Communionem Gregorius papa composuit, et ad missam cantari statuit. *Benedicamus Domino* de Psalterio sumptum est; *Deo gratias* de Apostolo : sed hæc dici Leo papa constituit. Ex his omnibus Gregorius papa missam ordinasse dicitur ut hodie in Ecclesia cantatur.

A CAP. XII. *Quod missa tribus linguis celebratur et quare.*

Notandum quod tribus linguis, Hebraica, Græca et Latina missa celebratur, quia his titulus passionis Domini nostri Jesu Christi, cujus repræsentatio missa est, scriptus fuisse legitur. Hebraicum quippe est *Alleluia, Hosanna*, et *Amen*. Græcum vero *Kyrie eleison;* Latinum reliquum officium.

CAP. XIII. *Quæ ratio cantandi in celebratione missæ.*

Jam nunc ad thesaurum summi sacramenti, scilicet ad missæ sacrarium, accedendum est. Quod si mihi pervium se fecerit thesaurus salutis; si aperuerit clavis David, *qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit* (*Apoc.* III, 7), gratulari et cantare licebit animæ meæ quod eam in cellam vinariam introduxit. Nam quod in Veteri Testamento promissum, præfiguratum et a longe salutatum, in Novo autem datum, revelatum et palam factum est, hic præsentialiter exhibetur, non in umbra, sed in veritate; non in figura, sed in re. Hic illud agitur, in quo noster David insanire videbatur regi Achis, quanto tympanizabat, corpore super lignum crucis extenso, et impingebat ad ostia civitatis (*I Reg.* XXI), id est ad conclusa corda et sibi non credentia, quando ferebatur in manibus suis tenens panem et vinum, et dicens : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus Novi Testamenti* (*Matth.* XXVI); quando defluebant salivæ in barbam, id est videbatur loqui infantilia dicens : *Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Qui tamen accepto regno super universum Judam universumque Israel, nunc, juxta mysticum sensum per apolipomenon, indutus stola byssina, vestitus ephod lineo, præcentor inclytus choros ducit sacrificans et subsilit coram arca fœderis Domini. O regem, o sacrorum principem. Quod sibi tantum tam clari capitis tripudium : dum tendit arcæ Dei tabernaculum, et indutus ephod offert holocaustum, et in nomine Domini benedicit populum. Ad quem cum esset de tribu Juda, non pertinebat sacerdotium. Sed repulit Deus tabernaculum Silo, et elegit tribum Juda, elegit David servum suum. Ecce prægestit rex de tribu Juda confidenter agere in iis quæ sciebat filio suo deberi a Domino suo in quem dicebat : *Juravit Dominus David et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX). Ecce imperat sacerdotibus, mandat Levitis ut sanctificentur, cantores instituit, eligit qui arcana cantent, qui canant per octava, qui clangant tubis, qui personent buccinis, qui concrepent lyris, cymbalis, nablis, organis. In his omnibus ad Filium respicit. Hæc enim omnia per Christum in Ecclesia coram spirituali arca Domini quotidie actitantur. Arca namque Domini convenienter designat corpus Domini nostri Jesu Christi, ante cujus consecrationem in Ecclesia magnis vocibus exsultatur. Habet hæc arca in se manna absconditum, quod nemo novit nisi qui accipit, dulcedinem videlicet

nuntiat. Ore et spiritu orat qui intelligit orando quæ dicit. Ore et spiritu et mente orat qui, per verba quæ ore dicit et spiritu discernit, etiam aliquid morale vel allegoricum seu anagogicum intelligit. Unde Apostolus : *Psallam spiritu, psallam et mente* (*I Cor.* XIV).

CAP. XVI. *De Collecta et causa nominis hujus.*

Sequitur Oratio, quam Collectam vocant, eo quod sacerdos qui legatione fungitur ad Deum, colligat atque offerat petitiones omnium. In Romana Ecclesia una tantum dicitur Collecta, nisi alicujus sanctorum interveniat solemnitas cujus memoria fiat. Alii pro diversis usibus Ecclesiarum in celebrationibus publicis missarum multiplicant Orationes, et pro voluntate propria in privatis. In his omnibus sacerdos veri et summi sacerdotis personam gerit, *qui*, sicut ait Apostolus, *in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui salvum illum facere poterat a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia* (*Heb.* V). In fine Orationis subjungitur, *Per Dominum nostrum*, quia præclara Dei beneficia per ipsum ad nos decurrunt. Per ipsum petimus et impetramus, sicut per mediantem crystalli lapidem cœlestem in subjectam escam a longinquo sole mutuamus ignem. Hucusque tractatum est missæ principium quod dicitur Introitus, commemorans nobis introitum Salvatoris in hunc mundum, scilicet a nativitate ejus usque ad prædicationem Joannis, quando baptizatus est ipse et orans quadraginta dierum jejunium consecravit.

CAP. XVII. *De Epistola et causa hujus nominis.*

Epistula, personam legis gerens et prophetarum, præcursoris debitum alt officium ante Evangelium. Quæ quamvis persæpe de apostolicis sumatur litteris, tamen in eo gradu est ac si semper de lege sit et prophetis. Semper enim moralitatem vitamque activam magis quam contemplativam, quæ in Evangelio radiat, apostolica quoque lectio instruit et dispensat. Epistola Græce, *enpromiscio* vel *supererogatio* dicitur Latine. Supramissio eo quod supra narrationis ejus seriem et scribentis et ejus cui scribitur nomen præmittitur, Supererogationis autem nomen bene congruit litteris apostolicis, quia videlicet Evangeliu Christi supererogatæ sont. Quod et supramissionem non inconvenienter intelligi potest. Qui enim supererogat, super debitum mittit aliquid. Ordo siquidem apostolicus, stabularius ille est, cui noster Samaritanus, id est custos Dominus Jesus Christus, hominem illum quem a latronibus despoliatum invenerat commisit, conferens duos denarios, id est legem et Evangelium, dicensque ei : *Curam illius habe, et quodcunque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi* (*Luc.* X). Igitur Epistola tantum differt ab Evangelio, quantum servus a domino, præco a judice, legatus ab eo qui misit illum. Quapropter eum legitur Epistola, non injuria sedemus. Cum autem Evangelium audimus, dimissis reverenter aspectibus sicut Domino nostro assistimus. In eo quod præcedit Evangelium Epistola, Joannis imitatur officium, qui prævaricatores legis corripiens et mores eorum evangelicæ fidei suscipiendæ præparans, implebat quod de illo prædixerat angelus : *ipse præibit Dominum in spiritu et virtute Eliæ* (*Luc.* I). Et in Malachia : *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te* (*Malach.* III).

CAP. XVIII. *De Graduali sive Responsorio, et causa utriusque nominis.*

Sequens Responsorium, quod et Graduale dicitur, monstrat auditores prædicationi præmia æ præbuisse assensum ; quod quoniam alternatim cantatur, unde et nominatur Responsorium, gravemque et asperum habet cantum, adeo ut illud excellentibus efferre vocibus nec usus nec decus sit ; vitam significat activam, in qua Ecclesia se mutuo cohortatur ad laudem Dei et bona opera. Unde diebus Pentecostes de officio tollitur, quia videlicet dies illi futurum in regno Dei felicem Ecclesiæ significant statum. Graduale autem dicitur quia in gradibus ante altare cantari solebat, vel quia per ipsum prædicationi præmissæ in Epistola dando consensum et alternatim cohortando nos quasi de virtute in virtutem gradatim ad alteriora velle conscendere significamus. Versus autem inde dicitur, quia in eo multorum modulatio quodammodo ad unum revertitur.

CAP. XIX. *De Alleluia et Pneumatum significatione.*

Alleluia sequens æternam gloriam vel vitam contemplativam significat, quam activa promeretur, sed in hac vita non assequitur. Illa enim gloria quid est nisi æternum angelorum beatorumque spirituum convivium, quod est semper laudare Deum. Ad hoc vitæ præsentis inopia nullatenus valet contingere. Scire autem ubi sit et prægustare illud gaudio spei, sitire et esurire quod gustaveris ; hæc est illa quæ dicitur sanctorum in hac vita perfectio. Quapropter lointerpretatum hoc Hebraicum verbum remansit, ut peregrinum ab hac vita gaudium, peregrinum signaret magis quam exprimeret vocabulum. Quoniam ergo futuræ beatitudinis quasi proprium est vocabulum, utpote de cœli stillicidiis in ora apostolorum delapsum, jure eo tempore magis frequentatur quo resurgens Dominus ejusdem beatitudinis spem nobis propinavit, et promissum apostolis Spiritum sanctum misit. Notandum autem quod Pneumata quæ in Alleluia et cæteris cantibus in paucitate verborum fiunt jubilum significant, qui fit, cum mens aliquando sic in Deum affi i ur et dulcedine quadam ineffabili liquescit, ut quod sentit plene effari non possit. Affectus enim hoc habet proprium, ut quanto intus ferventior fuerit, tanto minus extra explicari possit. *Beatus populus qui scit jubilationem* (*Psal.* LXXXVIII), id est qui sæpe expertitur et prægustat hanc dulcedinem, et sic interius movetur, ut quod præsentit nec dicere sufficiat, nec possit tacere. Tractus a trahendo dicitur, quia tractim cantatur. Exprimit enim fletum epulantium, et incolantium diuturnitatem quasi deplorat. Sequentia dicitur quia per cantus amœnitatem ad sequentia præparat.

CAP. XX. *De missione diaconi ad legendum Evangelium.*

Hactenus seorsum sedebat sacerdos et sedenti famulabantur altaris ministri, oblationem panis et vini præparando, scabellum pedibus si opus erat supponendo; et in aliis omnibus quæ necessaria videbantur ministrando; in memoriam Domini Jesu, cui victo tentatore in deserto ministrabant angeli, sicut scriptum est : *Reliquit eum tentator, et accesserunt angeli et ministrabant ei* (*Matth* IV). Surgit tandem ad altare accedens, ut nobis in mentem veniat quod Dominus Jesus præparata per Joannem via ad homines de deserto rediens venit, et discipulos ad prædicandum misit. Mittit namque sacerdos diaconum ad legendum Evangelium, petitam dando benedictionem ; quod subdiacono prius lecturo non fecerat. Legem enim et prophetas invisibilis invisibiliter misit. Apostolos autem et evangelistas quorum diaconus personam gerit, visibilis factus, et osculo oris sui dilectam suam osculans, scilicet Ecclesiam, visibiliter docuit et misit. Diaconus in sinistra fert Evangelii textum sustentante dextera, quia in hac vita quæ per sinistrum datur intelligi, oportet Evangelium prædicari. Cujus tamen prædicatio caderet et deficeret, nisi spes æternæ vitæ, quam dextera significat, eam sustentaret. Ascendit diaconus lectricium, ut sublimitatem doctrinæ evangelicæ significet, secundum illud Isaiæ : *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion* (*Isa.* XL). Incensum, quod est bonæ opinionis signum, locum aspergit in quo legendum est Evangelium, quia qui hic bonum nuntium portant, confidenter dicunt : *Christi bonus odor sumus* in omni loco (*II Cor.* II). Subdiaconus pulvinum quem ante pectus suum deferebat Evangelii libro supponit; quod signat Evangelii verba corde humili et suavi suscipienda. Lecturus Evangelium diaconus se vertit ad aquilonem, per quem populus gentium designatur. Unde, *Deus ab austro veniet* (*Habac.* III). Quibus idem Evangelium primo prædicatum est et in fine sæculi prædicabitur. Quod etiam in officio missæ commemoratur, dum sacerdos primo ad austrum stat, deinde ad aquilonem, tertio iterum ad austrum. Diaconus igitur astantes ad audiendum erigit dicens, *Dominus vobiscum*. In quo attentionem captat et benevolentiam. Unde illi tanquam attenti et benevoli respondent, *Et cum spiritu tuo*. Dociles reddit dicendo : *Sequentia sancti Evangelii*, vel *initium sancti Evangelii*. Quod enim agit rhetorum doctrina in captationibus, perficit summæ natura scientiæ in theologicis sermonibus. Respondent, *Gloria tibi, Domine*, glorificantes Deum quod nobis missum est salutis verbum, juxta illud : *Et glorificaverunt Deum dicentes : Ergo et gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit* (*Act.* XI). Signant etiam se in fronte ubi sedes est verecundiæ, ut se de verbis crucifixi non erubescere significent, vel ne occulta diaboli suggestio corda eorum ab auditu Evangelii avertat. Signum enim crucis diabolo valde formidolosum est. Discooperta habent capita ut se audire paratos ipso habitu corporis insinuent.

CAP. XXI. *De Symbolo apostolorum quando et quare cantandum sit.*

Sicut post prædicationem Domini majora quam ante charismatum dona, gratia largiente effusa sunt, sic post Evangelii lectionem majora sacramenta ordinata. Tunc si sit dies Dominica vel paschalis sive Pentecostes solemnitas, cantatur fidei Symbolum, quod est *Credo in unum Deum*, etc. Maxime enim Resurrectionis vel Pentecostes sacramentum respicit hoc fidei tripudium, quando nova proles Ecclesiæ vitalis fontis ingressura lavacrum, vel de novo ingressa, reddit ejus quam catechizata didicit, Christianæ fidei Symbolum. Cantatur et in festis Apostolorum, quia ab ipsis est compositum ; necnon et in festivitate qualibet beatæ Mariæ virginis, quia et ipsa ibi commemoratur ubi dicitur, *Natus ex Maria virgine*, et apostoli eam in opere habuerunt adjutricem; multa enim per eam didicerunt; ipsa enim attentius, ut mater, *conservaverat omnia verba, conferens ea in corde suo* (*Luc.* II). Interim subdiaconus circumfert Evangelium omnibus religioso osculo salutandum, quia Evangelium Judæis et gentibus propter diversitatem observantiarum dissidentibus pacem attulit temporalem et nuntiavit æternam, utriusque scilicet populi cum Deo et angelis ejus. Deinde liber ad altare refertur et in loco suo reponitur, ut ad imitationem apostolorum ministri quidquid actum est non sibi, sed Domino ascribendum esse insinuent.

CAP. XXII. *De Offerenda et significatione Versuum ejus.*

Sequitur Offerenda, nomen habens ab offerendo, eo quod canitur quando Creatori nostro laudis offerimus sacrificium. Hic magis et magis aperiendum fidei ostium et animæ triclinia pandenda sunt, ut quidquid angelus ille clamavit magno clamore Evangelii, credat mulier illa, magna scilicet Ecclesia, quæ in Apocalypsi (*Apoc.* XII) visa est amicta sole, scilicet quem induit in baptismate lunam habens sub pedibus, videlicet omnia mutabilia calcans. Luna enim mutabilis est, et ideo mutabilem mundum significat. Et in capite suo gestans coronam duodecim stellarum, id est chorum duodecim apostolorum, et in utero habens, et clamabat parturiens, et cruciabatur ut pareret. Hujus in utero habentis clamantis et parturientis salubrem cruciatum Offerendæ gravis et grandisonus imitatur cantus, qua Pneumatibus distenta frequentibus, et suis fecunda Versibus, quantumvis longa jubilatione non valet satis exprimere quod significat. Quidni obnixius corde clamet ad Dominum, qui per evangelica verba excitatus est, et suæ salutis mysterium parari videt? Cum concentu namque memorato præparata sacra panis et vini oblatio sic ad sanctum altare pervenit, ut subdiaconus ad diaconum, diaconus ad manum perferat sacerdotis. Lex enim, quam per subdiaconum significari diximus, sacrificium nostræ

salutis tantum præfiguravit in Melchisedech; sed per evangelicam traditionem ad altare, id est ad solemnem ritum Ecclesiæ pervenit.

CAP. XXIII. *De oratione Secreta, et patena ferenda.*

Sacerdos in silentio stans super oblata dicit Orationem, in cujus fine levat vocem, dicens: *Per omnia sæcula sæculorum*, ut a choro respondeatur *Amen*. Quod est confirmatio præcedentium. Dignum est enim ut in tanto mysterio omnes astantes orent, sicut sacerdos primo ad eos conversus exhortatur. Orant autem quodammodo quando orationem sacerdotis hac confirmatione prosequuntur. Interim diaconus patenam subdiacono porrigit subdiaconus eamdem involutam porrigit acolytho. Hoc autem de lege veteri sumptum videtur: ubi præcipitur ut filii Caath vasa sanctuarii a filiis Aaron prius involuta accipiant, et non tangant ea nuda ne moriantur, quia mysteria non omnibus quidem sunt revelanda; ab eis tamen quibus revelanda non sunt quodammodo sunt portanda, id est cum reverentia et veneratione eo amplius quia latent sunt observanda.

CAP. XXIV. *De præfatione.*

Sacerdos rem attentione dignam dicturus præmittit salutationem, optans nos tales esse, ut tanti sacramenti perceptione digni simus. Unde et dicit: *Sursum corda*, habeatis scilicet. Non enim cœlesti cibo digna sunt corda terrenis dedita. Chorus autem, ne possit ei dici: *Cantavimus vobis et non saltastis* (*Luc.* VII), respondet: *Habemus ad Dominum*, corda scilicet. Deinde sacerdos gratias Deo agendas dicit de redemptione scilicet humani generis per Christum, cujus repræsentatio præsto est , altari. Unde de Christo loquens subjungit: *Per quem majestatem tuam laudant angeli*, etc. Siquidem angeli de reparatione nostra laudant Deum Patrem, quæ ipsius dispositione facta est per Filium. Ob eamdem causam *adorant* eum *dominationes* (qui est alius ordo angelorum), quia de redemptis per Christum adimpletur numerus eorum. Considerantes autem quoque tam alti consilii profunditatem *tremunt potestates*. Deinde cum laudibus angelorum rogat laudes admitti servulorum. *Supplici confessione*, id est supplici laudatione *dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus*, propter personarum Trinitatem. *Dominus Deus* singulariter et semel, propter naturæ unitatem. *Hosanna*, id est salva obsecro in excelsis, quasi dicat non ea salute hic salvari peto qua *homines et jumenta salvabis, Domine* (*Psal.* XXXV), sed in excelsis salute æterna. Hunc hymnum sacerdos cum choro dicere debet, qui et suas et aliorum preces admitti deprecatus est in Præfatione præcedenti.

CAP. XXV. *Summa sententiæ totius Canonis.*

Sed jam de ipso Canone tractantes brevitatem propter memoriam prout in tanta re fieri poterit observare curabimus. Totam sequentem seriem usque ad ultimam Orationem Romano more Canonem appellamus propter regularem sacramentorum confectionem. Hunc multipliciter expositum invenitur diligentia Patrum. Consulens vero infirmitati nostræ divina gratia, antiqua Capitula sensuum novitate sæpe perfundit, ut quos majores in eis sentire nequiverunt, inspirante Dei sapientia sentiant minores. Sensus itaque novi cum subito effulserint supra omnem humanum modum, miramur ubi nunc usque latuerint, unde tam inopinate et absque studio emerserint. Ex ipsa vero admiratione et inopina exsultatione dilatatur, cor, sicut scriptum est: *Mirabitur et dilatabitur cor tuum* (*Isa.* LX). Et ob ipsam dilatationem adimpletur devotione, dilectione, delectatione, juxta illud: *Dilata os tuum, et implebo illud* (*Psal.* LXXX). Nonnunquam vero luce clarius visa, et super mel et favum dulcius gustata, dum per eadem transimus, absconduntur, juxta illud: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* (*Psal.* XXX.) Ipsa enim absconsio timorem gignit horribilem, horror dolorem, dolor gemitus, suspiria, et inter nos animi questus inenarrabiles, ita ut nil minus lugeamus nos amisisse vetera, quam gaudeamus invenisse nova. Sicque utrasque vicissitudine, gaudii scilicet de revelatione occultorum et mœroris de occultatione, ac si inter duas molas confracti, comminuti et permoliti, in similaginem sacrificii Dei transimus. Quibus ista desunt, saltem inter molas timoris et spei exagitantur. Memores enim, *quia in multis delinquimus omnes* (*Jac.* III), et scientes quoniam *qui indigne suscipit*, ad quod se præparat sacramentum, *judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI); accedere metuunt. De misericordia vero Dei confitentes, qui de indignis facit dignos, et de peccatoribus justos, et in memoria illud tenentes: *Qui manducat me, vivit propter me, ipse manet in me, et ego in eo* (*Joan.* VI), spe trahente timore retrahente, eum corde contrito et humiliato ad sacrum mysterium accedunt, et hac quasi duarum molarum collisione sese similam sacrificio Dei aptam efficiunt. Ipsamque utroque genere lacrymarum, id est compunctionis et devotionis commiscentes, et in clibano cordis igne doloris vel charitatis et desiderii fervore succensi coquentes, seipsos panes propositionis Deo offerunt. Seipsos etiam cum Christo intus coram Domino Deo crucifigunt, sicut et extra in manuum extensione formam crucis in se ostendunt. Felices qui sic sæpius afficiuntur, qui sic desuper visitantur. Verum quoniam nos nobisipsis minime constamus; sed *Spiritus ubi vult spirat, et nescimus unde veniat aut quo vadat* (*Joan.* III), et non potest homo a seipso accipere quidquam nec pro voto ab alio, sed sicut datum fuerit desuper, inveniat artificium cœleste quomodo et nos et nostra simul Domino offeramus: et ut columnas basi innixa firmius staret et aptius, voluit cœlestis artifex ut de veteri sacrificiorum ritu et materia sacrificii sumeretur et forma. Duo quippe sacrifices præcipui sub legem fuisse leguntur, Melchisedech et Aaron. A Melchisedech sacerdotio, docente Domino, didicit Ecclesia quid offerret. Ille enim de quo dictum est: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX), panem et vinum quæ ante Melchisedech in figura obtulerat, in

corpus et sanguinem suum consecravit in cœna, et in Ecclesia idem fieri præcepit. A sacerdotio autem Aaron, formam sacerdotii sumpsit Ecclesia. Tabernaculum enim Dei cum hominibus sic compositum est in deserto, ut in atrio exterius altare haberet æneum, ubi animalium carnes cremabantur. Intus autem in tabernaculo aliud erat aureum, quod dicebatur altare thymiamatis, ubi thura cremabantur; et alia quæ odoriferum facerent fumum. Post quod intimo et supremo loco positum erat propitiatorium, qui Sancta sanctorum dicebatur. Inter propitiatorium et altare aureum oppandebatur velum, quod in passione Domini scissum est, ut pateret propitiatorium. Inter altare aureum et æneum velum quidem in eremo, sed murus dividebat in templo; de quo peccator per pœnitentiam tendens ad justitiam mystice sic loquitur : *Et in Deo meo transgrediar murum* (*Psal.* XVII). In his tribus locis Aaron sacrificia singulis debita offerebat. Super altare æneum in atrio sacrificia animalium comburebantur; post quod sacrificium sacerdos de igne altaris ejusdem sumens carbones ferebat in sancta, et super altare aureum thymiama incendebat. Deinde de carbonibus ejusdem altaris ponens in thuribulo, fumum thuris abundantissimum deferebat ultra velum in sancta sanctorum, adeo ut obstante fumo clare videre non posset propitiatorium aut duo cherubim quæ super illud stabant, et alis expansis illud obumbrabant. Ad illud propitiatorium summus pontifex solus semel in anno cum sanguine intrabat. Sic dispositum et ad hoc erat in deserto tabernaculum, juxta quam dispositionem factum est templum.

CAP. XXVI. *De significatione altaris exterioris.*

Sed quoniam, secundum Apostolum, hæc omnia umbram prætendebant futurorum, primum et æneum altare cor contritum et humiliatum significare intelligimus. In quo, dum quod jumentum visimus et irrationabiles actus per pœnitentiam mactamus, quod nisi diversorum generum animalia Deo sacrificamus? Talia etenim animalia Deo in conversione peccatoris qui per peccatum quidem foris est, et nisi per condignam pœnitentiam non intrat ad justitiam, mactat cordi compunctio, excoriat oris confessio, in frusta dividit dijudicatio, comburit condigna afflictio. Æneum quidem est, obscurum videlicet et sonorum, quia collocatur pœnitens in semetipso in obscuris, dum anxiatus in eo spiritus ejus, et in eo turbatum est cor ejus, et de profundis fortiter clamet opus est ut vox ejus audiatur in excelsis. Hanc horum animalium super hoc altare oblationem Deo invisibiliter faciendam significamus, et quodammodo visibiliter facimus, cum, præmissis quibusdam orationibus seu quibusdam postulationibus cum incenso arietum, id est suffragiis apostolorum ac martyrum, super visibile altare visibiles hostias panis et vini offerimus. Et hæc omnia quasi adhuc foris aguntur, dum quæ fiunt et quomodo fiunt foris conspiciuntur. Unde et ad servum qui non manet in domo in æternum (*Joan.* VIII) pertinere noscuntur, quamobrem et servitutis oblatio dicuntur, sicut dicitur : *Hanc oblationem servitutis nostræ*. Oblationem servitutis recte nominamus panem et vinum; nam cum homo de terra sumptus per naturam, super terram dominus esset constitutus per gratiam, ab auctore naturæ et datoro gratiæ recedens per culpam, infra terram damnatus est per justitiam. Unde cui terra famularetur gratis fertilis ad suavitatem, nunc multis et miris obsequiis delinita et plurimis exculta laboribus, vix largitur ad necessitatem, sicut scriptum est : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* III).

Quoniam ergo in victualibus sine quibus vita animalis non transigitur, principalia sunt panis et vinum, hæc servus offerens quod animaliter vivit occidit; vitam enim occidit qui victum sibi subtrahit. Hinc est quod a Sapiente dicitur : *Ad mensam magnam sedisti; diligenter attende quæ tibi apponuntur* (*Eccli.* XXXI). *Fige cultrum in gutture tuo, sciens quod talia te oportet præparare* (*Prov.* XXIII). Mensa magna altare Domini est. Ille nobis apponitur ad refectionem, qui corpus et animam suam posuit pro nobis ad redemptionem. Attendendum est quod talia oportet etiam illi præparare, id est pro illo nostrum simul et similiter corpus et animam ponere. Sic enim per spiritum consilii ipsi respondet Propheta : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam* (*Psal.* CXV).

Formam vero attende quam subtiliter et eleganter expressit, dicens : *Fige cultrum in gutture tuo.* Cultrum quippe abstinentiæ et inediæ quasi in gutture figimus, dum qui victum nostrum Deo obtulimus, de eo postmodum parce et timide quasi de altari Dei ad necessitatem sumimus. *Nam qui altari deserviunt ordinavit Deus de altari vivere* (*I Cor.* IX).

Alioquin si post oblationem talem iterum deliciose et luxuriose quasi de nostro assumimus, totum quod offerimus auferimus, et de rapina jam pojus vivimus. Habemus igitur quod et qualiter super primum altare offeramus.

CAP. XXVII. *De significatione altaris interioris.*

Secundum altare quod et intus erat et aureum, altare fidei significat in corde per pœnitentiam purgato, testimonio bonæ conscientiæ rutilante et claro. Hoc etiam altare justitiæ dicitur, quia ex fide justitia, sicut scriptum est : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gal.* III). Et in Habacuc : *Justus meus ex fide vivit* (*Habac.* II). Super hoc altare *sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta, vitulos* labiorum nostrorum (*Psal.* L), offerimus, dum non jam, sicut prius, nostra deploramus commissa, sed in divinis exsultamus; non jam de commissione criminum geminus, sed de collatione virtutum gratias agimus, dum vitam et opera orationesque nostras Deo fieri acceptabiles postulamus, dum devotio lacrymas fundit, et patriæ delicias desi-

derans, de incolatus diuturnitate gemit. Super idem altare sacerdos per oblationem victualium suorum jam mundo mortificatus, sed vivens Deo, non jam vetus Melchisedech, natus de carne carn, sed novus homo, natus de spiritu Spiritus, offert invisibilem hostiam carnis et sanguinis. Quid enim super altare fidei congruentius dicitur offerri quam sacrificium illud sanctissimum quod sola fide percipitur, in sola fide prodest, et merito fidei acceptatur? Hoc sacrificium super altare fidei offertur in odorem suavitatis, sed et oratio super illud oblata quasi suavitatis odor suscipitur a Domino sicut dictum est: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL). Super altare aureum carbones de alio altari sumpti ponuntur ad cremandum thymiamata orationum, quoniam primo Spiritus sancti igne succenditur cor ad delendum peccata, et eodem igne postea succenditur ad emittendam sursum dulcium orationum fragrantiam, dum homo jam per pœnitentiam purgatus, desiderat venire et apparere ante faciem Dei. Ibi ignis Spiritu sancti elicit quasi de ligno viridi lacrymas compunctionis; hic, lacrymas devotionis.

Cap. XXVIII. *De propitiatoria mystice.*

Tertius locus, qui dicebatur Sancta sanctorum, velo quodam erat a sanctis divisus. Ultra velum erat arca testamenti, et super eam propitiatorium, mensa scilicet aurea ejusdem mensuræ cujus et arca; sic dicta, quia ibi Dominus apparens Moysi propitiabatur populo suo. Arca humanitatem Christi significat, quæ est ultra velum, quia Christus ultra cœlum ascendit, et sedet ad dexteram Patris, id est in potioribus ejus bonis. Propitiatorium super arcam propitiatio Dei est super Christum. Unde Apostolus: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ejus* (*Rom.* III). Vel propitiatorium est Dei misericordia per quam populo suo propitiatur. Quæ bene dicitur esse super hominem Christum, quia misericordia Dei ipsa est divinitas. Ad hanc arcam, ad hoc propitiatorium, novus sacerdos post sacrificium animalium in altari primo, post oblationem carnis et sanguinis Christi in secundo, accedere satagit cum thuribulo igne altaris pleno, id est cum corde alto, sicut scriptum est: *Accedet homo ad cor altum* (*Psal.* LXIII), et igne Spiritus sancti accenso cum thymiamate orationum abundantissimo, adeo ut quæ ultra velum sunt clare videri non possint, quia quanto devotiori affectu ad Deum tendimus, tanto magis enm non posse comprehendi intelligimus. Unde: *Oculi tui avolare me fecerunt* (*Cant.* VI); *et Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (*Psal.* LXIII). Sacerdos igitur illuc mente tendens, sed insufficientiam suam recognoscens, videns cordis oculis angelos, super propitiatorium stantes, utpote ad auxiliandum paratos, rogat sacrificium suum eo provehi ut ipse Deo jungatur et uniatur, et spiritui adhærens unus spiritus cum eo efficiatur. *Supplices te rogamus.* Sed jam verbis Canonis insistamus, et qualiter prædicta tria ibi adaptantur explicare conemus.

Cap. XXIX. *Canonis expositio.*

Sacrum Canonem, quem alii multiplici ratione multipliciter diviserunt in tres partiunur actiones. Primæ initium est, *Te igitur* usque *Qui pridie quam pateretur.* In hac principalia victus nostri panem, scilicet qui cor hominis confirmat et vinum, quod lætificat cor hominis (*Psal.* CIII; *Eccli.* XL) offerimus Domino in sacrificium.

Hæc triplici vocabulo nuncupamus. Dona dicimus quia nobis a Deo sunt donata: munera, quia a nobis illi oblata. Donum enim est quod a superiore datur; munus, quod ab inferiore. Quod autem additur *hæc sacrificia*, determinatio est qualiter Deus inde muneretur. Super illa fit crucis signum in memoriam Dominicæ passionis, cujus nos participes facimus, dum vitæ nostræ sustentamenta nobis subtrahendo Deo offerimus.

Ter autem signamus ea, quia virtute Trinitatis omnis consecratio perficitur. In hac prima actione oratio fit pro omnibus quorum idem est sacrificium, quique illi vera similitudine conveniunt, in eo videlicet quod, cum sint multi, sic, per unam fidem et unum spiritum, in unum corpus Ecclesiæ sunt conjuncti quomodo panis ille de multis confectus est granis, et vinum ex multis confluxit acinis.

Deinde ad cultores Ecclesiæ specialis decurrit Oratio. Cultores autem Ecclesiæ dicuntur qui sarculo correctionis et sanctis documentis eam excolunt. In sequenti Orationis tono dicitur: *Qui tibi offerunt pro se suisque omnibus.* Ubi licet præpositio pro eodem modo quo in cæteris clausulis possit accipi, hoc tamen sensu non inconvenienter accipitur, ut hæc, scilicet panem et vinum quæ in victu vitæ animalis principalia sunt, offerendo seipsos et sua omnia, id est totum victum suum offerre dicantur. Præcipua quippe illius portio sunt, et totum figurant. Sequitur: *Communicantes et memoriam venerantes.* Ubi licet scriptores quasi Capituli initium faciant, eo quod in quibusdam solemnitatibus hæc diversitas quædam invenitur, jungitur tamen præmissis hoc modo: Offerunt pro se suisque, ipsi dico communicantes, in Ecclesiæ communione per fidem manentes.

Cap. XXX. *De mystico rationali.*

Deinde sanctorum nomina recensentur, ut eum suffragiis eorum, quasi cum incenso arietum, oblata acceptentur nostra sacrificia. In hujus rei significationem Aaron in rationali, quod erat ei in pectore, duodecim patriarcharum nomina ascripta ferebat. Et hæc autem commemoratio sanctorum, et illa nominum inscriptio, huc intendit, ut quicunque ad mensam Domini accedis, sanctorum Patrum puritatem mente imiteris.

Cap. XXXI. *Quod petat Actionis primæ oratio*

Hanc igitur oblationem. Hæc omnia tanquam ad servum pertinentia adhuc quasi foris aguntur: unde et munera præmissa oblatio servitutis hic dicuntur,

et Oratio circa ea versatur in quibus afficitur servus, videlicet ut pax ei temporalis conferatur, et æterna possit evadere supplicia. Non adhuc ad hæreditatem suspirat tanquam filius, sed verbera metuit ut servus. Sequitur : *Quam oblationem*. Præparatio est ad secundam Actionem. Quasi dicat servus : Altioris opus est consilii, totum quod potui feci, sed in toto non satisfeci. Non possum amplius aliquid, occidere me possum, vivificare non possum.

Itaque oratione me erigam ad eum qui omnia potest. Dicam itaque ei, dicam : Domine, feci quod potui, oblationem nostram fieri jubeas *Benedictam* in melius promovendo, ut quæ cibus est corporis, fiat animæ cibus salutaris; *Ascriptam*, id est in Filii persona divinitati appropriatam; *Ratam*, ut quod nostro geritur ministerio ratum habeas, ac si sine nobis manibus tuis idem ageretur.

Hæc tria verba dicendo, super duo oblata simul ter signum crucis facimus; quod in omnibus consecrationibus familiare est et domesticum. Per virtutem enim crucis Domini multa credimus operari. Ideo ter, quia per virtutem crucis pariter Trinitas operatur. Sequitur : *Rationabilem*, id est rationabiliter oblatam, ut qui recte offerimus, recte etiam dividamus. Deinde quid sub illis tribus verbis imploraverit sacerdos, manifestius ostendit. Cum dicit : *Ut nobis corpus*, etc., subaudias hæc oblatio. Sensus, de hac oblatione panis et vini fiat nobis, id est ad profectum nostrum caro et sanguis Christi.

Hæc dicendo semel fit crucis signum super panem, et semel super calicem, ut per virtutem crucis uos intelligatur, in utroque operatio Trinitatis cujus memoria facta fuerat in tribus signis præmissis. Nonnulli tamen quinque signa referunt ad quinque Christi vulnera. Hac igitur oratione præmissa, sacerdos in fide nil hæsitans accedit ad Actionem secundam.

Cap. XXXII. *De Actione secunda.*

Qui pridie quam pateretur, etc. Ad hæc verba potentia et efficacia, sicut scriptum est : *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis* (*Psal.* CLXVII). Ad hæc, inquam, verba, *Hoc est corpus meum*, fit super omnem humanam rationem divina virtute, humana sollicitudine, de cibo corporis, esca spiritualis; et descendente super panem et vinum immensæ majestatis virtute, tam veram divinitatem et humanitatem Christi in cœlo regnantis accipimus, quam veram substantiam ignis a sole supposita crystalli sphæra exigua mutuare possumus. Sulæ *manus* Christi *tornatiles, aureæ, plenæ hyacynthis* (*Cant.* v), ejus qui dicit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv). Hæc operantur per manus sacerdotis, quæ manibus suis conformatæ sunt maximæ, quia ut hæc operari cum ipso et per ipsum et cum ipso possint, oleo sacro consignatæ sunt. Tam sacram igitur hostiam super invisibile fidei altare offerens sacerdos, non jam ut prius timide loquitur, neque hostiam nominat servitutis, sed cum exsultatione et lætitis spirituali dicit : *Præclaræ majestati tuæ offerimus de tuis donis* quæ videlicet nobis dedisti ad corporis sustentationem, *ac datis*, quæ scilicet tibi sacrificando dedimus. Hæc enim virtute tua in corpus et sanguinem Filii tui consecramus, *Hostiam puram* et purificantem, *sanctam*, et sanctificantem, *immaculatam* et immaculatos efficientem, id est panem sanctæ vitæ, non temporalis, non animalis, sed spiritualis et æternæ, *et calicem* qui in perpetuum salvare et satiare potest, et ideo *salutis æternæ*. Notandum quod consignatio facta super panem et calicem ante consecrationem quasi oratio est ut consecratio compleatur; post consecrationem vero iterata consignatio, consecrationis jam adimpletæ quædam est testificatio. Illud quoque prætermittendum non est quod in hoc Capitulo sancta Ecclesia misericordiæ Domini tria proponit insignia, scilicet beatam passionem, ab inferis resurrectionem; et in cœlos gloriosam ascensionem. Primum vulnerat Ecclesiam charitate, alterum confortat fide, tertium lætificat spe. Primo conformari nos oportet in Actione prima; secundo in Actione secunda, mysterium fidei cum devotione precum offerendo; tertio in tertia, Christum Dominum in dextera Patris gloria et honore coronatum contemplando. Dicit enim : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII).

Cap. XXXIII. *Quid petat oratio Actionis secundæ.*

Sequitur : *Supra quæ propitio*. Post oblationem veri et summi sacrificii super idem altare fidei offert sacrificium orationis, et altius adhuc aliquid expetit, cui donec per corpus Christi in cœlis Deo uniatur et per humanitatem divinitati conjungatur, nil sufficit. Quippe qui scalam sibi erexit, ascendere satagit. Unde et post tantam oblationem accingit se adhuc ad orationem, dicens : *Supra quæ propitio*, etc. Et quasi per gradus ipsius scalæ ascendens commemorat munus Abel pueri, sacrificium Abrahæ patriarchæ, oblationem Melchisedech sacerdotis, qui in pane et vino speciem veri sacrificii eleganter expressit, sicut Abraham veritatem in filio, et Abel innocentiæ munus in agno. Quod dicit : *Sicut accepto habere digneris es munera*, etc., non optat similiter acceptari oblationes (hæc enim multo est acceptabilior), sed offerentes. Hac itaque oratione fretus cum fiducia accedit ad Actionem tertiam.

Cap. XXXIV. *De Actione tertia.*

Sed quoniam ad illud summum et sublime altare propitiatorium invisibile, videlicet in conspectu divinæ majestatis, ubi summus et perpetuus Sacerdos assistit vultui Dei Patris, nondum ut vult valet ascendere, sicut ipse ante altare visibile se inclinans significat, rogat per manus angeli, sui videlicet custodis, suum eo sacrificium perferri, ut virtuti sacramenti ipsius communicet, ut per corpus Christi quod in cœlo est, et de altari visibili in terra suscipitur, ad summam propitiationem Dei perveniat, et ei uniri mereatur. Hæc est enim illa perfecta benedictio, de qua dicit : *Omni benedictione cœlesti et*

gratia repleamur. Sacrificium per manus angeli perferri nil aliud intelligimus quam ipsum cooperari nostræ devotioni. Cooperatur autem nobiscum pro nobis orando, modoque mirabili et invisibili bona meotibus nostris suggerendo. Vel forte singulare posuit pro plurali, angeli pro angelorum. Dicit enim beatus Gregorius, libro Dialogorum IV, quod in ipsa immolationis hora ad vocem sacerdotis aperiuntur cœli, adsunt angelorum chori, summis ima sociantur, terrena cœlestibus junguntur, et fit unum ex visibilibus et invisibilibus.

CAP. XXXV. *De Oratione pro defunctis.*

Sequitur *Memento etiam, Domine*, etc. Sicut in prima Actione, ubi vitæ animalis sustentamenta offerebat, rogabat pro vivis: ita in hac tertia, ubi posteriorum oblitus et in anteriora se extendens miseri Deo quærit, rogat pro defunctis qui eodem indigent cibo, ut merito charitatis dum aliis orat quod sibi, impetret et sibi et aliis. Scires autem quosdam salvandorum (pro solis enim salvandis orat) post decessum suum pœnis purgatoriis detineri, primo eis locum refrigerii rogat concedi, deinde lucem, ut Deum sicut est videant; ad ultimum pacem de qua dictum est: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV), pacem scilicet super pacem, quam etiam paulo post in tertia repetitione *Agnus Dei*, Ecclesia sibi donari postulat dicens: *Dona nobis pacem*. Hæc pax in unitate capitis et membrorum consistit.

CAP. XXXVI. *De mystico superhumerali.*

Sequens Capitulum nobis quoque commemorat nomina sanctorum, quorum interventu sacerdos vult impetrare quod postulat. Et videtur hoc quoque de legali sacerdotio sumptum. Sicut enim in rationali sacerdos legalis ferebat in pectore XII lapides pretiosos duodecim nominibus filiorum Israel insculptos, sicut supra dictum est, ita in superhumerali ferebat super humeros duos lapides onichynos auro inclusos et eisdem nominibus insignitos. Sex quippe nomina in uno erant, et sex in altero. Noster vero sacerdos, sicut supra diximus, nomina sanctorum, quos memorat verbis, tunc portat in rationali pectoris, cum eos imitatur sanctitate et puritate mentis; tunc autem in superhumerali super utrumque humerum, cum in dextera prosperitatis et in sinistra adversitatis imitatur eos prout potest in perfectione operum. Sequitur: *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*. Scriptum est: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII). Quomodo igitur semper creat? Sed omnia corpora creavit simul, quantum ad materiam; quotidie autem creat, id est facit, singulis tribuendo speciem propriam, secundum illud: *Pater meus usquemodo operatur et ego operor* (*Joan.* V). In eo autem quod dixit, *hæc omnia* id est hujusmodi omnia (neque enim de duobus secundum speciem, neque de uno secundum rei veritatem diceret *omnia*). Vide ordinem: prime Deus panem et vinum creat per naturam. Eadem in altari oblata sanctificat per gratiam, per verba Actionis primæ. Jam tunc enim ante sanctificationem sanctificata sunt et a communibus usibus separata. Deinde per sacra verba secundæ Actionis sanctificata promovendo vivificat, dum ea in corpus et sanguinem Christi transubstantiat, et benedicit, dum eis summæ benedictionis effectum tribuit, quæ est in unitate capitis et membrorum, de qua tertia Actio meminit. Signa tria crucis quæ hic fiunt operatione Trinitatis per virtutem crucis, ostendunt facta esse quæ præmissa sunt. Signa enim facta hucusque post consecrationem non consecrationem operantur, sed ejus faciunt commemorationem sive testificationem, sicut supra diximus.

CAP. XXXVII. *De signis ultimis quid a reliquis differunt in causa.*

Per *ipsum et cum ipso*. Signa crucis quæ hic ultimo fiunt, alia causa fieri dignoscuntur quam omnia superius posita. Siquidem ista nec propter consecrationem fiunt, nec propter jam factæ consecrationis testificationem sive memoriam. Quare ergo fiant, et quare quinquies, et quare ter in calice et bis extra calicem fiant, breviter aperiendum est. Ipsa capituli verba plane indicant, ad quid hæc signa crucis fiant. Quoniam enim *Judæis crux quidem est scandalum, gentibus autem stultitia* (*I Cor.* I), ne toties iterata consignatio et in memoriam Trinitatis triplicata ignominiam potius parere videretur quam laudem, ideo signum crucis ter repetens in calice propter Christum, cujus sanguis ibi est, et bis extra calicem propter Patrem et Spiritum sanctum, asserit crucem ad totius Trinitatis pertinere gloriam et honorem. *Per ipsum*, inquit, Christum scilicet per quem gloria Patris innotuit, *et cum ipso*. Neque enim ipse Christus alienus esse poteat a gloria Patris cum quo ipse est unus Deus, *et in ipso*. In ipso namque est plenitudo divinitatis. Unde gloria est Deo Patri qui talem genuit Filium, et Spiritui sancto cujus operatione in utero Virginis est conceptus.

Sed cum unum tantum signum fiat nominando Patrem, et unum tantum nominando Spiritum sanctum, quid sibi volunt tria signa pro nominando Christum in calice facta? Propter trinam prolationem pronominis Christum designantis triplicatur etiam signum crucis. Cum enim pronomen, ut ait grammaticus, ad omne pertineat suppositum, si in prima prolatione pronominis fieret signum, et in aliis non fieret, sed aliam sive alias videretur referendum esse personas. Notandum etiam quod cum alia signa sola manu sacerdotis fiant, ista fiunt de corpore Christi. Hic enim ipsa Christi crucifixio repræsentatur, quasi Christus quem præsentem credimus, sic pro nobis in ligno crucis est extensus. In fine Capituli hujus elevat vocem sacerdos, ut ejus continentia ab omnibus confirmetur dum respondent *Amen*.

CAP. XXXVIII. *De elevatione sacramenti; quid significet.*

Et ut ostendat sacerdos qualiter per Christum gloria Trinitati sit acquisita in mentibus fidelium, quantum potest exprimit passionis mysterium. Post signa crucis utraque manu elevat sacramentum corporis et sanguinis Christi, et paulo post deponit; quod significat elevationem corporis Jesu Christi in cruce, et ejusdem in sepulcrum depositionem. Unde et calicem corporali palla tegit, quod significat sindonis involutionem. Cum igitur calix bucusque præ cautela coopertus fuerit hoc pro mysterio cooperitur. Interdum sacerdos ad Dominicam Orationem accedens, ut præsente magistro petitiones quas ipse facere docuit, meliorem sortiatur effectum præmittit, *Divina institutione formati* quia Matthæo et Luca testantibus, sic orare Christus instituit. Competenter autem subjungit *Audemus dicere*. Nisi enim Christus instituisset qualiter homo, terram et lutum se esse cognoscens, Deum Patrem suum nominare auderet? Notandum quod in Oratione Dominica VII sunt petitiones omnia quæ petenda sunt continentes. In cujus expositione multa a sanctis Patribus dicta leguntur; sed quia mens orantis tot ea hora capere non potest, nos de singulis petitionibus pauca dicere volumus, ut qui orat intelligere possit quid petat, et intelligens devotior fiat. Ad hoc enim orando verba proferimus, ut nobis affectum devotionis excitemus non ut Deum qui omnia novit quod nostra postulet mens doceamus.

CAP. XXXIX. *De Oratione Dominica; quæ est oratio Actionis tertiæ.*

Pater noster, qui es in cœlis (*Matth.* VI) Hoc totum quasi prologus est et captatio postulantis. In quo etiam magna impetrandi datur fiducia. Quid enim negabit filiis, quibus jam dedit ut Pater sit? Sed qui Deum Patrem vocamus, cavendum nobis a sordibus, ne tanto Patre indigni simus. *In cœlis*, id est in sanctis. Cum Deus in omnibus creaturis sit per essentiam in solis bonis est per inhabitantem gratiam. Prima petitio est quæ sequitur. *Sanctificetur nomen tuum* in nobis ut de bona et spirituali conversatione filiorum glorificetur Pater noster. Vel nomen Patris in ipso sanctum ab æterno, tunc in nobis sanctum et venerabile habetur, cum bonum Patrem tanquam boni filii non timore sed amore offendere cavemus. Qualiter in nobis impletur secunda petitio quæ dicit, *Adveniat regnum tuum?* Istud siquidem non solum de futuro regno cum ei pleno subjiciemur, sed et de præsenti potest accipi quia tunc regnum Dei efficitur in nobis cum ei soli et devote serviemus, jam scilicet liberati a regno peccati et dominio diaboli. Sequitur: *Fiat voluntas tua*, non nostra; *Sicut in cœlo*, id est, sicut in angelis, *ita et in terra*, id est in nobis hominibus. Hæc non assequimur hic nisi ex parte, in futuro autem plene. Hæc enim tria quæ in præmissis postulamus, in sanctis hic inchoantur et quotidie augentur, in futuro autem plene consummabuntur. Quatuor vero quæ sequuntur præsentis tantum vitæ sunt. Ibi enim nemo indigebit pasci, nulli debita dimittentur, nemo tentabitur, nulla ibi mala a quibus aliquis liberetur. Quarta petitio est: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Panis quo quotidie egemus ne in hac via peregrinationis nostræ deficiamus, spiritualis est animæ cibus, affectus videlicet ex dulcedine Dei, et sapor quidam suavissimus, quo anima in oratione interdum reficitur. De hoc pane dicitur: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII). Hoc manna verus Israel per desertum hujus sæculi interius pascitur, donec terram promissionis ingressus de ipsa suavitatis Dei facie satietur. Ibi igitur panis iste non quotidianus, sicut hic petitur, sed unus erit, id est non sicut hic, modo aberit modo aderit, sed uno et eodem modo sufficienter et indesinenter in æternum satiabit. Notandum autem quod dum panem petis, omnia comprehendis quæcunque necessaria et ad sustentationem corporis et animæ tanquam viaticum tuæ peregrinationis a Creatore exigis. Et nota quod dicit *hodie*, quasi hoc die præsentis scilicet vitæ, id est quandiu in hac vita sumus. Quinta petitio est, *Et dimitte nobis debita nostra*, id est pœnas pro peccatis debitas *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Si enim non dimiserimus peccantibus in nos nec Deus dimittet nobis peccata nostra. Sexta petitio *Et ne nos inducas*, id est ne permittas nos induci et cadere in tentationem. Non est malum tentari, sed est bonis victoriæ occasio. Hic igitur solum orandum est ne inducamur in tentationem, id est ne vincamur. Septima petitio est id quod sequitur: *Sed libera nos a malo*. Quasi dicat: Non solum non sinas induci, sed etiam ab his tentationibus libera nos in quas jam sumus inducti. Hoc septimum chorus succinit in quo se orasse cum sacerdote ostendit. Ad hoc enim fuerat invitatus: cum sacerdos ante Orationem Dominicam diceret, *Oremus*. Deinde subjungit sacerdos, *Amen*, ad petitionem omnium præmissarum confirmationem. Dum dicit sacerdos, *Da propitius pacem in diebus nostris*, Patenam, quam diaconus usque ad *Panem nostrum* tenuerat, de manu diaconi suscipit, et in altari ut fractionem super eam faciat deponit. Nos tamen hanc fractionem ad cautelam facimus super calicem. Tertia pars, quæ in calice ponitur, propitiatio est pro vivis, opusque sanguinis et carnis expiat illa caro sanguini admista. Reliquarum altera est propitiatio pro fidelibus defunctis qui nostris orationibus indigent quia adhuc in pœnis detinentur: Altera est pro jam triumphantibus gratiarum actio. Sergius tamen Papa aliter super his loquitur. Vult enim significari per corporis et sanguinis commistionem, corporis et animæ Christi in resurrectione factam conjunctionem. Ait enim ita: Pars oblatæ in calicem missa, corpus Christi quod jam resurrexit monstrat; pars comesta, ambulantem super terras; pars in altari usque ad finem missæ reposita membra Christi, id est, sanctorum corpora usque ad finem sæculi in sepulcris quiescentia.

Cap. XL. *Quare pax datur ante communionem.*

Congrue autem pax datur ante communionem, quia quicunque prius fratri non reconciliatus communicare præsumpserit, *judicium sibi manducat et et bibit* (*I Cor.* xi). *Agnus Dei* ter cantatur, ut verus Agnus cujus carnem et sanguinem sumimus nobis propitietur. Primo rogamus ut nobis misereatur, peccata relaxando; secundo ut nobis misereatur, devotos sibi faciendo; tertio, ut nobis pacem donare dignetur: quæ hic initium habet in sanctis et in beata vita perficietur. Hæc tria tres præmissæ postulant Actiones. In hujus pacis signum sacerdos prius osculum porrigit diacono, et diaconus subdiacono: et ille cæteris. Quia Christus pacem mundo attulit, quam primo majoribus, scilicet apostolis, deinde per eos minoribus nuntiavit. Unde *Suscipiant montes pacem populo* (*Psal.* LXXI).

Cap. XLI. *De communione.*

Cantus Communionis quem post cibum salutarem canimus, gratiarum actio est, juxta illud: *Edent pauperes et saturabuntur et laudabunt Dominum* (*Psal.* xxi). Oratio in fine missæ dicitur ut recessuri ad propria orationibus muniantur Ecclesiæ ne illecebris sæculi capiantur. Diaconus dicens *Benedicamus Domino*, ad gratiarum actionem populum invitat. In festis tamen diebus in quibus præclara Christi misericordiæ insignia recoluntur, et *Gloria in excelsis Deo* canitur, dicit diaconus *Ite, missa est*, solemni vocis pronuntiatione rei exprimens dignitatem. Sensus: Ite, quasi revertimini ad propria; sed ne sicut a laboribus terrenis, ita ab honestis cogitationibus vacetis, missa est quam audistis. *Sedistis ad mensam divitis, mementote ei similia præparare* (*Eccli.* xxxi). Ab hac missione, id est dimissione missam dicunt appellari vel a missione, id est legatione, quia in ea legatio Christi repræsentatur, vel quia sacerdos in ea pro nobis ad Deum legatione fungitur. Vel ideo a missione quia in ea catechumeni et qui sacramentis interesse non debent, foras mittuntur.

LIBER TERTIUS.

DE SPECIALIBUS MISSARUM OBSERVATIONIBUS JUXTA TEMPORUM VARIETATEM ET CAUSARUM.

INCIPIUNT CAPITULA.

Cap. I. — De officio missæ in jejuniis Quatuor Temporum.
Cap. II. — Quare Lectiones duæ legantur feria quarta; una, feria sexta, et quatuor in Sabbato Quatuor Temporum.
Cap. III. — De Oratione super populum quadragesimali tempore.
Cap. IV. — Quare in Adventu Domini cantica lætitiæ taceantur.
Cap. V. — Quare in Natali Domini ternæ missæ celebrantur.
Cap. VI. — Quare in festo B. Joannis Bap. duæ missæ.
Cap. VII. — De repetitione verborum in versibus Offerendæ, « Vir erat. »
Cap. VIII. — Quare cantica lætitiæ in festo Innocentium taceantur.
Cap. IX. — Quare in Adventu Domini et Quadragesima ministri altaris casula utantur et non propriis indumentis.
Cap. X. — De Septuagesima.
Cap. XI. — De Sexagesima.
Cap. XII. — De Quinquagesima.
Cap. XIII. — De Quadragesima.
Cap. XIV. — De Capite jejunii quadragesimalis.
Cap. XV. — Quare scrutinium quarta hebdomada celebretur et feria quarta.
Cap. XVI. — De officio Sabbati quod intitulatur *Sabbato vacat.*
Cap. XVII. — De officio missæ in quarta feria post Dominicam palmarum.
Cap. XVIII. — De officio feriæ quintæ ante Parascevem.
Cap. XIX. — Quare altaria ipsa die denudentur.
Cap. XX. — De officio feriæ sextæ, et unde dicatur Parasceve et quare ea die altaria vino et aqua laventur.
Cap. XXI. — Quid significet cereus in sancto Sabbato erectus.
Cap. XXII. — De officio missæ in nocte paschali.
Cap. XXIII. — Quid significet novus ignis in cereo.
Cap. XXIV. — Quare in principiis lectionum hac die tituli taceantur.
Cap. XXV. — Quare hac die tripliciter fiant litaniæ.
Cap. XXVI. — Quod parvuli in fide Ecclesiæ salventur.
Cap. XXVII. — Quare paschali hebdomade in albis celebretur.
Cap. XXVIII. — Quare Introitus non cantatur ad missam Sabbato sancto.
Cap XXIX. — Quare post Alleluia cantetur Tractus.
Cap. XXX. — Quare ante Evangelium cerei non ferantur.
Cap. XXXI. — Quare in eadem missa *Agnus Dei* non cantetur.
Cap. XXXII. — De officio sancti Paschæ.
Cap. XXXIII. — Quare a Pascha usque ad Pentecosten non cantetur Responsorium.
Cap. XXXIV. — Quare in diebus jejunii *Alleluia* non cantetur ad missam.
Cap. XXXV. — Quare in die Pentecostes baptismus celebretur.
Cap. XXXVI. — De officio missarum intra hebdomadam Pentecostes.
Cap. XXXVII. De officio missæ pro defunctis.

Cap. I. *De officio in jejuniis Quatuor Temporum.*

De officio missæ servata, prout potuimus, brevitate locuti, ad speciales observationes quæ pro temporum varietate fiunt in missa, stylum vertimus. Sciendum est igitur quod per Quatuor anni Tempora, scilicet ver, æstatem, autumnum, et hiemem, in quibus in multis deliquimus omnes, constituit

primitiva Ecclesia quatuor celebrari jejunia; quibus pro quantitate criminum alii plus alii minus abstinentes, peccata sua deflerent. Fit autem unumquodque horum jejuniorum spatio XL dierum. Ratio horum quatuor jejuniorum et XL dierum in singulis tum ex Evangelio tum ex lege colligitur. Ex Evangelio, quia Dominus XL dies jejunavit; ex lege, quia Moyses bis ab omni cibo XL diebus abstinuit. Similiter Elias XL diebus jejunus permansit. Ecce quatuor jejunia et unumquodque XL dierum. Unde et Ecclesia in singulis Quatuor Temporum spatio XL dierum celebrat jejunia, quæ specialiter jejunia Quatuor Temporum dicuntur. Pro ordinandis celebrare consuevit Ecclesia. Unde in ipsis diebus Pentecostes quando septiformis Spiritus et neophytorum celebratur festivitas, jejunia fiunt. De quibus Beda in Homilia sua dicit: Quod vero inter hæc jejuniorum castigatio repetitur, de ipsorum apostolorum exemplo sumptum credere debemus; qui, accepto Spiritu, quo perfectius nova cœlestium bonorum suavitate fruebantur, eo altius mentem a memoria deliciarum abstulere terrestrium. Jam enim advenerat tempus illud de quo Dominus prædixit quærentibus cur discipuli ejus non jejunarent: *Venient*, inquit, *dies cum auferetur sponsus ab eis, et tunc jejunabunt* (*Matth.* IX). Singula autem jejunia Quatuor Temporum tres habent dies, propter singulorum Quatuor Temporum anni tres menses. Pro singulis igitur mensibus singuli dies jejunio deputantur, scilicet feria IV, VI et VII. Quarta, quia eo die fecerunt consilium Judæi ut occiderent Christum; sexta cum eum occiderunt; septima Romano more jejunio concluditur propter tristitiam apostolorum de morte Domini, ut Innocentius narrat in Decretalibus: Sabbatum, inquit, jejunandum esse ratio evidentissima demonstrat; nam si diem Dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Jesu Christi non solum in Pascha celebramus verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, tametipsi sexta feria propter passionem Domini jejunamus Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusum.

CAP. II. *Quare duæ Lectiones legantur ad missam feria quarta; una feria sexta, et quatuor in Sabbato Quatuor Temporum.*

Quarta feria leguntur duæ Lectiones ad missam, quia quarta ætate mundi, scilicet a David usque ad transmigrationem Babylonis, et lex et prophetia viguerunt; et eos qui ordinandi sunt admoneri oportet ut habeant scientiam legis et prophetarum. Sexta feria una legitur, quia lex et prophetia in uno Evangelio recapitulantur; quod legitur in sexta ætate mundi. In Sabbato vero, quando ordines fiunt, Lectiones quatuor leguntur, quia quatuor ordines sunt benedicentium Deum, quos Psalmista numerat, dicens: *Domus Israel, benedicite Domino; Domus Aaron, benedicite Domino; Domus Levi, benedicite Domino; qui timetis Dominum, benedicite Domino* (*Psal.* CXXXIV). Has benedictiones ita explanat Augustinus in libro super Psalterium. *Benedicite, populi Dominum*; hæc est domus Israel generaliter. Benedicite, præpositi; hæc est, domus Aaron, Benedicite ministri; hæc est domus Levi. Qui de cæteris nationibus timetis Dominum, benedicite Domino. Omnes ergo una voce dicamus quod sequitur: *Benedictus Dominus ex Sion qui habitat in Jerusalem* (*Ibid.*). In istis ergo quatuor Lectionibus invitantur ordinandi ad imitanda vestigia antiquorum Patrum, qui prædictis quatuor ordinibus distinguuntur si quatuor debent dici; quorum primus omnes inclusit, et reliqui in partes dividunt. Post illas quatuor, de camino ignis legitur proximo loco ante ordinationem, quia nec potest rite accedere ad consecrationem qui prius non transierit per fornacem. *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccl.* XXVII). Gravitatem et humilitatem quas ordinatus debet servare, Tractus ostendit. Tractus enim, quia humilitatis tempore solet celebrari, semper in causa humilitatis ponitur. Sequitur Epistola quæ est quasi sexta Lectio. Hæ sex Lectiones apud antiquos Romanos quia nec omnes Latinam nec omnes Græcam noverant linguam, et Græce et Latine legebantur. Unde secundum numerum lectorum duodecim Lectiones agere dicebantur.

CAP. III. *De Oratione super populum in quadragesimali tempore.*

In tempore quadragesimali præter illa quæ aliis temporibus in officio missæ inseruntur, superadditur ultima benedictio, quæ Oratio super populum intitulatur, quia si omni tempore necesse est paratum esse contra adversarium, quanto magis in procinctu? Quadragesimali tempore scit adversarius noster contra se ab Ecclesia parari conflictum, ac ideo instat fortius ad rapiendum, si forte aliquem negligentem invenerit. Sacerdos autem, ut sapiens agonista, quanto in majore periculo videt Christi milites fore, tanto eos ampliori protegit benedictione. Et quia quanto major est devotio, tanto magis prodest benedictio, diaconus clamat ut humiliemus capita nostra Deo, et tunc sacerdos benedictionem apponit. In quadragesimali tempore non cantatur *Alleluia*; quod semper lætitiam sonat, sicut Versus sequentes Pneuma evidenter ostendunt, sed loco *Alleluia* Tractus cantatur. Tractus et in ipsa littera et in cantu tribulationem exprimit et laborem, ut: *De profundis*; ut: *Commovisti*; ut: *Qui habitat*; ut: *Ad te levavi*, etc. Tamen quia in resurrectione cum sanctis gaudebimus, si nunc per confessionem et pœnitentiam nos præparaverimus, post duos Tractus mœroris sequitur tertius Tractus lætitiam sonans. Vel hoc ideo fit, quia duobus temporibus, scilicet ante legem et sub lege, genus humanum in mœrore fuit, tertio sub gratia in lætitia in Christum respiravit, *De profundis* et *Commovisti*, tribulationem: *Jubilate* vero sonat lætitiam: item *Qui habitat*, et *Ad te levavi* tristitiam; *Qui confidunt*, præfert lætitiæ canorem. Similiter *Sæpe expugnaverunt me*, et *Deus, Deus meus*, tristitiam: *Laudate* vero hymnizat lætitiam.

Cap. IV. *Quare in Adventu Domini cantica lætitiæ taceantur.*

Cum celebratur Adventus Domini et in tempore quadragesimali, *Gloria in excelsis Deo* et *Te Deum* non cantamus in ecclesia, dalmatica et vestis subdiaconalis non portantur. Hæc enim omnia prætendunt lætitiam. Tempus autem Adventus ad memoriam reducit tempus illud quo Messias exspectabatur, et de tanta adventus ejus dilatione vivi conquerebantur et mortui qui in inferno tenebantur. Tempus vero Quadragesimæ ab ipsa Septuagesima nostram commemorat captivitatem, qua genus humanum a paradiso expulsum sub diabolo principe exsulabat, donec per Jesum sacerdotem magnum in hujus redemptionis nostræ figura reductus est in Jerusalem. Quia ergo utrumque tempus mœroris est, in utroque ab eis quæ lætitiam præferunt abstinemus; non tamen æqualiter, quia in Quadragesima prorsus *Alleluia* tacetur, quod non fit tempore Adventus. Denique hæc cuncta prædictis temporibus ideo intermittuntur, ut in Nativitate Domini et die Resurrectionis festivius amplectantur, et ut Novi Testamenti gratia præstantior Veteri cognoscatur. Quoties non dicitur ad missam *Gloria in excelsis*, toties tacetur *Ite missa est*, quia tempore luctus et pœnitentiæ magis oportet in Ecclesia miserias commemorare, peccata deflere et Deum gratiæ auctorem benedicere. Unde et in fine missæ dicitur *Benedicamus Domino*, quasi per quem a præsenti miseria speramus liberari.

Cap. V. *Quare in Natali Domini ternæ missæ celebrentur.*

Ante legem et sub lege Christus in figura jam immolabatur, sicut de eo scriptum est in Apocalypsi: *Agnus qui occisus est ab origine mundi* (*Apoc.* XIII). Tempore autem gratiæ vere pro salute mundi est oblatus. Unde ut per commemorationem figurarum veritas probabilior exsistat, quia sicut scriptum est: *In hoc verbum verum est, quoniam alius est qui seminat, alius qui metit* (*Joan.* IV). Semel in anno, scilicet in nativitate Domini constituit Ecclesia intra Natalis diei spatium ter missam celebrari: Primo in nocte, secundo sub auroram, tertio in die. Tempus ante legem, quasi nox fuit, nec lege nec prophetiis, nec alia prædicationis luce illustrata. Tempus sub lege quasi aurora fuit, nec penitus carens luce, nec plenam eam habens. Tempus gratiæ diei pleno comparatur. Prima missa tempus ante legem, secunda tempus sub lege commemorat, quia in utroque Christi immolatio in figura præcessit. In tertia missa vera lux advenisse monstratur, cum dicitur, *Puer natus est nobis* (*Isa.* IX), etc. In aliis temporibus tantum semel in die missa celebrari præcipitur, quia cessantibus figuris veritas manet. Figuræ autem imo figurarum tempora propter ipsas. Ideo in Nativitate Domini non in alio tempore missarum solemnitates commemorantur, quia temporis gratiæ nativitatis Dominicæ tempus fuit exordium. Unde in ipso temporis gratiæ principio præcedentia tempora quæ Christi figuras et signa prætulerant, ad memoriam reducenda sunt.

Cap. VI. *Quare in festo beati Joannis Baptistæ missæ duæ in quibusdam Ecclesiis celebrentur.*

Beatus Joannes Baptista legitur in Evangelio Lucæ repletus esse Spiritu sancto ex utero matris suæ (*Luc.* I). Quapropter in exordio lucis diei quasi in exordio Nativitatis sacrificium Deo offertur in honorem ejus ad laudem Creatoris qui illum honorare dignatus est ex utero matris. Beatus Joannes Baptista tribus insignibus triumphis excellenter refulsit. Ad hoc enim venit ut viam Domino præpararet exemplo suæ conversationis, qui triumphus celebratur in vigilia. Per baptismi ministerium claruit insignia. Hujus ministerii triumphus recolitur in prima missa, Nazareus vero permansit ex utero matris. Hoc donum recolitur in missa secunda in die.

Cap. VII. *De repetitione verborum in Versibus Offerendæ, « Vir erat. »*

In Offertorio *Vir erat in terra* (*Job* I), non est repetitio verborum. In Versibus vero est. Verba historici continentur in Offertorio, verba Job ægroti et dolentis continentur in Versibus. Unde officii auctor ut affectuose nobis ad memoriam reduceretur ægrotans Job, in Versibus more ægrotantium verba repetivit.

Cap. VIII. *Quare in festo Innocentium cantus lætitiæ taceatur.*

In solemnitate Innocentium ad missam non cantamus *Gloria in excelsis Deo*, nec *Alleluia* nisi in die Dominica evenerit, ut nos quodammodo matribus de morte filiorum lugentibus conformemus. Vel ideo in die hac a vocibus lætitiæ abstinemus, quia Innocentium animæ ad inferos descenderunt sicut et omnium qui ante passionem Christi obierunt. Quia tamen infra Nativitatis Domini dies, dies illa continetur, dalmaticam et vestem subdiaconalem non intermittimus.

Cap. IX. *Quare in Adventu et Quadragesima ministri altaris utantur casulis.*

In diebus autem Adventus Domini et Quadragesimæ ministri non utuntur hujusmodi vestibus sed casulis. Tamen quando proprium officium assumunt, casulis se exuunt, quia in proprio officio, id est legendo Epistolam vel Evangelium, eos qui ad prædicandum a Domino missi sunt repræsentant. Casula autem talia significat opera quæ in itinere observari non possunt. Significat enim per latitudinem suam charitatis amplitudinem. Hæc autem exigitur et in loquenda, propter quod collo circumdatur, et in operando, quia super utrumque brachium replicatur, et in cogitando quoniam pectus inde tegitur, et in portando aliorum onera, eo quod humeri inde ambiuntur. Hæc autem in itinere observari non possunt. Unde Beda in Tractatu super Lucam: At vero sitim, famem, vigilias, nuditatem, lectionem, psalmodiam, orationem, laborem operandi, doctrinam, silentium, etc., hujusmodi si quis semper exsequenda putaverit, non modo se eorum fructu privabit, sed et notam indiscretæ obstinationis imo stultitiæ per-

vicaeis incurret: casulis itaque exuti sua peragunt subdiaconus et diaconus officia. Primo subdiaconus in memoriam illorum septuaginta duorum quos *misit Jesus in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus (Luc. x)*; postea diaconus in memoriam apostolorum qui ad prædicandum Evangelium missi sunt. Unde ad majorem perfectionis notam eum subdiaconus sine casula suum peragat officium, diaconus casulam super sinistrum humerum portat plicatam; ut in hac vita quæ per sinistram significatur, se ad fratrum onera portanda significet esse paratum, nec ab operibus quæ per casulam significantur, etiam in itinere penitus vacuum. Sed quoniam de specialibus missarum observationibus agere proposuimus, de temporum quoque observationibus quibus ecclesiastica congruunt, aliquid duximus inserendum.

Cap. X. *De Septuagesima.*

Septuagesima computatur novem hebdomadibus ante Pascha Domini, et finitur post Pascha die Sabbati. Dies Dominica habet initium et in Sabbato finem. Populi enim Dei captivitatem significat qui peccando recessit a Deo, et per misericordiam ejus revertitur ad requiem. Populus Dei detentus est in Babylonia captivus sub numero annorum septuagenario? Quo expleto reversus est in Jerusalem. Unde Jeremias: *Servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. Cumque impleti fuerint anni septuaginta, visitabo super regem Babylonis (Jer. xxvii)*, etc. Hæc autem populi Israelitici captivitas humani generis communem designat captivitatem, quæ in paradiso tanquam die Dominica incepit, et in requie æterna quæ nomine Sabbati intelligitur, habebit finem. Quia ergo in Septuagesima et Israelitici populi et nostra captivitas, quæ toto mundi tempore per septenariam dierum revolutionem duratura est, significatur, nos cum Israeliticn populo vocem gaudii et lætitiæ intermittimus quasi cum eis in salicibus suspendentes organa nostra, et a deliciis abstinentes ostendimus qualiter Christiano vivendum sit per totum tempus sæculi. Per LXX namque sicut et per septem, totum tempus sæculi intelligitur, quod septenario dierum volvitur. Omnis enim numerus idem significat ei a quo denominatur, ut quinquaginta idem est quod quinque, septuaginta idem est quod septem. Notandum autem quod in LXX annis Judaicæ captivitatis tempus reversionis intelligitur. Unde circa finem Septuagesimæ, scilicet in festo Resurrectionis, per quam revertimur ad cœlestem patriam, *Alleluia* cantamus nec Graduale intermittimus, quia adhuc in vis sumus, nec in patriam et adhuc gradimur. In Sabbato autem sequente duplex *Alleluia* cantamus, quasi jam in patria existentes et de duplici corporis et animæ stola gaudentes. Officiorum institutor in his diebus nos vult esse sollicitos tribulatione, non lætitia dissolutos: Dicit enim in Introitu: *Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni invenerunt me (Psal. civ)*. Augustinus in Psalmo: In his qui me circumdederunt ut perderent, erant dolores invidentiæ, qui mortem operantur, perducuntque ad infernum. Propter hos dolores nos possumus lætari et sæcuri esse, sed præparare nos debemus ad bellum. Unde Apostolus: *Omnis*, inquit, *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet (I Cor. ix)*. In prima autem oratione missæ sic habetur: *Ut qui juste pro peccatis nostris affligimur*, etc.

Cap. XI. *De Sexagesima.*

Sexagesima percurrit intra Septuagesimam ad quartam feriam paschalis hebdomadæ. Hæc quarta feria quartam ætatem reducit ad memoriam, in qua David et Salomon regnaverunt. In illa ætate gens illa fide inclyta, regno David et Salomonis gloriosa, templi etiam altitudine et decore formosa, regnum Christi præsignavit futurum, in quo vivi lapides in hac quasi valle latomorum expoliti in suo Domini templo collocabuntur. Unde et feria quarta paschalis hebdomadæ in hujus rei significationem habet Officium: *Venite, benedicti Patris mei (Matth. xxv)*, etc. Ad illud regnum per sexagesimam tendendum est, id est per operum perfectionem quæ per senarium designatur. Senarius enim numerus, qui perfectus est numerus, eo quod ex omnibus partibus suis aggregatis consistit, significat perfectionem. Et quia Dominus hoc dierum numero opera sua perfecit, dat etiam intelligere operationem. Itaque senarius sive Sexagesima significat perfectam operationem per quam ad patriam tendere debemus. Sed quia ex nobis impotentes sumus, utpote a principio Septuagesimæ nostræ venundati sub peccato, Introitu missæ rogamus Dominum ut per eum a præsenti exsilio liberemur: *Exsurge, quare obdormis, Domine, (Psal. xliii)* etc. Cui congruit sequens oratio: *Deus, qui conspicis quia ex nulla nostra virtute subsistimus*, etc. Apostolus in Epistola sua nos confortat ne malis cedamus, *Libenter suffertis insipientes*, etc. *(II Cor. xi)*, Tractus *Commovisti* ostendit terram commotam conscientia peccatorum. Post terram commotam semen inducitur in Evangelio: *Exiit qui seminat* etc. *(Luc. viii.)* in Septuagesima increpati sumus quia otiosi stetimus; in Sexagesima semen jacimus.

Cap. XII. *De Quinquagesima*

Sequitur Quinquagesima, quæ ipso die Paschæ finitur quia per quinque sensuum opera tendendum est ad resurrectionis gloriam. Quoniam ergo diversis mundi illecebris et delectationibus sensus nostri facile capi possunt, et ipsa sensuum instrumenta quasi fenestræ sunt, quibus mors intrat ad animam, nisi custodia apponatur, ideo in Quinquagesima tanquam in expeditione solliciti dicimus in Introitu missæ, *Esto mihi in Deum protectorem et in locum refugii*, etc. *(Psal. xxx)*. Ipsum precamur ducem militiæ nostræ dicendo: *Et propter nomen tuum dux mihi eris et enutries me (ibid.)*. Apostolus in Epistola nos docet qualiter nos amari debeamus, et dicit: *Nunc autem maneat fides, spes, charitas*, etc. *(I Cor. xiii)*. Triumphator militiæ nostræ Deus est, cui dici-

mus in Responsorio : *Tu es Deus, qui facis mirabilia* (*Psal.* LXXVI). Et iterum : *Liberasti in bruchio tuo populum tuum* (*ibid.*). Tractus præcipit ut Deo serviamus, non ei cui nosipsos vendidimus. In Sexagesima seminavimus, in Quinquagesima fructum colligimus in Evangelio. Nos enim sumus cæcus ille qui quod devote postulavit a Domino accepit. Tres itaque gradus notandi sunt in his tribus Dominicis. Prima Dominica planctum continet captivorum sub dominio vitiorum esse nolentium. Secunda voluntatem fugæ demonstrat, dum Dominum dormitare putant nondum de ejus auxilio securi et dicunt : *Exsurge, quare obdormis, Domine?* (*Psal.* XLIII.) Quasi : Nisi exsurgens affueris nobis, fugiemus. Tertia Dominica consilium agit quomodo se muniant; in qua Dominum non jam tanquam dormientem alloquuntur dicentes, *Esto mihi in Deum protectorem* (*Psal.* XXX).

CAP. XIII. *De Quadragesima.*

Quadragesima, quæ sequente Dominica incipit, finitur feria quarta ante Pascha, quæ vocatur cœna Domini. His XL diebus si duos sequentes addideris, erunt usque ad solemne baptisma dies XLII. Tot enim mansionibus filii Israel pervenerunt ad terram promissionis. Tot etiam generationum computatione in Evangelio Matthæi pervenitur ad Christum, Jechonia bis computato. In Quadragesima viriliter pugnantibus de Dei adjutorio præsumendum est. Unde dicit nobis quem in Quinquagesima protectorem invocavimus : *Invocavit me et ego exaudiam eum*, etc. Epistola prima : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*II Cor.* VI). In Responsorio : *Angeli Domini, custodiant vos.* In Tractu : *Scuto veritatis circumdati sumus.* In Evangelio ad triumphum tendimus ut dicamus inimico : *Vade retro, Satana.* Significat autem quadragenarius numerus totum tempus vitæ nostræ, propter quatuor anni tempora quibus vivimus, vel propter quatuor elementa, quorum in nobis concordia vivimus. Quæritur autem cur Dominus cito post baptismum jejunium suum inchoaverit, cur nos quadragesimale jejunium quod in illius commemorationem celebramus, usque ad tempus Passionis Christi contiguum differamus? Hoc autem ideo fit ut per Quadragesimæ observationem magis efficiamur idonei ad paschalis Agni comestionem; quem qui indigne suscipit, secundum Apostolum, *judicium damnationis sibi manducat et bibit* (*I Cor.* II).

CAP. XIV. *De Capite jejunii quadragesimalis.*

Quarta feria inter Quinquagesimam et Quadragesimam, jejunium, quod protenditur usque in Pascha Domini, inchoamus. Usque ad istum diem in exspectatione fuimus. Hac die pugnam committimus. Hoc ostendit prima Collecta missæ dicens : *Concede nobis, Domine, præsidia christianæ militiæ sanctis inchoare jejuniis.* Quibus armis pugnare debeamus, Johel ostendit : *In jejunio et fletu, et planctu*, etc. (*Joel.* VI). Et Evangelium : *Tu autem cum jejunas unge caput tuum, et faciem tuam lava*, etc. (*Matth.* VI). In hac die non est alia varietas, nisi quia usque ad hanc diem missa celebratur hora tertia; in hac et deinceps usque ad Pascha, exceptis Dominicis diebus, hora nona. Opinio est aliquorum propterea hac die inchoari quadragesimale jejunium, quia subtractis diebus Dominicis, XL tantum dies sunt a memorata feria usque ad Sabbatum. Est autem alia ratio et fortasse validior. Siquidem jejunando laboramus, ut nosipsos templum Domino ad inhabitandum præparemus. Unde eo dierum numero a consuetis ciborum delectationibus abstinemus, quo annorum numero templum in Jerusalem ædificatum est, scilicet XLVI. Cœpta est enim ædificatio templi primo Cyri regis, et sexto Darii anno consummata. Qui sunt anni juxta fidem Chronicorum XLV; siquidem Cyrus regnavit annos XXX. Post quem Cambyses filius ejus annos VIII. Post quem Magi qui eum interfecerunt, anno uno. Post quos Darius usque ad consummationem templi annos sex qui sunt, ut diximus, XLV anni. In Evangelio autem invenitur Judæis dicentibus : *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc* (*Joan.* II), cum non amplius quam XLV reperiantur. Sed si historiam Josephi sequamur, in qua post consummationem templi tres adhuc annos addit, in quibus peribolus, id est circum posita templo munitionum constructio, et quædam alia quæ remanserant perfecta sunt, videbimus quod recte in ædificatione templi XLVI annorum poterit summa computari in quibus eminentiora ædificia fuerunt completa. Nulla in officio missæ est varietas a die præfata usque ad quartæ septimanæ feriam quartam.

CAP. XV. *Quare scrutinium quarta hebdomada celebretur et feria quarta.*

In quarta feria quartæ hebdomadæ quadragesimæ solemne scrutinium celebratur quod est iter ad baptismum. In hac baptizandi catechizantur. Catechismus autem duplicem continet instructionem, scilicet de fide et de moribus. Unde in missa prima Lectione, quæ secundum Ezechielem legitur, monstratur quomodo catechumenos congreget. Deus ad compagem corporis Christi, eripiens a priore vita, et faciens credere in Christum. Sic enim legitur ibi : *Tollam vos de gentibus et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram, et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos; et dabo vobis cor novum*, etc. (*Ezech.* XXXVI). Quod Hieronymus sic super eumdem Ezechielem exponit : Creatur enim omnium sum, peperci eis et sanctificavi illos, et gloriæ pristinæ restitui, ita ut super credentes et ab errore conversos effunderem aquam mundam baptismi salutaris et mundarem eos ab omnibus abominationibus suis, et ab universis erroribus suis quibus fuerant occupati, et darem eis cor novum ut crederent in Filium Dei. Sic igitur prima Lectio de fide agit. Cui concordat Responsorium : *Venite, filii, audite me* (*Psal.* XXXIII). At secunda Lectio de moribus disputat, in qua dicitur : *Quiescite agere perverse, discite bene-*

facere, quærite judicium, subvenite oppresso (*Isa.* I). Et in conclusione ita : *Et venite et arguite me, dicit Dominus* (*Ibid.*). Quod est, si ita feceritis et non reddidero vobis mercedem, merito me arguetis. Sequens Responsorium demonstrat catechumenos ad nomen Christianum debere transire. *Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem sibi* (*Psal.* XXXII). Versus bonos mores electorum demonstrat. *Verbo Domini cœli facti sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*ibid.*). Evangelium non dissonat ab hoc officio, dicente Augustino super Joannem : Lavit ergo cæcus oculos in ea piscina quæ interpretatur *missus;* baptizatus est in Christo. Si ergo quando cum in seipso quodammodo baptizavit tunc illuminavit, quando inunxit oculos fortasse catechumenum fecit. Hoc autem officium quarta feria quartæ hebdomadæ ideo celebratur, ut quarta sæculi ætas ad memoriam revocetur. Quarta sæculi ætas, sicut Beda in Chronica sua testatur fuit a David usque ad transmigrationem. Illa ætas regno David et Salomonis inclyta nostram in Christo gloriam præfiguravit. In illa etiam nostræ gloriæ promissio facta est, dicente Domino ad David : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI). In illa constructio templi de marmore et de lapidibus pretiosis constitutionem præsignavit Ecclesiæ de universis gentibus per Christum congregatæ. Merito etiam quarta feria quartæ hebdomadæ celebratur scrutinium, et de fide et de moribus instruuntur baptizandi in sancto Sabbato Paschæ, quia et quarta ætas hominis laboribus apta est. Eos autem qui ad servitium Dei accedere volunt laboribus insistere oportet. Unde Salomon : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II). A die prænominata usque ad Sabbatum ante ramos Palmarum, nulla est ostendenda varietas.

CAP. XVI. *De officio Sabbati cui titulus. « Sabbato vacat. »*

De Sabbato autem ante ramos Palmarum, cui titulus in antiquis antiphonariis invenitur : *Sabbato vacat*, dominus papa et eleemosynam dat; nostræ ætatis autem libri causa brevitatis sic habent : *Sabbato vacat.* Ecclesiastici institutor officii nullum huic diei proprium aptavit officium ut se hac die eleemosynis vacasse ostenderet et ad idem invitasse posteros. Hac autem die potissimum vir apostolicus et se et nos largitioni eleemosynarum vacare voluit in memoriam devotissimæ mulieris, ut quod ipsa in hac die fecit capiti, nos membris exhibere studeamus. Ait Evangelista Joannes : *Ante sex dies Paschæ venit Dominus Jesus in Bethaniam ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit. Fecerunt autem ei cœnam ibi* (*Joan.* XII). Et post pauca : *Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis pedes ejus ; et domus impleta est ex odore unguenti* (*ibid.*). Et cum indignaretur Judas proditor, juxta Matthæum ita Dominus approbavit opus mulieris : *Quid molesti estis huic mulieri ? Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis* (*Matth.* XXVI). Et nos ergo pedes Domini ungamus, id est pauperibus Christi per compassionem solatia demus. Siquidem pauperes Domini pedes dicuntur, quia membra ipsius sunt loco adhuc inferiora, per unguentum autem solatia quæ animos demulcent non absurde intelligi possunt. Sic et Domini pedes capillis tergere est de cis quæ nobis superfluunt pauperibus subvenire. Capilli enim superflua corporis videntur.

CAP. XVII. *De officio missæ in quarta feria post Dominicam Palmarum.*

In quarta feria post Dominicam Palmarum varietas est in missæ officio ex adjectione Lectionis unius et Responsorii unius cum quinque Versibus, quia eadem die fecerunt consilium Judæi ut Jesum occiderent. Unde sicut in sexta feria actus eorum, sic et in quarta feria consilium eorum ad memoriam reducitur. Leguntur itaque in hac feria, sicut et in sexta, duæ Lectiones, quia Christus simpla morte sua nostram duplam destruxit, scilicet corporis et animæ. Introitus est : *In nomine Domini omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Philipp.* II). Quod est : Omnis creatura rationalis Christo se subesse cognoscat : *Quia Dominus factus est obediens*, etc. (*ibid.*), id est quia Christus per obedientiam et humilitatem meruit eamdem cum Patre habere gloriam; non eam tanquam sine meritis sibi indebitam accipiens, sed opus tanta remuneratione dignum perficiens. Quod autem dicit : *In nomine Domini*, in veneratione nominis intelligendum est, id est rei designatæ per nomen. Similiter habetur in Psalmo : *Confitebor in sæculum quia fecisti, et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est*, etc. (*Psal.* LI). Quod autem per nomen res nominis detur intelligi, testatur Ambrosius in Epistola ad Philippenses. Ait enim : Nomen evidens est quod non vocabulum, sed rem quamdam dicit acquisitam ei, sicut illud quod scriptum est. *Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus* (*Psal.* LXXXII), hoc est quod tu es Dominus. In Oratione passio Domini memoratur, quoniam ea die Judæi de ejus morte consilium fecerunt. Lectio sequens aperte passionem Domini prædicat, dicens : *Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum* (*Isa.* LIII). Et paulo post : *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longævum* (*ibid.*). De hoc semine dicit Isaias : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, sicut Sodoma essemus* (*Isa.* I). Semen enim sunt apostoli et apostolici viri, quibus quasi jacto semine seges Ecclesiæ multiplicatur. Hoc semen longævum esse dicitur per successiones, vel in seipso, quia justi in perpetuum vivent. Responsorium est : *Ne avertas faciem tuam a puero tuo* (*Psal.* LXVIII). Verba Christi ad Patrem. Puerum dicit Psalmista Christum propter simplicitatem et innocentiam. Versus ita sonat : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, et non est substantia* (*ibid.*). Populi multitudinem, nomine aquarum

significat, sicut et in Apocalypsi : *Aquæ quas vides, populi sunt et gentes* (*Apoc.* XVII). Hæ aquæ intraverunt usque ad animam Christi tollendam voluntate ipsius Christi, dum eum occiderunt. Eosdem vocat limum profundi, in quo dicit Christus se infixum esse, servata limi metaphora, id est corpore detentum esse. Secunda Lectio sicut et prima de passione Domini agit. Responsorium sequens non Tractus dici debet, sicut nonnulli putant, sed Responsorium, quia post singulos versus a choro respondetur. Habet autem Versus ut innuatur quod peccata veteris Adæ per quinque sensus perpetrata passione novi Adæ sunt deleta. Vox enim veteris Adæ est quæ in Versibus illis sonat.

CAP. XVIII. *De officio feriæ quintæ ante Parasceven.*

Quinta feria ante Parasceven varietas plurima est, non ex officio missæ sed in officio. In ea namque oleum tripliciter consecratur. In ea reservatur corpus Domini usque in crastinum. Oleum pro infirmis consecratur in ipso officio consecrationis corporis et sanguinis Domini. Infirmitates namque pro peccatis infliguntur. Unde in Evangelio Dominus roganti sanitatem sic ait : *Dimittuntur tibi peccata tua* (*Marc.* II). Dimissis enim peccatis et quod pro peccatis inflictum erat expellitur. Sacramentum Dominici corporis peccata, oleum vero consecratum infirmitates expellit, id est, divina gratia per olei unctionem. Hinc enim Jacobus ait : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini ; et oratio salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei* (*Jac.* V). Et in ipsa consecratione sic habes : *Ad evacuandos omnes dolores omnesque infirmitates et omnem ægritudinem corporis.* Merito igitur eorum consecratio similis fit quorum in multis conjungitur effectus. Utrumque tamen, id est et sacramentum Dominici corporis et oleum consecratum, utrumque habent effectum quamvis propter sacramentorum species diversas verba dividamus. Caro enim et sanguinis erat in veteri lege pro peccatis offerri, olei autem est fessis et ægris mederi artubus. Sed et Apostolus de Christo loquens ait : *Mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*I Cor.* XV). Sic enim divisit singulis sacramentis reddendo quod figurant cum utrumque propter utrumque fecerit Christus. Fit itaque olei infirmorum consecratio in ipso officio consecrationis Dominici corporis ante Canonis verba : *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, et hæc ipsa verba sunt illius consecrationis conclusio. Unde intelligimus embolem esse supradicti officii post *Agnus Dei*, quando pacis signum dari solet ; quod hac die propter Judæ proditoris osculum non fit. Consecratur chrismale oleum, et postea consequentur oleum catechumenorum quia per hæc duo homo ad pacem et concordiam angelorum revocatur. Exorcismus namque olei facit diabolum a catechumeno recedere ; unctio vero chrismatis eum sanctificat et ei gratias dat, vel habitas augmentat. Ideo autem quinta feria olei consecratio celebratur, quia quidquid quinque sensibus committitur, scilicet visu, auditu, gustu, odoratu, et tactu, per gratiam Dei in olei unctione deletur.

CAP. XIX. *Quare eadem die altaria denudentur.*

Die eadem altaria denudantur et sic relinquuntur usque ad vesperum, quod, nisi fallor, fugam apostolorum significat. Altare namque Christum significat. Apostoli vero sive alii discipuli vestes sunt Christi, de quibus scriptum est : *Et relicto eo omnes fugerunt* (*Matth.* XXVI).

CAP. XX. *De officio feriæ sextæ, et quare dicatur Parasceve, et quare altaria hac die aqua et vino laventur.*

Parasceve, ut Beda ait, *præparatio* interpretatur. Quo nomine Judæi qui inter Græcos conversabantur sextam Sabbati appellabant, quod eo die quæ necessaria erant Sabbato, præpararent. Hæc sexta feria sextæ diei creationis coaptatur. Aptum quippe erat ut qua die Deus hominem creavit, ea perditum recrearet, atque redimeret. Hac die leguntur Lectiones ad immolationem Agni pertinentes. Hac die namque passionem Christi recolimus, et nostram quam ei debemus imitationem exhibemus dum pro hominibus hominum generibus oramus, sicut ille pro suis crucifixoribus. Et notandum quod sicut corpus Domini Jesu, quod de Virgine assumpsit, per agnum sine macula significatum est, ita et corpus ejus, quod nos sumus, per hædum. Utramque Lectio commemorat. Agnus in cruce immolatus est hædus quotidie in mortificatione vitiorum immolatur. Tractus, *Qui habitat in adjutorio Altissimi* (*Psal.* XC), longus est, quia quod nobis præmittit præcedens Lectio Oseæ tenere debemus in spe, sed longe est ut habeamus in re. Verba Lectionis hæc sunt : *Vivificabit nos post duos dies ; in die tertio suscitabit nos et vivemus in conspectu ejus* (*Ose.* VI). Ipsa resurrectio in illo Tractu memoratur : *Longitudine dierum adimplebo eum et ostendam illi salutare meum* (*Psal.* XC).

Quæritur quare hac die missa non cantetur, sed corpus Christi reservatum die præcedenti sumatur. Ad quod dicitur, ex decreto Innocentii papæ, missa hoc biduo non celebrari, ut in pastoribus Ecclesiæ status temporis illius apud apostolos ostendatur, qui sicut propheta prædixerat, percussu pastore dispersi erant (*Zach.* XIII). Inde est etiam quod nec *Dominus vobiscum*, nec *Deus in adjutorium* his diebus dicitur nec aliquid eorum quæ pertinent ad presbyterorum officium. Quæritur iterum quare hac die non sumatur sanguis Christi, sicut et caro Christi. Ad quod dico quod utrumque sub utraque specie sumitur. Sed qui species vini labilis non potest tuto reservari, sine ea corpus Christi reservari constitutum est, vel quia Dominus in cœna dixit : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum illud bibam novum vobiscum in*

regno meo (*Matth.* XXVI). Ecclesia a die cœnæ usque ad diem Paschæ (quæ in vespere incipit; unde in cerei benedictione dicitur: *Hæc nox est quæ peccatorum*, etc.) de hoc genimine vitis bibere non consuevit. Porro de sanguine suo quem discipulis porrigebat loquebatur Christus, quem quantum ad speciem genimen appellabat, hoc post resurrectionem suam in regno suo, id est in regia claritate bibit ipse cum discipulis suis novum, quia in resurrectione totus Christus quantum ad corporalem substantiam innovatus est. Hoc autem dixit cum discipulis ac bibiturum, non quia post resurrectionem corporaliter illud bibit, sed quia discipulorum oblatione delectatus est, quando corpus ejus et sanguinem in ipsius commemorationem, sicut præceperat, participaverunt. Potest tamen et de vino simpliciter dictum intelligi quod ait: *Non bibam de hoc genimine vitis*, etc. (*Marc.* XIV), ut demonstrativum pronomen non hoc demonstret quod tenebat Christus, sed speciem. Quasi: Non bibam de tali genimine vitis, tali secundum speciem. Unde alius evangelista sine pronomine vitis demonstrativo dixit: *Non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat*, etc. (*Luc.* XXII). Post resurrectionem enim et manducasse eum legimus cum discipulis et bibisse. Unde Petrus: *Qui manducavimus et bibimus cum eo, postquam resurrexit a mortuis* (*Act.* X). Notandum quod hac die in orationibus quas ad imitationem Christi facit Ecclesia per singulas genua flectimus, ad ostendendam, imo ad augmentandam mentis humilitatem, nisi quando pro perfidis Judæis oramus qui hoc ante Dominum illudendo fecerunt: quibus per omnia quæ hac die erga Christum fecerunt dissimiles esse volumus cum eorum mentionem facimus. Hac die vino et aqua lavatur altare, quia de latere suo Christus hac die aquam emisit et sanguinem.

CAP. XXI. *Quid significet cereus nocte paschali ante baptismum erectus.*

In principio officii ad noctem Paschæ pertinentis in qua Christus resurrexisse creditur, benedicitur cereus. Cereus namque ad memoriam nobis reducit columnam populo Israelitico datam a Deo in deserto quæ erat eis nubes ab æstu protegens in die, et columna ignis lucem præbens in nocte (*Exod.* XIII). Columna autem illa et cereus iste Christi figuræ sunt, qui et ab æstu vitiorum protegit et lucem sapientiæ infundit. Hoc autem Christi beneficium et baptizandis promittitur, et baptizatis dum sunt in via non subtrahitur. Unde columna illa populo data est Rubrum mare in figura baptismi transituro; et cereus noster erigitur in Ecclesia et accenditur priusquam catechumeni baptizentur. Nec hoc prætereundum est quod sicut columna prædicta populo data est in tertia mansione ab exitu Ægypti, sic cereus nobis accenditur die tertia liberationis nostræ quæ facta est in morte Christi. Quoniam, sicut diximus, vespera illa ad diem sequentem pertinet et vere antiqui jam fere transacto die Sabbati, officium hoc celebrabant. Sed modernorum debilitas ad epulas festinans, tempus prævenit constitutum. Nobis ergo ab Ægypto spirituali exeuntibus, prima dies passio Christi, secunda qua descendit in infernum, tertia resurrectionis est dies.

CAP. XXII. *De officio missæ in nocte paschali.*

Nocte præfata Lectiones quatuor leguntur ad missam. Catechumeni namque ad mensam Domini vocantur, id est, ad sanctam Scripturam, quæ per mensam quatuor pedum in tabernaculo Domini positam significata est. Siquidem quatuor mensæ pedes sunt quatuor expositiones sacræ Scripturæ, scilicet historica, allegorica, moralis, anagogica. In quatuor hujus noctis Lectionibus hæc quatuor, si subtiliter inspexeris, poteris invenire. Prima secundum historiam nostræ recolit creationis dignitatem. A qua quoniam peccando cecidimus, non sequitur canticum. Secunda lectio secundum allegoriam agit de liberatione nostra ab exsilio in quod per peccatum devenimus. Agit namque de liberatione populi Israel ab Ægypto, in qua nostra liberatio a spirituali Ægypto præsignata est. Tertia Lectio moralis est: *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illo*, etc. (*Isai.* IV). Septem enim mulieres, septem gratiæ sunt quæ spiritualiter dicuntur dona Spiritus sancti. Unde et septiformis Spiritus appellatur. De ablutione etiam sordium agit eadem Lectio, quod totum ad mores pertinet. Et est rectus ordo ut postquam instructi fuerint de purgatione baptismi, instruantur de moribus. Quarta Lectio dicit: *Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra* (*Isa.* LV). Quod ita Hieronymus super Isaiam exponit. Sermo divinus non carnis bona, sed animæ pollicetur. Hæc igitur Lectio anagogen sapit, quia sub nominibus carnalium promittit bona cœlestia. Unde Beda: Anagoge est sensus ad superiora ducens, id est locutio quæ de præmiis futuris et ea quæ in cœlis est vita futura sive mysticis sive apertis sermonibus disputat. Audiamus quid dicant catechumeni post admonitionem doctoris. *Sicut servus desiderat*, etc. (*Psal.* XLI). Unde Augustinus: Et quidem non male intelligitur vocem eorum esse qui cum sint catechumeni ad gratiam sancti lavacri festinant.

CAP. XXIII. *Quid significet novus ignis in cereo.*

Cereus vero novo lumine accenditur, ut designet doctrinam Christi novam quæ est in Novo Testamento, sive novam gratiam qua illustrata est nox singulariter Dominica, videlicet Christi resurrectionem.

CAP. XXIV. *Quare tituli Lectionum hac die taceantur.*

In principiis Lectionum tituli tacentur ne catechumenis de gentilitate venientibus, auctorum vel librorum Hebræorum nominibus auditis, Lectiones vilescant; semper enim inter Judæos et gentiles quasi naturale odium fuit.

CAP. XXV. *Quare tripliciter litaniæ fiant.*

Litaniæ quæ fiunt circa baptisterii consecrationem

sunt intercessiones sanctorum pro renascentibus; A ante et post aguntur, quia sicut legitur in Apocalypsi: *Iris erat in circuitu sedis Dei* (*Apoc.* IV). Quod sic Beda exponit: Sedes Dei in Ecclesia est; Iris autem, quæ post diluvium facta est ut esset indicium propitiationis, intercessionem sanctorum designat. Aguntur autem antiphonæ septenæ ante baptismum, ut Spiritus sanctus, cujus est gratia septiformis veniat in aquam baptismatis. Quinæ aguntur dum baptizantur catechumeni, ut Deus dignetur quinque sensus eorum custodire ne illecebris sæcularibus capiantur Ternæ post baptismum, ut fidem sanctæ Trinitatis, quam professi sunt, toto corde, tota mente, totis viribus custodiant.

CAP. XXVI. *Quod parvuli in fide Ecclesiæ salvantur.*

Si ejus ætatis fuerint qui baptizentur ut rationis B usum habeant et loqui sciant, ipse fidem suam profiteri debent, et in fide propria salvantur; si autem parvuli fuerint, in fide et confessione offerentium eos ad baptismum sive in fide generali Ecclesiæ salvari creduntur, sicut et Syrophenissæ mulieris filia in fide ot humili confessione matris legitur a dæmonio liberata dicente Domino: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis* (*Mar.* VII). *Et sanata est*, ut ait Matthæus, *filia ejus ex illa hora* (*Matth.* XV).

CAP. XXVII. *Quare paschalis hebdomada in albis celebretur.*

A Sabbato isto usque ad sequens Sabbatum per octo scilicet dies portantur albæ vestes, ut ostendatur qualia corpora recepturi sumus in octava C resurrectionis, et quales esse debeamus in Novo Testamento. Sicut enim septem dies pertinent ad Vetus Testamentum, propter Sabbatum, ita octo ad Novum propter octavum diem resurrectionis. Unde Salomon: *Da partes septem necnon et octo* (*Eccle.* XI). Jam enim docebat populum suum ut non semper inhæreret Veteri Testamento, sed transiret aliqu· do ad Novum.

CAP. XXVIII. *Quare Introitus non cantatur ad missam Sabbato sancto.*

Introitus non cantatur ad missam die hac, quia Lectiones et cætera quæ præmissa sunt locum tenent Introitus, imo plus sunt quam Introitus. *Gloria in excelsis Deo* (*Luc.* II) cantatur propter gaudium resurrectionis Dominicæ. Notandum quod omnia D usque ad Evangelium ad neophytos pertinent. In Oratione dicit sacerdos: *Conserva in nova familiæ tuæ progenie Spiritum quem dedisti.* Epistola: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* (*Coloss.* III).

CAP. XXIX. *Quare post « Alleluia » cantetur Tractus.*

In eadem missa prius cantatur *Alleluia* pro gaudio Dominicæ resurrectionis in qua nobis resurgendi spes data est. Sed quia nostra resurrectio, quam habemus in spe, longe est adhuc in re, et ad eam per difficultates tendendum est, sequitur tractus.

CAP. XXX. *Quare ante Evangelium cerei non feruntur.*

In ipsa nocte non defertur lumen ante Evangelium, quia mulieres occulte sine lumine ibant ad tumulum ut eum ungerent, sicut refert Evangelium, sive propter cæcitatem cordis earum ignorantium resurrectionem.

CAP. XXXI. *Quare in eadem missa « Agnus Dei » non cantetur.*

In eadem nocte non cantatur *Agnus Dei* propter incredulitatem illarum mulierum commemorandum, quia quem non credebant esse Deum, nec credebant posse tollere peccata mundi. Presbyter tamen suum interim peragit officium, quia mulieribus et ipsis discipulis de resurrectione dubitantibus Christus et resurrexit et manifestum se fecit.

CAP. XXXII. *De officio sancti Paschæ.*

Die sancti Paschæ in Introitu per ora prophetarum præsentat se Christus ex resurrectione Patri suo in Ecclesia sua dicens: *Resurrexi et adhuc tecum sum* (*Psal.* CXXXVIII). In die hac et quinque sequentibus graduali canimus ad missam, quia ad gloriam, quam promittit Domini resurrectio, adhuc gradimur et gradiendo Deum laudamos. De perventione tamen quam habemus in spe gaudemus, unde et *Alleluia* cantamus. In Sabbato autem duplex *Alleluia* canimus, quia Septuagesimæ finis est significat requiem quæ peregrinationis erit finis, quando duplici stola corporis et animæ decorati Deum pro utraque laudabimus. Similiter in diebus Dominicis et festis usque ad octavam Pentecostes duo *Alleluia* cantamus propter memoriam Dominicæ resurrectionis, et nostræ, cujus perventionis figura præcessit in Sabbato prædicto. In aliis diebus pro redemptionis nostræ lætitia unum *Alleluia* cantamus.

CAP. XXXIII. *Quare a Pascha usque ad Pentecosten non cantatur Responsorium.*

Ab octavis Pentecostes usque ad Septuagesimam in Dominicis et festis diebus Responsorium et *Alleluia* actionem eorum et lætitiam sive laudem sive gratiarum actiones significant qui perseverant in sanctitate, quam in baptismo receperunt. Ita enim in spe jam habent regnum futurum ut inter laboriosa opera Deo gratias agant. Sive ut alii dicunt, per Responsorium activam intelligimus per *Alleluia* contemplativam. Instruendi sunt homines de bonis activæ, quæ sunt eleemosyna, lectio, visitatio infirmorum, et hujusmodi. Instruendi sunt etiam de bonis contemplativis, quæ sunt consideratio æternorum, laus Dei. In illis autem diebus, qui sunt a Sabbato paschali usque ad octavas Pentecostes, non canitur Responsorium quia tempus illud nostram præfigurat resurrectionem, quando omnes erunt docibiles Dei, et omnia activæ vitæ opera cessabunt; sed tantum *Alleluia* cantabitur, id est lætitia animarum de percepta immortalitate et receptione corporum agetur. Eamdem lætitiam numerus quinquagenarius significat, qui apud Hæbræos Jubileus appellatur.

CAP. XXXIV. *Quare in diebus jejunii « Alleluia » non cantetur ad missam.*

Dies pœnitentiales et vigiliæ apostolorum et cæteræ in quibus confiteri peccata et humiliari et je-

junare debemus ut ad gaudium quod in sequenti solemnitate celebratur pervenire mereamur, sine *Alleluia* transfiguntur quia *non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli*. xv).

CAP. XXXV. *Quare in vigilia Pentecostes baptismus celebretur.*

In vigilia Pentecostes celebratur baptismus eo quod Dominus ascensurus in cœlum promisit discipulis suis dicens: *Baptizamini Spiritu sancto non post multos hos dies* (*Act*. I), scilicet post decem; quod et factum est. Hac de causa celebrat Ecclesia baptismum decima die post ascensionem, ut catechumeni nostri baptizentur Spiritu sancto, sicut et ipsi apostoli. Incipiunt autem dies Pentecostes ab ipso die Paschæ, et terminantur die quinquagesimo, qui vulgo dies Pentecostes appellatur. Unde ipso die cantatur Antiphona ad Vesperas: *Hodie completi sunt dies Pentecostes, Alleluia*, etc. In hujus diei vigilia propter catechumenos Lectiones quatuor leguntur. Prima ad historiam pertinet, proponens ad exemplum obedientiam Abrahæ. Secunda Lectio est: *Scripsit Moyses canticum*. De quo autem cantico hic dicat, cantor illico demonstrat, scilicet *Attende, cœlum*. Tam Lectio quam canticum allegorice de Christo et Ecclesia exponendum est. Tertia Lectio moralis, in qua septem dona Spiritus sancti faciunt de obedientibus virum unum de quo dicebat Paulus: *Donec occurramus omnes in virum perfectum* (*Ephes*. IV). Quarta Lectio anagogen sapit, quæ ad cœlestia tantum invitat. Ecce quatuor pedes mensæ Domini ad quam catechumeni vocantur. De lætaniis circa baptismum dictum est supra. *Alleluia* cantatur pro gaudio emundationis quam neophyti recipiunt in baptismo. Sed quia plena emundatio, a pœna videlicet et culpa ad quam per hanc tenditur, longe est, et non nisi per difficultates ulnias ad eam pervenietur, sequitur Tractus.

CAP. XXXVI. *De officio missarum infra hebdomadam Pentecostes.*

Quid in tota septimana quæ die Pentecostes incipit agere debeamus Beda in Homilia sua manifestat dicens: Verum hoc quoque quod nos statim peracta die quinquagesima non genua ad orandum curvamus, sed et illa; adhuc septimana stantes Domino supplicamus, et quamvis intermissa repetamus jejunia, tamen alleluia quotidie personamus; nemo absque discretione apta et congrua ratione mysterii putet actitari. Quia enim Spiritus sancti septiformis est gratia, jure solemnitas adventus ejus per VII dies laude hymnorum debita simul et missarum celebratione recolitur.

CAP. XXXVII. *De officio missæ pro mortuis.*

In missa pro mortuis non cantatur *Gloria in excelsis Deo* (*Luc*. II), nec *alleluia* suavitatem et lætitiam significans, quia cantica lætitia de proximi transitu dolentibus non conveniunt. Ministri enim altaris sicut *gaudere cum gaudentibus*, ita *flere* debent *cum flentibus* (*Rom*. XII). Osculum non datur hic, quia ubi solemus dicere, *Dona nobis pacem*, in hoc officio quasi magis defunctorum quam nostri memores, dicimus: *Dona eis requiem sempiternam*. Summopere enim hic illis succurrere nitimur quos in hac vita nil amplius posse mereri cognoscimus. Anniversarius dies ideo repetitur pro defunctis, quia nescimus qualiter se habeant in alia vita. Unde sicut anniversarius sanctorum dies ad eorum honorem repetitur, sic anniversarius defunctorum dies ad memoriam reducitur ad ipsorum, si forte indigent, utilitatem. Triginta diebus continuis solet missa pro defunctis celebrari, ut quidquid in Decalogo legis deliquerunt, sanctæ Trinitatis miseratione deleatur. Denarius enim ternario multiplicatus tricenarium facit

LIBELLUS
DE CANONE MYSTICI LIBAMINIS,
EJUSQUE ORDINIBUS

AUCTORE, UT VIDETUR,

JOANNE CORNUBIENSI.

CAP. I. *De crucis dominicæ virtute.*

In virtute sanctæ crucis et in sacramento altaris magna est convenientia et magna efficacia, cum per utrumque excludantur contraria, et renovetur et sanctificetur Ecclesia. Duplici autem renovamur ratione, ut scilicet prius exuamur vetustate, deinde induamur novitate. Non enim potest fieri ut remanentes in vetustate induamur Christi novitate, nec poterat fieri quod Paulus dicebat ex persona infirmi: *Nolumus exspoliari, sed supervestiri* (*II Cor*. V). Unde

filiis Zebedæi petentibus ut unus sederet ad dexteram et alius ad sinistram dictum est : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?* (*Matth.* xx.) Quasi diceret : Prius compatiendo et commoriendo oportet vos exui vetustate, ut postea possitis ad dexteram meam vel ad sinistram sedere, quod est indui novitate. Hoc enim *non est meum dare vobis*, id est veteribus, *sed quibus paratum est a Patre meo* (*ibid.*), id est innovatis. Propterea et ipse Dominus Jesus prius quidem voluit pati in ligno inferiori, deinde glorificari in ligno superiori. Ut scilicet prius exueret nos vetustate, deinde indueret nos sua novitate. Prius enim legitur crucifixus, deinde titulus superpositus. Sic enim scriptum est : *Bajulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum. Scripsit autem et titulum Pilatus et posuit super crucem* (*Joan.* xix). Est enim septiformis vetustas nostra ; est et septiformis virtus sanctæ crucis et efficacia. Sunt enim quatuor corporis abominationes, et tres mentis corruptiones. Unde propheta : *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt* (*Psal.* xi). Corrupti sunt mente, et abominabiles facti corpore. Abutuntur enim quatuor elementis in corpore : Igne in oculis per curiositatem, aere in lingua per verbositatem, terra in manibus per iniquitatem, quando pugno impie percutimus fratrem, aqua in fluxu seminis per libidinem. Hæc sunt quæ de claustro ejiciunt fratrem. Unde propheta *ingrediebatur ut videret* (*Psal.* xl), ecce curiositas ; *Vana loquebatur* (*ibid.*), ecce verbositas ; *cor ejus congregavit iniquitatem sibi* (*ibid.*), ecce iniquitas. *Egrediebatur foras* (*ibid.*), per libidinem. Corrumpimur etiam in mente triplici corruptione. In ratione naturali, per superbiam ; in concupiscentia, per avaritiam ; in ira, per invidiam. Sunt autem in cruce quatuor dimensiones, latitudo, longitudo, sublimitas et profundum, et tres in titulo distinctiones : *Jesus, Nazarenus, Rex Judæorum* (*Joan.* xix). Latitudo misericordiæ fuit in Christi passione. Longitudo vitæ in resurrectione. Sublimitas gloriæ in ascensione. Profundum sapientiæ in occulta potestate, qua hæc omnia fecit, qua et in novissimo judicabit. Profundum crucis occultum erat, et cætera manifesta patebant. Sic potestas adhuc occulta est qua Dominus Jesus omnia prædicta fecit ; sed cum in fine judicabit, manifesta erit, sicut scriptum est : *Cognoscetur Dominus judicia faciens* (*Psal.* ix). Unde et in quarto ordine Canonis memoria de tribus manifestis præmittitur. De quarto autem, id est profundo quia occultum est tacetur. Quartus ordo est : *Unde et memores, Domine*, etc. Item in passione contemptus fuit sui, in resurrectione, contemptus mundi ; in ascensione, amor Dei ; in occulta potestate, timor. Contemptus enim sui excludit verbositatem ; contemptus mundi, curiositatem ; amor Dei, iniquitatem ; timor, libidinem. De tribus distinctionibus tituli : in Jesu fides intelligitur, sine qua nemo salvatur ; in Nazareno spes ; Nazareth enim *flos* interpretatur, de quo fructus speratur ; in rege Judæorum, charitas, quæ est excellentior via, quæ reges et sacerdotes facit. Fides autem illuminat rationem quam superbia excæcabat, et excludit superbiam. Spes sublevat æternorum concupiscentiam quam avaritia inclinabat, et excludit avaritiam. Charitas temperat et ordinat iram, quam invidia corrumpebat, et excludit invidiam. Sic igitur virtute sanctæ crucis et efficacia exuimur nostra vetustate, et induimur Christi novitate. Idem Dominus Jesus libenter crucem suam bajulabat, per quam de principe hujus mundi triumphabat, per quam regnum mortis et peccati destruebat, et ad Ecclesiam gratiam et benedictionem transferebat. Unde Jacob filios Joseph benedicturus, cum major ad dextram et junior ad sinistram esse positus, facta cruce super minorem posuit dexteram, et super majorem sinistram, significans in Spiritu sancto Spiritus sancti gratiam per virtutem sanctæ crucis ad Ecclesiam transituram. Similiter et sacramento altaris renovatur Ecclesia et sanctificatur. Sunt autem septem quæ in sacramento altaris utiliter attenduntur, scilicet quæ sit causa missæ, quæ differentia, quis finis, quæ virtus, quis ordo, quæ ratio, quæ utilitas. Causa missæ tripartita est, scilicet honor sanctorum, salus vivorum, et requies defunctorum. Præmittitur autem quasi prologus oratio et invocatio Trinitatis, in quo prælibatur et ostenditur quæ sit causa missæ sequentis : *Suscipe, sancta Trinitas*. Ibi enim continetur ut *sanctis proficiat ad honorem, nobis ad salutem*, etc. Tripartita est differentia. Secundum enim differentiam trium partium Ecclesiæ, sunt tres missarum differentiæ, ut alia dicatur de sanctis, alia de tempore, id est pro vivis, alia pro fidelibus defunctis. Sunt quidem tres partes Ecclesiæ. Pars quædam est in exsultatione, pars in peregrinatione, pars in exspectatione. In exsultatione sunt sancti, qui Christi vestigia sunt secuti. In peregrinatione sunt vivi, qui subjacent tempori, id est vanitati. Unde Apostolus : *Vanitati subjecta creatura non volens*, etc. (*Rom.* viii). In exspectatione sunt fideles defuncti, qui exspectant requiem. Secundum harum trium partium differentiam sunt tres differentiæ missarum et finium et officiorum. Finem enim alium habet missa pro sanctis, id est *Ite, missa est ;* alium missa de tempore, id est *Benedicamus Domino.* Alium missa pro fidelibus defunctis, id est *Requiescant in pace.* In fine missæ pro sanctis, invitatur ad illam gloriam in qua jam sancti requiescunt. *Ite, missa est*, quasi dicat : Hostia a Patre ad nos missa est, vel a nobis ad Patrem remissa est ; ideo Ite id est festinate, sicut dicit Apostolus : *Festinemus ingredi in illam requiem* (*Hebr.* iv). Finis vero missæ de tempore hortatur nos, qui sumus in tempore, ut benedicamus Domino in adversitate et prosperitate, id est in omni tempore. Unde David : *Benedicam Dominum in omni tempore* (*Psal.* xxxiii) ; et alibi : *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem per noctem* (*Psal.* xci). In mane prosperitas, quæ non ex meri-

tis nostris, sed ex misericordia sola datur. In nocte adversitas, quæ in veritate pro meritis redditur. In fine missæ pro defunctis eis optamus requiem, et in principio petimus : *Requiem æternam dona eis, Domine*, etc. Virtus missæ, crux Christi est, quæ sacramentum altaris et omnia Ecclesiæ sacramenta consecrat et sanctificat. Septem ordines crucis sunt in ferie Canonis, quos Spiritus sanctus mira sapientia ordinavit. Primus ordo est a *Te igitur* usque ad *Quam oblationem*; secundus, a *Quam oblationem* usque ad *Qui pridie*; tertius, a *Qui pridie* usque ad *Unde et memores*; quartus, ab *Unde et memores* usque ad *Per quem omnia*; quintus, a *Per quem omnia* usque ad *Per ipsum* : sextus, a *Per ipsum* usque ad *Pax Domini*; septimus, a *Pax Domini* usque ad finem. In singulis ordinibus sunt causæ profundæ et rationes quæ rationabiles movent quæstiones; quas Spiritus sanctus, cui vult, prout vult, claudit, cui vult aperit, sicut scriptum est : *Huic ostiarius aperit* (*Joan.* x).

CAP. II. *De primo ordine Canonis.*

In primo ordine canonis tria apponimus; pro tribus rogamus, et tria petimus, et ideo tres cruces facimus. Tria apponimus, panem, vinum et aquam. Quare autem ista tria potius quam alia apponantur, oritur quæstio. Tripartita causa est. Prima causa est, quia inter omnia humanæ vitæ sustentandæ necessaria, hæc tria sunt mundiora et utiliora et magis necessaria; propterea potius debuerunt apponi quam alia, et in id quod mundius est et utilius omnibus et super omnia ad vitam æternam capessendam magis necessarium, transferri et transformari, id est in corpus Christi et sanguinem. Secunda causa est quia in his res ipsa et virtus sacramenti intelligitur, sine qua ad hoc sacramentum indigne acceditur, et ad judicium non ad salutem sumitur. In aqua enim intelligitur fides quæ latet et nutritur in aqua baptismi. In vino quod ascendit et lætificat, intelligitur spes. In pane qui confirmat, intelligitur charitas. Vel in pane qui corroborat Pater intelligitur, qui est omnis omnium fortitudo. In vino quod lætificat, Filius qui est gaudium nostrum, quod nemo tollet a nobis. In aqua, quæ mundat et lavat, Spiritus sanctus, sicut scriptum est : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris* (*Ezech.* XXXVI). Et iterum : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII). Vel in aqua intelligitur munditia castitatis; in pane, fortitudo et opera pietatis; in vino, quod ascendit et accendit, rectitudo intentionis, quæ ad terrena non inclinatur, sed ad cœlestia erigitur. Hæc tria accedentibus ad altaria ita necessaria sunt, ut sine eis cum salute nemo possit accedere. Unde Dominus in Evangelio : *Introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo amphoram aquæ bajulans; sequimini eum et dicite domino domus : ubi facio pascha cum discipulis meis? Et ipse ostendet vobis cœnaculum grande stratum, et ibi parate* (*Luc.* XXII). Ideo ergo in eminentiori loco Ecclesiæ paratur altare, ut ascensuri his gradibus et ascensionibus virtutum studeant seipsos præparare et probare. Unde Apostolus : *Probet autem seipsum homo*, etc. (*I Cor.* XI.) In cœnaculo altitudo, in grandi latitudo, in strato aptitudo, quia aptatum et mundatum erat. In strato ergo, munditia castitatis; in grandi, latitudo et opera pietatis; in cœnaculo, rectitudo intentionis. Unde in quarto ordine antequam dicamus, *panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ*, necessario prius offerimus *hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam*. Sed de his in consequentibus dicendum est. Tertia causa, quare scilicet prædicta tria apponamus, panem, vinum et aquam, est quia in figura hujus sacramenti omnis patriarcharum benedictio in his constabat. Unde Abraham cum in figura hujus mysterii Melchisedech ei panem et vinum obtulisset, a majore benedictionem accepit, et benedictus Deo excelso dictus est. Qua benedictione postea Isaac filium ditavit. Isaac etiam filio suo Jacob hæc eadem bona prophetali eloquio imploravit dicens : *Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini et olei*, etc. (*Gen.* XXVII.) Rursus cum Esau conquerens de Jacob fleret : *Frumento, inquit, et vino stabilivi eum; et tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam?* (*Ibid.*) Quasi diceret : Firmavi eum frumento corporis, et vino sanguinis Christi. Idem per oleum quod per aquam intelligitur.

CAP. III. *De tribus pro quibus oramus, et quæ petimus.*

Pro tribus rogamus : primo scilicet generaliter pro omnibus; secundo, pro familiaribus nostris absentibus; tertio, pro circumstantibus. Generaliter pro omnibus, ubi dicimus : *In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica*, etc. Pro familiaribus nostris absentibus, ubi dicimus : *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum*. Pro circumstantibus, ubi dicimus : *Et omnium circumstantium.*

Tria petimus : Primo scilicet, ut dies nostri disponentur in pace; secundo, ut eruamur ab æterna damnatione; tertio, ut mereamur numerari in Dominico grege. Quæ omnia habemus ibi ubi dicimus : *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari.* Quia ergo tria exponimus et pro tribus rogamus et tria petimus, propterea tres cruces facimus, scilicet ut per virtutem crucis primo quæ apposita sunt benedicantur; secundo, ii pro quibus apponuntur; tertio, ut quod petimus impetremus. Soluta est ergo secunda quæstio quæ posset fieri, scilicet quare tres cruces in hoc ordine fiant, quando dicimus : *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. Hæc dona* scilicet naturæ; *hæc munera*, scilicet devotionis nostræ, *hæc sancta sacrificia illibata* majestati divinæ, ut *hæc dona* referantur ad naturam, *hæc munera*, ad gratiam, *hæc sacrificia*, ad incorruptionis gloriam.

Quare autem hoc sacramentum iteretur, vel quomodo bene sumatur, vel quod bene sumptum operetur, vel quare sub hac specie sacramenti veritas lateat et veletur, rationabiles quæstiones oriuntur. Quare hoc sacramentum iteretur tripartita causa est. Prima causa est ut qui quotidie labimur, per hoc quotidie expiemur. Secunda causa est, ut sicut in medio paradisi erat lignum vitæ, ita sit corpus Christi assidue in medio ecclesiæ, a quo criminaliter peccantes arceantur, donec per pœnitentiam satisfacientes, ad hoc et per hoc reconciliati revertantur. Tertia causa est ut per hoc unum efficiamur cum Christo, et mediante Christo, unum efficiamur cum Deo, unde Dominus in Evangelio : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam corpus, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI). Bene autem sumitur, si quis per hæc tria ad hoc præparatur, scilicet fide integra, confessione pura, pœnitentia condigna. Bene sumptum tria operatur : primo peccata purgat ; secundo, virtutes roborat ; tertio in vitam æternam suscitat. Unde ait in Evangelio : *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissima die* (*ibid.*). Quare sub hac specie sacramenti veritas lateat et veletur, tripartita causa est. Prima causa est interrogatio fidei. Secunda causa est augmentum meriti. Tertia causa est defectus infirmi. Primo enim fidem interrogat ut interrogando probet et discernat. Secundo probatum per fidem majori virtute et gratia donat. Tertio, ut nostræ infirmitati parcat, semetipsum in suæ majestatis claritate non manifestat, sed quasi sub quodam velamine occultat. Unde miraculum istud contigit in Vivariensi ecclesia Præmonstratensis ordinis. Cum celebraretur missa in præfata ecclesia, quidam frater respiciens de choro ad altare vidit super illud circulum claritatis immensæ et columbam miri candoris super calicem in eadem claritate. Cœpit igitur admirari, et admirando intueri : et subito stupefactus et territus amisso visu cecidit in choro prostratus. Quem fratres ad manus extra chorum deducentes, et eventus veritatem perquirentes, tandiu precibus institerunt donec ei Deus visum restitueret. Et hæc quidem de primo ordine dicta sufficiant.

CAP. IV. *De secundo ordine Canonis.*

In primo ordine petimus ut quæ apposita sunt benedicantur ; in secundo vero petimus ut quæ jam in primo benedicta sunt, in verum et summum sacrificium transferantur. Quinque ergo cruces facimus, quia quæ benedicta sunt in id transferri petimus quod in quinque præcellit omnibus, scilicet triplici prærogativa et charitate gemina. Ideo dicimus *Benedictam*, omnium scilicet gratiarum plenitudine, *ascriptam* summa dignitate et honore, *ratam* summa et æterna potestate. De prima prærogativa, scilicet omnium gratiarum plenitudine, scriptum est : *De plenitudine ejus omnes accepimus* (*Joan.* I); et : *non enim ad mensuram dedit Deus Spiritum* sanctum Filio (*Joan.* III). De secunda prærogativa, id est summa dignitate et honore, scriptum est : *Habens in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium* (*Apoc.* XIX). De tertia prærogativa, id est summa et æterna potestate, scriptum est : *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur* (*Dan.* VII). Sed quia triplex hæc prærogativa parum nobis prodesset nisi charitatem geminam exhiberet, propterea dicimus, *ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.* Charitas gemina fuit quam ad Patrem habuit et ad gregem, Patri obediendo et pro grege moriendo. Vel charitas gemina fuit qua corpus et animam posuit, vel qua sanguinem et aquam de latere suo fudit. Vel ideo quinque cruces facimus, ut ex prædictis quinque, quinque nobis necessaria impetremus: ex participatione scilicet sanguinis, remissionem peccatorum; ex participatione corporis, unitatem in societate sanctorum ; ex summa et æterna potestate, timorem et sollicitudinem mandatorum; ex summa dignitate et honore, honestatem vitæ et maturitatem morum ; ex plenitudine gratiarum, plenitudinem præmiorum. Hac igitur de causa in secundo ordine quinque cruces facimus.

CAP. V. *De tertio ordine Canonis.*

In tertio ordine, sicut petimus in secundo, quæ benedicta sunt in primo in verum et summum sacrificium transformantur, id est in verum corpus et sanguinem Christi. Et quia iste ordo brevis quidem est, sed profundus et magna sapientia plenus, ideo in hoc duæ rationabiles quæstiones moventur. Prima quæstio, quare non nisi duæ cruces fiant ; secunda, quare in hoc ordine potius quam in cæteris substantia panis et vini in verum corpus Christi et sanguinem transeat. Solutio primæ quæstionis. Nulla alia nisi sola duplex hominis natura erat redimenda, scilicet corpus et anima. In hoc autem ordine nostra redemptio et reparatio celebratur, per quam humana natura liberatur. Unde quare in hoc non nisi duplex fuerit crux facienda, manifesta apparet ratio, videlicet propter redemptionem duplicis naturæ. Solutio secundæ quæstionis. Tres ordines sunt : ordo naturæ, ordo justitiæ, et ordo gratiæ. Ordine naturæ flos præcedit fructum, et sonus cantum, et materia materiatum. Ordine justitiæ pœna sequitur peccatum, et virtutem præmium, unde scriptum est : *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Exod.* XXI), etc. ; et : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die* (*II Tim.* IV). Ordine gratiæ superabundat gratia ubi abundavit delictum, et præcedit humilis peccator justum superbum, velut publicanus Pharisæum, et misericordia impendiur ubi nullum præcedit meritum. Unde in Evangelio : *Publicani et meretrices præcedent vos in regno Dei* (*Matth.* XXI). Sed nec natura potuit nec justitia debuit, ut panis et vinum fieret caro et sanguis. Sola

vero divina gratia hoc potuit et voluit; hoc et fecit et facit. Sicut ergo sunt tria tempora, tempus ante legem, tempus sub lege, et tempus gratiæ; et in solo tempore gratiæ Dominus Jesus venit, et hoc sacramentum celebravit et instituit, sic in hoc tertio ordine Canonis convenientius quam in cæteris quotidie venit, et de pane et vino carnem et sanguinem suum consecrat et conficit. Et hæc de tertio ordine dicta sufficiant.

Cap. VI. *De quarto ordine Canonis.*

In quarto ordine, præsente summo et vero sacerdote, jam apud Patrem innotescunt petitiones nostræ; præsente summa et vera hostia, jam major protenditur mora. Tunc magnalium quæ fecit celebratur memoria, ut tam per eum quam per ea quæ fecit, Patris flectatur et impetretur clementia. Quinque ergo cruces facimus, non quod eum qui præsens est Sanctum sanctorum sanctificemus, sed ut per ejus præsentiam et crucis efficaciam quinquepartitam obtineamus gratiam, per quam digne offeramus et sumamus salutarem hostiam, et eidem conformati, in sanctorum consortium mereamur admitti. Dominus Jesus in passione sua fuit *hostia pura*, in resurrectione *hostia sancta*, in ascensione *hostia immaculata*. *Panis vitæ æternæ* esurientibus, *calix salutis perpetuæ* justitiam sitientibus. Ei ergo assimilari et conformari debemus, qui ad ipsum offerendum accedimus, sed quia hoc non potest fieri nisi passionem, resurrectionem et ascensionem studeamus imitari, propterea istorum trium in primis memoriam facimus, ubi dicimus: *Unde et memores, Domine, nos tui servi, sed et plebs tua sancta ejusdem Christi Filii tui Domini Dei nostri tam beatæ passionis nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ ascensionis*, ut scilicet ex imitatione passionis per munditiam castitatis simus et offeramus *hostiam puram*, ex imitatione resurrectionis obtineamus virtutem et opera pietatis, et simus et offeramus *hostiam sanctam*, ex imitatione ascensionis obtineamus rectitudinem intentionis, et simus et offeramus *hostiam immaculatam*, ex participatione panis sancti vitæ æternæ, obtineamus unitatem et fortitudinem charitatis, ex participatione calicis salutis perpetuæ, multitudinem et magnitudinem exsultationis, sicut scriptum est: *Et calix meus inebrians quam præclarus est!* (*Psal.* XXII.) De his quidem in primo ordine ex parte diximus, et quare in hoc quarto ordine tria duo præcedant, meminimus. Tria igitur necessario primum offerimus ut ad *panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ*, id est sacramentum altaris, digne accedamus. In his enim duobus comprehenditur, et hæc quodammodo sacramentum altaris complectitur. In primo ergo prudentia, in secundo fortitudo, in tertio justitia, in quarto, id est altaris sacramento, temperantia. Propterea dicebat Apostolus: *Probet autem seipsum homo* (*I Cor.* XI), id est in his et per hæc se præparet, et probando aptet, scilicet per munditiam castitatis, per virtutem et opera pietatis, et per rectitudinem intentionis. *Et sic de pane illo edat et de calice bibat*, id est sic probatus et sic præparatus ad sacramentum altaris accedat. Ideo Dominus in Evangelio: *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris*, etc. (*Luc.* XII). *Sint lumbi vestri præcincti*, ecce munditia castitatis, *et lucernæ ardentes in manibus vestris*, ecce opera pietatis, *et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum* (*ibid.*), ecce rectitudo intentionis. Hæc enim sola vere exspectat et lætificat; expectando lætificat, et lætificando exspectat. Unde Apostolus: *Conversatio nostra in cœlis est* (*Philip.* III), quasi dicat: Intentio nostra recta est et erecta ad gloriam Dei et ad gaudia cœli. *Unde et Salvatorem exspectamus* etc. (*ibid.*), *ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiamus ei* (*Luc.* XII), ecce sacramentum altaris. In hoc enim vere Salvator venit etiam per præsentiam corporis. Pulsat cum fidem interrogat. Interrogat ut discernat. Interrogat ut probet et reprobet: probet fidelem, reprobet infidelem. *Dominus* enim *interrogat justum et impium* (*Psal.* X). Nonne interrogabat fidem quando de corpore et sanguine suo dicebat: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis?* (*Joan.* VI.) Nonne interrogando discernebat, discernendo probabat et reprobabat, quando, duodecim, remanentibus multi abierunt retro, dicentes: *Durus est hic sermo* (*ibid.*). Et vere tum eum venientem fide integra et devota suscipimus. Vel ideo quinque cruces facimus, quia quinque offerimus, pro quinque rogamus, et quinque petimus. Pro quinque rogamus: primo generaliter pro fidelibus vivis omnibus; secundo, pro altaris comparticipibus; tertio, pro defunctis familiaribus; quarto, generaliter pro omnibus; quinto, pro nobis peccatoribus. Generaliter pro vivis omnibus ubi dicimus: *Supra quæ propitio*, etc. Sed quid est *supra quæ*, cum potius supra quem, id est supra Christum videatur esse dicendum? Est itaque sic intelligendum *supra quæ*, id est supra cujus membra, vel supra cujus dona. Pro altaris comparticipibus, ubi dicimus: *Ut quotquot ex hac altaris participatione*, etc. Pro defunctis familiaribus, ubi dicimus: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum qui nos præcesserunt*, etc. Generaliter pro omnibus fidelibus defunctis, ubi dicimus: *Ipsis et omnibus in Christo quiescentibus*, etc. Pro nobis peccatoribus, ubi dicimus: *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam*, etc. Quinque petimus, duo scilicet nobis vivis, et tria fidelibus defunctis. Duo nobis, primo scilicet ut omni benedictione cœlesti et gratia repleamur; secundo ut intra sanctorum consortium admitti mereamur. Tria fidelibus defunctis, scilicet refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem, quod est ibi: *Locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas deprecamur*. Quinquies ergo crucem facimus, per cujus virtutem et amorem et obtinemus quæ offerimus, exaudimur pro quibus rogamus, et quæ petimus impetramus.

Cap. VII. *De quinto ordine Canonis.*

In quinto ordine ut petitionum nostrarum consequamur efficaciam, captamus benevolentiam, utramque commendamus personam, Patris scilicet et Spiritus sancti. Patris commendamus personam per ineffabilem charitatem, ubi dicimus: *Per quem hæc omnia, Domine, semper dona creas*, etc. Spiritus sancti personam per mirabilem scientiæ profunditatem, qua ita ordinavit Canonem ut ad verbum creationis non faciamus signum crucis, ad tria sequentia faciamus, *sanctificas, vivificas, benedicis.* Et quare? hæc est causa, quia humana natura ex statu primæ conditionis nec habuit profectum virtutis, nec stabilitatem beatitudinis. Ex prima quidem creatione pollebat naturali ratione, gaudebat arbitri libertate; per se autem nec poterat stare nec proficere, sine gratia adjutrice et sine crucis virtute. Ex se ergo labilis et caduca; ex virtute autem sanctæ crucis et gratiæ adjutricis stabilis efficitur et beata. Propterea ad primum verbum creationis non facimus signum crucis, ad tria sequentia facimus. *Sanctificas* fide et spe et remissione peccatorum, *vivificas* sacramentis fidei et virtute bonorum operum, *benedicis* plenitudine gratiarum et consummatione bonorum. Ideo ergo ter crucem facimus, quia per ejus virtutem et amorem hæc tria obtinemus, quibus super omnia indigemus. Personam Filii per multiplicem, id est quadripartitam, potestatem commendamus, ostendentes cum primo Deum naturæ, secundo largitorem veniæ, tertio Dominum virtutis et gratiæ et fontem vitæ, quarto Regem gloriæ, unde scriptum est: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ* (*Psal.* XXIII). Prima potestas est, qua potest omnia de nihilo creare; secunda, qua potest peccata dimittere; tertia, qua potest gratiam et virtutem augere; quarta qua potest emundatos et gloria et beatitudine coronare. *Per quem hæc omnia, Domine, semper bono creas*, ecce Deus naturæ; *Sanctificas*, ecce largitor veniæ. *Vivificas*, ecce fons vitæ et Dominus virtutis gratiæ; *Benedicis*, ecce rex et corona æternæ gloriæ.

Cap. VIII. *De sexto ordine Canonis.*

In sexto ordine per eum qui venit in sexta ætate, et per virtutem crucis ejus jam plenius omnem veritatem cognoscimus, et per eumdem Patrem honoramus et glorificamus. Unde majori sumpta fiducia et audacia, ut ad summam pacis pertingamus, omnium petitionum summam in brevi colligimus, dicentes: *Pater noster*, etc. (*Matth.* VI.) Quinque cruces facimus, ut per virtutem et amorem sanctæ crucis quinque gradus in cognitione veritatis ascendamus sine quibus salvi esse non possumus. Non quod gradus sint aliqui in Trinitate deitatis vel deitate Trinitatis, sed in ejus fide et dilectione; unde Apostolus: *Ex fide in fidem* (*Rom.* I). Primus gradus fidei est æternitas Filii cum Patre; secundus gradus, æqualitas; tertius gradus unitas ejusdem substantiæ; quartus, idem modus utriusque existendi; quintus, unitas Spiritus sancti cum utroque, id est cum Filio et Patre.

Et notandum quod in hoc ordine Oratio Dominica continetur, unde et tres quæstiones rationabiles in hoc ordine oriuntur. Prima videlicet quare in crucibus faciendis tanta diversitas ostenditur; secunda, quare corpus Domini integrum in eisdem crucibus faciendis manu teneatur; tertia, quare in hoc ordine potius quam in aliis Oratio Dominica contineatur. Notandum est etiam quod alia per ea quæ fiunt intelliguntur, alia per ea quæ dicuntur. Sed quæ diversitas in crucibus ostenditur? Prima quidem crux ex utraque parte ultra calicem protenditur. Secunda calici coæquatur. Tertia infra calicem coarctatur. Quarta eadem est cum prima. Quinta ante calicem depingitur. In prima ergo cruce æternitas Filii intelligitur cum Patre, in secunda æqualitas, in tertia unitas internæ et ejusdem substantiæ, in quarta idem modus existendi utriusque, et ante mundi constitutionem, et post mundi consummationem. Unde de seraphim legitur quod duabus alis velabant caput, et duabus pedes, et duabus volabant (*Ezech.* I). In capite principium, in pedibus finis. Quid enim fuit ante mundi constitutionem, vel quid futurum sit post mundi consummationem, occultum est et velatum. Duabus alis volabant, id est ad notitiam hominum deferebant, quæ in medio ad salutem hominum pertinebant. In quinta cruce intelligitur unitas Spiritus sancti cum Patre et Filio. In eo vero quod dicitur *per ipsum* intelligitur creatio. In eo quod dicitur *cum ipso*, operatio. In eo quod dicitur *in ipso* consummatio. Per Filium enim Pater creavit universa, cum Filio operatur, et Filius cum eo, regendo et disponendo creata. Unde in Evangelio: *Pater meus usquemodo operatur: et ego operor* (*Joan.* V). Denique in ipso consummabuntur omnia. Post mundi vero consummationem, *cum tradiderit regnum Deo Patri et subjectus erit ei qui sibi subjecit omnia* (*I Cor.* XV), et cum perfecte cognoscetur ab omnibus Spiritus sancti persona et natura, tunc per Filium erit Deo Patri *omnis honor et gloria*. In creatione autem rerum et in operatione est quidem Deo Patri per Filium honor et gloria, sed non omnis, donec post consummationem sicut a Patre ad Filium, sic a Filio hæreditas revertatur ad Patrem. Propterea quinta crux quando in virtute Spiritus sancti dicitur, ante calicem depingitur, id est in oculis omnium manifestatur. Post mundi enim consummationem, non tantum quomodo Filius sit unum cum Patre, verum etiam quomodo Spiritus sanctus sit unum cum utroque et procedat ab utroque plene ab omnibus justis cognoscetur, sicut scriptum est: *Cognoscent me omnes a minimo usque ad maximum* (*Jer.* XXXI). Propterea *omnis honor et gloria* differtur usque in ultimum. Ideo ergo quinque cruces facimus, ut per virtutem sanctæ crucis ad istam quinquepartitam cognitionem veritatis pertingamus. Prima quæstio, quare scilicet tanta diversitas in crucibus faciendis ostenditur, in prædictis soluta terminatur. Cæteræ duæ quæstiones restant solvendæ. Solutio secundæ quæstionis. In sexta ætate Domi-

mus Jesus integer et perfectus homo apparuit, et seipsum integrum atque perfectum exhibuit et pro nobis obtulit. Ideo in sexto ordine eum integra manu tenemus, id est fide integra et opere perfecto imitari debemus; et sic cruces facimus, id est ejus passionibus communicamus. Solutio tertiæ quæstionis. In sexta ætate Dominus Jesus veniens Orationem Dominicam ordinavit et docuit, et ideo in sexto ordine convenientius quam et aliis ponenda fuit.

Cap. IX. *De septimo ordine Canonis.*

Septimus ordo a pace incipit et ad pacem tendit. Tria de dilectione Creatoris requiruntur: mens, manus et lingua; hæc eadem in hoc operantur. Lingua format vocem, manus pingit crucem, mens movet utrumque, id est linguam ad formandum vocem, et manum ad pingendum crucem. Hæc igitur tria sunt necessaria, id est vox orationis, et virtus sanctæ crucis, et fides mentis, ut pertingamus ad summam pacis. *Pax Domini sit semper vobiscum.* Non omnis pax est Domini pax. Est enim pax inordinata, est pax simulata, est pax inquinata, et pax scelerata. Pax inordinata, pax superborum, qui contempto superiore obediunt inferiori, sicut Adam uxori, et ideo seipsum superiorem et inferiorem perdidit. Secundus vero Adam maluit obedire Deo Patri quam Synagogæ matri, et ideo seipsum recepit cum a mortuis resurrexit, et Patrem servavit, et matrem in fine recipiet. Cui Synagogæ matri compatiendo Patri dicebat: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI). Non tamen passionem timebat vel subterfugere volebat, sed quia Synagogam ex sua passione perituram sciebat, affectu pietatis condolebat. Pax simulata est proditorum, qui ore et non corde loquuntur; pax inquinata, fornicatorum et adulterorum; pax scelerata, rebellium et schismaticorum, qui universaliter Ecclesiæ auctoritati resistunt et contradicunt. Unde Samuel: *Peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* XV). Augustinus tres auctoritates ponit: primam, sanctarum Scripturarum; secundam, generalium conciliorum; tertiam, universalis Ecclesiæ consuetudinem, dicens: Omnia quæ nulla istarum auctoritate roborata sunt, ab Ecclesia penitus resecanda existimo. Pax autem Domini ordinata est, quæ ordinem diligit. Vera est, quæ neminem fallit. Munda est, quæ omnia inquinamenta refugit. Pudica et æterna est quæ litem et finem nescit.

In ordine multæ quæstiones oriuntur quæ, Spiritu sancto revelante, solvuntur. Prima quæstio, quare tres cruces secundum consuetudinem Ecclesiæ fiant; secunda, quare duæ secundum quamdam rationem fidei sufficiant; tertia, quare cruces istæ non supra vel extra calicem, sed tantum intus in calice fiant. Quarta est quare tertia particula Dominici corporis manu teneatur in crucibus faciendis. Quinta, quare eadem particula, factis crucibus, in calicem descendat. Sexta, quare duæ partes extra calicem remaneant. Septima, quando dicitur *Agnus Dei*, cum duobus primis sit convenientia, quare in tertio sit differentia dicendo, *dona nobis pacem*. Solutio primæ quæstionis: Tres vitæ sunt humanæ naturæ: Prima, animæ simul cum corpore; secunda, animæ relicto corpore; tertia, animæ, resumpto corpore: quæ erit in resurrectione. In prima vita pax est necessaria, quæ longe faciat a crimine. In secunda, pax est necessaria, quæ longe faciat a terrore, unde in exsequiis mortuorum dicitur: *Non pœnalis timor excruciet; non reorum proxima catena constringat*, etc. In tertia vita pax est necessaria quæ longe faciat ab utroque, id est a crimine et terrore, consummata gloria et beatitudine. Ideo ergo tres cruces facimus, ut per virtutem crucis ad istam triplicem pacem pertingamus. Ideo etiam *semper* dicimus, id est in hac triplici vita pacem aliis imploramus. Solutio secundæ quæstionis: Nulla natura redimenda erat vel ad pacem reducenda, nisi solius hominis corpus et anima, propterea secundum hanc rationem fidei duplex crux solummodo videtur esse facienda.

Solutio tertiæ quæstionis: In septima ætate quæ excipietur ab octava pace consummata, non erit unde exterius sit dolendum sed unde potius sit interius gaudendum. Propterea cruces non extra, sed intus in calice fiunt. Solutio quartæ quæstionis: Tertia pars Dominici corporis quam manu tenemus cum cruces facimus, pars illa est Ecclesiæ quæ in exsultatione est et gaudet cum Christo in æterna beatitudine, hanc ergo, id est sanctos manu tenere, id est fide et opere imitari debemus, ut sic cruces faciamus, id est passionibus Christi communicemus. Solutio quintæ quæstionis: Calix Domini qui laborem significat et imitationem Dominicæ passionis, habet suum exterius et suum interius: exterius pressuram et tribulationem; interius, gaudium et consolationem. Unde Dominus in Evangelio: *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis* (*Joan.* XVI), unde Isaias: *Secretum meum mihi* (*Isai* XXIV), et David: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* (*Psal.* XXX) et iterum: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam* (*Psal.* XCIII). Illud secretum gaudii et consolationis et illud absconditum dulcedinis, interius est calicis. Propterea ergo illa tertia particula Dominici corporis descendit in calicem, quia post laborem cum Christo in æternum et æternam recipiet requiem. Unde in Evangelio: *Jam pueri mei mecum sunt in cubili; non possum surgere et dare tibi* (*Luc.* II). Solutio sextæ quæstionis: Duæ partes Dominici corporis, quæ extra calicem remanent, duæ sunt partes Ecclesiæ, pars in peregrinatione, et pars in exspectatione. Quia ergo istæ duæ partes laboribus pœnitentialibus subjacent, et adhuc exspectant et desiderant, nec desideratam habent requiem; propterea illæ duæ partes Dominici corporis extra calicem remanent. Solutio septimæ quæstionis: Tria sunt tempora; duo sunt misericordiæ, tertium erit pacis et justitiæ. Quia ergo in tempore peregrinationis et in tempore exspectationis speratur

et exspectatur misericordia, in tempore vero resurrectionis pax consummabitur atque justitia. Propterea quando dicitur, *Agnus Dei*, in duobus primis est convenientia, in tertio est differentia.

CAP. X. *De tribus ordinibus sanctorum in Canone positorum.*

Denique diligenter attendendum est et vigilanti inquisitione perquirendum quare in Canone tres ponantur ordines sanctorum. Tres videlicet sancti de omnibus Patribus, qui fuerunt ante legem : Abel, Abraham et Melchisedech; Novi vero Testamenti plures, id est viginti quinque et majoris auctoritatis ante consecrationem; pauciores vero, id est quindecim et minoris autoritatis post consecrationem. Tres prædicti tantum de omnibus Patribus qui fuerunt ante legem, idcirco præcipue ponuntur in Canone, quia in istorum personis et sacrificiis, persona et sacrificium Christi maxime præfigurabatur. Abel enim agnum de grege obtulit et per invidiam a fratre occisus fuit. Abraham per obedientiam de terra et cognatione sua exiit et unicum filium obtulit. Melchisedech qui rex pacificus et justitiæ dicitur, sine patre, sine matre, assimulatus Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum, et in figura Christi obtulit Abrahæ panem et vinum. Novi Testamenti plures, id est quinquies quinque et majoris auctoritatis ideo ponuntur sancti ante consecrationem, quia ut digne officio et ministerio nostro res mirabiliter fiat, id est substantia panis et vini in verum corpus Christi et sanguinem transeat, pluribus et majoribus auxiliis indigemus, et quinquies sensuum perfectione multiplicandi et consummandi sumus. Post consecrationem pauciores, id est quindecim et minoris auctoritatis ideo ordinantur sancti, ut eorum meritis et precibus quindecim gradibus charitatis ascendamus, et uniti in sanctorum consortium transeamus. Multo quidem mirabilius et majus est substantiam panis et vini verum corpus et sanguinem Christi fieri, quam nos in sanctorum consortium admitti. Idcirco per Abel vera innocentia, per Abraham vera et perfecta obedientia, per Melchisedech fides designatur devota et integra. Istæ tres virtutes veraciter in illis redolent qui omnipotenti Deo corporis et sanguinis Christi sacrificium fideliter immolant. Sancti patres magna subtilique consideratione instituerunt, ut in canone missæ nullus confessorum vel virginum, nisi qui martyrio sanguinis purgatus est, nominetur, quoniam de martyribus nulla dubietas est quin statim de corporibus egredientes eorum animæ regnum cœlorum conscenderint. De cæteris autem qui in pace Ecclesiæ transierunt, incertum est utrum adhuc in alia vita aliquid expiandum habeant. Sicut de Paschasio diacono refert beatus Gregorius, quod et post mortem miracula fecerit, et tamen a sancto Germano pœnitentiam agens repertus sit pro levissima culpa, quam nec culpam esse credidit, et ideo fletibus non exstinxit. Salutari hostia post mortem liberari merebimur, si ante mortem Deo ipsi hostia fuerimus.

MISCELLANEA.

LIBER PRIMUS.

ELUCIDATIONES VARIÆ IN SCRIPTURAM MORALITER.

Quæ miscellanea dicuntur, quod mistim et confuse procedunt; alii enim ista ab ipso Hugone collecta censent; ut ea, ubi commodum viderit, ad institutum suum applicet; alii non ab Hugone, sed ex operibus Hugonis, ut sententiarum flosculos excerpta existimant, eo quod plurima ejus scriptis inserta deprehenderunt : quæ si impressa invenero, titulum duntaxat et locum signavero.

TITULUS I. *De eo quod spiritualis dijudicat omnia, et de judicio veri et boni.*

Spiritalis dijudicat omnia (*I Cor.* II). Spiritus spiritalem facit. Ipse spiritus, ipsa est unctio quæ, cum mentem tetigerit, de omnibus docet. Ipsa una est, et docet de omnibus. Nec mirum si omnia docet, quæ omnia continet. Una est sapientia et in ipsa omnia sunt; et omnia in ipsa non aliud sunt quam ipsa. Ibi unum omnia, et omnia unum sunt. Neque idcirco non unum sunt quia omnia sunt, neque ideo non omnia sunt, quia unum sunt. Pariter magnitudo et simplicitas : unitas et universitas. Unum bonum est, et in illo bono omne bonum est. Si videre cupis, lumen est et species. Lumen est quoniam per ipsum vides. Species quoniam ipsum vides. Et quid est videre ipsum? Quæsivit ille ut videre mereretur, dicens : *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi teipsum. Et ait : Ego ostendam tibi omne bonum* (*Exod.* XXXIII). Videte, ipsum videre petiit, et ille omne bonum se ostensurum promisit. Quasi aliud offerre videtur quam fuerat rogatus; sed non aliud est, sed ipsum idem. Omne bonum ipse est, et ipsum videre, omne bonum videre est. Qualis ergo putas est species ista in qua omnis pulchritudo videtur? Multum tibi confert lumen hoc corporale, quando per ipsum vides; non tamen totum confert, quia et aliud vides et totum in ipso non vides, quoniam aliud vides quod lumen non est ipsum, quamvis et hoc videas per lumen. Quoniam autem per hoc lumen vides, totum per ipsum vides, et totum in ipso vides; et totum quod in ipso vides, ipsum est quod vides. Tale lumen est spirituale, quod cum se illuminandis præstat, qui ipsum vident totum vident. Ex hoc ipsum bonum quod spiritualibus oculis lumen est et species, spiritualibus auribus canticum est. Quærunt oculi gaudium suum; venit bonum hoc, et dicit : Lumen sum.

Quærunt aures gaudium suum; venit bonum hoc et dicit: Canticum sum. Auditum fuit canticum quoddam novum, ut et suavitas et novitas jucunditatem augerent: Suavitas ad delectationem, novitas ad admirationem. Et infusum est auribus gaudium suum et dicit bonum hoc: Quærite me, hoc sum ego. Clamant fauces, et dicit sapor: Sum; nares, et dicit odor: Sum; tactus, et respondet suavitas: Sum. Ego totum sum; et totum quod sum bonum sum; et qui me habet totum habet. Non poterat corporea natura spiritualem perfectionem æmulari ut in uno omnia contineret. Propterea multa corpora fieri necesse erat ut, quod non poterant per se singula, simul facerent universa. Si album solum factum esset, nigrum non esset. Non poterat autem corpus unum album simul et nigrum esse. Et quæcunque contraria erant, in uno solo esse non poterant. Itaque si unum quodcunque solum factum esset, omne quod est præter unum non esset. Ratio autem contrariorum contraria non est; et idcirco spiritus, in eo quod rationem omnium continet, omnia per rationem continet; et cum sit unus et simplex natura, multiplex est tamen sapientia, sicut stabilis veritate et mobilis subtilitate. Hic ergo spiritus quando se per gratiam cordi infundit, sicut in ipso omnium veritas continetur, ita per ipsum, quomodo vult et quantum vult, omnium cognitio ministratur; et incipiunt quodammodo omnia esse in illo qui accipit, sicut omnia sunt in illo qui dedit. Qui enim videt oculo contemplationis, videt Deum et ea quæ in Deo sunt. Qui videt oculo rationis, videt animum et ea quæ in animo sunt. Qui videt oculo carnis, videt mundum et ea quæ in mundo sunt. Qui autem videt ea quæ videntur oculo contemplationis, videt et ea quæ videntur oculo rationis et ea quæ videntur oculo carnis, quia in superioribus inferiora cognoscuntur. Qui autem videt oculo rationis, ea quidem quæ videntur oculo carnis videt; sed non similiter ea quæ videntur oculo contemplationis videt. Qui vero oculo carnis videt, ex eo nec ea videt quæ videntur oculo contemplationis, nec ea quæ videntur oculo rationis. Propterea igitur *spiritalis dijudicat omnia*, quia sicut per oculum contemplationis ea videt quæ in Deo sunt, ita per oculum rationis contemplatione illuminatum ea videt quæ in animo sunt, et per ea et in eis ea quoque quæ in mundo sunt. Qui ergo omnia videt, de omnibus judicare potest, quia nihil ab ejus judicio subtrahitur a cujus cognitione nihil occultatur.

Sic itaque *spiritalis dijudicat omnia*. Quid est *omnia?* Omnem veritatem, sapientia. Omnem bonitatem, experientia. Per sapientiam judicat omnem veritatem. Per experientiam judicat omnem bonitatem. Duo sunt verum et bonum, et in his duobus constat omne bonum. Sicut lumen istud corporeum duo in se habet, splendorem et ardorem, et per splendorem quidem illuminare, per ardorem autem accendere vel calefacere habet, sic summum bonum mentem quam replet et ad cognitionem veritatis illuminat, et ad amorem bonitatis inflammat. Utrumque ministrat spiritus unus, cognitionem scilicet et dilectionem. Cognitio præstat judicium veritatis, dilectio præstat judicium bonitatis. In utroque errant homines. Quidam errant in judicio veritatis excæcati per ignorantiam, quidam errant in judicio bonitatis excæcati per malitiam. Quid est malitia? voluntas mala. In voluntate mala dilectio mala. Sicut enim bona dilectio mentem illuminat, sic dilectio mala mentem excæcat. Omni homini bonum videtur quod diligit. Scriptura dicit: *Væ iis qui dicunt bonum malum, et malum bonum* (*Isa.* v). Malum bonum dicunt qui malum diligunt, et rursum bonum malum dicunt quod bonum odiunt. Quid est diligere? Approbare. Qui approbat laudat, et bonum putat quod probat. Quid est odire? Improbare et malum putare, hoc est judicium falsum, in quo et malum bonum et bonum malum dicitur. Alius dicit: Bonum est; alius dicit: Malum est; et contendunt homines erroribus suis excæcati, quia spiritum non habent per quem de omni vero et de omni bono judicare debuerunt. *Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum* (*Eccle.* III). Ideo litigant homines contendentes judicio, et non possunt recte judicare de bono, quia neque bonum in veritate, neque verum in bonitate cognoverunt. Et quia vere non cognoscunt quid sit bonum, non possunt recte judicare de bono. Omnis enim qui aliquid judicat, secundum aliquid judicat. Alioquin nihil judicatur, nisi aliud sit certum et notum, cujus comparatione sive collatione ipsum quod dubium est discernatur. Et ipsum quidem, secundum quod aliud judicatur, quasi regula est cui illud quod ex ejus comparatione judicandum est, quodammodo confertur et coaptatur. Omne autem quod secundum rectum judicatur, recto judicio judicatur, quoniam cum illo aut convenire invenitur et rectum esse, aut discrepare ab illo et esse distortum. Quod autem judicatur secundum id quod distortum est, statim ipsum non recto judicio judicari necesse est, quia sicut quod discordat a torto, semper rectum invenitur; quod concordat, tortum esse non dubitatur.

Itaque in sola rectitudine certum judicium est, quia quod convenit cum illa, semper rectum esse necesse est; et quod discordat ab illa, nunquam rectum esse potest. Si ergo rectitudo regula est omnis judicii, secundum illam utique rectitudinem rectissime omnia judicantur a qua et per quam quæ recta sunt omnia et formantur ut recta sint, et probantur si sunt. Quæ est autem summa rectitudo nisi summa veritas et summa bonitas? Summa veritas regula omnis veritatis. Summa bonitas regula omnis bonitatis. Omne igitur bonum judicatur secundum summum bonum. Quale bonum ipsum est, et quantum bonum est. Est autem quoddam summum bonum vere summum et vere bonum, et omnia quæ ad ipsum bona sunt vera bona sunt. Est item quoddam summum bonum nec vere summum nec vere bonum; et ideo omnia quæ ad ipsum bona

sunt, non vera bona sunt. Omnia tamen bona, tantum bona sunt, quantum ad summum bonum bona sunt. Quod vere summum bonum est, universaliter summum est. Quod autem non vere summum bonum est, non universaliter, sed in suo genere tantum summum bonum est. Sunt itaque duo quædam summa bona; aliud vere summum et vere bonum; aliud in suo genere summum et in suo tantum genere bonum. Sed quid dicemus? Nunne summum bonum Deus est? Si ergo duo summa bona sunt, duo utique dii sunt. Et fortasse quod ait Apostolus: *Si quidem dii multi sunt et domini multi* (*I Cor.* VIII), hoc ipsum significare voluit, quia illic quique secundum aliquem modum non inconvenienter Deus dicitur, ubi in sui generis bono summus invenitur. *Nobis autem* ait, *unus Deus est* (*ibid.*). Quid est *nobis?* Tendentibus ad summum bonum. Ad summum enim bonum tendentibus unus est. Ad verum bonum tendentibus verus est. Inferioribus positis quibus ad verum bonum pervenire non datur, alia quædam summa bona sunt quæ vere summa non sunt, et ideo vera non sunt, summa tamen in suo gradu et ordine constituta. Et quod cuique summum est hoc illi Deus est. *Ecce*, inquit, *Deum Pharaonis constitui te* (*Exod.* VII). Ecce duo dii, imo tres: Moyses in Ægypto, homo in mundo, Creator in cœlo. Et habet unusquisque Pharaonem suum. Quid est Pharaonem? Negatorem et contradictorem. Pharao interpretatur *negans eum*, id est Deum. *Dominum*, inquit, *non cognovi, et Israel non dimittam* (*Exod.* V). In hoc negans eum dicitur. Quid est negare Deum? Summum bonum negare. Deus enim summum bonum est. *Qui negat*, inquit Apostolus, *Christum in carne venisse, hic est Antichristus* (*I Joan.* II), hoc est contrarius Christo. Si ergo qui negat Christum, Antichristus est, igitur qui adversatur et contrarius est summo bono, hic negat summum bonum, et est Pharao, id est negans eum. Quid est contrarium vero bono nisi verum malum? Et non vero bono, nisi non verum malum? Ecce ergo constituamus tres Pharaones contra tres deos. Moysi adversatur tyrannus Ægyptius, homini mundus, Deo diabolus. Primus crudelitate, secundus adversitate, tertius iniquitate. Primus sævitiam, secundus pœnam, tertius malitiam opponit. Interiorem vitam in anima exstinguere conatur iniquitas; exteriorem vitam in corpore exstinguere conatur mortalitas. Moysi vitam conatur exstinguere Pharaonis crudelitas.

In his omnibus contradictiones sunt. Sunt igitur duo summa bona, utrumque in suo ordine. In spiritualibus bonis Deus summum bonum est, quoniam et ipse spirituale bonum est. In corporalibus bonis homo summum bonum est, in quantum ipse corpus est et supra corporalia omnia conditus est, et omnia corporalia quæ facta sunt propter ipsum facta sunt. Sicut ergo spiritualia bona omnia ad illud bonum referuntur quod in suo genere summum est, ita quoque corporalia bona omnia ad illud referuntur bonum quod inter corporalia omnia supremum collocatum est. Sed in spiritualibus bonis summum bonum Deus est, in corporalibus bonis summum bonum homo est. Itaque corporalia bona ad hominem referuntur quasi ad summum suum; spiritualia bona quæ in cognitione veritatis et amore bonitatis consistunt, ad Deum referuntur, velut ad summum suum. Corporalia bona ad hominem bona sunt, quia hominis bona sunt. Spiritualia bona ad Deum bona sunt; non quia Dei bona sunt, sed quia es Deo bona sunt. Ista ab homine bona non sunt, sed homini bona sunt; illa a Deo bona sunt. Quidquid enim extra ipsum bonum est ab ipso quidem bonum est, sed ipsi bonum non est, qui solus ipse bonum suum est. Omne tamen bonum ideo bonum est, quia ad summum suum bonum bonum est, et in tantum bonum est, in quantum ad ipsum bonum bonum est. Per summum igitur bonum reliqua omnia dijudica et ipsum quasi regulam justitiæ in judicio universorum constitue. Quid est bonum? Quod bonum est ad summum bonum. Quod est vere bonum? quod bonum est ad verum bonum. Quid est bonum esse ad illud? prodesse ad illud. Quod convertit et ducit ad illud; et si non ducit conducit tamen. Si prodest ad illud, ducit. Si prodest illi, conducit. Spiritualia bona ad summum suum ducunt, quia prosunt ad illud. Corporalia bona ad summum suum conducunt, quia prosunt illi. Quid est malum? quod malum est ad summum bonum. Quid est verum malum? quod malum est ad verum bonum. Quid est malum esse ad bonum? nocere illi vel nocere ad illud. Quid est nocere ad illud? facere ut illud amittatur, vel facere ut non obtineatur. Ergo corporalia bona omnia et mala ideo bona sunt vel mala, quia bono quod summum est ad illa prosunt vel nocent. Spiritualia autem bona omnia et mala, ideo bona vel mala sunt, quia ad bonum quod summum est ad illa, prosunt vel nocent; et tantum utraque bona sunt vel mala, quantum prosunt vel nocent sive illi sive ad illud. Quæcunque autem corporaliter bona dicuntur, secundum quod bona sunt homini, bona dicuntur. Quæcunque autem corporaliter bona sunt homini, secundum quinque sensuum perceptionem, bona sunt, per quos videlicet sensus et animæ commercium est ad mundum, et mundo ad animam. Omnes formæ rerum et figuræ et colores et species secundum visum bona dicuntur, quia visum fovent, et secundum visum placent homini; et quæ magis visum delectant magis *bona* dicuntur, sicut illa quæ cruciant, mala.

Similiter in sonis et canticis quæ auditum delectant, bona dicuntur; et quæ cruciant mala; et quæ magis delectant vel cruciant, magis bona vel mala. Ad hunc modum in odoribus quoque quæ amplius olfactum delectant magis bona dicuntur; quæ dolore afficiunt et cruciant, mala nominantur. Similiter in gustu et tactu invenitur. Sic ergo quæcunque corporaliter bona dicuntur propter corpus hominis, bona dicuntur, propter quod facta sunt ut illi bona essent omnia. Si ergo corporalia bona om-

nia ad corpus hominis referuntur, quanta putanda est excellentia animæ rationalis, quæ inæstimabili dignitate ipso corpore superior invenitur? Quatuor itaque genera boni distinguuntur, vera bona et vera mala, non vera bona et non vera mala. Vera mala homo facit; non vera mala homo patitur. Vera mala sunt in culpa, non vera mala sunt in pœna. Scriptum est : *Si est malum in civitate quod Dominus non fecerit* (*Amos* III). Quod ad culpam hominis est, homo facit; quod ad pœnam est hominis, Deus facit. Ergo homo culpam facit, Deus pœnam. Culpa verum malum est, pœna non verum malum. Vide dispares factores. Deus facit verum bonum, homo non verum bonum. Rursus homo verum malum facit, Deus non verum malum. Sicut nullum malum est intus ad culpam quod homo non facit, ita nullum malum est foris ad pœnam quod Deus non facit; sed homo cum malum facit sibi facit, et ideo malefacit. Deus cum malum facit non sibi facit, sed homini malefacienti; et ideo non malefacit. Homo intus stulte loquitur peccando; Deus foris stulto respondet secundum stultitiam ejus peccatum puniendo. Sunt ergo quatuor, verum bonum et verum malum : et non verum bonum et non verum malum. Et omnia hæc comparatione summi boni judicantur utrum bona sint an mala; et si sunt, quanta sint. Tria vero sunt genera boni : Est quoddam bonum, quod in se est bonum et non ad aliquid. Est item quoddam, quod non in se est bonum, sed ad aliquid. Et est rursum aliud, quod et in se est bonum et ad aliquid. Primum est infimum bonum, secundum medium, tertium summum. Sicut enim optimum est quod et in se et ad aliud bonum est, sic et infimum est quod in se tantum bonum est, quia illo melius est hoc quod, licet in se bonum non sit, ad aliud tamen bonum est. Quia enim ex eo majus bonum est, ipsum esse melius est, quia melius est quod ex ipso est. Aliquando autem ex vero bono verum bonum nascitur, sicut quando ex una virtute alia virtus procreatur. Aliquando ex vero bono verum malum oritur, sicut quando animus ex virtute per superbiam inflatur. Rursum ex vero malo verum malum nascitur, quando ex uno vitio aliud procreatur. Item ex vero malo verum bonum oritur, sicut quando ex culpa humilitas oritur.

Duo : fuerunt Pharisæus et publicanus, unus justus, alter peccator. Ex justitia Pharisæi orta est elatio; ex injustitia publicani, humiliatio. Illic ex vero bono verum malum; hic ex vero malo verum bonum. Item ex non vero bono non verum bonum nascitur, sicut quando ex fomento corporis sanitas corporalis comparatur. Rursum ex non vero bono non verum malum nascitur, sicut quando ex dulcedine cibi faucibus irritatis per immoderatam edacitatem stomachus oneratur. Ex non vero malo non verum malum nascitur, sicut quando ex pœna corporis infirmitas corporalis generatur. Item ex non vero malo non verum bonum oritur, sicut quando ex pœna corporis sanitas corporalis generatur. Si enim pœna malum est in amaritudine potionis, sanitas bonum est in adeptione curationis. Ex vero item bono non verum bonum; et non verum malum oritur, sicut quando ex continentia mentis et corpus ab edendi superfluitate cohibitum in sua sanitate conservatur, et caro per abstinentiam maceratа, ipsa etiam boni operis exsecutione affligitur. Ex vero similiter malo non verum bonum et non verum malum oritur, quando id, quod continentia facere dicimur, idem ipsum sive in sanitate corporis, sive in maceratione carnis avaritia operatur. Ex non vero bono et verum bonum et verum malum nascitur, sicut quando animus ex fomento carnis sive ad virtutem, sive ad vitium inflammatur. Ex non vero item malo et verum bonum et verum malum oritur, quando ex pœna corporis animus vel exercetur ad justitiam, vel ad iniquitatem inclinatur. Cum sic igitur et ex bono et malo bonum pariter et malum proveniat, quod ex bono bonum, et ex malo malum oritur, ipsa quidem boni et mali natura operatur. Quod autem ex bono malum vel ex malo bonum provenit, alterius vel malitia vel bonitas facit, illic abutentis bono, hic bene utentis malo ad bonum, maximo si verum est bonum vel malum quod fit, sive verum sive non verum sit ex quo fit. Quia ergo ut ex vero malo verum bonum proveniat non potestatis humanæ, sed divinæ bonitatis opus est, nunquam homini verum malum faciendum vel patiendum conceditur, ut inde bonum oriatur. Propterea cum dixisset Apostolus : *Ubi abundavit iniquitas, superabundavit et gratia* (*Rom.* V), et quidam ex hoc occasionem sumere conarentur quasi idcirco homini malum faciendum esset, quatenus ex eo postmodum bonum proveniret, subjunxit de talibus : *Quorum damnatio justa est* (*Rom.* III). Si enim homo male facit, et ex ejus malo postea Deus benefacit, homo quidem pro eo quod malefacit juste damnatur; Deus autem pro eo quod de malo bonum facit juste clarificatur. Quod malum est, hominis est; quod ex malo bonum est, Dei est. Propterea tu malum cave, quia si malum feceris, ex eo bonum facere non potes.

Similiter quamvis ex vero bono aliquando verum malum oriatur, non ideo tibi bonum vitandum est, ne malum inde eveniat, quia etiam eum bonum factum fuerit, in tua adhuc potestate est ut malum non fiat. Propter hoc ne malum facias propter bonum, quia in tua potestate non est, ut ex malo bonum fiat; nec bonum dimittas propter malum, quia etiam, facto bono, in tua adhuc potestate est ne malum fiat. Et hoc quidem de vero bono et vero malo intelligendum est. Sane de non vero bono et non vero malo hanc hominem cautelam habere oportet, ut quia hæc in ejus potestate sunt, et eis sive ad verum malum abuti, sive ad verum bonum uti potest, ita ipsa pro tempore et causa sive ad agendum sive ad patiendum suscipiat, quatenus semper ea vel ad fructum vel ad usum adipiscendi boni convertat. Ad fructum veri boni cooperante gratia, ad usum non

veri boni cooperante natura. Mors carnis, quia pœna est, semper malum est, sed semper mala non est. Similiter vita carnis, quia natura est, semper bonum est, sed semper bona non est. Bona vita est in qua est bonum meritum; bona mors est post quam est bonum præmium. Mala vita est in qua est sensus sine virtute; mala mors est in qua pœna est sine retributione. Quia ergo nec vita carnis, nec mors, neque ea quæ in vita vel in morte sunt, vera bona vel mala sunt, ita his omnibus homo uti debet, ut sive bona sint sive mala quæ sustinet, omnia ad usum bonitatis inclinet. Ad usum veri boni, non verum bonum, vel non verum malum inflectitur, quando homo vel in vita virtutem exercet, vel in morte præmium virtutis meretur. Ad usum non veri boni non verum bonum vel non verum malum inflectitur, quando ea quæ in vita vel suavia vel amara sunt, ad sanitatem corporis servandam vel reparandam disponuntur. Sed hæc omnia quando ad verum bonum homini proficiunt? Proficiunt cooperante gratia, quando ad non verum bonum cooperante natura.

Tit. II. *De cibo Emmanuelis, de quo scriptum est : « Butyrum et mel comedet, » etc.*

De cibo Emmanuelis magna quæstio est, quare *butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum* (*Isa.* VII). Butyrum est, ut omnes nostis, pinguedo ex carne veniens. Mel dulce de rore cœli descendens. Quid igitur per butyrum accipiemus, nisi refectionem boni operis quod per corpus exprimitur? Et quid per mel, nisi eam quæ dono gratiæ desuper infunditur dulcedinem contemplationis? Ipse ergo butyrum et mel comedit qui in homine assumpto et desuper plenitudinem spiritus accepit, et sicut homo subter per carnem opera virtutum exhibuit. Butyrum enim et mel comedere est cor in affectu pietatis, et foris per bona opera, et intus per contemplationem exercere. Sed alius ad refectionem comedit, alius ad delectationem. Qui in plenitudine virtutis vel nondum habita vel amissa defectum patitur, is cibo indiget, ut refectione roboratus solidetur. Qui autem in plenitudine sua defectum sive diminutionem non recipit, is cibum ad refectionem non requirit. Nos igitur qui puri homines sumus, et per accessum temporis ad augmentum virtutis proficimus, pro necessitate nostri defectus, butyrum et mel non solum ad delectationem, sed etiam ad refectionem manducamus. Butyrum, ut in nobis per opera pietatis foris exerceatur amor proximi. Mel, ut per contemplationem veritatis intus nutriatur amor Dei. Sed ille homo ad refectionem butyro et melle non eguit in quo a principio conceptionis suæ, ex quo homo esse cœpit, omnium semper plenitudo virtutum fuit. Comedit tamen homo ex tempore, qui ipse cibus fuit Deus ex æternitate. Comedit non ut se jejunum reficeret, sed ne plenus jejunos fastidiret. Comedit butyrum, non ut virtutem charitatis in se per opera augeret, sed ut in nos ejus affectum effunderet. Comedit mel supernorum dulcedinem, nec pro ignorantia requirens, nec pro defectu appetens, sed præsentem semper plenissima cognitione aspiciens, et possessa perfectissima charitate utens. Non ergo ad refectionem, sed ad delectationem comedit qui, plenitudinem possidens, idem ipse perfectio fuit. Butyrum comedit, quando implevit quod de eo prædictum fuerat per Psalmistam : *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum : quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet; et omnia quæcunque faciet, prosperabuntur* (*Psal.* I). Mel comedit, quando implevit quod scriptum est : *In lege ejus meditabitur die ac nocte* (*ibid.*). Ut sciat reprobare malum : *Qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit : et in cathedra pestilentiæ non sedit* (*ibid.*). Et eligere bonum : *Sed in lege Domini voluntas ejus* (*ibid.*). Ergo *butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Fortasse butyrum comedet ut sciat reprobare malum, et mel comedet ut sciat eligere bonum. Ergo comedendo didicit Christus reprobare malum, et eligere bonum. Si enim non comedisset, non gustasset. Si non gustasset, per experientiam non novisset. Ergo comedit, et gustavit; gustando sensit et agnovit. Quid comedit? Butyrum et mel. In butyro aliquid amaritudinis mistum erat. In gustu mellis nihil amaritudinis inveniri poterat. Et propterea illic inventum est quod merito reprobari; hic autem nihil, nisi quod jure eligi debuisset.

Videamus nunc amaritudinem butyri. Filius Dei per humanitatem in mundum veniens, multa opera pietatis humano generi exhibuit, verbo docuit, exemplo provocavit. Et ut postremo Salvatorem mundi se indubitanter astrueret, mentibus humanis assiduis virtutibus et miraculis occultam in carne suæ divinitatis majestatem aperuit. Totum hoc butyrum erat, et ubi est amaritudo. Omnia ergo hæc faciendo butyrum comedit. Sed quia cum natura etiam infirmitatem assumpserat ista agendo cum affectu pietatis in fame et siti, frigore et æstu, labore et fatigatione, cæterisque nostræ mortalitatis pœnis et defectibus sustinuit amaritudinem passionis. *Jesus* enim *quodam tempore fatigatus ex itinere sedebat super fontem, et veniente Samaritana, potum petiit, dicens : Da mihi bibere* (*Joan.* IV). Ecce amaritudo. Postea venientes discipuli, escasque quas emerant deferentes, *mirabantur quod cum muliere loquebatur* (*ibid.*). Sed et ille ostendere volens quid in butyro eligeret, et quid reprobaret, postulantibus ad manducandum accedere ait : *Ego cibum habeo quem vos nescitis* (*ibid.*). Et deinceps statim : *Meus*, inquit, *cibus est ut faciam voluntatem Patris mei* (*ibid.*). Hic demonstravit butyrum. Cibus, inquit, *quem vos nescitis* butyrum est. Cibus quem vos scitis, amaritudo. Sed quia iste sine illo non sumitur, ego veni in illo istum comedere, et in isto illum reprobare. Videamus adhuc alibi butyrum majorem amaritudinem habens. Alio quodam tempore cum doceret turbas Judæorum, ait : *Amen dico vobis : Si*

quis sermonem meum servaverit mortem non gustabit in æternum (*Joan.* VIII). Ecce bonum butyrum. Sed adest amaritudo. Et illi : *Nunc cognovimus*, inquiunt, *quia dæmonium habes. Abraham mortuus est et prophetæ; et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum* (*ibid.*). Sed Jesus abrasa amaritudine ad esum butyri se convertens, ait : *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum* (*ibid.*). Judæi vero rursum amaritudinem aspergentes, *tulerunt lapides ut jacerent in eum* (*ibid.*). Et sequitur reprobatio mali. *Jesus autem abscondit se, et exivit de templo* (*ibid.*). Adhuc videamus mihi : *Ambulavit in portica Salomonis. Et circumdederunt eum, dicentes : Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam* (*Joan.* X), et ille : *Loquor vobis, et non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me*, ecce butyrum, *sed vos non creditis* (*ibid.*), ecce amaritudo. Sequitur reprobatio : *Quia non estis ex ovibus meis* (*ibid.*). Et rursum : *Ego et Pater unum sumus* (*ibid.*), ecce butyrum. Sequitur : *Tulerunt lapides Judæi ut jacerent in eum* (*ibid.*), ecce iterum amaritudo. Sed ille amaritudinis gustu ab appetitu dulcedinis averti non poterat. Nam subditur : *Respondit eis Jesus, dicens : Multa opera bona ostendi vobis ex Patre meo* (*ibid.*), hic est butyrum. Sequitur amaritudo : *Propter quod opus me lapidatis* (*ibid.*). Et alibi adhuc aliam super aliam : *Quærebant eum apprehendere* (*Joan.* VII). Sed ipse, malum reprobans, *exivit de manibus eorum*. Et quid singula narramus? Raro unquam invenimus Jesum sine amaritudine manducasse butyrum. Postremo novissimam illam magnamque amaritudinem butyrique dulcedinem malique reprobationem quis considerans non miretur? Pependit Dominus Jesus in cruce ut pro pietatis dulcedine poculum amaræ mortis degustaret, et circumdantibus eum inimicis atque post dira vulnera voces blasphemas in eum jaculantibus, ipse, suavitatis cibi sui non immemor, ait : *Pater, ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Ecce butyrum optimum, magnis quidem amaritudinibus foris aspersum ; et tamen dulcorem suum interius conservans illæsum. Ut ergo demonstraret quod sine corruptione suæ dulcedinis sponte amaritudinem suscepisset, expostulans, ait : *Sitio. At illi obtulerunt ei acetum cum felle mistum; et cum gustasset, noluit bibere* (*Joan.* XIX). Gustavit et reprobavit, quia sustinuit et abjecit. Passus est, et superavit. Nunquid non jam palam est quomodo Emmanuel noster butyrum comedat *ut sciat reprobare malum?* Quia in homine Deus opus pietatis exhibens, et impiorum persecutionem sustinens, quam sit reprobanda eorum pravitas per experientiam sensit, quam per providentiam prius idem ipse reprobavit.

Nunc libet intueri quomodo mel comedat Emmanuel iste, *ut sciat eligere bonum*. In gustu quidem mellis nihil amaritudinis invenitur, et propterea totum quod ibi est ab experiente eligitur. Ergo mel comedit ut sciret eligere bonum. Sed quid dicimus? Qualis est laus ista (si tamen laus dicenda est) quod Deus homo per experientiam bonum didicit, qui semper idem ipsa bonitas fuit? sed hæc pietatis laus est, et præconium misericordiæ ejus, qui pro nobis ita inclinari dignatus est, ut accipere posset in eo quod assumpsit id quod semper habet in eo quod fuit. Hoc enim Deus homo per experientiam gustavit ex tempore, quod ipse homo Deus per naturam erat ex æternitate. Ergo mel comedit divinitatis humanitas, cum se infudit atque univit infirmitati majestas. Ibi humana natura pleno satietatis gustu supernam dulcedinem haurire cœpit, ubi totum quod est Deus ineffabili gratia sibi unitum accepit. Tamen comedere hominis erat, esse cibum divinitatis. Verus ergo homo Emmanuel qui mel comedit ut sciret eligere bonum. Verus Deus Emmanuel, qui mel fuit non per experientiam discens, sed per naturam sciens seipsum bonum. Unus tamen et idem per se et per naturam sciens et per experientiam discens. Quia idem ipse homo accepit per experientiam quod fuit Deus ipse per naturam. O Emmanuel bone, nobiscum Deus, propterea tu butyrum et mel comedere potuisti, quia Emmanuel factus es nobiscum Deus. Deus enim apud te, nec accipere potuisti quod eras, nec quod non eras sustinere. Propterea Emmanuel factus es nobiscum Deus, ut in nostro humiliatus, in ipso et desuper quod tuum erat acciperes, et quod nostrum erat subtus, tibi sociares. Ergo Emmanuel factus es nobiscum Deus, ut posses butyrum et mel comedere, et inter comedendum disceres, bonum eligens, malum reprobare. Sed quid dico? quis est sapiens ut intelligat hæc? Qualis ergo tu Deus eras antiquus a principio qui in principio lucem divisisti ac tenebras, si bonum eligere et malum reprobare nesciebas? An forte et hoc nescire virtutis erat, et discere dignationis, quia electio ad divinam naturam non pertinuit, cujus ad utrumlibet se habere non fuit? Ergo Emmanuel eligere et reprobare didicit, quia qui in sui natura conditioni non subjacebat, in nostra liberum arbitrium assumpsit. Cui in se confirmato dedit posse non posse in malum deficere, et boni electionem voluntate libera sine coactione. Neque idcirco minus liberum eo quod nec aliud pati possit voluntarium, nec ad aliud compelli invitum. Sed idcirco vere et summo liberum, quia non possit vel aliud pati quam velle, vel aliud velle quam posse, sive aliud posse quam bene velle. Sic Emmanuel butyrum et mel comedit, *ut sciat reprobare malum et eligere bonum*, quia in humana natura, quam assumpsit, rationabili judicio voluntatis sanctæ malum deseruit et bonum elegit, sicut scriptum est : *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV). Simili genere locutionis de ipso dicit Apostolus : *Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est obedientiam, et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ* (*Heb.* V)

Christus enim ex iis quæ passus est obedientiam didicit, quia qui Filius erat æqualis per naturam ut subesse posset id quod inferius possibile erat per gratiam assumpsit. Quasi enim discere fuit quod per naturam in suo non habuit in usum ex alieno assumere. Solum nunc restat, si forte invenire possimus Emmanuelem nostrum butyrum et mel non ad refectionem, sed ad delectationem manducantem, ne quod fecit necessitas sit, sed voluntas. *Obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis* (*Luc.* XXIV). Immortalis et impassibilis jam fuit factus, et cibo corporali non indiguit; tamen ut demonstraret quod fuit, comedit voluntate, non necessitate. Omnia itaque bene cederent, si obtulissent ei butyrum et favum mellis, nisi forte idem piscis nobis significet, quia butyrum sine frisura non sumitur. Nam et nos quotidie adhuc in butyro amaritudinem admistam invenimus, in melle puram dulcedinem percipimus, quia in opere pietatis labore afficimur, in gaudio contemplationis dulcedine refovemur. Et hoc totum fit ut sciamus reprobare malum et eligere bonum, scilicet ut in ipso experimento discamus quantum præsens vita, in qua nec bonum sine dolore fieri poteat, fugienda sit; et futura, in qua dolor non est, appetenda. Per Dominum nostrum.

TIT. III. *Apologus probans omne cor pronum esse ad commendationem sui et suorum.*

Fabula dicit omnes bestias fetos suos Jovi probandos præsentasse, inter quas simia deformem natum trahens, risu omnium castigari non potuit quin suum cæteris anteferret. Ingenitum si quidem est omni animanti amare quod genuit. De corde sensus nascitur, et amant corda fetus suos adeo ut sæpe animus perversus in conspecto summæ veritatis tortuosum et pravum, et risu omnium dignum sensum suum commendare non erubescat.

TIT. IV. *De stulto qui ut « luna mutatur, » et de justo qui « vir unus » est.*

Stultus sicut luna mutatur (*Eccli.* XXVII). Stultus personaliter unus est, sed instabilitate et mutabilitate multi. Sicut una est luna, et dicitur prima, et secunda, et tertia, et quarta, et quinta, etc., et fiunt multæ varietates in uno corpore, sic stultus modo plorans, modo ridens, modo tristis, modo hilaris, quasi crescens et deficiens et de alio ad aliud transiens, multas ostendit formas in uno homine. Quo contra in laudem justi dictum est: *Fuit vir unus* (*I Reg.* I). Unus quippe est justus, non tantum persona, sed vita, quoniam dum per diversos errores vivendi non scinditur, quasi in una veritatis facie persistens invenitur.

TIT. V. *Quod in sensu bonum hominis non est.*

Homo peccando fecit ut bestiis compararetur, tamen facere non potuit ut in quo bestiis comparatus est, eisdem coæquetur. Qui enim ratione superior esse desiit, sensu se inferiorem invenit. Si visum consulis, superant lynces. Si odoratum interrogas, prævalent canes. Et quæcunque in sensu corporali laudabilia sunt, in ipsis excellentiora invenies, ut sibi quæras bonum tuum neque in illo considas ubi bestiis comparatis, et tamen non æquaris.

TIT. VI. *De triplici pace.*

Una est pax quam habere debet homo ad Deum, alia quam ad semetipsum, alia quam ad proximum suum. Spiritus enim hominis hac lege inter Deum et carnem constitutus erat, ut, si Deo superiori obedientiam debitam exhiberet, nunquam ejus imperio subjecta caro contrairet. Quandiu ergo homo pacem ad Deum tenuit, nullam in carne sua molestiam contradictionis invenit. Sed postquam Creatori suo per superbiam rebellis esse cœpit, statim caro ab ejus consensu se dividens, subdita esse recusavit. Hinc homo, variis concupiscentiarum suarum desideriis distractus et aliena et quæ inconcessa fuerant appetens, terminos justitiæ adversus proximum suum transivit; atque illic quoque turbata pace ex omni parte inquietus et turbulentus esse cœpit. Nunc ergo reparando proponitur conditio, ut si pacem habere voluerit cum Deo, habere studeat pacem cum proximo suo. Cum autem spiritus Deo plene subjectus fuerit, tunc et illam quam in carne sua portat contradictionem, gratia ad pacem reformabit pacatus sit totus, ut homo, et extra se cum proximo per charitatem fraternam, et in se per conscientiam bonam, et supra se per gratiam divinam. Propter hoc dum offertur hostia salutaris qua Deo nos reconciliari oportet, prius osculo signum pacis offerimus, ut, hac præmissa quæ inter nos constat pace, illam quæ ad Deum est obtinere mereamur. Quando autem pro fidelibus defunctis hoc sacrificium salutare immolatur, osculum pacis ad invicem viventes non accipiunt quoniam hi, pro quibus vivifica immolatio fit ab hac vita subtracti, humanæ conversationis pacem vel concordiam tenere amplius aut exhibere non possunt. Illic ergo sola illa quæ ad Deum est reconciliatio quæritur, ubi deinceps præsentis vitæ, semel hinc educti, conditioni non subduntur. Viventes autem per pacem proximi merentur pacem Dei, et per pacem Dei merentur pacem sui, non illam quæ animæ est ad mundum, sed illam quæ est inter animam et spiritum, per illam quæ est inter spiritum et Deum. Nam est quædam pax inter animam et mundum suaviter viventium et male et est quædam pax inter animam et spiritum suaviter viventium et bene, et est quædam pax inter Deum et spiritum feliciter viventium et beate. Similiter est bellum inter animam et mundum non suaviter viventium et male, et est bellum inter animam et spiritum non suaviter viventium et bene, et est bellum inter spiritum et Deum infeliciter viventium et male. Nam quod suaviter viventes et male veram pacem, qua sapientia invenitur in tempore otii boni non noverunt, beatus Job testatur de sapientia, dicens: *Non invenitur in terra suaviter viventium* (*Job* XXVIII).

TIT. VII. *De dignitate et libertate rationalis creaturæ.*

Sola rationalis creatura ita condita est, ut ipsa

bonum suum non esset, sed illi a quo facta est. Magna ergo dignitas, ut nullum ei bonum præter summum sufficeret, et item magna libertas, ut ad bonum suum cogi non possit.

Tit. VIII. *De triplici exercitatione, et quibus activa et contemplativa vitæ figurantur nominibus.*

Vitæ mutabilis conditio talis est, ut in eodem diu stare non possit: cui adhuc ad laborem et dolorem convertitur quod quæsitum est ad consolationem. Fluctuat ergo in exercitationibus, et transit de alio in aliud, ut nunquam quieta sit, donec ad veram stabilitatem perveniat. Exercitationum autem tria sunt genera, aliæ ad profectum virtutis, aliæ ad consolationem infirmitatis, aliæ ad inflammationem iniquitatis. Primæ ædificantes, secundæ sustentantes, tertiæ subvertentes. Propter hoc Deus ædificantes induxit, sustentantes concessit, subvertentes prohibuit. Et divisit tempora, et loca distinxit, ædificantibus et sustentantibus exercitationibus, quando et ubi fiant, quæ congrue simul fieri possunt, quia sustentantibus occupati, ædificantes tenere non sufficimus, et ædificantes conversi sustentantibus implicari non debemus. Sex dies sustentantes habent; septimum ædificantes. Sic sustentantibus omnia loca conceduntur, pauca ædificantibus conservantur, exceptis his qui se ædificantibus consecrarunt, et omni loco et tempore illis inserviunt. Duo enim sunt genera hominum secundum has duas exercitationes licitas, ædificantes ad contemplativos, sustentantes ad activos. Hæ sunt duæ vitæ, et duo populi, et duo testamenta: Lia et Rachel, Jacob et Israel, Sion et Jerusalem, Petrus et Joannes, Martha et Maria, sinistra et dextra, luna et lumen, hordeum et frumentum, aqua et vinum, etc.

Tit. IX. *Quod elementum duobus modis dicitur.*

Elementum est prima materia corporalis complexionis. Elementum materialis repræsentatio invisibilis subsistentiæ et principium cognitionis a corporalibus ad incorporalia transeuntibus. Illic elementum est principium subsistentiæ ad invisibilem actum prodeuntibus; hic elementum est principium intelligentiæ ad invisibilem veritatem ingredientibus.

Tit. X. *De trinitate universitatis.*

Verum universitas trinitate una subsistit. Est unum quod nec ab alio est, nec secundum aliud, ut creatrix natura. Est unum quod ab uno est, et secundum unum, ut rationalis creatura a Deo, similis Deo. Est unum quod ab uno est, et secundum duo, hoc est ab uno per unum, ut corporea natura a Deo creata, secundum sapientiam increatam et creatam disposita. Primum exemplar est tantum, non exemplum. Secundum exemplar est exemplum. Tertium exemplum tantum, non exemplar.

Tit. XI. *Quod in originali peccato vitia tria, inobedientiæ duæ et peccatum unum fuerunt.*

In originali peccato tria vitia fuerunt, inobedientiæ duæ, et peccatum unum. Tria vitia fuerunt: superbia, avaritia et gula; duæ inobedientiæ, naturæ et disciplinæ. In superbia et avaritia inobedientia fuit naturalis præcepti. In gula inobedientia fuit præcepti, disciplinæ et superadditi. Et omnia hæc quia uno actu completa sunt, unum peccatum dicuntur.

Tit. XII. *Quod Christus et sapientia a diversis variis quæruntur modis.*

Quidam Christum quæsierunt, et non invenerunt. Quidam quæsierunt, et invenerunt, sed non retinuerunt, quia non quæsiverunt ut haberent, sed ut venderent. Quidam Christum quæsiverunt, et invenerunt, et retinuerunt, quia non quæsiverunt ut venderent, sed ut possiderent. Primis dixit: *Quo ego vado vos non potestis venire. Quæretis me, et non invenietis, sed in peccatis vestris moriemini* (*Joan.* VIII). Secundis dixit: *Ego sum, si me quæritis, sinite hos abire. Et injecerunt manus et tenuerunt eum* (*Joan.* XVIII). Tertiis dixit: *Avete. Et accesserunt et tenuerunt pedes ejus* (*Matth.* XXVIII). Primi quæsiverunt, et non invenerunt. Secundi vivum invenerunt, et inventum occiderunt. Tertii mortuum quæsiverunt, et vivum invenerunt. Sic multi sapientiam quærunt, et non inveniunt, quia inutiles judicantur et abjiciuntur. Alii sapientiam quærunt, et inveniunt, sed non diligunt, quia ad lucrum et laudem humanam adipiscendam eam exponunt, et prostituunt. Isti Christum vivum inveniunt, sed occidunt, quia ex hoc in eis sapientia moritur quod ejus dulcedine nullo amoris sensu perfruuntur. Hi assumuntur ut gravius judicentur et præcipitentur. Alii mortuam quærunt, et vivam inveniunt, quia dum eam ad hujus vitæ usum non appetunt, verius intus ad illius dulcedinem et suavitatem pertingunt. Hi assumuntur ut eleventur et glorificentur.

Tit. XIII. *Quod Deus in Scriptura homini forie loquitur per præceptiones, prohibitiones, promissiones et minationes.*

Quandiu homo intus Deum audire loquentem potuit, doctrina exteriori opus non habuit; sed postquam librum vitæ oculo interiori inspicere jam non valet, Scriptura foris apponitur, ut ejus saltem inspectione ad cognitionem veritatis revocetur. In hac autem Scriptura et prohibitiones sunt malorum, ut ea fugiat, et præceptiones bonorum, ut ea expetat. Et prohibitionibus quidem apponuntur comminationes, quoniam solius mali odio homo cohiberi non posset; et præceptionibus adjunguntur promissiones, quoniam solius boni amore non posset ad ipsum provocari. Et sunt quatuor ista generaliter discreta in omni Scriptura, præceptiones et prohibitiones, promissiones et comminationes. Quorum duo primo ad vitæ informationem pertinent, duo subsequentia ad fidei instructionem. In illis meritum, in istis præmium constat. Et perfectum facit fides recta, et operatio bona. Primum autem carnalibus comminationes carnales, et promissiones et pœnæ temporales et præmia, deinde spiritualibus spirituales et æternæ. Postremo exercitatis sufficit ad exhortationem odium mali et amor boni. Sic gradibus suis crescit salus, et virtus proficit. In omni autem Scriptura aut co-

gnitio veritatis quærenda est, aut forma virtutis. Primo studio historia et allegoria proponitur, secundo tropologia et in ipsa tropologia duplex similiter lectio est : Prima, quæ plana narratione mores instruit ; secunda, quæ exhortatione affectuosa in animo auditorum desideria virtutis accendit.

Tit. XIV. *Quod Deus cum homine sit quatuor modis.*

Quatuor modis nobiscum est Deus, per præsentiam majestatis, per participationem humanitatis, per vinculum charitatis, per patrocinium veritatis. In primo cognoscit mala nostra. In secundo expertus est, in tertio compatitur, in quarto aufert et est Emmanuel, id est nobiscum Deus. Item cum quibusdam est Deus per favorem gratiæ, qui eum Deo non sunt per meritum vitæ. Cum quibusdam est Deus per favorem gratiæ, et ipsi cum Deo sunt per meritum vitæ. Cum quibusdam Deus non est per favorem manifestum gratiæ, et ipsi cum Deo sunt per meritum vitæ. Cum quibusdam Deus non est per favorem gratiæ, et ipsi non sunt cum Deo per meritum vitæ.

Tit. XV. *De progressionibus cognitionis.*

Quinque sunt progressiones cognitionis : prima est in sensu, secunda in imaginatione, tertia in ratione, quarta in intellectu, quinta in intelligentia. Per sensum est in istis, est secundum ista. Per imaginationem non est in istis, sed secundum ista. Per rationem neque in istis est neque secundum ista ; sed est in illis et de illis quæ sunt secundum ista. Per intellectum non est in illis, sed de illis. Per intelligentiam, nec in illis, nec de illis.

Tit. XVI. *Quod animus quatuor modis agenda tractat.*

Quatuor modis in nostro animo agenda tractamus : cogitando, volendo, deliberando, vovendo. Cogitatio ad cognitionem pertinet, voluntas ad desiderium, deliberatio ad propositum, et ad promissionem votum. Si quod proponimus non facimus, fallaces sumus. Si non facimus quod promittimus, fallaces et fallentes. Ibi mendacium solum accusatur, hic et mendacium accusatur, et promissum exigitur. Votum autem aliud occultum ad Deum et coram Deo; aliud manifestum ad Deum et coram homine. Occultum votum fractum peccatum est ; manifestum votum fractum, peccatum et scandalum.

Tit. XVII. *De dissimili operatione Dei.*

Si in Tyro et Sidone hæc facta fuissent, etc. (*Matth.* XI; *Luc.* X.) Demonstrare volens Dominus quod ab ipso sit et donum ejus, et quando veritatem cognoscimus, et quando agnitam debita devotione veneramur, quibusdam veritatem prædicavit, quorum corda ad dilectionem veritatis non emollivit; quorumdam vero corda affectu bonitatis emollivit, sed agnitione veritatis non illuminavit. In illis aravit et non seminavit, duritiem frangens, sed verbum non spargens. In istis vero seminavit, sed non aravit, verbum spargens, et duritiam non frangens, ut et utrumque ab eo esse sciamus, et utrumque ab eo petere discamus, cum neutrum sine altero ad salutem sufficiens esse agnoscimus. Sic solvitur quod ex Evangelio proponere solent, cur Deus in carne veniens illis verbum prædicavit quos ipsum verbum non recepturos esse præscivit, et quibusdam aliis prædicationis verbum non impendit, quos credituros si docentur audissent, agnovit. Quorumdam cum duritiam increpans, quibus veritas prædicata fuerat, sic ait : *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, væ tibi Capharnaum ! quia si in Tyro et Sidone hæc facta fuissent, jam olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent* (*ibid.*). Hoc ergo mirum videtur, quare Jesus, qui futurorum omnium scientiam habuit, in Capharnaum prædicavit, cum illorum duritiam tantam esse præsciret, ut veritatem etiam oblatam non reciperent. Et quare item in Tyro et Sidone illa operatus non est, quæ operatus est in Capharnaum et Bethsaida, cum istos tales esse non ignoraret, qui facile veritatem reciperent, si audire illam et agnoscere potuissent. Sicut enim impium videtur obedientes deserere, sic stultum videtur omnino rebelles docere. Sed illud judicii fuit, hoc exempli. Ne enim homo solum affectum boni sine agnitione sufficere putet, ac per hoc affectum se habere sentiens bonitatis, verbum veritatis non requirat, illos compunxit, non docuit, nec salvavit. Et ne rursum solam veritatis agnitionem sufficientem putet ad salutem, et legem audisse non fecisse consummatam justitiam, istos docuit, non compunxit et damnavit, ut dum alterum sine altero viciasim habere cognoscuntur reprobi, utrumque necessarium sibi fore intelligant electi, et qui alterum habere se cognoscit, non de viribus suis præsumat, sed ab illo humiliter postulet quod non habet, a quo quibusdam alterum accepisse non profuit, quoniam alterum districte judicandis non impendit. Non enim accipere meretur quod non habet, qui a se habere se putat quod habet; et propterea vicissim e duobus alterum a Deo tribuitur, et alterum subtrahitur, ut ubi utrumque simul est ab ipso esse utrumque demonstretur.

Tit. XVIII. *De fide, quid sit, et quæ ad eam spectent.*

Priusquam ea quæ ad fidem pertinent discutere incipiamus, quid sit fides ipsa inspicere debemus. Apostolus sic definit fidem : *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI). Cum enim res quælibet apud nos subsistant, vel peractum quando videlicet præsentes sensu comprehenduntur, vel per intellectum, quando absentes vel etiam non existentes in similitudine sua et in imaginatione capiuntur, vel per experientiam, quando ea quæ in nobis sunt sentiuntur a nobis, ut est gaudium et tristitia, timor et amor, quæ subsistunt in nobis, et sentiuntur a nobis. Nullo horum modorum invisibilia Dei capiuntur in nobis, quæ solum creduntur a nobis. Neque enim per actum præsentia sunt, neque in similitudine aliqua comprehendi possunt, neque quemadmodum illa quæ in nobis sunt, et sentiuntur a nobis. Ergo fide sola subsistunt in nobis, et subsistentia eorum est fides eorum quæ creduntur, quia sunt

sed non qualia sunt comprehenduntur. Sic itaque per solam fidem subsistunt in nobis, et sola fide probantur a nobis; nec aliud argumentum habere possumus, nisi quia credimus illa fide quæ ratione non comprehendimus. Hæc descriptio fidei ostendit quid faciat fides, sed in eo non diffinitur quid sit fides. Est autem diffinitio fidei hæc: *Fides est voluntaria quædam certitudo absentium supra opinionem, et infra scientiam constituta.* Et sciendum quod aliud est cognitio fidei, aliud fides. Cum enim idem fit sermo in auribus plurium, omnes æqualiter quod dicitur intelligunt, sed non omnes æqualiter credunt et cognitionem dictorum omnes habent, sed fidem non omnes habent. Potest autem cognitio fidei esse sine omni fide; fides autem sine omni cognitione esse non potest. Multi tamen credunt et non habent cognitionem omnium eorum quæ credunt, quia credentibus et cognoscentibus credunt, et non norunt ipsi omne quod credunt, sed norunt illi quibus credunt. Ejusmodi est fides simplicium in Ecclesia qui perfectioribus credendo et adhærendo salvi fiunt, sicut scriptum est: *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos* (*Job* I). Ili enim in fide perfectorum amplius credunt, qui in se credendo minus cognoscunt. Duobus modis crescit fides, devotione sive constantia, et cognitione. Incrementa fidei per devotionem per tres gradus procedunt. Primus gradus est acquiescere, secundus æstimare seu putare, tertius gradus est certum esse. Secundum hos tres gradus tria sunt genera hominum quæ sequuntur. Est enim quoddam genus hominum in sancta Ecclesia quibus credere est solum non contradicere fidei; qui ita vivunt ut nati sunt, non amando vel approbando in quo nati sunt, qui si in alio nati essent, fideles non essent. Consuetudine enim vivendi fidem tenent, non amore. Est aliud hominum genus attentius considerantium statum vitæ humanæ, et dubium, et ex eo quodammodo fluctuare incipientium in fide, quoniam multos conspiciunt aversos et alienos a fide; tamen ducti pietate fidei e duobus dubiis hoc eligunt quod, doctrina catholica docente, didicerunt. Istis pax necessaria est, tribulatio periculosa, ne forte de æstimantibus seu opinantibus negantes efficiantur. Est aliud genus hominum qui certi sunt et confirmati in fide sua, quos Deus vel per exteriora miracula confirmavit, vel per interiorem aspirationem edocuit. Isti tribulatione non subvertuntur, sed exercentur. Sciendum est etiam quod sicut tres sunt gradus, per quos fides crescit, ita tres sunt gradus, per quos crescit cognitio fidei. Primus gradus est cognitionis fidei quo nihil minus unquam fides habere potuit, credere videlicet Deum esse et eum salvatorem et remuneratorem exspectare. Hæc cognitio fidei simplicibus ante incarnationem Verbi ad salutem sufficere potuit, videlicet ut et Deum crederent et Salvatorem exspectarent, quamvis ejusdem salvationis suæ modum et tempus non cognoscerent. Duo enim in homine tantum sunt, natura et culpa; et Creator ad naturam refertur, Salvator ad culpam. Sub lege autem scripta crevit cognitio, quando jam de persona Redemptoris manifeste agi cœpit, et Salvator per legem promitti, et post promissionem exspectari. Sub gratia autem adhuc amplius excrevit cognitio, cum ipse jam Salvator non ut prius a multis putabatur solum homo, sed et Deus verus manifestatus est. Et ipse redemptionis modus non in terrenæ culmine potestatis, sed in morte probatus est constare Salvatoris.

TIT. XIX. *De Charitate, Fide et Spe.*

Sicut virtutes reliquæ bonum naturæ sunt, ita charitas bonum est virtutum omnium: quam qui habet, secundum aliquid omnem virtutem habet. Habet enim secundum effectum etiam illas quas secundum effectum non habet. Virtutes enim affectu habere per gratiam, studium et meritum humanum est; effectu autem eas habere, munus divinum. Voluntas enim hominis est; potestas vero Dei. Ita voluntas hominis bona est ex Deo, mala ex homine. Potestas Dei est in malo, homini ad malum bona; in bono, homini ad bonum bona. Propter hoc qui charitatem habet, totum habet; et qui non habet nihil habet, vel utiliter non habet. Ideo dixit Apostolus de charitate: *Charitas omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (*I Cor.* XIII). Fides bona ostendit, spes arripit, sustinentia defendit. Per fidem incipiunt nobis esse, per spem nostra esse, per sustinentiam nobiscum esse. Fides dirigit, spes trahit, sustinentia perducit. Et sunt in charitate omnia hæc, quia in eo quod dilectum et placitum, amor suadet libenter credere, multum præsumere, non facile desistere.

TIT. XX. *De quatuor debitoribus.*

Quatuor sunt debitores, Deus, spiritus, caro, mundus. Deus debet spiritui, ut eum et cognitione veritatis illuminet, et amore virtutis inflammet. Spiritus debet Deo, in omnibus quæ agenda sunt, ab ipso erudiri, et secundum ipsum operari. Spiritus debet carni, ut eam et a malis cohibeat, et in bonis exerceat. Caro debet spiritui, in bono agendo ministerium, et in commodo appetendo modum. Caro debet mundo ex ejus abundantia quod necessitatis est sumere, quod virtutis est exercere. Mundus debet carni in necessitate subsidium, in exercitatione incitamentum. Sed spiritus Creatori debitum non persolvit, quia vel per superbiam elatus, contemnit ab eo scientiam veritatis quærere, vel per pigritiam ligatus, acceptam intelligentiam fastidit opere exercere. Propterea et ipse Creator spiritui debitum juste negat, ut eum nec ad cognoscendum verum illuminet, nec ad bonum amandum inflammet. Nam superbum intus a cognitione veritatis abjicit; pigrum autem in opere foris affligit. Rursus quia idem spiritus carni debitum non persolvit, ut eam videlicet vel a malo cohibeat, vel in bono exerceat, fit ut ipsa caro justa Dei dispositione non exhibeat spiritui quod debet, hoc est, vel in bono agendo ministerium, vel in appetendo commodo modum.

Item, quis caro per negligentiam spiritus laxata, mundo debitum non exhibet, sed ejus affluentiam ad luxum voluptatis intorquet, et ad excitationem virtutis ejus administrationem non obtinet, ipse quoque mundus justa recompensatione ad miseriam spiritus multiplicandam, esus et adversis frangit, et prosperis dissolvit. Hujus autem discordiæ, quia solus spiritus auctor est, necesse est ut ipse prior ad pacem redeat, et cætera post se subsequenter ad pacem componat. Si enim ipse et Creatori debitam subjectionem, et carni justum regimen exhibere studuerit, perfecta et consummata justitia subsequitur, et reformata justitia, concordia quoque et pax perfecta reparatur. Sicut enim ex ejus injustitia pax et concordia cunctorum solvitur, ita per ejus justitiam universa reconciliantur. Hanc autem justitiam spiritus habitam perdere potuit; amissam vero per se recuperare non potest, quia ne debitum Creatori persolvat, ignorantia fallitur, ne vero debitum carni persolvat, concupiscentia præpeditur; et si forte ex parte illuminatus, verum agnoscere cœperit, et ex parte confirmatus bonum adimplere, non potest tamen hic quod perfectum est adipisci, sed sicut scriptum est, ut degustatam pro parte justitiam esurire et sitire incipiat, sed non ut adepta plenitudine, ad satietatem pertingat.

Tit. XXI. *De impedimento cognitionis.*

Sicut humor subtilis per exhalationes a terra sursum rapitur, sic intellectus cordis humani per meditationes et scrutationes subtilis effectus ad alta levatur. Et quemadmodum humor ascendens frigore præstringitur, et relabitur unde venerat, sic multi ab intelligentia summorum per ignorantiam cadunt, propterea quod in bonis quæ intelligere poterant agendis per desidiam torpescunt. Sed lapsus nivis nec strepitum facit, nec lædit; lapsus grandinis et strepitum facit, et pondere lædit: quia multi torpent a bono, et nocent in malo; alii torpentes sunt, non nocentes.

Tit. XXII. *De tribus motibus in homine.*

Tres sunt motus in homine. Motus mentis, motus corporis, motus sensualitatis. Motus mentis in voluntate est, motus corporis in opere, motus sensualitatis medius in delectatione. In motu mentis solo liberum arbitrium est, in motu corporis et sensualitatis, quæ sequuntur liberum arbitrium. Sic enim prima fuit dispositio naturæ; nam motus mentis voluntarius est appetitus. In voluntario liberum; in appetitu arbitrium. Mens igitur per se movetur, et est primus voluntatis motus. Motum voluntatis sequitur motus corporis. Mens itaque sicut dixi per se moveri habet, sed secundum voluntatem Creatoris sui, quæ forma illi est et exemplar et proposita regula quam sequatur. Et propter hoc, si secundum Deum movetur, hoc est justitia; si præter Deum movetur vel contra Deum, hoc est injustitia. Ergo motus mentis justitia semper est, vel injustitia; motus autem corporis semper est obedientia. Quod enim mens movetur, libertate movetur, quia voluntarie movetur, et per se movetur, et ei est quod movetur vel ad meritum, si bene; vel si male, ad culpam. Quod autem corpus movetur, necessitate movetur, quia ab alio movetur, hoc est a mente; nec ipsius est quod movetur, sed illius a quo movetur, sive ad meritum, si bene, sive ad culpam, si male. Ita motus mentis dominatur motui corporis legi naturæ subjecto, et quando abutitur illo, vitium est imperantis, debitum obedientis. Nec culpatur qui ducitur, quia necessitate ducitur, sed culpatur qui ducit, quia in subjectum libertate abutitur. Porro voluntas, si justitiam tenuisset, haberet non solum motum corporis obedientem, sed et motum sensualitatis consentientem. Nunc vero quoniam rectitudinem suam ipsa non tenuit, habet quidem adhuc ex indulgentia Creatoris motum corporis obedientem, ex vindicta autem motum sensualitatis contradicentem. Cujus violentiam aliquando infirmata sequitur, aliquando autem corroborata coercet et moderatur. Si autem motus sensualitatis dominatur motui mentis, dominatur etiam motui corporis, qui subjectus est illi, et tunc peccatum regnare incipit in nostro mortali corpore. Si autem non dominator, utitur mens servitio corporis sui, et exhibet membra sua arma justitiæ. Et sunt simul motus mentis et motus corporis, seorsum autem motus sensualitatis; et perficitur justitia, et iniquitas cohibetur.

Tit. XXIII. *De instrumentis cognitionis.*

In vocibus duo sunt, melodia, et significatio. Et in rebus duo, forma et essentia. In mentibus similiter duo, affectus et cognitio. In corpore autem humano duo sunt instrumenta, aures et oculi. Per aures ingrediuntur voces, ut per melodiam generent affectum, et per significationem cognitionem. Res vero per oculos ingrediuntur, ut per formam similiter in mente generent affectum, et per essentiam cognitionem.

Tit. XXIV. *De sensu hominis, carnali et spirituali.*

Duo sensus in homine sunt, unus carnalis et alter spiritualis; et uterque bonum suum habet, in quo exsultat et gaudet. Gaudet carnalis sensus atque tripudiat in aeris serenitate et solari claritate, in ciborum et potuum dulcedine, in locorum amœnitate, et fluviorum jucunditate. Et hic sensus bestialis est; namque bestiis et volucribus convenit. Spiritalis vero exsultat lumine divino superinfuso, quod contemplativis convenit, gaudet etiam in virtutum exercitatione, in colenda justitia, et cum exterior sensus, id est carnalis, suo bono utitur, tunc mentis interior sensus quasi obdormit. Unde contingit eum qui bonorum hujusmodi jocunditate capitur, ne interioris quidem sensus bona sua agnoscere. Nam spernit exteriora, qui dulcedine bonorum interioris sensus rapitur. Inde est quod viri religiosissimi, stulti mundo esse videntur.

Tit. XXV. *De divinis luminibus.*

Bona Dei lumina sunt, et ipse auctor donorum

Pater est luminum, *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I), quia nec illuminans transmutatur, neque non illuminans obscuratur. Generans enim non degenerat et non generans non caligat, quia nec inferior est exiens, nec obscurior latens. Lumina ejus quando ad nos veniunt ab ipso non recedunt; et quando a nobis redeunt apud ipsum clarescunt. Quando ad nos descendunt, in nobis non deficiunt; et quando a nobis recedunt, minorationem pro nobis non accipiunt. Itaque non transmutantur in nos quando participanda veniunt ad nos; nec obumbrantur in se quando ab illuminatis et obumbrandis redeunt et remanent in se.

Tit. XXVI. *De conceptu et partu Sapientiæ.*

Nondum erant abyssi, et ego parturiebar (*Prov.* VIII). Conceperat Deus sapientiam in præscientia futuri, parturiebat in voluntate creandi, peperit in procreatione effecti.

Tit. XXVII. *De triplici genere aspirationum.*

Triplex est origo aspirationum, a Deo, a diabolo, a natura. Quæ a natura sunt, præcedentem habent causam necessitatis. Quæ a Deo sunt aut diabolo, subito eveniunt et improvisa; a Deo bona, a diabolo mala. Aliquando veniunt quæ bona videntur et non sunt, et hæc similiter a diabolo sunt, quorum origo exitu probatur. Hoc est: *Probate spiritus si ex Deo sunt* (*I Joan.* IV).

Tit. XXVIII. *De quinque jugis.*

Quinque sunt juga: Jugum iniquitatis, jugum mortalitatis, jugum legis, jugum propriæ voluntatis, jugum charitatis.

Tit. XXIX. *Quod Deo nihil inordinatum esse potest.*

In Babylone non requirit unus alterum; sed respondent ululæ sibi in delubris ejus (*Isa.* XIII). Parum est ut in cœlo ordinata sint omnia, sed hoc mirum est quod etiam confusionem mundanam inordinatam non relinquit Sapientia divina. Respondent enim ibi etiam opera tenebrarum, et non est quod requirat alterum, quia justa ordinatio nihil relinquit inordinatum, et unicuique quod suum est tribuit, et quod sibi confusum est, illi sine ordine et dispositione esse non potest. Sed et illa confusio interna cordium malorum non effugit dispositionem illius, ubi lucifugæ cogitationes et desideria tenebrosa in occulto fluitantia respondent sibi, quia justum judicium sicut per sapientiam cuncta intelligit, ita per æquitatem nihil sine retributione relinquit.

Tit. XXX. *Quod Deus non transmutatur.*

Non transmutatur Deus ex eo quod ipse est, non patitur vicissitudinem quod in ipso est. Nam quod ipse est, immutabile est; quod in ipso est, æternum est. Non transmutatur ut alius sit, non patitur vicissitudinem ut aliter sit.

Tit. XXXI. *De mysterio in forma cœli et terræ.*

Qualis terra tales et terreni, et quale cœlum tales cœlestes (*I Cor.* XV). Sursum cuncta æqualia sunt. Deorsum sunt montes et valles, et alta profunda, humilia et excelsa, et dissimiliter habentia cuncta. Mortalia quippe vita planum iter habere non potest, sed exaltat et humiliat, et nunc æquitatem ostendit, nunc vero abruptum præfert, et casum minatur: propter hoc talis terra, quales terreni. Sursum vero non est ubi offendas vel præcipiteris aut inæqualiter ambules, sed planum et æquale et consentiens et moderatum totum. Ideo quale cœlum tales et cœlestes.

Tit. XXXII. *De serie temporum et amandorum ratione.*

Præterita, præsentia et futura quasi unum corpus æternitatis perficiunt. Præterita amare insipientis est, præsentia stulti, futura prudentis. Præteritorum pietas est, præsentium cupiditas, futurorum charitas.

Tit. XXXIII. *De fructu et desiderio justitiæ.*

Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* V). Ergo non satiati, sed esurientes beati sunt. Nec ideo tamen beati, quia esuriunt; sed ideo, quia saturabuntur. Si enim desiderium semper esset et effectus nunquam esset, pœna potius et miseria non beatitudo hic esset. Sed misericordia Dei nostri sanctis desideriis indubitatum appendit effectum, et propterea beati sunt qui desiderant, quoniam hoc primum bonum est, et quod solum vita mortalis et pœnis addicta consequi possit, velle bonum, quoniam habere et frui vita ventura sibi vindicavit. Ideo non dicit justos beatos, sed esurientes et sitientes justitiam. Si enim solos justos beatos diceret, quis sibi hoc arrogaret? Propter hoc respexit imperfectionem nostram ut consolaretur infirmitatem nostram, quia si hoc esse non possumus, velle tamen hoc esse ipso adjuvante et desiderare valemus. Et hoc iterum quia non desiderantes gloriam, sed justitiam beati vocantur, quia multi patriam se amare dicunt, sed viam tenere nolunt. Gloria autem et beatitudo patria est, justitia autem via; et non possunt ad patriam venire qui viam non tenent. Quis est qui commodum non appetat? sed non omnes justi esse volunt.

Tit. XXXIV. *De sacramento corporis Christi.*

Dominus Jesus Christus, ut ostenderet divinitatem suam refectionem esse animarum nostrarum, carnem suam in cibum nobis proposuit, et rursum, ne illam horreret sumptionem humana infirmitas, consueti eduli specie illam velavit.

Tit. XXXV. *De gloria et pœna corporis humani.*

Quanta est dignitas animæ, si corporis gloria tanta est? Quanto enim spiritus hominis rebus omnibus quæ videntur excellentior esse probatur, cum cuncta corporea in obsequium condita sint corporis humani? Unde merito pœnalitate et miseria cunctis vilius factum est, quod conditione celsius, et sublimius fuerat constitutum. Cum autem reparatum fuerit, sublata e medio corruptione, quod cunctis melius est corporibus suscipiet, et tunc quoque sine miseria subjectum spiritui sociabitur ad gloriam, cui nunc in miseria est sociatum ad pœnam.

Tit. XXXVI. *Quod Moyses typus fuit Christi, inter Deum et homines futuri Mediatoris.*

Scriptum est quod non potuit populus loqui cum

Deo, et petiit mediatorem Moysen. Et laudavit hoc Dominus, et dixit quod Prophetam suscitaret qui Mediator foret, et per ipsum mandata daret ad populum (*Exod.* xx). Quæ enim invisibilia Dei sunt, carnalia corda percipere non potuerunt; et contemperavit se nobis Deus per humanitatem Filii sui, ut ipsa mediante divina percipiamus. Infirmas autem mentes terror majestatis opprimeret, et splendidum lumen lippientes oculos offuscaret, nisi nubes carnis intercedens et contemplationem excipiens, corda timida blandimento visionis demulceret.

TIT. XXXVII. *Quod creatura non potest bene esse sine creatore.*

Væ soli! quia cum ceciderit non habet sublevantem (*Eccles.* iv). Duo sunt, qui fecit, et quod factum est. Non autem potest bene esse illi quod factum est sine eo qui fecit ipsum. Quod factum est per se cadere habet, surgere non habet. Qui autem fecit quod factum est cadere non potest, sed quod cadit sublevare potest. Propterea ergo melius est duos simul esse quam unum solum.

TIT. XXXVIII. *De divisione per iniquitatem et unione per charitatem.*

Primum divisit iniquitas inter Deum et hominem, deinde divisit ipsum hominem. Postea venit charitas et composuit atque confœderavit primo Deum et hominem, deinde ipsum hominem. Iniquitas bene unita male divisit. Charitas male divisa bene univit. Similiter iniquitas bene divisa male univit, et charitas male unita bene divisit. Iniquitas ergo dividit et unit, et charitas dividit et unit. Novissime sequitur mors dividens, et ipsa propter iniquitatem; unit autem per conditionem ad charitatem. Mors dividit corpus et animam. Iniquitas dividit Deum et animam. Charitas dividit spiritum et concupiscentiam. Mors dividit unitatem conditionis. Iniquitas dividit unitatem reconciliationis. Charitas dividit unitatem abalienationis.

TIT. XXXIX. *De triplici operatione philosophiæ.*

Naturalis operatio philosophiæ per sensus agit in res subjectas, et descendit ad singularia sine experimentu sensuum infirma: quibus quasi baculo sustentationis innititur, per se incedere non valens. Rationalis operatio philosophiæ extra sensus est agens in universa: sola ratione vigens. Artificialis operatio rationalem instrumentum habet, et naturalem probat.

TIT. XL. *De triplici eruditione et duplici operatione spiritus.*

Quidam ab intus erudiuntur, quidam a foris sensum hauriunt. In illis stabilis est spiritus sapientiæ, in istis mobilis. Ad illos pertinet meditatio; ad istos speculatio. Illi acumine sensus occulta penetrant, isti agilitate transvolant ad longinqua. Et qui non discernunt spiritus, putant moram meditationis pigritiam, et speculationis motum levitatem, cum corpus ab animo qualitatem sumit. Sicut spiritus illuminat, sic accendit, et quos illuminat, cognitione veritatis illuminat; et quos accendit, amore virtutis accendit. Et sæpe non discernitur operatio ejus in utroque, et dicuntur pigri, stabiles; potentes animo et comprehensione efficaces, leves; compuncti, tristes; lascivi, spiritu hilares. Et fit sine spiritu judicium spiritus; et errant homines in judicio dum quisque solum hoc bonum putat quod amat. Similem vero demonstrationem habent meditatio et compunctio, et similem pariter speculatio et exsultatio, quoniam ab animi qualitate motus corporis formatur; et constat in alio quidem gravitas sine pondere, in alio levitas sine instabilitate. Meditatio et compunctio ad Joannem pertinent, speculatio et exsultatio ad Christum. Alter dicit: *Planximus vobis, et non plorastis* (*Luc.* vii). Alter dicit: *Saltavimus vobis, et non restitistis. Venit Joannes non manducans et non bibens, et dixistis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dixistis: Ecce homo vorax et potator vini, et peccatorum amicus* (*Luc.* vii; *Matth.* xi). Sic perversis perversa sunt omnia.

TIT. XLI. *Quod prius pusillanimes fovendi sunt per consolationem ut surgant; postea terrore confirmandi per increpationem ne recidant.*

Scriba doctus in regno cœlorum, qui profert de thesauro suo nova et vetera (*Matth.* xiii). Nova sunt consolationes, vetera increpationes. Vetus enim lex pœnam proposuit qua terreret; nova misericordiam qua foveret. Quare ergo prius nova, post vetera? Quia pietas loquitur: ideo prius palpat, postea percutit. Pusillanimes enim prius consolatione fovendi sunt, ut surgant. Postea terrore confirmandi ne recidant. Contumaces et duri prius increpandi sunt, ut timeant; postea fovendi consolatione, ne desperent. Cum ergo pietas loquitur, nova et vetera; cum severitas loquitur, vetera et nova. Vel ideo sequuntur vetera, non præcedunt, quia ex adjecto et superabundanti esse debet quod durum est; et pœnam habet charitas major.

TIT. XLII. *Quod pro temporalium abundantia non debet fraternitatis frangi concordia.*

Prohibet Joseph fratribus suis oneratis asinis ne contendant in via (*Gen.* xlv), quia Christus in hujus vitæ itinere si quando nobis abundantiam tribuit, pacem tamen et concordiam ad invicem pro eadem frangere et violare non concedit.

TIT. XLIII. *Quod virtus et veritas simul esse volunt.*

Est in sapientia spiritus intelligentiæ, certus, suavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere (*Sap.* vii), etc. Virtus et veritas cum de eodem sunt, non se impediunt. Unde cum dictum esset de spiritu sapientiæ quoniam *acutus* est (*Sap.* vii), subjunctum est statim quoniam *nihil vetat benefacere* (*ibid.*). In philosophis gentilium acumen spiritus erat, sed idipsum benefacere vetabat quia illorum intentio quo magis per acumen movebatur extranea cognoscere, eo magis per occupationem impediebatur propria considerare. Vera autem sapientia semper virtutem habet comitem, quia hoc magis appetit scire quod magis expedit esse. Unde adhuc de ipso

dicitur: *Certus, suavis amans bonum* (*Sap.* VII). *Certus* scilicet experientia; *suavis*, gustu; *amans bonum* quia non potest odire in opere quod vere diligit in cognitione.

Tit. XLIV. *De duplici amore et superædificatione.*

Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum (*I Cor.* III), etc. Tria sunt genera homi num. Sunt qui amant solum Deum, hi ædificant super fundamentum aurum, argentum et lapides pretiosos. In amore virtutis aurum; in cognitione veritatis, argentum; in consummatione boni operis, lapides pretiosos. Sunt alii qui amant aliud præter Deum, tamen nihil contra Deum, neque aliquid plusquam Deum. In his fundamentum quidem manet, quia amor Dei non destruitur; sed tamen ex affectu eorum quæ pariter amantur, quia quædam corruptio contrahitur, ligna et fenum et stipula superædificantur. In ligno peccatum illiciti operis; in feno, sine opere peccatum pravæ delectationis; in stipula, illicitæ culpa cogitationis. Sunt alii qui amant quædam contra Deum, et in his fundamentum omnino destruitur, quia amor Dei esse non potest, ubi non est vel solus vel summus. Igitur ad primos pertinet laudari et salvari, ad secundos corripi et liberari, ad tertios argui et damnari.

Tit. XLV. *De carne jumento et spiritu sessore.*

Caro jumentum est, sessor spiritus, qui illius calcaria adhibet, quando pigram excitat frenum quando impetuosam moderatur et cohibet.

Tit. XLVI. *De occultis et manifestis hominis et homini*

Quædam sunt manifesta hominis et manifesta homini. Quædam sunt occulta hominis et manifesta homini. Quædam sunt occulta hominis et occulta homini. Debet igitur homo primum erudiri in iis quæ manifesta sunt, et exerceri ut ad cognitionem occultorum perveniat. Vere enim mala cognoscere, hoc est improbare et scire quod mala sunt, nec dicere malum bonum aut bonum malum existimare, et discernere inter tenebras et lucem, et noctem et diem, et noctem et noctem, et inter diem et diem, et judicare omnem diem.

Tit. XLVII. *De vita et morte, gaudio et dolore duplicibus.*

Duo sunt, vita et mors; et post hæc sequuntur duo, gaudium et dolor. De vita, gaudium; de morte, dolor. Et est bona vita et mala vita, et gaudium bonum et gaudium malum; et est bona mors et mala mors et bonus dolor et malus dolor. Corpus ex anima vivit, anima ex Deo. Primum utrumque benedixit; postea anima mortua est iniquitate, deinde corpus percussum mortalitate, dissolutum in morte. Postea anima vivificata justificatione, deinde corpus resurrectione. Nunc ergo vetus homo, id est caro in cruce est; novus autem, id est anima in resurrectione. In resurrectione ergo nostra gaudium nostrum, in cruce nostra obedientia nostra; hic patientia, ibi lætitia. Qui carne crucifixus non est, anima non resurrexit; et ibi sentit ubi vivit, et ubi sentit ibi sapit.

Tit. XLVIII. *De duabus civitatibus et duobus populis et regibus.*

Duæ sunt civitates, Jerusalem et Babylon, et duo populi, amatores Dei cives Jerusalem, et amatores mundi cives Babylonis. Et duo reges, Christus rex Jerusalem, et diabolus rex Babylonis. Inter has civitates et duos populos et duos reges bellum est jugiter et discordia et pugna; et signat uterque milites suos, Christus suos, et diabolus suos, ut agnoscant quique regem suum et agnoscantur ab eo, et sequantur eum. Jerusalem enim civitas est sursum in cœlo, Babylon deorsum in terra. Similiter Christus jam sursum est, diabolus deorsum. Milites Christi sequuntur regem suum et milites diaboli sequuntur regem suum. Christus tribus exemplis viam nobis ostendit, qua eum sequi debeamus; similiter et diabolus tria proposuit quibus post eum præcipitentur qui eum sequuntur. Iter enim ad Christum, quia sursum est, arduum est, et arctum est et in longum sublime. Iter ad diabolum deorsum est, latum est, et breve in profundum, et ad præcipitandum facile. Ideo Christus exemplum paupertatis reliquit, ut exonerati sarcina terrenarum rerum leves ascendamus per arduum. Exemplum humilitatis, ut modici sine difficultate transeamus per arctum; exemplum patientiæ, ne deficiamus in longum; exemplum paupertatis dedit cum dixit: *Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* (*Matth.* VIII); exemplum humilitatis dedit cum dixit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI); exemplum patientiæ dedit, quando eum percuteretur non repercussit, cum occideretur sustinuit: exemplum iterum paupertatis, quia in hoc mundo divitias habere noluit; exemplum humilitatis, quia gloriam sprevit; exemplum patientiæ, quia mala sustinuit. Cum laudaretur non lætabatur, cum malediceretur non tristabatur; cum premeretur non frangebatur. Ait quidam illi: *Magister bone. Et respondit: Quid me dicis bonum?* (*Marc.* X.) Ecce humilitas. Et alii dixerunt: *Dæmonium habes: at dixit: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum* (*Joan.* VIII). Ecce patientia. Et cum *requirerent populus eum ut regem facerent* (*Joan.* VI), ille, humilitatis exemplum relinquens, fugit, et gloriam sprevit: et multa alia ad hæc pertinentia exempla. Prima est ergo paupertas, ut abjiciamus quod gravat, in quo est peccandi occasio. Et quia paupertas despicitur, sequitur humilitas: qua ipsa etiam propter Deum vilitas amatur. Et quia rursum qui vilis est sine reverentia læditur, necessaria est post humilitatem patientia, qua omnia adversa propter Deum fortiter tolerentur. Paupertas levem facit et expeditum, humilitas modicum, patientia fortem et robustum. E contrario diabolus suos primum divitiarum pondere in amore et sollicitudine onerat, ut deorsum ruant. Secundo per superbiam inflat, ut per latum incedant. Tertio per impatientiam frangit, ut cito deficiant. Hi duo populi duas civitates ab initio suo

ædificaverunt, Babylonem quæ a Cain initium cepit et Jerusalem, quæ ab Abel. Primus enim homo duos genuit filios, divisionis principium et divisionis signum, quia illa massa naturæ humanæ quæ in ipso primum per conditionem tota condita erat ad gloriam, postea per prævaricationem tota addicta erat ad pœnam, ut ostenderetur quod misericordia et veritas jam tunc dividi incœperint in vasa misericordiæ, et in vasa iræ. Et abjectus est primogenitus terræ, sicut primogenitus cœli corruerat, si tamen primogenitus erat, qui genitus non erat. De ipso enim dictum est: *Ipse est principium viarum Dei* (*Job* XL). Et reprobata sunt prima, ut ostenderetur quod finis principio melior est, quia quæ in principio facta sunt a Deo, bona quidem facta sunt, sed bona incipientia; quæ autem in fine facienda erant, bona facienda erant, et bona consummata. Propter hoc etiam in ipsa rerum conditione, primum materiam fecit; postea formam superaddidit, ut ostenderet quod similiter in rationali creatura primum esse factum erat: postea autem pulchrum esse et formosum esse: et melius addendum erat, ut non nimis gloriaretur in eo quod primum bonum acceperat, sed ad illud potius festinaret quod postea melius accepturа erat. Sed primogenitus primum dilexit ut perderet novissimum, et loco reprobatus est; et ille in cœlo, et iste in terra. Sed ille de cœlo dejectus in terra hominem per invidiam supplantavit, iste in terra reprobus effectus fratrem suum zelando occidit. Quia enim vita illius gravis ei fuit, ideo ad mortem illius festinavit. Cruciabatur enim nequam conscientia quotidie contra se testimonium cernens vitam justi et quasi gravis ei ad videndum fuit, ex cujus præsentia sua condemnabatur malitia. Idcirco auferre festinavit e medio ipsum ne eum videret ad confusionem sui, quem videre noluit ad emendationem et correctionem sui. Fortassis existimans postea non fore Deum vindicem iniquitatis, si non superesset homo justus testis veritatis. Sic ergo Cain interfector fratris Babylonis fundamenta posuit. Abel autem interfectus sanguine suo primordia Jerusalem in terra consecravit. Sic Ismael primogenitus reprobus fuit; Isaac vero electus. Esau quoque ab hæreditatis sorte et dono benedictionis reprobatur, Jacob diligitur et eligitur: et reprobato Eliab primogenito, David junior ad regni fastigium sublimatur (*I Reg.* XVI). Semper autem milites diaboli furore pugnaverunt, et milites Christi patientia vicerunt, regem suum paupertatis amore et humilitatis studio sequentes, patientia autem ad ipsum pervenientes (48).

Tit. XLIX. *De officio et potestate prælatorum.*

Considerate, fratres, misericordem dispensationem Dei. Solus ipse peccata tollere, et peccatores justificare potest; tamen ut humanam conscientiam de sua pietate certam faceret, potestatem relaxandi peccata et indulgendi arbitrium homini concessit, ut homo ad hominem quasi ad consimilem suum familiarius et fiducialius conveniret: quem et videre posset veniam postulaturus, et accepturus audire. Deus enim hominem orantem videre potest, sed homo Deum indulgentem videre non potest. Idcirco voluit Deus ut homo homini loqueretur, et de sua salute cum illo tractaret et veniam peteret; et indulgentiam acciperet. Sed ne forte ab homine salus dubia esset, Deus homo factus est, qui nec falleretur judicando, nec falleret miserando. Sic *omne judicium datum est Filio* (*Joan.* V), divina potestate in participationem hominis transfusa, ut homo peccata dimitteret; juxta divinum tamen judicium, cum idem ipse homo Deus esset. Ipse autem homo Christus, sicut particeps factus fuerat naturæ nostræ, ita participes vos esse voluit honoris sui; et idcirco dedit vobis prius de Spiritu sancto, ut prius essetis participes veritatis, deinde consortes dignitatis. Videte ergo ministerium vestrum, fratres, judicate judicium Domini, quia judices sæculi positi estis. Audite quod dictum est: *Dominus judicabit fines terræ* (*I Reg.* II). Propter hoc enim Dominus judicium suum in finem distulit, ut vos prius judicetis ad correctionem, ne ipse post cum judicare cœperit, judicet ad damnationem. Vos enim non quasi judices criminum ad percutiendum positi estis, sed quasi judices morborum ad sanandum. Videte ergo languidum in manibus vestris, quem vobis misericors ille Samaritanus commisit, pro quo pretium jam ab eodem accepistis, ne de vestro constet curatio illius. Habetis duos nummos in Testamento duplici, veteris monetæ unum, et unum novæ, ut emantur Veteri ea medicamina quæ mordent, Novo autem medicamina quæ fovent: Prima ad purganda quæ putrida sunt; secunda autem ad viva confirmanda. Ista sunt duo debita, præcepti scilicet et voti. Debitum præcepti, quo doctrina impenditur; debitum voti, quo exemplum formatur. Hi sunt etiam *duo gladii*, quos in Christi passione ad defensionem Petrus paraverat (*Luc.* XXI): Unus scilicet corporalis, qui secundum legem veterem pœnam peccantibus irrogat; alter vero qui secundum novam legem spiritaliter culpas feriens, homines sanat. Hic est gladius vester, quo vos ferire debetis vitia hominum, ipsos homines amantes; quem vobis Petrus reliquit, si tamen fervoris illius hæredes facti estis, et imitatores esse vultis. Nondum adhuc Christus crucifigebatur, et tamen Petrus fervorem suum cohibere non potuit; sed *exerto gladio percussit servum pontificis* (*Joan.* XVIII), nec multitudinem timens nec potestatem. Et nisi Christus eum cohibuisset, forsitan majora adhuc Petrus fecisset. Nec tamen tunc Petrus dicere potuit: *Plures sunt qui nobiscum sunt quam qui cum illis* (*IV Reg.* VI). Con-

(48) Idem videre est apud S. Ignatium, in hoc *Exercitiorum* tam sæpe laudato loco: *De duobus vexillis.* — Ed. Patrol.

siderate ergo et videte quid facitis. Christus in mentis vestris crucifigitur, et vos adhuc gladium in vagina habetis, cum tamen multitudo major vobiscum sit quam cum illis. Quid vos in passione Christi fecissetis qui modo ad percutiendum pigri estis? Ecce Christus in oculis vestris occiditur. Quid enim est Christianus, nisi corpus Christi? Ipse quippe dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv). Ergo in Christiano Christus occiditur, et in Christiano Christus tribulatur. Quid ergo facitis? Quid pigri, quid timidi estis? Forte quia non statis sicut Phinees, idcirco iram placare non potestis, *ut cesset quassatio* (*Psal.* cv). Forte quia discubuistis ad ollas Pharaonis et saginam diligitis, pigrum vobis est surgere ad bellum. Forte quia lanam diligitis et lac, non oves, idcirco pascitis vosmetipsos, non oves, et fugitis veniente lupo, quia de ovibus non curatis. Saltem si lac ovium comeditis, carnes comedere nolite. Si fructum pro custodia ovium quæritis, ipsas vivas servate. Bonus pastor etiam carnem suam ovibus suis edendam dedit, ut eas reficeret, sed vos non solum mercenarii pastores pretium pro custodia quæritis, sed ipsas etiam oves lupi facti ad vestram refectionem necatis. Væ pastoribus malis qui pascunt semetipsos, non oves! et utinam solum non pascerent, si non etiam depascerentur! Nunc autem et mercenarii fugiunt, et lupi occidunt. Mercenarii fugiunt (*Joan.* x), non mutando locum, sed subtrahendo auxilium. Lupi occidunt, quia et visibiles corpora laniant et invisibiles animas necant. Si ergo *pastores* estis, *vigilate super gregem* vestrum (*Luc.* ii); nec oves Christi laniari permittatis in manibus vestris. Ascendite ex adverso, et date vos murum pro domo Domini, et quasi boni canes latrate circa caulas Ecclesiæ vocibus confidentiæ, ut timeant, et vos pro bona custodia præmium accipere mereamini.

TIT. L. *De tribus crucibus.*

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi! (*Gal.* vi.) In cruce Christi gloriatio est; in cruce dextri latronis, consolatio; in cruce sinistri latronis, confusio; in cruce Christi, pœna sine culpa, et post pœnam glorificatio; in cruce dextri latronis, pœna pro culpa, et post pœnam remissio; in cruce sinistri latronis, pœna pro culpa, et post pœnam damnatio. Dicunt homines, quando pœnam sustinent: Si meruissemus non erubesceremus; nunc autem injuste pati et sine culpa ignominiosum nobis est. Oculi qui non vident, imo si pro culpa pateris crubescere; si sine culpa pateris, gloriare. Latro magis vis esse quam Christus; et forte sinister blasphemator, non confessor. Tu enim pro culpa pateris, et culpam non agnoscis, nec judicem veneraris. Si saltem dexter fuisses latro, culpam humiliter agnosceres, pœnam patienter sustineres, veniam devote implorares, nec pro pœna præsumeres, nec pro culpa desperares, sicut quidam qui de sua sustinentia gloriantur, de pœna murmurant, de culpa desperant.

TIT. LI. *De duplici oleo, scilicet Dei et mundi.*

Date nobis de oleo vestro, quoniam lampades nostræ exstinguuntur (*Matth.* xxv). Habet oleum Deus, habet oleum et mundus. Ad oleum Dei vasa deficiunt, oleum mundi in vasis deficit. Oleum Dei dulcedo æternorum, oleum mundi delectatio præsentium. Illa sufficit, ista deficit. Propterea vasa stultarum virginum vacua fuerunt, vasa viduæ sapientis plena (*I Reg.* iv); vasa corda sunt, oleum gaudium.

TIT. LII. *De falsitate consolationis mundanæ.*

Væ vobis, divites, qui habetis nunc consolationes vestras! (*Luc.* vi.) Anima rationalis si vere saperet, nihil saperet præter verum bonum. Non enim est bonum ejus aliud quam verum bonum. Hoc igitur solum est, in quo gaudere deberet in abundantia sua, et in quo consolari deberet in egestate sua. Et utique sive abundans sive egens bene illo gauderet et bene consolaretur, si illius neque in abundantia, neque in egestate egestatem pateretur. Nunc autem primum malum ejus factum est, ut illo sublato egestatem illius patiatur, ut illud non habeat; deinde secundum malum accessit, ut in alio bono consoletur, ut illud non requirat. Perdito ergo eo quod intus erat bono, egressa est anima ad ea quæ foris erant bona aliena, et pactum fecit cum delectationibus sæculi; et regressa induxit eas ad se ut fornicaretur cum eis intus in abscondito cordis sui, et requiesceret super eas, et consolaretur in eis, et non respiceret absentiam boni sui, eo quod abundantiam suam cerneret et consolationem in bonis alienis. Nunc igitur anima desolata a bono suo, desolationem suam non agnoscit, quoniam secum habet societatem alienam delectationum hujus mundi ingredientium ad ipsam per sensus carnis ipsius, vel cum ipsa egreditur ad illas. Cum autem claudi cœperint portæ istæ sensuum carnalium, non patebit deinceps via transeundi adinvicem; et tunc separabitur societas vanitatis, et erit mundus foris exclusus, ne ingrediatur, et anima intus inclusa, ne egrediatur. Et veniet anima ad portas oculorum et clausas inveniet, ut non egrediatur per visum, et declinabit ad portas aurium, obstrusas inveniet, ne egrediatur per auditum, deinde diffundet se per aditus sensuum reliquorum, et non erit transitus ullus, quoniam repagula mortis perpetuæ, inflexibili rigore et immobilibus seris valvas sensuum aditus commercii antiqui sine fine concludens. Tunc anima misera in hoc tristi dissidio solam se inveniet, et convertens se requirere incipiet socium illum qui intus est, et excludi non potest, et non poterit habere societatem illius in desolatione sui, quia non requisivit illum in consolatione sui. Tunc illa infelix desperatione cadet ad se, et damnatione sub se, et aperiet se profundum in obviam ruenti; et cum illam exceperit, continuo claudetur sursum, et aperietur deorsum, ut sine fine cadat et ad finem non resurgat. Et tunc primum agnoscet verum esse quod dictum fuerat: *Væ soli! quoniam cum ceciderit, non habet sublevantem* (*Eccles.* iv). Propterea

dixit : *Orate ne fuga vestra hieme fiat, vel Sabbato* (*Matth.* XXIV). Quid enim est hiems nisi torpor mortis? Et quid est Sabbatum, nisi post mortem tempus perpetuæ vacationis? Hiems siquidem tollit ambulandi potentiam, Sabbatum negat licentiam. Sic et imminentis mortis torpore astrictus, bonum a correctione præpeditur, post mortem vero pœnitentia non recipitur; Hic gravatur, ne prima opera exerceat; ibi ligatur ne imminentem damnationem evadat. Hic correctio gravis, ibi emundatio impossibilis. Propterea bonum est fugere iram venientem priusquam sentire incipias imminentem, ne vel voluntas minus efficax sit sine opere, vel dolor inutilis sine correctione. Cogitet ergo anima in societate alienorum nunc posita, quod non poterit semper permanere cum illis, et eligat interim socium illum, qui, cum omnia subtracta fuerint, solus fidem servat dilectoribus sui, nec recedit in tempore angustiæ. Et si durum videatur pro ejus amore nunc omnia mundi blandimenta respuere, audiat ipsum consolantem et dicentem : *Nonne ego melior tibi sum quam decem filii?* (*I Reg.* I.) Quid enim? Dulcis est mundus : et dulcis non est Deus? Absit! *Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum* (*Eccli.* XXIV). Hanc ergo, fratres, dulcedinem si gustare cœperitis, nec falsam dulcedinem diligetis, nec veram amaritudinem sentietis.

Tit. LIII. *De quadruplici recordatione præteritorum malorum.*

Quadruplex est recordatio præteritorum malorum : Prima, quæ animum ad consensum pravitatis inflectit; secunda, quæ delectatione illicita memoriam afficit; tertia, quæ ad compunctionem et contritionem pœnitentiæ cor emollit; quarta, quæ ex fiducia veniæ ad gratiarum actionem mentem accendit. Prima est malorum, secunda insipientium, tertia proficientium, quarta perfectorum. Primam Deus pro culpa imputat, secundam condonat, tertiam remunerat, quartam glorificat. Prima est iniquitatis, secunda infirmitatis, tertia virtutis, quarta felicitatis.

Tit. LIV. *Unde vitium originem trahat?*

Omne vitium ex natura originem trahit; quia non est aliud vitium, quam affectus naturalis præter ordinem et supra mensuram : ordinem transgrediens, quando movetur ad ea quæ non debet; mensuram excedens, quando movetur plusquam debet. Illa appetens, propter indigentiam, hæc effervens, propter vehementiam. Illic perversus, hic nimius. In David propter indigentiam : appetitus movebatur ad ea quæ non debuit, quando esuriens panes sanctificatos concupivit (*I Reg.* XXI). In Amnon filio ejus propter vehementiam movebatur plus quàm debuit, quando Thamar sororis suæ dilectionem usque ad carnis libidinem relaxavit (*II Reg.* XIII).

Tit. LV. *De variis viis hominis.*

Via vitæ mandatum justitiæ. Primo homini aperta fuit via ad vitam brevis et levis. Nunc autem redeuntibus ad vitam viæ demonstrantur, pro una multæ, pro brevi longæ, pro levi laboriosæ. Sic enim dignum fuit ut homo, dum adhuc unus erat, haberet viam singularem, propinquus brevem, justus levem. Nunc autem divisus multiplicem, remotus longam, peccator gravem. Concupiscentia divisit hominem, iniquitas abalienavit, mortalitas debilitavit. Nunc ergo prima via est, ut ad semetipsum redeat, et de multis unus fiat, deinde pergat ad ipsum qui est super ipsum. Prima una est de multis ad unum multiplex. Secunda una est de uno ad unitatem simplex. Prima una est de vitiis ad virtutem; secunda una est de veritate ad beatitudinem. In prima via est fragilis homo relinquere amata; in secunda via debilis apprehendere insolita. Primum homini uni unum præceptum datum est, leve facto, breve effectu. Primum dictum est illi ut ab uno quod foris erat abstineret, postea ut ea quæ intus erant vinceret. Quod nec leve erat ad faciendum, nec breve ad perficiendum. Ibi unum faciendum erat, hic facienti multa obsistunt. Obviat superbia in via humilitatis, vexat invidia in via pietatis, turbat iracundia in via mansuetudinis, libido in via castitatis, avaritia in via misericordiæ, gula in via continentiæ, contumacia in via obedientiæ. Quæ omnia vincere tam difficile est, quam habere naturale est.

Tit. LVI. *De duabus viis in Evangelio.*

Duæ sunt viæ, una lata ad perditionem, altera arcta ad vitam. Illa quæ lata est, multos habet incedentes per se. Illa quæ arcta est, paucos capit. In omni enim genere quæ pretiosa sunt, rara sunt; quæ vilia sunt, numero abundant. Lata autem via est ire quo libet, et facere quod placet. Arcta via est præceptis regi, et desideria fluxa stringere ad regulam æquitatis. Duæ ergo viæ sunt, una mortis, altera vitæ; et duo populi, malorum et bonorum; et duo reges, diabolus et Christus. Et præcedit uterque exercitum suum, unus ad mortem, alter ad vitam. Christus humilitate, diabolus elatione; Christus puritate, diabolus impuritate; Christus obedientia, diabolus contumacia. Et quem quisque ducem sequitur in via, habebit regem in patria (48*).

Tit. LVII. *De virtute et justitia.*

Hoc interest inter virtutem et justitiam, quod virtus magis esse videtur affectus rationalis voluntatis bene formatus, vel recte ordinatus; justitia autem forma vel ordinatio ejus. Tunc bene ordinatur mentis affectus, quando secundum Dei voluntatem movetur.

Tit. LVIII. *De activa et passiva justitia.*

Justitia, alia est secundum debitum facientis, alia secundum meritum patientis. Justitia autem secundum debitum facientis, est potestatis. Justitia secundum meritum patientis, est æquitatis. Justitia potestatis est, qua sine injustitia licet facienti, si velit, quod ejus potestati debetur. Justitia æquitatis est, qua retribuitur patienti, etiamsi nolit, quod

(48*) De misericordia et veritate quomodo inter se disceptarint, vide circa principium, inter Exegetica in Scripturam sacram.

ejus merito debetur. Cum ergo Deus punit peccatorem, juste facit, quia ejus potestati debetur ut hoc possit, si velit; et juste patitur qui patitur, quia secundum meritum suum, eique retribuitur quod ejus merito debetur. Et est illic potestas justa, qua Deus justo facit; et ipse justus est. Hic retributio æqua, quia peccator juste patitur. Qua tamen non ipse est justus, sed pœna ejus justa est. Cum vero Deus justificet peccatorem, juste agit, et justus est justitia potestatis, qua ei hoc licet; qui vero justificatur, justus est justitia quam accipit; sed non in eo quod contra meritum suum accipit, sed tamen injustus non est, quia non facit ipse quod accipit; et est justus qui facit, et justitia quæ facit; et est justus qui accipit, justitia quam accipit, non tamen quia accipit, quia sine justitia sua per solam gratiam justitiam accipit.

TIT. LIX. *De lectulo et ferculo Salomonis.*

Salomon est Christus, lectulus Salomonis cor contemplantis, ferculum Salomonis cor per bonam operationem se circumferentis et exercentis. Quando de lectulo Salomonis locuta est Scriptura (*Cant.* III), non dixit unde factus sit, quia ineffabiles sunt aspirationes contemplationis, quæ cor illuminant. De ferculo autem Salomonis dicit unde sit, et materiam ejus describit (*ibid.*), quia enarrari possunt et dici exercitia virtutum, quæ vitam operantis ædificant.

TIT. LX. *De eisdem.*

Ferculum Salomonis, cor exercitatum in studio virtutis; ferculum, sapientiæ verbum. Inde portatur ab ore ad aurem lectulus, mens contemplativa. Ferculum hoc primum de lignis Libani esse debet per puritatem et incorruptionem veritatis, de argento in præceptis et promissis. In candore argenti, munda conversatio: in sonoritate, dulcis promissio. Habet aurum per sapientiam cœlestem, quod non æruginat in æternitate, sed rubet in charitate. Habet purpuram, quando prædicat passionem; ascensum ad glorificationem. In medio charitas sternitur propter filias Jerusalem, quæ teneris et infirmis proposita est ad obtinendam salutem. Quis tam tenor, ut amare non possit? Nam si cætera non potes, amare tamen potes, ut ad ferculum Salomonis pertineas.

TIT. LXI. *De ferculo, id est lectica seu vehiculo Salomonis, a ferendo dicto, et de curru Pharaonis.*

Ferculum fecit sibi rex Salomon ex lignis Libani (*Cant.* III), etc. Duo vehiculorum genera Scriptura commemorat, hoc est ferculum Salomonis, et currum Pharaonis. Cur bonum ferculum est Salomonis, cor pravum, currus Pharaonis. Quia enim currus per terram trahitur, congrue per currum cor terrenis desideriis inhærens significatur. Nam sicut currus onustus stridorem emittit, levatos strepitum facit; ita pravorum corda in adversitate per impatientiam quasi stridorem emittunt, in prosperitate per jactantiam strepitum faciunt. Istos quidem Pharao, id est diabolus superequitans, quasi plumbum in profundum mergitur, quia eos quos hic ad vitia impellit, tandem ad tormenta descendentes comitatur. Ferculum autem Salomonis terram non tangit, sed supereminet, et motum quidem habet, strepitum vero aut stridorem non habet, quia cor ad superna desideria elevatum, terrenis delectationibus spretis, quamvis adhuc per conditionem mutabilitati subjaceat, nec in adversitate tamen stridet per impatientiam, nec in adversitate per jactantiam strepit. Est adhuc aliquid quod supradictæ distinctioni annecti potest. Ponamus igitur tria, id est lectulum Salomonis, et ferculum Salomonis, et currum Pharaonis, et intelligamus per lectulum Salomonis, cor dulcedine contemplationis, requiescens; per ferculum Salomonis, cor in exercitatione bonorum operum se circumferens; per currum Pharaonis, cor in cupiditate carnalium requiescens.

TIT. LXII. *De ferculo et lectulo Salomonis*

(49) Ferculum Salomonis est cor exercitatum in studio virtutis. Ferculum sapientiæ est verbum, quod portatur ab ore ad aurem. Lectulus, mentis contemplatio. Ferculum hoc primum de lignis Libani esse debet per puritatem et incorruptionem veritatis, de argento in præceptis et promissis. In candore argenti munda conversatio, in sonoritate dulcis promissio. Habet aurum per sapientiam cœlestem, quod non æruginat in æternitate; sed rubet in charitate. Habet purpuram, quando prædicat passionem; habet ascensum ad glorificationem. In medio charitas sternitur propter filias Jerusalem, quæ teneris et infirmis proposita est ad obtinendam salutem. Quis enim tam tener, ut amare non possit? Nam si cætera non potes, amare tamen potes, ut ad ferculum Salomonis pertineas.

TIT. LXIII. *De quatuor modis quibus notitia Dei manifestatur homini, seu de natura gratia et Deo.*

Quatuor modis notitia Dei cordi humano manifestatur: Duobus intus, duobus foris. Duobus per naturam, duobus per gratiam. Intus, per rationem et aspirationem. Foris per creaturam et per doctrinam. Ad naturam pertinet ratio et creatura; ad gratiam, aspiratio et doctrina. Fuerunt ergo duo simul natura et gratia, non sola natura, neque sola gratia: ne, si natura totum posset, gratia non quæreretur; aut si nihil posset, culpa excusaretur. Judæi naturam totum posse dixerunt, et gratiam non quæsiverunt. Gentiles quidam naturam nihil posse existimaverunt, et culpam excusaverunt; et utrique erraverunt. Inter quatuor prima est ratio, secunda creatura, tertia doctrina, quarta aspiratio. Ratio investigat, creatura approbat, doctrina explicat, aspiratio confirmat fidem. Tres sunt testes approbationis quod Deus est: affectus, defectus, et effectus. Affectus præcedit, sequitur defectus, occurrit effectus. Affectus quærit, defectus exigit, effectus tribuit: quod non esset, si Providentia non esset. Sunt adhuc alii testes tres in creatura divinitatem Crea-

(49) Eadem, paucis mutatis, leguntur in titulo 60.

toris profitentes, magnitudo potentiæ, pulchritudo sapientiæ, benignitatis utilitas. Deinde Scriptura explicat quæ creatura probat. Primum Deum esse, deinde unum esse, deinde et trinum. Et contestatur ipse Deus fidei, ne testimonium hominis minus firmum foret. Ante legem dixit se esse, sub lege unum, sub gratia trinum, ut paulatim cresceret cognitio veritatis. Ante legem dixit : *Ego sum* (*Exod.* III). Et iterum : *Ego sum qui sum* (*ibid.*). Et rursum : *Hæc dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos* (*ibid.*). Sub lege dixit : *Audi, Israel, Deus tuus Deus unus est, ipsum adorabis, et ei soli servies* (*Deut.* VI). Sub gratia dixit : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Confirmationem aspirationis novit ille qui accipit.

TIT. LXIV. *De superbia et humilitate.*

Deus hominem formans et condens judicio, posuit in eo quædam humilia, quædam gloriosa. Venit autem superbia, et invenit excellentia quædam et decora, pulchra ad concupiscentiam; humilia autem et infirma, turpia ad confusionem et ignominiam; et premitur ubi tumet; et confunditur ubi gloriatur. Venit autem humilitas, et considerat pulchra sine concupiscentia, infirma sine ignominia; et placet in utroque Conditor. In altero quidem, quia suam potentiam probat; in altero vero, quia nostram præsumptionem temperat, ut in uno videamus, quantum de ipso præsumere possumus; in altero autem, quam humilia de nobis sentire debeamus.

TIT. LXV. *De triplici contemplatione et eruditione.*

Prima contemplatio est de visibilibus. Secunda de visibilibus ad invisibilia. Tertia de invisibilibus. Sic prima eruditio est in littera, secunda de littera ad sensum, tertia in sensu.

TIT. LXVI. *De tribus gradibus fidei.*

Tres sunt gradus fidei : Primus est ea quæ dicuntur per pietatem solam eligere; secundus, ea quæ electa sunt per rationem approbare; tertius, quæ approbata sunt per puritatem apprehendere. Quartum genus hominum est, quibus solum credere est fidei, non contradicere. Qui tamen consuetudine vivendi magis quam veritate credendi fideles nominantur. Fideles autem primum per pietatem electionem faciunt. Postea ex ratione existimationem concipiunt. Novissime per puritatem assertionem comprehendunt. Tribus item gradibus cognitio fidei crescit. Alii enim audita sine discussione credenda suscipiunt. Alii credenda ratione discutiunt et credunt. Alii discussa et credita effectu comprehendunt. Primi habent fidei cognitionem, secundi cognitionis, tertii rationis assertionem. Sic per tempora crevit fides. Ante legem Deus creator credebatur, et ab eo salus et redemptio exspectabatur; per quem vero et quodammodo eadem salus implenda ac perficienda foret, exceptis paucis quibus hoc scire singulariter in munere datum erat, a cæteris etiam fidelibus non cognoscebatur. Sub lege autem persona Redemptoris mittenda prædicebatur, et ventura exspectabatur : quæ autem ipsa persona foret, hoc est, an homo, an angelus, an Deus, nondum manifestabatur. Soli hoc cognoverunt qui per spiritum singulariter ad hoc illuminati fuerunt. Sub gratia autem manifeste ab omnibus jam et prædicatur et creditur, et modus redemptionis, et qualitas personæ Redemptoris. Semper tamen in Ecclesia Dei ab initio fides fuit incarnationis et passionis Christi, quia ab initio nunquam defuerunt qui hoc cognoverunt. Alii salvabantur, quia horum perfectioni fide simplici jungebantur, et eos bene operando sequebantur. Item sciendum quod aliud est affectio animi qua creditur, aliud cognitio qua percipitur quod creditur. In affectione fides est; in cognitione, ea quæ pertinent ad fidem. Aliud est ergo fides, aliud cognitio fidei. Et potest quidem ejusmodi cognitio sine omni fide esse; fides autem sine cognitione esse omnino non potest; et tamen aliquando supra cognitionem esse potest, quoniam fides est etiam de fide

TIT. LXVII. *Quod charitas nunquam excidit.*

Dilecto filio R. Hugo peccator, etc. *Vide supra inter epistolas Hugonis.*

TIT. LXVIII. *Quare conscientiæ hominum velatæ sint.*

Propterea Deus conscientias hominum in præsenti vita ad invicem manifestas esse noluit, ne videntes ad malum provocarentur, et habentes confunderentur. Tanta etenim mala, quæ in corde hominis versantur, si paterent, et videntibus mutuo essent incitamentum ad culpam, et habentibus testimonium ad ignominiam. Propter hoc velata sunt occulta cordium, ut in futuro judicio locus esset. Est autem velamen cordis habitus corporis sive manifestus, sive dubius et boni. mali.

TIT. LXIX. *De servitute et timore Dei.*

Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore : et præpara animam tuam ad tentationem (*Eccli.* II). Primum hoc intendite quam longe homo est a Deo, qui accedere jubetur ut servus fiat. Quam longe est ab eo ubi filius est qui necdum esse cœpit, ubi servus est? Nec mirum. Servus enim, quamvis servus, tamen in domo est, et domesticus et notus. Quamvis non permansurus, tamen intus est, et cognosceus et cognitus. Qui extra est, non novit ea quæ intus aguntur. Foris canes et venefici, intus filii et servi, Servi exituri, filii permansuri. *Fili, accedens*, adhuc foris est, et filius dicitur, nondum servus est, et jam filius. Sic Israel in Ægypto positus, filius primogenitus vocatur. Gratia enim meritum anticipat. Ergo *accedens ad servitutem Dei, sta in timore.* Sta, non ut non proficias, sed ne deficias. Sta permanens in eo quod cœpisti, non rediens ad id quod fuisti. Sta in timore. Timor coofigat lubrica carnis, ut non effluat ad culpam, dum prospicit pœnam. *Et præpara animam tuam ad tentationem.* Firma proposito, exerce virtute, cautela muni; firma ut cedere nolit, exerce ut resistere possit, muni ut, ubi non potest vincere, sciat declinare.

TIT. LXX. *Quod bonus animus sit hortus voluptatis.*

Quasi hortus voluptatis terra coram ea; et post eum

solitudo deserti (*Joel*, II). Rex aquilonis diabolus, A bortus voluptatis, rationalis et bonus animus. Hujus horti cultor et custos est Deus, vastator et desertor diabolus. Super hanc quippe rationalem terram cadens semen verbi Dei, per intelligentiam accipitur; deinde tegitur ad fomentum, et ad consilium contra periculum. Ad fomentum, ut prius radicet quam germinet, prius deorsum pergat ad confirmationem quam sursum ad ostentationem, prius radicet per occultum propositum, post germinet per manifestum exemplum. Germinet sursum, pergens ad fructum; radicet deorsum, pergens ad stabilimentum. Sursum charitate, deorsum humilitate. Ad consilium tegitur, ut non prius proferatur ad actionem quam dirigatur per circumspectionem. Prius concipis quod faciendum est, postea foves meditans qualiter faciendum est. Contra periculum tegitur, ut tunc etiam non pateat ad ostentationem, cum exierit ad operationem. Sic itaque verbum Dei, super bonam terram cadens, radicat, et germinat, et fructum facit, et fit hortus voluptatis proferens omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, et spirans aromata redolentia. Ad hunc veniens diabolus rex aquilonis plenum amœnitate invenit, ingrediens autem et exterminans, et vastans, et deinde discedens horrendum solitudine relinquit.

Tit. LXXI. *De conformitate Christi induenda.*

Induimini Dominum Jesum Christum (*Rom.* XIII), formam scilicet Christi, similitudinem Christi; hanc indue, hanc assume. Conformare, commetire. Sursum et deorsum pergit sapientia, a C fine usque ad finem. Sursum majestate, deorsum humilitate. Si altitudinem respicis, nemo Christo sublimior. Si dejectionem intendis, nemo Christo humilior. Vide quantum descendit humilitate. Filius erat, et factus est servus, et accepit non solum conditionem servi, ut subesset, sed et mali servi, ut vapularet, et amplius ut solveret per pœnam quod non rapuerat per culpam. Sic itaque humiliatus est. Quomodo? Æqualis ad subjectionem, justus ad passionem; nec ad quamlibet, sed mortis; nec cujuslibet, sed confusionis. Quis sic glorari potest? quis sic humiliari? Usque ad infimum humiliatus, usque ad summum exaltatus. Descendens non reliquit D ultra quo humiliaretur; ascendens non reliquit ultra quo exaltaretur. Descende post Christum humilitate infima patiendo; ascende post Christum charitate summa appetendo. Perge cum ipso, ut crescas in ipso. Imitari potes, non æquari.

Tit. LXXII. *De cognitione veri, quam sit naturalis.*

Desiderium cognoscendæ veritatis intantum naturale animæ est, ut, quantumlibet sit perversa, illo omnino carere non possit. Quotidianæ quæstiones indicant quod scire verum omnes cupimus. Tota vita hominis in quæstione est. Quandiu vivitur, quæritur. Nemo falli vult, etiam si quisque fallere velit: in hoc vero probat cor humanum nihil magis proprium sibi esse quam verum; sed perversi ibi verum quærunt ubi salus non est. Verum quia homines sunt, ubi salus non est, quia perversi sunt. Verum et non bonum. Propterea non inveniunt verum bonum. Alius quærit ad iniquitatem, alius quærit ad cupiditatem, alius quærit ad curiositatem. Quærit alius quomodo lædere possit illum quem odit; et forte invenit quod quærit, et verum est quod sic lædi potest. Sed verum hoc ad iniquitatem ducit, non ad bonitatem. Alius quærit quomodo multiplicare possit pecuniam, augere divitias, lucra cumulare; et contingit aliquando ut inveniatur quod quærit. Et verum est omnino quia sic fieri potest, et sic agi; sed verum hoc, bonum sibi junctum non habet. Verum quidem bonum est, sed cum B vero bonum non est, quia cupiditas bonitas non est. Alium curiositas trahit ad quærendum verum. Insectatur rumores, nova captat, secreta scrutatur, ut vitio suo pabulum ministret, et est hic similiter verum sine socio bono, ut in omnibus his verum bonum non inveniatur. Alii verum quærunt, et amant illud habere, quia verum est. Et hi recte quidem diriguntur quia verum quærunt propter bonum; sed non perducuntur, quia non quærunt propter summum bonum. Tales sunt qui scrutantur secreta naturæ, et desiderio magno feruntur, ut sciant solum quod verum est in rebus conditis. Et est quidem etiam illic quod jure delectare debeat; ita tamen si cor hominis per id quod infra diligitur, ad amorem illius, qui summe bonus est, accendatur. Propteres melius est illud quo docetur homo primum semetipsum cognoscere, et quod est ut corrigat, et quod esse debet, ut esse studeat; postea Creatorem suum ut agnitum quærat, et inveniens in illo requiescat.

Tit. LXXIII. *Cur Filius Dei rogat Patrem.*

Ego rogabo Patrem de vobis (*Joan.* XVI), etc. Filius Patrem rogat pro Spiritu sancto mittendo discipulis. Qui rogat est Deus, quem rogat Deus, pro quo roget Deus. Deus rogat Deum pro Deo. Mira res! Unum bonum est, et insinuat se nobis, ut quærere discamus illud. Vult enim desiderari, et aptat semetipsum ad nos, ut provocet ad amorem quærendi. Rogat docens, rogatur appretians, promittit consolans. Nisi rogaret, non ostenderetur indigentis necessitas; nisi rogaretur, non intelligeretur muneris dignitas; nisi promitteret, non confirmaretur exspectantis tarditas. Deus pro homine se inclinat ad preces. Magna charitate, magna necessitate, magna utilitate. Magna charitate, qua tantum diligitur impius. Magna necessitate, qua alitur, non salvatur perditus. Magna utilitate, qua sic revocatur aversus. *Ego rogabo Patrem*. Quare rogat qui dare habet? ostendit quid de ipso sentias, hoc est, ut intelligas bonum tuum, et ibi sentias unde quæras.

Tit. LXXIV. *De magna peccatoris respiratione, et dubiorum circa conscientiam decisione.*

Insipientem doctus interrogas. Quæris quid tibi faciendum sit pro eo quod in habitu religionis positus, opera digna professione tua non habes. Recte equidem, charissime, moveris, imperfectum tuum considerans. Justus est dolor, si tamen nimius non est. Injuriam misericordiæ facimus, si in qualicunque miseria nostra ex ipsa misericordia desperamus. Quando peccas, tollis tibi bonitatem tuam; quando vero times, ne forte tibi non ignoscat Deus, tollis illi bonitatem suam. Hæc est major iniquitas. Plus impius efficeris, si pro tua iniquitate aliquid minus senseris de ipsius bonitate. Demus ergo confusionem nobis peccata nostra confitendo, demus gloriam illi de ipsius misericordia nullatenus diffidendo. Si opera nostra nobis sufficerent, gratia quid faceret? Propterea enim gratia necessaria est, quia ex opere suo non justificatur homo coram illo. Non igitur sic doleamus de imperfectione nostra, ut minus respiremus, vel speremus in bonitate divina. Deinde etiam hoc animam tuam movere dixisti, quod præteritorum commissorum tuorum memoriam succedens oblivio in multis confudit, ut non possis sicut dignum fuerat, eorum, in quibus offendisse Deum te doles, reminisci. Et hæc quidem tanto magis tibi fiunt suspecta, quanto magis occulta existunt. Vera sunt hæc; nec est quod contradici possit. In omnibus his periculum patitur homo, et subjacet judicio, si misericordia justitiam non mitiget; sed Deus noster misericors est, et parcit supplicibus, et humilem nunquam derelinquit. Magna quidem culpa erat peccatum non cavere et successit alia culpa, perpetrata malitia, periculum non timere, et avertere oculus ne malum suum videat homo et ut non intelligat quid patiatur. Et tamen post hæc omnia adhuc vivit misericordia æterna, cui ille clamavit: *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* XVIII). Et iterum, *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos* (*Psal.* XXIV). Propterea ad illum respicio, qui videt quod ego videre non possum, ut mundet me etiam ab his sordibus, ubi sum maculatus per culpam, nec illuminatus per scientiam. Ipsi enim confiteor culpam meam, non solum quia malum feci, sed quia etiam malum meum cogitare et cognoscere neglexi. Propterea ad illum intendo misericordiam implorans, ut manu pietatis suæ tergat maculas ignorantiæ meæ; qui, et si ignoro quid feci, non tamen ignoro quod male feci. Quod postea dixisti, sæpe te cogitationibus quibusdam præteritorum malorum per illicitam quamdam delectationem in animo renascentibus perturbari, atque ex hoc admodum contristari, propterea quod nonnunquam etiam in tempore orationis his pulsari soleas et vexari. Breviter respondeo quod, si pugna non esset, victoria nulla esset. Quod autem subjunxisti malle te alio genere fatigari, ubi labor esset, sed periculum tantum non esset: ad hoc similiter respondeo quod, si nulla delectatio esset in cogitatione, nullus omnino labor esset in contradictione, quia animus omne quod non delectaret, facile refutaret. Hic vero labor est cum eo pugnare quod placet, hoc est amare pariter et improbare. Quæ tamen delectatio, si firmum est animi propositum in bono, non solum non nocet, sed etiam prodest, quia in eo quod resistentem fatigat, vincentem coronat. Quod autem novissime addidisti de motibus perturbationis, qui nonnunquam, occasionibus incurrentibus, quietem mentis concutiunt, verbis Psalmistæ respondeo: *Irascimini, et nolite peccare. Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* IV). Si ira venit ad animum, non procedat actio ad peccatum; et ex eo quod intus mens per iram turbatur, conscientia per pœnitentiam compungatur. Hoc est enim remedium, ut si venerit turbatio, et cohibeatur ne excrescat, et compungatur ut desinat, et fiat quod dicitur: *Turbatus sum et non sum locutus* (*Psal.* LXXVI). Non est mirum si turbatur homo, quia homo est; sed si turbationem suam non moderatur, hoc est mirum, quia rationalis est. Propterea si turbatur, non loquatur, frenet linguam, claudat conscientiam, ut quod intus ortum est per infirmitatem, foris per discretionem cohibeatur, donec intus exstinguatur.

Tit. LXXV. *Quod sacra Scriptura sit cathedra*

Cathedra doctoris sacra Scriptura est, in qua jugiter populo præsidere debet, et per auctoritatem præceptionis, et per exemplum conversationis. Posterior pars cathedræ contemplatio est, quæ latet in abscondito; anterior pars prædicatio, quæ proponitur in manifesto. Duo pistillia quæ in posteriori parte consistunt, timor est et amor, quia, dum per contemplationem mentis ad ineffabilem Dei majestatem respicimus, timor nascitur; dum vero inenarrabilem bonitatem ejus consideramus, amor generatur: et subsistit contemplatio in iis quæ quasi retro sunt et videri non possunt, timori innixa et amori. Postea ex his duobus quæ in occulto contemplationis sunt, duo alia ad manifestum prædicationis procedunt, terror scilicet et blandimentum, quasi duo pistillia anteriorem partem cathedræ typicæ portantia, ut scilicet ex timore terror prodeat, et ex amore blandimentum procedat. Et in sinistra quidem parte timor posterius, et terror ante constituitur, ut in dextra amor retro, et blandimentum anteproponatur. Unde et ea quæ retrorsum consistunt, pistillia in altum porriguntur anteriora, quasi genibus coaptantur, quia timor et amor per contemplationem amplius in utraque parte concipiunt; terror vero et blandimentum in prædicatione, non quantum est semper, sed quantum expedit proferendo parvulis; et qui adhuc quasi genibus Ecclesiæ matris portantur,

condescendunt. Quod sedenti deorsum est, terrena significat. Sub ipso necessitas, in dextra prosperitas, in sinistra adversitas. Primum portat et premitur. Secundum astat et contemnitur. Tertium instat et superatur. Quod sedenti juxta est, præsentia vitæ est ædificatio, quod superius, futuræ exspectatio. Quod juxta est in dextra, boni operis cautelam significat. Quod in sinistra contra malum munimen circumspectionis designat. Quod sursum est retro est, quia quæ futura sunt non videntur (50).

Tit. LXXVI. *Quomodo sapientia vicit malitiam.*

Sapientia vincit malitiam. *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* viii). Sapientia Dei sicut testatur Apostolus (*I Cor.* i), Christus est. Hæc ergo sapientia malitiam vicit, quando per passionem carnis diabolum triumphans ab ejus potestate genus humanum eripuit. Sapientia malitiam vicit quia plus ad nostram salutem potuit Redemptoris gratia, quam ad perditionem valuisset malitia seductoris. *Attingens a fine usque ad finem fortiter*, quoniam et prius superbum de supernis expulit, et post apud inferos potenter avarum spoliavit. *Disponens omnia suaviter*, quia et patientiam cum consilio, et judicium cum ratione exhibet.

Tit. LXXVII. *De quinque statibus humanis.*

Quinque status habet vita humana, per quos (quia nunquam in eodem statu diu permanere poteat) sine intermissione mutatur, sive in melius proficiens, sive deficiens atque decrescens in pejus. Qui sunt gaudium vanitatis, dolor confusionis, gaudium consolationis, dolor exercitationis, gaudium felicitatis. Gaudium vanitatis est pro lucris temporalibus lætari. Dolor confusionis est pro damnis temporalibus contristari. Gaudium consolationis est ab impugnatione vitiorum quiescere. Dolor exercitationis est molestias tentationum sustinere. Gaudium felicitatis, internæ dulcedinis jucunditatem degustare. Per gaudium vanitatis plus elongat animam a Deo, quin tanto longius ab eo qui intus est, recedit, quanto avidius se ad delectationes exteriores effundit. Dolor confusionis malam quidem delectationem quasi foris præcidit, et animam intro redire compellit; quæ tamen ex ipso quod non sponte, sed quodammodo coacta ad semetipsam retruditur, nec perfecte vitium deserit, neque ad virtutis integritatem veraciter reparatur. Gaudium vero consolationis jam quodammodo mentem extrinsecus fovet atque componit, suadetque ut secum permanere eligat, neque extra diguetur quærere quod intus potest veracius atque securius possidere. Porro dolor exercitationis ita omnem exterioris delectationis memoriam ab animo secludit, ut dum suo intrinsecus dolori intendere engitur, quod foris sit delectabile minime recordetur. Postremo gaudium felicitatis hominem etiam seipsum oblivisci facit, quia, dum mens tota supernorum gaudiorum dulcedini inhiat super se elevata, non solum infimæ delectationis non meminit, sed ipsa quoque sibi quodammodo feliciter in oblivionem venit. Igitur gaudium vanitatis animum dispergit, dolor confusionis colligit, gaudium consolationis componit, dolor exercitationis ligat, gaudium felicitatis sanat. Fit tamen nonnunquam ut gaudium vanitatis vertatur quibusdam in gaudium consolationis, et econtrario gaudio consolationis quidam abutantur pro gaudio vanitatis. Rursum aliis dolor confusionis in dolorem exercitationis vertitur, et item aliis dolor exercitationis in dolorem confusionis.

Tit. LXXVIII. *De sex modis operandi.*

Sex sunt opera. Primum opus est de nihilo aliquid facere. Secundum opus est de aliquo facere aliqua secundum essentiam in majus. Tertium opus est de aliquibus facere aliquid secundum essentiam in minus. Quartum opus est de aliquo facere aliqua non in majus. Quintum opus est de aliquibus facere aliquid non in minus. Sextum opus est de aliquo facere nihil. Primum opus est creationis. Secundum opus est propagationis. Tertium opus est unionis. Quartum opus est separationis. Quintum opus est conjunctionis. Sextum opus est destructionis. Primum opus et secundum, et tertium tantum bona sunt. Quartum et quintum aliquando bona, aliquando mala; Sextum tantummodo malum est. Primum et secundum, et tertium soli Deo possibilia sunt. Quartum et quintum communia sunt Deo cum creatura. Sextum soli creaturæ [Creatori] competit. De nihilo enim aliquid facere solus Deus potest. Item de aliquo plus secundum essentiam, id est ut una essentia in plures exerescat, solus Deus facere potest. Item de aliquibus aliquid in minus secundum essentiam, id est ut plures essentiæ in unam redeant, solus Deus facere potest. Sunt qui negant aliquid crescere posse, nisi ei aliquid vel aliunde extrinsecus addatur, vel novum concreetur, sed non attendunt hi hoc vere incrementum non esse, in quo neque id quod additur, neque id cui additur, crescere probatur. Neque enim aliud conjuncta sunt, quam disjuncta fuerunt, sed forte impossibile videatur, ut de una simplici essentia plures essentiæ per incrementum prodeant, quia quod simplex est, nec minus esse quam est, nec plus esse potuit. Quid ergo dicimus plus esse inter nihil et aliquid, quam inter aliquid et amplius? Quem ergo confitemur creando de nihilo aliquid fecisse, cur negemus ipsum aliquid ad amplius extendere propagando? Sic est in opere unionis, cum plures essentiæ una fiunt. Quod licet a sensibus remotum sit, tamen in occulto naturæ sinu in elementis aliquando fieri, quam temerarium est asserere tam stultum negare. De nihilo aliquid factum est, quando *in principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* i). De aliquo plus, quando de costa viri facta est mulier, et quando de quinque panibus satiata

(50) De mutabilitate rerum temporalium. Vide inter Homilias, hom 13 in Ecclesiasten.

sunt quinque millia hominum. Nonne in sacramento corporis et sanguinis Christi quotidie plures essentiæ uniuntur cum substantia panis et vini, quæ ante benedictionis verba ab essentia corporis Christi veraciter aliud sunt, per ipsam benedictionem, Spiritu sancto mirabiliter operante, in ipsam corporis Christi substantiam convertuntur, ita ut post sanctificationem solum corpus Christi sit quod ante veraciter panis et vini substantia fuit? Neque hæc corpori Christi extrinsecus in augmentum accedunt, aut incorporantur, ut essentialiter diversa permaneant, sed in ipsum commutantur, ut essentialiter prorsus unum fiant. Hoc tamen opus divinæ potentiæ, utrum alias in natura alicubi modo occulto et incognito agatur, sicut asserendum non est, ita nec pertinaciter, cum res valde dubia sit, contradicendum. Hæc tamen veraciter fieri nullatenus dubitandum. Hæc itaque opera tria ad solam Dei potentiam pertinent. Quartum et quintum, id est de aliquo aliquid facere, nec in majus, nec in minus, ut verbi gratia, si aliqua in unum componantur, componentia composito æqualia sunt, et si unum in multa dividatur, dividentia diviso paria existunt. Hæc enim duo quæ solum creatura potest, id est vel separata conjungere, vel conjuncta separare cum Deo nobis communia sunt. Et ideo quando hæc a Deo fiunt, sine nobis bona ejus sunt. Quando a nobis sine Deo mala nostra. Quando a Deo nobiscum, vel a nobis cum Deo bona ejus et nostra. Sextum opus est id quod facere nihil esse; hoc Deus in se non potest, in creatura non vult. Angelus et homo in creatura non potest. In se aliquando potest et vult, aliquando potest et non vult, nunquam vult, et nunquam potest. Hoc tamen totum non quantum ad essentiam, sed quantum ad justitiam. Sic in Genesi Deus sex diebus operatus dicitur; et in Evangelio similiter sex opera misericordiæ numerantur, quia in senario perfectionis summa nec plus justo habens, nec minus, et signata est et contenta. Ergo non continebit in ira sua misericordias suas, quia bonitas usque ad quinque opera extenditur; malitia vero tantum per tria dilatatur.

TIT. LXXIX. *De fuga a vitiis et eorum occasionibus.*

Qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti (*Isa.* XXI). Quare, fratres, Scriptura sacra tantopere nobis fugam persuadet, nisi quia et nostram infirmitatem et periculi magnitudinem considerat? Sed quæ est fuga ista? Quid fugere debemus? aut quomodo aut quando? Tres sunt qui movent bella contra nos. Diabolus, caro, et mundus. Diabolus ducit contra nos agmina vitiorum, caro malorum desideriorum, mundus prospera et adversa. Felicius autem esset contra hæc omnia bene pugnare et vincere, sed qui infirmus est, expedit illi magis fugere et salvari, quam male pugnare et superari. Vitia igitur fugimus, quando peccati occasionem declinamus, ut in luxuria carnis societatem, in ira contentionem. Desideria fugimus, quando illorum irritationem cavemus, ne oleum projiciamus in ignem, et exardescat quod calet; prospera et adversa fugimus, quando nec ea quæ delectant requirimus, per cupiditatem timentes dissolvi, nec in ea quæ cruciant jactamur præsumptione frangi metuentes. Ecce diximus quid fugere debeamus et quomodo. Nunc consideremus quando fugiendum sit. Dicit Veritas: *Videte ne fiat fuga vestra hieme vel Sabbato* (*Matth.* XXIV). In hieme vias aut gelu exasperat, aut pluvia lubricos facit. Quid est ergo hiems nisi torpor mortis imminentis, quando dolor membra carnis constringit passione, et robur dissolvit compassione? Et quod est Sabbatum, nisi illud quod post mortem tempus sequitur, quando ab hac vita eductis operandi licentia tollitur, et ab eo quod fixum est, declinandi possibilitas omnino negatur? Si ergo fugere vis venturam iram, fuge dum sanus es, quia in morte fuga est gravis; post mortem vero non est omnino possibilis. Mala enim quæ in vita fugere noluisti, post mortem, etiam si volueris, declinare non poteris. Sequentur enim illic retributione quæ hic delectatione committuntur. Propterea hic fuge, dum potes; ne autem deficias in via, audi consolationem. Panes tibi offerentur. Reficieris, ne deficias. Nec exspectabis in fine viæ sed occurrent tibi ne deficias in via. Habitantes terram austri occurrent tibi cum panibus, si fugientem viderint. Occurrent compassione, reficient consolatione. Bonos consolatores habebis, habitantes terram austri. In austro splendor et calor est: splendor cognitionis, calor dilectionis. Terram austri inhabitant qui in cognitione et dilectione veritatis pausant. Isti abundant panibus verbi Dei, et reficiendis laborantibus accurrunt. Iste enim panis est, qui cor hominis confirmat, quia *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV). Iste panis cum sit unus, diversa tamen specie proponitur. Aliquando enim subcinericius dicitur, aliquando hordeaceus vel triticeus nominatur. Elias fugiens in deserto, subcinericio pane reficitur. Filii Jerusalem qui pacem inhabitant, adipe frumenti satiantur. Qui vero super fenum recumbunt, panem hordeaceum comedunt. Panis sub cinere, refectio est sub vilitate. Sunt quædam loca in Scriptura sacra, quæ vilitatem prætendunt in specie litteræ, sed dulcedinem servant in profunditate spiritualis intelligentiæ, hic est panis sub cinere, refectio sub vilitate. Vis ut ostendam tibi subcinericium panem? Legis in Scriptura sacra quomodo Rachel et Lia sorores duæ pro viro Jacob una contendunt, utra illarum potius concubitu ejus potiatur. Magna hic species vilitatis, magnus cumulus cineris, magnus acervus terrenitatis. Revolve cinerem, scrutare interius, panis ibi latet, refectio abscondita est. Vide ecce panem discoopertum, duæ sorores duas vitas significant. Lia quæ interpretatur *laboriosa*, significat vitam activam, quæ est fecunda in fructu boni operis, sed parum videt in luce contemplationis. Rachel quæ interpretatur *visum principium*, designat vitam con-

templativam, quæ est sterilis foris in opere, sed perspicax in contemplatione. In his duabus vitis quasi quædam contentio est animæ sanctæ alternatim nitentis ad amplexum Sponsi sui, id est Christi, sapientiæ videlicet Dei, quæ animam sanctam ad prolem fecundat virtutum. Contendunt ergo contemplatio et actio pro amplexu sapientiæ. Qui in contemplatione est suspirat pro sterilitate operis; qui in opere est, suspirat pro jubilo contemplationis. Uterque quasi abjectum se gemit in comparatione alterius, et fit contentio desideriorum spe et timore utrumque concitante. Ecce invenisti panem sub cinere, reficere et delectare. Non attendas quod foris apparuit in cinere, sed quod intus latuit in refectione. Vis adhuc videre panem sub cinere, dum latuit, vilem; dum patuit, dulcem? Christus sub mortalitate panis est sub cinere. Vides foris infirmitatem nascentis, vagientis, plorantis angustias cunarum, vincula fasciarum. Totum hoc cinis est, terrenum et infirmum. Sub hoc cinere tamen latuit Verbum, refectio angelorum et hominum. Lassescentem vides, esurientem et sitientem, flentem, compatientem et patientem, morientem et carne deficientem. Et hæc omnia quid fuerunt nisi cinis, indicia corruptionis, signa mortalitatis? et latuit sub his virtus Deitatis, quam qui evolvere potuerunt saturari meruerunt. Ecce quomodo tibi Scriptura panem subcinericium proponit. Vides alibi eloquium sacrum, secundum litteræ superficiem, durum, quasi paleam tenacem habens, ubi vix ad medullam spiritualis intelligentiæ penetrari possit, hic est hordeum. Palea quidem cum labore excutitur, sed cum ad interiora perveneris, dulcedo confortans invenitur. Invenis alibi sacram Scripturam, et levitate verborum, et suavitate intellectuum blandientem. Hinc et triticum, in quo mentibus suaviter nutriendis dulcis refectio præparatur. Ista tria genera panis in mensa Dei proponuntur propter tria genera reficiendorum. Panis subcinericius datur pauperibus, panis hordeaceus servis, panis triticeus filiis. Pauperes in mensa Dei sunt, qui semetipsos despicientes exemplo humilitatis et abjectionis pascunt. Servi in mensa Dei sunt, qui in studio spiritualis exercitationis constituti, fortia quæque et obscuriora Scripturarum loca, quasi excussa palea detegentes, cum labore ad medullam spiritualis intelligentiæ gustandam perveniunt. Filii in mensa Dei sunt qui in suavitate dulcedinis æternæ requiescunt. De pauperibus dictum est: *Edent pauperes et saturabuntur* (*Psal.* XXI). Si ergo pauperes edunt, qui solo merito pietatis pascuntur, multo magis servi, et filii qui pro merito boni operis præmio recompensationis dilectionis reficiuntur. Pauperibus proponitur panis subcinericius, ut eos reficiat per exemplum conversationis. Servis proponitur panis hordeaceus, ut eos reficiat per formam fidei. Filiis proponitur panis triticeus, ut eos reficiat per incitamentum dilectionis, pauperes ad consolationem, servos ad corroborationem, filios ad exsultationem.

Tit. LXXX. *Quod non solum corde tenenda, sed et ore confitenda sit fides Christiana. ad archiepiscopum Hispalensem, qui eam ore negaverat.*

Joanni Hispalensium episcopo Hugo servus Christi, etc. *Vide supra inter epistolas Hugonis.*

Tit. LXXXI. *De eo quod scriptum est: « Cum esset Jesus annorum duodecim » quomodo Verbum caro factum nobis remedium præstat et exemplum. De Jerusalem quæ descendit de cœlo; de confessione et veritate, quæ de terra oritur, et quomodo prosit.*

Cum esset Jesus annorum duodecim, etc. (*Luc.* II). Sicut mundus iste dupliciter servit homini, ad sustentationem scilicet carnis et ad eruditionem mentis, sic Verbum caro factum remedium præstat et exemplum. Remedium in eo quod oblatum est ad redemptionem; exemplum, in eo quod operatum est ad imitationem: remedium in eo quod factum est, exemplum in eo quod fecit. Imitatio ejus similitudo ejus.

Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam, descendentem de cœlo (*Apoc.* XXI). De cœlo descendit, et fabricata est in terra. De cœlo forma, de terra materia. Sic forma hominis homo, et forma Christi Christus. Unde illud: *Induimini Dominum Jesum Christum* (*Rom.* XIII); formam igitur, id est imaginem Christi. Ipsa imago et ipsa est imitatio. Idcirco factus est tibi exemplum, ut tu illum imitando indueres. Fecit corporaliter, tu spiritualiter imitare. *Etsi*, inquit, *Christum secundum carnem cognovimus, jam non cognoscimus* (*II Cor.* V). In exemplo secundum carnem cognovimus, imitatione secundum carnem jam non cognovimus. Secundum carnem Christus natus est in mundo; secundum spiritum veritas nascitur in corde tuo. Christus in Judæa nascitur de Virgine, et veritas in confessione nascitur de puritate. *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit* (*Psal.* LXXXIV). Quando confiteris peccata tua, veritas de terra oritur; quando vero confitenti ignoscit Deus, respicit justitia de cœlo. Vis ut Deus tecum sit, confitere quod es. Cum verax esse cœperis, veritas tecum esse incipit. Dic: Malus sum. Breve verbum est, sed verum. Veritas te veracem faciet. Si veritas tecum est, Deus tecum est, quia Veritas est Deus. Ecce quomodo in Judæa nascitur Christus, in confessione veritas. Mater Virgo puritas est cordis, cum corde credis quod ore confiteris. In confessione criminis puritas est sine ruga; in confessione laudis puritas est sine macula. Si bonum non simulas, non habes rugam. Si malum odis, non habes maculam. Sic veritas in te desiderio concipitur, opere nascitur, studio nutritur, ut proficiat ætate in processu temporis, sapientia in augmento cognitionis, gratia in incremento virtutis. Apud homines in fama, apud Deum in conscientia. Apud homines ut cognoscatur, apud Deum ut glorificetur. Duodecim annorum in Jerusalem ascendit, quia post perfectionem operis et duplica-

tam virtutem charitatis, ad pacem contemplationis proficit. Parentes Jesu ab Jerusalem itinere unius diei redeunt, quia sensus carnis, qui per exercitium boni operis internam veritatem nutrivit, per exteriorum delectationem retracti diu in interna pace persistere non possunt. Unus dies, una claritas, unum gaudium, una benedictio, quam Esau accipit, quia duplicem stolam non potuit promereri. Hic est ille unus dies, in quo puer unius diei sine peccato esse non potuit super terram, quia sensus carnis, qui quantum ad se semper puerilia appetit, hujus tantum vitæ claritatem amans, in ea nunquam sine peccati macula consistit. Non enim venit ad alium diem, de quo dictum est: *Annuntiate diem de die* (*Psal.* XCV). Et iterum: *Dies super dies regis adjicies* (*Psal.* LX). Propterea unius diei iter est elongantibus ab Jerusalem, quia delectatio præsentium elongare facit animos a contemplatione æternorum. Post triduum Jesus in templo invenitur, quia post correctionem cogitationis, locutionis et operis, veritas in corde mundo percipitur. Invenitur autem inter doctores et sapientes, quia in lege, et prophetis, et evangelistis, et apostolis et sacri verbi doctoribus veritas cognoscitur.

Tit. LXXXII. *De nuptiis factis in Cana Galilææ, et de hydriarum typo.*

Implete hydrias aqua (*Joan.* II). Galilæa interpretatur, *transmigratio*. Vita ergo præsens Galilæa est transmigrans de præsentibus ad futura. In Galilæa nuptiæ fiunt, quia in transitu temporis sanctificatur copula permansuræ dilectionis Ecclesiæ ad Christum, animæ ad Deum. Sex hydriæ sex sunt ætates in mundo: Prima, ab Adam usque ad Noe; secunda, a Noe usque ad Abraham; tertia, ab Abraham usque ad David; quarta, a David usque ad transmigrationem Babylonis; quinta a transmigratione Babylonis usque ad Christum; sexta, a Christo usque ad finem sæculi. In vita hominis prima est infantia, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta juventus, quinta virilis ætas, sexta senectus. Prima, id est infantia, quasi quodam diluvio lubricæ oblivionis obruitur, ut non videatur in posterum, nec vestigia sui ulla relinquat. Secunda, id est pueritia, primum de diluvio oblivionis ad sensum exiens, per superbiam erigitur, et per concupiscentiam dividitur et dispergitur. Tertia, id est adolescentia, primum per cohibitionem disciplinæ circumciditur, deinde præceptis informatur et consilio regitur. Quarta, id est juventus, servire jam cogitur, et subjicitur regimini, ut per timorem hominis divinum discat. Quinta, id est virilis ætas, post timorem hominis ad divinum venit. Sexta, id est senectus, quasi hinc mox abitura concupiscentia futurorum trahitur. Sic humanum genus primo diluvio obrutum est. Secundo, in ædificatione elatum et in divisione linguarum dispersum. Tertio, in Abraham circumcisum, in Moyse præceptis informatum, sub judicibus consilio gubernatum. Quarto, sub regibus dominationi subjectum. Quinto, sub pontificibus religioni parens. Sexto, sub gratia vera bonitate illustratum. Istæ sex hydriæ sive in decursu sæculi præsentis, sive in vita hominis, omnes aquis implentur, quia judicio plenus est mundus. *Judicia tua abyssus multa* (*Psal.* XXXV). Multa operatus est Deus ab initio sæculi, et operari non desinet usque ad finem ejus, et circa hominem a principio usque ad finem ejus, et omnia hæc judicium sunt, et nihil sine causa fit. Sed quandiu dicere non potest homo judicia tua jucunda, nondum aqua in vinum conversa est. Deficiente vetere vino hydriæ aqua implentur, quia cum in vita hominis carnales delectationes deficiunt, divinæ consolationes succedunt. Quæ quidem ministrantibus minus saporis conferunt, proficientibus amplius dulcescunt, quia tunc aquæ in vinum convertuntur, quando in mente hominis opus Dei, quod laboranti primum non sapuit, per spiritalem intelligentiam illuminato dulcescit.

Tit. LXXXIII. *De theophania multiplici, et in quibus est præcipua divina apparitio.*

Theophania est apparitio divina, ipsa est similitudo divina, in qua apparet et manifestatur Deus. Si quis omnem creaturam theophaniam dixerit, non errabit. Theophania potentiæ est creaturarum magnitudo: theophania sapientiæ, creaturarum pulchritudo; theophania bonitatis, creaturarum utilitas. Omnis creatura aliquam similitudinem habet cum Deo. Prima similitudo creaturæ ad Deum est quod est. Secunda quod una est, quia omne quod est in hoc est quod unum est. Sed ex iis quæ sunt et unum sunt, alia ex uno sunt, ut naturaliter simplicia, alia ex pluribus, ut composita. Illa autem, quæ et sunt et unum sunt et ex uno sunt, magis Deo similia sunt, præcipue si unitatem suam, quam ex pluribus non colligunt, ad plura non effundunt. Tales sunt naturæ spirituales, quæ magis ad similitudinem Dei accedunt; quæ nec ex pluribus sunt, quia sunt natura simplicia, nec plura ex ipsis, quia non possunt esse materia. In his duo posuit Deus ad materiam, duo ad formam: vitam et sensum ad materiam, cognitionem et dilectionem ad formam. Ad vitam cognitionem, ad sensum dilectionem. Hæc duo suprema et Deo proxima sunt, et expressa imago: cognitio veritatis, et amor virtutis.

Tit. LXXXIV. *De tribus voluntatibus in Christo.*

In Christo carnis infirmitas passionem horruit. Sed erat spiritus medius inter Deum et carnem, qui voluntatem carnis Patris voluntati subjecit. Cum ergo Christus dixit: *Pater, si possibile est, transfer a me calicem istum* (*Matth.* XXVI), professus est quod sensit in carne. Cum vero dixit: *Non mea voluntas, sed tua fiat* (*ibid.*), professus est quod deliberavit in spiritu. Erat voluntas Patris, ut Christus moreretur; erat voluntas carnis, ut a morte liberaretur; erat spiritus medius dominans carni, obediens Patri. Voluntas Patris dispensatio erat, voluntas carnis natura erat, voluntas spiritus virtus erat. Ideo voluntas Patris honorabatur, volun-

tas carnis dirigebatur, voluntas spiritus coronolatur.

Tit. LXXXV. *Quod Christus se hominibus in humanitate exhibuit, qui ab eis in divinitate non poterat comprehendi.*

Dei sapientia, per quam homo factus fuerat, ut in illa beatus esset, lapsum hominem perdere noluit, et cum illa sursum esset majestate, ille deorsum jaceret infirmitate, descendit ad eum quo ceciderat, ut levaret eum ad id unde ceciderat. Sapientia igitur sursum panis erat, et versa est deorsum in lac. In divinitate panis, in humanitate lac; et nutritus est parvulus sensus lacte humanitatis, ut crescens et convalescens capere posset cibum divinitatis. Christus ergo in cœlo panis, et in terra lac. Christus in cœlo ex Patre sine matre Deus: Christus in terra ex matre sine patre homo. In cœlo qualis Pater, talis Filius, in terra qualis mater, talis filius. In cœlo cum Patre æternus et immensus; in terra cum matre incorruptus et mansuetus. In cœlo cum Patre incorruptus et sublimis; in terra cum matre virgo et humilis. In cœlo imago Patris; in terra imitator matris. Mater virgo erat, et humilitate exsultabat, et filios Virginis virgo humilitatem commendabat. Illa virgo humilitatem suam s Deo respectam asserebat; ille virgo se humilem et mansuetum ostendebat. Talis ergo Agnus, qualis mater Agni; ex munda mundus, ex Virgine incorruptus, per Virginem veniens ad nos, per virginitatem præcedens nos. Per incorruptionem ergo venit, ut peccatum tolleret; per incorruptionem præcessit, ut virtutem demonstraret. Venit incorruptus, ut conferret remedium; præcessit incorruptus, ut daret exemplum. Si ergo venire non possumus qua venit, sequamur qua præcessit, ut adipisci mereamur quod promisit, ut cibum lactis in humanitate Christi sumamus mundi corpore; cibum vero panis in divinitate Christi sumamus mundi corde: mundi corpore per virginitatem, mundi corde per humilitatem, ut qui in utroque incorruptam habuit originem, in utroque inveniat mundam habitationem.

Tit. LXXXVI. *Quomodo Christus dixit: s Pater meus.*

Unus homo dixit: *Pater meus* (*Joan* v). Qui hoc non dixisset, si plusquam homo non fuisset. In eo enim quod homo, fratres habuit, et dicere habuit, *Pater noster*; in eo autem quod supra hominem unicus fuit, et dicere potuit: *Pater meus*, et *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* vi).

Tit. LXXXVII. *Quare idem Deus, et homo.*

Deus homo factus est, ut idem esset Redemptor qui Creator, et ut de suo liberaretur homo, et ut familiarius ab homine diligeretur, Deus in similitudine hominis apparens, et uterque sensus in ipso beatificaretur, et reficeretur oculus cordis in ejus divinitate, et oculus corporis in ejus humanitate ut sive ingrederetur, sive egrederetur in ipso pascua inveniret natura condita ab ipso.

Tit. LXXXVIII. *Mysterium de purificatione Mariæ.*

Senectus Simeonis defectus est veteris hominis; bajulatio Christi pueri, assumptio novi; gaudium Simeonis, oblatio Salvatoris; purificatio Virginis, devotio mentis, exhibitio operis, consummatio virtutis.

Tit. LXXXIX. *De Dei, mulieris et diaboli, de mortis incurrenda assertione.*

Dominus dixit: *In quacumque die comederis ex eo morte morieris* (*Gen.* iii). Mulier dixit: *Ne forte moriamur* (*ibid.*). Diabolus dixit: *Nequaquam moriemini* (*ibid.*). Dominus affirmavit, mulier dubitavit, diabolus negavit. Qui ergo dubitavit, ab affirmante recessit, et neganti appropinquavit. Si mulier non dubitasset, forte diabolus non negasset. Sed dedit audaciam, quæ incohavit malitiam.

Tit. XC. *De pœnitentia Dei et amore ejus in creaturas vario.*

Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, et præcavens in futurum (51): *Delebo*, inquit *hominem, quem creavi, a facie terræ.* (*Gen.* vi). Primum considera quod non facile pietas provocatur ad iram sui vindictam, nisi multa fuerit malitia nostra. Cum autem nos a bono, in quo ab illo facti sumus, mutari cœperimus, tunc ipsum pœnitet super nos, ne ad bonum, ad quod facti sumus, perveniamus. Pœnitentia autem ejus non est mutatio intentionis a primo proposito, sed mutatio operis a primo instituto. Et nota quod, pereunte homine, Deus dolore cordis intrinsecus tangi dicitur. Ibi enim dolor fuit, ubi amor; amat enim Deus universa, quæ fecit. Quia vero cætera omnia ab ipso amantur, sed ad ipsum possidendum non amantur, rationalis autem creatura, et quod facta est, ab ipso diligitur, et ad quod facta est. In ipso pereuntis hominis dolor Creatorem intrinsecus tetigit in corde, ubi stantis et bene succedentis amor fuit. Sunt enim tria quædam genera rerum, unum a conditione lapsorum, alterum in conditione stantium, aliud supra conditionem provectorum. Prima amantur quæ facta sunt, sed quasi corde non amantur, quia postea mala effecta sunt. Sicut scriptum est: *Dispersit superbos mente cordis sui* (*Luc.* i). Secunda amantur, quod facta sunt; et corde amantur, quod bona sunt. Sed tamen illorum amor quasi in corde foris est, quia amantur, quod sunt ab ipso bona; sed non amantur, ut sint in ipso beata. Amor ergo hominis intus in corde Creatoris fuit, quoniam in tantum homo ab ipso dilectus est, ut et ob ipso esset bonus, et in ipso beatus. Amor ergo hominis intus fuit, et ibi dolor fuit,

(51) Vulgat. non habet *et præcavens in futurum.*

ubi amor fuit. Sed quid quoddicitur *præcavens in futurum?* Nunquid Deus aliquando incautus fuit, ut faceret quæ facienda non erant, ut postea considerans quæ non bene fecerat, de factis pœniteret, et facienda caveret? Sed sciendum est quod sicut pœnitentia Dei non est mutata voluntas in approbatione faciendi, sed ordo mutatus in institutione facti, sic cautela ejus non est præsidentis circumspectio, sed subjectorum correctio. Nam in malo faciendo tam cavet qui terret ne fiat, quam qui timet ne faciat.

TIT. XCI. « *Exi de terra tua et de cognotione tua.* » *Sermo ad fratres.*

Exi de terra tua, et de cognotione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi (*Gen.* XII). Quia, fratres, scientibus enim legem Dei loquimur, sermo noster ad vos doctrina non est, sed exhortatio. Vos enim Scripturas nostis, et virtutem earum. Virtus enim verbi experientia est rei, et efficacia sermonis exhibitio operis. Vos igitur non erratis nescientes Scripturas, neque virtutem earum. Scripturas enim nostis per studium lectionis; virtutem earum per disciplinam operis. Scripturas nostis, audiendo Christum loquentem; virtutem earum, imitando facientem. In dictis ejus invenistis intelligentiam Scripturarum; in factis ejus virtutem earum. Nostis ergo Christum non solum audiendo, sed etiam experiendo. Nostis non solum secundum carnem, sed etiam secundum majestatem. *Et si cognovimus*, inquit Apostolus, *Christum secundum carnem, jam non novimus* (II *Cor.* V). In utroque experti estis Christum, et nostis Christum secundum carnem et secundum majestatem. Olim cognovistis Christum secundum carnem, nunc cognoscitis Christum secundum majestatem. Christus secundum carnem est Christus in passione. Christus secundum majestatem est Christus in resurrectione. Christum in cruce experti estis compatientes. Christum in majestate experti eritis consurgentes. Vos enim estis sponsa illa et dilecta illa quæ dilectum noverat, et experta dicebat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi* (*Cant.* I). Hoc est Christus secundum carnem. Et rursum: *Botrus cypri* [*Cypri*] *dilectus meus mihi* (*ibid.*), hoc est Christus secundum majestatem. Fasciculus myrrhæ Christus in passione. Botrus cypri Christus in resurrectione. Fasciculus myrrhæ amaritudo passionis. Botrus cypri dulcedo resurrectionis. Fasciculus myrrhæ multitudo passionum. Botrus cypri abundantia gaudiorum. Illic amaricans, hic inebrians. Tamen vos fasciculum myrrhæ inter ubera posuistis, quia passionem Christi cum gaudio et dilectione suscepistis. Vos Christum patientem non solum in corpore, sed etiam in corde portatis, quia passionis ejus imitationem animo dilectionis suscepistis. Quod ergo Christum secundum carnem cognovistis jam non cognoscitis, quia transitorium est quod in passione, sed permansurum quod est in resurrectione. Cognovistis ergo et jam non cognoscitis quia instat, ut transeat dolor passionis, quem suscepistis in carne compatientes, et instat ut consummetur gaudium resurrectionis, quod percepistis animo consurgentes. Instat ut transeat dolor passionis, sed non instat ut transeat dilectio patientis. Transit a carne passio, sed non transit a corde dilectio. Ideo *fasciculus myrrhæ inter ubera commorabitur* (*Cant.* I). Ibi enim est cor; et ubi cor ibi dilectio est: et ubi dilectio est, ibi dilecti mansio est. Vos ergo fratres, qui sponsa Christo estis dilecta, fasciculum myrrhæ habetis Christum patientem, et botrum cypri Christum resurgentem. Propterea opus non habetis doceri de ipso, docti ab ipso, quia *unctio ejus docet vos de omnibus* (*I Joan.* II), et verbum ipsius, quod sonat in auribus vestris, et sapit in cordibus vestris.

Non igitur verba nostra ad doctrinam nostram sufficiunt, sed verbum ipsius per nos transeat ad vos, ut ipsius gratia a vobis redundet usque ad nos. Hoc enim est verbum ejus ad vos, quod dictum est propter vos: *Exi de terra tua*, etc. Jam olim dictum erat, et voluit ipse vobis dici quod dictum erat, ut sciatis etiam, hoc ad vos pertinere quod dictum est. Erat quidem unus tunc, cui dictum est; sed ille ad unam hanc pertinebat, in qua vos unum estis de qua scriptum est: *Una est amica mea, columba mea, perfecta mea* (*Cant.* VI). Et ille tunc alienus erat, qui in alieno erat, et vocatus est, ut inde exiret, et proximus fieret et dilectus et amicus. Ille quidem jam tum dilectus erat, quia diligebatur, a quo vocabatur; sed amicus non erat, quia non diligebat, quem non cognoscebat. Et ideo non diligebatur, quod erat alienus, sed quod futurus erat proximus et amicus. Erat enim tunc in Ur Chaldæorum, in igne videlicet et incendio dæmonum; quod est concupiscentia et delectatio terrenorum. Et ipsum incendium fuscaverat illum, et nigrum fecerat, ut non esset amabilis. Et ideo vocabatur, ut de incendio exiret, et veniret in refrigerium, ut dealbari posset et candidus fieri, ne semper esset odibilis. Propterea dixit: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi.* De terra exire est, ea quæ foris possidentur, terrena bona relinquere. De cognatione exire, est iis, quæ in nobis et nobiscum orta sunt, vitiis abrenuntiare. De domo patris exire est, spretis omnibus propter Deum, postremo semetipsum abnegare. Domus enim patris nostri ipsum est cor nostrum, quoniam pater noster habitat in nobis. Pater noster primus diabolus fuit, secundum nativitatem, qua nati sumus. Pater noster secundus Deus est, secundum nativitatem qua renati sumus. Et vult uterque pater habitare in filiis suis. Diabolus in filiis iræ, Deus in filiis gratiæ. Quando ergo in Ur Chaldæorum fuimus, cor nostrum domus diaboli fuit: quoniam ipse tunc in nobis habitavit, et fuimus universi filii Beor, quod dicitur *habitantis in*

pelle. Non enim habitare potest nisi in pelle pater iste, quia corda carnalium amat, et in eis solum requiescit, quia *sapiunt ea quæ sunt carnis, et ambulant secundum carnem* (*Rom.* VIII). Hæc est pellis domus patris nostri primi, de qua jubemur exire, ipsum videlicet cor nostrum, et desideria ejus mala relinquere. Hoc est enim de corde exire, elongari a desideriis ejus, et peregrinari ab ipsis, ut non simus consensu, ubi illa sunt; sed proposito sanctitatis tendamus ad terram, quam monstrabit nobis Deus ut primum propter Deum abjiciamus nostra, deinde relinquamus et nos. Sic enim demum demonstrabitur nobis terra visionis a Domino, in qua ipse videbitur Dominus, quam in repromissionem posuit filiis, lacte et melle manantem: lacte in contemplatione humanitatis, melle in contemplatione divinitatis. Propterea enim Deus honorificatus est, ut totum hominem in se beatificaret, ut tota conversio hominis esset ad ipsum, et tota dilectio hominis esset in ipso. Si enim Creator hominis Deus esset, et Deus homo non esset, esset in ipso, quod sensu mentis videretur, sed quod sensu corporis perciperetur, non esset; et sustineret sensu carnis perpetuum opprobrium absentiæ Creatoris, et esset in abjectionem semper oberrans in creaturis, et non attingens ad Creatorem suum. Ne igitur sensus carnis in homine opprobrium istud in perpetuum portaret semperque merito illi diceretur, *Ubi est Deus tuus* (*Mich.* VII), si nunquam ad Creatorem sui contemplationem admitteretur, assumpsit Creator carnem; quæ a sensu carnis in ipso videretur per carnem, ut carnis cibus esset lac in contemplatione carnis, mentis cibus mel in contemplatione divinitatis. *Et egrederetur et ingrederetur, et pascua inveniret* (*Joan* X). Pascua foris in carne Salvatoris, pascua intus in divinitate Creatoris. Et Salvator et Creator unus unum gaudium esset et in lacte carnis, et in melle divinitatis. Quod, etc. Amen.

TIT. XCII. *De duplici vita animæ.*

Duplex est vita animæ: alia, qua vivit in Deo; alia, qua vivit in carne. Ubi vivit, ibi sentit; ibi dolet cum læditur, et gaudet cum fovetur, quia unus est locus gaudii et doloris. Nec dolor est, nisi ubi gaudium fuit et amor, quoniam dolor non est, nisi, cum læsus fueris, ubi gaudes, sublato gaudio. Qui vero in carne vivunt, in carne sentiunt; et illis dolor carnis gravis est, quia suave erat gaudium illius. Dolores vero animæ non sentiunt, quia mortui sunt intus, ubi vivere debuerant in Deo. Idcirco, cum læditur caro, grave existimatur ab illis, et fugiunt, quantum possunt, dolores illius. Vulnera autem animæ ignorant prorsus, et non quærunt medicinam in illis, quia ibi sensum doloris non habent. Cum autem mortuus fuerit sensus animæ, quo vivit in carne, tunc vivificari incipiet ille sensus, quo sentiet semetipsam; et tunc sciet vulnera sua et sentire incipiet dolores suos tanto gravius, quanto propius, quia quod magis intimum est, magis nocet malum, magis prodest bonum. Unde dicit: *Arguam te, et statuam contra faciem tuam* (*Psal.* XLIX).

TIT. XCIII. *De conscientia et fama.*

Duo sunt: Conscientia et fama. Conscientia oleum in vase: fama lumen in lampade. Propter conscientiam ingredimur, propter famam egredimur. Intus reficimur salute propria, foris reficimur ædificatione aliena. Intus *cupio dissolvi, et esse cum Christo* (*Philip.* II). Foris *manere in carne necessarium propter vos* (*ibid.*) Conscientia *irriguum superius*, fama *irriguum inferius* (*Judic.* I). Ad conscientiam meditatio; ad famam prædicatio. Ad conscientiam silentium, ad famam verbum. Per silentium, seminas agrum tuum; per verbum, seminas agrum proximi tui. Cum in tui ædificatione proficis, metis agrum tuum; cum de profectu alieno meditaris, metis agrum proximi tui. In tempore otii primum lectio cognoscendæ veritatis et exercendæ virtutis materiam tribuit; deinde meditatio formam apponit. In tempore laboris primum opus exemplum tribuit, postea verbum doctrinam proponit, sicut scriptum est: *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Ideo prius tempus otii, postea tempus laboris.

TIT. XCIV. *De duplici vetustate*

Duo homines veteres in nobis erant, interior per iniquitatem, exterior per mortalitatem. Christus autem carnem cum mortalitate assumpsit, animam sine iniquitate. Vetustatem autem carnis suæ per crucem hoc ordine disposuit; primum ligatus est, postea crucifixus. Sic et nos vetustatem interioris hominis hoc est iniquitatem hoc ordine destruere debemus: primum eam foris per disciplinam ligando, ut operari non possit; deinde interius omnino crucifigendo et interficiendo, ut jam prorsus non sit. Sic prius studio nostro, cooperante gratia Dei, in nobis destruenda est iniquitas, ut per eamdem gratiam postea in nobis sine nostra cooperatione et ipsa destruatur mortalitas.

TIT. XCV. *De tribus locis filiorum Israel, Ægypto, deserto, et terra promissionis.*

In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro (*Psal.* CXIII). Tria sunt loca, Ægyptus, desertum, et terra promissionis. In Ægypto sumus servi et miseri. In deserto sumus miseri. In terra promissionis liberi et beati. In Ægypto saturamur et cædimur. In deserto esurimus; non tamen flagellamur. In terra promissionis non flagellamur et saturamur. Sed nobilis interim animus eligit magis inopiam cum libertate, quam in servitute abundantiam. In Ægypto peccamus, in deserto laboramus, in terra promissionis requiescimus. In Ægypto est prævaricatio, in deserto exercitatio, in terra promissionis sabbatizatio. In principio mundi primum creavit Deus confusionem. Postea operatus est dispositionem. Deinde suscepit requietionem. Populus antiquus in Ægypto operatus est iniquitatem. In deserto accepit exercitationem. In terra promissionis invenit requiem. In vita sæculari confusio est, in conversa-

tione spiritali exercitatio est, in vita cœlesti requietio. In carne peccatum, in spiritu exercitium, in Deo Sabbatum. Ægyptus est vita sæcularis, desertum vita spiritualis, terra promissionis vita cœlestis. Ægyptus caro, desertum animus, terra promissionis Deus. Ægyptus Jericho, desertum stabulum, terra promissionis Jerusalem. Ægyptus mundus, desertum Ecclesia, terra promissionis vita æterna. In Ægypto servimus Pharaoni, id est diabolo, qui *Pharao* interpretatur, negans eum scilicet et Dominum, qui dixit : *Dominum non cognovit et Israel non dimittam* (*Exod.* v). Huic servimus in Ægypto, in luto et palea. Lutum est concupiscentia carnis. Palea est pompa sæcularis. Illa perimmunditiam inquinat. Hæc per mutabilitatem et instabilitatem transvolat. Propterea exeuntes ab Ægypto, et per mare Rubrum, id est baptisma sanguine Christi rubricatum, ad libertatem transituri, abdicamus servitium Pharaonis, abrenuntiantes diabolo, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus. In luto operibus, et in palea pompis. Exeuntes ab Ægypto in desertum relinquimus mala, ut non consentiamus. Exeuntes a deserto in terram promissionis evadimus, mala ut non sentiamus. In Ægypto est pugna sine victoria, vel servitus sine pugna. In deserto est pugna sine victoria, vel victoria cum pugna. In terra promissionis est sine pugna victoria. In Ægypto sunt delectationes malæ et multæ, non tamen solæ. In deserto sunt delectationes bonæ et paucæ, non tamen nullæ. In terra promissionis sunt delectationes, et bonæ, et multæ, et solæ.

TIT. XCVI. *De duobus discipulis currentibus ad monumentum Domini responsio epistolaris.*

Quæris quid significet illud quod scriptum est de duobus discipulis currentibus ad monumentum, Joanne et Petro, videlicet quod qui prius venit, posterius intravit, Scriptum est enim : *Currebant duo simul; et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro et venit prior ad monumentum ; et cum se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamen introivit* (*Joan.* xx). Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita, et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat prior ad monumentum. Potest ergo convenienter per Joannem, qui prior venit, posterior intravit, Synagoga ; per Petrum autem, qui posterius venit, sed prius intravit, Ecclesia gentium designari, quia et illa prius in lege mysterium incarnationis ac passionis Dominicæ accepit, sed in mortuum credere noluit : et ista posterius secuta Mediatorem Dei et hominum, et cognovit carne mortuum et viventem credidit Deum. Bene autem postquam Petrus intraverat, tunc etiam Joannes intrasse dicitur, quia cum *plenitudo gentium intraverit* (*Rom.* xi), tunc et Judæa in reliquiis suis ad fidem colligetur. Prius ergo Joannes linteamina vidit postea intravit, quia Synagoga prius, sicut dictum est, in Scripturis prophetiam de venturo accepit, quem tamen venisse usque ad circa finem sæculi credere renuit. Petrus autem prius intrat, postea linteamina conspicit, quia Ecclesia gentium non per prophetas ad fidem Christi, sed per fidem Christi ad intelligentiam prophetarum pervenit.

Hæc, frater, breviter explanata ad præsens tibi sufficere crederem, nisi aliud aliquid adhuc quod ad reformationem morum pertineat quærere te in hujus facti figura non dubitarem, maxime quia opus tibi non fuerat hanc expositionem a me quærere quam poteras sine mea doctrina in explanationibus Patrum alibi sufficienter invenire. Dicam ergo quid mihi in hoc facto moraliter figurari videtur. Duo isti electi discipuli, qui, audita resurrectione Domini, simul ad monumentum currunt, sed non simul perveniunt duas animæ affectiones mihi figurare videntur, desiderium videlicet et consilium. Nam quid est aliud quod discipuli audita resurrectione ad monumentum currunt, nisi quod animus cum gloriam resurrectionis audit, imitari passionem appetit? Et quid est, quod ille alter discipulus præcucurrit citius Petro, nisi quod amore Salvatoris succensi plus per desiderium cupimus, quam per consilium præsumamus? Præcurrit ergo desiderium rationem consilii, quia qui omnia per charitatem vellet pro amore Redemptoris perpeti per considerationem infirmitatis suæ quodammodo tardatur, ut non audeat temere de suis viribus gloriari. Prius ergo per desiderium ad monumentum venimus, sed visis linteaminibus ante consilium intrare non præsumimus, quia licet mens nostra se per charitatem spontaneam ad passiones offerat, considerata tamen difficultate earumdem passionum, quantum impar sit nostra infirmitas ad illarum tolerantiam videmus. Hoc est enim quodammodo visis linteaminibus subsistere visis difficultatibus passionum, imparem se ad eas sustinendas judicare. Sed postquam consilium posterius veniens prius intraverit, tunc et desiderium sequitur, quia postquam mens deliberat, in illo confidendum esse, qui prior vicit, tunc amor in omnibus per spem divini adjutorii ad tolerantiam animatur; jamque intrepidus monumentum ingreditur, quia vitam præsentem libenter pro eo despiciens, tanto se ad mortem offert paratius, quanto certius didicit per resurrectionem sui capitis ingressum vitæ esse mortem carnis.

Quod autem ingressi monumentum, sudarium quod erat super caput Jesu, a cæteris linteaminibus separatum inveniunt, quid aliud significat, nisi quod nos, qui peccatores sumus, si etiam mortem pro ejus amore valemus perpeti, cognoscimus tamen quod nostra mors morti ejus non valet digne coæquari, qui sine peccato passus est? Hoc paschale ferculum, frater charissime, missum tibi benigne suscipe, et ora pro me misericordiam Domini quatenus ejus gratia largiente in his paschalibus festis vetus in me homo moriatur, et novus resurgat. Amen.

TIT. XCVII. *De duobus discipulis currentibus ad monumentum, altero epistola.*

Si tu, frater, negligentem scriptorem habere non vis, æquum tibi videtur ut ego diligam timidum lectorem? Festivitatem modo celebramus; libet paromper, auspensis interim aeriis, tibi jucundari, sermone colludere, et simul te ut evigiles expulsare. Causaris ergo quod ego, cum de duobus discipulis ad monumentum currentibus, Joanne videlicet et Petro (*Joan.* xx) sermonem facerem, et quid in illorum facto nobis faciendum ostenderetur, tuæ petitioni satisfacere volens explanarem, per illum quidem, qui ad monumentum prius venit, et posterius intravit, hoc est Joannem, desiderium; et per illum, qui posterius venit, sed prius monumentum intravit, hoc est Petrum, consilium mentis significari asserui; et tamen causam, cur vel ille potius quam iste desiderium, vel iste potius quam ille consilium significaret, ut asseris, non ostendi. Hoc igitur est quod, cum significationem exponerem, causam significationis tacere non debuissem. Libens accipio quod hæc tua causatio, dum unum admonet, utrosque docet: In primis me, ne dicenda prætercam, ut esse studeam in scribendo sollicitus; deinde etiam te, ne minus dicta intelligas, ut sis in audiendo attentus. Ne tamen querela tua prorsus sibi justa videatur, ostendam tibi quomodo ipsam, quam quæris, causam ibidem ubi significatio ejus explicata est, poteras invenisse. Nam eum, dictum sit ibi per Joannem, qui præcurrens prior ad monumentum venit, significari desiderium animi; per Petrum, qui posterius venit, consilium, nonne ex ipsa eorum actione manifesta causa colligitur, cur in illo desiderium, in isto consilium significetur? Si enim quæras cur Joannes desiderium significet, causa manifesta est, quia præcessit. Et si interroges cur Petrus consilium, et hoc patet, quia posterius venit. Ex diversitate igitur actionis manifeste ostenditur quæ significationis diversitas in personarum discretione teneatur. Quod si fortassis existimas vim significationis non solum ex qualitate actionum, sed etiam ex discretione personarum colligendam esse, nec hoc quidem ego refutandum judico, quia satis convenienter alacritas et fervor amoris per Joannem juniorem exprimitur; gravitas autem et mora consilii per Petrum senem et tardum figuratur. Istud quod dicis Petrum amplius amasse, et ideo justum tibi videri ut per illum potius desiderium sive amor significari debuisset, ad præsentem causam nihil attinet, quia in præsenti tractatione non agitur qualis Petrus in mente fuerit, sed quam nobis exteriori specie vel actione significat unum præsentavit, maxime eum hoc ubique observandum sit ut inde aliquid per significationem trahimus, istud quidem non in occulto, sed in manifesto quærere debeamus. Signum enim occultum esse non debet, sed manifestum, quia quod per se occultum est, occulta pandere non potest. Otiosum me, ut cernis, invenerunt tabulæ tuæ, qui nomine lacessente mecum litigo, et quasi qui hostem non habeam, vires in ventum effundo.

TIT. XCVIII. *De Petri et Joannis dilectione.*

Scio quidem quæstionem, ut nonnulli existimant, operosam esse, eo quod injusta recompensatio videatur, ut Petrus, qui amplius Christum dilexit, minus a Christo dilectus sit, et Joannes plus dilectus sit, qui minus dilexit. Ego autem eum Evangelium, unde fons hujus quæstionis manare videtur, inspicerem, non inveni quidem, vel quod Petrus amplius dilexerit, vel quod Joannes amplius dilectus sit. Nam quod Dominus, post resurrectionem suam Petrum an se amaret interrogans, ait: *Simon Joannis, diligis me plus his* (*Joan.* xxi)? non affirmando, sed interrogando hoc dixit. Sed neque ipse Petrus dicere ausus fuit, cum interrogaretur: Domine, tu scis quia amo te plus his: Sed ait: *Domine, tu scis quia amo te* (*ibid*). Joannes quoque de semetipso loquens sic ait: *Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus* (*ibid*). Et non dixit, quem plus aliis diligebat Jesus, sed *quem diligebat Jesus.* Neque igitur Petrus se amasse amplius, neque Joannes amplius amatum esse præsumpsit, sed alter se non præ cæteris, sed cum cæteris amasse, et alter non præ cæteris, sed cum cæteris amatum esse asserit. Sed esto, ut Petrus plus dilexerit, et tamen minus dilectus sit, nunquid idcirco ullam injuriam passus est, si tamen tantum dilectus est, quantum meruit? Nonne ista est querela illorum qui in Evangelio contra patremfamilias murmurabant, dicentes: *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares eos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus?* (*Matth.* xx.) Sed quid paterfamilias uni illorum, et in uno omnibus responderit, audivimus: *Amice, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade. Volo et huic facere sicut et tibi. Non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* (*Ibid.*) Ponamus igitur nunc ut Petrus querelam in medium deferat, et de injuria dilectionis suæ in Christum causetur, et dicat: Domine Jesus, injuriam mihi facere videris, cum ego te plus diligam, tu vero minus me diligis. Numquid non recte Dominus ista dicenti respondere posset et dicere? *Amice, non facio tibi injuriam* (*ibid.*), tantum diligeris, quantum diligis; tantum diligeris, quantum mereris. *Tolle quod tuum est, et vade. Volo hunc facere plus quam tibi. Nunquid non licet mihi facere, quod volo? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?* (*Ibid.*) Neque enim injuriam pateris, si minus illo accipis; sed injuriam pateris, si minus accipis quam mereris. Quod si totum habes, quid conqueraris? Ita, frater, ratiocinantem suscipe, ut scias neutrum tuam in nullam affirmationem præcipitem inclinare. Sunt tamen, qui elementius hanc quæstionem solvere nituntur. Dicunt namque, quod Petrus et amplius dilexerit, et amplius dilectus fuerit. Joannes vero propter castitatem, qua pollebat solummodo Christo Domino

in conversationem familiur cæteris omnibus fuerit. Petrus vero quantum ad effectum pertinet charitatis, amplius a Christo diligebatur. Joannes vero quantum ad usum familiaritatis amicabilius in conversatione suscipiebatur. Petrus charior, Joannes familiarior, quia et in Petro remunerabatur charitas, et in Joanne castitas laudabatur. Joannes tenerius, et Petrus constantius diligebat.

TIT. XCIX. *De gratitudine beneficiorum Dei, et de judicio de se et proximo faciendo.*

Popule meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balac rex Moab, et quid responderit ei Balaam filius Beor de Setim usque Galgalam, ut cognosceres justitiam Domini (*Mich.* VI). Balac rex Moab mercede conduxit Balaam hariolum, ut malediceret filiis Israel. Sed ille non est permissus a Domino maledicere populo suo, cui benedictio in hæreditatem fuerat repromissa. Et quamvis hominis maledictio nocere non posset illi cui benedixerat Deus, cum tamen prophetæ maledictio in benedictionem vertitur, quid nunc spiritualiter Dei gratia in electis suis agat, manifeste monstratur. Dicit namque Apostolus : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti* (*Rom.* VIII).

Propheta ergo iniquus maledicere volens populo Dei ad benedicendum licet invitus compellitur, quia mala quæ reprobi bonis inferunt, illorum saluti Domino disponente cooperantur. Loquitur ergo de populo suo nunc per prophetam Dominus, et priora beneficia sua ad memoriam revocat, dicens : *Popule meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balac rex Moab, et quid responderit ei Balaam filius Beor de Setim usque Galgalam, ut cognosceres justitiam Domini.* Erubesce, miser homo. Tu nunquam oblivisci debueras quod tantum dilectus es a Deo, ut tibi maledictionem inimicorum tuorum non tantummodo nocere non permitteret, sed eam quoque tibi in benedictionem commutaret : verum nunc cum ipse bonorum largitor te horum reminisci rogat, quid aliud quam te post tanta beneficia accepta ingratum adhuc atque immemorem permansisse demonstrat? Quod si Judæus ingratus beneficiorum Dei reminisci noluit, cave saltem, tu Christiane, ne unquam eorum quæ tibi impensa sunt bonorum obliviscaris. Cave, inquam, et tanto magis cave, quanto deterius est si tu ingratus perstiteris, qui majora illo beneficia a Deo accepisse comprobaris. Habes enim et tu Balac hostem tuum, qui te indesinenter persequitur : et contra te omni tempore consilia maligna meditatur. Qui etiam metuens ne forte suis viribus ad subversionem tui non sufficiat, iniquum prophetam et avarum ad te maledicendum proposita mercede invitat. Balac namque qui interpretatur *elidens*, ipse est Satanas adversarius noster, et hostis pessimus, a quo prostratos atque elisos ille sanat et erigit; de quo in psalmo canitur : *Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos* (*Psal.* CXLV). Iste Balac rex est Moab; quod interpretatur *ex patre, illorum* scilicet quibus Dominus in Evangelio dicit : *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII). Hic contra nos malignum cogitat, sicut de ipso apostolus Paulus ad quosdam discipulos suos loquitur, dicens : *Ut non circumveniamur a Satana* (*I Cor.* II). Non enim ignoramus cogitationes ejus. Huic autem cogitanti contra nos et consilium subversionis quærenti, respondet Balaam, qui interpretatur *populus vanus*, videlicet iniquorum omnium, respondet scilicet ejus voluntati obtemperans, et in nostra subversione atque ruina unanimiter sævienti concordans. Qui Balaam, hoc est populus vanus, est filius Beor, quod sonat in pelle ut subaudiatur habitantis, id est ejusdem diaboli per imitationem filius, nos cum eo opprimendo, et odio iniquo persequendo. Qui diabolus in pelle habitat, hoc est in corde carnali, quia in eis tantummodo requiem invenit quos concupiscentiæ carnalis affectus a constantia atque rigore virtutum resolvens, per turpia desideria emollit. Ubi autem Balaam filius Beor in qua Balac de nostra perditione cogitanti respondeat ostenditur, cum subinfertur. *De Setim usque ad Galgalam*, subauditur gyrans et circumveniens, et locum maledictionis exquirens. Setim interpretatur *spina*. Galgalam *volutabrum* dicitur.

Hæc est ergo via populi vani, et circuitus erroris, spina videlicet et volutabrum, id est cura et voluptas. Cura per quam ad hujus mundi transitoria adipiscenda desudat, voluptas vero per quam acquisitis immoderate atque illicite utendo se maculat. De Setim ergo usque Galgalam, vanus populus maligno regi respondendo fideles persequitur, quia omnes iniqui et per avaritiam bona temporalia acquirendo, et per incontinentiam acquisitis utendo, diabolo servientes, in persecutionem bonorum excitantur. Ideo autem permittuntur mali contra bonos sævire, ut ostendantur non posse proficere, et ipsa eorum malignitas quanto inanior ostenditur, tanto Dei gratia et misericordia erga nos evidentior efficiatur. Hoc est enim quod sequitur, *ut cognosceres justitiam* sive misericordiam *Domini*. Ac si diceret : Ideo ex parte relaxati sunt, ut agnosceres periculum; ideo prohibiti sunt, ut intelligeres unde esset tibi præsidium. Tantis ergo beneficiis acceptis quid tibi jam restat, nisi ut gratias agas et Salvatori tuo atque protectori recompensatione digna respondeas? Nam si populus vanus suo regi perditionem bonorum machinanti respondet, quid populus fidelis atque electus? Nonne multo magis suo regi bonos liberanti atque salvanti obediendo et serviendo respondere debet? Sed dices fortassis : Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? Numquid offeram ei holocautomata et vitulos anniculos? *Nunquid placari potest Deus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium?* (*Mich.* VI.) Hæc enim omnia a me aliena sunt, et ideo pro mea salute digna recompensatio esse non possunt. Sed fortasse satisfaciam, si da-

dero primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ. Hæc tamen extra me sunt, quamvis ex me processerunt, et qui meipsum abstuli etiam si totum præter me dedero, nondum plene debitum restitui. Quid ergo faciam? quid dabo? quid reddam? *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (*Psal.* cxv.) Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, et quid Deus quærat a te. *Utique facere judicium, diligere misericordiam* (*Mich.* vi), et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Tria hæc sunt quæ offerre debes, quia et Deus, qui Trinitas est, non nisi trino sacrificio digne placari potest. Offer ergo judicium Filio judici. Offer misericordiam Spiritui sancto charitati. Offer sollicitudinem paternitati. Ad sapientiam pertinet discretio, ad charitatem pietas, ad paternitatem sollicitudo. Sic tamen offer, ut neque in discretione munerum unitatem trinitatis dividas, neque in participatione munerum, trinitatem unitatis confundas, sed singulis sua, et simul uni singula exhibeas. Si juste judicas, justum judicem honoras. Si misericordiam diligis, eum qui pius est acceptabili sacrificio veneraris. Si sollicitus in timore Dei semper ambulas, placas tibi cœlestem Patrem, quem pro peccatis tuis offensum habebas.

Nunc ergo ascultа quale sit judicium quod facere juberis. Primum est tibi judicium faciendum de teipso, deinde inter te et proximum tuum, postremo de proximo tuo. In eo judicio quo judicas temetipsum, esse debes districtus. In eo judicio quo judicas inter te et proximum tuum, debes esse justus. In eo judicio quo judicas proximum tuum, debes esse pius. Teipsum judicare debes hoc modo. Considera diligenter quid facis et quid non facis; quid facere debes, quid facere non debes; postea hæc ad invicem conferendo perpende, an idem est quod facis et quod debes, et an idem quod non facis et quod non debes. Quod si ita inveneris, gaude. Si autem idem esse perspexeris quod facis et quod non debes, aut quod non facis et quod debes, time. Inter te et proximum tuum hoc modo judicare debes. Vide quid facias proximo tuo, et quid tibi faciat proximus tuus. Si ille tibi bonum facit, et tu illi bonum reddis, malus non es. Si ille tibi malum facit, et tu illi malum reddis, bonus non es. Si ille tibi bonum facit, et tu illi malum reddis, malus es. Si ille tibi malum facit, et tu illi bonum reddis, bonus es. De proximo tuo hoc modo judicare debes. Vide quidquid facit, an certum bonum, an dubium bonum, an certum malum, an dubium malum. Si certum bonum est, parvum magnum, magnum majus existimes. Si dubium bonum est, verum puta. Si certum malum est, magnum parvum, parvum minus judica. Si dubium malum est, bonum puta. Hoc est judicium verum, judicium bonum, judicium Deo placitum. Quod si tu illi non solum discernendo, sed etiam faciendo in sacrificium obtuleris, placabis iram, et gratiam consequeris.

Deinde sequitur *diligere misericordiam*. Non solum facere, sed etiam diligere, quia magis facit qui affectu pietatis compatitur, quam qui ex debito præceptionis miseretur. Oportet ergo te primum facere judicium ut quod recte discernis, opere compleas; deinde diligere misericordiam, ut bonum quod agis non ex timore, sed ex amore facias. Postremo sollicitum incedere, ne vel bonum, quod necdum habes, non merearis accipere, vel bonum quod habes amittas. Porro in his tribus trinitati in te operanti cooperaris. Sapientia enim te ad agnitionem veritatis illuminat, charitas te ad desiderium bonitatis inflammat, paternitas in te custodit quod creavit, ne pereat. Per illuminantem ergo sapientiam tibi collucentem, rectum discernis; per inflammantem charitatem, tibi coardentem, misereris; per providentem paternitatem, tibi contuentem, temetipsum custodis. Per trinitatem itaque cooperando trinitati, trinitatis imago efficeris; verumque tunc sacrificium teipsum Deo offers, cum ad ejus similitudinem reformaris. Quod, etc. Amen.

Tit. C. *De apparitione Christi duobus discipulis euntibus in castellum quod dicitur Emmaus.*

Jesus in via ambulantibus faciem suam abscondit (*Luc.* xxiv), ostensurus eam in patria. Propterea in fine viæ cum discumbere cœpissent, fregit Jesus panem, ut interiora ejus patescerent, et ibi eum agnoverunt, quia post vitæ hujus cursum in regno cœlorum cum Abraham et Isaac et Jacob discumbentes, et super mensam ejus edentes et bibentes in æterno convivio Jesu claritatem videbunt. Nunc autem interim in via peregrinus apparet, ut exsilium nostrum agnoscamus, et quod alia est patria nostra. Et colloquendo corda ad amorem inflammat, sed oculos ad contemplationem adhuc non revelat. Qui ergo in via ex sermonibus Jesu ignem amoris corde concipiunt, in fine viæ claritatem ejus videbunt. Sunt itaque linguæ igneæ quæ veniunt ad nos, et verba flammantia quotidie Christum nobis loquentem audimus, quis spiritum Christi non habet qui verba Christi audiendo non ardet. Spiritus enim sanctus super discipulos Christi in linguis igneis apparuit, et ipse Christus ambulantium in via loquendo corda inflammavit, quibus non quasi a capite, sed quasi a latere se sociavit, quia cum nobis non natura, sed gratia in hujus vitæ via comitem dedit.

Tit. CI. *De Christo, ove et pastore bono.*

Christus prius ovis fuit, postea pastor factus est. Ovis animal est mansuetum et mundum. In mansuetudine humilitas, in munditia castitas significatur. Humilitas duplex est: prima, qua præesse non appetas; secunda, qua subesse diligas. Multi enim sunt qui præesse nolunt, fugientes laborem non honorem; qui tamen subesse dedignantur. Qui quando in præcepto obedientiæ murmurant, quasi ad passionem ducti recalcitrant. Hi profecto oves non sunt nec imitatores illius, qui *sicut ovis ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum* (*Isa.* liii). Similiter castitas duplex est. Alia foris per munditiam

corporis, alia intus per munditiam cordis. Munditia corporis est abstinere a malo opere; munditia cordis, sincerum esse a mala delectatione. Qui ergo munditiam et mansuetudinem habet, ovis est. Et qui ovis bona est, sic tandem pastor fieri potest, qui prius in sua subjectione didicit, quomodo aliis præesse possit. Quidam enim sunt pastores, quidam mercenarii, quidam lupi. Pastores sunt qui oves diligunt; mercenarii, qui lanam et lac accipiunt; lupi, qui carnes comedunt. Pastores custodiunt in prosperitate, et defendunt in adversitate. Mercenarii custodiunt in prosperitate, sed non defendunt in adversitate. Lupi non custodiunt in prosperitate, et occidunt in adversitate. Pastores salutem quærunt, mercenarii lucrum appetunt. Lupi, peccati materiam vel licentiam ovibus dantes, occidunt. Primi sunt diligentes, secundi negligentes, tertii pestilentes.

TIT. CII. *De eo quod scriptum est : « Nisi ego abiero Paracletus non veniet. »*

Nisi ego abiero Paracletus non veniet (*Joan.* XVI). Christus discipulis corporalem præsentiam subtraxit, ut eum spiritualiter amare discerent. Erat quippe et ipse prius secundum eamdem corporalem præsentiam paracletus, id est consolator, et hæc consolatio quasi lac erat de carne manans parvulis. Propterea subtractum est lac, ut ad perfectionem spiritalis amoris convalescerent. Ascendit in cœlum ut corda post se traheret, et dilectio pergeret post dilectum. Usque hodie Christus amicos suos in Scriptura sacra et sacramentis Ecclesiæ atque aliis visibilibus virtutum exercitiis quasi quadam corporali præsentia consolatur: quorum usum dum aliquando dispensatione subtrahit, quasi quamdam humanitatem suam ab oculis intuentium subducit, ut spiritualis amoris dulcedinem tanto purius percipiant, quominus foris habent etiam de opere virtutis ad quod mentem suam per intentionem effundant.

TIT. CIII. *De Spiritu Dei et spiritu mundi per quem consummata sunt omnia.*

Spiritus Domini replevit orbem terrarum (*Sap.* I). Quid mirum si Spiritus Domini implere potuit corda hominum qui implet orbem terrarum? Nunc ergo impletum est quod Dominus Jesus Christus in passione sua prædixerat : *Consummatum est* (*Joan.* XIX). Antequam Spiritus sanctus venit ad corda hominum non potuit dici, *consummatum est*. Propter hoc enim omnia facta sunt quæ facta sunt, vel in nativitate vel in passione, vel in resurrectione vel in ascensione Jesu Christi, sive in cæteris omnibus quæ Verbum incarnatum visibiliter operatum est ad reparationem hominum, ut hoc bonum suum reciperet homo, ad quod conditus fuerat, sine quo nihil profuit, cum quo nihil defuit. Et propterea in hoc consummata sunt omnia quæ propter hoc facta sunt omnia. Botrus enim carnis portatus fuerat ad torcular crucis, et expressione facta fluere cœpit mustum divinitatis, et voluit ut vasa cordium præpararentur ut, dum vinum novum funderetur in utres novos, primum mundarentur, ne infusum pollueretur; postea ligarentur, ne effusum amitteretur. Mundarentur a gaudio iniquitatis, ligarentur contra gaudium vanitatis. Non enim bonum gaudium venire potuit, nisi prius recederet malum. Malum gaudium est gaudium iniquitatis, et malum gaudium est gaudium vanitatis. Gaudium iniquitatis polluit; gaudium vanitatis effundit. Gaudium iniquitatis reddit vas sordidum; gaudium vanitatis reddit vas rimosum. Gaudium iniquitatis, quando peccatum diligitur; gaudium vanitatis, quando transitoria amantur. Ejice ergo quod malum est, ut quod bonum est percipere possis. Effunde amaritudinem, ut dulcedine implearis. Spiritus sanctus gaudium est, et Spiritus sanctus amor est. Ejice spiritum mundi et spiritum diaboli, ut accipias Spiritum Dei. Spiritus diaboli operatur gaudium iniquitatis, et spiritus mundi operatur gaudium vanitatis. Et sunt mala gaudia ista : quoniam alterum culpam habet, alterum occasionem culpæ. Venit autem Spiritus Dei, et cum ejecti fuerint spiritus mali, et intrat habitaculum cordis, et operatur gaudium suum, et amorem suum; non sicut spiritus diaboli, neque sicut spiritus mundi, sed gaudium bonum et amorem bonum. Primum gaudium veritatis, in quo justitia diligitur, postea gaudium felicitatis in quo de præmio justitiæ percepto exsultatur; gaudium veritatis contra gaudium iniquitatis; gaudium felicitatis contra gaudium vanitatis. Et expellunt bona gaudia gaudia mala. Et cum ipsa cor implere cœperint, tunc primum agnoscit homo quod prima vera non fuerunt, quoniam nec plena esse potuerunt in gaudio iniquitatis, nec permanentia in gaudio vanitatis.

Nunc autem vera gaudia advenerunt plena et æterna, sicut Salvator promisit, *ut gaudium vestrum sit plenum, et gaudium vestrum nemo tollat a vobis* (*Joan.* XVI). Ipsum ergo gaudium amor est, et operatur spiritus idem et gaudium et amorem. Amorem quando requirimus, gaudium quando possidemus. Tamen ipsum desiderium sine gaudio esse non potest; nec ipsa adeptio sine amore. Itaque gaudium ipsum amor est, et ipse amor gaudium est, quoniam in eo quod amemus gaudemus, et id de quo gaudemus diligimus, et est gaudium bonum et amor bonus et gaudium malum et amor malus similiter. Est enim amor Dei, est amor mundi, et amor peccati. Quidam enim solum Deum amant. Quidam aliud præter Deum cum Deo amant, nihil tamen contra Deum. Alii contra Deum quædam amant, et hi Deum non amant. Qui solum Deum amant, *ædificant super fundamentum aurum, argentum et lapides pretiosos* (*I Cor.* III). In auro intellectum, in argento eloquium, in lapidibus pretiosis opus incorruptum. Qui præter Deum aliud amant, et tamen Deum plus amant, *ædificant super fundamentum lignum, fenum, stipulam* (*Ibid.*). In lignis affectum cognationis, in feno affectum possessionis, in stipula affectum fami-

liar'tatis. In quibus omnibus etsi peccatum non est, A occasio tamen peccati consist:t. Qui contra Deum aliquid amant, ii super fundamentum non ædificant, sed destruunt fundamentum, quia amor Dei in corde esse non potest ubi non est vel solus, sicut in iis qui solum Deum amant, vel summus, sicut in iis qui cum Deo aliud amant, nec tamen contra Deum. In eo autem amore quo cum Deo aliud amatur, gaudium est vanitatis. In eo amore quo contra Deum aliquid amatur, gaudium iniquitatis. Illic amor mundi inficit; hic amor peccati polluit. *Et transit mundus et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II); *verbum autem Domini manet in æternum* (*Psal.* CXVIII). Et qui credit in verbo ejus et habet spiritum ejus, hic manet in æternum, sicut ipse in æternum manet. Qui enim iostabilis est per gaudium iniquitatis, vel qui instabili adhæret per B gaudium vanitatis, hic non potest manere in æternum, nec g.u ium verum habere quod falsum est per iniquitatem, et transitorium per vanitatem. Qui autem spiritum Dei manentem habet, gaudium habet verum et plenum et æternum, quia permanens diligit, et stabili adhæret, et possidet consummatum bonum. Hoc enim totum bonum est hominis cognoscere et amare Creatorem suum. Propterea linguæ igneæ apostolis datæ sunt, ut in linguis sit cognitio veritatis, in igne amor virtutis. In lingua enim verbum est, in igne flamma. Et verbum quidem ad cognitionem pertinet, ignis vero ad dilectionem. Et ideo verbum cum igne venit, sapientia cum dilectione, ut alterum illuminaret, alterum inflammaret: alterum contra ignorantiam, alterum contra C concupiscentiam. Hæc vero dona non nisi in unum congregatis, et ad superiora sublevatis venire potuerunt. Congregatis per consensum, sublevatis per desiderium. Congregatis per dilectionem proximi sublevatis per dilectionem Dei. Et nos ergo, si talia dona percipere volumus, tales simus. Quod etc. Amen.

TIT. CIV. *De sacramento et re sacramenti pœnitentiæ.*

Sacramentum pœnitentiæ est exterior exhibitio operis, res sacramenti, vera contritio cordis. Si sacramentum suscipis, opera pœnitentiæ facias, habeas rem sacramenti in vera contritione, ne frustra speciem sine veritate ostendas. Tanta est pœnitentia tua, quanta est contritio tua, quanta est devotio tua. Contritio, pro malo quod fecisti; devotio, pro bono recuperando quod amisisti. Noli igitur dicere : D Tantum jejunavi, tantum vigilavi, tanta opera misericordiæ feci. Tantum in his omnibus fecisti, quantum in his omnibus profecisti. Noli numerare folia, sed fructum. Noli pensare paleam, sed grana. Opus sine contritione flos est sine fructu. Contritio sine opere, fructus est sine maturitate.

TIT. CV. *De virtute pœnitentiæ.*

Vis scire, homo, quanta est virtus pœnitentiæ. Attende, dicam quod possum. Totum aufert quod inflatur damnatio; totum confert quod promit it salus. Quantum putas est hoc? Bene considera. Mala æterna aufert, bona æterna confert. Talis ac tantus est fructus pœnitentiæ. Hunc fructum confert pœnitentia : Si fructum feceris in ea fructum capies ex ea. Fructus, quem facis in ea, meritum est. Fructus quem capies ex ea, præmium est. Si facis in ea fructus dignos in merito, capies ex ea fructus æternos in præmio. Quid est pœnitentia? Dolor peccati. Quid est dignus fructus pœnitentiæ? Satisfactio delicti. *Agite dignos fructus pœnitentiæ* (*Matth.* III). Tria ista considera : pœnitentiam, fructum, dignum. Si de erratu doles, hoc est, pœnitentia, per fructum ostende dolorem. Si mutasti voluntatem persequere iniquitatem. Post pœnitentiam dolorem cordis, fructus sequatur maceratio carnis.

TIT. CVI. *De tribus quæ sunt in pœnitentia.*

Tria sunt in pœnitentia : dolor præteriti, custodia futuri, satisfactio delicti. Ne pœnitens in futuro damnetur, facit custodia futuri. Ne puniatur, facit satisfactio delicti. Si ergo securus vis esse, cave futura, corrige præterita. Dolor culpam placat; satisfactio vitium sanat; custodia sanitatem servat. In his custodia futuri primum locum tenet, dolor præteriti secundum, novissimum satisfactio delicti. Quæ prima tantum proficit quantum cætera duo efficiunt. Ideo Salvator solam hanc, id est custodiam futuri, quasi præcipuam et in qua omnis pœnitentiæ fructus consistat sibi confitentibus injunxit : *Vade et amplius noli peccare* (*Joan* VIII) : et : *Vade in pace* (*Marc.* V). Et iterum : *Vide ne quid tibi deterius contingat* (*Joan.* V). Hæc tria sic pensanda sunt, ut sit dolor plenus, custodia perfecta, satisfactio condigna.

TIT. CVII. *De sapientia in faciendo bono, et de patientia in tolerando malo.*

In duobus servitur Deo, faciendo bonum et patiendo malum. In confessoribus remuneratur bona actio, in martyribus passio. Ad agendum bonum necessaria est sapientia; ad tolerandum malum necessaria est patientia. Sapientia ut bonum bene fiat; patientia, ne malum patiens malus fiat. Qui enim bonum facit in bona materia operatur, sed si bonum bene non facit, per malam formam bona materia deformatur. Bona est forma, ubi nec plus nec minus justo est. Si plus justo sit, peccatum est; si minus justo sit, delictum. Igitur qui bonum bene facit, quasi bonæ materiæ bonam formam imprimit. Ad tolerantiam autem mali patientia necessaria est, quia qui malo per impatientiam cedit, a bono recedit. Sicut enim malum quod est culpa faciendum non est, sic malum quod est pœna patiendum est. Pœna autem dolor est, dolor vero aliud non est nisi cum amittitur quod amatur; vel in abrenuntiatione culpæ, cum peccatum quod prius delectabat relinquitur vel in abrenuntiatione possessionis propriæ, cum terrena substantia quæ foris possidebatur, deseritur, vel in abrenuntiatione delectationis mundanæ cum carnalium sensuum lasc via mortificatur. In omnibus his labor est, nec sine dolore quidquam horum fieri potest. Hæc igitur est patientia sanctorum. Qui sustinentiam deserunt, apostatant. Post ultimam abrenuntiationem, primo per vanitatem, quia mundanam jucunditatem ad voluptatem repetunt. Post secundam, secundo per cupiditatem, quia postpositas divitias mundi ad super-

fluitatetm ambiunt. Post primam, tertio per iniquitatem, qna anteaeta peccata et dimissa iterare præsumunt. Itaque patientia ad tolerantiam necessaria est, ne habeat homo per vanitatem in consilia impiorum, nec stet per cupiditatem in via peccatorum, nec sedeat per iniquitatem in cathedra pestilentiæ. Job ad mundi jucunditatem minime respexerat qui dicebat : *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare* ordine suo (*Job* XXXI). Post divitias mundi apostatare David ana prohibet dicens : *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via suo* (*Psal.* XXXVI). Post peccata dimissa apostatare ipse Dominus prohibet, dicens : *Vade et amplius noli peccare* (*Joan.* III). Et propheta : *Observabo me ob iniquitate mea* (*Psal.* XVII). Igitur homo accedens ad servitutem Dei stet in iaro suo per patientiam, ut non cedat nec recedat. Operetur bonum pro adimpiendo primo debito, patiatur malum pro expiando primo delicto. Nam at faciat bonum factus est homo, ut patiatur malum, fecit homo. Pro eo igitur quod factus est facit bonum, pro eo quod fecit patitur malum. Primus enim homo sic factus est ut proficeret de bono innocentiæ, per bonum obedientiæ, ad bonum gloriæ. Sed mutans locum et innocentiam deserens, deficere cœpit, et ire de mala iniquitatis per malum mortalitatis ad malum damnationis. Venit autem Salvator, et monstravit aliam viam, qna ad patriam revertatur homo, per bonum justitiæ et malam pœnæ, ad bonum gloriæ.

Tit. CVIII. *Quomodo se debeat quisque Deo in cibum præparare.*

Ad mensam magnam sedistis. Considerate quæ vobis opponuntur, et scitote quia oportet vos similia præparare (*Eccli.* XXXI). Ecce Dominus prandium paravit vobis, fratres, per exempla sanctorum suorum, modo reficiens vos ad meritum, donec postea cœnam paret in gaudio sanctorum, satians vas per præmium. Tauros suos et altilia sua occidit, ut ad actionem et contemplationem pascamini per eos quorum in terra caro jugum portavit in labore boni operis; et ad cœlum mens sublo sta fuerat per valatum contemplationis. Has carnes in mensa Dei editis, ut per carnalia refecti ad spiritualia proficiatis. Verumtamen scire debetis quod elixas carnes, id est aqua coctas mensa Dei non recipit. Audistis enim qualiter agnus paschalis non aqua coqui, sed assari præcipitur (*Exod.* XII), et post resurrectionem a Christo piscis assus cum favo mellis manducatur (*Luc.* XXIV). Aqua enim carnes in se coactas emollit, et ideo forte quia Deus molles carnes non amat et dissolutas, assata commendatur. Mollis enim caro est quæ dicit, 'ferre non possum, tolerare non valeo, dissolvor, deficio. Hanc carnem non amat Deus, sed igne passionis torridam et tribulationis tolerantia solidatam. Si ergo carne reficimini, reficite in carne. Si festa vobis Deus facit, facite vos et illi festa. Si vos ille gaudere dc se et de suis tribuit, facite illi gaudium de vobis: hoc est enim similia præparare.

Tit. CIX. *De fuga Eliæ a facie Jezabel.*

Elias impiam Jezabel fugiens in spelunca absconditur (*III Reg.* XIX), quia nonnunquam animus pro vitanda carnis turpitudine declinat; nondum tamen ad deserendam ejusdem carnis mansionem animatur. Jesabel quippe quod interpretatur *sterquilinium terræ*, carnis concupiscentiam significat : cujus persecutionem servus Dei fugiens, in spelunca latitat, quia licet ad calcandam spurcitiam animatus sit, nondum tamen ad tolerantiam passionum roboratus. Unde et illi divina voce per increpationem dicitur : *Quid hic facis, Elia?* (*Ibid.*) Non enim ad hoc factus es, ut sub latebra carnis moram tibi facias exeundi ad contemplandam faciem Creatoris. *Surge* ergo *et sta in ostio speluncæ tuæ* (*ibid.*). Surge, ad superiora erigere. Surge, ne latus terræ inhæreas. Surge, appetens quæ sursum sunt. Sta in ostio speluncæ tuæ, sta perseverantia, sta patientia. Perseverantia, ut non abeas retrorsum. Patientia ut ante tempus ad exitum non festines. Sta, exspecta donec voceris. Sta paratus per desiderium exeundi. Sta fixus per obedientiam sustinendi. Sta in ostio speluncæ, ut nec ingrediaris per concupiscentiam, nec egrediaris per impatientiam. Sta in ostio speluncæ tuæ, et ecce pertransibit Dominus. Quomodo homo per concupiscentiam carni inhærens Deum videre poterit, cum ille etiam qui tato desiderio ad exitum carnis inhiat, in hac corruptione adhuc positus non nisi transeuntem videre queat? In hac ergo mortalitatis caligine adveatus Dei ad animam in transitu fit, quia quod hic de ipsius dulcedine mutabiliter viventibus ostenditur, ab ipso animo, quamvis illuminato, ad suæ corruptionis tenebras rursum relabente nequaquam diu retinetur. *Ecce pertransibit Dominus. Spiritus grandis et fortis subvertens montes et conterens petras; non in spiritu Dominus. Post spiritum commotio; non in commotione Dominus. Post commotionem ignis; non in igne Dominus. Post ignem sibilus auræ lenis* (*ibid.*). Ecce præambulus Dei, spiritum, commotionem et ignem. Non venit Dominus ad te nisi prius isti veniunt. Spiritus est terror judicii æterni, qui si in cor peccatoris impegerit, et montes superbiæ dejicit, et petras duritiæ dissolvit. Sed hic nequaquam Deus esse dicitur, quia anima quam adhuc timor perditionis afficit, nondum perfectæ charitatis dulcedinem sentit. Post spiritum commotio sequitur, quia terrore judicii concussa mens mox a sua stabilitate movetur. Post commotionem vero ignis sequitur, quia post anxietatem futuri sæculi adversum se sæviens animus ardere compunctionis inflammatur. Postremo igni sibilus auræ lenis succedit, quia post longa compunctionis incendia purgata mens, afflata spiritu, consolationis refrigerium sentit. Ubi notandum quod cum in præcedentibus non esse Dominus dicitur, sibilo auræ lenis nequaquam esse negatur; quia nimirum illa solum mens ejus dulcedinem percipit, quæ post laborem pœnitentiæ et anxietatem, conso-

lationis refrigerio percepto in spe propitiationis divinæ requiescit.

Tit. CX. *De duobus nuntiis ad nos missis.*

Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes (*Joan.* I). Duos nuntios misit Deus in hunc mundum, servum et Filium. Prius servum ut comminaretur, postea Filium ut consolaretur. Servus attulit timorem, Filius amorem. Servus nuntiavit quod timeremus; Filius revelavit quod amaremus. Duo enim, fratres charissimi, abscondita erant ab oculis hominis, æterna mala et æterna bona, et non prævidit homo vel mala illa ut caveret, vel bona ut requireret. Ad sola præsentia oculos apertos habebat, et ideo quia non videbat homo ubi magis oportuit, indicanda erant illi quæ nesciebat. Venit Joannes clamans : *Genimina viperarum, quis vobis monstrabit fugere a ventura ira? Agite fructus dignos pœnitentiæ* (*Matth.* III). Nuntiat periculum, suadet cautelam, ostendit consilium. Bonus servus, bonus nuntius, pie sæviens, persequendo misericors; pereuntit servus, ut sanet Dominus. Videte duos nuntios : *Venit Joannes, non manducans nec bibens* (*Matth.* XI); exemplum pœnitentiæ ; *Venit filius hominis manducans et bibens* (*ibid.*), exemplum misericordiæ. Alterum propter mala hominis : alterum propter bona Dei.

Tit. CXI. *De deserto quod est cor hominis ; de virgula fumi et de pigmentario et aromatibus.*

Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgulo fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii? (*Cant.* III.) Dormit et ascendit, quia foris requiescit et intus surgit. Desertum est mundus propter abundantiam mali et inopiam boni. Desertum est cor malum, quia cultum non est, et germinat noxia, et in eo bestiæ habitant. Quia enim in eo agricola Christus non est, et Pater ejus non seminat ibi verbum suum, sorgunt germina vitiorum, urticæ concupiscentiæ, et spinæ sollicitudinis, et alia talia; et requiescunt ibi dæmonia, quia non est qui exterreat. Desertum est item cor bonum, quia longe est a strepitu et tumultu, et non conculcatur frequentia terrenarum cogitationum, sed virens permanet et floridum, et germina virtutum producit, et canit ibi turtur Spiritus sanctus, et non auditur vox hominis neque ad hominem pertinentis. Virgula recta est et gracilis in longum porrecta. Quia tantum sursum tendit recta esse debet, et quia arcta est via, gracilis, et quia longa, porrecta. Item non est virgula ligni insensibilis et duri, sed fumi qui speciem habet, substantiam non habet. Cum enim cernitur, aliquid esse videtur; cum manus apponitur, nihil invenitur. Sic bonus quisque hic esse videtur per carnis speciem; sed hic non est per dilectionem. Item fumus de igne ascendit, quia desiderium ex amore venit. Et qualis fumus? *Ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii.* Pigmentarius est Christus, pigmenta aromata et virtutes, myrrha carnis mortificatio, thus mentis devotio. Universus pulvis pigmentarii virtutum omnium multitudo, sicut in vitiis, ita et in virtutibus invenitur. Dicitur in libro Job : *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercitus* (*Job* XXXIX). Habet enim vitiorum multitudo regem seu reginam, habet et duces, habet et populos et exercitus. Regina est superbia, duces vitia capitalia, exercitus est universa mala subsequentia. Primum ergo duces vitiorum quasi in pugna exhortationem faciunt, quia hominem in ratione faciendi decipiunt; exercitus autem postea quasi cum ululatu irruit, quia post primam suggestionem susceptam, turba vitiorum sequens in deceptam mentem cum violentia et tumultu impetum facit. Sic et virtutibus regina est humilitas ; duces, principales virtutes ; exercitus, bonorum universitas. Et postquam primæ virtutes ab homine cum quadam ratione suscipiuntur, mox universitas bonorum sponte subsequitur. Ideo hic primum duces posuit myrrham et thus; post exercitum, universum pigmentarii pulverem.

Tit. CXII. *De tribus festis, virginum, confessorum et martyrum, et de bono confessionis.*

Festum est gaudium. Magnum gaudium, magnum festum. Bonum gaudium, bonum festum. Tria sunt festa : Festa virginum, festum confessorum, festum martyrum. Festum virginum facit qui observantia castitatis conscientiam exhilarat. Festum confessorum facit qui, etsi gloriari non potest de integritate virginitatis, consolatur tamen in puritate confessionis. Qui, etsi bonum non fecit unde gaudeat, accusavit tamen et improbavit malum quod fecit, ut consolationem inveniat. Festum martyrum facit qui sub pressura tribulationis gaudet in spe retributionis. Considerate, fratres, conscientias vestras. Magnum festum facit qui gaudet de puritate. Nec ille excluditur qui consolatur in humilitate. Puritas ad virginitatem pertinet; humilitas ad confessionem. Propterea qui non tenuistis virginitatem, amplectimini humilitatem. Magna virtus est humilitatis. Audacter dico quod nec ipsa virginitas sine humilitate placet. Humiliare ergo et recognosce quod es. Habet quidem confessio criminis pœnam præcedentem in erubescentia ; sed sequitur festum gaudii et consolationis in bona conscientia. Bona recompensatio posita est tibi. Dicis homini peccatum tuum, ut Deus taceat. Judicas tu ut non judicet ille. Coram uno homine confiteris ut justificeris, ne coram cœlo et terra, coram omnibus angelis Dei arguaris et damneris. Propterea lætetur qui confitetur ne damnetur.

Tit. CXIII. *De festis sanctorum recolendis.*

Ex magna, fratres charissimi, Salvatoris nostri pietate agitur, quod nobis merita sanctorum festiva jucunditate recolenda indicuntur, quia in eo nos Deus noster et exhortatur ad imitationem virtutum, et admittit ad participationem gaudiorum. Propter hoc ad imitationem virtutum, ut corrigatur malitia nostra. Propter hoc ad participationem gaudiorum, ut consoletur miseria nostra. Duo hæc mala nostra sunt : alterum quod fecimus, alterum quod

patimur. Alterum malum in anima ut corruptionem per culpam; alterum malum in corpore ad correptionem per pœnam. Contra utrumque malum Salvator noster remedium præstat, memoriam sanctorum suorum. Dum enim cogitamus quod fecerunt, excitamur ad imitationem bonorum operum. Dum vero consideramus quod perceperunt, consolamur per participationem gaudiorum. Prima eruditio est cum per patientiam illorum ad tolerantiam roboramur; secunda, cum per tentationem eorum ad cautelam instruimur; tertia, cum in correctione illorum post culpam ad spem erigimur. Quia enim eos post lapsum criminis per pœnitentiam resurrexisse, et nunc cum Domino Deo in gloriam tantam assumptos videmus, nobis quoque licet in peccata graviter lapsis, nequaquam de Dei misericordia desperandum esse agnoscimus. Et quia rursum antiquum hostem, etiam contra electos Dei aliquid præsumpsisse legimus, quanta cautela adversus ejus insidias vigilandum sit non dubitamus. Postremo dum eos qui bona operati sunt, tanta propter Deum mala pertulisse recolimus, aperte nobis ostenditur quantum nos qui mala fecimus, in adversis patientes esse debeamus. Est et alius fructus quem memoria sanctorum devotis mentibus profert. Nam dum ipsorum gaudia per congratulationem aspicimus, ipsi quoque in nostra miseria ex hac quam charitas in nobis parturit lætitia consolamur. Primum siquidem gaudemus pro illis, ut postmodum etiam gaudeamus cum illis. Primum pro illis gaudemus per charitatem proximi, in qua positum est meritum nostrum; deinde cum illis gaudebimus in charitate Dei, ubi servatur præmium nostrum. Dignum enim est, ut præfati sumus, ut qui nunc gaudemus pro illis, postmodum etiam gaudeamus cum illis, ut primum gaudium consolatio sit in via, secundum gaudium plena exsultatio sit in patria. Hoc igitur gaudium festum nostrum est in quo post laborem et dolorem nostrorum operum respiramus nunc ex parte post intervalla quædam temporis, donec illud percipiamus in plenitudine æternitatis. Hic quorumdam sanctorum memoriam certis temporibus recolimus, ibi visionem omnium sanctorum sine intervallo temporis semper habebimus. Hic quasi parvulis nutriendis per partes instillatur consolatio, quando festa singulorum sanctorum per temporum intervalla distinguimus; ibi perfectis tota simul influet plenitudo, quando præsentibus cunctis erit Deus omnia in omnibus. Providenter itaque, fratres, ut, sicut Deus vos reficere dignatus per exempla sanctorum, ita et vos ipsum reficiatis per imitationem sanctorum. Quod ipse præstare dignetur, etc.

TIT. CXIV. *Quod finis legis Christus est, et de bona finis.*

Fratres, finis legis Christus est ad justitiam omni credenti (*Rom.* X). Qui autem ad finem non pervenit nondum consummatus est: Quidquid enim est quandiu finis non est, nondum totum est. Corris viam? quantumvis pergas si ante finem subsistis, non pervenis. Facis opus? si non finis, non perficis. Ergo finis consummatio est, finis perfectio est, finis perventio est; et nihil plenum sine fine. Nihil ergo tibi sufficiat ante finem; nihil sufficiat præter Christum, quoniam Christus est finis. Donec Christum habeas non requiescas; non deficias donec ad Christum pervenias. Christus veritas est, et Christus sapientia est. Si habitum virtutis et similitudinem foris assumpsisti, cœpisti. Si veritatem intus habes, perfecisti, et habes finem Christum, quia Christus veritas est. Si vere sapis, et quod sapiendum est sapis, Christum habes et sapientiam habes, quoniam Christus sapientia est, et ad finem pervenisti, quoniam Christum invenisti. Christus enim lumen tuum est, quo illuminaris ad virtutem diligendam et ad veritatem cognoscendam. Non est autem vera sapientia aliena investigare, sua ignorare. Et propterea nec sapientia mundi, nec prudentia sæculi veram sapientiam contingit, quoniam illa aliena inquirit, ista non profutura colligit; quod non probat veritas Christi, nec docet sapientia Christi. Propterea, fratres, illam sapientiam quærite quæ vera est, ut eam sciatis quæ ad salutem vestram pertinet, quoniam in illa Christus est, et illa in Christo est, et qui habet illam, Christum habet. Studete ergo veritatem habere, et sapientiam veram habere; et habebitis Christum finem vestrum in quo vos consummari oportet. Totum bonum vestrum Christus est, ipse virtus vestra, ipse sapientia vestra, ipse exemplum, ipse adjutorium, ipse victoria, ipse corona. Ipsum diligite, ipsum desiderate, ipsum amplectimini animo dilectionis, et recompensate vicem retributionis. Quantumcunque feceritis minus erit quam quod ipse pro vobis sustinuit. Nondum enim restitistis usque ad sanguinem. Recordamini passionis ejus, recordamini patientiæ ejus, recordamini mansuetudinis et humilitatis ejus: *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur* (*I Petr.* II); cum laudabatur, non gloriabatur: cum contemnebatur, non indignabatur. Hæc ergo considerate, fratres, et si non potestis æquare, studete imitari. Firmate animum vestrum ad patientiam. Magnum est pati cum Christo, et gloriosum pati pro Christo. Audite quid promittat patientibus pro se: *Vos estis, inquit, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* (*Luc.* XXII). Has igitur, fratres, promissiones ante oculos habete, quoties grave aliquid vel molestum patimini, quoties aliqua vos tentatio sollicitat, quoties aliqua molestia gravat; ut non deficiatis animo in tribulatione, quia si nunc permanetis cum Christo in tentatione, eritis cum Christo postea in glorificatione. Quod, etc. Amen.

TIT. CXV. *De duplici quiete et inquietudine.*

Est quies quieta, et est quies inquieta; et est inquietudo quieta, et est inquietudo inquieta. Quies est vacatio ab exterioribus, inquietudo occupatio in

exterior bus. Quies quieta est, quando et exterius vacamus ab opere, et interius quiescimus a strepitu cogitationum. Quies inquieta est, quando homo exterius quiescit ab opere, et interius perstrepit cogitatione. Inquietudo quieta est, quando exterius occupatur in opere, et tamen intus apud se in tranquillitatis sinu quiescit. Inquietudo inquieta est, quando et exterius occupatur opere, et intus perstrepit cogitatione.

TIT. CXVI. *De eo quod scriptum est : « Favus distillans labia mea. »*

Favus distillans labia mea (*Cant.* IV). Favus Verbum caro factum est in Virgine, distillans redundantiam signat. De hoc solo quia plenus gratia fuit, dici non potuit : *Plui super civitatem unam, et super alteram non plui. Pars una compluta est, et pars quæ compluta non est, aruit* (*Amos.* IV). Ipse enim totus redundans, et gratiam fundens, quia quod fecit et dixit doctrina fuit; quod fuit medicina. Alterum exemplum, alterum remedium, *et de plenitudine ejus omnes accepimus* (*Joan.* I). Ideo distillans, quia unicuique secundum mensuram gratiæ infundens.

TIT. CXVII. *De duplici gloria veri Salomonis Christi, a patre et matre.*

Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua (*Cant.* III). Egredimini, filiæ Sion. Egredimini et ingredimini, ut videte regem Salomonem. Egredimini, et videte in eo quod mater dedit. Ingredimini et videte in eo quod Pater dedit. Quod enim mater dedit foris est; quod Pater dedit intus est. Mater dedit infirmitatem, Pater dedit majestatem. Mater dedit substantiam carnis, Pater dedit consortium majestatis. Mater dedit in quo vicit, Pater dedit in quo regnavit. Mater dedit in quo victor coronatur, Pater dedit in quo regnans adoratur. In eo quod a Patre habet de superuis prostravit superbum; in eo quod a matre habet in inferis spoliavit avarum. Ibi victor ab angelis collaudatur; hic vincens et triumphans ab hominibus glorificatur : *Egredimini* ergo, *filiæ Sion, et videte Salomonem*. Egredimini et videte quod foris est, et laudate. Ingredimini et videte quod intus est, et adorate. Egredimini per compassionem, ingredimini per contemplationem. Egredimini visitantes patientem; ingredimini admirantes gloriantem. Egredimini, et fovete in membris suis adhuc infirmum; ingredimini et videte in seipso excelsum. Si pios senserit humilis, pium se exhibebit sublimis.

TIT. CXVIII. *Quod generalis prædicatio Deum decet, particularis homines; atque ita quomodo Deus ubique est, et de argutiis dialecticis.*

Logicalis [localis] dicit : Sequere cursum sermonis : Quod ubique est hic est. Deus est ubique. Si ubique est, quid dicam? Inferam quod non decet? Ecce locus sordidum quiddam habens, et dixit mihi cogitatio mea : Si Deus ubique est, illic est. Item si ubique non est Deus, et alicubi est; est ubi est, et est ubi non est. Si autem locus est ubi est Deus, et locus ubi non est, localis est Deus. Quod enim utsquam sit quis dicat? Iterum aliud : Vult Deus omne bonum; ducere autem uxorem bonum est, localis infert : Ergo vult Deus uxorem ducere. Tales sunt ineptiæ stultorum qui ad sonos vocum pendent. Iterum aliud : Amat Deus omnem creaturam suam (dicit hoc Scriptura : *Nihil odisti eorum quæ fecisti, Domine* [*Sap.* XI]). Ergo amat hanc creaturam suam Deus. Sed videte ex hac quanta inferri possint non decentia. Sic videtur his qui sonos vocum sine sensu dijudicant. Ebriosi, inquiunt, amant fortia vina, et cætera hujusmodi. Multa sunt talia quæ dici possent ad hunc modum. Quid ergo? An totum negamus, an totum confitemur? Alterum contra veritatem; alterum contra puritatem esse videtur. Si totum negatur, aliquid Deo subtrahitur quod suum est. Si totum asseritur, aliquid Deo imponitur quod suum non est. Sed videte discretionem. Generalis possessio ad Deum pertinet; propterea generalis prædicatio ipsum decet : hominibus autem quibus partes datæ sunt, particulares locutiones conveniunt. Propter hoc de Creatore omnium recte dico : Amat totum. De te autem cujus dilectio ad partem trahitur, cujus possessio parti debetur, recte dico : Hoc aut illud amas, scilicet aurum amas, argentum amas, pecuniam amas. Quare hoc de Deo similiter non dico? Propter te. Ego quidem hoc recte dicere possem : Si tu hoc sane intelligere posses. Tu hoc dictum de te intelligere consuevisti. Propterea de Deo hoc non dico propter te, ne tu hoc audiens illipsum de illo dici putes, quod dictum est de te. Propterea tibi parco et discerno locutionem, ne rem communem existimes. Aliud est amor tuus, aliud amor illius. Idcirco eum dixero : Tu hoc amas, caveo dicere : Ille amat hoc, ne sic putes ipsum amare, sicut amas tu. Ego autem dicere possem recte, si tu intelligere non posses prave. Sic dico : Ubique est; et tamen dicere parco de quibusdam locis : Illic est, ne sic eum illic esse putes, quemadmodum est quod secundum te est, et non decente Deum modo est. Sic dico. Omne bonum vult; et tamen de quodam de quo dico : Bonum est hoc, dicere parco : Hoc vult, propter te, ne existimes eum sic velle sicut tu vis, et ad hoc velle ad quod tu vis.

TIT. CXIX. *Quomodo debitores non sumus carni*, etc.

Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus (*Rom.* VIII). Spiritus hominis medio quodam loco constitutus, supra se Creatorem suum habet, cui subjectus esse debet; sub se carnem suam, cui debet esse prælatus. Aliud ergo debet Creatori propter subjectionem, aliud carni propter prælationem. Creatori propter subjectionem debet, ut nunquam præter voluntatem ejus se moveat. Carni propter prælationem debet, ut eam secundum arbitrium rationis divinitus illuminare disponat. Justitia enim voluntatis humanæ est voluntati divinæ per omnia conformari, et quod illa stando habet, motu et appetitu boni desiderii adipisci, ut nec extra illam effluat præsumens ea quæ non debet; nec infra illam subsistat, torpens ab iis quæ debet. Hoc est ergo debitum spiritus ad Creatorem, ut per omnia secun-

dum ipsius voluntatem moveatur. Debitum autem ad carnem, ut illius appetitum, nec extra suum judicium effluere, nec infra subsistere patiatur. Quia enim spiritus sessor est, et caro jumentum, frenum ei debet, ut præcipitem a malo cohibeat, et calcaria, ut pigram ad bonum excitando exerceat, et pabulum ut ejus infirmitatem sustentet ne deficiat. In stabulo pabulum, in via calcaria et frenum, hoc est in quiete nutrimentum, in exercitatione cohibitionem et incitamentum. Frena est timor, calcaria amor. Cum enim ad delectationem præcipitem impellit desiderium culpæ, cohibet a delectatione timentem providentia pœnæ. In hoc enim quod cernit quod post culpam pœna sequitur, sive in correctione, sive damnatione: refrenatur a culpa sive in opere, sive in delectatione. Timor ergo frenum, ipse timor cohibet et stringit effluentem animum, et sistit eum ad tolerantiam, ostendens facilius malam concupiscentiam vincere quam malam conscientiam tolerare; et eligit durum ut durius evadat. Deinde venit amor, et stimulat excitando pigram ad exercitium boni operis, demonstrans alacriter tolerandum laborem operis, pro recompensatione tantæ retributionis. Nam quod facimus transitorium est et finem habet; quod autem exspectamus, æternum est et finem non habet. Merces est vita sine morte, gaudium sine mœrore, jucunditas sine dolore. Si ergo hæc vita quæ morte finitur, tantum diligitur, ut pro ejus amore quidquid pro ipsa desiderari potest libenter despiciatur, ne sola ipsa amittatur, quo desiderio illuc festinare debemus, ubi nec vita morte terminatur, nec gaudium ullo mœrore corrumpitur, nec jucunditas dolore afficitur? Hæc itaque consideratio animum per desiderium amoris alacriter currere facit ad tolerantiam passionis, ut gravia non sint quæcunque finiri possunt in tempore, cum post ipsa secutura sunt quæ plena consistent, et perfecta bona in æternitate. Hoc est ergo quod dicitur: *Fratres, debitores sumus non carni.* Debitores enim sumus carni, ut eam cohibeamus ab iniquitate, et exerceamus in virtute, et sustentemus in infirmitate, sed debitores non sumus ei, ut secundum illam vivamus. Hoc est enim secundum illam vivere, videlicet secundum concupiscentias et desideria illius, ut quod illa horret fugiamus, et quod diligit appetamus. Quod si faceremus, nec a malo declinaremus, nec bonum faceremus.

TIT. CXX. *De duplici et item triplici contemplatione Dei.*

Mens pia jugi contemplatione Creatoris sui reficitur, et quanto magis ejus bonitatem cogitat, tanto amplius ejus amore inflammatur. Miratur pietatem quæ tantam majestatem ad nostram compassionem inflectit; miratur majestatem, quæ tantam pietatem nostri compassione et providentia affici et perturbari non sinit. Si enim tanta bonitas esset, et tanta majestas non esset, mala nostra ad Deum redundarent. Si autem tanta majestas esset et tanta bonitas non esset, bona ejus ad nos non descenderent. Congratulamur ergo bonitati de tanta majestate propter ipsum, ne pro nobis afficiatur; congratulamur immensitati de tanta bonitate propter nos, ut nobis compatiatur. Et in his omnibus admiratio magna est et stupor menti, quando non dedignatur Deus humilia et infirma nostra. Et quia illi pietas facit se non indignum, quod nobis miseria necessarium reddit. Quemadmodum materna pietas sordentem puerum non abhorret, sed quodammodo delectatur contrectans et deosculans, nec ignominiosum putat indigna sustinere, quia dilectio pulchrum facit quidquid dilecti necessitas exposcit, sic ergo pia mens Deum suum contemplatur, et ipsa sua contemplatione suaviter reficitur et dulce illi est semper ad considerandum quod ad amandum et laudandum semper est suave. Tripliciter autem animus Deum contemplatur, in seipso, in operibus suis, et in judiciis suis. In seipso, bonum, in operibus suis, magnum; in judiciis suis, justum; in seipso, amabilem; in operibus suis, mirabilem; in judiciis suis, metuendum.

TIT. CXXI. *Quod anima hominem excruciat et exercet in hac vita.*

Homo in miseria et ad miseriam natos est. Quod non esset, si homo non peccasset. Primum enim in magna jucunditate fuit, et ab illa in summam felicitatem pervenire debuit; sed quia obedientiam non tenuit, nec retinere potuit quod habuit, nec adipisci quod habiturus fuit. Igitur ad miseriam dejectus et ad miseriam reservatus, cœpit in eodem cruciari et exerceri. Cruciari, ut culpam agnosceret; exerceri, ut ad misericordiam reparari posset. Ut in dolore sentiret bonum quod perdidit, in exercitatione proficeret ad bonum quod habiturus fuit. Totum ergo ad cruciatum versum est quod creatum fuerat ad jucunditatem, ut in omnibus dolorem et laborem inveniat, ut in sui affl ctione et præsentem miseriam, et amissam felicitatem agnoscat.

TIT. CXXII. *Quod verbum Dei solum bonum est animæ.*

Ex duabus substantiis constat homo, anima et carne; et utraque bonum suum habet. Bonum carnis est mundus cum abundantia jucunditatis suæ. Bonum animæ est Deus cum affluentia dulcedinis suæ. Si ergo bona carnis tanta sunt, bona animæ quanta esse putanda sunt? Quanto enim anima carne melior est, tanto bonum animæ bono carnis melius esse necesse est. Omnia autem quæ visibiliter bona sunt, bona tantum, ut dictum est, carnis sunt, ot ad bonum animæ pertingere nullatenus possunt. Quidquid dulce est ad gustum, quidquid redolens ad olfactum, quidquid plausibile ad auditum, quidquid lene ad tactum, quidquid pulchrum ad visum, carni blanditur et jucundum est ad carnem, et non est animæ bonum in his omnibus. Primum considera ipsum visibile lumen, quod visibilibus omnibus jucundum est, sine quo nihil est visibile. Ipsum ergo magnum bonum est, et inter cætera bona visibilia magis bonum et jucundius bonum est; et tamen bonum animæ esse non potest. Illuminat enim

lumen istud, sed oculos carnis tantum, quia si oculos animæ illuminaret, in hoc lumine positus omnis verum agnosceret. Nunc autem sine isto lumine veritas videtur. Ac per hoc istud lumen non illuminat oculos per quos videtur. Sicut ergo visibile lumen oculos mentis illuminare non potest, sic cibus carnis mentis famem saturare non potest. Sed sunt extra omnia hæc et foris adhærentia, quasi paleæ cibus jumentorum; illa autem quæ extrinsecus sunt bona, quasi ex adipe frumenti panis, cibus hominum. Propterea filii Jerusalem paleas non manducant, sed adipe frumenti satiantur, quia omnes qui internam dulcedinem gustare cœperunt, quidquid extrinsecus transitorie delectat et secundum carnem dulce videtur, despiciunt. Habet ergo caro cibum suum, quo reficitur; habet et anima cibum suum, quo saginatur. Ipse autem cibus animæ verbum Dei est, et ipsum verbum idem lumen est quo illuminatur, et cibus quo reficitur: lumen, quo clarescit ad cognitionem veritatis; cibus, quo pinguescit et hilarescit ad amorem bonitatis. Ipsum ergo verbum Dei primo se effundit, deinde se infundit. Effundit ut videatur; infundit ut percipiatur. Si enim se non effunderet, non cognosceretur; si se non infunderet, non gustaretur. Primo ergo se effudit et perceptibile fecit per creaturam; secundo, per carnem assumptam; tertio adhuc quotidie se effundit per vocem humanam. Post primam effusionem infusum est et conceptum per visum. Post secundam infusionem infusum est et conceptum per fidem. Post tertiam effusionem infunditur et concipitur per cognitionem; et pascit ubique et reficit. Primo ad manifestationem, secundo ad salutem, tertio ad instructionem. Primo ne mali excusentur, secundo ut prædestinati salventur, tertio ut eruditi informentur.

TIT. CXXIII. *Quod scientia et cura dupliciter Deo attribuitur.*

Cognitio vel scientia alia dicitur secundum contemplationem, alia secundum insinuationem. Similiter cura Dei, alia secundum providentiam, alia secundum præceptionem. Secundum contemplationem scit numerum omnium rerum; secundum insinuationem nescire dicitur, quia scientiam non tribuit. Similiter secundum providentiam cura est ei de omnibus; secundum Scripturam et præceptionem non est cura illi de bobus.

TIT. CXXIV. *De duabus partibus concupiscentiæ mundanæ.*

Concupiscentia mundi duas partes habet, honestatem et utilitatem. Quæ duo cum pariter insunt magis moderata sunt, quia vicissim se temperant; et qui ab altero se restringunt ad alterum immoderatius se effundunt. Alii honesta appetunt, quia laudabiles apparere volunt. Alii honesta appetunt, quia despicabiles videri erubescant. Alii honesta fugiunt propter humilitatem. Alii honesta fugiunt propter simulationem. Utilitas ita appetenda est, ut natura foveatur, et culpa exstinguatur.

TIT. CXXV. *De tribus gradibus abstinentiæ.*

Primus gradus abstinentiæ est contentum esse iis quæ dantur; secundus, se in his temperare; tertius, ex his aliquid excipere.

TIT. CXXVI. *Quod multi sola curiositate veritatem quærunt.*

Pilatus interrogavit Jesum: *Quid est veritas?* (*Joan.* XVIII.) et statim egressus est in prætorium. Fecit ergo quæstionem, et non exspectavit responsionem. Sic multi transitorio fervore ad Deum conversi vera bona desiderare incipiunt; sed eadem mentis mutabilitate iterum ad transitoria effusi, in mentis proposito non persistunt. Quærunt ergo conversi per desiderium veritatis, sed non exspectant responsionem aversi per appetitum vanitatis.

TIT. CXXVII. *De duplici superbia.*

Duo sunt genera elationis. Alterum intus per superbiam, alterum foris per typum elationis. Superbia enim intus est, jactantia foris. Superbia alia est, qua in sui consideratione animus intumescit; alia, qua in sui comparatione cæteros despicit. Similiter jactantia foris, alia est qua in sui ostentatione homo blandum se simulat, alia qua se crudelem et metuendum demonstrat. In prima placere nititur, in secunda placere dedignatur. Ex primo igitur genere superbiæ in quo homo sibi placet, primum nascitur genus jactantiæ in quo cæteris placere desiderat; et ex secundo genere superbiæ, in quo alios despicit, secundum nascitur genus jactantiæ, quo se aliis non amabilem, sed metuendum monstrare laborat.

TIT. CXXVIII. *De duplici humilitate.*

Duo sunt genera humilitatis. Primum ad se, secundum ad alios. Humilitas ad se est qua quisque de semetipso parva existimat. Humilitas ad alios est qua bona aliorum homo sine invidia et livore commendat. Per primam humilitatem præesse non cupit; per secundam subesse non contemnit. Humilitas facit ut mala sua homo non excuset. Pietas facit ut mala aliena non aggravet. Item humilitas facit ut quæ in se latent secundum veritatem judicet; pietas facit ut quæ in aliis non patent ad meliorem partem inclinet. Hinc est quod sancti viri semetipsos tam districte dijudicant, et cunctos sibi merito anteponendos putant. Vident enim sua, et quæ manifesta sunt, et quæ occulta; aliorum autem manifesta tantum. Cum itaque de alienis occultis judicare non præsumant, nisi quantum pietate movente, bona esse existimant, plura sunt quæ in se mala vident, ubi et manifesta et occulta vident, quam quæ in aliis, ubi manifesta tantum vident. Nam, etsi quando quædam occulta aliena ex manifestis deprehendunt, sua tamen districte per veritatem judicant; illa autem per pietatem excusando, judicare non præsumunt. Hinc ergo fit ut inferiores se cunctis existiment, et hoc illis sentire dulce sit quod sua mala aggravare et aliorum allevare possit.

TIT. CXXIX. *Quid vere sit homo.*

Unum est in homine cui soli judicium est cum

Deo. Hoc autem est consensus rationis; et hoc vere ipse est homo, cætera hominis et in homine. Hoc solum si bonum est, non est ad malum quidquid in homine est, sive sit bonum sive sit malum: et hoc solum, si malum est, non est ad bonum quidquid in homine est, sive sit malum, sive sit bonum. Sciendum etiam quod sicut in bonis post propositum bonum quædam affectiones malorum sunt non ad culpam, et tamen aliquando occasio culpæ, sic et in malis cum proposito malo sunt affectiones quædam bonorum non ad meritum, quæ tamen sæpe fiunt occasio pœnitentiæ.

TIT. CXXX. *De tribus spiritibus.*

Tres sunt spiritus: Spiritus Dei, spiritus hominis, spiritus diaboli. Spiritus Dei et spiritus diaboli immobiles sunt, alter in bono, alter in malo. Spiritus hominis nunc huc, nunc illuc flectitur; et cui se sociat aliquando est servus, aliquando socius. Scriptum est enim: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* XIV; *Marc.* XIII). Et de altero: *Scitis quia cum gentes essetis ad simulacra muta prout ducebamini euntes* (*I Cor.* XII). Si spiritus hominis aliquando ducitur, aliquando trahitur: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur* (*Ezech.* I).

TIT. CXXXI. *De dilectore et dilecto duplici.*

Indica mihi quem diligit anima mea (*Cant.* I). Alter est dilectus animæ et dilector animæ; alter dilectus carnis et dilector carnis. Christus dilectus animæ est et dilector. Mundus dilectus carnis est et dilector. Dilector qui diligit; dilectus qui diligitur. In hoc probatur quod Christus dilector animæ est, quia in oculis ejus nihil interest qualis species carnis, ubi anima pulchra est. Dilectus autem animæ ideo ipse est, quia in perfruendo ipso anima delectatur. Tale etenim bonum est sapientia, quo perfrui nisi rationalis natura non potest. Sicut caro mundo perfruitur et delectatur, et oculus carnis hoc diligit quod capit; et qui amat speciem, amat et illa quæ speciem commendant.

TIT. CXXXII. « *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis.* »

Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI). Laboro fatigati, onere gravati, luedia macerati, venite ad me. Qualis ad qualem; Clausi, ad ostium; ægroti, ad medicum; naufragi, ad portum. Ad ostium luminis, ad portum quietis, ad medicum salutis. Ad ostium, ut egressi veritatem videatis; ad medicum, ut curati ad sanitatem convalescatis; ad portum, ut collecti post laborem quiescatis. Vacui, ut lumine veritatis impleamini; onerati, ut pondere peccatorum allevemini; laborantes, ut quiete adepta consolemini.

TIT. CXXXIII. *De mortis duobus portis.*

Qui cupiditate peccant sumant David exemplum, ut resurgant. Qui timore peccant sumant Petrum exemplum, ut resurgant. Uterque cecidit, et uterque resurrexit, quia Christus utrumque respexit, alterum per se, alterum per prophetam suum. Istæ sunt duæ portæ mortis: cupiditas et timor; quæ si cui claudantur, non erit quo mundus ingrediatur.

TIT. CXXXIV. *Quomodo malus bona vivat, et quod esse bonum et in eo perseverare non sit ab homine.*

Omnis rei exemplum sub cœlo. Sunt mali qui nunquam boni fiunt. Sunt boni qui semper in bono consistunt. Illi nunquam surgunt, isti nunquam cadunt. Alii qui cum ceciderint non resurgunt; alii cadunt et resurgunt. Qui nunquam surgunt vel nunquam resurgunt, mali sunt. Qui nunquam cadunt vel cum ceciderint resurgunt, boni sunt. Sic duo sunt genera malorum, et duo bonorum: et ubique malus bono vivit. Qui nunquam boni fiunt exemplum sunt bonis ut intelligant non esse ex se quod boni sunt, quia, si bonum esse ex homine esset, omnis homo bonus esset. Iterum qui a bono cadunt et non resurgunt, exemplum sunt bonis, ut sciant gratiam esse non solum quod bonum acceperunt, sed etiam quod in bono perseveraverunt. Si enim perseverare hominis esset, nullus caderet.

TIT. CXXXV. *De duplici fine et medio.*

Vita mortalis medio loco constituta est, et habet ad dexteram suam vitam æternam, ad sinistram autem suam mortem perpetuam. Et ex vita quidem æterna habet quod vita est. Ex morte autem æterna habet quod mortalis est. Via autem qua ad dexteram itur est justitia; via vero qua itur ad sinistram, culpa. Et flectitur ista vita mortalis sive mors vitalis aliquando per culpam ad mortem, aliquando per justitiam ad vitam. Et quæ ad vitam pervenit, amplius non cadit, sicut quæ ad mortem pervenit amplius non resurgit. Finis enim uterque immobilis est; medium mobile et fluctuat donec stabiliatur. *In quamcunque enim partem ceciderit lignum, ibi manebit, sive ad austrum sive ad aquilonem* (*Eccle.* XI).

TIT. CXXXVI. *De duplici judicio superborum.*

De montibus surgunt nubes, quia corda tumida a lumine veritatis caligant. Rursum fulmina montes feriunt, quia potentes majus judicium sument.

TIT. CXXXVII. *Societatem vitæ præsentis instabilem esse et separationem tristem.*

Hoc est unum de magnis malis vitæ præsentis, quod dividuntur ab invicem et simul esse non possunt qui et unum habent ortum et nomen. In hoc ergo tanto magis laudabilis invenitur in conjunctione societas, quanto magis læditur in separatione charitas.

TIT. CXXXVIII. *De laude compassionis.*

O Beata anima quæ compassionem habere potest! Omnes patiuntur, pauci compatiuntur. Quanto autem laudabilius est compati quam pati? Pati siquidem possunt impii; compati autem non nisi pii.

TIT. CXXXIX. *Quare bestiæ crucientur quæ culpam non habent.*

Si pœna culpæ debetur, qui non peccaverunt,

quare patiuntur. Pœna hominis justa est, quia peccavit. Cætera quare puniuntur, quæ non peccaverunt? Sed quæ propter hominem facta sunt, propter hominem puniuntur. Amplius adhuc: quia si non peccasset homo, laborarent propter hominem quæ propter hominem facta sunt, ut sciat homo quanti est apud Deum salus sua; pro quo omnia laborant ne solus ipse laboret, et ut discat pœnam timere, pœnam videns laborantium in pœna.

TIT. CXL. *Quomodo homo a Deo et a se recessit et quomodo redit.*

Homo primum per superbiam recessit a Deo; postea per concupiscentiam recessit a semetipso. Per superbiam factus est diabolus. Per concupiscentiam factus est *sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI). Nunc per humilitatem revertitur ad Deum, per munditiam revertitur ad semetipsum. Per humilitatem meretur gloriam. Per munditiam meretur incorruptionem, gloriam deitatis, incorruptionem immortalitatis.

TIT. CXLI. *Quod homo se et sua male diligit.*

Est quidam amor hominis ad se et ad sua, ad vitam suam et ad concupiscentiam suam. Ad vitam suam quia vult hic esse; ad concupiscentiam suam qua vult hic esse cum istis. Ad vitam suam, qua diligit mundum; ad concupiscentiam suam, qua diligit ea quæ in mundo sunt. Ad vitam suam, qua negligit Deum; ad concupiscentiam suam, qua obliviscitur Deum. Ad vitam suam, qua refugit adversa; ad concupiscentiam suam qua appetit prospera. Refugit timore, appetit cupiditate; et vivunt membra hominis quæ non sunt mortificata super terram. Vivunt et sentiunt. Vivunt discretione, sentiunt delectatione. Discretione in bono et malo; delectatione in solo bono. Discretione in iis quæ odiunt et diligunt; delectatione in his quæ diligunt. Et blandiuntur oculi ad species illecebrosas, ut aperiantur ad videndum. Blandiuntur aures ad cantica sonora, ad verba otiosa, ut aperiantur ad audiendum. Blandiuntur nares ad odorem suavem, ut aperiantur ad olfaciendum. Blandiuntur fauces ad sapores dulces, ut aperiantur ad gustandum. Blandiuntur manus ad tactus molles, ut porrigantur ad tangendum; et luxuriat tota massa naturæ fermento malitiæ et nequitiæ. Malitiæ, in manifesto; nequitiæ, in abscondito. Malitiæ, in opere; nequitiæ, in cogitatione. Malitiæ, carens sinceritate; nequitiæ, carens veritate. Et amat homo perverse se et sua, et nutrit germina, et exhibet mala membra sua arma iniquitatis, abjiciens disciplinam et bonitatem odiens, ne contristet membra sua; laxat frena oculis et auribus, ut intrent et exeant ad delectationes suas et cum delectationibus suis, et ad omnes sensus, ut gaudeant et confruantur gaudiis suis, futuros dolores non prospiciens, primum per negligentiam, postea per contemptum.

TIT. CXLII. *De itinere trium dierum et trium noctium; et de accessu ad Deum et recessu ab eo.*

Ibimus viam trium dierum in desertum, ut sacrificemus Deo nostro (*Exod.* III). Est quidam accessus et recessus animæ ad Deum sive a Deo. Accessus ad Deum, recessus a Deo. Abeunti iter est per noctem; redeunti iter est per diem. Quot noctibus recedit, tot diebus redit. Abeunti primæ noctis iter est per superbiam, qua Deum deserit. Secundæ noctis iter est per concupiscentiam, qua alia præter Deum appetit. Tertiæ noctis iter est per obstinantiam [obstinationem], qua in alienis extra Deum requiescit. In superbia est vanitas; in concupiscentia delectatio; in obstinantia consensus. Per vanitatem igitur abit, per delectationem stat, per consensum sedet. Per superbiam a Deo recedens vadit ad se, ut requiescat in se. Per concupiscentiam descendit sub se, ut requiescat in carne. Per obstinantiam trahitur extra se, ut requiescat in carne visibilium specie, et permaneat in delectatione. Primum, vadit de virtute sua gloriari, secundo, vadit in vitiis suis delectari; tertio, vadit in transitoriis consolari. Primo, *Maledictus homo qui confidit in homine (Jerem.* XVII). Secundo, *Qui ponit carnem brachium suum (ibid.)*. Tertio, *Qui speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua* (*Psal.* LI). Revertente autem primæ diei iter est quando intentionem suam convertit ab eo quod extra ipsum est ad id quod ipsa est. Secundæ diei iter est quando ab eo quod est, animo ducitur ad id quod esse debet. Tertiæ diei iter est quando a perceptione illuminationis rapitur ad fontem luminis. Prima reversio est ab alienis ad propria. Secunda est a malis ad bona. Tertia est a studio virtutis ad perceptionem internæ et æternæ dulcedinis.

TIT. CXLIII. *Quomodo Deus et cibus dicitur per cognitionem et potus per dilectionem.*

Deus noster et cibus et potus est: cibus, quando sumitur per cognitionem; potus, quando per dilectionem. Duplici hoc sensu beata anima Deo fruitur, scilicet cognitione et dilectione, quia cognoscendo vivit et diligendo. In cognitione aliquid laboris esse videtur, in qua quasi cibus, nisi prius mansus, non sumitur. Sic enim scrutationis labore pervenitur ad gustum cognitionis. Dilectionis potus difficultatem non habet, et facilius intrat in animam boni dilectio, quam occulti cognitio.

TIT. CXLIV. *De trina refectione animæ.*

Trina refectione Deus animam fidelem pascit: per verbum, per sacramentum, per spiritum. Quando nos per verba sua et sacramenta reficit, favum nobis edendum proponit. Quando vero intus per Spiritum suum nos reficit, mel nobis gustandum effundit.

TIT. CXLV. *Quæ Dei sunt incomparabilia esse*

Divinæ naturæ excellentia ita omnifariam incomprehensibilis probatur, quod nec ejus æternitatem æquare potest tempus, nec immensitatem locus, nec potestatem opus, nec sapientiam sensus.

TIT. CXLVI. *Quod et sua et aliena ordinat Deus.*

Dispositio divina in omnibus operationis suæ virtutem ostendit. In bonis quidem dupliciter, in quibus utrumque facit, et ut sint et ut ordinata sint. In malis autem simpliciter in quibus non facit quidem ut sint, sed tantum ut ordinata sint.

Tit. CXLVII. *Quod septem modis suscepit Deus homines.*

Septem modis suscepit Deus homines: Primo ad sponsionem, secundo ad protectionem, tertio ad sustentationem, quarto ad reconciliationem, quinto ad approbationem, sexto ad consolationem, septimo ad remunerationem. Primum pugnaturus contra diabolum suscepit in causa ut quasi spondeat pro eis, quando confidit in eis; quemadmodum causam beati Job, quasi cujusdam agonistæ sui, contra diabolum defendendam suscepit. Quosdam autem, quasi timidos et inertes, a pugna fugientes, suscepit ad protectionem, ne labantur; alios in pugna ruentes suscepit ad sustentationem, ne conterantur; alios post ruinam surgentes suscepit ad reconciliationem, ut restituantur; alios jam bene agentes suscepit per approbationem, ut remunerentur; alios post bonam operationem suscipit per remunerationem, ut glorificentur; alios inter operandum fessos suscipit per internam aspirationem, ut refocillentur et consolentur.

Tit. CXLVIII. *De exercitationibus et profectibus hominum.*

Alii sunt laborantes et non proficientes, alii laborantes et proficientes, alii non laborantes et proficientes. Laborantes et non proficientes sunt miserandi. Laborantes et proficientes sunt laudandi. Proficientes et non laborantes sunt beatificandi. Qui pro mundi gloria laborant, laborem habent, profectum non habent. Qui pro vita æterna laborant, laborem quidem habent, sed in labore suo etiam fructum habent. Qui gratis dona virtutum suscipiunt, ii profectum habent ubi laborem non habent.

Tit. CXLIX. *De triplici fructu lectionis.*

Primus fructus lectionis est ut ad veritatem cognoscendam erudiaris; secundus, ut, ad virtutem amandam exciteris; tertius, ut intentione legendi occupatus, corde non vageris.

Tit. CL. *De duplici fructu jejunii, laboris et orationis.*

Primus fructus jejunii est mortificatio carnalis delectationis; secundus, ut per afflictionem carnis corde compungaris.

Primus fructus laboris est occupatio; secundus, exercitatio.

Primus fructus orationis est petitionis impetratio; secundus, devotionis exercitatio.

Tit. CLI. *Quare damnentur qui non peccaverunt.*

Quare, inquis, damnantur qui non peccaverunt? Ostende justitiam quare pœnam sustinet qui culpam non perpetravit. Quis ille? Puer, ais, qui recens natus moritur, et ideo damnari dicitur, quia renasci non potuit. Iste, inquis, culpam non fecit, et sustinet pœnam. Non ergo potuisti dicere: Culpam non habet. Habet enim culpam, quamvis non fecerit culpam; culpam enim nascendo contraxit quam faciendo non perpetravit. Itaque pro culpa punitur quam habet; quæ et ipsius est, quia eam habet; et aliena est, quia aliunde habet. Tamen omnino pro culpa sua punitur quam nasci contulit, renasci non abstulit. Sed anima, inquis, ipsa, quæ nec per conditionem, quia munda creata est, nec per nativitatem, quia ex traduce non est, nec per operationem, quia necdum bonum aut malum facere potens est, culpam habet, quare rea judicatur, et pro reatu condemnatur? Sic igitur instas ut probes pœnam esse sine culpa, ac per hoc ipsam pœnam justam non esse quæ sine culpa infertur. Hoc ergo dicis, quasi nulla pœna justa esse possit, nisi pro culpa illata fuerit. Dic ergo: Bruta animalia quare puniuntur quæ non peccaverunt? Cum solus homo peccaverit, quare cætera cruciantur? Omnia laborant ne solus ipse laboret qui potius solus laborare debuit, quia solus ipse peccavit. Si non potest Creator, secundum beneplacitum omnipotentis voluntatis suæ servitio creaturæ suæ uti, etiam cum labore et pœna illius ad implendam dispensationem suam, dic quomodo injustum non est ut ista puniat quæ non peccaverunt. Sed debet Creatori suo factura laborem suum etiam sine culpa, si illi placuerit, cum ratio expostulet ad implendam dispensationem ipsius. Nec injustum est, cum illi placet cui nihil injustum placet. Sicut enim totum illi debet quod est, sic etiam totum illi debet quod potest, ut, quantum ipse vult, ex eo illi serviat, et quomodo vult. Secundum hoc quoque justitiæ moderamen, utitur Deus labore creaturæ suæ ad servitium hominis, ut ex eo ipso intelligat homo quantum sibi collatum sit, et quantum ipse Deo debeat pro quo laborant omnia, ne solus ipse laboret. Sed aliud est, inquis, de pœna brutorum animalium agere, aliud de pœna rationalium, quibus solis sicut datum est benefacere, ut glorificentur, ita justum nullatenus est ut puniantur, nisi male fecerint. Quid ergo? Nunquam homo punitus est sine culpa? Dic igitur: Cæcus ille a nativitate quid fecit, ut cæcus nasceretur? De quo scriptum est: *Neque hic peccavit neque parentes ejus, sed ut manifestarentur opera Dei in illo* (*Joan.* IX). Job qua culpa flagellum meruit, qui dicit: *Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus?* (*Job* XVII.) Quia ergo et justus aliquando pœnam sustinet quam peccando non meruit, qui non meruit ut sustineat, sed sustinet potius ut mereatur; quare in his qui præter originale nihil commiserunt, tanto studio Deum injustitiæ arguere volumus, quia pœnam cernimus, et culpam actualem non invenimus? Maxime quia dictum est mitissimam esse pœnam illorum qui, præter originale, nihil commiserunt. Si ergo Deus, ad demonstrandam gloriam suam, in vasa misericordiæ vult quosdam quidem qui actualiter peccaverunt, cruciari in pœna, alios autem qui originaliter tantum rei tenentur, excludi a gloria, ut electis suis in illis quidem, ostendat quantam miseriam evaserunt, in istis autem quantam gloriam consecuti sunt, quis ei dicere potest: Cur ita facis? Qui, cum vult, sine culpa juste pœnam ferre potest, sicut culpanti, ne pœnam inferat, juste ignoscere potest. Sed forte non illa sola putetur esse pœna eorum qui pro originali tantum culpa damnati sunt, quod a gloria beatitudinis excluduntur, nisi etiam

tormentorum eruciatibus afficiantur. Sed si alia est, quæ, vel qualis sit, nescio; unum scio, quod hæc magna pœna et magna miseria est non habere bonum illud sine quo nulli bene esse potest, qui sic ab illo accepit esse, ut in illo haberet beatum esse.

TIT. CLII. *Quomodo sapientia vincit malitiam.*

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo, superveniens, vicerit eum, universa arma ejus in quibus confidebat, etc. (*Luc.* XI). Atrium est cor; fortis armatus, malitia; fortior superveniens, sapientia; arma, membra. Sapientia primum malitiam capit, per cognitionem eam deprehendens; postea ligat, ab opere cohibens: deinde flagellat, quia pravus affectus quasi duris quibusdam flagellis cæditur, quando per studium disciplinæ ab eo quod appetit refrenatur; novissime quasi membris in crucem extensis et divisis a se clavis, configitur, quando, divisis a se vitiis, timore Dei animus penetratur, quando simul omnia vitia fortia sunt, quia mutuo se muniunt, ut gula luxuriam, pompa superbiam, et cætera. Divide ergo illa et ab invicem disjunge; et sic confige timore Dei carnes tuas, ut malitia in te moriatur. Non autem mireris si sapientia malitiæ facit quod a malitia prius ipsa sustinuit. Prius malitia crucifixit sapientiam; postea sapientia, prævalens, crucifigit malitiam.

TIT. CLIII. *De dispensatione.*

Quod sine culpa fieri non potest, faciendum non est; et si aliquando conceditur, ipsum malum non est. Indulgentia eget, quia non sine malo est. Propter hoc clamat Apostolus, post peccatum: *Bonum est homini mulierem non tangere* (*I Cor.* VII), quod quidem peccatum non esset, si sine peccato fieri posset. Nunc ergo, quia sine culpa fieri non potest, si non fit, meritum est; si fit, indulgentia eget. Ita non correcto corrigendi potestas negatur. Arguere vis peccantem fratrem tuum, vide si potes sine culpa. Quid est sine culpa? pure, pacifice, sine malitia, sine ira. Alioquin, si irasceris, eum irascentem reprehendis, cadis in vitium quod damnas, et testis efficeris contra te. Si talia es, dimitte, noli tangere, ne tibi dicatur: *Medice, cura teipsum* (*Luc.* IV). Et, *Qui sine peccato est, mittat in eam lapidem* (*Joan.* VIII). Ille quidem increpandus est, si a te non est. Si adulteram lapidare vis, audi quod dictum est: *Si quis sine peccato est, mittat in eam lapidem.* Illam judicandam non nego, sed te judicem nolo. Propterea semper time ne festines ad arguendum.

TIT. CLIV. *Quod Deus prius temporale esse dat, et postea æternum.*

Voluit Creator ante æternitatem tempus esse ut in tempore primum quasi aliquod esse inciperet, postea in æternitate melius perficeretur. Propterea prius creaturæ suæ temporale esse dedit, postea daturus æternum.

TIT. CLV. *Quod Scriptura aliquando ostendit, et aliquando tribuit mores bonos et virtutem.*

Quædam sunt Scripturæ quæ bonos mores ostendunt; quædam vero sunt quæ bonos mores tribuunt. Illæ mentem ad cognitionem virtutis erudiunt docendo; istæ ad effectum virtutis compungunt exhortando.

TIT. CLVI. *De duplici perfectione charitatis.*

Duobus modis charitas perfecta dicitur: constantia et devotione. Constantia perfecta est charitas, quando fortis est ad omnia adversa toleranda; devotione perfecta est, quando plene succensa est ad ea quæ recta sunt appetenda. Constantia perfecta est, quando sic viget ut non possit superari: devotione perfecta est, quando sic ardet ut amplius non debeat inflammari. Prima perfectio aliquando huic vitæ conceditur; secunda vero ad futuram reservatur. Constantia in Petro, ardor in Joanne. Constanti dicitur: *Confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII); tenero autem: *Sic eum volo manere, donec veniam* (*Joan.* XXI).

TIT. CLVII. *De terrore et blandimento Dei.*

Sapientia Dei aliquando nobis in eloquio divino minatur ut timeamus majestatem; aliquando blanditur ut diligamus pietatem. Terror in Joanne, blandimentum in Christo. Timor per servum, amor per filium.

TIT. CLVIII. *Quid significet quod scriptum est: « Melior est iniquitas viri quam mulier, etc. »*

Melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier (*Eccli.* XLII). Si per sensualitatem mystice mulierem intelligere volumus et per rationem virum contrarium, fortassis erit quod dicit Scriptura quia primo homini, recens plasmato, cum adjutorium quæreretur in omnibus animantibus, simile inveniri non potuit. Propter quod et mulier postea ei facta est in adjutorium illius, utique similitudinis, quæ in cæteris omnibus inventa non fuerat; ut autem eamdem similitudinem haberet cum ipso, facta est de ipso, quia omnis similitudo aut æmulatio est, aut origo. Quapropter quæramus duo similia, prius unum in uno, postea duo ex uno. Quando solus vir erat et adhuc in viro mulier erat, quasi duo in uno erant, et duo unum erant. Quando autem mulier de viro facta est, unum quodammodo duo factum est, et divisit se unitas, ut una similitudo in duobus consisteret. Itaque quæramus duo in uno, vel potius duo et uno in similitudine una. In quo ono masculus et feminaunum sunt in Christo Jesu. Quid ergo illud unum est in quo et ex quo duo sunt in similitudine una? Respiciamus ad interiorem hominem. Illic quiddam est ad cœlestia et superna intendens, et hoc sapientia dicitur; et rursum quiddam ad transitoria et caduca respiciens, et prudentia vocatur, et hæc duo ex ratione una sunt, et in ratione una consistunt, et dividit se ratio in duo, sursum et deorsum: sursum in sapientia, deorsum in prudentia; sursum in masculum, deorsum in feminam: ut masculus superior sit et regat, femina inferior et regatur. *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus* (*I Cor.* XI; *Ephes.* V). Prudentia sapientiam regit. Sapientia vero

verbum Dei. Verbum autem Dei ab ipso est cujus est, Prudentia, quasi mulier curam domus agens, circa ea quæ carnis sunt stringitur. Sapientia vero, quasi vir in longinqua sagacitatem suam extendens, per amplitudinem spiritualis contemplationis evagatur. Hæc est quod mulier illa fornicaria quæ propter absentiam disciplinæ simul et continentiæ modestiam postposuerat, virum suum peregre profectum asserit, domumque ac cubile amatoribus suis pictis tapetibus in blandimenta voluptatis se stravisse testatur (*Prov.* VII), quia nimirum prudentia in terrenis et transitoriis pressa, cum per præsentiam sapientiæ superioris non regitur, desideriis carnis suæ quasi quibusdam amatoribus per illecebrosas species rerum visibilium ad illicitam delectationem famulatur. Fortis autem illa mulier, quam Sapientia commendat, quia bene domum suam disposuit, laudata est a viro suo, fructum capiens ex operibus manuum suarum (*Prov.* XXXI). Hæc est ergo benefaciens mulier, quæ tamen iniquitati viri comparari non potest ut in hoc manifeste demonstretur quantum distet ab æquitate illius malefaciens, si nec benefaciens iniquitati ejus potest coæquari. Considerate modo quando mulier benefacit, et in quo benefacit. Quando facit quod facere debet, benefacit. Quid facere debet? Prudentia dicitur, quia providere debet ea scilicet quæ necessaria sunt et commoda carnis suæ, quoniam ipsi commissa est cura illius. Vir autem quando benefacit, et in quo benefacit? Quando sapientia sursum intendit, appetens, et desiderans ea solum quæ beneplacita sunt Deo, tunc vir benefacit. Vir ergo benefacit, quando sapientia ad superius suum amore et desiderio intendit. Mulier autem benefacit, quando prudentia inferiori suo infirmanti curam ac sollicitudinem impendit. Vidistis hominem commoda carnis suæ studiose ac callide perquirentem, et pro ipsius delectatione complenda studio atque intentione assidua insistentem: hic mulier erat benefaciens. Vidistis rursus hominem gustu interni saporis roboratum, carnem suam affligentem et pro intuitu supernæ remunerationis non solum superflua, sed etiam necessaria subtrahentem: hic erat vir inique agens. Si enim æquitas est, cum carni quod suum est tribuis, non immerito iniquitas vocatur, quando quod debitum est illi non impendis. Sed tamen *melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier*: quia melior est qui, per cœleste desiderium accensus, carnem suam necessaria etiam subtrahendo affligit, quam qui, per carnalem affectum resolutus, desideriis ipsius per omnia quæ commoda sunt illi satisfacere contendit. Mulier malefacit, quando, per imprudentiam vel per pigritiam ligata, carnem suam negligit, vel per sollicitudinem vanam distracta ad superflua quærenda se effundit. Quando ergo benefacit mulier, virtus non est; sed quando malefacit, culpa. Iniquitas autem viri desiderium est justitiæ; bonitas autem perceptio gloriæ. Si ergo vir iniquus est ad justitiam, mulier autem bona ad naturam, *melior* profecto est *iniquitas viri quam benefaciens mulier*, quia si natura bona est in conditione, justitia melior est in retributione.

TIT. CLIX. *De Filii Dei generatione æterna.*

Quando Pater coæternum sibi Verbum genuit, tunc *dixit*, *Filius meus es tu* (*Psal.* II). In verbo *dixit*, et *Filius meus es tu*, genuit. Quis vero generatio transitoria non est, dicitur *hodie*; et quia perfecta, *genui*. Ideo enim per præteritum dicitur, ne putetur imperfecta; et ideo per *hodie* quod est præsens, ne transacta.

TIT. CLX. *De tribus quæ sunt in sermone Dei.*

Tria sunt in sermone Dei: Elementa, exordia et completiones. In elementis expressio vocis sed intelligentia non est: in exordio sermonis intelligentia est, sed perfecta non est; in completione sermonis, perfecta intelligentia est. Figuræ Veteris Testamenti elementa fuerunt sermonis Dei. Præcepta Decalogi exordium fuerunt sermonis Dei. Præcepta novi Testamenti completio sunt sermonis Dei. Prohibitio porcinæ carnis elementum fuit sermonis Dei. Prohibitio mœchiæ carnalis, exordium; prohibitio spiritualis mœchiæ, completio. In Veteri Testamento iterum quando dictum est: *Carnem cum sanguine non comedetis* (*Gen.* IX), elementum fuit; quando dictum est: *Non occides* (*Exod.* XX), exordium; quando dictum est: *Si quis irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio* (*Matth.* V), completio. In Veteri Testamento vox fuit, in Novo intellectus, in vita æterna, res. In Veteri Testamento via fuit, in Novo, veritas, in æternitate, vita. Unde dicitur: *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV). Idem enim et ibi via fuit, et hic veritas est, et ille vita erit.

TIT. CLXI. *De duplici cibo et potu Scripturarum.*

In refectione duo sunt: potus et cibus. Potus facile sumitur sicut est. Cibus sumi non potest nisi cum labore quodam masticetur. Ea quæ in Scripturis inveniuntur facilia ad intelligendum, potus sunt, quæ difficilia et obscura, cibus. Quæ facilia sunt ad intelligendum et suavia ad faciendum, lac sunt, id est potus dulcis. Quæ facilia sunt ad intelligendum et gravia ad faciendum, vinum sunt, id est potus austerus. Quæ difficilia sunt ad intelligendum et gravia sunt ad faciendum, sunt panis doloris. Quæ difficilia sunt ad intelligendum et dulcia ad faciendum, panis exsultationis. Quatuor igitur sunt quæ reficiunt: potus dulcis et potus amarus, et cibus amarus et cibus dulcis. Item quatuor sunt genera reficiendorum: Alii, qui solo lacte nutriuntur; alii, quibus cibus frangitur et masticatur; alii, quibus non masticatur, sed frangitur; alii, quibus nec masticatur nec frangitur. Qui in præceptis Dei ea tantum quæ facilia sunt ad intelligendum libenter audiunt, et quæ levia sunt ad faciendum obedienter agunt, ii quasi lacte nutriuntur. Alii autem ad solidum cibum habiles sunt, quia in præceptis Dei et fortia agere et obscura intelligere possunt, si tamen obscura per expositionem fracta aperiantur, et dura per exhortationem et consolationem masticata emolliantur. Præcepta enim fortia per rationem

faciendi franguntur, et per blandimenta et consolationes masticantur, ut infirmiores quosque nutrire possint. Alii sunt qui non indigent cibo masticato, sed fracto, quia voluntate parati sunt, ubi rationem faciendi agnoscunt. Alii autem in præcepto obedientiæ rationem faciendi quærere indignum existimant, quia pro solo præcepto obedientiam debere se putant. Isti cibum verbum Dei et frangunt et masticant, quia fortes fide nec in occultis rationem importune exigunt, et charitate ferventes in difficilibus exhortationem non exposcunt. Infantibus lac datur. Pueris cibus frangitur et masticatur. Juvenibus non masticatur, sed frangitur. Viris nec masticatur nec frangitur, qui exercitatus habent sensus, ut possint uti solido cibo.

Tit. CLXII. *De duplici sensu animæ, de intelligentia et sapientia.*

Duplex est sensus animæ. Sensus enim animæ sunt intelligentia et sapientia. Sensus intelligentiæ ad cognitionem pertinet; sensus sapientiæ, ad virtutem. Sensus intelligentiæ foris exercetur per lectionem, intus per meditationem. Sensus sapientiæ foris exercetur per operationem, intus per tentationem. Sensus intelligentiæ est bonum cognoscere, sensus sapientiæ est bonum amare. Quidam interius sensu intelligentiæ vivunt, et sensu sapientiæ mortui sunt. Quidam interius sensu sapientiæ vivunt, et necdum sensu intelligentiæ plene vivificati sunt. Alii nec intelligentiæ nec sapientiæ seorsum percipiunt. Alii et intelligentiæ et sapientiæ sensu vivunt. Sensus sapientiæ et intelligentiæ in quibusdam usu exercitatus acuitur, in quibusdam vero ipso exercitationis suæ usu amplius hebetatur. Hinc est quod quibusdam ex frequenti auditu obtusis verbum Dei in fastidium vertitur. Alii, ex quotidiana auditione amplius ad amorem verbi inflammantur. Sic filii Israel in deserto usu manna fastidiunt, et duo discipuli in via loquentis Jesu sermonibus corde inardescunt. Ita machæra cotis confricatione acuitur, et culter assidua soli scissione hebetatur. Vomer sulco attritus splendescit, et cacabus assidua flammæ lambentis adustione offuscatur. Sed væ qui de bono deteriores fiunt!

Tit. CLXIII. *De duplici permissione et prohibitione divina.*

Duobus modis aliquid Deus permittere dicitur, vel obstaculum auferens, vel non opponens. Item duobus modis prohibere, scilicet vel obstaculum non auferendo vel opponendo.

Tit. CLXIV. *Quod Deus tribus modis cor emollit.*

Tribus modis Deus cor emollit: Primum, per inspirationem, bonam voluntatem creando; postea, per aspirationem, excitando; deinde, per occasionem foris adhibitam, quasi viam aperiens, ad perfectionem provocando. Per inspirationem, ponit, per aspirationem impellit, per occasionem trahit. Ponit ad volendum, impellit ad appetendum, trahit ad perficiendum. In cordibus autem malorum Deus pravas voluntates nec inspirando creat, nec aspirando excitat. Tantummodo secundum dispensationem suam aliquando manifestam, aliquando occultam, semper autem justam, occasionem aliquando foris adhibendo justo judicio præcipitat. Ergo in cordibus bonorum voluntates rectas primum intus ipse facit, et deinde easdem foras ubi voluerit et quantum voluerit, ad effectum dirigit. Pravas autem voluntates ipse intus non efficit, sed a semetipsis interius corruptas secundum suæ voluntatis arbitrium ad dispensationis intimæ ordinem complendum inflectit. Bonas igitur voluntates Deus operatur; malas vero non operatur: tamen et per bonas et per malas voluntates non malum, sed bonum operatur. Igitur utrisque non præbet originem, ut sint; sed utrisque viam aperit, ut perfici possint: et idcirco etiam si voluntas mala est, potestas mala esse non potest, quia, cum a nobis est quod volumus, ab ipso est ut voluntatem implere possimus. Ergo nec per inspirationem nec per aspirationem Deus corda malorum obdurat, sed solum per adhibitam foris occasionem. Sic Pharaonem et Ægyptios obdurasse dicitur, quemadmodum scriptum est: *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus*, etc. (*Psal.* CIV.) Non pervertendo voluntates eorum, ut malæ essent, sed, inclinatis ad pravitatem foris, viam aperiendo, ut ruerent. Nam cum populum suum, filios videlicet Israel, in oculis eorum et numero auxit et divitiis sublimavit, tunc nimirum corda adversariorum prosperitati suorum invidentium livoris tabe astrinxit. Unde ergo extulit, inde illos obduravit, non quidem intus aspirans augmentum malitiæ, sed foris provocans intuitu æmulationis perversæ. Adhuc etiam quotidie, cum mentibus humanis congrua internis motibus suis extrinsecus occasio opponitur, ut qui in sordibus sunt amplius sordescant, et justi amplius justificentur (*Apoc.* XXII).

Tit. CLXV. *De libertate et servitute charitatis.*

Per charitatem Spiritus servite invicem (*Gal.* V). Nota utrumque in charitate, et servitutem et libertatem. Tunc quasi libera est charitas, cum sine acceptione mandati sponte se exercet in privatis quibusdam operibus charitatis; tunc autem quasi servilis, cum, propriis voluntatibus postpositis, omnimodo se accommodat voluntatibus proximorum implendis, et, cohibens se circa propria, dilatat et exercet se circa aliena. Sed multo magis hæc libera est, quia hoc ipsum facit eam liberam, quod se libere omnium subjicit servituti.

Tit. CLXVI. *De illo Pauli: « Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. »*

Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (*Gal.* VI). Alii sunt quibus mundus crucifixus est, ipsi vero non sunt mundo crucifixi. Alii qui mundo sunt crucifixi, sed mundus eis crucifixus non est. Alii qui et mundo crucifixi sunt, et mundus eis crucifixus est. Illis enim mundus crucifixus est, qui despecti habentur mundo, nec sequitur eos mundus. Illi sunt mundo crucifixi qui affixi tenentur nec sequuntur mundum, sed prorsus eum abjecerunt.

Apostolus autem prorsus abjecerat mundum, et mundus ipsum. Ideoque dicit. *Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo.*

TIT. CLXVII. *De essentia et forma animæ.*

Duo sunt in anima, essentia et justitia, quæ forma est illius. Secundum formam creatur, sed secundum essentiam innovatur. Forma enim omnino potest perire; essentia non omnino perit, sed deformatur amissa forma. Unum est illud : *Spiritum innova in visceribus meis* (*Psal.* L). Et de justitia creanda : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum*, etc. (*Ibid.*)

TIT. CLXVIII. *De triplici acceptione naturæ.*

Tribus modis accipitur natura in sancta Scriptura : Accipitur pro illo optimo statu primæ conditionis in quo primus homo conditus est : secundum quod dicuntur omnia naturaliter esse bona. Accipitur et pro reliquo illius statu, quod post lapsum superest, et viget in mente hominis : secundum quod habetur in Epistola ad Romanos : *Judicabit id quod ex natura est præputium legem consummans, te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator es legis* (*Rom.* II). Quod est dicere : Gentiles qui implent legem per vim rationis sibi innatam, quæ est in appetitu boni, illi tales judicabunt Judæos. Accipitur in tertia acceptione pro corruptionis statu in quo omnes nascimur. Unde Apostolus : *Natura sumus filii iræ* (*Ephes.* II).

TIT. CLXIX. *Quod Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.*

Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V). Huic sententiæ contrarium esse videtur quod ipse Filius de se dicit : *Ego non judico quemquam* (*Joan.* VIII). Sed nos oportet verba divina ita intelligere, ut non discrepent testimonia veritatis. Quapropter discernamus paulisper qualitatem judiciorum, ne forte interpretatio confusa intelligentiam nostram coarctet. Quatuor ergo sunt judicia : secundum præscientiam, secundum causam, secundum operationem, secundum retributionem. Secundum præscientiam judicati fuimus antequam essemus; secundum causam judicamur ex quo boni vel mali esse incipimus. Quid est enim judicium nisi discretio? Quos igitur prius discrevit præscientia, illos postmodum discernit causa. Sed nos de Filio dicere non possumus quod ipse vel solus sine Patre et Spiritu sancto præscientiam futurorum habeat, vel solus causas hominum occultas discernat. Et ideo cum dicitur : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*, de his judiciis intelligere non possumus quæ Patri simul et Filio et Spiritui sancto communia esse scimus. In his ergo quæ supersunt duobus sententiam quæramus. Hæc enim duo, id est judicium secundum operationem et judicium secundum retributionem, ad solum Filium referuntur. Quorum alterum, id est judicium secundum operationem, dispensat nunc per ministeria hominum; alterum vero, id est judicium secundum retributionem, postmodum exhibebit per semetipsum. Judicium enim secundum operationem est quando judicantur opera hominum, non homines; judicium autem secundum retributionem, quando pro operibus suis judicabuntur homines. Alterum ad præsens tempus pertinet, alterum ad futurum. Alterum a Deo concessum est hominibus servis Dei, per eos et in eis judicante Deo; alterum per semetipsum implebit, præsentibus et attestantibus servis suis, homo Deus. Opera namque hominum sub Deo judicare homo potest; homines autem pro operibus suis judicare non hominis, sed Dei est. Potest enim homo pro modo suo et ordine opus proximi, si tamen manifestum est et judicio subjacet, vel probare, si bonum, vel improbare, si malum est, sic tamen ut eos quorum opera vel probat vel improbat judicare non præsumat, quia et il, quos aliquando perversa agere conspicimus, in bonum consummari videmus; et sæpe qui bona multa in conspectu hominum faciunt, conversi tandem retrorsum infausto fine vitam claudunt.

Propterea, ut dixi, homines qui futura prævidere nequeunt, de præsentibus tantum judicare possunt, ut eos etiam quorum facta damnabilia reputant, damnare suo temerario non præsumant. Hoc est judicium quod Christus Petro, et cum Petro omnibus vice sua fungentibus concessit dicens : *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI); et : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis* (*ibid.*). De judicio autem retributionis ait Apostolus : *Tu quis es qui alienum servum judicas? Suo Domino stat aut cadit* (*Rom.* XIV), videlicet ostendens quod ille solus potestatem habet, sive ad mortem sive ad vitam judicare homines, et suæ servituti subjicere, qui pro eis pretium sui sanguinis dedit, et eos a servitute diaboli redemit. *Omne* ergo *judicium Pater dedit Filio*, ut ipse in præsenti per servos suos vice sua fungentes judicet facta hominum; in futuro autem homines pro factis suis judicet per semetipsum. In judicio itaque præscientiæ et causæ Pater simul et Filius et Spiritus sanctus judicant et examinant justitiam. In judicio operationis et retributionis solus Filius sive per se sive per servos suos, quos ipse ad hoc ordinare voluit, judicii profert sententiam. Solus ergo judicat Filius qui solus omne judicium dispensat, sive, ut diximus, in præsenti quando per vicarios suos causas æquitatis peragit, sive in futuro, quando ipse ad judicandum secundum formam humanitatis visibiliter se manifestabit. Ex his satis colligi potest quomodo Filius omne judicium acceperit, et tamen neminem judicet, quia sicut in forma hominis accepit in omni judicio solus proferre sententiam : ex forma hominis non habet, sed ex majestate divinitatis ut non solus, sed simul cum Patre et Spiritu sancto dictet justitiam. Propterea in alio loco secundum formam susceptæ humanitatis loquens ait : *Ego sicut audio judico* (*Joan.* V). Ipse enim sicut audit judicat, quia ex interna dispositione trahit omne judicium quod foris dispensat. Sed est adhuc aliud quod in his verbis considerare possu-

mus : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Habuit enim Deus Pater judicium cum homine quem creaverat ut contemptus sui pœnam exigeret. Habuit judicium cum diabolo, ut invasionis et rapinæ quam fecerat hominem seducendo, causam redderet; sed quia solus Filius per incarnationis mysterium et diabolum vicit et hominem a potestate ejus eripuit, quasi a Patre acceptum judicium solus explevit. Omne autem judicium a Patre accepisse dicitur, quia et primum pro homine, postea de homine, ac deinde hominem judicare mittebatur. Pro homine judicavit, quando eum a potestate diaboli eripuit. Unde ait : *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII). Nunc autem de homine judicat, quosdam per gratiam vocans, quosdam vero per justitiam reprobans, et in ipsis vocatis alios incremento virtutum promovens, alios autem a gratia decidentes relinquens. In futuro autem hominem judicabit, quoniam unicuique secundum opera sua reddens, ad gloriam alios destinabit, ad pœnam alios.

TIT. CLXX. *De eo quod scriptum est : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. »*

Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Matth.* VI). Minus est debita dimittere quam inimicos diligere. Christiano autem ad perfectionem virtutis dicitur, ut non solum non odiat, sed etiam ut diligat inimicos. Sed quia ad hujus præcepti eminentiam non omnes ascendere possunt, ne fiduciam orandi imperfectiores perdant, quibus fortasse non odisse inimicos sufficere potest, ipsa orationis conditio sic temperata est. Sed cavendum summopere est iis qui in suis precibus exaudiri desiderant, ut si necdum affectum charitatis inimicis impendere prævalent, saltem fraterni odii nihil in corde residere permittant, ut fiducialiter dicere possint : *Dimitte nobis debita nostra*, etc. Nam ex conditionis ratione si non perfecte dimittunt, ipsi se sua oratione magis constringunt. Sunt namque qui sic dimittunt ut vindictam quidem injuriæ non exigant, et tamen ab animo odium inimici non excludant. Quod si nos tali modo debita nostra dimitti petimus, quid aliud petere convincimur, nisi ut nos odiat, et nos puniat Deus? Omnis ergo amaritudo et rancor necesse est ab animo excludatur, ut pura conscientia precibus citius effectum tribuat, si in animo nostro nihil resederit quod eum, quem fallere non possumus, offendat.

TIT. CLXXI. *Quod amor Dei sit vita cordis.*

Vita cordis amor est, et idcirco omnino impossibile est ut sine amore sit cor quod vivere cupit. Quid hinc sequatur considera. Si enim humana mens sine amore esse non potest, aut seipsam aut certe aliud aliquid a se diligat necesse est. Quia vero in seipsa perfectum bonum non invenit; si se solam diligeret, felix amor non esset. Oportet ergo, si feliciter amare desiderat, ut aliud aliquid præter se quod amet inquirat. Si autem imperfectum aliquid extra se amare cœperit, amorem quidem suum irritat, sed miseriam non excludit. Feliciter ergo non diligit, donec ad verum et summum bonum per amoris desiderium se convertit. Quia vero summum et verum bonum Deus est, solus ille feliciter amat qui Deum amat; et tanto felicius quanto amplius. Hæc est igitur vera cordis nostri requies, cum in amore Dei per desiderium figitur; nec ultra quidquam appetit, sed in eo quod tenet, quadam felici securitate delectatur. Quia enim illud nec appetitus ultra protrahit, nec timor repellit, quodammodo in idipsum jucunditatis sine vexatione requiescit. Sed quia humanæ mentis infirmitas, ut non dicam semper non, sed vix aliquando, in illam divinæ contemplationis dulcedinem figi potest, quodam interim studio ad illam ad quam necdum pertingere sufficit stabilitatem assuefacienda est : id est, si Deum semper cogitare non possumus, saltem cor nostrum ab illicitis et vanis cogitationibus restringendo in consideratione operum Dei et mirabilium ejus illud teneamus, ut dum semper minus instabiles esse satagimus, tamen aliquando donante Deo vere stabiles fieri valeamus. Ut autem promotionis hujus aliquod tibi exemplum subjiciam, universus iste mundus quasi quoddam diluvium est : quia omnia quæ in hoc mundo sunt ad similitudinem aquæ incertis eventibus fluctuando decurrunt. Vera autem fides, quæ non transitoria, sed æterna promittit, quasi a quibusdam fluctibus sic a mundi hujus cupiditate in superna animum attollit, et portari quidem ab aquis potest, sed mergi omnino non potest, quia ad necessitatem hoc mundo utitur, sed ejus desideriis per affectum non implicatur. Quisquis ergo æterna non credens, sola quæ transeunt appetit, hunc quasi sine navi laborantem in fluctibus impetus aquæ decurrentis secum trahit. Qui vero æterna credens transitoria diligit, hic juxta navem naufragium facit. Qui autem æterna bona et credit et diligit, hic in navi positus fluctuantis maris undas securus pertransit. Et quia per desiderium fidei navem non transgreditur, jam quodammodo in fluctibus terræ stabilitatem imitatur. Primum ergo si hoc mare magnum illæsi pertransire volumus, fabricemus navem, ut fidem integram habeamus. Deinde navem fidei inhabitemus per charitatem, ut et credamus quod diligere debemus, et diligamus quod credimus. Sicque et lex Dei in corde nostro sit per rectæ fidei cognitionem, et cor nostrum in lege Dei sit per dilectionem. Sed ut facilius cognoscas quomodo vel unde hanc quam dixi navem sive arcam in corde tuo ædificare debeas, per quam hujus diluvii naufragio eductus, ad portum quietis pervenias, duo opera Dei considera : videlicet opus conditionis et opus restaurationis. Opus autem conditionis est creatio cœli et terræ et omnium quæ in eis continentur, quæ sex diebus facta sunt; opus vero restaurationis, incarnatio Verbi, et omnia quæ a principio mundi usque ad finem vel ad ipsam prænuntiandam præcesserunt, vel ad ipsam confirmandam secutura sunt. Quæ omnia sex ætatibus

fiunt; sed opera restaurationis magis pertinent ad fidem Catholicam, quæ idcirco sancti amplius diligunt, quia in eis suæ salutis remedia agnoscunt. Hæc autem partim per homines, partim per angelos, partim per semetipsum operatus est Deus, ut in arca spir ali prima sit mansio opera hominum, secunda opera angelorum, tertia opera Dei. Supremus cubitus auctor universorum Deus.

Tit. CLXXII. *Duobus modis humilitatem impugnari.*

Duobus modis diabolus humilitatem in nobis oppugnat, per injuriam videlicet, et per reverentiam. Aliquando enim instigat homines, ut injuriam nobis inferant; ac per hoc ad indignationem, et ad iram, et ad impatientiam nos pertrahere nititur. Aliquando facit illos nobis reverentiam exhibere, et sic ad vanam gloriam, et inanem lætitiam nos inclinare conatur. Nos vero si contra hæc bella inimici humilitatem nostram illæsam custodire volumus, mala nostra jugiter ante oculos habere studeamus. Mala autem dico non solum interiora, quæ ad iniquitatem et culpam pertinent, sed etiam exteriora, quæ pertinent ad utilitatem: sicut est ignobilitas generis, inopia, quæ est mater paupertatis; debilitas corporis, et si qua sunt talia quæ hominem humiliant. Nam si culpas nostras et miserias nostras bene et attente inspicere volumus, tunc fortassis nec indignum judicabimus, si nobis inferatur injuria; nec dignum, si reverentia exhibeatur. Sæpe autem diabolus, quos per injuriam quasi impingendo non valet prosternere, per reverentiam quasi occulte suffodiendo nititur supplantare. Mens etenim hominis citius in laude sui decipitur, quia quod libentius accipit, difficilius repellit; nam dum bona sua nonnunquam foris laudari audit, et quodam modo ad semetipsam reversa, iterum esse considerat id quod dicitur, libere jam et quasi sine culpa in adulati ne sui delectari se posse arbitratur. Cumque se tantummodo testimonio veritatis consensum præbere existimat, non ipsa eam veritas, sed adulatio potius delectat. Ut autem prorsus ab elationis vitio innocens esse videatur, majori adhuc calliditate se palliat; et postquam id quod dictum est de se verum esse consenserit, ne ullo modo sibi tribuere existimet, statim se ad gratiarum actionem convertit. Hæc autem confessio modo mirabili non ad humilitatem, sed ad elationis augmentum proficit, quoniam tanto jam fiducialius apud semetipsum extollitur, quanto manifestius bonum suum non a se, sed a Deo esse confitetur. Pharisæi prorsus superbia dicentis: *Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo* (*Luc.* XVIII). Et vide quomodo virus pestilentiæ paulatim se diffundit. Primum fortassis aliquod unum bonum in nobis laudatum fuerat, sed dum mens ex eo incaute extollitur, continuo cætera quoque in memoriam veniunt, ut amplius ad elationem accendatur. Replicat studiose cuncta bona sua præterita, atque in unum omnia coacervans dum, quasi per præteritorum memoriam, in præsenti beneficio gratiarum actionem amplificare fallaciter satagit, veraciter in suis oculis ex consideratione tantarum virtutum intumescit. Dumque in sui admiratione occupata defigitur, paulatim jam et eum a quo hoc habet oblivisci incipit; et quasi sibi jam sufficiat quod est, mala sua amplius ad memoriam reducere non dignatur. Tunc hostis postquam intus cor tumidum videt, et hominem in suis oculis magnum effectum, continuo opprobria foris et injurias admovet, quia scit quod decepta mens tanto jam eas impatientius susceptura sit, quanto magis in se nihil, nisi quod laude dignum est, agnoscit. Quapropter oportet, si humilitatem integram et perfectam servare cupimus, animum ab agnitione nostri avertamus, et, accepta contumelia, discamus nocenti non irasci, sed compati, et id quod ab eo patimur existimemus non malitiæ illius, sed meritis nostris debere imputari. Tria denique sunt, per quæ humilitas adversus illatam contumeliam se defendit: Primum, ut consideremus culpam nostram, qua meruimus ut talia patiamur; deinde, ut cogitemus quod quoties ad nostri læsionem excitatur proximus, hoc quasi non ille, sed in illo juste judicio suo ad nostri probationem sive jubendo sive permittendo operetur Deus; postremo, ut consideremus quod malum agenti non irascendum, sed compatiendum sit, sicut corporaliter infirmanti, sive plagam aut vulnus habenti, nemo sana saperet qui non potius condolendum quam irascendum existimaret. Peccata enim quasi quædam sunt vulnera animarum; et omnis qui male agit, non quasi ex virtute agens, sed, quasi a virtute deficiens et veluti quadam phrenesis ægritudine laborans, pie tolerandus est. Prima ergo consideratio suadet nobis justitiam; secunda reverentiam, tertia misericordiam. Contra reverentiam autem et laudationem per eamdem malorum suorum memoriam hoc modo se defendere debet humilitas. Quoties adulatione laudantium sive reverentiam exhibentium pulsari exterius atque tentari se senserit, non attendat neque cogitet utrum verum sit quod de se dicitur, aut dignum quod sibi exhibetur, sed statim ne decepta mens per inanem gloriam laudem qua foris pulsatur intro suscipiat, ex ipso suo vitio ei opponere curet unde potius erubescat, dicens cum Psalmista: *Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi: Euge, euge* (*Psal.* LXIV). Quisquis enim laudatus de veritate consulturus conscientiam adit, ex eo ipso jam consentire in adulationem convincitur, quia occasionem approbationis ejus non quæreret, nisi eam a principio retinere quam abjicere maluisset. Et ideo fit nonnunquam ut talem justo judicio Deus, quia intentionis ejus pravitatem considerat, veritatem discernere non permittat, et testimonium conscientiæ jam illi respondeat non ad id quod quærere se finxit, sed quod invenire desiderabat. Sic Balaam cum a Balac rege Moabitarum ad maledicendum filiis Israel proposita mercede invitaretur, a Domino quærit an ire debeat, et eundi licentiam accipit; cui tamen post hæc eunti

angelus Domini in via occurrens obstitit (*Num.* XXII). Quid est hoc? Si bona fuit via, cur angelus ei obstitit? aut si mala fuit via, cur Deus ei licentiam eundi concessit? Sed nimirum pravitas menti illius hoc meruit, ut illud potius ei Deus responderet quod ipse magis audire desideravit. Nam qui avaritia cæcatus ire volebat, etiam priusquam inquireret an ire deberet, dum ei licentia eundi conceditur, ad perficiendum solummodo id quod conceperat relaxatur. Nec præcepto Domini ad id faciendum inducitur, sed permissione Domini facultas volenti condonatur, quia, etsi aliud Dominus quærenti respondisset, non ire cupientem doceret, sed remanere nolentem cogeret. Sic profecto animus delectatione laudis suæ corruptus conscientiam de veritatis testimonio consulit, non quod veritatem invenire diligat, sed quia id quod magis esse desiderat, majori attestatione firmare concupiscit.

TIT. CLXXIII. *De naturis ignis et speciebus.*

Tres sunt naturæ ignis, quod nascitur, quod pascitur, quod depascitur, hoc est quod oritur, quod nutritur, quod consumit. Et secundum istas tres naturas recipit undecim species. Prima est quæ fit per remotionem; quæ nec nascitur, nec pascitur, nec depascitur : qualis est ignis solis et gehennæ. Non nascitur quia extra originem non habet; non pascitur, quia nutrimento non indiget; non depascitur quia in subjectam materiam non ardet. Secunda species est quæ tantum nascitur, non pascitur, nec depascitur : qualis est fulgor expressus a nubibus, qui nec urit nec findit, moxque exstinguitur. Tertia species est quæ tantum pascitur, non nascitur, nec depascitur : qualis est ignis oculorum, qui in viridi pascitur: non nascitur, quia naturalis est; nec depascitur, quia consumens non est. Quarta species est quæ tantum depascitur, non nascitur, nec pascitur : qualis est ignis solis. Extrinsecus enim depascitur. Unde nec sordes ei appropinquare possunt; quas non sibi incorporando, sed in nihilum redigendo consumit. Et hæc est differentia inter ignem solis et ignem gehennæ, quod ignis solis extrinsecus depascitur; ignis vero gehennæ nec extrinsecus illud in quod ardet, nec intrinsecus illud in quo ardet demolitur. Commune ergo habent non nasci, quia aliunde non oriuntur; habent commune non pasci, quia per aliquam materiam non nutriuntur, sed ex semetipsis vivunt; habent commune intrinsecus non depasci, quia substantiam suam non consumunt. Differunt autem quod ignis solis extrinsecus depascitur, non ignis gehennæ. Hæ sunt quatuor species simplices ignis. Sequuntur tres duabus proprietatibus compositæ per singulas. Quinta species ignis est quæ nascitur et pascitur, non depascitur : qualis est calor in ovo, qui et de corpore foventis oritur et nutritur, sed substantiam ovi non depascitur : talis est et radius solis in luna. De sole oritur et nutritur; et corpus lunare non depascitur : similiter radius solis lucens in arido. Sexta species est quæ nascitur et depascitur, non pascitur : quale est fulgur expressum de nubibus, quod nascitur, quando de collisis nubibus exit, et depascitur illud quod urendo consumit; sed non pascitur, quia subito evanescit. Septima species est quæ pascitur et depascitur, non nascitur : qualis est calor naturalis. In corpore non nascitur, quia naturalis; pascitur autem cibis et vestimentis, et depascitur humores corporis. Deinde sequuntur quatuor reliquæ ex tribus proprietatibus singulæ constantes. Octava est quæ seorsum nascitur, simul pascitur et depascitur. Qualis est ignis excussus de silice et in lignis receptus. De silice nascitur, et in lignis pascitur, et ligna depascitur. Nona est quæ seorsum pascitur simul nascitur et depascitur : qualis est ignis excussus de glacie et sulphure receptus. De glacie nascitur, et glaciem depascitur, et sulphure pascitur. Decima est quæ seorsum, depascitur simul nascitur et pascitur : qualis est radius solis lucens in humido. De sole nascitur et pascitur, et humorem depascitur. Undecima est quæ simul nascitur, pascitur et depascitur : qualis est ignis exiens de ligno et ardens in ligno.

Istæ sunt undecim species ignis quæ fortassis aliquid significare poterunt, unde utilitas proveniat, si fuerit qui sciat de visibili igne excutere ignem sapientiæ. Ignis solis qui nec nascitur, nec pascitur, nec depascitur, significat æternam charitatem Dei, quæ in ipso naturaliter existens, cum sit perfecta, augeri non potest, et, cum sit æterna, non potest exstingui. Hoc igne impii quia intus ardere noluerunt, foris ad ignem gehennæ comburendi pervenerunt, quodammodo similem pro simili suscipientes, ut talem ignem caro foris inveniret in pœna, qualem ignem mens intus perdiderat in conscientia. Considera ergo tres ignes istos, ignem solis, ignem charitatis, ignem gehennæ. Ignis solis visibilis ostendit tibi invisibilem ignem charitatis, et monet ut eum quæras. Ignis autem gehennæ visibilis pœnam tibi minatur, si perdideris invisibilem ignem charitatis. Uterque charitati similatur, uterque charitati famulatur. Iste demonstrando, ille vindicando. Illa species ignis, quæ tantum nascitur ut fulgor, significat propassiones vitiorum, quæ per cogitationem subito de corde exeunt; sed quia mens ratione obviante eas per consensum non recipit, continuo evanescunt. Neque enim pascuntur, dum transeunt, neque depascuntur, dum per consensum animum non exurunt. Illa species ignis quæ tantum pascitur, ut ignis oculorum, significare potest sapientiam creatam, id est intellectum cordis humani, quæ, quasi oculus in viridi, pascitur intus contemplatione increatæ sapientiæ, hoc est verbi Dei, quod nunquam marcescit, sed semper novum est et virens. Hæc est interior pascua, in qua saginamur per contemplationem, quemadmodum in exteriori pascua, hoc est sacra Scriptura reficimur per lectionem. Sive ergo ingrediamur per cogitationem, pascuam invenimus Catholicam doctrinam, in qua utraque, velut oculus in viridi, clarescit intelligentia cordis nostri. Illa

species ignis quæ tantum depascitur sicut ignis solis extrinsecus, significare potest virtutem divinæ naturæ, cui corruptio nulla appropinquare potest, quæ omnem creaturam innuvat, et in nobis rubiginem vitiorum exurit, non sibi incorporando, sed nihil esse faciendo. Cujus virtus tanta est, ut ejus præsentiam sustinere non possit quidquid consumi dignum est. Unde dicitur: *Deus tuus ignis consumens est* (*Deut.* IV). Ipsa species ignis quæ nascitur et pascitur non depascitur, sicut calor in ovo vel splendor in luna, significare potest charitatem in perfectis, quæ a Spiritu sancto oritur et nutritur, qui eos et per internum lumen illuminat sicut sol lunam, et per calorem charitatis fovendo, ad virtutem fecundat sicut gallina ovum. Sed, quia li boni sunt, non invenit in eis quod exurat, et ideo non depascitur, id est non consumit, sed illuminat; nam sicut solis radius lucens in arido, sic Spiritus sanctus radians in corde mundo. In quo arido ideo malignus spiritus requiem non invenit (*Luc.* II), quia *sub umbra in secreto calami, in locis humentibus dormit* (*Job.* XL). Illa species ignis quæ nascitur et depascitur tantum, non pascitur, sicut fulgur, significare potest transitoriam compunctionem peccatricis animæ, quæ vel ex recordatione peccatorum, sive ex contemplatione tormentorum, vel quolibet alio modo nascitur, quæ per subitum fervorem pravam delectationem depascitur, sed quia mox, ut orta fuerit, pertransit, non pascitur, hoc est non nutritur. Significare etiam potest hic ignis propassiones quæ usque ad consensum veniunt, et sic quodammodo animum per illicitam delectationem exurunt; sed non nutriuntur, quia cito resipiscente ipso animo per compunctionem expelluntur. Illa species ignis quæ pascitur, et depascitur, non nascitur, qualis est ignis naturalis in corpore, significat naturalem fervorem animi per quem homo peccato irascitur. Qui fervor, quia naturalis est, non nascitur. Pascitur autem zelo amoris Dei et lenocinationem mollis animi naturali depascitur virtute, quando vitiis indignatur, et es contemnit et respuit.

Sed antequam de reliquis quatuor speciebus disseram, præmittenda sunt quædam. Septem sunt vitia capitalia, vel principalia, a quibus omnia alia nascuntur vitia, hoc est superbia, invidia, ira, tristitia, avaritia, gula, luxuria, sive fornicatio. Quorum quædam aliunde habent nascendi originem et aliunde nascendi occasionem, sicut verbi gratia, luxuria ex carnis specie foris habet nascendi occasionem, intus in animo habet nascendi originem, quia intrinsecus concipitur, extrinsecus excitatur. Hæc igitur diversis modis foris et intus nascuntur; intus per originem, foris per occasionem. Sed in hoc tamen est differentia, quod vitia non semper sunt in occasione sua, cum semper ea necesse sit esse in origine sua. Sicut cum mulier speciosa et casta oculum luxuriosi ad concupiscentiam trahit nescia, in animo concupiscentis est vitium, sed non in animo occasionem concupiscendi præbentis. Aliquando tamen et in origine simul et in occasione invenitur, ut cum adultera mœchum illicit. Igitur vitia in origine sua sunt, hoc est in animo, unde oriuntur, sicut ignis in eo quod depascitur, hoc est in eo quod ardet. In occasione autem sua sunt, sicut ignis est in eo unde pascitur, hoc est in eo de quo ardet. Igitur illa species ignis, quæ simul nascitur, pascitur et depascitur, significat superbiam, quæ intrinsecus nascitur, immoderata delectatione propriæ virtutis intus pascitur, quia quodammodo mirabili crescente virtute vitium hoc non minuitur, sed augetur; intus etiam depascitur, quia virtutem unde oritur demolitur. Illa species ignis, quæ seorsum depascitur, simul nascitur et pascitur, significat vanam gloriam, quæ intus animum depascitur, foris de ostentatione nascitur et pascitur. Talis est etiam invidia, quæ foris de aliena felicitate nascitur et pascitur, et intus animam depascitur. Talis est ira, quæ foris de illata injuria nascitur et pascitur, et intus animam depascitur. Talis est avaritia, quæ foris de intuitu pecuniæ nascitur et pascitur, et intus animam depascitur. Talis est luxuria, quæ foris ex carnis specie nascitur et pascitur, et intus animam depascitur. Talis est gula, quæ foris ex conspectis deliciis nascitur et pascitur, et intus animam depascitur. Potest etiam significare hæc species ignis charitatem Dei in pœnitentibus, quæ a Spiritu sancto nascitur et pascitur, et peccatum depascitur. Illa species ignis, quæ seorsum nascitur simul et pascitur et depascitur, significat tristitiam, quæ ex immoderata ira foris nascitur, intus silentio pascitur, et animam depascitur. Convenit hoc etiam aliquando luxuriæ quod foris ex specie carnis nascitur, intus pascitur cogitatione et animam depascitur. Nonnunquam etiam simul intus et ex cogitatione nascitur et per cogitationem pascitur, et animam depascitur. Illa species ignis quæ seorsum pascitur simul et nascitur, et depascitur, significat luxuriam, quando ex cogitatione intus nascitur et animam intus depascitur et foris visa pascitur. Significat etiam avaritiam, quando intus ex acedia, id est tædio et tristitia, nascitur, et intus animam depascitur, et foris ex contemplatione divitiarum pascitur. Quando autem dicimus avaritiam ex tristitia nasci, tale est quia postquam homo internum gaudium perdidit, foras mox animum in appetitu exteriorum immoderate diffundit, ut qui intus non habet unde gaudeat, foris gaudium quærat: et est avaritia immoderatus appetitus habendi. Nequaquam enim homo foris falsum gaudium quæreret, nisi prius intus verum gaudium amisisset. Unde constat quod quemadmodum de superbia nascitur vana gloria, et de vana gloria invidia, de invidia ira, de ira tristitia, ita quoque de tristitia nascitur avaritia, et de gula luxuria.

Ista breviter dicta sunt de natura ignis et de significationibus ejus. Sed est profundum ingenium quod investigat omnia. Spiritus sapientiæ penetrat universa. In omnibus autem quæ videntur, et a quibus rerum invisibilium similitudo trahitur, solus ig-

nis sicut loco supremus est, ita quoque significatione est præcipuus. In eo enim invenitur similitudo virtutis et vitii, ita ut acies mentis foris tacta per imaginem, intro redeat ad contemplandam veritatem. Amor est enim ignis : et est amor bonus, ignis bonus, ignis videlicet charitatis; et est amor malus, ignis malus, ignis cupiditatis. Ignis bonus depascitur culpam; ignis malus demolitur naturam. Ignis bonus accenditur a Spiritu sancto; ignis malus inflammatur a diabolo. Ignis bonus charitas, fons virtutum; ignis malus cupiditas, radix vitiorum (*I Tim.* vi). Ignem bonum Dominus Jesus misit in terram, et voluit ut accenderetur (*Luc.* xii). Ignis malus est de quo propheta dicit : *Et adhuc ignis in domo impii* (*Mich.* ix). De quo Abraham et Lot liberantur; sic enim interpretatur Ur, hoc est *ignis* sive incendium, de quo Abraham eductus esse perhibetur.

Sed videamus nunc quomodo in nobis operentur, hi ut ita dicam, duo opifices, Spiritus sanctus per ignem suum, et diabolus per ignem suum. Sciendum itaque quod aliter nos accendit Spiritus sanctus, atque aliter diabolus. Nam Spiritus sanctus ipse ignis est, et afflando ignem in nobis creat; diabolus autem non ignis, sed frigidus est, et nos non afflando, sed, ut ita dicam, inflando ignem in nobis excitat. Ille creat virtutem quæ non erat, iste excitat corruptionem quæ sopita fuerat. Ideo in sacra Scriptura Spiritum sanctum per austrum, et per aquilonem diabolum significari invenimus, quia auster calidus est ventus, et aquilo frigidus. Et scimus quod ventus calidus afflando de suo calefacit. Ventus frigidus de se calefacere non potest; et tamen ignem accendit. Sic Spiritus sanctus in se habet amorem, quo nos inflammat; diabolus autem in nobis invenit corruptionem, quam suscitat. Ille intrinsecus suggerendo suaviter aspirat, iste extrinsecus tentationum flatibus impingendo quassat. Ille, intrinsecus ex occulto divinitatis suæ prodiens, invisibiliter visitat cor hominis et ineffabiliter consolatur; iste, extrinsecus circumiens et anfractibus suæ caliditatis se involvens, semper ad ruinam insidiatur. Iste est ille princeps mundi, quem in terra morte sua triumphatum de cordibus hominum Christus ejecit; iste est Paraclitus, quem in cœlo ad dexteram paternæ Majestatis sedens, super apostolos in linguis igneis misit. Illuc ergo Spiritus sanctus missus est, unde spiritus malignus ejectus est, ut ille intrinsecus habitando custodiat, iste extrinsecus impingendo exerceat. Isto foris flante concutimur; sed illo intrinsecus aspirante non aperimur. Sed ecce dum duorum fabrorum flatus de contrario spirantes aspicimus, quatuor inde opera exire videmus : duo opera diaboli, et duo opera Spiritus sancti. Primum opus diaboli est quando illicita delectatione animum urit, et ad similitudinem flammæ foris lambendo quodammodo nigrum reddit. Secundum opus diaboli est quando per consensum peccati animum medullitus accendit, et noxia flamma non jam foris lambenda denigrat, sed intus cremando incinerat. Primum opus sancti Spiritus est quando invenit peccatricem animam, et per compunctionem rubiginem peccati exurit : secundum, quo, examinata et mundata anima, mox eam desiderio æternorum bonorum accendit, et quodammodo per amoris ignem liquefacit, ut jam per desiderium currere incipiat, quæ prius frigida existens male torpebat. Et sicut massa liquefacta per fistulam in muletam funditur et formam accipit, ita mens, amoris igne soluta per radium contemplationis usque in imaginem divinæ similitudinis currit. Amen.

TIT. CLXXIV. *De ratione et sensualitate animæ.*

Contemplationis animus Jerusalem dicitur, quia ipsa interiori oculo mundi cordis veram pacem, id est Deum contemplatur. In hac Jerusalem duæ piscinæ sunt, una superior, et una inferior : quæ utræque in Isaia commemorantur. *Vade*, inquit Dominus ad Isaiam, *in occursum Achaz, tu et qui relictus est filius tuus Iasub, ad aquæductum piscinæ superioris in agro fullonis* (*Isa.* vii). De inferiori piscina postea sic ait : *Congregastis*, inquit, *aquas piscinæ inferioris, et domos Jerusalem numerastis, et fecistis lacum inter murum et murum, et aquas piscinæ veteris collegistis, et non respexistis ad eum qui fecit eam* (*Isa.* xxii). Si ergo Jerusalem est anima, duæ naturæ animæ sunt duæ piscinæ : Superior piscina est ratio, per quam comprehendit cœlestia. Inferior piscina est sensualitas, per quam affectat terrena. Superior piscina aquæductum habet in agro fullonis. Fullo est Christus, qui pannos suos calcat, quia electos suos per tribulationem emundat, ut eos super nivem dealbatos sibi vestimentum faciat. Civibus fullonis est iste convallis lacrymarum, præsens scilicet mundus in quem ad conculcandum projecti sumus; sed, dum calcamur, unimur et mundamur, quia pressura tribulationis et charitate accendit et culpam abluit. Iste est fullo qui illa evangelica vestimenta fecerat, de quibus dictum est quod *candida erant sicut nix, qualia* non *potest fullo facere super terram* (*Marc.* ix). Sed hoc fullo cœlestis prævalet quod fullo terrenus facere non potest. Igitur fullo iste agrum habet, ubi flores inveniuntur optimi ad colorandos pannos. Ager est sacra Scriptura, ubi pascuntur animalia Dei, in qua inveniuntur diversarum præcepta virtutum, quasi flores quidam ad decorandas animas, et cardui quoque corruptionum ad depectenda superflua. In hoc agro currimus, quando divinam Scripturam legimus; flores colligimus, quando præcepta discimus; pannos coloramus, quando præcepta implendo virtutibus animas nostras decoramus. Patientia est in rosa, castitas in lilio, charitas in croco, humilitas in viola, puritas in sapphiro. Bene autem per agrum fullonis transit aquæductus piscinæ superioris; piscina enim superior, sicut jam dictum est, eminentior vis est mentis nostræ id est ratio. Aquæductus piscinæ superioris radius est contemplationis. Per studium autem divinæ lectionis aperitur via cordi nostro usque ad contemplandum lumen divinitatis, ut illinc, quasi de

fente, aquæ vivæ spiritualium donorum descendant per radium contemplationis ad irrigandum et implendum sinum mentis nostræ. Piscina inferior est inferior vis animæ, hoc est sensualitas. Hæc habet quinque aquæductus, quinque sensus corporis, per quos oblectamenta hujus mundi influunt, quasi aquæ quædam ad replendum appetitum nostræ carnalitatis. Mundus enim fons est, aquæ oblectamenta mundi, aquæductus sensus nostri, piscina sensualitas nostra. Isti quinque ductus aquæ quinque porticus sunt, in quibus multitudo languentium jacet, quia, dum per quinque sensus corporis corruptionem peccati contrahimus, quasi in quinque porticibus languidi jacemus. Sed angelus Domini secundum tempus in piscinam descendit et movetur aqua (*Joan.* v), quia dum divina aspiratio peccatorem intus tangit, illico terrore judicii conturbatur carnalis conscientia. Et quicunque post motionem aquæ in piscinam descenderit, sanus fit a quacunque tenetur infirmitate, quia divina gratia præveniens peccator, si vere se ad pœnitentiam humiliat, et conscientiam puram conveniens anteacta mala districte puniendo dijudicat, de quolibet delicto veniam consequi meretur.

Sed jam ipsa verba quæ de hac piscina supra posuimus inspiciamus. *Congregastis*, inquit, *aquas piscinæ inferioris* (*Isa.* xxii). Non est vitium aquas inferioris piscinæ bibere, sed vitium est congregare, quia licet nobis bonis transitoriis uti ad necessitatem, sed non diligere ad superfluitatem; aquas enim piscinæ inferioris congregat qui temporalia bona non ad usum necessitatis, sed ad expletionem cupiditatis accumulat. Deinceps *domus*, ait, *Jerusalem numerastis.* (*ibid.*) Si Jerusalem animas dicimus, domus Jerusalem non incongrue corpora appellamus. Domus erge Jerusalem numerare est, considerata multitudine hominum, timere de defectu rerum, computare sumptus corporis, et non confidere in munificentia largitoris. Unde et postmodum subjunxit : *Aquas piscinæ veteris collegistis, et non respexistis ad eum qui fecit eam* (*ibid.*). Quasi diceret : Temporalia bona quæ transeunt et veterascunt, avare colligitis, et Datorem eorum æternum respicere non vultis; sed animas ad perpetuam vitam creatas temporaliter deficere timetis. Quod autem ait, *fecistis lacum inter murum et murum* (*ibid.*), ad eamdem cupiditatem referendum est. Habet enim anima et exteriorem et interiorem murum. Murus exterior est corpus, quo anima clauditur, et quodammodo incarcerata tenetur. Murus interior est ira naturalis virtus animæ, qua vitiis irascitur, et contra tentamenta munitur, quia ad hoc data est hæc virtus animæ, ut per eam contra vitia se muniat, et cuncta tentamenta, quasi jacula quædam, inimici propellat. Interiori muro munita, anima omnia quæ carnis sunt, si possibile esset, respuere cupit; exteriori autem muro pressa, nonnunquam etiam ad sordes carnalium illecebrarum descendit. Sed tunc inter murum et murum est, quando carnem nec in necessitate respuit, nec in voluptate diligit. Non ergo culpa est inter murum et murum ad colligendas aquas lacum facere, quia culpa non est temporalibus bonis in necessitatibus naturam confovere; sed culpa est necessitatis loco cupiditates admittere.

Tit. CLXXV. *Descriptiones temporis et liberi arbitrii.*

Tempus est numerus mortuorum ordine sibi succedentium. Liberum arbitrium est habilitas rationalis voluntatis, qua potest, vel adjuvante gratia, ad bonum quod non habet, aut munus habet proficere; vel sinente gratia [justitia] a bono quod vel habet vel habere debet, per semetipsam deficere. Item liberum arbitrium est in rationali voluntate spontaneus appetitus boni, qui nec coacto dari, nec invito auferri potest.

Tit. CLXXVI. *Quod is solus laudabiliter in alio peccatum ulciscitur qui ad consensum peccati non inclinatur.*

Nemo potest ejusdem culpæ socius esse et vindex. Indignum est enim ut ille de peccato arguere præsumat alium, qui needum a peccato castigare voluit semetipsum. Scriptum quippe est : *Stetit Phinees et placavit* (*Psal.* cv). Stans etenim prostratos in turpitudine fornicationis transfigit, et Deum placat, quia, sicut dictum est, ille solus laudabiliter in alio peccatum ulciscitur qui, in semetipso, per amorem justitiæ erectus, ad consensum peccati non inclinatur. Hinc est econtrario quod filii Israel, cum scelus Gabaonitarum vindicaturi contra filios Benjamin, magis confidentia multitudinis quam zelo virtutis excitati, in prælio convenissent, tam magna plaga prostrati sunt, ut prima die usque ad viginti duo millia, secunda vero octodecim millia corruisse legantur (*Judic.* xx). Sunt enim nonnulli qui potestate qua cæteris præeminent libere subjectorum culpas arguere volunt; et tamen easdem in se culpas improba præsumptione fovere non desistunt. Sed hos tales alienæ culpæ vindices ipsi iidem qui puniendi sunt perimunt, quia cum ab eis superbe arguuntur, illa manifeste exprobrantes vitia, ipsos sui accusatores reos ostendunt. Sed filii Israel victoriam, quam multitudine non possunt, fletibus tandem obtinent, quia sæpe prælati subjectorum improperiis humiliati, discunt peccantium animos superba et tumida invectione non irritare, sed blanda potius et humili admonitione corrigere. Facile enim illos increpationi a peccantibus reverentia tribuitur qui et sua humiliter plangere et aliena peccata misericorditer reprehendere non dubitatur; neque tunc audet peccator se contra verba arguentis erigere, cum in vita ejus nihil invenit quod merito possit culpare (52).

Tit. CLXXVII. *Mystica descriptio naturæ cervæ.*

Dicitur de cerva quod cum vulnerata fuerit a

(52) *De septem peccatis mortalibus, et de effectibus eorumdem*, vide tomum primum in Matthæum, De Oratione Dominica.

venatore, si quidem tanta exstiterit plagæ violentia ut currere non queat, debilitata ac retardata capitur et occiditur. Si vero dolor vulneris adhuc vires omnino non abstulerit, cursu elabitur et fugiens per deserta secum sagittam infixam portat. Tunc circuit gemens et dolens, nec inveniens manum quæ mortiferum telum de corpore suo evellat, tandem vadit, et quærit dictamum, et comedit ipsum: cujus succus, cum ad interiora receptus fuerit, penetrat omnia sua virtute, et perveniens usque ad vulnus potenter ejicit ferrum, atque de imis etiam visceribus emergere facit. Cerva est casta et munda anima. Sagittæ sunt desideria mala. Venatores sunt dæmones; qui quales cordibus nostris, sive per visum, sive per auditum, sive per gustum, sive per odoratum, sive per tactum, de exterioribus prava desideria injiciunt, quasi venatores de longe animæ sagittas mortiferas immittunt. Anima vero si per delectationem pravi desiderii usque ad consensum operis debilitatur, tunc quasi capitur et occiditur. Sin autem fugit et declinat perpetrationem pravi operis, et nihilominus tamen delectationis illicitæ ferrum infixum ejicere non valet, quasi auctorem mortis effugit. Sed tamen adhuc plene mortis periculum non evasit. Sed et quod facere possit ne moriatur, in solitudinem est et quærat dictamum, hoc est Verbum Dei. Et cum illud sive per lectionem sacram, sive per colloquium sanctorum invenerit, sumat avide et comedat, atque illius dulcedine omnem mortiferæ delectationis corruptionem expellat, et se ad integritatem pristinæ sanitatis, omni periculo effugato, restituat, quia nihil citius malam quam bona delectatio excludit; et cum mens illam gustare cœperit, statim istam sponte derelinquit.

TIT. CLXXVIII. *De quadruplici sanorum et ægrotorum differentia.*

Medici qui morbos corporum curare solent quatuor qualitates humanæ vitæ definiunt: Sanativum, sanum, ægrotativum, ægrotum. Ex his quatuor species constituuntur. Sanativi et sani, ægrotativi et ægroti, sanativi et ægroti, ægrotativi et sani. Sanativi sunt quorum natura nullo intrinsecos latenti vitio corrupta est. Sani sunt quos nulla manifesti doloris molestia vexat. Ægrotativi sunt qui intrinsecus latentem habent corruptionem. Ægroti sunt quos manifestus dolor excruciat. Sanativi et sani sunt quorum natura intrinsecus a corruptione est solida, et extrinsecus a doloris vexatione quieta. Ægrotativi et ægroti sunt qui et intrinsecus latentis vitii corruptionem et foris molestiam doloris sustinent, sive ipse dolor ab interiori corruptione sit ortus, sive ab exterioris alicujus molestiæ occasione illatus. Sanativi et ægroti sunt quorum natura interius corruptionem non habet, sed exterius alicujus læsionis dolorem sustinet. Ægrotativi et sani sunt qui quidem manifestum dolorem non sentiunt, interius tamen tanto periculosius, quanto occultius latentis corruptelæ vulnus gerunt. Ex his quatuor gradibus hominum optimi sunt sanativi et sani. Pessimi ægrotativi et ægroti. Medii sanativi et ægroti, et ægrotativi et sani. Meliores sunt tamen sanativi et ægroti quam ægrotativi et sani, quia et in illis natura integra sanitatem violenter turbatam facile recipit, et in istis natura corrupta sanitatem tenuiter et dubie concessam facile amittit. In illis sanitas non exstincta, sed violenter exasperata est; in istis ægritudo non ablata, sed leviter sopita est. Et idcirco sicut hoc facile quamlibet levi occasione ad antiquam corruptionem revertitur, ita et illa facili remedio ad pristinam integritatem reparatur. Hæc idcirco distinxi, quoniam ex statu corporum perpendi potest qualitas mentium. Sunt etenim similiter in animo differentiæ quatuor, id est virtus, justitia, vitium, peccatum. Quod autem sanativum est in corpore, hoc est virtus in mente. Et quod est sanum in corpore, hoc est justitia in mente. Quod vero ægrotativum in corpore, hoc est vitium in mente. Et quod est ægrotum in corpore, hoc est peccatum in mente. Non ergo omnis qui virtutem aliquam habet, sed qui justitiam facit justus est, neque omnis, qui vitium aliquod habet, sed qui peccatum facit, peccator est. Nam justi etiam, quamvis nolentes, aliquando punctiones vitiorum sentiunt ex infirmitate carnis quam corruptibilem portant; sed quia se eis per consensum non inclinant, motus ipse, qui ex vitio corruptionis oritur, pro peccato sentientibus nec consentientibus non imputatur. Est ergo illic vitium, et tamen peccatum non est. Sunt iterum multi quorum natura non adeo passionibus vitiorum affecta est, qui tamen sæpe per negligentiam in peccata incidant. Quos quidem tanto major peccantes reatus obligat quanto minor ad peccandum eos necessitas impellebat. Illi ergo quorum vitiorum affectibus magis corrupta est natura, facilius cadunt, laboriosius resurgunt; et tamen, si se a peccato custodierint, plus merentur; si peccaverint, citius veniam consequuntur. Qui autem fortioris sunt naturæ tardius cadunt, citiusque resurgunt; et idcirco, si in virtute perstiterint, minus merentur; si in peccatum ceciderint, amplius rei habentur.

TIT. CLXXIX. *De eo quod scriptum est: « Sequuntur Agnum quocunque ierit. »*

Sequuntur Agnum quocunque ierit (*Apoc.* XIV). Agnus per humilitatem et virginitatem venit ad nos; per humilitatem et virginitatem præcessit nos. De humili enim et Virgine natus est virgo ipse et humilis. Humilitas Virginis et virginitas humilis via est qua venit. Nos ergo venire non possumus qua venit; sequi tamen possumus quo ivit, quia si habere non possumus parentes virgines, virgines permanere non prohibemur. Qui virgo est et humilis non est, sive qui humilis est et virgo non est, sequitur Agnum, sed non quocunque ierit. Solus ille Agnum sequitur quocunque ierit, qui cum humilitate virginitatem, et cum virginitate humilitatem custodit. Sane ex duobus imperfectis melius est

Agnum sola humilitate quam solo virginitate sequi, quia humilitas sine virginitate salvare hominem potest, virginitas sine humilitate non potest.

TIT. CLXXX. *De triplici compassione.*

Triplex compassionis modus est. Siquidem compassionum alia est ex vitio, alia ex natura, alia ex virtute. Compassio ex vitio est, quando affectus aliquo reprehensibili dolore tangitur, ubi illicito prius amore tenebatur. Compassio ex natura est, quando ex insito sibi pietatis affectu, animus alienis ærumnis condolet, quoties contra pietatis vel humanitatis mensuram eos opprimi sive affligi videt. Compassio ex virtute est, quando propter Deum alienis doloribus compatimur, cum scilicet vel justitiam premi, vel innocentiam affligi videmus. Compassio ex vitio est culpabilis; compassio ex natura est irreprehensibilis; compassio ex virtute laudabilis. Primu reprehenditur, tertiu laudatur, secunda autem nec culpam habet, quia ex natura est, nec præmium, quia ex virtute non est. In hac ergo vita quandiu caro mortalis lædi potest passione, tandiu etiam animus mutabilis tangi potest compassione. Ubi autem utrumque veraciter impassibile erit, tunc profecto neque passio carni, neque compassio menti ulla inesse poterit. Nunc ergo mutabilitate sua bene utrumque utitur, si et caro in passione patientiam non deserit et animus in compassione justitiæ mensuram non transcendit. Si igitur tempus compassionis quæris, quandiu pati possumus, compati debemus. Si locum quæris, illic compassionis misericordia exhibenda est ubi adhuc passionis miseria desperanda non est. David, ægrotante filio, lacrymas fudit; mortuo, faciem lavit (*II Reg.* XII), ut ostenderet quia tandiu compassionis misericordia portanda est quandiu passionis miseria desperanda non est. Est tamen quidam compassionis affectus qui naturam etiam perditam miseratione prosequitur, secundum quem in nostri generis similitudine sicut culpæ non corrigendæ irascimur, ita naturæ non exstinguendæ miseremur. Nunc autem vita mortalis et mutabilitati subdita, nunc interim pro parte miseriæ sustinet, sed postea ad incorruptionem translata deponet. Nunc interim in utroque ægrotat, et passione videlicet in carne, et compassione in mente. Tunc in utroque sanabitur, ut et per immortalitatem carnis contra passionem carnis, per immutabilitatem mentis contra compassionem mentis confirmetur. Sicut enim ægritudo carnis est pati, ita ægritudo mentis est compati. Propterea Deus homo qui utrumque tollere venit, utrumque toleravit. Suscepit passionem in carne, suscepit compassionem in mente. In utroque ægrotare voluit propter nos, ut in utroque nos ægrotantes sanaret. Infirmatus est passione in pœna sua; infirmatus est compassione in miseria aliena. Eo usque passionem sustinuit, ut pro morituris moreretur. Eo usque compassionem suscepit, ut pro perituris lacrymaretur. Propter miseriam carnem suam tradidit ad passionem; propter misericordiam animum suam turbavit ad compassionem. In carne sua doluit pro nobis patiendo; in mente sua condoluit nobis compatiendo. Et quemadmodum carnis infirmitas in ipso secundum affectum naturæ noluit pœnam suam, sic mentis pietas secundum affectum misericordiæ noluit miseriam alienam. Sicut enim calicem passionis secundum carnis voluntatem a se transferri postulabat, quem non transferendum esse præsciebat, sic sententia condemnationis secundum pietatem aliis mitigari exorabat, quam immutabilem prævidebat. Pietas enim quod suum erat operabatur miserando, et ratio quod suum erat sequebatur divinæ dispositioni obediendo. Propterea nihil contrarietatis erat si Christus homo secundum affectum pietatis quum in humanitate sua assumpserat aliquid volebat, quod tamen secundum voluntatem divinam in qua cum patre omnia disponebat, futurum non esse præsciebat, quia hoc ad veram humanitatem pertinebat ut pietate moveretur et hoc ad veram divinitatem pertinebat, ut a sua dispositione non moveretur. Itaque secundum utrumque fecit quod debuit. Neque ideo sibi contrarius fuit, si secundum pietatem humanitati congruam voluit, quod secundum justitiam Divinitati debitam noluit, quia et hoc velle et illud nolle, utrumque voluit. Scriptum est enim: *Jesus autem infremuit spiritu, et turbavit semetipsum* (*Joan.* XI). Hic intendite. *Turbavit semetipsum.* Quomodo turbavit? Quæ fuit ista turbatio qua semetipsum turbavit Jesus? Pietas ipsa, miseratio ipsa fuit turbatio. Bona turbatio. Bene turbabatur qui pietate movebatur. *Turbavit semetipsum.* Miseratio turbavit eum, et ipse semetipsum turbavit, qui miserationem sponte suscepit. Sicut tradidit semetipsum quando Judas tradidit ipsum, sic turbavit semetipsum quando miseratio turbavit eum. Notum est hoc et frequenti usu probatum, dicitur homini quando aliquid patitur: Tu temetipsum turbasti; tu tibi fecisti malum hoc. Sic turbavit Jesus semetipsum, quando miseratio turbavit eum, quam sponte susceperat. Et semetipsum tradidit, quando ille tradidit cui ad tradendum potestatem concesserat. Sic itaque Jesus in humanitate assumpta, quandiu eam passibilem portare voluit, secundum proprietatem humanitatis, et passionem in carne, et compassionem in mente portavit. In qua tamen modo ad immutabilitatem translatus, nec pati potest ad corruptionem, nec compati ad turbationem, quando Christum secundum hominem novimus, et patientem et compatientem novimus. *Defecerunt*, inquit, *sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt* (*Psal.* CI). Dies defecerunt propter passionem, ossa aruerunt propter compassionem. Propter passionem mortua est caro; propter compassionem arefacta est anima. Dolor compassionis quasi frixura quædam animæ fuit, qua urebatur miseratione, premebatur compassione, siccabatur desperatione: desperatione dico, non propter se, sed propter illos qui nec in malo corrigendi, neque a malo erant libe-

randi. In his omnibus Christum secundum carnem novimus, quando veram humanitatem et in vera humanitate veram portavit mortalitatem. *Nunc autem jam secundum carnem non novimus* (*II Cor.* v), postquam *resurgens a mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur, quod enim vivit, vivit Deo* (*Rom.* vi).

TIT. CLXXXI. *Mysterium de numero procedentium ad pugnam cum Gedeone.*

Et factus est numerus eorum qui lambuerunt lingua sua trecenti viri (*Judic.* vii). Plerique Latini codices non habent *manu sua*, sed tantummodo *lingua sua*, quoniam sic intellexerunt quod supradictum est, *sicut canes.* Græcus autem utrumque habet *manu sua* et *lingua sua*, nisi intelligatur quod manu aquam raptam in os projiciebant; et hoc erat simile canibus bibentibus qui non ore apposito sicut boves aquam adducunt quam bibunt, sed lingua in os rapiunt, sicut etiam isti fecisse intelliguntur, ut scilicet manu aquam in os projicerent, quam lingua exciperent. Nam et interpretatio ex Hebræo planius habet his verbis : *Fuit itaque numerus eorum qui, manu in os projiciente, aquam lambuerunt, trecenti viri.* Neque enim solent homines ita bibere ut, sine opere manus, lingua sicut canes aquam hauriant. At vero istis præceptum erat ut hoc facerent; sed cum ad bibendum descendissent ad aquam, multi genuflexo biberunt : quod facilius et minore labore fieret. Pauci vero quia non genu flexo se incurvaverunt, ut canes biberunt, sed aquam in os jactam, quorum numerus, quia trecenti erant, signum insinuat crucis propter litteram Thau græcam. Quo numero etiam gentes magis in crucifixum credituras esse præfiguratum est; quod littera Græca est, unde Græcorum nomine Apostolus omnes gentes significat cum dicit : *Judæo primum et Græco* (*Rom.* ii); et : *Judæis et Græcis* (*ibid.*), sæpe ita commemorans circumcisionem et præputium, quod in linguis gentium Græca ita excellat ut per hanc omnes decenter significentur. Iste numerus et in vernaculis Abrahæ animadvertendus est per quos fratrem ab hostibus liberavit, quando eum Melchisedech in magno mysterio benedixit (*Gen.* xiv). Quod enim exuberant illis octodecim (nam trecenti et octodecim fuisse referuntur [*ibid.*], videtur mihi fuisse significatum quo etiam tempore fieret, id est tertio, quod futurum erat sub gratia. Nam primum est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Singula vero tempora senario numero significata sunt propter perfectionem. Nam ter sex octodecim sunt. Unde et illa mulier octodecim annos habebat in infirmitate, quam curvam Salvator cum invenisset, erexit atque a diaboli alligamento, ut Evangelium indicat, solvit (*Luc.* xv). Quod vero ita isti probati sunt per quos vinceret Gedeon, ut similes in bibendo canibus dicerentur, significat quod *contemptibilia et ignobilia elegit Deus* (*I Cor.* i). Pro contemptu enim habentur canes. Unde dicit : *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus* (*Matth.* xv).

TIT. CLXXXII. *Quid est quod quieverit terra quadraginta annis post peccatum Gedeonis.*

Non prætermittenda videtur quæstio quomodo quieverit terra quadraginta annis post peccatum Gedeonis (*Judic.* viii), cum post victoriam qua liberavit Hebræos ex auro spoliorum fecerit abominationem; et post illam fornicatus fuerit omnis Israel, et fuerit illi et domui ejus in scandalum. Quomodo ergo post hoc tantum nefas quod et Gedeon et populus commisit, requievit terra quadraginta annis, cum hoc Scriptura soleat ostendere, cum a Domino Deo populus fornicaretur, tunc potius pacem illos perdere, non acquirere, et hostibus subjugari, non ab hostium infestatione muniri? Sed intelligendum est, sicut solet Scriptura, per prolepsim, id est per occupationem dixisse quod fecerit ephod contra Dei legem Gedeon ex illo auro quod fuerat hostibus devictis ablatum, quia uno loco dicere voluit et unde erat aurum et quid de illo factum sit; sed postea factum est in fine dierum Gedeon hoc peccatum quando consecuta sunt etiam mala quæ deinde Scriptura contexuit; posteaquam commemoravit quot annis in diebus Gedeon terra conquievit; quos annos recapitulando commemoravit, id est ad ordinem quem perverterat prius dicendo de illo scandalo quod novissime factum est (53).

TIT. CLXXXIII. *Quid propter præscientiam et prædestinationem Dei clamant quotidie perversi.*

Non prudentium diligentia, sed stolidorum querela est : Sine me, ita vivam. Qui ad vitam prædestinatus est, perire non potest. Quare conabor? quod futurum est, fiet. Et tamen nemo vulneratus aut æger dicit : Sine me; si victurus sum, non moriar. Quid medicus faciet? quod futurum est, fiet. Et non timent animæ suæ legem dare, quam corpori suo præscribere nolunt. Clamant hoc quotidie perversi : Nolite admonere, nolite corrigere; si vult Deus, justificabit nos. Et nemo dicit : Nolite cibum præparare, nolite vestimentum dare. Si vult Deus pascet et vestiet nos, et dicit : Non possumus boni esse, nisi Deus hoc faciat. Ergo bona illa sine Deo habere non potestis; et ista potestis? imo Deus potius in istis studium vestrum quærit, quæ nisi volentes habere non potestis : non in illis quæ in tantum arbitrio vestro non subduntur, ut sæpe ea habere non possitis cum desideratis, et habeatis cum despicitis.

TIT. CLXXXIV. *De sapientia Dei et hominis, et quod sit duplex, superior et inferior.*

Sapientia a corde procedit et exit per os, et intrat per aurem, et in corde requiescit. Nec discedit unde exit, et accedit ubi non fuit. Estque velanda atque ornanda sapientia cum exit ad nos. Dei sapientia cum primum in rerum creatione ad nos egressa fuit,

(53) *De duabus scholis* vide tom. primum circa principium.— *Quod præcepta Dei multis nominibus significantur.* Ibid. — *De his qui in lege ambulant vel stant vel declinant.* Ibid. — *De tribus viis.* Ibid.

non nuda exivit, sed specie rerum creaturam induta nobis apparuit. Secundo eadem sapientia, id est Filius Dei cum se nobis manifestavit, indumentum carnis assumpsit, et sic visibilis apparuit. Tertio sacro volumine verborum induta eadem sapientia intellectui nostro se præsentat. Oportet namque propter nostram fragilitatem ea visibilibus ad invisibilia conscendere. Sic quoque nostra sapientia semper egreditur velata; habet enim legem formosæ mulieris, quæ, si in veste pretiosa incedat, pulchrior apparet; si vero in veste vili, quasi estrita vilescit forma. Sic etiam sapientia pulchro schemate verborum induta nitescit; vili vero induta vilescit, unde dicitur: *Lingua prudentium ornat sapientiam* (*Prov.* xv). Cor est ager, sensus radis, cogitatio palmes, verbum botrus, aoris torcular, sapientia vinum, memoria apotheca. Sensus est habilitas intelligendi, id est cognoscendi, et procedit a corde; et ab ipso cogitatio, a cogitatione vero verbum, et a verbo sapientia quæ intrat per aurem, quæ, sicut torcular, separat significationem a voce per ipsam ingressa. Duplex sapientia est, una inferior, altera superior. Inferior sapientia in naturis rerum habetur, superior in invisibilibus essentiis. Philosophi autem gentilium in inferiori sapientia illuminati fuerunt; eam verum in rebus visibilibus secundum elementa hujus mundi efficaciter comprehenderunt; verum autem summum apprehendere nequiverunt. Unde est quod dicitur. *Et evanuerunt in cogitationibus suis* (*Rom.* I). Nam enim ex visibilibus ad divinam essentiam conscenderent, volentes quædam in ea asserere, similitudine rerum creatarum, secundum humanæ rationis comprehensionem, in ea assertione evanuerunt, ut quando dixeront, περὶ ἀγαθοῦ καὶ νοῦ, id est de bono et mente et de anima mundi, asserentes ea esse tria principia et tamen inæqualia: cum noyn [νοῦν] inferiorem to agato [τῷ ἀγαθῷ] esse dixerunt, et animam mundi utroque. Nec tamen negatur recte eos dixisse in quibusdam, ut cum dixerunt originales rerum causas in mente consistere divina, et cætera talia.

Tit. CLXXXV. *De obedientia, quibus sit præstanda.*

Quædam sunt ita mala ut nunquam liceat fieri possint; quædam ita bona ut nunquam possint sine culpa intermitti. In illis nunquam obedientia exhibenda est ut fiant, neque in his ut non fiant. Sunt autem quædam media, quæ, pro tempore, loco et causa, nunc bona sunt, quia bene fiunt, nunc vero mala, quia male fiunt. In his ergo præceptum obedientiæ locum habet, sive ut non fiant, cum bene fieri potest ut fiant vel non fiant. Ex his autem quædam ex ratione præcipiuntur, quædam secundum rationem, quædam præter rationem. Ex ratione præcipiuntur quorum causa manifesta, cur præcipi debeant et fieri. Secundum rationem præcipiuntur quæ, etsi causam manifestam non habent cur præcipi debeant, habent tamen manifestam causam cur bona et rationabilia sint, si fiant. Præter rationem præcipiuntur in quibus nec causa apparet aliqua cur præcipi debeant, nec ratio exstat cur fieri debeant; quæ tamen si fiant, nec ratio læditur, nec justitia violatur. Præceptum ex ratione est, ut cum criminosi et publice peccantes ab ecclesiæ liminibus abstinere jubentur. Præceptum secundum rationem est, ut si quis quæ in hoc mundo licite possidet, cuncta pauperibus erogare præciperetur. Præceptum præter rationem, sicut quosdam sanctorum Patrum legimus multa ridicula, et a ratione humana aliena, ad experiendam obedientiæ virtutem subjectis præcepisse, ut est videlicet siccos stipites donec germina producerent irrigare, dura saxa aqua superfusa mollire, feroces verbi imperio domare, et cætera hujusmodi. In his ergo quæ ex ratione præcipiuntur obedire debitum est; non obedire pœnalis culpa. In his quæ secundum rationem præcipiuntur, obedire meritum est; non obedire venialis infirmitas. In his quæ præter rationem præcipiuntur obedire perfectum est; non obedire minus laudabilis bonitas. In his quæ ex ratione præcipiuntur, non obedire obedientiam destruit; in his vero quæ secundum rationem et præter rationem præcipiuntur, non obedire obedientiam lædit. Et idcirco in his duobus ultimis non obedienti meritum minuitur; in illo vero primo non obedienti pœna debetur.

Tit. CLXXXVI. *De bono summo et non summo, et de multiplici malo, peccato et delicto.*

Solus Deus est cujus bonum est idem quod ipse est. Ideoque solus malus ipse esse non potest, quia bono suo privari non potest. Cætera vero omnia aliud sunt quam bona sua. Ideoque cætera omnia vel mala sunt, vel mala esse possunt, quia bonis suis vel amissis carent, vel habitis privari possunt, is quæ privari non possunt, gratia privari non possunt. Sic ergo alia res omnis aliud est quam bonum suum; et esse naturaliter potest præter bonum suum, et cum habet bonum suum, bona est; et cum non habet, mala. Sciendum item quod sursum bonum unum quidem est, sed omne bonum in ipso est, et omno bonum ipsum est. Ideoque nec augeri potest, quia perfectum est, nec minui quoniam æternum est. Ideoque semper est quod est. Cætera autem bona omnia, quia ex parte sunt, augeri possunt; et quia mutabilia sunt, minui possunt; quia vero aliud sunt ab eo cujus sunt, possunt amitti. Quia vero in universitate rerum duæ tantum sunt naturæ, corporea scilicet et incorporea natura; quæ sicut adinvicem ipsæ diversæ sunt, sic et bona earum omnino eadem esse non possunt. Aliud est igitur bonum incorporeæ naturæ, atque aliud bonum corporeæ naturæ. Et utraque, cum bonum suum habet, bona est; cum vero bonum suum non habet, hoc malum ejus est; et ipsa mala est. Bonum incorporeæ naturæ est cognitio veritatis et amor virtutis, bonum vero corporeæ naturæ est decor pulchritudinis et integritas sanitatis. Est et similitudo hinc inde inter bona ipsa; et quæ a se alia sunt, inter se dissimilia non sunt. Est enim quasi pulchritudo quædam spiritualis naturæ ipsa cognitio veritatis, et quasi sanitas quædam est amor virtutis, et est pulchritudo foris et

pulchritudo intus, et sanitas foris et sanitas intus. Et cum pulchritudo tollitur, succedit fœditas et turpitudo; et malum est hoc, sed nondum dolorem facit, non ingerit cruciatum. Cum vero sanitas tollitur, succedit corruptio et dolor, et fit malum magnum, ut majus constet malum non amare bonum quam non cognoscere verum. Privatio bonorum corporalium malum est, et tantum malum; privatio vero spiritualium bonorum malum est; nec solum malum sed etiam peccatum. Ista igitur culpa est, et illa pœna. Privationem cognitionis veri ignorantia consequitur; privationem vero amoris boni concupiscentia mali. Et sunt duo mala ista a quibus omnia mala oriuntur. Ignorantia facit, ut facienda non faciamus; concupiscentia vero facit ut non facienda faciamus. Non facere facienda delictum est; facere non facienda peccatum. Sciendum autem est quod malum substantive dictum ipsam tantum boni privationem significat; denominative vero acceptum, actum mali, sive effectum, sive explicationem ejus demonstrat. Nam et malitia malum dicitur, et actio mali malum vocatur; sed aliud substantive, aliud denominative. Omne peccatum penes voluntatem et in sola voluntate peccatum est; et tamen actio peccati peccatum vocatur, quia in ea peccatum perficitur et expletur et explicatur. Nec duo peccata sunt peccatum et actio peccati, sed unum peccatum quod motu mentis inchoatur, ac deinde motu corporis perficitur. Omne enim peccatum a motu mentis initium sumit, et inde excrescit in consummationem, dum vel actione corporali expletur, vel, si effectum corporalem habere non potest, pleno consensu confirmatur. Consensus autem duplex est, alius non resistendi malo, alius faciendi malum. Omnis quippe motus mentis vel ad Deum est per conversionem, cum bonus est; vel cum malus est per aversionem a Deo, ipsa aversio malum est, et peccatum. Et quia multis modis mens a Deo avertitur, multa genera mali, et multa peccati genera esse dicuntur. Semper tamen principium aversionis, principium peccati est, et ipsa aversio peccatum. Et crescit ille pravus aversionis motus, et exundat in pejus, et venit primum in delectationem, deinde in consensum non resistendi malo: quod per passionem facit; deinde in consensum faciendi malum, quod plenam generat passionem: et tunc peccatum in se consummatum est. Exit tamen aliquando usque ad expletionem corporalis actionis. Quæ videlicet actio cum in se essentialiter peccatum non sit, tantum tamen peccato adjicit, quantum ipsum qui in mente est peccati motum accedit. Neque enim motus corporis motui mentis additur ut in ipso crescat, sed ex ipso motu corporali illi mentis spiritali motui causa sumitur, ut in se argumentum accipiat, sicut follis cum accendit ignem auget non ignem igni apponendo, sed ex igne ignem ut amplius ferveat et calefiat, cum unus et idem sit ignis excitando. Itaque etiam prava volentibus motus mentis peccatum est; motus vero corporis, explicatio peccati: quia in eo quod mens motu suo a Deo avertitur culpam agnoscimus, in eo autem quod motus corporis motum mentis sequitur naturam solam invenimus. Motus voluntatis per se est primum in cogitatione, deinde exit per motum corporis in operationem. Malus motus per se deorsum fluit, sicut massa plumbi liquefacta qua via aperitur, ille per se præcipitatur. Motus bonus, quia sursum est, per se ire non potest.

Tit. CLXXXVII. *De duobus denariis.*

Altera die protulit duos denarios et dedit stabulario, etc. (*Luc.* x.) Duo denarii qui in procuratione vulnerati expenduntur sunt debitum præcepti, in quo doctrina, et debitum voti, in quo exemplum, vel duo Testamenta, vel duo gladii, vel duo judicia. Vetus Testamentum quasi vindex judicat crimina, et corporali gladio percutit ad puniendum: Novum Testamentum quasi medicus judicat morbos, et spiritali gladio percutit ad sanandum. Si quid rigore vel lenitate supererogatur, redditur; si nihil, non exigitur.

Tit. CLXXXVIII. *De eo qui malum vel bonum male facit, et postea pœnitentiam agit.*

Qui malum facit et male facit, postea pœnitenti utrumque dimittitur, et quod facit malum, et quod sic facit male. Qui bonum facit et male facit postea pœnitenti quod male facit dimittitur; quod bonum facit reservatur, et adjuncta intentio bona nominat opus bonum.

Tit. CLXXXIX. *De naturæ hominis comprobatione.*

Homo nudus nascitur, pecus vestitum. Plus ergo illis confert natura quibus non est providentia. Homo sic dimittitur, ut naturæ ejus dignitas comprobetur et ratio exerceatur.

Tit. CXC. *De egressu et regressu Sapientiæ.*

Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem (*Joan.* xvi). Primus exitus Sapientiæ est a sinu Patris ad cor hominis. Secundus induta voce per os egreditur, et venit ad aurem, ibique se exspolians per auditum cordi illabitur, ut iterum mundum relinquens per cordis contemplationem ad Patrem revertatur. In corde radicat, in ore pullulat, in aure torculatur, et iterum a cordis apotheca recipitur. Vox vestimentum est sapientiæ, sicut scriptum est: *Lingua sapientium ornat scientiam* (*Prov.* xv). Et sapientia non egreditur nisi induta, nec regreditur nisi exuta. Similiter species creaturæ vestimentum est sapientiæ, quo operta egreditur et videtur, sicut scriptum est: *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento: Extendens cœlum sicut pellem*, etc. (*Psal.* CIII.)

Tit. CXCI. *Cur Deus dictus Pater luminum.*

Omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, etc. (*Jac.* I.) Dona Dei lumina sunt; et ipse auctor donorum Pater est luminum: *Apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio* (*ibid.*), quia nec illuminans transmutatur, neque non illuminans obscuratur. Generans enim non degenerat, et non generans non caligat, quia

nec inferior est exiens, nec obscurior latens. Lumina ejus, quando ad nos veniunt, ab ipso non recedunt; et quando a nobis redeunt, apud ipsum non clarescunt; quando ad nos descendunt, in nubis non deficiunt; et quando a nobis recedunt minoratinem pro nobis non recipiunt. Itaque non transmutantur in nos quamin participanda veniunt ad nos; nec obumbrantur in se, quando ab illuminatis et obumbrandis redeunt, et remanent in se.

TIT. CXCII. *Quomodo Sapientia parturiebatur.*

Nondum erant abyssi et ego parturiebar (*Prov.* VIII). Conceperat Deus Sapientiam in præscientia futuri, parturiebat in voluntate creandi, peperit in procreatione effecti.

TIT. CXCIII. *De quatuor timoribus.*

Quatuor sunt timores, mundanus, servilis, initialis, filialis. Mundanus pro evitanda imminenti pœna bonum dissimulat, retenta voluntate boni; servilis pro evitanda pœna imminenti bonum simulat, retenta voluntate mali; initialis pro evitanda pœna ventura etiam malam voluntatem mutat; filialis pro reverentia Creatoris sponte bonam voluntatem confirmat. Initialis necessitatem boni habet, filialis voluntatem. Tres primi respectu pœnæ sunt, et pœnam habent; quartus nec respectu pœnæ est, nec pœnam habet.

TIT. CXCIV. *De tribus generibus hominum circa conflictum cum vitiis*

Hominum cum vitiis conflictantium, alii sunt stantes, alii nutantes, alii vagantes. Stantes sunt consolirmati, nutantes nondum radicati, vagantes dissipati. Stantes sunt qui vicerunt, nutantes qui pugnant, vagantes qui victi sunt. Stantes sunt in pace, de quibus dictum est: *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te* (*Psal.* CXLVII); nutantes, in luctamine; vagantes, in abalienatione. Stantes possident, nutantes appetunt et sequuntur, vagantes fugiunt et abstrahuntur, primum ad illicita opera, post ad turpia.

Altercatio inter Deum et diabolum. Tomo primo, fol. XXXIX. D.

TIT. CXCV. *De tribus tyrannis.*

Tres sunt tyranni qui contra nos acies suas producunt: diabolus, mundus, et caro. In exercitu diaboli militant vitia; in castris mundi prospera et adversa; in societate carnis desideria terrena. Ex his tribus duo tertio conjuraverunt ad subversionem nostram. Mundus enim et caro diabolo auxilium ferunt contra nos: unus est vicinus, alter domesticus. Mundus enim juxta nos est, caro nobiscum. Idcirco confidit diabolus magis in auxilio carnis, quia plus nocet domesticus hostis. Diabolum vincimus, quando suggestionibus ejus resistimus; mundum vincimus, quando nec appetimus prospera, nec timemus adversa; carnem vincimus, quando ejus desideria nec exstinguimus in necessariis, nec ad licita relaxamus.

TIT. CCXVI. *De corde et delectatione, et cogitationibus.*

Corolla est, delectatio sagimen, cogitationes muscæ. Propterea ubi desideria abundant, abundant et cogitationes. Fit tamen nonnunquam ut postquam cor a malis desideriis emundatum fuerit, adhuc cogitationes pravæ redeant, tam importunæ nunc quam prius immundæ. Ibi maculantes, hic inquietantes; ibi lutum, hic pulvis.

TIT. CXCVII. *De sapientia Dei et mundi.*

Scriptum est: *Quia mundus in Dei sapientia, per sapientiam Deum non cognovit; placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (*I Cor.* I). Mundus sapientiam habuit, per quam Deum non potuit cognoscere positum in sapientia sua. Sapientia mundi fuit ratio humana, secundum visibilium rerum naturam et elementa hujus mundi formata. Sapientia Dei fuit ejus ineffabilis majestas, et incomprehensibilis bonitas. Erat et prudentia mundi circa commoda carnis diligens circumspectio. Sapientia ergo mundi quæ humana ratione incedit, negat fidem; prudentia autem mundi quæ carnis tantum commoda quærere docet, et vitare incommoda, destruit bonam operationem. Propterea sapientiam mundi stultam reputat Deus, et prudentiam judicat inimicam, quoniam illa veritati adversatur, ista dilectioni. Propterea utramque destruxit Deus: sapientiam, per stultitiam; prudentiam, per insaniam. Quasi enim stultitia quædam Dei fuit secundum humanam sensum, quod ad abjecta et indigna sibi se humiliavit. Insania autem reputata, quod sine necessitate tam dura sustinuit. Et tamen qui in sapientia sua cognosci non potuit, quasi in stultitia agnitus est, quoniam qui in sua celsitudine manens non potuit comprehendi, in sua humiliatione cœpit agnosci. Quasi enim in sua sapientia Deus fuit, quando in eo quod ipsum decere videbatur, permansit; sed ibi agnitus non est, donec quasi desipuit et indigna suscepit. Ibi autem sapientiam mundi destruxit, ubi se in eo quod stultum mundo videtur, demonstravit, ut disceret homo supra rationem mundi esse quod videbat in natura hominis Deum apparere. Deinde autem quasi per insaniam Deus prudentiam carnis evacuavit, quando contra ejus existimationem agens carnem suam, sine retractione ad pœnas et tormenta exposuit, et sic eam ad incorruptionem resurrectionis eduxit, ostendens quod non parcendo, sed castigando et persequendo carnem servare oportet. Sic ergo *quia* in sapientia sua *per sapientiam mundus non cognovit* Deum, *placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (*I Cor.* I). Stulta enim videbantur quæ dicebantur, sed tamen per hæc demonstrata magis sunt stulta quæ probabantur et amabantur. Quæ probabantur ratione stulta, et quæ amabantur dilectione insana; illa sine veritate, ista sine utilitate. Stultum enim fuit supra carnis sensum veritatem Dei pertinaciter non recipere, et insania fuit propter

carnis commodum detrimentum animæ patienter sustinere.

Tit. CXCVIII. *De trina refectione animæ.*

Trina refectione Deus animam fidelem pascit: per verbum, per sacramentum, per spiritum. Quando nos per verba sua et sacramenta reficit, favum nobis edendum proponit; quando vero intus per spiritum suum nos reficit, mel nobis gustandum effundit.

Tit. CXCIX. *De contemptu mundi inducendo.*

Primum ad contemptum mundi adminiculum est, si cœperit homo semetipsum agnoscere cur creatus sit, et exquirit factorem suum Deum, tunc incipiet pœnitere de iis quæ commisit in tempore negligentiæ suæ. Et sic demum benignus Deus dat illi tristitiam pro peccatis. Et post hæc iterum per suam benignitatem dat illi afflictionem corporis; in jejuniis, in vigiliis, et orationis instantia, et contemptu mundi, et ut libens illatas injurias sufferat, et odio habeat omne refrigerium corporale, et ut diligat planctum magis quam risum. Post hæc Deus tribuet illi desiderium et fletum et planctum et humiliationem et humilitatem, ut trabem oculi sui consideret; non alterius festucam nitatur eruere, et dicat semper: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum contra me est semper* (*Psal.* L). Et ut diei exitus sui memor sit, et quomodo in conspectu Dei occursurus sit, et judicia et pœnas describat in conspectu mentis suæ: necnon et meritos honores qui dandi sunt sanctis. Qui autem cognoverit quod cor suum firmum est in timore Domini; et non titubaverit ad locum suum, sed fortiter restiterit adversario suo, ille perfectus monachus et miles Christi vocabitur. Ut enim nimio onere cumulata navis undarum icto obruitur, sic multa possideos monachus in via impeditur, nihil possidens, quasi aquila ad celsitudinem pervolat, tuncque solum descendit ad escas, quando compellit necessitas. Prudens monachus non adulabitur, propter voluptatem ventris, divitibus. Nihilque possidens, ut cursor levis, velociter ad bravium supernæ vocationis Dei perveniet. Verus monachus post opus moderatum orationibus et lectionibus vacat. Nihil possidens monachus thesaurizat in cœlo; et canit Deo laudes die et nocte, in timore Dei. Gloriatio monachi, cum nullas res præsentis vitæ possidere desiderat. Gloriatio monachi, vigiliæ et fletus in orationibus suis. Gloriatio monachi, mansuetudo et fides. Gloriatio monachi, quando Deum ex toto corde dilexerit et proximum suum tanquam seipsum. Gloriatio monachi, abstinentia escarum, et multiloquii linguæ. Gloriatio monachi, quando verba ejus operibus consonant. Gloriatio monachi, quando in loco suo permanet, et huc illucque non vagatur. Gloriatio monachi longanimitas cum humilitate et gratia. Sicut lampas splendida in loco tenebroso, sicut sol radians splendidus est, sic monachus perfectus in sobrietate et castitate et corde pervigili in tempore psalmorum. Sicut pondus solis premens virum infirmum, sic somnus in oculis est monachi. Sicut spinæ et tribuli in agro optimo, sic cogitationes turpes in corde monachi. Sicut tinea exterminat vestimentum, sic detractio animam monachi. Noli ire ad colloquium mulieris, ne sis separatus a regno Dei. Et ne velis dicere: Loquor cum muliere, et mundus sum. Monachus sapiens manibus suis operatur, victum sibi acquirens quotidianum, et lucratus est orationes et jejunia sua. Si autem ab alio acceperit victum, quid prodest quod orat et vigilat sicut mercenarius malus et durus? Quia scriptum est: *Melius et beatius est dare quam accipere* (*Act.* XX). Lignorum copia ingentem suscitat flammam; multitudo autem escarum inobedientiam parturit et mortem. Indigens ventrem in orationibus vigilem præstat, et coronam animæ acquirit. Repletus autem somni induet gravitatem. Oculus gloriosus convivia perscrutatur; oculus autem sapientium meditabitur continentiam martyrum. Formidolosus miles horrescit tubam, quæ bellum significat; et gulosus monachus, si abstinentiam audierit, prædicantem non auscultat. Flamma cum marcescit iterum elucescit, si acciplat lignum, et libido sopita rursum ignescit in saturitate escarum. Non miserearis corporis, si lassitudine defecerit. Equus consentiens indigens corpus, nec ascensorem deficit unquam. Concupiscentia mater libidinis; ulcum nutrit lampadem lucentem, et ignem luxuriæ accendit confabulatio mulierum. Facies enim mulieris sagitta est truculenta; infigit vulnus in animam et venenum. Fuge confabulationem mulieris, si castus esse volueris. Absconsum est in eis venenum. Magis accedas ad ignem ardentem quam ad mulierem. Noli velle, cum sis juvenis, impetus libidinis sentire per concupiscentiam in confabulatione mulieris. Qui repleverit ventrem et promiserit castitatem, ipse sibi mentietur. Forma pulchritudinis pejus quam procella submergit. Speciem mulieris si semel mente conceperis, et ipsam vitam contemnere persuadet. Ut enim si in paleis moretur ignis, excitat flammam, sic memoria mulieris permanens succendit concupiscentiam. Aculeus peccati facta est femina. Omnis societas mulierum gluten est delictorum, et tanquam visco nectit cantu suo de quo diabolus satiatur, aut si risu dissolvatur, aut cantare delectetur. Utilius est audire basiliscum sibilantem quam mulierem cantantem. Et tu quid dicturus es nihil? Quomodo Elias commoratus est cum vidua? Ipse qui discipulum te dicis Eliæ, fac quod ipse Elias fecit. Accipe tibi tantorum dierum spatium jejuniorum, ut possis in cœlo regnare in sæcula sæculorum.

Tit. CC. *De solutione quatuor quæstionum per Ranulphum de Mauriaco propositarum.*

Hugo Ranulpho de Mauriaco, etc. *Vide supra* inter epistolas *Hugonis, Operum tom. II.*

LIBER SECUNDUS.

ADNOTATIONES ELUCIDATORIÆ IN QUOSDAM PSALMOS DAVID.

PROLOGUS.

Quosdam tibi, frater charissime, Psalmistæ versiculos prælibavi; de profunda abysso stillam modicam hauriens.

Cap. I. *De fabrica cathedræ pestilentiæ, et quæ eam concernunt.*

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum : et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit (*Psal.* I). Quandiu anima per contemplationem Deo adhæret, manet in patria, quando cogitationem suam ad terrena, et transitoria inflectit, a patria in exsilium vadit. Primum per vanitatem abit. Deinde per delectationem stat. Deinde per consensum sedet : per opus ædificat, per desperationem habitat. Qui malum operatur cathedram fabricat; in cathedra sedet qui in malo perseverat. Instrumenta operis mali, sunt quinque sensus corporis; materia est illud in quo quisque explet propositum pravæ voluntatis. Modus fabricandi talis est : visus eligit, sermo præcidit, officium coaptat, experientia componit. Visus pertinet ad oculum, sermo ad auditum, officium ad manum, experientia ad olfactum et gustum. Quem in pravo opere ipsa propter se actio delectat, is in agendo gustat, quales sunt gula et luxuria. Cum autem ipse actus prædicandi per se non placet, sed per id quod agitur, aliud quod desiderat bonum consequi cupit; iste de longe olfacit : qualia sunt latrocinium et furtum. Neque enim latronem delectat hominem occidere, sed delectat spolia possidere. Neque furem limeo suffodere, sed pecuniam obtinere. Ista quinque instrumenta non operantur in omni peccato; quædam tamen sunt peccata, ubi omnia simul inveniuntur, ut est verbi gratia, luxuria. Cum enim primum ardorem libidinis per cogitationem quis mente conceperit, ad implendam deinde pravam voluntatem per oculos materiam eligit, quando consortem turpitudinis, eam, quæ magis placere possit, inquirit. Deinde per sermonem materiam præcidit, quia inventam noxiis persuasionibus a statu rectitudinis ad consensum perversitatis trahit. Deinde officio coaptat, quia jugi obsequio, quasi palpanda, in pravo consensu confirmat. Adaptata materia, fabricam construit, quia, consensu communi habito, ad actum turpitudinis venit. Quatuor ergo ista, hoc est eligere, præcidere, coaptare, construere, quatuor sunt pistylla cathedræ, quæ videlicet cathedra tunc cathedra pestilentiæ fit, quando pravum opus in apertum veniens plures corrumpit.

Cap. II. *De habentibus legem in corde, non cor in lege.*

Sed in lege Domini voluntas ejus : et in lege ejus meditabitur die ac nocte (*Psal.* I). Multi habent legem in corde, sed non habent cor in lege. Legem in corde habent qui cognoscunt veritatem; cor in lege habent qui diligunt veritatem. Qui vero legem in corde habent, non cor in lege, hi portant legem, non portantur a lege; onerati sunt, non adjuti, quia scientia, ubi non est charitas, gravat, non allevat.

Cap. III. *De quatuor generibus hominum judicio Dei obnoxiorum.*

Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum (*Psal.* I). Quatuor sunt materiæ hominum, judicati et damnati, judicandi et damnandi, judicati et salvati, judicandi et salvandi. Judicati et damnati sunt quorum damnatio jam certa est; judicandi et damnandi, quorum damnatio adhuc certa non est; judicati et salvati sunt, quorum salvatio jam certa est; judicandi et salvandi, quorum salvatio adhuc certa non est.

Cap. IV. *De æterna Christi generatione.*

Dominus dixit ad me : Filius meus es tu : ego hodie genui te (*Psal.* II). Quando Pater Verbum coæternum sibi genuit, tunc dixit : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* In verbo dixit quia genuit, *Filius meus es tu*, et quia non transit genitura, *hodie.*

Cap. V. *Quod ex natura homo ad imaginem Dei creatus sit : ex sola autem gratia in Domino lætari possit.*

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (*Psal.* IV); hæc est ratio. *Dedisti lætitiam in corde meo* (*ibid.*) : hæc est aspiratio. Signatum est lumen per naturam; dedisti lætitiam per gratiam. Ideo ait *super nos*, non super me, quia communis est natura, et postea *in corde meo*, non nostro, quoniam singularis est gratia.

Cap. VI. *Quod duobus modis Deus hominem perdit.*

Perdes omnes qui loquuntur mendacium (*Psal.* V). Duobus modis perdit Deus hominem : primum, quando homo peccando a Deo recedit; secundo, quando Deus judicando hominem abjicit.

Cap. VII. *Quod hic expelli debet peccatum per confessionem; ne in judicium compellatur ad confusionem.*

Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos (*Psal.* V). Intus est peccator, quandiu iniquitatem suam abscondit, quando autem confitetur iniquitatem suam, foras venit. Nunc ergo vocat Deus Lazarum, et præcipit ut foras veniat, quia monet pecca-

turam, ut peccatum suum revelare non erubescat. Sed quisquis in hac vita sponte exire noluerit, in futuro expelletur invitus, quia qui hic peccatum suum revelare neglexerit ad salutem, ejus peccatum illi, velit nolit, revelabitur ad confusionem, sicut dicitur in alio psalmo : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam* (*Psal.* XLIX).

CAP. VIII. *De causa litis inter Deum hominem et diabolum.*

Quoniam fecisti judicium, et causam meam (*Psal.* IX). Tres in causam veniunt : Diabolus, homo, et Deus. Diabolus Deo injuriam fecisse convincitur, quia servum ejus, hoc est hominem, et fraudulenter abduxit, et violenter tenuit. Homo injuriam Deo fecisse convincitur, quia, et præceptum ejus contempsit, et se sub manum alienam ponens suæ servitutis damnum illi intulit. Item diabolus homini injuriam fecisse convincitur, quia illum, et prius bona promittendo decepit, et postea mala inferendo læsit. Injuste ergo diabolus tenet hominem, sed homo juste tenetur, quia diabolus nunquam meruit ut hominem sibi subjectum premeret, sed homo meruit per culpam suam ut ab eo premeretur. Licet enim ignoraret falsum esse quod diabolus promisit, non tamen ignoravit quod illud etiam, si verum esset, contra Creatoris voluntatem concupiscere, non debuit. Juste ergo subjectus est homo diabolo, quantum pertinet ad culpam ejus; injuste autem, quantum pertinet ad diaboli fraudulentiam. Si igitur homo talem patronum habet, cujus potentia diabolus in causam compelli posset, juste dominio ejus homo contradiceret, quia nullam diabolus justam causam habuit, quare sibi jus in homine vindicare debuis set. Patronus autem talis nullus inveniri poterat nisi Deus. Sed Deus causam hominis suscipere noluit, quia homini adhuc pro culpa sua iratus fuit. Oportuit ergo ut prius homo Deum placaret, et sic deinde fiducialiter Deo patrocinante cum diabolo litem iniret. Sed Deum rationabiliter placare non poterat, nisi et damnum quod intulerat restitueret, et de contemptu satisfaceret. Homo vero nihil habuit quod digne Deo pro illato damno recompensaret, quia si quid de irrationabili creatura redderet, pro rationali sublata minus esset. Sed nec hominem, pro homine reddere potuit, quia justum et innocentem abstulerat, et neminem nisi peccatorem invenit. Nihil ergo homo invenit. Unde Deum sibi placare posset, quia sive sua, sive seipsum daret, digna recompensatio non esset. Videns ergo Deus hominem sua virtute jugum damnationis evadere non posse, misertus est ejus; et primum gratuito prævenit eum per solam misericordiam, ut deinde liberaret per justitiam. Hoc est, quia ex se homo justitiam evadendi non habuit, Deus homini per misericordiam justitiam dedit. Neque enim ereptio hominis perfecte rationabilis esset, nisi ex utraque parte justa fieret, hoc est, sicut Deus justitiam habuit hominem requirendi, ita et homo justitiam haberet evadendi. Sed hanc justitiam homo nunquam habere potuisset, nisi Deus ei per misericordiam suam illam tribueret. Ut ergo Deus ab homine placari posset, Deus dedit gratis homini quod homo es debito Deo redderet. Dedit homini hominem, quem homo pro homine redderet; qui ut digna recompensatio fieret, priori non solum æqualis, sed et major esset. Ut ergo pro homine redderetur, homo major homine factus est Deus homo pro homine; et dedit se homo homini, ut se acciperet ab homine. Incarnatus est Deus Dei Filius, et datus est hominibus Deus homo Christus, sicut Isaias dicit : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis. Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus fortis*, etc. (*Isa.* IX.) Quod ergo homini datus est Christus, Dei fuit misericordia; quod ab homine redditus est Christus, hominis fuit justitia. In nativitate enim Christi juste placatus est Deus homini, quia talis homo inventus pro homine, qui non solum, ut dictum est par, sed et major esset homine. Ideo in nativitate Christi angeli mundo pacem nuntiant dicentes : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Sed adhuc supererat homini, ut sicut restaurando damnum placaverat iram, ita quoque pro contemptu satisfaciendo, dignus fieret evadere pœnam. Sed hoc convenientius fieri non poterat nisi ut pœnam, quam non debebat, sponte et obedienter susciperet, ut de pœna, quam per inobedientiam meruerat, eripi dignus fieret. Hanc autem pœnam homo peccator solvere non poterat, qui, quamcunque pœnam susciperet, non nisi digne et juste propter primi contemptus reatum sustineret. Ut ergo homo justo debitam pœnam evaderet, necesse fuit ut talis pro homine pœnam susciperet qui nil pœnæ debuisset. Sed talis nullus inveniri poterat nisi Christus. Christus ergo et nascendo debitum hominis Patri solvit, et moriendo reatum hominis expiavit, ut cum ipse pro homine mortem quam non debuit sustineret, juste homo pro ipso mortem quam debebat evaderet, et jam locum calumniandi diabolus non inveniret, quia, et ipse homini dominari non debuit; et homo liberari dignus fuit. Idem itaque et judicium nostrum et causam nostram fecit : causam, quia nascendo debitum Patri pro nobis solvit, et moriendo reatum expiavit; judicium vero, quia descendens ad inferos et portas mortis frangens, captivitatem quæ ibidem tenebatur liberam eduxit.

CAP. IX. *Quomodo Deus dextrum, et sinistrum oculos habere dicatur.*

Oculi ejus in pauperem respiciunt ; palpebræ ejus interrogant filios hominum (*Psal.* IX). Deus oculos habere dicitur, quia bonorum et malorum vias jugiter contemplatur. Et quasi sinistrum oculum habet, quando malos ad damnationem prævidet. Dextro autem aspicit, quando in præscientia sua bonos ad salutem disponit. Isti oculi palpebras habent, quæ aliquando aperiuntur. Quando in hac vita Deus bonis prospera et malis adversa tribuit, quasi palpebras levat, quia se videre opera hominum bona et mala, etiam præsenti retributione, manifestat. Quando

vero bonis adversa et malis prospera evenire permittit, quasi palpebras claudit quia, dum merita singulorum quodammodo dissimiliter recompensat, quasi quid factum sit se vidisse dissimulat. Istæ palpebræ interrogant filios hominum, quia inde Deus cor humanum tentat, unde aliquando similia, aliquando dissimilia, semper tamen justa meritis hominum recompensat. Item oculi ejus in pauperem respiciunt. Duo sunt, pastor est lupus; ambo in unum respiciunt, alter ut rapiat, alter ut custodiat. Item: *Oculi ejus in pauperem respiciunt; insidiatur lupus in abscondito quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem (ibid.)*. Oculi ejus, id est pastoris in pauperem respiciunt, ut servent eum. Hinc est lupus, hinc est pastor. Ovis in medio est pauper, pastor Deus, lupus diabolus. Hinc pastor illinc lupus. Nunquam ex uno latere occurrunt. Si pastor a dextris, lupus a sinistris. *A dextris est mihi ne commovear* (*Psal.* XV). Si pastor a sinistris, et diabolus stet a dextris ejus, et observat lupus, et cum pastor elongat, lupus appropinquat; cum pastor redit, lupus recedit. Egreditur diabolus ante pedes ejus. Omne autem judicium procedit ab ove. Timida [tumida] deseritur, timida visitatur; deseritur, ne præsumat; visitatur, ne desperet. Ideo: *Ne declines in ira a servo tuo* (*Psal.* XXVI). Et: *Velociter exaudi me, Domine* (*Psal.* CI); *Defecit spiritus meus* (*Psal.* LXXVI).

CAP. X. *Quod locutio sit in voce et opere; et quis vanitatem in corde habeat, quis loquatur; et quis loquatur eam ad proximum.*

Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum (*Psal.* XI). Locutio non incongrue intelligi potest, non solum in voce, sed etiam in operatione, quia indicium cordis non solum vox est, sed etiam exhibitio operis. Scimus autem quod vanum est omne quod transit. Ille vanitatem in corde habet qui transitoria diligit. Vanitatem loquitur, qui pro hac vita transitoria immoderate laborans ipso suo studio, et opere eam se diligere ostendit. Vanitatem autem ad proximum suum loquitur qui exemplo suo eum ad petenda transitoria cohortatur.

CAP. XI. *Qui sint timorem Dei habentes, et Christo credentes et quomodo via pacis Christus cognoscatur.*

Viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum (*Psal.* I). Qui timorem Dei ante oculos habere noluerint, viam pacis agnoscere non possunt. Sed si timorem Dei ante oculos haberent, procul dubio viam pacis agnoscerent. Sicut ipse Dominus in Evangelio Judæis loquens: *Si crederetis* inquit, *Moysi, crederetis forsitan et mihi* (*Joan.* V). Quid enim in Moyse nisi legem, et quid in lege nisi timorem Dei intelligere debemus? Et quid in Christo nisi gratiam et veritatem accipimus? Quid est ergo Moysi credere, nisi acceptæ legis mandata fideliter observare? Observare autem mandatum, hoc est vere timere Deum sicut scriptum est: *Qui timet Deum, nihil negligit* (*Eccle.* VII). Et sicut in Psalmo dicitur. *Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.* Quid est autem Christo credere? nisi confiteri, et agnoscere gratiam, et veritatem Dei, hoc est redemptionem humani generis, et salutem omnium per Christum completam, et in Christo consistere, eamque cum amore et devotione suscipere. In qua videlicet gratia via pacis agnoscitur, quia homini aditus ad Deum reconciliationis aperitur. Dicatur ergo contumacibus et transgressoribus legis qui timorem Dei ante oculos non habebant, et ideo viam pacis, hoc est Christum, non agnoscebant, dicatur: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi.* Ac si diceret: Si servassetis legem, intelligeretis veritatem. Si audivissetis præceptorem, cognosceretis Salvatorem. Scio quidem quod me Deum cognoscere non potest, qui a me illuminatus non est. Et iden vos non creditis, quia a me illuminati non estis. Ego autem idcirco vos ad me cognoscendum non illumino, quia vestram contumaciam et prævaricationem scio; et dignum est ut me præsentem jam non cognoscatis cujus præcepta, prius ad vos per Moysem missa, servare noluistis. Audiant hoc illi qui præcepta Dei non custodiunt, et tamen secreta Dei se comprehendere posse præsumunt. Audiant quod dicitur: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi.* Hoc est enim aperte dicere: Habetote experimentum virtutis, si habere vultis agnitionem veritatis. Neque enim potest perfecte cognoscere bonum qui boni adhuc non attigit experimentum. Idem est quod alibi dicitur: *Scrutamini Scripturas* (*Joan.* V). Quasi unicuique diceretur: Experire, et disce; fac, et intellige, id est faciendo melius quam loquendo investigas; cum expertus fueris, tunc fideliter dijudicas. Necesse est ergo ut, si nondum agnita cognoscere cupimus, in iis quæ jam cognovimus torpentes non simus, quia quisquis timorem Dei non custodit, ut bonum quod potest faciat, ille non solum majora bona percipere dignus non est, sed eo ipso etiam privari quod jam perceperat. Si igitur Judæi idcirco viam pacis, hoc est Christum cognoscere non potuerunt, quia timorem Dei, in custodiendo mandata ante oculos habere noluerunt, patenter nobis ostenditur, quod per experimentum boni operis apertissime pervenitur ad agnitionem veritatis.

Sed adhuc testimonium Psalmistæ, quod supra positum est, ad moralem intelligentiam adaptare volumus, ut in eo non solum doctrinæ, sed et disciplinæ ordinem esse ostendamus. *Viam*, inquit, *pacis non cognoverunt. Non est timor Dei ante oculos eorum* (*Psal.* XIII). Anima duas vias habet: Unam bonam, et alteram malam, per quas ambulat non passibus pedum, sed desideriorum. Una via est charitas, altera cupiditas. Cupiditas est amor hujus mundi. Charitas est amor Dei. Anima, quæ Deum diligit quibusdam amoris passibus per charitatem ad Deum currit. Animam quæ mundum hunc diligit

affectus carnis ad ea quæ amat per cupiditatem adducit. Charitas autem via pacis est, quia in amore Conditoris currens animus, nihil quod lædat, invenit. Cupiditas vin pacis non est, quia mentem per multos labores, et dolores distrahit. Hujus viæ portæ sunt sensus corporis, quia per eos animam concupiscentia educit. Sed inter has portas prima est visus, quin oculi aliorum sensuum duces sunt, et eos fere in omni actione ad concupiscentiam præcedunt; dum enim gustare desideras, prius manum porrigis, ut accipias. Sed priusquam accipis, visum dirigis ut eligas: Hoc ordine, et primum peccatum perpetratum est: *Vidit mulier lignum, quod esset pulchrum visu, et ad vescendum suave, et tulit de fructu ejus, et comedit* (*Gen.* III). Primum vidit, deinde attigit et tulit, demum gustavit. Si non vidisset, nec tetigisset, nec gustasset. Ecce quomodo visus ante alios sensus in concupiscentia etiam in ipso visu fuit. Cum enim dicitur, *vidit quod esset pulchrum visu*, ecce in visu concupiscentia videndi. Cum dicitur, *et suave*, ecce in visu concupiscentia tangendi. Cum dicitur *ad vescendum*, ecce in visu concupiscentia gustandi. Non solum igitur visus in concupiscentia præcedit sensus alios, verum etiam omnes alii sensus in concupiscentia videndi præcedunt semet ipsos; et totum quodammodo in visu prius per delectationem agitur quidquid postmodum a cæteris sensibus in operatione perpetratur. Ideo dixit Dominus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est in corde suo* (*Matth.* V), quia profecto animus videnda totum delectabiliter cogitat quidquid eum postmodum in agendo delectat. Si igitur porta oculorum bene munita fuerit, tota illa interior civitas cordis nostri ab insultu vitiorum quieta erit. Sed huic portæ nullus custos esse potest melior quam timor Domini, ut ille videlicet carnalem mentem, quæ lubrica est, ne ad antiquas delectationes redeat, semper in proposito disciplinæ configat atque coerceat. Hanc custodiam Psalmista desiderabat, cum diceret: *Confige timore tuo carnes meas* (*Psal.* CXVIII). Et Sapientia hanc custodiam nos habere monuit, quando virtutis studium aggredienti formam disciplinæ præscripsit, dicens: *Fili, accedens ad servitutem Dei sta in timore, et præpara cor tuum ad tentationes* (*Eccli.* II). *Sta in timore*, ne te blandimenta carnis seducant. *Præpara cor tuum ad tentationes*, ne adversa supervenientia frangant. Lasciviam carnis per timorem comprime; pressuram tribulationis per patientiam vince. Duo quippe ista sunt, quæ præcipue inchoatum propositum labefactare solent, incumbentium scilicet tentationum molestia, et præteritarum delectationum memoria. Illæ namque dum solito graviores supervenient, sæpe pusillanimes per impatientiam dejiciunt. Istæ vero dum solito male dulces redeunt, per incontinentiam incautos se ducunt. Ponamus ergo custodem optimum ante oculos nostros timorem Domini, ut dum scilicet ipse reliquorum sensuum duces custodit, omne sequentium actionum corpus sanum, et integrum esse possit. Hanc custodiam Isboseth, quia domui suæ præficere noluit, in inguine vulnus mortis accepit (*II Reg.* IV), quia quisquis sensus suos timore Domini munire negligit, huic subito irrepens delectatio carnis vitam animæ exstinguit. Recte ergo dicitur: *Viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum*, quia quisquis foris sensus suos per timorem Dei a delectatione carnis non restringit, quæ sit interni amoris dulcedo gustare non poterit.

CAP. XII. *Quid Deus homo factus invenerit in mundo quod suum esset; et quid, quod diaboli; et quomodo uterque pro suo jure certaverit.*

Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi (*Psal.* XV). Deus per hominem mundum redempturus in mundum venit, et toti mundo diabolum dominantem invenit. Deus per hominem mundum visitans *in propria venit* (*Joan.* I), et homo per Deum, mundum non amans, ubi caput reclinaret non habuit. Deus homo in hoc mundo elementis imperavit, et homo Deus de hoc mundo regnum se non habere dixit. Ergo ad aliquid totum Dei erat, et ad aliquid totum diaboli. Totum Dei erat, quod ipse fecerat, et totum diaboli, quod ipse possidebat. Deus in principio mundum creaverat, et diabolus a principio mundum possidebat. Ergo certamen factum est Deo, et certamen factum est diabolo. Deus dixit se quod suum erat debere recipere; diabolus dixit se post tam longam negligentiam sua possessione non privandum. Deus dixit aliena eum fraudulenter abstulisse et violenter tenuisse; diabolus dixit eum nec, cum abstulit, contradixisse, nec, cum tenuit, aliquando repetiisse. Deus dixit potentem se ad sua recipienda, si vellet, viribus uti; diabolus dixit contra justitiam non debere viribus abuti. Deus dixit justum non esse, si quod ipse creaverat perire permitteret; diabolus dixit injustum non esse, si quod sponte perierat non restauraret. Deus dixit se velle misereri per benignitatem propriam; diabolus dixit se nolle pati damnum per potestatem alienam. Deus dixit justum esse ut de peccato pœnitentes ad salutem reciperentur; diabolus dixit, justum non esse ut in peccato persistentes ad salutem cogerentur. Deus dixit se venisse non ut nolentes cogeret, sed ut volentes adjuvaret; diabolus dixit interim pro tempore æquanimiter se passurum volentes perdere, si nolentes retineret. Deus dixit se in aliena ad gehennam manum non mittere, si sua redderentur; diabolus dixit se aliena paratum reddere, si sua non auferrentur. Deus dixit nullum se a misericordia posse repellere; diabolus dixit, si omnes perderet, non se posse æquanimiter tolerare. Deus dixit se suadere ut in toto ab alieno jure secederet; diabolus dixit se postulare ut saltem pro reverentia pristinæ dominationis aliqua in parte requiem sibi non negaret. Deus dixit se, eum prius potiora elegisset post illi abjectiora concessurum; diabolus dixit jure se si electionem habere non posset, saltem partitionem facturum.

Deus dixit se privilegio dominationis utriusque potestatem vindicare; diabolus dixit se quia jam amplius non posset, nihil ex jure, sed ex permissione postulare. Deus dixit se tantum ei permissurum, quantum etiam avari famem satiare possit; diabolus dixit se non tantum accepturum, quin amplius cupiat, si fieri possit. His dictis, jussit Deus tendi funiculos in partitionem, et invenit virentia, et irrigua in vallibus imis, minora spatio, majora pretio; et hæc præcepit seponi ad partem alteram; deserta autem, et arida in ruribus, et montibus altis, lata, et aspectu patentia, magna spatio, vilia pretio, et hæc jussit ad alteram partem discerni. Tunc mandavit diabolum adesse; et assistenti sic ait: Ne forte aut violentiam judicantis, aut avaritiam dantis causari valeas, *quidquid oculus tuus videt, tibi dabo.* Tunc diabolus, qui omne sublime considerat, et humilia non valet intueri, levans oculos aspexit montes altos, et saxa prominentia in rupibus ac deserta patentia, et quasi totum sibi cessisse glorians, despexit quod Deus elegerat. Tum Deus increpitans ac cæcitatem elati deridens ait: *Funes ceciderunt mihi in præclaris* (*Psal.* XV). Tu laudas quod vides, et ego te laudo quod video. Tu in imo es, et propterea oculis tuis nisi in alta, et exstantia non patent. Ego desuper contemplor, quam habeant amœnitatem humilia. *Etenim hæreditas mea præclara est mihi* (*ibid.*).

CAP. XIII. *Quid sit providere Dominum in conspectu sua semper.*

Providebam Dominum in conspectu meo semper (*Psal.* V). Dominum providet, qui in tribulatione positus, spem in Domino habet. Quasi enim providere est de præsenti tribulatione futurum auxilium exspectare. Sed si quando diuturna exspectatione fatigatus animus spem cœptam deserit, quasi conspectum a Domino avertit. Semper autem in conspectu suo Dominum providet qui, in pressura constitutus, et divinum auxilium quandoque sibi adfuturum confidit, et spem cœptam usque in finem non deserit.

CAP. XIV. *Quibus et quando Dominus et diabolus a dextris et a sinistris sint.*

Quoniam a dextris est mihi, ne commovear (*Psal.* XV). Dominus a sinistris est, quando exterius salutem temporalem tribuit. Dominus a dextris est, quando interius virtutes animæ custodit. Diabolus a sinistris est, quando foris per adversa impugnat. Diabolus a dextris est, quando intus per vitia tentat. Hinc est quod de reprobo Scriptura loquitur, dicens: *Diabolus stet a dextris ejus* (*Psal.* CVIII). Diabolus quippe interpretatur *deorsum fluens*, quia de illa primæ conditionis suæ gloria per superbiam cecidit. Tunc ergo diabolus nobis a dextris stat, quando ille qui de cœlo cecidit, nos sibi per consensum peccati subjiciens, in nobis ascendit. Quando enim nos cadimus, diabolus erigitur; quando nos surgimus, ipse prosternitur. Hinc Jeremias plangit, dicens: *Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus meus* (*Thren.* I). De hac etiam sinistra in Evangelio dicitur: *Si quis te percusserit in sinistram maxillam, præbe ei et alteram* (*Matth.* V). Sinistram quippe maxillam percutit qui exterius nocet. Cui nos dexteram maxillam præbemus, si contra exteriora damna, animæ virtutes opponimus, ut scilicet tanto minus foris periculum timeamus, quanto certius præsidium intus est in quo confidimus.

CAP. XV. *Lætitia impleri ubi detur.*

Adimplebis me lætitia cum vultu tuo (*Psal.* XV). In hac vita mortali aliquando lætari possumus; impleri lætitia non possumus, quia et si quædam sunt quæ lætificant, multa sunt quæ contristant.

CAP. XVI. *Dextera et sinistra Dei quæ sint, et ubi delectatio usque in finem.*

Delectationes in dextera tua usque in finem (*Psal.* XV). Sinistra Dei bona sunt temporalia; dextera Dei bona æterna. In temporalibus autem bonis delectationes quædam sunt; sed usque in finem non sunt, quia in hac vita semper gaudium dolor sequitur, et omnis delectatio amaro fine terminatur. In dextera autem Dei delectationes usque in finem sunt, quia in vita æterna nec gaudia in mœrorem, nec delectationes in dolorem mutari possunt.

CAP. XVII. *De tribus orantium generibus.*

Auribus percipe orationem meam; non in labiis dolosis (*Psal.* XVI). Ideo exaudiri postulat, quia non solum labiis, sed corde orat. Tria sunt genera orantium: alii qui solis labiis, alii qui solo corde, alii qui et labiis et corde orant. Qui solis labiis orant dolosi sunt, quia non habent in corde quod ore proferunt. Qui corde et labiis orant, veraces sunt, quia sicut loquuntur, ita sentiunt. Qui solo corde orant, devoti sunt, quia orationem suam a Deo tantum audiri volunt. Quando ergo in oratione verba proferimus, si cogitamus quod loquimur, facimus quod debemus. Si autem verba orationis fundimus, aliud quodcunque in corde versamus, etiam si illud bonum sit, quia tamen ordinatum non est, prorsus a culpa liberi non sumus, ita tamen si id quod dicimus intelligere valemus. Si quis autem non intelligens verba orationis proferat, et si non intelligere valet quod dicit, si tamen bona intentione dicit, sine fructu non erit. Si autem orantes vana cogitamus, etiam, si veritatem loquimur, cogitando vanitatem vani efficimur. Si autem dum os veritatem loquitur in corde turpitudo versatur, jam non solum vani, sed etiam abominabiles in conspectu Dei reputamur. Aliud tamen est, quando homo hæc invitus patitur atque aliud, quando in eis per deliberationem delectatur.

CAP. XVIII. *De examine bonorum et malorum, sed non mediocrium.*

Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas (*Psal.* XVI). Examen in libra est illud desuper in quo perpenditur ad quam partem pondus seorsum inclinet. Igne ergo tribulationis justus examinatur, quia perfecta virtus in adversitate cognoscitur. Valde

mali jam examinati sunt, quia per iniquitatis pondus ad sinistram partem se inclinaverunt. Valde boni examinati sunt, quia per gravitatem constantiæ et perseverantiam virtutis ad dextram se convertenint. Mediocres adhuc examinati non sunt quia ad quam partem pertineant humana judicia needum discernere possunt.

CAP. XIX. *De viis duris hujus vitæ, et qui eos custodiunt propter verbo labiorum Dei.*

Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras (*Psal.* XVI). In hac præsenti vita in via sumus: quia per hanc ad aliam vitam transimus. Sed quia humana infirmitas diu in eodem persistere non potest, tot quasi vias ingredimur, per quot actiones variamur. Quia vero in hac vita nihil sine labore facere possumus, quasi gradientes duras vias habemus. Sed has duras vias illi non custodiunt qui in hac vita delectari quærunt. Qui autem sponte hic se humiliant et affligunt, ii duras vias custodiunt. Sed quis est qui Deo dicere potest: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras?* Quæ sunt verba labiorum ejus? Verba labiorum nostrorum peccata nostra sunt. Sicut dicitur in Psalmo: *Longe a salute mea verbo delictorum meorum* (*ibid*). Verba labiorum Dei præcepta ejus sunt. Quisquis ergo præteritorum delictorum conscius, sponte per pœnitentiam se affligit, is propter verba labiorum suorum vias duras custodit. Qui autem laborat ne præcepta Dei transgrediatur, et ut voluntatem ejus impleat, suis voluntatibus vim facit, is propter verba labiorum ejus vias duras custodit. Ille solvit debitum; hic implet præceptum. Deus enim homini præcipit ne cadat. Sed cum ceciderit, jam non præcipit, sed monet ut resurgat; præceptum namque non pertinet nisi ad obedientes: sed qui in peccato adhuc permanet, obediens non est. Cum autem pœnitendo ad obedientiam redit, dignos efficitur ut præceptum accipere possit.

CAP. XX. *De viis, et semitis Dei.*

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea (*Psal.* XVI). Viæ Dei sunt præcepta levia. Semitæ Dei sunt strictiora mandata, in quibus pauci ambulare possunt. In via Dei ambulat qui proximo suo malum non facit. In semita Dei ambulat qui etiam malum inferentem diligit. Qui vero adhuc ambulare nescit in semita, sæpe movetur a via, quia sæpe charitatem deserere cogitur qui non didicit adhuc diligere, nisi eum a quo amatur.

CAP. XXI. *Dextera Dei, quæ sit et qui ei resistant: et quomodo ab eis custodiri cupiat justus.*

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me ut pupillam oculi (*Psal.* XVI). Dextera Dei est Christus, quia per eum Deus pater operatus est propitiationem nostram. Vel dextera Dei potiora sunt opera ejus, id est æterna bona. Illi ergo dexteræ Dei resistunt qui vel male credendo, vel male vivendo Christo contradicunt. Dexteræ Dei resistunt qui terrena amantes æterna bona quærere contemnunt. Ab his omnibus custodiri justus desiderat, ne videlicet malo exemplo illorum provocatus ad iniquitatem cadat. Sed quomodo se vult custodiri? Audite quomodo: *ut pupillam*, inquit, *oculi*. Multum diligenter vult custodiri is qui vult custodiri ut pupilla oculi. Pupilla quidem pars oculi modica est et tenera, sed tamen pretiosa. Diligenter custoditur, quia multum custoditur. Mystice oculus Dei est Ecclesia sanctorum; pupilla oculi est humanitas Christi. Per pupillam animal aciem dirigit, ut ea quæ foris sunt discernat; et Deus Pater omne judicium Filio dedit; et neminem nisi per Filium judicat, quasi lumen a tenebris, sic justos discernens ab injustis. Quid est ergo quod justus se custodiri vult ut pupillam oculi? Christus multa adversa in hoc mundo passus est; sed per pressuram tribulationis ad gloriam resurrectionis pervenit. Hoc igitur nos debemus orare ut custodiamur sicut pupilla oculi, videlicet non ut nihil mali patiamur in hoc mundo, sed ut per mala præsentia transeamus ad gaudia æterna.

CAP. XXII. *Quæ sint alæ Dei, sub quibus protegomur.*

Sub umbra alarum tuarum protege me (*Psal.* XVI). Duas alas habet Deus, misericordiam et charitatem. Per misericordiam peccatores protegit; per charitatem justus. Ille ergo non sub umbra alæ, sed umbra alarum protegi se postulat qui et in quibusdam misericordia se indigere agnoscit, et in quibusdam dignum amore sperat.

CAP. XXIII. *Faciem et latus curreuti opponere, quid sit.*

A facie impiorum qui me afflixerunt (*Psal.* XVI). Inimicus quasi faciem nobis opponit, quando currenti in desiderio Dei animo prava delectatio obsistit. A latere est inimicus, quando currentem fatigat tentatio, sed a cursu prava delectatio non retardat.

CAP. XXIV. *Prævenire, et supplantare quid sint.*

Exsurge, Domine, præveni eum, et supplanta eum (*Psal.* XVI). Prævenire currentis est, supplantare luctantis. Nam qui ad finem propositi operis tendit, quamvis non passibus pedum, promotione tamen actionum currit. Diabolus ergo in passione Christi cucurrit, quia eum quem purum hominem existimabat, per traditionem ad passionem, per passionem ad mortem, per mortem ad damnationem ducere voluit. Similiter cucurrit Deus, quia eum per traditionem ad passionem, per passionem ad mortem, per mortem ad resurrectionem promovere disposuit. Utrique ergo cucurrerunt, et Deus, et diabolus; sed diabolus præventus est, quia, ne ad finem propositi sui perveniro posset, divina virtute est impeditus. *Et supplanta*, inquit, *eum*. In passione Christi diabolus cum Deo luctabatur; diabolus foris luctabatur ut dejiceret; Deus intus luctabatur ut sustineret. Sed diabolus supplantatus est, quia occulta quadam virtute et sapientia Dei subito et ex improviso est dejectus.

CAP. XXV. *Quod framea sit Christi anima; quæ partem ab inferno abscidit.*

Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ (*Psal.* XVI). Anima Christi framea est, id est gladius Dei, quia per Christum dom Deus electos suos redemit, quasi quædam membra præcidit a corpore diaboli. Unde alibi dicitur: *Ero mors tua, mors; morsus tuus, inferne* (*Ose.* XIII). Deus enim quasi infernum momordit, quando descendens ad inferos, quoadam inde abstulit, quosdam ibi reliquit. Dicit ergo, *eripe animam meam ab impio* per *frameam tuam*. Ac si diceret. Si prius gladium, quo pugnaturus es non custodis, quomodo eos, qui per gladium salvandi sunt, liberare poteris?

CAP. XXVI. *Quomodo Deus noster est liberator noster, refugium nostrum, firmamentum, fortitudo, Deus, adjutor, spes, protector, cornu salutis, susceptor, etc.*

Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum, protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus (*Psal.* XVII). Humanitas Christi in resurrectione loquitur: *Diligam te, Domine*. In periculis timor; post pericula amor. *Diligam te, Domine*. Causas dilectionis subjungit, quia *fortitudo mea*, quia *firmamentum*, quia *refugium meum*, quia *liberator meus*. Converso ordine narrat usque ad ipsum divinæ gratiæ principium mente recurrens. Primum *liberator*, quia hominem a potestate diaboli eripuit; deinde *refugium*, quia de propriis viribus diffidentem, benigne ad patrocinandum excipit. Deinde *firmamentum*, stanti ne cadat. Deinde *fortitudo* pugnanti ut vincat. *Liberator* per baptismum, *refugium* per pœnitentiam, *firmamentum* per patientiam, *fortitudo* per victoriam. Ecce quo ordine evasit malum. Deinde secundus versiculus. Quomodo consecutus sit bonum. *Deus meus*, quia per fidem illuminat. *Adjutor meus*, quia ad bene operandum adjuvat. *Sperabo in eum*, quia cor ad amorem sui inflammat. *Protector meus*, quia supra id quod ferre possumus, tentari non permittit. *Cornu salutis meæ*, quia etiam persequentem diabolum nos contemnere facit. Postremo *susceptor meus*, quia finito cursu pervenientibus cœlum aperit. In cornu fortitudo signatur. Cornua confusionis est superbia; cornua salutis est fiducia bona.

CAP. XXVII. *Dolores, et laquei mortis, et inferni, et torrentes iniquitatis, qui sint.*

Circumdederunt me dolores mortis et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis (*Psal.* XVII). *Dolores mortis*, passibilitas, et mortalitas. *Torrentes iniquitatis*, hujus mundi vanitas. *Dolores inferni*, pœna æterna. *Laquei mortis*, originalis culpa. *Dolores mortis, et dolores inferni circumdederunt*, quia illos homo ante Christum evadere non potuit. *Torrentes iniquitatis conturbaverunt*, quia hujus mundi vanitas ad actualia peccata hominem impulit. *Laquei mortis præoccupaverunt*, quia antequam homo actualiter peccatum perpetrare potuit, culpa originalis in eo fuit.

CAP. XXVIII. *Salus humana et divina quomodo homini impertiatur.*

Et dedisti protectionem salutis meæ (*Psal.* XVII) Salus humana est sanitas carnis, salus divina integritas mentis. Hanc homo diligit; illam Deus tribuit. Hanc homo conservat molestias fugiendo; illam Deus confirmat, molestias inferendo. Sic tamen si mens intus custoditur, ut nec per aspera carnis ad impatientiam prorunat, nec per blanda ad lasciviam emollescat. Tunc ergo Deus salutis suæ protectionem nobis tribuit, quando animam nostram dum caro foris patitur, intus illæsam custodit, ut pressura quam caro foris tolerat, intus ad mentis corruptionem non pertingat.

CAP. XXIX. *Dextera et sinistra Dei quos suscipiat.*

Dextera tua suscepit me (*Psal.* XVII). Sinistra Dei bona sunt temporalia; dextera Dei bona æterna. Et sæpe contingit ut illos Deus spiritualibus bonis abundantius repleat quos inopia rerum temporalium exterius coangustat. Istos ergo, qui quasi foris per egestatem corruunt et intus virtutum divitiis solidati sunt, quasi sinistra Dei deseruit, et dextera suscepit.

CAP. XXX. *De fine bono et malo, et de disciplina Domini in finem corrigente.*

Et disciplina tua correxit me in finem (*Psal.* XVII). Est quidam finis bonus; et est quidam finis malus. Finis malus est profundum peccatorum; finis bonus consummatio virtutum. Disciplina autem Dei in finem corrigit, quia eos etiam, qui in profundum peccatorum lapsi sunt ad consummationem virtutum perducit. O bona, o dulcis disciplina Dei! utinam cognoscamus eam! utinam suscipiamus eam! utinam sustineamus eam! Quæ tamen est ut videamus, ut concupiscamus, ut apprehendamus, ut teneamus eam. In tribus consistit: in præceptis, in tentamentis, in flagellis. In præceptis experitur Deus obedientiam tuam, in tentamentis constantiam, in flagellis patientiam. Præcepta obedienter suscipe, tentamentia constanter resiste, flagella patienter sustine. Hæc tamen tria, id est obedientia, constantia, patientia, sibi invicem deesse non possunt, quia in singulis omnia necessaria sunt. In præceptis quidem, ut ea primum obedienter suscipias, deinde constanter perficias, postremo tempus retributionis patienter sustineas. In tentamentis autem obediens esse debes, ut si forte Deus vitiorum incursu te sollicitari et ad tempus voluerit fatigari, per elationem non contradicas; constans, ne per delectationem ad consensum deflectas; patiens, ne importunitate, vel instantia tentationis tandem aliquando emollescas. Hoc autem præcipue dicimus propter quosdam minus discretos qui, spiritualis studii modum ignorantes, post prima initia bonæ conversationis, ita a tentatione vitiorum liberi esse volunt, ut si se vel te tenuiter delectatione illicita pulsari persenserint, statim timido corde infirmitatis suæ obliti contra Deum murmurent; et si vel modicum fatigentur, per inconstantiæ et impatientiæ

vitium enervati, ad consensum iniquitatis declinent. Sed nesciunt isti quam pia sit dispensatio Dei. Ut mala quæ jam voluntate dimisimus quamvis inviti adhuc in tentatione sentiamus, quatenus in eis nunc expletur, cum cruciant, quod prius in eis commissum est, cum delectabant; et nostræ infirmitatis memores dum semper cogimur reminisci quod fuimus, non nos extollat quod sumus. Præterea etiam cum mala nostra cum tanta difficultate vincimus, amplius peccare timeamus. Cum itaque tot militates ex tentatione proveniant, oportet, quoties tentamur, dispensationem Dei inobedienter excipere, et constanter pravæ delectationi contraire, et patienter violentiam tentationis sustinere, quatenus, et fatigatio nostra nobis placeat, et tamen delectatio prava ad consensum non accedat. In flagello autem obedientiam servat qui, et si causam percussionis sui ignoret, tamen contra Deum non murmurat. Constans autem, et patiens est quem nec pondus tribulationis opprimit, nec diuturnitas frangit. Primus ergo gradus disciplinæ Dei est custodia mandatorum. Secundus gradus est pugna tentationum. Unde manifestum est quod ii qui mandata Dei non custodiunt, adhuc in disciplina Dei esse non cœperunt. Qui autem sub disciplina Dei non est, ad hæreditatem filiorum Dei pertingere non potest. Nemo ergo contemnat disciplinam Dei, quia, si peccator est, necessaria est illi, ut corrigatur; si justus est, necessaria est illi ut erudiatur. Propterea iste qui eam ad correctionem acceperat, adhuc eam ad eruditionem necessariam sibi esse confirmat: ut sicut correctus expiavit culpas præteritas: ita eruditus cautelam habeat contra culpas futuras. Dicat ergo: *Disciplina tua correxit me in finem; disciplina tua ipsa me docebit* (*ibid.*).

CAP. XXXI. *Quid subtus, et quid supra nos; et cujas vestigia non infirmentur.*

Dilatasti gressus meos subtus me; et non sunt infirmata vestigia mea (*Psal.* XVII). Subtus nos est quidquid transitorium est, et caducum; quod autem æternum est, supra nos est. Mens ergo justi supra se dilatatos gressus habet, quia quanto altius per contemplationem in amorem æternorum dirigitur, tanto amplius desiderio gustatæ dulcedinis dilatatur. Cum autem in rebus transitoriis subtus se per cogitationem ambulat; ipsa eam quodammodo suæ occupationis molestia coangustat; et toties intra semetipsam stringitur, quoties foris adversis occurrentibus præpeditur. Sed fit nonnunquam ut etiam subtus se mens divino amore succensa, dilatatos gressus habeat, quia dum totam se intus per desiderium retinet, et si foris per operationem occupata sit, nullius tamen molestiæ adversitas libertatem ejus coangustat. Unde recte cum dixisset: *Dilatasti gressus meos subtus me*, statim subjunxit dicens: *Et non sunt infirmata vestigia mea.* Quando enim gressus in lubrico figitur, et si pes fortis permaneat, vestigia tamen ejus infirmantur. Ita quoque necesse est ut qui vel modicum in rebus perituris fiduciam posuerit, etsi per turpia desideria non langueat, tamen, quia transitorium est quod amat, stabilis non fit; et cum labi cœperit cui innititur, mox innitentis vestigia ab ipsa sua stabilitate infirmentur. Cum autem totum animi desiderium in æternis figitur: quasi pede in soliditate constituto, vestigia non infirmantur.

CAP. XXXII. *Quid sint inimici spirituales, et quomodo eos persequamur.*

Persequor inimicos meos, et comprehendam illos: et non convertor donec deficiant (*Psal.* XVII). Quosdam spirituales inimicos habemus, qui nobis insidiantur, qui quanto magis occulti sunt, tanto amplius nocere possunt. Hi sunt motus carnales, qui in corde nostro oriuntur, et quia de latentibus desideriis prodeunt, incautos sæpe sub specie virtutum fallunt. Quos tunc nimirum persequimur, quando ipsam originis eorum radicem subtiliter investigamus, quatenus, dum illos illicito motu oriente pulsare senserimus: statim de qua affectione ille natus sit, et ad quem finem ejus appetitus tendat, perspicere studeamus. Hoc fortassis qualiter fieri possit citius agnoscetur, si ejus aliquod exemplum in medium proponatur. Verbi gratia: Est aliquis, qui, de seipso plusquam oportet sentiens, occulta superbia laborat. Hic ergo si forte inter cæteros, vel ad colloquendum, sive ad consulendum consederit, quia se singulariter sapientem existimat, singulariter se audiri debere putat. Si vero alios ad verbum suum minus attentos fortassis viderit, suumque consilium repudiari aliquando perspexerit, statim per impatientiæ vitium tumens, totum, quod contra voluntatem suam agitur, ad injuriam suam fieri arbitratur. Et quia eos non ratione, sed odio potius aut invidia ad contemptum sui excitatos credit, jam omnino utpote a malevolis suum colloquium subtrahere disponit. Cumque se immoderato lingua a locutione stringit, a charitate animus refrigescit. Oportet ergo ut, dum nos vel loquentes, vel consulentes minus audiri, et exinde cor nostrum aliquo fortassis subito dolore tangi senserimus, impetum animi nostri refrenemus, et hunc dolorem quasi inimicum a latere de insidiis prosilientem instanter persequamur, et latebram ejus occultam, de qua prodiit, id est superbiam, et occursum ejus ad quem tendit, id est odium fraternum, perscrutantes, dum laqueos conspicimus, periculum caveamus. Comprehensus est inimicus, quia cum finem pravi desiderii providemus, animum a consensu retrahimus. Sicut enim vitia investigando persequimur, sic comprehendimus inveniendo; et donec deficiant, non revertimur, si ab instantia boni operis ante subjugationem vitiorum non relaxamur.

CAP. XXXIII. *De timore servili et custodia legis divinæ et delectatione vana. De terra, firmamento, oculo, et necessitate variis, deque humilitate.*

Dulcis et rectus Dominus; propter hoc legem dabit delinquentibus in via (*Psal.* XXIV). Non est servilis timor, ubi constitutio legis fit in electione voluntatis. Primum timemus, deinde viam eligimus, deinde

lex nobis proponitur qua in via ambulemus. Legem custodientes, præmium accipimus, in præsenti animæ jucunditatem, in futuro animæ pariter et corporis beatitudinem: hoc est quod sequitur: *Anima ejus in bonis demorabitur*, hoc est de præsenti, *et semen ejus hæreditabit terram (ibid.)*, hoc est de futuro. Et satis eleganter spirituales delectationes exprimit, cum dicit: *Anima ejus in bonis demorabitur*. Quidquid enim carnaliter dulce est suæ quidem delectationis experientiam fruentibus præstat, sed diu cum eis morari non potest, quia dum gustu appetitum provocat, transitu desiderium fraudat. Spirituales autem deliciæ quæ nec gustatæ transeunt, nec reficientes decrescunt, nec satiantes tædium gignunt, diu cum fruentibus permanere possunt. Sequitur:

Semen ejus hæreditabit terram. Terram, viventium in futuro in hæreditatem accipiet pro bonis operibus suis, quæ per semen significantur. Vel per terram caro accipi potest, quam in futuro immortalem et impassibilem accipiet, quisquis eam in præsenti in opere virtutum exercet. Sed quomodo illuc perveniet? *Firmamentum est Dominus timentibus eum, et testamentum ipsius ut manifestetur illis (ibid.)*. Qui vincentibus promittit præmium, pugnantibus præstat adjutorium. Præmium tale est, quia scilicet Dei testamentum, id est contestata promissio est ut ipse manifestetur illi videlicet videnti se. Adjutorium tale est, quia *firmamentum est Dominus*, id est protectio timentibus se. Ideo securus de promisso fiducialiter curro. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos (ibid.)*. Oculus actionum intentio est. Oculos ad Dominum semper habet qui per intentionem ad amorem Dei dirigit omne quod agit. Cujus nimirum pedes a laqueo evelluntur, quia actio mala esse non potest, cujus amor Dei origo est. Sine periculo namque via actionum curritur, cum intentio animi charitate duce gubernatur. Sed quis potest semper respicere Deum, nisi quem semper Deus respicit? Quia nimirum dilectionem hominis semper dilectio Dei sicut præveniendo excitat, sic subsequendo conservat. Hoc est enim quod sequitur:

Respice in me (ibid.); ac si diceret: Ut te diligere possim, tu dilige me, et ut amore tuo dignus sim, *miserere mei (ibid.)* relaxando peccata mea. *Quia unicus et pauper sum ego (ibid.)*. Ideo respice, quia sum unicus: ideo miserere, quia pauper. Unicus enim plus diligitur, pauper plus doletur. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt; de necessitatibus meis erue me (ibid.)*. Quæ est paupertas tua. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*. Non est periculosa afflictio carnis; quæ non frangitur constantia mentis. Cum autem dolor intima tangit; majus periculum est etiam si foris tribulatio desit. *De necessitatibus meis erue me (ibid.)*. Multæ sunt necessitates bonorum in quibus periclitantur; quas fortassis melius cognoscemus, si eas distinguendo proponamus. Gemina siquidem est necessitas sanctorum; altera quam intus, altera quam foris sustinent. Altera a proximis; altera a semetipsis. Quandiu enim in hac corruptibili carne vivunt, molestias et tentationes, quæ ex carne corruptibili oriuntur, omnino declinare non possunt. In quibus tantum cum labore periculum est, ut eas quotidie sentire necesse sit; et tamen consentire eis nemo unquam sine gravi detrimento possit. Altera necessitas est bonorum, quia cum inter malos quos declinare non possunt, conversantur, ex illorum prava conversatione quotidiana quadam persecutione vita eorum affligitur. Quos ita tolerare necesse est, ut nec propter iniquitatem eorum odio habeamus homines, nec propter amorem hominum, iniquitatis efficiamur consortes. Sed hoc sine humilitate et labore nemo facere potest. Humilitate videlicet, ne se per superbiam a consortio vanitatis dividat; et dum malorum societatem habere contemnit, quasi de singulari justitia perniciosius intumescat. Labore autem opus est, ut quorum societatem non deserit, semper fugere, quantum potest, studeat conversationem. Hoc est quod sequitur: *Vide humilitatem meam et laborem meum (ibid.)*.

CAP. XXXIV. *Misericordiam et veritatem Dei pœnitentibus esse necessariam.*

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est; et complacui in veritate tua (Psal. xxv). Misericordia Dei est qua parcit, veritas qua corrigit. Per misericordiam pœnitentes ab indulgentia non repellit; per veritatem peccata puniens, causam, non personam respicit. Quisquis ergo ad salutem pervenire desiderat, hæc duo necesse est medicinæ Dei remedia non contemnat. Sine misericordia enim veniam non consequitur; sine veritate non emendatur. Sunt vero nonnulli, qui, dum culpas suas per misericordiam temeraria quadam præsumptione a Deo relaxari expetunt, divinæ correctionis flagella patienter sustinere nolunt. Et si fortassis aliqua se pro peccatis suis adversa pertulisse cognoverunt, statim typo superbiæ eriguntur, eoque minus misericordiam Dei necessariam existimant, quo sua se factione apud divinum examen plenius purgatos putant. Contra quos quod iste dicat, audiamus. *Misericordia*, inquit, *tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua (ibid.)*. Ac si diceret: Misericordiam tuam ubique mihi necessariam esse video; et tamen correctionis tuæ verbera, quibus peccata mea districte punis, non solum non repello, sed et gaudens suscipio, imo etiam in ipsis misericordiam tuam non deesse cognosco. *Complacui*, inquit, *in veritate tua (ibid.)*. Eleganter dictum, laudabiliter dictum, dictum imitatione dignissimum, *complacui in veritate tua*. Quasi dicat: Non mihi nisi in tua veritate mihi complaceo, quia quod tibi in me displicet, hoc etiam ipse reprehendo. In tua veritate mihi complaceo, quia dum mea peccata persequeris flagellando, lætificas me amore correctionis. Cur enim mihi in tua veritate non placeam, qui in mea prius falsitate male mihi complacebam? *Quo-*

nium misericordia tua ante oculos meos est; et complacui in veritate tua.

Cap. XXXV. *De agnitione, et dilectione veritatis.*

Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus (*Psal.* xxvi). Videre voluptatem Domini est veritatem agnoscere: visitare templum ejus est veritatem diligere.

Cap. XXXVI. *De tabernaculo Dei.*

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo (*Psal.* xxvi). Tabernaculum Dei est Ecclesia catholica, in qua fideles laborant; et in procinctu cujusdam spiritalis militiæ contra aeras potestates pugnaturi excubant. In hoc autem tabernaculo illos Deus abscondit, quibus amorem quietis inspirando, eos a strepitu hujus mundi secretum expetere facit. Sed in abscondito tabernaculi protecti non sunt qui, in loco quietis, quiete vivere nolunt.

Cap. XXXVII. *Deum fortitudinem, et refugium esse pugnantium.*

Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu (*Psal.* xxx). Contraria loqui videtur. Si enim timet, quomodo fortitudinem se habere dicit? Et si non timet, quare refugium quærit? Sed mens humana, inter spem et timorem constituta, dum fortitudinem adjutoris sui considerat, de victoria præsumens sponte provocat inimicum. Cum vero propriam infirmitatem ad memoriam revocat, superari metuens, quærit refugium.

Cap. XXXVIII. *De vanitate rerum temporalium.*

Odisti observantes vanitates supervacue (*Psal.* xxx). Vox justi est, præsentem felicitatem despicientis. Superius commendaverat spiritum suum Deo; et quasi nunc quæreres quid de carne fieri vellet, respondet se carnis curam non habere, quia vanitas est omnis caro. Quia ii etiam qui eam illicite et superflue amando omni studio et diligentia custodiunt, eamdem a corruptione servare non possunt. Quos nimirum odit Deus, quia dum nimis rem corruptibilem diligunt, ad amorem Dei incorruptibilem non assurgunt. *Odisti*, inquit, *observantes vanitates supervacue.* Bene *supervacue.* Quia, etsi transitoria ad necessitatem appetimus, nunquam tamen ad superfluitatem diligere debemus carnemque morituram non in deliciis fovere, sed ab incommodis his præcipue, quæ ad salutem animæ minus conducere videntur defendere.

Cap. XXXIX. *Reprobatio luxuriæ, avaritiæ, et superbiæ.*

Dominus dissipat consilia gentium; reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum (*Psal.* xxxii). Gentes intelliguntur peccatores, populi stulti, principes superbi. Consilium gentium est concupiscentia carnis, cogitatio populorum est concupiscentia oculorum. Consilium principum est superbia vitæ. Quæ omnia ideo Deus reprobat, quia mundus transit, et concupiscentia ejus. Bene tamen populi cogitationes habent, non consilium, quia stulti in populis significantur.

Cap. XL. *Occultos justorum inimicos in judicium reservari, manifestos in hac vita etiam aliquando puniri.*

Judica, Domine, nocentes me; expugna impugnantes me (*Psal.* xxxiv). Nocentes sunt qui voto malignitatis insidiantur. Impugnantes sunt qui aperte persequuntur. Justus ergo occultos inimicos suos judicari tantum, id est ad futurum judicium servari, manifestos expugnari, id est in hac vita etiam puniri postulat ut eorum pœna manifesta alios ab iniquitate retrahat; quos prius eorum malitia per exemplum ad iniquitatem animabat. Ideo Deus omnipotens manifestas injurias servorum suorum sæpius etiam in hac vita ulciscitur, ut quanti meriti sit apud eum justitia, aperte demonstretur, quatenus hoc alios ad amorem justitiæ accendat: quod ipse auctor justitiæ se eam tantum diligere manifestat.

Cap. XLI. *De armis sapientiæ et scuto patientiæ.*

Apprehende arma, et scutum; et exsurge in adjutorium mihi (*Psal.* xxxiv). Armis pugnamus; scuto tegimur. Mundus enim contra electus duobus modis pugnat, verbo et gladio. Verbum falsitatis expugnamus per sapientiam; gladio adversitatis resistimus per patientiam. In sapientia igitur accipimus arma, et scutum in patientia. Sed cur Deo dicitur: *Apprehende arma, et scutum*, nisi quia ille in nobis dimicans, adversarios armat? Quia sicut ab ipso dona ejus accepimus, ita sine ipso donis ejus uti ad salutem non valeamus.

Cap. XLII. *De manifestis et occultis diaboli insidiis.*

Eripiens inopem de manu fortiorum ejus; egenum et pauperem a diripientibus eum (*Psal.* xxxiv). Quosdam diabolus aperta tentatione opprimit; quosdam occultis insidiis seducit. Unde in Scriptura sacra diabolus aliquando per leonem, aliquando per draconem exprimitur. Per leonem aperta ejus fiducia, per draconem vero occulta ejus versutia significatur. Unde Psalmista hæc duo tentationum genera exprimens, dicit: *Eripiens inopem de manu fortiorum ejus; egenum, et pauperem a diripientibus eum.* Quis est enim inops, nisi qui virtutum divitias non habet? Et quis est pauper, nisi qui jam aliqua virtutum dona accipere meruit, sed tamen adhuc ad perfectionem virtutis non pervenit? Inopem ergo manus fortiorum opprimit; pauperem vero manus diripientium affligit, quia nimirum antiquus hostis eos qui nulla virtute roborati sunt violenter sibi per consensum iniquitatis subjicit. Ab his vero, qui jam aliqua spiritualis lucri bona colligere incipiunt, occulta direptione dona virtutum tollit. His ergo quos aperta sævitia perimit, latro est; fur vero illis quos occulta fraude seducit. Unde, et his fortitudo necessaria est, ut possint aperte impugnantem vincere; illis vero circumspectio, ut possint occulte insidiantem cavere. Cum igitur divina pietas quosdam contra apertam sævitiam inimici corroborando, quosdam autem contra occultas ejus insidias per circumspectionem illuminando custodit, quid aliud facit quam inopem de manu fortiorum et a diripientibus

pauperem eripit, ut et illi evadant dominium, et isti caveant damnum?

Cap. XLIII. *Quod temporalis malorum prosperitas, electis testimonium est æternæ felicitatis.*

Surgentes testes iniqui quæ ignorabam interrogabant me (*Psal.* xxxiv). Omnes iniqui qui temporalia bona æternis præferunt, cum in hac vita prosperantur, quasi in testimonium contra electos surgunt, quia dum ipsa sua felicitate de visibilibus non loquendo, sed prosperando, testimonium perhibent, judicium bonorum, quod de æternis, et invisibilibus bonis dant, convincere student. Unde recte, *quæ ignorabam*, inquit, *interrogabant me*. Mali enim bonos de præsenti felicitate interrogant, quia, cum eis dulcis sit, mirantur, quod illi se ad appetitum ejus non inclinant. Sed qui hæc non dulcis, sed amara bonis est, quidquid de ejus laude in medium proferunt, hoc boni per experientiam non cognoscunt.

Cap. XLIV. *Quod occulta est interim bonorum justitia donec educatur judicanda de præmio.*

Et educet quasi lumen justitiam tuam; et judicium tuum tanquam meridiem (*Psal.* xxxiv). Justitia bonorum nunc occulta est quia ibi se justificari satagunt, ubi ab hominibus videri non possunt. Et quamvis in eis jam luceat exemplum boni operis, tamen in abscondito est virtus intentionis. In futuro autem quasi lumen justitia eorum educitur, quia qui modo bona opera sua ab humana laude abscondunt, veniente judice jam secure pro eis in æterna claritate glorialuntur. Unde et in alio psalmo dicitur: *Vanum est vobis ante lucem surgere* (*Psal.* cxxvi), id est ante futuri judicii claritatem exaltari; sed *surgite postquam sederitis* (*ibid.*), quia tunc fructuosa tibi erit vestra exaltatio, si prius in hujus vitæ exsilio sponte propter Deum vos humiliaveritis. Sequitur: *Et judicium tuum tanquam meridiem* (*Psal.* xxxiv). Justitia bonorum est opus virtutis, quod faciunt; judicium eorum est præmium virtutis, quod eligunt. Deus ergo educet justitiam sanctorum quando manifestabit opera virtutum, quæ fecerunt; educet judicium, quando manifestabit quale boni operis præmium elegerunt. Et ideo justitia tanquam lumen; judicium vero tanquam meridies, id est clarum lumen educitur, quia minor est omnis claritas boni operis claritate æternæ retributionis.

Cap. XLV. *De utili subjectione erga Deum, et ipsius recta exspectatione.*

Subditus esto Domino, et ora eum (*Psal.* xxxvi). Perfecta hic nobis forma vivendi præscribitur. Audi ergo, homo, quid dicitur tibi. *Subditus esto Domino, et ora eum*. Primum *subditus esto*, ne male agendo præcepta ejus despicias. Deinde *subditus esto*, ut ad bona agenda de viribus tuis non præsumas. Nam, et ille quoque Deo subjectus esse renuit qui aliquid de sua virtute posse præsumit. Sed, inquis mihi, si hoc ad obedientiam pertinet, ut nihil ex me esse intelligam, quid ergo frustra conor? Quiescam potius, et exspectabo Dominum ut faciat quod suum est. Optime dixisti. Exspecta Dominum sed vide quomodo exspectes. Nam, et montes exspectant, et homines exspectant; sed montes aliter, et aliter homines. Montes exspectant durando; homines exspectare debent desiderando. Montes pluviam, homines gratiam. Montes ne arescant, homines ne pereant, sicut in psalmo legitur: *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi* (*Psal.* xxxix). Qui enim durando exspectat, sed desiderando non exspectat, non exspectans exspectat. Qui vero perseverat, et desiderat, hic exspectans exspectat. Exspecta ergo, et non solum exspecta, sed exspectans exspecta, id est perseverans desidera, et desiderans persevera, et non fraudaberis a desiderio tuo, sicut et ille fraudatus non fuit, qui Dominum exspectans exspectavit. Ait enim: *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi. Et exaudivit preces meas, eduxit me de lacu miseriæ et de luto fæcis* (*ibid.*). Vide ergo quomodo ille exspectavit. Cum precibus exspectavit, cum desiderio exspectavit. Et quod ipse tunc fecerit, hoc tibi nunc præcipit. Nam cum dixisset, *subditus esto Domino*, statim adjunxit, *et ora eum*, ut et subditus Deo sis, de te non præsumendo; et ores, ejus auxilium expetendo. Nam quid est aliud Deum orare, nisi mente humili atque devota ad ejus misericordiam semper respicere? Propterea enim non dixit tibi, ora eum hoc, sive illud, sed tantum, *ora eum*, quia nil aliud a te quam affectum bonum exigit qui tuam necessitatem, etiam te non loquente, cognoscit. Cum ergo oras, quem petas potius quam quid petas cogitare tibi dulce sit; et ipse quem petis, quidquid tibi petendum fuerat providebit. Sicut in alio psalmo Psalmista idem testatur, dicens: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos* (*Psal.* xxiv).

Cap. XLVI. *De quatuor hominum generibus, quantum ad vulnera, et cicatrices; de vera sapientia, et præteritorum memoria*

Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ (*Psal.* xxxvii). Consideranti mihi hujus versiculi virtutem, non potest jam legenti esse incognitum quod toties est patienti expertum. Sed utinam mihi, vel experientia cognitionem non dederit, vel si aliter cognoscere non debueram, ipsa potius cognitio data non sit. Quod si sic necesse fuit, et sine manu valida erudiri non poteram, utinam jam nunc vel ipsa mea cognitio mihi sic saperet, quatenus præteritorum dolorum experientia a futura me iniquitate coerceret. Sed quia toties post experientiam malorum desipuisse me video, ipsos adhuc amaritudinis gustus pertimesco. Dicam tamen, et non sine dolore dicam: *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ*. Et licet horum verborum expositio non sit mihi necessaria, quia tamen multi feliciús eam non noverunt, propter eorum instructionem, non est omnino tacenda. *Putruerunt*, inquit, *et corruptæ sunt cicatrices meæ*. Diligentius consideranti quatuor hic genera hominum occur-

vunt. Primum est eorum qui nunquam vulnerati sunt. Secundum est eorum qui post vulnera perfecte sunt sanati. Tertium est eorum quibus obducta quidem sunt vulnera, et tamen adhuc permanserunt cicatrices, id est vulnerum signa. Quartum est eorum in quibus ipsa adhuc vulnera hiantia sunt, et necdum obducí cœperunt. Si igitur per vulnera peccata intelligimus, ii qui in peccati desiderio permanent, quasi vulnera aperta habent. Qui vero peccatum deserunt, et tamen adhuc reatu peccati per satisfactionem plene purgati non sunt; in his quasi quædam signa vulnerum permanserunt. Qui autem post perpetrata scelera, et peccandi affectum deserunt, et reatum peccati plena satisfactione obducunt, ab iis etiam ipsa vulnerum vestigia discesserunt. Sic sanctus erat Paulus, qui post tanta mala dicebat : *Nihil mihi conscius sum* (*I Cor.* IV). Quia nimirum præteritorum vulnerum in se no signa quidem invenire poterat, quem de anteacta pravitate conscientia non accusabat.

Hos sequuntur ii qui, etsi vitam sine peccato ducere nequeunt, nunquam tamen culpæ criminalis vulnus perceperunt. Primum genus est peccantium, secundum pœnitentium, tertium eorum qui per pœnitentiam sunt correcti, quartum eorum qui per iniquitatem non sunt corrupti. Primi sunt ægri, secundi sunt ad sanitatem conversi, tertii sunt sanati, quarti sunt sani. Ex his satis colligi potest de quo genere hominum iste sit qui cicatrices suas ad corruptionem reversas plangit. Pœnitere enim jam cœperat, et peccatum jam voluntate deseruerat, sed reatus peccati nondum adhuc in eo plene sanatus erat, et priusquam pervenisset ad integram sanitatem vulneris, corruptus est per iterationem iniquitatis. Unde recto prius dicitur, *putruerunt*, ac deinde adjungitur, *corruptæ sunt cicatrices meæ*. Prius enim prava desideria ad mentem redeunt, et sic quodammodo cicatrices obductæ interius computrescunt. Deinde vero cum voluntas mala usque ad operationem ire permittitur, jam ipsæ cicatrices quasi ex superabundanti sanie corrumpuntur. Causa quoque corruptionis explanatur cum dicitur: *A facie insipientiæ meæ*. Sapiens a sapiendo dicitur, non ille qui sapores palato oris percipit, sed ille, qui veritatem judicio mentis comprehendit; unde etiam cor, quod veritatis expers est, non absurdo insipiens dici potest. Notandum vero est quod non quælibet veritatis cognitio proprio sapientia dicitur, nisi illa quæ non solo auditu, sed per ipsam experientiam rerum comparatur. Familiarius enim quodammodo atque perfectius experta, quam audita cognoscimus, et cognitionem veritatis quam in nobis doctrina inchoat experientia consummat. Ipsa etiam rerum docente natura didicimus, quod cujuslibet rei qualitatem perfectius per sui contrarii experientiam judicamus, quia et bona quælibet tunc jucundius, et delectabilius amplectimur, cum post longam miseriam fatigati respiramus. Hinc quoque est quod Dei misericordiam tanto amplius in nostra liberatione diligimus: quanto magis nobis e vicino sapit ipsa miseria de qua erepti sumus. Et derelicti aliquando melius per tribulationem cognoscimus, quam stricto tenenda fuerat gratia, quam tempore quietis minus fortassis amabamus. Propterea in quodam loco Scriptura admonens nos dicit : *Fili, in tempore malorum ne immemor sis bonorum ; et in tempore bonorum ne immemor sis malorum* (*Eccli.* XI.). Memoria namque bonorum in tempore tribulationis animum per spem erigit; et memoria malorum in tempore prosperitatis ad custodiam sui cautionem facit. Cumque alterno sapore se utrumque contemperat, nec adversitas per desperationem dejicit, nec prosperitas per inanem lætitiam mentem dissolvit. Hinc populo Israel a Moyse per increpationem dicitur: *Gens absque consilio, et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent ac novissima providerent!* (*Deut.* XXXII.) Quia enim nec præsentia Dei beneficia cognoscere, nec sua pericula futura prævidere poterant, quasi prudentiæ saporem in mentis palato non habebant.

Duo igitur sunt, quæ nobis semper sapere debent, et mala videlicet nostra quæ evasimus, et gratia Dei quam consecuti sumus. Mens etenim stulta cum malarum delectationum laborem non meminit, easdem delectationes, si quando pulsata fuerit tentatione, iterare non pertimescit; et quemadmodum mulier cum angustia pariendi premitur, concupiscentiæ carnalis delectationem abominatur, sed cum memoria doloris a mente recesserit, iterum carnis illecebras concupiscit, totaque aviditate ad earum experientiam rapitur, quia eis quantus admistus sit dolor, non recordatur. Nam si bene memoriæ saperet dolor ipse, qui malam delectationem sequitur, nequaquam ita infrenis mens ad ejus appetitum traheretur. Ipsa quoque gratia accepta, si animus ab ejus recordatione non desiperet, ab injuria conditoris vel solo pudore nos coercere potuisset. Quis igitur cicatrices peccatorum nostrorum nequaquam aperirentur ad actum, nisi prius putrefactæ essent per desiderium, neque ullo modo per prava desideria mens intus putresceret, si non prius a memoria præteritarum miseriarum suarum, et præsentis beneficii Dei consideratione desipuisset; plangat iste insipientiam suam et dicat : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ*. Sed libet adhuc considerare quare non simpliciter dixit ab insipientia mea, vel propter insipientiam meam, sed *a facie insipientiæ meæ*, utrumne aliquid nobis ista adjectione signare voluerit. Primum ipse modus loquendi considerandus est ; quia sæpe in divino eloquio similis positio invenitur, cum dicitur, *a facie Domini*, vel *a facie inimici* (*Psal.* XLIII): sive etiam, quod magis obscurum est, cum de rebus humana figuratione carentibus, corporeis nonnunquam etiam incorporeis agitur, facies memoratur quæ in usu loquendi nunc minime esse cognoscitur ; tunc tamen fuisse dubium non est, quod satis ex tam frequenti Scripturarum positione colligi potest. Quia enim ubique occurrentis faciem declinare non possumus, congrue in Scriptura per

faciem, præsentiam sive instantiam atque importunitatem significamus. Quid est ergo quod cicatrices non solum ab insipientia, sed a facie insipientiæ putruisse et corruptæ esse dicuntur, nisi quod Dei gratia nequaquam nos usque ad lapsum peccati desereret, si non prius nostra insipientia Deo in nobis habitanti diu importuna fuisset? Qui cum per longam negligentiam nostram a nobis recedere invitus cogitur, statim cicatrices vulnerum nostrorum non solum per prava desideria putrefiunt, sed usque ad operationem pravam corrumpuntur.

Cap. XLVII. *De duplici hominum vanitate.*

Universa vanitas omnis homo vivens (*Psal.* XXXVIII), alia est vanitas quam in rebus istis visibilibus cernimus; alia est vanitas quam in nobis invisibiliter sentimus. Ista exteriora vana sunt, quia cum in corruptionem labuntur, speciem suam perdunt. Anima autem quæ per iniquitatem defluit, magis miserabili vanitate justitiæ decorem amittit. *Universa* ergo *vanitas omnis homo vivens*, quia et foris per mortalitatem præterit, et intus per iniquitatem; qui si saltem in altero persisteret, universa vanitas non fuisset.

Cap. XLVIII. *Quia dies hominis brevis, mala, et incerta est, quid dicendum Deo.*

Notum fac mihi, Domine, finem meum (*Psal.* XXXVIII). Vita ista præsens brevis est, mala est, incerta est. Quia incerta est, dic Deo: *Notum fac mihi, Domine, finem meum.* Quia brevis est, dic Deo: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Quia mala est, dic Deo: *Substantia mea tanquam nihilum ante te est.*

Cap. XLIX. *De mirabilium Dei multitudine et profunditate.*

Multa fecisti, Domine Deus meus, mirabilia tua; et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi (*Psal.* XXXIX). Omnia quæ sunt, fecit Deus; et tamen illa specialiter Deus fecisse dicitur per quæ homo ad Deum revocatur. Illa ergo mirabilia Deus quasi non sua fecit, quorum admiratio humanam mentem ab amore ipsius avertit. Illa autem mirabilia quæ hominem ad amorem Dei revocant, quia nos illius faciunt, quodam singulari privilegio ejus dici possunt. Quia igitur superius Psalmista beatum dixerat qui ad hujus mundi vanitatem non respicit, ubi fructuosa esse possit admiratio, consequenter adjungit: *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua*, scilicet opera restaurationis nostræ; quæ ne in eis fastidium metuas, multa sunt numero; et ne facilitatem contemnas, profunda in sacramento. Hoc est enim quod cum dixisset: *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua*, statim ipsam eorum profunditatem demonstrare volens, adjunxit, *et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi*, ut et multitudo mirabilium varietate delectationem afferat, et profunditas exercitationem.

Cap. L. *De curiosi et suspiciosi malo.*

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi (*Psal.* XL). Magnum malum est curiositas, seque a vitio alienum non esse indicat quisquis animum suum ad suspicionem facile inclinat. Neque enim alieni peccati suspectus cor ejus ureret, si non prius ejusdem peccati affectus in eo radicasset. Justo ergo judicio dum ex sui cordis pravitate falsam de alio existimationem colligit, per eamdem se existimationem in affectum pravitatis amplius accendit; et inde veraciter mens ejus corrumpitur, unde fallaciter aliena actio insimulatur. Propter quod Psalmista contra ejusmodi loquens dicit: *Et si ingrediebatur ut videret vana loquebatur.* Curiosus etenim quisque tunc quasi ad videndum ingreditur, quando alienum secretum sagaci studio perscrutatur. Vana loquitur, quia ut minus suspectus esse possit, eos a quibus caveri non vult, se diligere fingit. Deinde iniquitatem congregat, quia cum libere admissus fuerit, quidquid reprehensibile invenire potest, fraudulenter in corde suo coacervat. Congregat autem paulatim minima, ut post longum silentium cuncta simul objecta plus noceant, quæ minus opinionem læderent, si per se singula prolata fuissent. Sed quia hoc non correctionis, sed læsionis affectu iniquus operatur, sibi potius nocitura colligit, quia sicut dictum est, unde aliena actio fallaciter per infamiam offuscatur, inde veraciter mens ejus per nequitiam contabescit.

Cap. LI. *Quod fontium nomine summum bonum significetur; idque maxime sit desiderabile, et quæ toto psalmo tractentur.*

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus (*Psal.* XLI). Aquæ sunt dona Dei, fons aquarum auctor est donorum, fontem aquæ desiderat, cujus desiderium non impletur, donec ad Deum perveniat. Qui dona Dei propter Deum non amant, ii quasi aquas, et non fontem desiderant. Summum autem bonum ideo plurali nomine fontium exprimitur, quia licet in se unum sit, omnium tamen origo bonorum in ipso continetur. Vivus fons, quia vivificat. Vivus fons, quia indeficiens perseverat. Ideo sicut cervus desiderat, quia vetustatis defectum reparare exoptat. Sed differtur desiderium, ut crescat. Sed quia omnis mora desideranti longa est, exclamat, *quando veniam*, quando perveniam, *quando apparebo ante faciem Domini*, non ut videri, sed ut videre incipiam, quem prius visus non videbam. Sed hoc nunc desiderari potest, haberi non potest. Quid ergo interim? *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Pascar doloribus, requiram fletibus, vocabo suspiriis, lacrymæ nutrient desiderium, donec præsentia satiet affectum. Flebo, quia abest quod desidero; flebo, quia adest quod non amo. Non amo præsentem infelicitatem, desidero futuram beatitudinem. Irriguum superius, quia *desiderat anima mea ad fontem vivum.* Irriguum inferius, quia dicitur mihi, *ubi est Deus tuus?* hoc ad præsentem miseriam pertinet, quod opprobria malorum sustineo, quia terrenam felicitatem non amo. Et quia me in præsenti felicitate derelictum

aspiciunt, me Deum non habere insultantes dicunt.

His igitur insultationibus fractus tædere cœperat, sed mox ad semetipsum reversus, et qualis sit præsentis vitæ conditio considerans, a tali se mœrore castigat, dicens : *Hæc recordatus sum, quoniam transibo per tabernaculum ad domum*, id est per laborem ad requiem. Quasi dicat : Cum de præsentis vitæ molestia contristatus sum, qualis sit præsentis vitæ conditio recordatus non sum. Nunc autem recordatus sum, quia nemo potest pervenire ad requiem, qui prius noluerit æquanimiter sustinere laborem. Quia *transibo per tabernaculum ad domum*. Tabernaculum est præsens Ecclesia, domus est cœlestis patria. In tabernaculo locus est, quia extra fidem tuta mansio esse non potest. Nec solum transibo per locum tabernaculi, sed in *locum tabernaculi*, id est de infidelitate ad fidem; de fide ad beatitudinem. Iden in *locum*, ut fidem rectam non solum tenere incipiam, sed usque in finem in eo permaneam. Nec terrere debet labor certaminis, quia mirabile est tabernaculum, et multa jam in eo fulgent exempla virtutis. Et quia per tabernaculum ad domum, id est per laborem ad requiem transitum esse agnovi, ideo animam meam jam amplius extra me non effudi, sed in me effudi. Sicut angustia animum constringit, sic lætitia diffundit. Quisquis ergo in rebus transitoriis lætari appetit, extra se animam suam effundit. Qui vero terrena omnia vana esse considerans, securus in conscientia bona gaudium quærit, hic intra se animam suam effundit. Supra se autem anima effunditur, quando per contemplationis gaudium in amore conditoris dilatatur. Sed cum anima intra se effunditur, statim animalitas, quæ exteriorem delectationem amat, contristatur : quam unusquisque fidelis nuto rationis corrigere debet, dicens : *Quare tristis es, anima mea? quare* dules te perdere quod non potes retinere? *Quare conturbas me?* quia tibi per naturalem affectum conjunctus sum, in toi turbatione ego inturbatus esse non possum. *Spera in Deo*, quia si nunc propter eum transitorias delectationes sponte respuis, permansuras postmodum ipso tribuente consequeris : *Quoniam adhuc confitebor illi*. Cum adeptus fuero quod spero, tunc laudabo illum, et *confitebor illi* de quo dubitandum non est, quia ipse est *salutare vultus mei*, id est similitudinis meæ, id est homo, et est *Deus meus*. Non est dubitandum quin mortalibus promissam æternitatem tribuat, quem pro salute mortalium assumpsisse mortalia constat, et qui pro nobis nostram mortem pati voluit, multo magis nobis vitam suam donabit. Quod potest facere, quia Deus est, ut nec de voluntate ejus dubites, qui pro nobis homo factus est, nec de potestate, quia Deus est.

Ad meipsum anima mea conturbata est. Quod anima mea conturbata est, ad me solum referendum est, quia nisi prius meum peccatum præcessisset, caro foris corrupta non esset; et inde ejus corruptio ad mei conturbationem juste reducitur, quia ex mea culpa primum ejus corruptio oriebatur. Vel *ad meipsum*, id est in meipso, quia et si foris conturbationem non inveniat ipsa, eam suæ conditionis corruptio conturbat, id est licet exteriora incitamenta peccati desinant, ipsa tamen vitia ex naturali corruptione orta me conturbant. Quæ ergo adhibenda sunt remedia contra recidivum peccati? Baptizari iterum non possumus, et tamen vice baptismatis contra quotidiana peccata quotidianum fontem lacrymarum habemus, et si sæpius baptizari prohibemur per aquam, nunquam prohibemur per pœnitentiam. Sequitur ergo nos gratia primi baptismatis in pœnitentia, sicut populum Israel per desertum gradientem aqua de petra, ut quoties in hujus vitæ deserto per peccatum arescimus, per pœnitentiam reficiamur. Quia igitur quotidie anima nostra ad nosmetipsos conturbatur memores Dei simus *de terra Jordanis*, ut scilicet illam adhuc remissionem quæramus in pœnitentia, quam olim accepimus in aqua; et tanto fiducialius, quanto apertius nos ipsius sacramento signatos esse cognoscimus. Quid enim per Jordanem rectius accipitur quam baptisma? Et quid per terram Jordanis, nisi humana natura abluta fonte baptismatis? De terra ergo Jordanis memores Dei sumus, quando eamdem ablutionem quærimus in pœnitentia, quam jam olim meminimus nos ab eo accepisse in aqua.

Sequitur : *Et Hermonii a monte modico.* Subauditur *memor ero tui*. Hermonium interpretatur *anathematizatio*. In baptismo autem diabolum, cum omnibus operibus et pompis ejus anathematizavimus, et Christo conformes facti a membris diaboli separati sumus. Homo igitur per baptismum a diabolo separatus, fit Hermon mons per virtutem, modicus per humilitatem. Quando itaque per pœnitentiam a Deo, virtutum dona per peccatum amissa requirimus, quasi de modico monte Hermonii, ejus memores sumus, quia sic olim nos a diabolo separatos et per virtutem exaltatos, et per virtutem conformitatis Christi temperatos, meminimus. De terra Jordanis ejus memores sumus, quando ei eamdem naturam, quam prius per aquam baptismi a peccato abluit, per pœnitentiam nunc abluendam offerimus. De modico monte Hermonii ejus memores sumus, quando precamur dona virtutum cum humilitate nobis restitui; quæ prius nos ab eo accepisse meminimus. Quod utrumque memoria dicitur, quia hoc iterato petimus quod prius accepisse nos recordamur. Et necesse est pœnitere, quia *abyssus abyssum invocat*, id est judicium damnationis ad conformationem sui adducit judicium mortalitatis. Si videmus verum quod primo homini peccanti minatus es mortem, credamus etiam verum esse quod peccantibus nunc et in peccato perseverantibus minaris damnationem. *Abyssus* igitur, id est judicium damnationis; *abyssum*, id est judicium mortalitatis *invocat*, quia hoc illud confirmat. Vel judicium ignis futurum, judicium aquæ præteritum, vel Novum Testamentum, quod pœnitentiam præcepit; ad hoc confirmandum Vetus Testamentum adducit. Vel abyssus divinæ sa-

pientiæ invocat abyssum conscientiæ humanæ, quia Deus qui per sapientiam suam occulta nostra subtiliter penetrat, eamdem ipsa conscientia nostra accusante condemnat. Ac per hoc valde nobis necessarium est ejus nunc misericordiam pœnitendo quærere, in cujus judicio testis aliens non quæritur, quia sua quisque conscientia accusante condemnatur. Hoc autem totum cognovimus, *In voce cataractarum tuarum*, id est in sermone prædicatorum tuorum. Qui prædicatores ideo cataractæ dicuntur, quia eis pluviam doctrinæ stillantibus, cordis humani terra infunditur. In voce ergo cataractarum audivimus quod sicut olim cassa non fuit in peccantibus comminatio mortis, ita nunc quoque cassa non erit in peccato perseverantibus comminatio damnationis. Quomodo autem scimus quod antiqua comminatio cassa non fuerit? Omnes jam experimento didicimus, quam nimis verum fuerit, quod peccanti homini olim comminatus est Deus. Quomodo didicimus? *Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt.* Sicut volumina undarum super naufragium alia post alia pertranseunt et obruunt, donec conquassatum et confractum deorsum demergant, sic pœnæ et passiones vitæ hujus semper hominem mortalem aliæ atque aliæ conquassantes et confringentes pertranseunt, et tandem deficientem in profundum mortis demergunt. *Fluctus* sunt communes et quotidianæ pœnalitates; *excelsa*, excrescentes et singulares adversitates; quæ nec eædem omnibus nec ejusdem semper eveniunt; omnes tamen aliquibus, et aliquæ omnibus. Quia ergo præsens judicium tam grave sentio, merito futurum judicium pertimesco. Et ideo ut possim illud evadere, dum adhuc tempus superest, necesse est pœnitere. Quomodo scis, an recipiatur pœnitentia tua? Scio quia *in die mandavit Dominus misericordiam suam*. Misericordia Dei est, quod peccatum hominis in præsenti vita punit, ut æternam damnationem homo evadere possit. Hanc ergo misericordiam Deus per prædicatores homini mandat, ut præsentis mortalitatis utilitatem agnoscens, pro liberatione sui futura, libenter istas pœnalitates suscipiat. Hanc autem misericordiam ideo in *die*, hoc est in prosperitate mandat, quia homo minus parato animo susciperet quidquid in tribulatione positus de utilitate tribulationis audiret.

Sequitur sicut alia Translatio habet: *Et nocte declaravit*, subauditur ipsam misericordiam. Quod enim in die, id est prosperitate de utilitate hujus communis miseriæ verbo docuit hoc *in nocte*, id est in adversitate, per singulares quasdam tribulationes exemplo declaravit. Qualis enim in futuro patientiæ fructus sit, satis innotuit, cum in præsenti etiam vita nonnunquam, quam necessariæ sint tribulationes, ostendit. Quod ergo in die mandat, in nocte declarat, quia quod verbo dicitur, experimento comprobatur. Vel sicut alia Translatio habet: *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus*. Quod sic intelligi potest. *Mandavit*, hoc est per nuntios suos præcones, scilicet veritatis, promisit misericordiam suam, id est quod nos de miseria hujus vitæ liberaret; *in die*, id est cum claritas vitæ æternæ pulsis tenebris mortalitatis illucesceret. Et ideo interim in *nocte* vitæ hujus, *mandavit canticum ejus*, id est laudem suam, ut si in futuro die ejus misericordiam percipere volumus, in præsenti adversitate ab ejus laude non recedamus. Dignum est enim ut, si in gloria sua propitium eum habere volumus, in nostra hunc miseria justum prædicemus. Quia igitur peccavimus, quia flagellum sustinemus, quia ereptionem exspectamus, in peccato confiteamur nostram culpam, in flagello laudemus ejus justitiam, in ereptione speremus ejus misericordiam. *Apud me oratio*, pro iniquitate, *Deo vitæ meæ* in corruptione, *dicam Deo: Susceptor meus es* in miseratione. *Apud me oratio*, in secreto in abscondito. Ideo in abscondito, quia per eam non hominibus, sed Deo soli placere concupisco; *Deo vitæ meæ*, quia dum me foris flagellando mortificat, intus vivificando aspirat. *Dicam Deo*, in futuro cum susceptus ad gloriam fuero securus, *dicam: Susceptor meus es*, quod in dubio constitutus adhuc dicere non præsumo, vel in præsenti dicam præsumens de promissione quam habeo jam in spe, quia jam quasi factum teneo quod faciendum sine dubitatione exspecto. *Quare oblitus es mei?* Animus amantis et paventis ad diversa rapitur, nunc de promissione gloriatur, nunc de dilatione conqueritur, nunc se derelictum propter pondus tribulationis, nunc se susceptum gratulatur propter fiduciam repromissionis. *Quare oblitus es mei?* Parvulus delicatus patri amanti irascitur, et quia non ad omnia vota respondet, de oblivione causatur. Enumerat etiam mala quæ patitur. *Quare tristis incedo?* et ne videatur superflua tristitia, *dum affligit me*, inquit, *inimicus*. Et quia sæpe plus gaudendum quam tristandum est, in afflictione corporis exaggerat causam, adjungens etiam detrimenta virtutis, *dum confringuntur ossa mea*, id est virtutes destruuntur. Postremo summum mali addens irrisionem inimicorum *exprobraverunt*, inquit, *mihi qui tribulant me inimici mei*. In quo non unus læditur, sed tota societas per infamiam offuscatur. Hæc omnia patior *dum incedo*, id est dum in via recta gradiendo proficio, ubi occulte meritum innuit, dum se et bona agentem, et mala patientem dicit.

CAP. LII. *De judicio secundum causam, et secundum retributionem. De luce, et veritate Dei; de monte, et tabernaculo; et de lætificatione juventæ nostræ.*

Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta (*Psal.* XLII). Aliud est judicium secundum causam, aliud secundum retributionem. Boni ergo, qui in præsenti inter malos sunt, et tamen in causa eis uniti non sunt, orant ut Deus primum eorum causam discernat; et sic judicet, quia tunc nos salubriter in retributione judicat, sic prius causam nostram hic a gente non sancta discernat. *Quia tu es fortitudo mea*. Ideo per te ab eis separari peto, quia cum eorum malitiam graviter portem, non

tamen ab eorum societate me per superbiam et confidentiam virium mearum disjunga. Sed differtur quod petitur, ideo clamat. *Quare me repulisti? Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Per fidem illumina, per veritatem fidem remunera, illuminando misericors, remunerando verax. *Ipsa duo deduxerunt me a malis meis, et adduxerunt* ad bona tua. Quæ bona? *In montem, in tabernacula.* In montem ductus sum per fidem, in tabernacula ductus sum per operationem. Introibo ad altare per dilectionem. In montem ut alta crederem; in tabernacula, ut fortia facerem; ad altare, ut me immolem. Mons et tabernacula de præsenti, altare de futuro, ubi plena charitas, et ideo ait *introibo* ut immoler, et contempler *ad altare,* id est *ad Deum, qui lætificat juventutem meam.* Et bene *juventutem lætificat*; vetustatem enim non lætificat, sed contristat. *Ad Deum, qui lætificat juventutem meam,* Si exterior homo noster vetus corrumpitur, sed interior ille homo noster de die in diem renovatur. Caro enim nostra, quæ per mortem dissolvitur, in præsenti vita non renovatur. Spiritus autem juventutem suam in hac vita renovare incipit, quando per gratiam Dei virtutibus renovatis desideria vetusta deponit. Deus ergo non vetustatem nostram, sed juventutem lætificat, quia quanto magis caro foris atteritur, tanto magis mens interius spirituali gaudio consolatur. Ideo inquit, *confitebor tibi in cithara.* Quia te lætitiam non vetustatis, sed juventutis, id est non gaudium carnis, sed spiritus diligis, ideo, et ego carnem affligam, et laudabo te in maceratione carnis. Contra, quod quia animalitas murmurat, ipse eam increpando castigat, dicens: *Quare tristis es, anima mea?*

Cap. LIII. *Quas semitas declinaverit Dominus.*

Declinasti semitas nostras a via tua (*Psal.* XLIII). Tu veniens in homine viam nobis per exemplum atravisti, et ab illa via quidquid boni in nobis est per imitationem deduxisti. Vel semitas nostras, id est perplexas, et laboriosas vias nostras, in quibus prius secundum carnem ambulavimus, *a via tua bona declinasti,* id est removisti, quia amplius per illas non currimus, postquam in viam tuam directi sumus.

Cap. LIV. *De pulvere cogitationum, et terra desideriorum inutilium.*

Humiliata est in pulvere anima nostra; conglutinatus est in terra venter noster (*Psal.* XLIII). Pulvis sunt cogitationes vanæ; terra autem prava desideria. Bene autem prius anima in pulvere humiliatur ac demum venter conglutinatur in terra, quia nisi prius anima vanis se cogitationibus subderet nequaquam carnis desideria immunda obligarent, sed quia prius anima a vanitate vincitur, postmodum caro ad immunditiam glutinatur.

Cap. LV. *De forma, gratia, et benedictione a Deo, ad hoc, et propter hoc,* etc.

Speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), rectitudo operis: *Diffusa est gratia in labiis tuis,* puritas prædicationis. *Propterea benedixit te Deus in æternum,* felicitas retributionis. Primum benedixit ad hoc, postea benedixit propter hoc. Ad hoc, in tempore; propter hoc, in æternitate. Ad hoc benedixit ut bonum perficeretur; propter hoc benedixit, ut bonum remuneraretur.

Cap. LVI. *Quomodo Deus mentem beatam sibi per pacem, et amorem conjunctam adjuvet, et quando?*

Deus in medio ejus non commovebitur; adjuvabit eam Deus mane diluculo (*Psal.* XLV). Beata civitas, quæ regem habet Deum, quia cum foris bella patitur, pax ejus intus non conturbatur. Felix ille, qui talem habet animam ita in amore Dei solidatam, ut quæcunque foris molestiæ perstrepant, tamen usque ad silentium internæ quietis non irrumpant, quia Deus, qui pacis amator est, cor turbatum inhabitare non potest: sed quia tam pacificam habitationem Deus non inveniret, nisi ipse eam faceret, *adjuvabit eam Deus mane diluculo. Mane,* tempestive, *diluculo,* in luce. *Mane,* quia adjutor in opportunitatibus. *Diluculo,* quia in tenebris operari nescit. *Adjuvabit* volentem, quia nemo invitus bonum facit. Adjuvat civitatem, et ædificat civitatem, requiescit in civitate, et protegit civitatem.

Cap. LVII. *Quæ sint opera Domini nobis videnda et prodigia quæ posuit super terram.*

Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram (*Psal.* XLV). *Venite, inquit, et videte opera Domini.* Primum *venite,* postea *videte.* Vos enim in tenebris estis, et ibi opera Domini videre non potestis. Venite igitur ad lucem, et videte per lucem; quæ lux fecit in luce: videte opera Domini. Quæ opera Domini? Numquid cœlum, et terram? Non, sed quæ desuper cœlum posita sunt *super terram.* Primum enim Deus cœlum et terram fecit; deinde quædam in cœlo, et in terra de cœlo, et terra produxit. Sed hæc, quia terrena sunt ubique terrarum videri possunt, nec ut ista videantur alicunde alio homines invitantur. Sunt quædam alia quæ non de cœlo, vel de terra produxit, sed de super cœlum secum afferens super terram posuit, non dejiciens ea, sed inclinans; nec terram per ea premens, sed relevans. Quæ sunt ista opera Domini? *Domine, audivi auditum tuum, et timui. Domine, opus tuum in medio annorum notum facies* (*Habac.* I), quando videlicet in medio duorum animalium cognosceris. Quomodo posita super terram? *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Quomodo prodigia? *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis et vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus fortis, Pater futuri seculi, princeps pacis* (*Isai.* IX). *Super terram* posita sunt, quia terrena ad pacem componunt; *prodigia* sunt, quia venturi sæculi gaudia portendunt. *Prodigia* sunt, quia *Pater futuri sæculi. Super terram posita* sunt, quia *princeps pacis, auferens bella,* pacificans hominem intus, et extra, ac terram carnis dominio animæ usquequaque subjiciens. *Arcum conteret, et confringet arma,* versutias, et machinationes diaboli adnihilans. *Scuta comburet igni,* dura corda molliet igne Spiritus sancti. Quibus

patr.atis, et pace plena reddita, exhortatoria vox sequitur, qua omnes voluntarii ad verum bonum invitantur: *Vacate, et videte quoniam ego sum Dominus.*

CAP. LVIII. *Qualiter orandum sit pro remissione peccatorum a Deo obtinenda, ad imitationem David.*

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam (*Psal.* L). Audite, peccatores, orantem peccatorem, et discite quia inter vos pro peccatis vestris orare debetis. Audite quid dicit: *Miserere mei, Deus.* Reus enim, in causam ductus, considerat quod judex suus nec falli potest, quia sapiens est, nec corrumpi potest, quia justus est, nec vinci potest, quia omnipotens est, nec declinari potest, quia ubique est. Videte ergo nullum omnino excusationi, sive defensioni locum esse; et idcirco ad solam misericordiam flagitandam se convertit, dicens: *Miserere.* O quanta est virtus hujus verbi *miserere*? Ac si diceret: O Domine, agnosco culpam meam, intelligo reatum meum, scio quid feci, scio quid merui, non ignoro cum quo mihi causa agitur, non ignoro quid pro culpa mihi debetur. Volo peccatum meum abscondere, sed tu nosti omnia. Volo resistere, sed tu potes omnia. Volo effugere, sed tu complecteris omnia, quod ergo solum restat, de te fugio ad te. Fugio iram, fugio ad misericordiam. *Miserere.* Nolo ut *intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII): quanto magis ego peccator, et criminis reus: Non ego peto ut judiceris mecum, sed ut miserearis mei. *Miserere mei.* Tu quis es? edicito qui sis. Citius fortassis ad misericordiam flectar, si personam agnovero. Non, inquit, Domine, non. Sed volo interim latere quem tamen latere *non* possum. Volo ut interim me nescias, licet non ignorem quod omnia facias. Timeo enim simulque erubesco nomen edere, personam designare; et quanto tibi familiarior ante culpam exstiti, tanto magis nunc confundor post culpam agnosci. Non ergo dico tibi: Domine, miserere David: quemadmodum alibi dixi: *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus* (*Psal.* CXXXI). Nec sicut aliquando blandiens dicere consueveram, puero tuo non saltem servo tuo, aut filio ancillæ tuæ, quia hæc omnia nomina familiaritatis sunt, et ideo quanto manifestios prolata majoris gratiæ beneficium ad memoriam reducerent, tanto gravius sequentis culpæ reatum accusarent. Taceo igitur hæc omnia, sileo, dissimulo, abscondo, ne forte aliquid eorum commemorans, et te magis iratum redderem, et me magis reum demonstrarem. Volo interim ego non agnosci, ut citius possis tu complacari. Ne ergo quæras, Domine, quis sim ego; tantum miserere confitenti peccatum suum, damnanti culpam suam, quærenti misericordiam tuam. *Miserere mei, Deus.* Non enim audeo dicere: Deus meus; Deum solummodo agnosco, meum non præsumo. Ego enim peccando, te perdidi; inimicum sequendo, a te recessi; malum amando, a bono elongavi. Propterea quasi leprosus, quasi ejectus, quasi separatus, quasi immundus, quasi alienus appropinquare non audeo, accedere non præsumo. Sed tantum de longe stans, et ad te vocem levans, cum magna devotione, cum magna cordis contritione, clamo et dico: *Miserere mei, Deus.* Dicant qui boni sunt, dicant qui mundi sunt, dicant qui puri sunt, dicant qui familiares sunt, dicant qui filii sunt, qui hæredes sunt dicant: Deus meus. Ego qui immundus sum, qui pollutus sum, qui abjectus sum, qui longe sum, qui Patrem deserui, qui inimico me vendidi, qui in regionem longinquam abii, qui hæreditatem meam perdidi, qui substantiam meam luxuriose vivendo dissipavi, ego non dicam Deus meus, non dicam Pater meus, sed tantummodo: *Miserere mei, Deus. Fac me sicut unum de mercenariis tuis, quia non sum dignus vocari filius tuus* (*Luc.* XV). *Miserere ergo mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam*, non secundum magnam miseriam meam, sed secundum magnam misericordiam tuam, quia licet magna sit mea miseria, major tamen est tua misericordia. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Nolo parvam misericordiam quærere, quia nec te decet parvam misericordiam dare. Jam enim exauditione dignus non essem, si a magno parvum quærerem. *Miserere ergo mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Nequaquam, Domine, magna postulans de meis meritis confido, sed tuam magnificentiam honoro. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Propter magnam misericordiam tuam, et secundum magnam misericordiam tuam. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.*

CAP. LIX. *Quod Deus in sanctis, id est intus plus quam foris mirabilis est.*

Mirabilis Deus in sanctis suis (*Psal.* LXVII). Quid miraris foris? Intus est mirabilis Deus. Si enim mirabile est quod ad servitutem factum est, quod ad imaginem factum est, quomodo mirabile non est? *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Ne ergo illos foris respicias. Non quod foris est mirabile est; quod intus est, mirabile est. Intus ergo vide, et non miraberis quidquid foris apparet.

CAP. LX. *Quod adhærere Deo, et ponere spem in eo semper bonum sit.*

Mihi autem adhærere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam (*Psal.* LXXII). Habent homines bona sua; aliis in necessitate bonum est consilium suum, aliis in prosperitate bonum est consilium suum, aliis in prosperitate bonum est gaudium suum. *Mihi autem unum est bonum, adhærere Deo, ponere in Domino Deo spem meam.* Si inundant flumina tentationum, *bonum est mihi adhærere* ne dissolvar. Si flaverint venti adversitatis, bonum mihi est in illo anchoram spei figere, ne conquasser vel dissiper. Illis autem nec in adversitate bonum est consilium suum, quia non liberat, nec in prosperitate gaudium, quia non conservat. Ideo unus consilium improbavit, alter gaudium. *Usquequo ponam consilia in anima mea?* (*Psal.* XII.) *Et gaudio dixi: Quid frustra deciperis?* (*Eccle.* II.)

CAP. LXI. *De tribus malis, quibus homo affligitur, et quatuor bonis quibus consolatur.*

Aut continebit in ira suo misericordias suas (*Psal.* LXXVI). Tria sunt mala quibus homo affligitur, et quatuor bona quibus consolatur: unum malum est exterius sub homine, alterum malum est exterius in homine, aliud est malum interius in homine. Malum exterius sub homine est, cum in iis quæ foris possidet, damna patitur. Malum exterius in homine, cum caro ejus infirmatur. Malum interius in homine, est vermis conscientiæ. Tribus his malis quatuor bona opponuntur ut misericordiam ira non contineat; sed beneficia propitii, irati flagella transcendant. Est namque bonum exterius sub homine in tranquillitate rerum temporalium, et est bonum exterius in homine, securitas conscientiæ B rum; et est bonum interius supra hominem, dulcedo cœlestium gaudiorum. Plus ergo confert propitius quam abstulit iratus, quia prius peccantes in nostris percutimur, sed postmodum etiam in his quæ supra nostra sunt, consolamur.

CAP. LXII. *De quadruplici pace quam diversis loquitur Dominus.*

Quoniam loquetur pacem in plebem suam; et super sanctos suos (*Psal.* LXXXIV). Quatuor sunt paces: duas dat mundus, et duas dat Deus. Mundus dat pacem in tranquillitate rerum temporalium: et in sanitate corporum. Deus dat pacem in tranquillitate mentis, et in gaudio contemplationis. Sed ea pax quæ est in tranquillitate mentis in homine est; ea quæ est in gaudio contemplationis, supra hominem C est. Illam Deus in plebem loquitur, quia eam imperfectioribus tribuit; hanc super sanctos, qui eam perfectioribus concedit.

CAP. LXIII. *Misericordia, et veritas, qua disceptatione sibi mutuo obviam venerint, et justitia, et pax se osculatæ sint.*

Misericordia et veritas obviaverunt sibi; justitia et pax osculatæ sunt. Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit (*Psal.* LXXXIV). Deus sursum erat et homo deorsum. Veritas erat in cœlo cum judice Deo, et misericordia in terra cum homine judicando. Ubi enim misericordia esset, si cum misero non esset? Descenderat enim forte nesciente veritate, quoniam illam ad hominem venturam sciebat, et de illius adventu metuebat. Descendit ergo prius misericordia, ne si veritas præveniret accessum ad hominem, ipsa postea non inveniret. Accepta igitur assumpta veritate descendit Deus ut rationem poneret cum homine. Quod cum vidisset misericordia, non ignara divini consilii, perrexit obviam illi, Deum cupiens mitigare, et placatum adducere. Cernens autem veritatem obstinato vultu incedentem primum occurrit illi rogans ut gradum sisteret, nec nimis properaret, donec funderet orationem suam ad Dominum. Ibi ergo misericordia, et veritas obviaverunt sibi. Tunc misericordia clementi causatione querelam coram Deo deposuit, dicens ægre se ferre, quod ad hoc negotium socia advocata non fuerat, præsertim cum unquam Deus A sine utraque hac comite iter aliquod facere consueverit. Cum enim, inquit, scriptum sit: *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas* (*Psal.* XXVI): quomodo sola veritate contentus misericordiam Dominus meus non vocavit, præcipue cum non solum æqualem, sed priorem etiam misericordiam esse debere Scriptura ubique commemoret? Neque enim scriptum est, veritas, et misericordia, sed *misericordia et veritas, universæ viæ Domini.* Quare ergo quæ prima esse debui, nunc postrema, et quod magis me gravat ad comitatum tuum non vocata accedo? E contrario veritas respondit in hac via misericordiam comitem Domini necesse posse nec debere, tum quia consilium voluntatis ejus contrarium ordinatum sit, et idcirco in ejus opere præsens ipsa non possit; tum etiam quia cum ipso egressa non sit. Dixit etiam ipsam misericordiam magis oportere rationem reddere, quare ipsa egredienti Domino non affuerit, et absentia ejus magis esse læsum Dominum, intantum ut una comite iter capere compulsus sit. Ad hæc misericordia respondit se nec mala intentione egressam, nec malo opere occupatam. Sed magis se honori, et utilitati Domini sui consulere, quæ non perdere studeat et destruere, sicut ipsa veritas, sed servare; illam esse notandam potius, et accusandam, quæ famulos, et ministros Domini tantum velit imminui, ut cum omnes abierint nullum patiatur per indulgentiam aliquam levari, et revocari. Veritas autem respondit non esse decens bonum Dominum et justum malos servos et injustos habere. Misericordia dixit tantum Dominum sine ministris esse non debere. Veritas affirmavit, nequam homines merito debere damnari. Misericordia respondit eos, ut boni fierent, spontanea etiam pietate debere revocari. Veritas dixit quod Deus malis omnino parcere non deberet. Misericordia dixit: si nemini parceret Deus quod nunquam bonos haberet. Veritas dixit se nolle nec posse tot scelera hominum tolerare. Misericordia respondit gratiam Domini ad indulgendum superabundare. Veritas dixit: Unusquisque prout gessit in corpore accipiat. Misericordia dixit: Omnis homo magis convertatur ad Dominum, et vivat.

D His ergo ita sibi obviantibus, et ad diversa voluntatem Dei inclinare desiderantibus, videns Deus tam diversas sententias ad effectum simul procedere non posse, ait: Scriptum est: *Misericordiam et veritatem diligit Deus* (*Psal.* XXIV). Quas ergo diligit, vult sibi semper præsto esse; et quia rursus dicitur de Deo: *In pace factus est locus ejus* (*Psal.* LXXIII), non potest illas discordes sustinere. Concordia autem esse non potest ubi voluntas tam diversa est. Veritas enim vult ut totum imputetur. Misericordia vero ut totum condonetur; quæ simul fieri non possunt. Propterea ne ego, qui amator pacis sum, compellar vestram societatem relinquere, necesse est ut vos studeatis utrinque vestras voluntates ad unum consensum inclinare. Ad hæc veritas respondit

se minus laudabilem si aliquid inultum relinquatur. Misericordia dixit se minus amabilem si non totum gratuita pietate solvatur. Tunc Deus interrogavit utrum vellent ambæ suas voluntates in ejus arbitrium ponere et quod ipse inde discerneret sine contradictione annuere. Quod utraque, in quantum fieri posset sine diminutione nominis et dignitatis suæ, concedente, Deus dixit æquum sibi videri ut peccatum hominis, et ex parte propter veritatem puniatur, et propter misericordiam ex parte dimittatur. In hoc ergo ambabus consentientibus, veritas adjecit dicens justum esse ut, sicut prius misericordia cum homine fuit et ipsa in cœlo permansit, ita nunc ipsa in terra cum homine permaneat, et misericordia cum Deo cœlum conscendat. Scriptum est enim: *Misericordia, et veritas præcedent faciem tuam* (*Psal.* LXXXVIII). Si ergo prius misericordia præcessit, et veritas permansit, justum est ut nunc misericordia maneat, et veritas præcedat. Tum misericordia rogans veritatem memorem esse communis pacti, scilicet ne quidquam ultra concessum contra hominem moliatur, cum Domino ascendit. Veritas autem intrans cor hominis invenit ibi omnia mala, et digna pœnis, et clamare cœpit de terra, hominem accusans. Misericordia vero non desistebat in cœlo Dominum orare pro homine postulans. Homo in terra per veritatem stimulatus, peccasse se confitebatur, et flens in cœlo per misericordiam flexus, confitenti miserebatur. Homo confessionem ad salutem ore proprio faciebat, et misericordia precibus suis Dominum ad justificationem hominis compellebat. Veritas de terra per confessionem hominis oriebatur, et justitia de cœlo prospiciens per misericordiam Dei ad terras mittebatur. Veritas dixit prius puniendum qui prius malum fecerat. Misericordia dixit postea justificandum, et salvandum qui et malum confitendo bene fecerat. Per veritatem accusabatur, et per misericordiam propter veritatem justificabatur. Quia *veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit.* Quia ergo misericordia cum Deo pro homine erat, et justitia, et veritas a Deo cum homine erat jam inter Deum et hominem pro justitia pax erat, et ascendit justitia ab homine ad Deum, pacem postulans, et descendit pax a Deo ad hominem justitiam amplectens, et osculans. Tunc ait justitia ad pacem: Numquid optimo satis est mala dimittere, nisi etiam studeat bono conferre? Laxavit peccata per indulgentiam; nunc conferat dona virtutum per gratiam. Respondit pax et dixit: *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Nunc autem interim *justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos.* Quod audiens justitia præcurrens reversa est ad hominem, ut ab eo non discedat, donec Dominus ponat in via gressus suos, et veniat.

CAP. LXIV. *De confessione duplici, et quod Dominus mitis est et suavis.*

Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime (*Psal.* XCI). Duplex est confessio, altera criminis, altera laudis. Confessio criminis est conversio peccatoris, confessio laudis glorificatio Creatoris. Confessio criminis est in detestatione mali; confessio laudis in exaltatione boni. Confessionem criminis parit timor; confessionem laudis parit amor. Propterea *bonum est confiteri Domino*, quoniam mitis est, *et psallere nomini ejus* bonum, quoniam suavis. Exemplum mansuetudinis ejus fuit, quod peccatores ad se venientes non repulit. Exemplum suavitatis ejus, quod qui eum gustaverunt, fastidire non potuerunt. Exemplum mansuetudinis fuit, quod infirmantibus compatiebatur. Exemplum suavitatis, quod imperfectis conformabatur. Infirmantibus compatiebatur, confitentibus dans veniam, et pœnitentibus non indicens pœnam. Imperfectis conformabatur spiritalia seminans, et metens carnalia. Seminans verbum cibum mentis, et metens victum cibum carnis. Venit ad illum peccatrix, et fudit lacrymas ad pedes ejus per confessionem criminis, ipse, ut ostenderet mansuetudinem suam et parvicordibus daret fiduciam appropinquandi, cito veniam indulsit, pœnam nullam indixit. Sed ait, *Vade, et amplius noli peccare* (*Joan.* VIII). Dicitur et in alio loco, quod habebat Jesus loculos, et ea quæ dabantur suscipiebat (*Joan.* XII), conformans se imperfectis, ut qui Evangelium prædicant, de Evangelio vivant (*I Cor.* IX). Paulus autem noluit sumptus accipere de Evangelio, sed gratis factus est minister verbi (*ibid.*). Et invenitur Paulus magis aliquid fecisse quam Christus. Christus autem in numero imperfectorum inveniri voluit, ne præsumerent non accipientes, et confunderentur accipientes, et existimaretur non esse Christianus, faciens quod voluit facere Christus. Propterea cum fiducia accedamus ad mitem, et non derelinquamus suavem.

CAP. LXV. *De spirituali cithara.*

Cum cantico in cithara (*Psal.* XCI). In cithara duo ligna sunt, unum inferius, alterum superius. Inferius lignum cavum est, superius solidum est. Inter utraque ligna tenduntur chordæ clavis, quibusdam deorsum tendentibus, quibusdam sursum trahentibus. Superiores clavos plectrum torquet; ad inferiores autem clavos chordæ digitis percussæ resonavit. Duo ligna duæ sunt cruces, inferius lignum crux carnis, superius lignum crux mentis. Crux carnis est afflictio in corpore. Crux mentis est compassio in corde. Inferius lignum solidum non est, quia nunc quod in carne dolet, si conscientiæ bonæ gaudium tollitur, furis speciem doloris habet: intus veritatem non habet. Superius lignum solidum est, quia dolor mentis ad intima penetrans, monstrari potest, fingi non potest. Chorda est corpus, quod tenditur, et maceratur inter pœnam carnis, et dolorem cordis. Inferior clavus est timor, superior est amor, quia timore caro configitur, amore animus vulneratur. Illa, ne ad mala moveatur, iste ut ad bona sensificetur. Plectrum

est gratia, quæ affectum cordis apprehendens ad se A trahit, et ad superiora ire facit. Chords siccatur, et tenditur ut sonitum reddat, et caro hominis prius a malo mundatur, postea in bono excitatur, ibi siccata, hic tensa. Siccata per abstinentiam : tensa per patientiam. Inferiores clavi rotundi sunt, superiores solidi, quia timor circumspectus esse debet, amor perfectus.

Cap. LXVI. *De fide operatione, et retributione bonorum.*

Exortum est in tenebris lumen rectis corde; misericors, et miserator, et justus Dominus (*Psal.* cxi), hæc est fides. *Jucundus homo qui miseretur, et commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur*, hæc est operatio. *In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non* B *timebit*, hæc est retributio.

Cap. LXVII. *De duabus scholis virtutis et veritatis, et duplici genere discentium; et quod omnes cupiant esse beati, et pauci studeant esse immaculati.*

Beati immaculati in via, qui ambulant *in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus; in toto corde exquirunt eum* (*Psal.* cxviii). Duæ sunt scholæ, et duo sunt genera discentium. Alii virtutem quærunt, alii veritatem. Qui tamen alterum in veritate appetunt, neutrum contemnunt, quia nec virtus odibilis est amatoribus veritatis, nec veritas contemptibilis amatoribus virtutis. Sunt autem qui veritatem quærere videntur, qui tamen quia non in veritate, et pro veritate, sed pro vanitate eam quærunt, veritatem sine virtute habere volunt, sed, et C veritas non est sine virtute, nec virtus nisi in veritate. Alii dicunt : Boni esse volumus, sed sapientes esse nolumus; et hi non justificantur, quia virtus sapientis dicitur. Sicut qui dicunt : Sapientes esse volumus, sed boni esse nolumus, non erudiuntur, quia sapientia per virtutem confirmatur. Schola virtutis est : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Schola sapientiæ : *Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* Sic et in psalmo primo : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit*, hæc est schola virtutis : *Sed in lege Domini voluntas ejus; et in lege ejus meditabitur die ac nocte*, hæc est schola sapien- D tiæ. Utrobique tamen studium virtutis præmittitur, quia multi scire volunt, pauci facere, ut prius per studium boni operis mundetur conscientia, postea autem corde mundo quæratur sapientia. Primum disce quod facias, postea quære quod scias. Ideo prius *beati immaculati*, postea *beati qui scrutantur. Beati immaculati.* Omnes libenter audiunt *beati:* sed non omnes libenter audiunt *immaculati*. Tu autem si vis esse beatus, esto immaculatus. Quis est immaculatus? Nunquam pollutus vel ablutus; sanctus immaculatus, et sanctificatus immaculatus. Primo qui non est aversus. Secundo qui est reversus. Ille, quia non est prævaricatus; iste, quia est reconciliatus.

Cap. LXVIII. *De nominibus præceptorum Dei, contentis psalmo* cxviii, *et de causis eorumdem.*

Præcepta Dei multis nominibus significantur: Via, lex, testimonia, mandata, justificationes, judicia, sermones, eloquia, mirabilia, æquitas, verba, veritas, *justitia* (*Psal.* cxviii). Via dicuntur, quia ea faciendo pervenimus ad vitam. Lex dicuntur, quia observationum ritu proposito ligant. Testimonia dicuntur, quia evidenter admonent pœnis, vel promissis, vel præmiis, vel donis contestantis. Mandata dicuntur, quia facienda indicant. Justificationes dicuntur, quia impleta a reatu liberant. Judicia dicuntur, quia unicuique pro merito debitam retributionem pronuntiant. Sermones dicuntur, quia narrando instruunt. Eloquia dicuntur, quia aperte significant. Mirabilia dicuntur, quia insolita præcipiunt et incognita promittunt. Æquitas dicuntur, quia secundum justitiam facta sunt. Verba dicuntur, quia significationes Dei sunt ad homines. Veritas dicuntur, quia ita est ut dicunt. Justitia dicuntur, quia nihil inordinatum continent.

Cap. LXIX. *De tribus viis.*

Utinam dirigantur viæ meæ! etc. (*Psal.* cxviii.) Tres sunt viæ : Via Dei, via hominis, via diaboli. Via Dei est veritas, via hominis est necessitas, via diaboli iniquitas. Via Dei et diaboli nunquam flecti possunt, ut ad aliud tendant, quia nec via Dei mala, nec via diaboli bona aliquando esse potest. Via hominis mutabilis est, et ad diversa inflectitur; hoc est, vel ad viam Dei vel ad viam diaboli. Si enim necessitas intorquetur ad cupiditatem, et cupiditas ad iniquitatem, via hominis flectitur ad viam diaboli. Si autem dirigantur ad mensuram, et mensura ad justitiam, via hominis directa est ad viam Dei. Propterea ait : *Utinam dirigantur viæ meæ!* etc.

Cap. LXX. *Qui sint in lege Domini ambulantes, qui stantes, et qui ab eo declinantes.*

Beati qui ambulant in lege Domini, etc. (*Psal.* cxviii). Alii sunt in lege ambulantes, alii sunt in lege stantes, alii a lege declinantes. In lege ambulant, qui in bono proficiunt. In lege stant, qui a bono non recedunt. A lege declinant, qui non facienda præsumunt.

Cap. LXXI. *De directione cordis humani.*

Confitebor tibi in directione cordis (*Psal.* cxviii). Cor hominis dirigitur, quando humana voluntas divinæ voluntati conformatur, id est, ut homo id quod Deus odit, odiat; et quod diligit, diligat. Ad hoc autem per legem Dei instruimur, in qua nobis voluntas Dei demonstratur : quæ videlicet voluntas nostræ voluntatis regula est. Ideo prius viæ hominis, id est opera ad custodiendas justificationes Dei diriguntur; postea homo Deo in directione cordis confitetur. Quis est qui Deo confitetur. Cui placet quod facit Deus, hic Deo confitetur. Ille autem est cujus voluntas, et cor directum est, ut a voluntate Dei non discrepet; vel approbando vel improbando, vel odiendo, vel amando, nec infra subsistens, nec ultra transgrediens

CAP. LXXII. *Qui Deum ex toto corde exquirant et quid sit Deum exquirere et quamdiu sit exquirendus. Et quomodo quis repellatur a mandatis Dei.*

In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me a mandatis tuis (*Psal.* CXVIII). Pagani et infideles Deum non exquirunt, qui divinum honorem creaturæ tribuunt. Similiter falsi fideles, qui aliud plus quam Deum diligunt, *Deum non exquirunt*. Deum exquirere est extra omnia quærere, fide ut aliud esse credatur, dilectione, ut plus diligatur. Toto corde exquirit, qui hunc solum invenire concupiscit. *Ne repellas me a mandatis tuis.* Sæpe homo accedens ad Deum a seipso repellitur, sæpe a mundo, sæpe a diabolo, aliquando a Deo. A seipso repellitur, vel per voluntatem propriam, vel per carnis concupiscentiam. Per voluntatem propriam repellitur, quia in hoc aliquando grave fit illi quod Deus vult, quia cum eo quod Deus vult propria voluntate aliud vult, quod simul fieri non potest cum eo quod Deus vult. Per carnis concupiscentiam repellitur, quia dum aliud caro appetivit, voluntas spiritus non sine difficultate ad effectum procedit. A mundo repellitur, dum vel adversis premitur, vel prosperis irretitur. A diabolo repellitur, quando suggestionum illius importunitate sine cessatione vexatur. A Deo repellitur, quando ad illius majestatem contemplandam assurgens, incomprehensibilis lucis radiis reverberatur. Quæ tamen repulsio ira non est, sed exercitatio, quoniam idcirco homo ad tempus a summis repellitur ut per humilitatem melius in minimis exerceatur. Unde dictum est : *Ne declines in ira a servo tuo*, hoc est si declinas, declina ut redeas. *Memento ergo scalæ Jacob. Ascendunt angeli et descendunt.* Quidam ascendere sciunt, descendere nesciunt. Aliud est enim descendere, aliud præcipitari. Non est hominis semper sursum ire. Si ascendere nosti per devotionem mentis, scias et descendere per exercitium boni operis. Si nescis descendere, nescis conscendere, et incipiens tandem post indiscretam et immoderatam vehementiam ascendendi, cadere. Cum descendis videtur elongare Deus qui sursum est. Sed scriptum est : *Excelsus Dominus; et humilia respicit* (*Psal.* CXXXVII). Melius ergo tibi est ut humilis sis et videaris, quam sublimis et ignoreris. Aves volando lacessunt, et descendunt super terram ut requiescant. Sed aliæ loca munda diligunt, aliæ lutosa et polluta exquirunt. Si ergo descendis, munda sit requies tua. Quid est contemplatio, nisi cœlum? Quid operatio, nisi terra? in contemplatione volas ; in operatione sedes. Sed elige loca munda, opera bona ; vitæ et fuge lutosa, ubi coinquinatio est contingentis. Hæc sunt opera immunditiæ inquinantia appropinquantem. Nunc ergo repelleris, cum repararis, quia si bene resides, validior consurges.

CAP. LXXIII. *Abscondenda quomodo sint eloquia Domini.*

In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi (*Psal.* CXVIII). In corde eloquium Dei abscondit qui illud per dilectionem suscipit, per memoriam retinet, per humilitatem tegit. Si nunquam tegeretur, non foveretur, si nunquam manifestaretur, non multiplicaretur. Cor nidus est, verbum ovum, opus pullus. Fovet et nutrit. Non vivificatur nisi nutriatur. Peccas, si non recipis ; peccas, si receptum rejicis ; peccas, si retentum ante tempus exponis. Primo duritia, secundo negligentia, tertio superbia. Ideo absconde, ne pecces.

CAP. LXXIV. *Quod justificationes fiunt propter opera.*

Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas (*Psal.* CXVIII). *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores* (*Rom.* II). Igitur per bonum opus justificat Deus. Justificationes Dei novit qui intelligit justum esse, ut qui mala cum delectatione perpetravit, bonum sine dolore et labore facere non possit ; nec murmurat in pœna qui humiliatur pro culpa.

CAP. LXXV. *Loquendi quæ sint impedimenta et quæ judicia cordis et oris. Item de quatuor quibus judicia fiunt.*

In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui (*Psal.* CXVIII). Bonus ordo : Primum humilitas silentii, deinde studium boni operis, postremo fiducia pronuntiandi verbi. In corde meo, silentium : *Doce me justificationes.* Opus : *In labiis meis pronuntiavi.* Verbum. Duo sunt quæ homini labia tollunt ut loqui non possit : Ignorantia, quando nescit ; et conscientia mala, quando erubescit. Propterea contra ignorantiam, *in corde meo abscondi eloquia tua*, contra conscientiam malam, *doce me justificationes tuas. Pronuntiavi*, fiduciam loquendi significat. *Omnia judicia oris tui*, nihil abscondi, hoc est totum dixi. Quæ dixisti mihi ego pronuntiavi : nihil de tuo abscondi, nihil ex meo adjeci, ne vel falsitatem prædicarem vel veritatem negarem ; judicia cordis, quæ sunt abscondita ; judicia oris, quæ sunt manifesta ; judicia oris, quæ proposuisti ; judicia cordis, quæ abscondisti ; judicia cordis, ubi sententia est dictata ; judicia oris, ubi sententia est prolata. Quæ ergo manifesta sunt, pronuntiantur ; quæ abscondita sunt, sciri non possunt. Ista tacere torpor esset ; in illis præsumere elatio esset. Quatuor autem sunt quibus judicia fiunt. Aliquando reddit Deus malum pro malo ad bonum, ut Saulo pœnam pro culpa ad correctionem. Aliquando bona pro bono ad malum, ut diviti abundantiam bonorum pro justitia, ad retributionem. Aliquando malum pro malo ad malum, ut Herodi et Antiocho et Judæ pœnam pro culpa, ad damnationem. Aliquando bonum pro bono ad bonum, ut Abrahæ et Job abundantiam pro justitia, ad salvationem.

CAP. LXXVI. *Quis in mandatis Dei exerceatur.*

In mandatis tuis exercebor (*Psal.* CXVIII). Exercetur qui præsenti studio ad meliora et futura bona eruditur. In mandatis ergo Dei exercetur, qui sic semper bona quæ agit, considerat, ut per ea se ad bona agenda quæ necdum cœpit præparari credat, ut se

non quasi consummatum existimet, sed semper quasi incipientem attendat.

CAP. LXXVII. *De multiplici via Dei, et qui eam considerent.*

Considerabo vias tuas (*Psal.* CXVIII). Via Dei est, per quam ad nos venit interna aspiratio. Via Dei est per quam ad illum imus, bona operatio. Vias ergo Dei considerat qui studio boni operis exercendi invigilat. Vias etiam Dei considerat qui adventum ejus internum ad se diligenter observat, quando veniat, et ad quales veniat ut agnoscat tempus visitationis suæ.

CAP. LXXVIII. *Quomodo dulcia dicat eloquia Domini faucibus suis, utrum ea manducando, et si sic cibus sunt, qualis ergo cibus.*

Quam dulcia faucibus meis eloquia tuo super mel ori meo (*Psal.* CXVIII). Nunquid putas, frater, iste manducare consueverat verba Dei, ut diceret: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua?* Et qui est, qui verba manducaret? Si ergo manducantur verba Dei, utique cibus sunt. Et qualis cibus? Non puto ventris, sed mentis, in uno illo jejunium ventris, et cibus mentis: *Non*, inquit Scriptura, *in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ob ore Dei* (*Matth.* IV). Et tamen aliqua similitudo est inter cibum ventris et cibum mentis, quia et ideo verba Dei cibus dicta sunt, quoniam sicut cibus corporalis carnem reficit, ita sapientia mentem pascit. Cibus corporalis tria habet in se, saporem, nutrimentum, massam. Sapor delectat, nutrimentum sustentat, massa onerat. Sapor ad palatum pertinet, nutrimentum ad naturam, massa ad miseriam. Gula percipit saporem, stomachus nutrimentum et massam: alterum ad refectionem, alterum ad gravamen. Nutrimentum ut illud in corpus trajiciat; massam ut illam ejiciat. Sapor quodammodo spiritualis est, et ideo solummodo delectat, non gravat. Inde est quod fauces in faucibus satiari nunquam potest, quia ibi nec appetitus mensuram habet, nec delectatio finem. In stomacho autem fames satietatem recipit, quia ibi appetitus edendi certam mensuram habet et delectatio finem. Nam quia ille nutrimentum, quod sustentat, non percipit sine massa quæ gravat, ne id quod prodest ultra modum appetere incipiat, ipsa quam simul percipit massa illum onerando refrenat. Nam cum eum prægravare et quodammodo suffocare incipit pondus ipsum, quod invitus tolerat, voluntarie jam appetere desinit nutrimentum quod reficiebat. Ergo, frater, cum manducas, noli interrogare fauces tuas an satis est, quia si judicium illarum sequeris priusquam eas delectatione repleas, stomachum tuum onere suffocabis. Ventrem potius de mensura edendi consule, et priusquam ille tibi dolere incipiat, fauces aviditate compesce.

Hoc tamen de cibo corporali intellige dictum. Nam de refectione spiritualis cibi fauces potius quam venter sunt consulendæ. Fauces dico, non carnales, sed spirituales; et ventrem dico, non ventrem carnalem, sed spiritualem. Nam sicut cibum spiritualem novimus, ita fauces et ventrem spiritualiter intelligere debemus. Habet quippe spiritualis cibus, id est verbum Dei, similiter saporem suum, qui fauces spirituales delectat; nutrimentum suum, quod substantiam spiritualem pascit et vegetat. Habet etiam massam suam quæ infirmitatem quodammodo premit et gravat. Fauces spirituales dicimus palatum cordis. Sapor verbi Dei est gustus internæ dulcedinis. Anima autem, ipsa est substantia spiritualis. Nutrimentum verbi Dei est exercitium virtutis; massa vero, pondus laboris. Quia igitur sapor ille internæ dulcedinis sine fastidio sumitur, quasi de quodam spiritualis cibi gustu fauces cordis delectationem percipiunt, sed saturari non possunt. Quia vero exercitium virtutis, quo anima pascitur, non sumitur sine pondere laboris, quo caro gravatur, quasi quidam sensualitatis nostræ stomachus, dum cibum boni operis exercendo percipit, ne virtutem qua reficitur ultra modum appetat, ipso eum quo premitur labor operis castigat. Jam, ut existimo, satis intelligis quid sibi vult quod iste dicebat: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tuo super mel ori meo!* Non enim ait dulcia ventri meo, sed *faucibus meis*. Non stomacho meo, sed *ori meo*. Ac si diceret: per verbum quidem tuum, Domine, venter carnalitatis premitur, sed palatum cordis intus sapore dulcedinis delectatur, quia et si foris infirmitatem gravat labor operis, intus tamen desiderium pascit dulcedo et gustus suavitatis. Hinc est quod dilectus ille et charus Joannes qui verbum Dei tam frequenter et tam libenter edere consueverat, de se perhibet, dicens: *Accepi librum de manu angeli et devoravi eum; et erat in ore meo tanquam mel dulce; et cum devorassem eum amaricatus est venter meus* (*Apoc.* X). Sic, et tu frater, devora librum vitæ, comedo verbum Dei: nec solum comede, sed avide comede, et noli propterea dulcedinem saporis ejus deserere, si aliquid amaritudinis sentis in ventre.

CAP. LXXIX. *Quomodo Christus sit nobis lucerna.*

Lucerna pedibus meis verbum (*Psal.* CXVIII). Lucerna lumen in testa; lumen in vase, divinitas in humanitate. Vas humanitas, lumen divinitas. Vita via, tenebræ ignorantia. Præcessit Christus ferens lucernam; sequitur Christianus tenens exempli semitam. Proposuit humanitatem lucentem; ex divinitate extulit lucernam, ut videamus fide, ambulemus operatione, dirigamur imitatione præcedentem unum multi sequentes.

CAP. LXXX. *Oculi bonorum quomodo sint ad Dominum, etc.*

Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum (*Psal.* CXXII). Ubi baculus, ibi oculus. Servus enim est, qui timet flagellum. Oculus filii ad faciem. Oculus servi ad manum. *Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

CAP. LXXXI. *Bonum, et jucundum simul quod sit.*

Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII). In hoc mundo quædam

bona sunt, sed jucunda non sunt; et iterum quædam A jucunda sunt, sed bona non sunt. *Bonum, et jucundum est habitare fratres in unum*, hoc est charitas. In uno animo, non in uno loco. Num loco unum esse, et animo non esse, pœna est. Animo non loco bonitas; loco, et animo felicitas. Prima unitas est, ut membra capiti cohæreant; secunda, ut ob se invicem non recedant. Ex prima vivunt; ex secunda unum sunt.

Cap. LXXXII. *Quare Dominus judicium suum in finem servavit.*

Dominus judicabit fines terræ. Dominus judicium suum in finem servavit, ut compleatur justitia (*I Reg.* II). Non est in judicio hominis justitia consummato, et idcirco judicium hominis præcedit, ut probetur homo, deinde subsequitur judicium Dei, ut remuneretur. Si totum judicaret homo, non haberet judicium Deus.

LIBER TERTIUS.

ADNOTATIONES IN SCRIPTURAM, SERMONES, SERMONUM FRAGMENTA, ETC.

Tit. I. *De consequentibus sacramentum baptismatis.*

In transitu Jordanis (notanda sunt quæ dicuntur) *festinavit populus et transivit Jordanem* (*Josue* IV), quia nobis ad baptisma venientibus non est segniter agendum, sed festinandum, et perurgendum, ut transeamus universa. Transire enim est omnia adimplere quæ mandantur. Primo quod scriptum est, ut simus *beati pauperes spiritu* (*Matth.* V), inde ut esuriamus et sitiamus justitiam (*ibid.*), sed neque tunc standum, sed transeundum, ut in hoc mundo lugeamus, etc. quæ sequuntur: Assequamur, quousque filii Dei etiam persecutionis pondera transeamus. Notandum autem quod dicitur. *Accincti* transierunt (*Josue* III). Ne forte negligentius incedentes aliquo lapsu effundantur gressus nostri. Sollicitudo enim non minor in servandis quam in congregandis debet esse C virtutibus. Hoc autem cingulum fit veritas: quia si falsum loquimur discingimur a militia Christi et baltheo veritatis exsolvimur. Nota propterea quod addidit Scriptura *Accincti in spiritu Domini*, quia non sufficit apud homines servare veritatem nisi et apud Deum servaveris, ut sit in lingua sitque in corde ubi Deus aspicit. Hoc cingulo expugnatur Jericho post transitum Jordanis. Ad pugnas enim transimus: quas non in alio campo quam cordis nostri quærimus, *de quo*, juxta Evangelium, *procedunt cogitationes malæ, homicidia, furta*, et cætera peccata (*Matth.* XV). Vides quantus exercitus contra te exit? Exeamus ergo ad hoc bellum, ut oppugnetur a nobis prima hujus mundi civitas malitiæ, et superba ejus mœnia destruantur etiam usque ad interuecionem, ut non sit quod in nostris cogitationibus redivivum erumpat vel respiret. Tuncque per Jesum dabitur illa requies vincenti sub vite et sub ficu ejus ut non sit qui exterreat. Et post hæc fit cultro lapideo secunda circumcisio, ut quis recedens a lege et prophetis veniat, et in Evangelio secundam circumcisionem per petram Christum accipiat, et compleatur quod dictum est a Deo; *Hodie abstuli opprobrium Ægypti a filiis Israel* (*Josue* V). Opprobria Ægypti sunt vitia et peccata illecebrarum carnis et animæ. Ubi autem datur secundo circumcisio, B relictis non solum corporalibus, sed et spiritualibus vitiis, submota sunt opprobria Ægypti, ut jam non sit Ægyptius nec Judæus, sed Christianus et membrum Christi. Si ergo concupiscentiæ pulsat illecebra, occurre huic hosti de tua carne nascenti, et dic: Non sum meus. Emptus sum pretio sanguinis Christi et membrum Christi factus. Non licet mihi tollere ejus et facere membrum meretricis (*I Cor.* VI). Atque dicas cum sancto Idumeo: *Pepigi cum oculis meis, ut nec etiam cogitarem de virgine* (*Job.* XXXI). Hoc enim est unum de opprobriis Ægypti, ut ita purificati corde et corpore, caventes maculam etiam illius corporis quod est Ecclesia (quia per unum membrum contaminatum per totum corpus diffunditur macula) puris manibus, labiis et mentibus, glorificemus Deum. Cui est honor et gloria in sæculorum sæcula.

Tit. II. *De totius mali circumcisione, et de triplici cibo Israelitis dato.*

Circumcisi filii Israel secundo requieverunt in eodem loco quousque sanarentur (*Josue* V). Non enim sufficit circumcidi a malo operum et cogitationum abstinendo, nisi prius usquequaque vitiis purgati virtutumque opera sumentes etiam cicatricum indicia obducendo sanemur. Postque hæc jam dicatur quod ablatum est opprobrium Ægypti, et decima quarta die celebretur Pascha, quod immundus et incircumcisus non potest, et comedant fructum palmarum. In quo notentur tres species ciborum filiis Israel datæ. Prima exeuntibus de Ægypto, farina conspersa aqua. Secunda in deserto, manna D de cœlo. Tertia in terra sancta fructus palmæ. Prima et incipientium per pœnitentiam. Secunda proficientium per Eucharistiam. Tertia est perfectorum et beatorum et per gratiam quibus Christus filius Mariæ in præmium et fructus victoriæ, id est æterna beatitudo in hostium exhibetur triumphum.

Tit. III. *De tubis sacræ Scripturæ, et quod ejus attenta lectio mundi pariat contemptum.*

Jericho quæ tubis obruitur sacerdotum (*Josue*, VI), mundus est. Jesus ergo Nave veniens, id est Christus, in carne apparens, mittit apostolos portantes tubas ductiles, prædicationis scilicet magnificam

cœlestemque doctrinam, quorum primi sunt Matthæus et Marcus, Lucas et Joannes; qui singuli singulis tubis cecinerunt. Petrus duarum Epistolarum tubis, Jacobus et Judas unius, Joannes trium, et novissimus ille qui dixit: *Puto quod nos Deus apostolos novissimos ostendit* (*I Cor.* IV), et qui in quatuordecim Epistolarum tubis muros Jerichontinus fulminavit, idololatriæ machinas et vitiorum muros diruens, ita ut tuba populus universus (secundum aliam translationem) ularet jubilo magno in destructionem civitatis, cum jam universus mundus prædicationi assentiat, idololatriam relinquendo, *Beatus enim populus qui scit jubilationem* (*Psal.* LXXXVIII). Quæ est quidam concordiæ et unitatis affectus; qui cum incidit in duos vel tres, quæcunque petierint præstat illis Pater cœlestis. Si vero tanta fuerit beatitudo, ut etiam populus concors maneat in eodem sensu et sententia, jubilet populus, et prorsus ruet civitas mundi. Sed et unusquisque debet hoc in seipso complere. Habes in te per fidem Jesum ducem, sacerdos est, nam gens regale sacerdotium sanctum. Fac tibi ductiles tubas de Scripturis (inde enim ductiles vocantur) et cane in ipsis, id est in psalmis hymnis, et canticis spiritualibus; et si sic cecineris tubis, et septies arcam circumtuleris, id est si legis mystica præcepta ab evangelicis non separaveris; si etiam jubilationis consensum exigas de temetipso, id est si cogitationum et sensuum tuorum populus qui intra te est concordem in bono proferat vocem; Jericho tibi destruitur, mundus destruitur, ut nihil de iis quæ mundi sunt retineantur. Anathema enim esse perhibetur cum dicitur: *Custodite vos ab anathemate ne faciatis castra filiorum Israel anathema*. Quod Joannes Epistolæ suæ tuba personat dicens: *Nolite diligere mundum nec ea quæ in mundo sunt* (*I Joan.* II). Qui enim ea quæ mundi sunt in Ecclesiam portant, polluunt castra Dei, et vinci faciunt ab inimicis, dicente Apostolo: *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (*I Cor.* V). Videamus quale sit furtum anathematis (*Josue*, VII). Lingua [*vulg.* regula] aurea poetarum est lectio, quæ modulatis versibus et præfulgido sermone deos deasque contexit. Lingua aurea quam posuit in tabernaculo suo et [ducentos siclos argenti] puta [pura] dextralia, hujus eloquentiæ suavitatem, ne introducas in tabernaculum cordis tui. Lingua enim aurea ne efficiaris sicut Basilides et Valentinus, sed neque puta dextralia, id est sola opera quibus nihil miscetur divinum, sed totum secundum hominem geritur. Item propter peccatum anathematis, ii qui habitabant Hai plurimos ex Israel interemerunt. Sed adversus hunc veniens Jesus Nave dividit populum in duas partes; sic quod primis fugientibus et post in hostes medios resilientibus eos hinc inde occidit, et regem Hai gemino ligno suspendit. Hai interpretatur *chaos*, quod est habitaculum dæmonum; quorum rex Zabulus, a quibus (quoniam peccavimus) victi et prostrati sumus; sed veniens noster Jesus populum duas in partes dividit. Duæ partes Judaicus et gentilis populus, de quibus Apostolus: *Gratia et pax omni operanti bonum; Judæo primum et Græco* (*Rom.* II). Judæus quasi anterior videtur fugere, cum a legali onere et Sabbati recedit observantia. Verum in hostes revertitur cum per observantiam Evangelii in sequentes insurgit. Populoque posteriori, id est gentili quasi a tergo persequente malignorum exercitus conteritur, et rex eorum Zabulus gemino ligno suspenditur a Jesu, cum in ligno crucis, quæ gemina fuit, juxta Apostolum, de diabolo triumphavit, illum cruci affigens. Crux siquidem Christi ligno gemina fuit; et ratione constat duplici. Quia visibiliter Filius Dei crucifixus est, invisibiliter in ea Zabulus affixus. Prima, qua, juxta Petri vocem *Christus crucifixus est, nobis relinquens exemplum* (*I Petr.* II); secunda qua crux illa de diabolo trophæum fuit. Hanc duplicem crucis rationem Apostolus ostendit dicens: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI). Duo sibi contraria dicit crucifixa, se justum, et mundum peccatorem. Mundo autem crucifigimur, cum nihil in nobis invenit; mundus nobis, cum peccata non recipimus.

TIT. IV. *De altari ex lapidibus constructo et Deuteronomio in eis scripto.*

Post eversionem Hai, ædificat Jesus altare, juxta illud quod fecit Moyses ex lapidibus (*Josue*, VIII), scilicet integris, quibus non est injectum ferrum, quia post subversionem dæmonum et vitiorum efficitur ex multis integris, quia sine vitiorum corruptione sunt, quibus non est injectum ferrum: id est, qui jacula maligni ignita concupiscentiæ non receperunt, unum altare, propter unanimitatem, unum altare quia in eo quasi in quodam altari offertur holocaustum, quantum ad eos qui se totos mancipant divinis obsequiis, et sacrificium, quantum ad eos qui licet adhuc in sæculo utantur licitis, tamen abstinent ab illicitis. Scripsitque super lapides altaris Deuteronomium, id est secundam legem. Si vis videre quomodo prima lege infirmata secundum scribat Jesus, audi ipsum dicentem: *Dictum est antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui irascitur fratri suo, homicida est. Dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quod omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam jam mœchatus est in corde suo. Dictum est antiquis: Non perjurabis. Ego autem dico, nolite omnino jurare* (*Matth.* V). Vides quomodo Jesus scribat secundam legem in lapidibus, non in lapideis, sed cordis tabulis; non atramento, sed spiritu Dei vivi.

TIT. V. *De Chananæi triplici statu.*

Quis ascendet ante nos contra Chananæum, etc. (*Judic.* I.) Tripartita invenitur Chananæi narratio. Primo in Ephrem sub tributo, donec veniens Pharao incederet civitatem et Chananæum occideret, et in dotem daret filiæ. Secundo, ubi invaluerunt filii Israel, fecerunt Chananæos subditos et servos, sed exterminatione non exterminaverunt. Tertio dicitur

filiis Ephrem, inter quos prius erant tantum sob tributo, ut exterminarent eos. Chananæus igitur, qui *mobilis* et *incertus* interpretatur, caro nostra est, semper nobiscum quantumcunque fructificans. Ephrem enim *fructificatio* interpretatur. Hæc igitur movetur contra bonos fructificare incipientes, quia omnis qui pie vult vivere persecutiones et a carne et a mundo et a diabolo patitur (*II Tim.* III), quia caro primo est sub tributo tantum, quia ministerium quoddam agendi animæ tribuit, et nisi eam subjiciat, verendum ne Pharao et civitatem, id est animam, et Chananæum, id est carnem, occidat, et filiæ suæ, id est legi peccati in dotem præscribat. Secundo itaque invalescentes filii Israel illum servum et obedientem faciunt, cum caro voluntati animæ servit et obedit. Licet repugnet, quandiu pugnat adversus spiritum, exterminatione non exterminatur. Si autem tertio ex præcepto Jesu, juxta Apostolum, mortificamus membra nostra, fornicationem, immunditiam et cætera, ut jam non resurgant contra nos, mortem Christi in corpore nostro circumferentes, exterminari prorsus dicitur Chananæus. Procuremus itaque Chananæum qui nobiscum est subjicere nobis, et obedientem facere, et etiam exterminare, quia, si negligimus, veniet Pharao ex Ægypto, nostrumque locum dabit filiæ, legi scilicet peccati. Absit ab Israelitica tribu, ut quam Deus eduxit ab Ægypto iterum serviat Pharaoni, quem submersit in mari Rubro! Prævaleamus contra Chananæum, ne si ipse invaluerit, de Israelitis nos faciat Chananæos, sicut ille effectus est cui superato carnis illecebra dicitur : *Semen Chanaam, et non Juda species decepit te* (*Dan.* XIII). Sequitur : *Maledictusque Chanaam puer.*

TIT. VI. *Judicem Ecclesiæ non semper gladio, id est austeritate, sed interdum parte aratri, id est lenitate, in subditos uti docere.*

Aod, ambidexter, nihil habens sinistrum, gladio femore dextro accinctus, principem Moab occidit. Sangar vero, filius Anath et succedens, vomere ceu stiva, id est, pede aratri interfecit allophylos (*Judic.* III). Docet per hæc Scriptura, ut judex Ecclesiæ non semper proferat gladium, et acumine correctionis utatur et austeritate : sed aliquando aratro animæ terram sulcans, et clementi commonitione rescindens aptis eam suscipiendis seminibus parat. Sæpe enim non minus agresti et simplici admonitione de animis auditorum vitia tanquam Allophyli depelluntur, quam acri correctione. Sed et tu ipse auditor utere hoc aratro, factus agricola tuæ animæ, et cave ad illud miseris manum, ne aspicias retro.

TIT. VII. *De Madianitarum expugnatione et de vellere Gedeonis et rore ejus*, etc.

Madianitæ ad expugnandum Israel castra ponunt in valle Jezrael (*Judic.* VI). In valle quoniam ad eos qui sunt in montibus non audent accedere Madianitæ qui interpretantur *extra judicium*, id est, dæmones qui jam judicati sunt. In vallem autem Jezrael quæ interpretatur *semen Dei*. Non enim sunt ausi ire ubi sunt fructus, sed tantum semen, quo fructus nondum ascendit. Contra eos Gedeon pugnaturus post signum velleris compluti et deinde areæ Deum consuluit. Ros primum in vellere, divinum est verbum in Judæa, in lege scilicet et prophetis; post in area, id est gentilitate, in apostolis videlicet et Evangelio. Unde *descendit sicut pluvia in vellus* Judæorum, *et sicut stillicidia super terram gentilium* (*Psal.* LXXI). Gedeon vellus expressit in concham et replevit eam rore. Hic est Salvator qui de vellere legis et prophetarum aquam verbi ponit in pelvim, quasi rorem cœlestis gratiæ, ut lavet pedes discipulorum, unde dicit : *Vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis* (*Joan.* XV). Sed et nos si præbeamus Domino pedes nostros, id est pedes animæ nostræ, paratus est ipsos lavare gratia Spiritus sancti, verbo doctrinæ, et dicere : *Lavi pedes vestros, ut et vos ita faciatis* (*Joan.* XIII). Accipiamus vero aquam de fontibus Israel, et exprimentes eam de vellere librorum Regum, Judicum, et cæterorum : mittamus eam in pelvim prius animæ nostræ concipiendo sensum in corde; deinde acceptis pedibus fratrum nostrorum, in quantum valemus, lavemos pedes animarum eorum, Domini completea mandatum ut in verbo doctrinæ purgentur auditores a sordibus peccatorum; et mundos habeant pedes, quibus recte ingrediantur ad præparationem Evangelii pacis, quo omnes Deus simul in Christo purificat per verbum Dei. Non abjiciamur de thalamo sponsi pro sordidis indumentis; sed candidis vestibus, lotis pedibus et mundo corde recumbamus in convivio sponsi nostri Jesu Christi. Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

TIT. VIII. *De trecentis qui bibentes aquam fluvialem non curvaverunt genua.*

Post acceptum signum, in quibus vicerit Gedeon noster videamus. In illis enim vicit qui ducti ad aquam probantur, qui non curvant genua ut bibant, sed lambunt manu vel lingua (*Judic.* VII). Nam qui venientes ad aquam baptismi vel pœnitentiæ procidunt in terram, terram requirendo, flectunt genua et tentationibus cedunt, demissas habentes affectiones et soluta genua et non rectum facientes gressum in semitis suis, ab hac pugna repelluntur et victoria. Qui vero stant et iterum, juxta commonitionem Apostoli, non hærent jugo servitutis, sed aquam manu et lingua lambunt, id est sicut milites Christi, verbo operantur et manu, quod dicunt opere adimplentes. Ex hoc sicut canis, qui amorem domini sui usque ad mortem servat, nullis refectus injuriis. Lateruis et lampadibus ac buccinis hostes vincunt. Claris siquidem operibus et verbis id peragendum. Et similitudo hostium sumitur a similitudine locustarum. Locustis enim dæmonum comparatur multitudo, quibus nec in cœlo nec in terra sedes est.

Tit. IX. *De septemplici lepra superbiæ humanæ.*

Eliseus Naaman leprosum septies in Jordane mergi præcepit (*IV Reg.* v). Septempliciter enim occupat nos lepra superbiæ : in proprietate possessionum, in gloria vestium, in voluptate corporum, in ore dupliciter, in corde dupliciter. A prima igitur qua divites esse volumus in hoc sæculo mundatur in primo descensu Jordanis, qui descensus interpretatur. In descensione enim Christi, id est in humilitate conversationis ejus, qua cum esset dives factus est pauper, si quis mersus viderit quod ille non habuit ubi caput reclinaret, quando quæreret divitias sæculi hujus. A secunda lepra quæ est vestium, in qua omnem pomposam sæculi vanitatem intelligimus, in Jordanis emersionem mundamur, ubi invenimus Christum vilibus pannis involutum, factum opprobrium hominum et abjectionem plebis. A tertia quæ est corporis lepra, mundamur in ipso Jordane, si bene cogitantes Dominicam passionem, erubescimus sequi corporis voluptatem. A duplici lepra oris, quæ est quarta et quinta, quæ in adversis murmuris verbum tanquam lepræ saniem educimus, et in prosperis jactantiæ malum, tanquam alterius lepræ putredinem contrahimus, in Jordane mersi mundamur, cum illum attendimus qui cum *tanquam ovis ad occisionem duceretur non aperuit os suum* (*Isa.* LIII). Et imitamur cum qui non quærebat gloriam suam (*Joan.* VIII). Unde et dæmonibus imperabat ne ipsum Filium Dei vocarent (*Matth.* VIII). In corde quoque duplex est lepra, propria scilicet voluntas quæ nec Dei voluntatem nec proximi sequitur utilitatem. Eaque tripliciter peccat, volens scilicet Deum vel non posse, vel nolle, vel nescire peccata sua punire, et ita vult Deum non esse, cum eum vult aut impotentem esse, aut injustum, aut insipientem. Ab hac immundissima lepra levamur loti in Jordane, cum eum imitamur qui non venit facere voluntatem propriam, sed ejus qui eum miserat Patris, nec suum proprium consilium, quo obstinatus aliorum non acquiescit consilio, unitatem dividit, pacem scindit charitatis expers est. Hac lepra suffusus homo lavetur in Jordane, attendens quomodo magni consilii Angelus consilium, quo in medio doctorum eos audire et interrogare elegerat, consilio matris et patris cæterorumque parentum subditus illis postposuit (*Luc.* II).

Tit. X. *De septemplici humilitate Christi.*

In Jordane, id est in descensu humilitatis Christi qui septemplicis virtutis est, septies si lavaberis, mundaberis. Prima virtus fuit quod dives pauper factus est; secunda, quod paupertati extremitatem adjecit in præsepio positus; tertia, quod matri erat subditus; quarta quod servi manibus hodie inclinavit caput; quinta quod discipulum furem et proditorem pertulit; sexta, quod tam mansuetus ante iniquum judicem stetit; septima quod pro persequentibus se oravit. In hoc Jordane septies lavaris quasi quibusdam vestigiis, licet longe gigantem secutus; si paupertatem diligis, si inter pauperes extremitatem diligis, si monasterii subditus es disciplinis, si minorem ibi præesse tuleris, si falsos fratres æquanimiter pateris, si mansuetudine vincas eum judicaris, si charitatem rependas a quibus juste pateris. Hoc est secundum baptismum in quo impletur veritate quod in unico fit specie, quod mortem Christi iterat, sed mortificationem et sepulturam criminum instaurat. Qui in hoc lavatur, mundatur, ut sit cor et caro ejus sicut pueri habens intus innocentiam mentis, et foris puritatem in membris.

Tit. XI. *De ægrotatione Ezechiæ regis et ejus curatione morali.*

Ægrotavit *Ezechias usque ad mortem*, etc. (*Isai.* XXXVIII). Ægrotat Ezechias, dum quilibet peccat. Ad eum intrat propheta et dicit : *Morieris tu et non vives, dispone domui tuæ* (*Ezech.* XVIII), cum sermo intrans ad mentem peccantis ait : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ibid.*). *Omnis arbor quæ non fecerit fructum bonum excidetur*, etc. (*Matth.* III). Et ideo *dispone domui tuæ*, id est ordina conscientiam tuam. His compunctus ad parietem faciem vertit, quando murum peccatorum, qui struitur, cum peccata peccato adduntur, quique inter peccatorem et Deum separat, præ oculis ponit; quem prius quasi a tergo, cum eum non curaret, habuerat; et illum diruendum tentat, quod fletibus quasi tot ictibus pulsat. Sicut negligenti mortem intentaverat, ita idem propheta vitam promittit cum ait : *Quicunque peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor* (*Ezech.* XXXIII). Et : *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII). Non qualemcunque vitam, sed quindecim annorum. Quindenarius in se continet septenarium, qui propter Spiritum septiformem sacratus est numerus, et octonarium qui post resurrectionem futuram figurat quietem. Hanc vitam promittit propheta, dum interim perfectam justitiam per septiformem Spiritum in futuro plenariam corporis et animæ reparationem conversis Scriptura proponit. Tunc quia in signum per decem lineas sol revertitur, qui per observationem decem mandatorum Deus recuperatur, cujus umbram quasi tot lineis acceperat quot peccatorum tenebris mandata violaverat. Ad nos ergo cum ægrotamus intret propheta, verbisque ipsius compuncti convertamus faciem mentis ad parietem peccatorum nostrorum, ac illum juxta prophetam qui ait : *Fode parietem et vide abominationem* (*Ezech.* VIII), lacrymis perforemus dicentes : *Lavabo per singulas noctes lectum meum* (*Psal.* VI). Quasi dicat : Destruam per singulos lapides parietem meum. Hoc autem per humilitatem quam Deus in pœnitentia maxime requirit debet fieri. Disputat enim Salomon a cedro quæ est in Libano usque ad hyssopum qui nascitur in pariete (*III Reg.* IV). Cedrus, qui imputribilis est et cæteris fere arboribus procerior, justus est qui nec hic per vitia, nec in futuro computrescit per tormenta, et qui ad cœlum ex-

tensus dicere potest: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III). Hyssopus herba humilis quæ purgat et tumorem deponit, humilitatem significat; quæ vitia purgat, superbiam abjicit. Salomon igitur noster a cedro usque ad hyssopum qui nascitur in pariete disputat, quia sermo Dei ab innocentia justitiaque, ad pœnitentis usque pertingit humilitatem; quæ nascitur in peccatorum constipatione. Pœnitenti autem qui non nisi Deo confortante convalescit, regis numen est Ezechiæ, qui interpretatur *confortavit Dominus.*

Tit. XII. *De missione ad Sehon, id est diabolum, et qui sint filii ejus, et quæ sit via regia per quam nobis transeundum est.*

Misit populus ad Sehon regem Amorrhæorum dicens: Obsecro ut transire mihi liceat per terram tuam, etc. (*Num.* XX). Sehon interpretatur *tentatio*, et ideo diabolum significat, qui quotidie nos tentat. Rex autem dicitur, quia ipse *rex est super omnes filios superbiæ* (*Job* XLI). Quid enim prodest dicere quod Christus est princeps noster, si rebus et operibus arguamur quod diabolus principatum habet in nobis? An non palam est sub quo principe agat avarus, impudicus etc. In quo Christus principatum gerit, vitia non habent locum. Nos itaque sumus qui ad istum regem mittimus, ut per terram ejus transeamus ad terram sanctam. Recordetur unusquisque nostrum cum primum venit ad aquas baptismi, et postea ad professionem ecclesiasticam quomodo hæc omnia fecerimus, et denuntiaverimus, diabolo nos moram non facturos in terra ejus, nec declinaturos in vineam vel agrum ipsius, id est neque ad sensus diabolicos neque ad opera ejus, non aquam bibere de lacu ipsius, id est diabolicum sapere, sed de fontibus Israel. Et transituros via regia, id est omnibus pompis ejus, abrenuntiando per illam viam regiam incessuros quæ ait: *Ego sum via et veritas et vita* (Joan. XIV). Unde hoc magis incitat regem, quod diximus nos cum eo nolle morari. Unde sequitur. *Qui statim contra Israel congregat exercitum suum*, id est omnium vitiorum spiritus. Sed quid fecit Israel: *Venit in Lasa* (*Saar*). Lasa interpretatur *mandati adimpletio*. Si venimus nos ad istum locum ut impleamus mandata, etiam si cum omni exercitu veniat contra nos Sehon, si omnes suos et dæmones et homines adversum nos exercitet, superamus eum, et omnes virtutes ipsius calcamus, juxta illud: *Ecce dedit vobis potestatem calcandi super scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit* (*Luc.* X).

Tit. XIII. *De quadruplici lucta et supplantatione Jacob.*

Jacob *erexit lapidem in titulum* (*Gen.* XXVIII). Quater luctatus est Jacob: Cum fratre adhuc in utero, in adolescentia cum eodem in domo, in Mesopotamia cum Laban socero suo, et ad ultimum cum angelo in Bethel. Primo supplantationis exercitio, secundo supplantationis consilio, tertio, contentionis jurgio, quarto nocturnæ visionis somno. Jacob igitur quater luctatus quaterque in lucta vincens hominem virtutibus fortem significat, qui quatuor genera tentationum exsuperat. Hæc sunt vires leonum in tribulationibus: venena draconum in hæresibus, leporina suavitas in carnis motibus, vulpina dolositas in falsis fratribus. *Lapis erectus*, Christus est *de monte sine manibus excisus*, in montem exsurescens magnum (*Dan.* II), mirabilis factus medius lapis inter utrumque parietem. Unde inscritur titulus *Em, mo, nu, el* in quatuor angulis: quod interpretatur *nobiscum Deus*. Quia quatuor modis nobiscum est Deus, per præsentiam majestatis, per participationem humanitatis, per vinculum charitatis, per patrocinium veritatis. In primo cognoscit mala nostra, in secundo expertus est ea, in tertio compatitur confratribus, in quarto aufert ea: et est Emmanuel, nobiscum Deus. Et ut scires quis Deus dixerit in secunda quadratura per quatuor dictiones in quatuor angulis disposuit, *Deus admirabilis, consiliarius, fortis*, quia quatuor sunt quibus operatur Deus in nobis: Justitia in gloriosa bonorum retributione, in eo quod Deus dicitur; potentia in æterna malorum damnatione, in eo quod admirabilis; sapientia in integra rerum cognitione, in eo quod dicitur consiliarius; patientia in necessaria malorum persecutione, in eo quod dicitur fortis De primo dicitur: *Justus Dominus et justitias dilexit* (*Psal.* X), bonos remunerando; de secundo: *Magnus Dominus et magna virtus ejus* (*Psal.* CXLVI), malos puniendo; de tertio: *Cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur*, omni revelata cogitatione; de quarto: *Sicut ovis ad occisionem ductus est* (*Isa.* LIII), in objecta contradictione. Sed l et in secunda diffinitionem posueri, quia sine nomine rerum cognitio perit, in tertio latere titulum inscripsit: *Ion, he, vau, het*, quod est tetragrammaton, quia quatuor sunt quadrantes Verbi, id est prædicationis Domini Salvatoris nostri. Primus, quia corde debemus credere; secundus, quia quod credimus confiteri debemus ore; tertius, quia quod confitemur, implere debemus opere; quartus, quia quod impleverimus, non cessemus educere. Est igitur primus in corde per conceptionem, secundus in ore, per confessionem, tertius in opere, per exhibitionem, quartus in doctrina per prædicationem. Primus justificat, *quia corde creditur ad justitiam* (*Rom.* X); secundus salutem præstat, *quia ore confessio fit ad salutem* (*ibid.*); tertius æternitatem donat, quia bonum opus cœlum reserat; quartus gloriose coronat, quia doctrina meritum accumulat. Quarto titulus inscribitur per quatuor nomina: Deus, spiritus, caro, mundus, qui hi quatuor vicissitudine quadam in se mutuo debitores inveniuntur. Deus debet spiritui, ut eum et cognitione veritatis illuminet, et amore virtutis inflammet. Spiritus debet Deo in iis omnibus quæ agenda sunt ab ipso erudiri, et secundum ipsum quæ potest operari. Spiritus vero debet carni ut eam a malis cohibeat, et in bonis agendis exerceat. Caro debet spiritui in bono agendo ministerium, et in

commodo agendo, appetendo modum. Caro quoque debet mondo quod necessitatis est ab eo sumere, quod virtutis est exercere. Mundus debet carni in necessitate subsidium, in exercitatione incitamentum.

Tit. XIV. *De altari æneo et oblatis super ipsum.*

Sub altari æneo est fovea habens ignem perpetuum: ante quod immolantur carnes animalium (*Levit.* xvi). Altare, obedientia; æneum, quia ea adeo est fortis, ut neque mors, nec vita ab ea separet; sub quo est fovea humilitatis habens ignem charitatis, ante quod immolantur taurus, aries, hædus: taurus superbiens, aries lasciviens, hædus fetens. In tauro superbia, in ariete ira, in hædo luxuria. Ante hoc altare taurum immolamus, cum per humilitatem superbiam domamus: quod necessario fit in anima antequam perfecta insit obedientia; arietem et hædum, cum per patientiam iram refrenamus, et per castitatem luxuriam restringimus. Et hæc fiunt in anima, antequam perfecta insit obedientia.

Tit. XV. *Quod sacerdotum Domini pars sit Dominus; sacerdotum Pharaonis, terrena possessio.*

Sacerdotibus Pharaonis terra relinquitur a Joseph, Dominus autem suis non concedit, sed aufert, dicens: *Ego sum pars vestra* (*Gen.* xlvii). Observate vos, Domini sacerdotes, et videte, quia qui habent potestatem in terra, et terrenis actibus et cultibus student, non Domini, sed Pharaonis sacerdotes videntur. Festinate transire a sacerdotibus Pharaonis ad sacerdotes Domini, quibus non terra Domini, sed ipse Dominus portio est. Conveniat conscientiam suam, et interna ratione se discutiat, an Deo, an Pharaoni deserviat: Cui servire est dæmonibus subditum esse, et vitiis et desideriis carnalibus.

Tit. XVI. *De veste non mutanda, et moribus non simulandis per hypocrisim.*

Non induetur vir veste feminea, nec femina virili, quia utrumque abominabile est apud Deum (*Num.* xviii; *Deut.* xxii), in quo non vestis mutatio, sed virtutis simulatio hominem facit abominabilem. Hypocrita enim se justum fingens, cum fit viribus et voluptatibus femina, veste induitur virili; foris ovis intus lupus, vir quoque sanctus, si eam mollitiam quæ intus non est foris ostendit, femineo utitur indumento.

Tit. XVII. *Testimonia trium sanctorum in confirmationem fidei Christianæ.*

Testimonia *tua credibilia facta sunt nimis* (*Psal.* xcii), scilicet in martyribus. Tria sunt in quibus sancti plurimum contulerunt Christianæ religioni, documentum, testimonium, exemplum: documentum prædicationis, testimonium confessionis, exemplum passionis. Quia tria maxime exiguntur, fides, spes, charitas documentum prædicationis plurimum contulit ad fidem ædificandam; testimonium confessionis, ad spem erigendam; exemplum passionis, ad charitatem excitandam

Tit. XVIII. *De duplici circumcisione necessaria iis qui canticum novum Domino cantare volunt.*

Immisit in *os meum canticum novum* (*Psal.* xxxix). Et alibi: *Cantate Domino canticum novum* (*Psal.* xcvii). Ut innovari et canticum novum cantare valeamus necesse est ut duplici circumcisione muniamur, sicut de populo antiquo legitur quod bis fuerit circumcisus. Circumcidamur duplici circumcisione carnis et mentis, sicut dicit Apostolus: *Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (*Rom.* xii). Circumcisio carnis in tribus consistit, habitu, actione et sermone. Et quia ista tria in exterioribus perpenduntur, ad carnis circumcisionem pertinere dicuntur. Caveamus in habitu esse notabiles, in actione reprehensibiles, in sermone contemptibiles. Quod erit, si unumquodque istorum triplici qualitate formabitur: Actio puritate, pietate pudicitia. Debet actio esse pura ut humilitiam exhibeat; pia, ut misericordiam redoleat; pudica, ut nec Deum nec proximum lædat. Sermo autem debet ornari veritate, utilitate, humilitate. Veritate sine fuco simulationis, et admistione falsitatis; utilitate, ut auditores ædificet; humilitate, ut venustate rhetorici ornatus non turgescat. Si in hunc modum ornati fuerimus, nec in habitu, nec in sermone, nec in actione notabiles erimus. Ecce quomodo circumcisio carnis debeat fieri, et in quibus partibus subsistat. Circumcisio autem mentis in tribus consistit: Cogitatione, affectione, intentione. Cogitatio in memoria tanquam in arca versatur; memoria enim arca est qua servare debemus quæ prompta habere volumus. Ejus autem ministra est cogitatio, quæ inducit quæcunque in eam inducuntur, et educit quæcunque educuntur. Si quid autem inducatur inhonestum, surgat recordatio nostræ professionis, et revocemus ad memoriam quod clerici sumus, id est promissores castitatis, cultores justitiæ in numerum levitarum assumpti, ut Deo grata offeramus sacrificia. Si hæc sacrificia obtulerimus, quidquid inordinatum cogitatio induxerit, repelletur. Item si affectio velit aliquid turpe immittere contra honestatem, occurrat memoria cœlestis patriæ, ubi vita sine morte, lux sine nube, dies sine nocte, pax sine fine; ubi laudabilis numerus angelorum, chorus apostolorum, exercitus martyrum, cœtus confessorum et virginum. Item si intentio aliquid contra rationem molitur inducere ut Deus excludatur, diabolus inducatur, occurrat nobis timor gehennalis supplicii, reducatur ad memoriam timor ille ignis inexstinguibilis, ubi fames continua, sitis nunquam repellenda, frigoris et æstus intolerabilis cruciatus, et innumera vermium miseria, tenebrarum horror, dentium stridor, et sempiternus horror inhabitans. Prima ergo cogitanda, media complectenda, ultima sunt fugienda, ut sit cogitatio munda, affectio sancta, intentio pura. Ita circumcidi debemus carne et mente; et si ita circumcisi fuerimus et innovati, putorimus exsultare et cantare canticum novum quod nemo novit, nisi qui cantat.

Tit. XIX. *De Ziphæis David Sauli prodere conantibus, sicut electos morti conatur diabolus.*

Inter Ziphæos latitat David, a quibus proditur Sauli; sed Saul in manus David fugientis in spelun-

cam traditur (*I Reg.* XXIII; XXIV). Ziphæi, qui *florentes* interpretantur, illos qui hodie florent et cras in clibanum mittentur significant. Inter illos latet David; sancti mundo mortui, quorum vita abscondita est in gloria. Saul est mors per quam diabolus significatur, cui a Ziphæis produntur sancti, dum eos laborant trahere in regnum mortis, qui potius illum in speluncam, id est corpora sanctorum, turpitudinis suæ vult suggestiones immittere, traditur in manus sanctorum, dum ab eis sua tentatione superatur.

Tit. XX. *De obsidione et expugnatione quadruplici Jerusalem moraliter.*

Posuerunt signa sua, signa, etc. (*Psal.* LXXIII). *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III). Hinc Jerusalem civitas plana populo, domina gentium, princeps provinciarum, sedet sola vidua sub tributo. Primo ab Assyriis, secundo a Chaldæis, tertio ab Autiocho, quarto expugnata a Romanis. Jerusalem quadrifariam habet significationem. Prima, civitas ista terrena; secunda, Ecclesia Catholica. Tertia, fidelis anima; quarta, quæ sursum est mater nostra. Terrenam impugnant præfati homines. Secundam idololatræ et falsi Christiani. Tertiam vitia, peccata, dæmones. Hujus vitiis expositæ, peccatis conculcatæ, dæmonibus oppressæ, obsidionem propheta deplorat dicens: *Posuerunt signa* specialiter Assyrius, Chaldæus, Antiochus, Romanus. Assyrius interpretatur *dirigens*, in quo superbia notatur. Hic ponit duo signa arrogantiam et præsumptionem. Chaldeus ferox, in quo inobedientia; et hic duo, jactantiam et impatientiam. Antiochus contrarius pudicitiæ in quo fornicatio signatur; et hic duo, crapulam et ebrietatem. Romanos elationis sapor, qui est avaritia, hic est tanquam singularis ferus, qui ut omnia depascat, quinque signa ponit; rapinam, simoniam, ambitionem, libertatem culpæ, desperationem veniæ. Hi igitur spiritus vitiorum, principes tenebrarum circumdant Jerusalem, id est animam, ponunt vexilla prædicta, portas custodiunt.

Tit. XXI. *De perfecta civitate et ei necessariis.*

Exciderunt januas ejus in sceuri; *et ascia dejecerunt eam* (*Psal.* LXXIII). Supra de obsidione; hic agitur de ipsius civitatis subversione: Quatuor sunt ad perfectæ civitatis situm pertinentia. Prima sunt ad sanitatem, secunda ad firmitatem, tertia ad decorem, quarta ad necessitatem. Sic etiam ad situm animæ ad sanitatem sunt mandata vitæ; ad firmitatem, exercitia disciplinæ; ad decorem, charismata gratiæ, ad necessitatem, consilia gloriæ. Hujus civitatis prima janua seu porta est pœnitentia, ejus janitor compunctio. In hac porta servantur mandata. Secunda porta obedientia, janitor carnis mortificatio; hic inveniuntur exercitia disciplinæ. Tertia janua constantia, janitor devotio; ibi sunt charismata gratiæ. Quarta puritatis eminentia, janitor gaudii cœlestis recordatio; hic servat consilia gloriæ. Primam igitur portam oppugnat amor sæculi, secundam amor sui, tertiam præsumptio, quartam elatio. Unusquisque habet securim et asciam. Amor sæculi venit cum securi, libertate scilicet peccandi, et ascia adulationis. Tunc pœnitentia frangitur, compunctio occiditur, mandatorum custodia aufertur. Dicit enim: *In fortitudine mea feci; et in sapientia intellexi. Nescio Dominum; et Israel non dimittam* (*Exod.* V). Amor autem sui accedit cum securi, id est petulantia carnis, et ascia ambitionis. Proh dolor! Dissipatur jejunium, conculcatur continentia, et silentium perimitur, et omne perit religionis exercitium. Dicit enim: *Omnia ad usum creata sunt. Coronemus nos rosis antequam marcescant; non nos prætereat flos temporis. Comedamus et bibamus: cras moriemur* (*Sap.* II). At præsumptio portam constantiæ aggreditur cum securi jactantiæ et ascia ineptæ lætitiæ. Tunc perit cœlestium charismatum decor sermo sapientiæ, sal doctrinæ et divinæ revelationis, et hujusmodi honor. Elatio tandem ad puritatis portam expugnandam accedit, cum securi præsumptuosæ indignationis, et ascia gloriæ inanis. Heu! statim destruitur mentis puritas, paradisi calcantur fercula, sponsi et sponsæ disjunguntur oscula, et omnium gaudiorum disrumpuntur consilia. Tunc destruitur dilectio et aufertur contemplatio, ut vere de his dicat propheta: *Defixæ sunt in terra partæ ejus: perdidit et contrivit vectes ejus et omnia diripuit* (*Thren.* II). *Servite*, fratres, *Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II). Quia si gloriamini contra Deum de consilii claritate, ipse est qui adducit consiliarios in stultum finem; si de judicii potestate, sequitur in stuporem; si de culmine sanctitatis, ducit sacerdotes inglorios; si de nitore eloquentiæ, doctrinam senum est auferens. De his dicit per Amos prophetam: *Non erit fuga eis* (*Amos.* IX), *quoniam non est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII). Vereamini opera vestra, scientes quia nullatenus parcet delinquenti. Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute scientiam, in scientia patientiam, in patientia fraternitatis amorem.

Tit. XXII. *De multiplici visione.*

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum etc. (*Isa.* VI). Tres sunt visiones: Prima a creatura mundi, de qua Apostolus: *Invisibilia Dei a creatura mundi* etc. (*Rom.* I). Secunda a puritate fidei, de qua idem: *Videmus nunc per speculum*, etc. (*I Cor.* XIII). Tertia a claritate Dei et sponsi, de qua idem: *Tunc autem facie ad faciem* (*ibid.*). Aliter prima visio est revelatio cum materia et forma, et fit sub specie angeli sanctis Patribus; secunda est inspiratio sine materia, sed cum forma, et fit suavitate unguenti sanctis mentibus; tertia, emissio sine materia et forma, et fit cum mentis excessu in sponsi amplexibus. In prima visione anima fit solium, et excedit statum mundi; in secunda excelsum, et excedit affectum suum et voluntatem interiorum in contemptu sui; in tertia elevatum,

et excedit officium angeli et intellectuali creaturæ, et possibilitatem naturæ in amplexu sponsi.

TIT. XXIII. *De tribus hostibus, et de tribus apud Salomonem difficilibus.*

Eduxi te de terra Ægypti, etc. (*Mich.* VI). Egredientes de Ægypto Deus a tribus generibus hostium liberavit: In Ægypto ab Ægyptiis insequentibus, in medio ab Amalecitis, in ingressu terræ promissionis ab Amorrhæis occurrentibus. Sunt igitur genera hostium tria, a tergo, a latere, a facie. Primi in conversione; secundi in conversatione, quasi in medio; tertii in solutione carnis et animæ, et ita in fine. Hæc sunt illa tria difficilia apud Salomonem. *Via colubri super terram* (*Prov.* XXX), id est, suggestio; *via navis in medio maris* (*ibid.*), id est tentatio vitæ hominis super terram in amaritudine; *via aquilæ in cœlo* (*ibid.*), id est intentio alicujus circa finem, scilicet contemplatio, qua in cœlum pennis virtutum anima justi quasi aquila volat.

TIT. XXIV. *De septem sceleribus seu peccatis.*

Super tribus sceleribus Gozæ et super quatuor non convertam illum (*Amos.* III). Septem sunt scelera: tria sunt in anima, quatuor in corpore. Tria in anima, superbia, vana gloria, invidia, provenientia ex corruptis tribus viribus animæ, dum rationalitas in superbiam, concupiscibilitas in vanam gloriam, irascibilitas vertitur in invidiam. Quatuor in corpore sunt: curiositas in oculis, loquacitas in lingua, crudelitas in manibus, voluptas in lumbis; nam cum homo constans ex quatuor elementis ab igne lumen, ab aere verba, a terra corpulentiam, ab aqua naturalium percipiat humorum abundantiam, os insidentia visus nascitur curiositas, ex levitate linguæ loquacitas, ex soliditate corpulentiæ crudelitas. Unde bruta animalia, magis dedita corpori, magis sunt crudelia. Ex humore naturali, fit fluxus luxuriæ. Sic itaque tria in anima, quatuor in corpore vitia tres et quatuor faciunt corruptiones, super quibus obstinatur, non convertitur peccator.

TIT. XXV. *Unus quis dicendus et quis plures.*

Fuit vir unus (*I Reg.* I). Unusquisque nostrum non est unus, sed plures. Quomodo unus est qui nunc læti, nunc tristis, nunc irati vultum, nunc lenis, nunc avari, nunc luxuriosi cor habet? Vides quomodo qui unus putatur non est unus, sed plures, in quo tot personæ, quot mores, quia et secundum Scripturas *stultus sicut luna mutatur* (*Eccle.* XXVII). Quæ cum sit una per substantiam in mutatione semper alia a se est. *Unus* autem est, sed et omnes unus dicuntur qui imitantur eum qui vere unus est, idem permanens et invariabilis, non divisi per bina, non scissi per schismata, idem semper sapientes: nec solum unus sed et unum, sicut multitudo cui *cor unum et animo una* (*Act.* IV). Hoc est de quo Apostolus: *Unus accipit bravium* (*I Cor.* IX). Quia ergo justus per hoc quod non a se alter efficitur, unus dicitur: in laudem ejus dicitur: *Fuit vir unus de monte Ephraim, nomine Elcana* (*I Reg.* I). Ephraim *fructificatio*, Elcana *Dei possessio* dicitur. Qui enim unus est, non est de infimis sed de monte frugifero; et est possessio Dei, non dæmonis. Quem siquidem possident dæmones, non est unus, sed multi; sicut et ipsi dicunt, in eo quem possidebant, quod legio ei nomen est (*Marc.* V). Hic unus habet duas uxores (*ibid.*) Annam prius sterilem, post habentem talem filium, qui assistat Deo, Samuelem; et Phenennam multos filios habentem. Anna *gratia*, Phenenna *conversio* interpretatur. Unusquisque qui vult esse possessio Dei, istas duas necesse est sibi jungat uxores. Primam per fidem sibi gratia jungat quia sicut dixit Apostolus: *Gratia salvi facti sumus per fidem* (*Ephes.* II); secundæ quoque, id est conversioni, jungatur, quia post gratiam credulitatis sit morum commendatio et vitæ confessio. Iste est ordo nuptiarum; sed alius est procreationis. Phenenna quidem primos filios parit, quia primos fructos de conversione et prima justitiæ germina de actibus procreamus, nisi enim ante convertamur a malo, non poterimus de Anna, id est gratia, effici patres. Filii Phenennæ multi sunt, et, licet accipiant partes, non assistunt Deo quia multa sunt opera justitiæ in præsenti, pro quibus in futuro merces accipitur. Unde dictum est Marthæ: *Sollicita es, et turbaris erga plurima* (*Luc.* X). Sed non assistunt Domino quoniam hæc opera cessabunt. Prius ergo est converti a peccato, et fructus facere dignos pœnitentiæ, et post Anna, id est gratia suscitata per æmulationem boni, orationibus filium gignit, qui Deo assideat et perseveret, de quo dicitur Mariæ quod *optimam partem elegit quæ non onferetur ab ea* (*ibid.*). Filius enim gratiæ Deo vacat et verbo Dei. Et vocatur Samuel, quod interpretatur *ubi est ipse Deus*. Est enim vere Deus in tali filio Ecclesiæ, qui semper invocat nomen ejus. Unde: *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus; et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus* (*Psal.* XCVIII).

TIT. XXVI. *De quatuor hominum ordinibus, et de triplici mundi to. o.*

Ignis comedit speciosa deserti, flamma succendit omnia ligna regionis, sed et bestiæ agri quasi area sitiens imbrem suspexerunt ad te, quoniam exsiccati sunt fontes aquarum (*Job.* I). In quibus verbis prophetæ quatuor hominum notantur ordines. Per speciosa deserti, religiosi; per ligna regionis, principes mundi; per bestias agri, populares; per fontes notantur prædicatores. Speciosa dicuntur religiosi, quia nihil Deo et hominibus speciosius religione; ligna, principes, quia tanquam lignum ad protegendum alios sub ramis continent; bestiæ agri, populares, quia rationem quam ad serviendum acceperunt postponentes, bestialiter vivunt. Fontes aquarum sunt prædicatores, quia verbi Dei fluenta continent. Per desertum, regionem et agrum mundus isto intelligitur. Unde religiosis desertum attribuitur, quoniam mundum deserentes quasi derelicti esse videntur; ligna principibus, quia licet

altiores cæteris in hoc sæculo mentis radicem fixerunt; popularibus, ager, quia rurali operi totis mentibus intendunt. Ignis autem, qui inter ligna sæpe invenitur latere, speciosa deserti comedit, quando cupiditatum et vitiorum ignis religiosos intus occulte non publice succendit, quia, licet in aperta non audeant labi vitia et flagitia, intus tamen in eis vitiorum furnax ardet occulta. Flamma vero, quæ ex se lucem tribuit, principes succendit, id est divites hujus mundi Deum non timentes, nec homines reverentes, quia non latenter, sed coram oculis omnium peccant, et in seipsis ardent, et alios exemplo urunt. Bestiæ agri quasi area sitiens ad Deum suspiciunt, dum populares qui ad comparationem potentium, qui superius eminent, quasi area in bono sterilis jacent inferius, ipsaque suæ siccitatis ostensione eloquiorum Dei pluviam sibi esse necessariam etiam, ut ita dixerim, muti clamant: Audivimus speciosa deserti, id est religionis habitum gestantes ab igne comedi; ligna regionis, id est potentes aperta flamma succendi; bestiasque, id est homines incompositos, ipsa necessitatis evidentia pluviam desiderare. Hujus cladis causam audiamus: quia, inquit propheta, *exsiccati sunt fontes aquarum*, id est prædicatorum lingua tacuit, et intellectus aruscit, dum arenti ubere, aut contemnunt, aut nequeunt nesciuntque subditos lactare.

Tit. XXVII. *De tribus contemplativorum ordinibus, et de triplici terra scalæ Jacob.*

Vidit *Jacob scalam* (*Gen.* XXVIII). Scala est generalis Ecclesia quæ ex parte militat in terris, ex parte triumphat in cœlis. In hac varii sunt ordines graduum. Alii sunt incipientes, alii progredientes, alii pervenientes. Item ex istis quidam sunt in mola, quidam in agro, quidam in lecto. In mola sunt sectatores sæculi; in agro, doctores verbi; in lecto, amici sponsi. Hæc scala dicitur stare super terram; est autem triplex terra: terra quæ sub homine, terra quæ est homo, terra quæ supra hominem. Terram quæ sub homine est homo calcat; terram quæ est homo homo portat; terram quæ supra hominem homo desiderat. De prima dicitur: *Domini est terra* (*Psal.* VIII); do secunda: *Terra es et in terram reverteris* (*Gen.* III); de tertia: *Si feceritis quæ ego præcipio vobis, bona terræ comedetis* (*Isa.* I). Sub hac scala sunt infirmi, in medio sunt activi, in supremo contemplativi in cœlo positi. Infirmi terram comedunt et infirmantur. Activi fastidiunt, et curantur. Contemplativi rore cœli vescuntur, et saturantur. Activi infirmis compatiuntur, et ita descendunt. Contemplativi congratulantur, et ita ascendunt. Isti enim sunt angeli per scalam ascendentes et descendentes: descendentes compassione misericordiæ, ascendentes supernorum contemplatione. Affligitur activus, affligitur infirmus, sed ille compassione misericordiæ, et ita eum oportet descendere; iste peccati languore, et ita nequit ascendere.

Tit. XXVIII. *De sacerdotibus et prælatis, et triplici eorum officio.*

Sederunt in terra, conticuerunt senes et custodes filiæ Sion (*Thren.* II). Vox est Jeremiæ lugentis desolationem Jerusalem, ex negligentia senum; Salvatoris quoque deplorantis ruinam Ecclesiæ, ex desidiosa custodia prælatorum. *Sederunt*, inquit, *in terra*. Triplex est officium sacerdotum, deambulare, sedere, docere: Deambulare de ovo ad ovem, de morbida ad confractam, de confracta ad erroneam, de erronea ad valentem. Morbidam confortare, confractam consolidare, erroneam revocare, valentem debent conservare, ne incurrant illud prophetæ: *Quod confractum est non colligitis*, etc. (*Ezech.* XXXIV), sicut Christus docuit: Ite, inquit, prædicate et ambulate super mare. Debent etiam exemplo ejus in navicula sedere et docere de ea populum. Tres sunt autem gradus sedendi: primus minor et generalis, secundus major et particularis, tertius supremus et spiritualis. Primus est sedere super flumina Babylonis; secundus, ad mensam divitis; tertius, in navicula Simonis. In primo sedent fideles, in secundo juvenes, in tertio senes. Super flumina sedere est fluxum cupiditatum cohibere; ad mensam divitis, in sacræ Scripturæ meditatione persistere; in navicula Simonis sedere, prælationis in Ecclesia locum obtinere, et sicut Jesus verbo et exemplo populum docere. Illi autem contra quos propheta conqueritur contrarias habent sessiones. Cum enim deberent sedere super flumina Babylonis, sederunt super ollas carnium; cum ad mensam divitis, cathedras quærunt in foro nugis intendentes; cum in navicula Simonis, in terra sedet, id est totum sacerdotale emolumentum convertunt in terrenam voluptatem. Notandum autem quod quidam in sua, quidam in aliena terra sederunt. Primi propriæ voluptati carnis deserviunt; secundi alienas opes suas faciunt, domum domibus et agrum copulantes agris. Sequitur: *Conticuerunt*, id est duplicem partem loquendi et triplicem amiserunt modum. Partes loquendi sunt vita et doctrina. Tres modi sunt: docere, monere, orare. Docere de fide, monere de moribus, orare pro rege et populo. De primo dictum est: *Euntes docete omnes gentes*, etc. (*Matth.* XXVIII); de secundo: *Ecce constitui te super gentes et super regna, ut evellas et destruas et disperdas et ædifices et plantes* (*Jer.* I); de tertio ait Apostolus: *Primum omnium rogo fieri obsecrationes*, etc. (*I Tim.* II). Vel *conticuerunt*, id est tacendi omnes causas habuerunt. Quæ sunt tres, ignorantia, impotentia, negligentia. Ignorantia turpis, ut tunc incipias discere cum debeas docere. Ludicra res elementarius senex, teste philosopho. Impotentia difficilis, quia nonnunquam cupit prælatus docere, sed non potest, conscientia eum remordente et os ejus obstruente. Hic est ramusculus qui in ora canum projectus clamorem eorum cohibet. Si vult officium implere, ut loquatur dicatur ei: *Quare tu enarras justitias meas*, etc. (*Psal.* XLIX). Si per negligentiam invenitur tacere, stat

contra officium clamatque Dominus: *Sanguine pereuntis de manu tua requirom* (*Ezech.* III).

TIT. XXIX. *De iis quæ traxerunt Christum od nos et de nostra duritia.*

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextra tua (*Psal.* XLIV). Verbum Dei in sublime constitutum, ut ad nos descenderet propria benignitas, invitavit, misericordia traxit, veritas, qua se venturum promiserat, compulit, puritas uteri virginalis suscepit, potentia eduxit, patientia armavit, charitas verbis et miraculis manifestavit. Te enim, Domine Jesu, mirabiliter deduxit dextra tua propter veritatem, per quam promissiones impletæ sunt; propter mansuetudinem, per quam iniquitates remissæ sunt, propter justitiam, per quam superbi dæmones et homines damnati sunt. His tribus indigebat genus humanum; sed ea implere non poterat nisi Virginis et Dei Filius, remittere scilicet iniquitates, implere promissiones, damnare dæmones. Et vide quom dulci charitate Christus Deus noster nos vocat ad vitam. Venit et promisit vitam æternam, nec auditus est de veritate, cum tamen promitteret solam veritatem; et ait: Qui promittentem non audit, audiat amabilem. Venit ergo et ita se omni mansuetudine exhibuit, ut peccatricem animam, septem dæmoniis adulteram, de manibus lapidantium eriperet, Petrumque respiceret lacrymantem *misericors et miserator Dominus* (*Psal.* CX), misericors in affectu, miserator in effectu. Obduruit homo et ad veritatem promittentis et ad exhibitionem mansuetudinis, ut neque propter veritatem neque propter mansuetudinem audiretur Deus laborans. Videns autem quod nihil proficeret, minatus est ignem ardentem et mortem æternam, ut quem non potest trahere per veritatem, nec attrahere per mansuetudinem, retrahat per justitiam, et fiet vexatio intellectum auditui. Sicut illo tridens quom Dominus misit in hoc mare magnum ad piscandas animas; qui est benedictus in sæcula.

TIT. XXX. *De tribus sanctis, Deo, homine et loco, et de triplici sanctificatione.*

Locus in quo stas, terra sancta est (*Exod.* XXIV). Deus est sanctus, homo sanctus, locus sanctus. Deus sanctus non sanctificatus, sed sanctificans; homo sanctus, sanctificatus et sanctificans; locus sanctus, sanctificatus, non sanctificans. Deus quippe sanctus de se, non de nobis; homo de Deo, non de se. *Bonorum*, inquit homo, *meorum non indiges* (*Psal.* XV); Et: *De plenitudine ejus omnes accepimus* (*Joan.* I). De qua est sanctus sanctificatus ab ipso, sanctus de ipso, hominis est exterius dare operam; Dei conferre intus gratiam, hic est qui baptizat. Locus vero sanctificatus, vel absque homine, vel per hominem non sanctificat. Quia sicut locus non sanctus sanctum non coinquinat, ut Lot Sodoma, ita non sanctum sanctus locus non sanctificat, ut cœlum diabolum, et paradisus primum hominem. Homo autem plerumque locum sanctificat duobus modis, merito et officio. Triplex quippe sanctificatio agitur: Est enim sanctificatio sacramenti, sanctificatio justitiæ vel meriti, et sanctificatio gloriæ vel præmii. Nam sanctificantur ecclesiæ, cum dedicantur; sanctificantur homines, cum justificantur; sanctificantur electi, quando præmiis æternæ gloriæ donantur.

TIT. XXXI. *De triplici labore et tribus laborantibus et tribus crucibus, mortibus, sepulcris.*

Reddit Deus justus mercedem laborum suorum et deducit eos in via mirabili, etc. (*Sap.* X). Triplex est labor, carnis, compunctionis, charitatis. Labor carnis est onerosus, compunctionis affectuosus, charitatis effectuosus. De primo dicitur: *Humiliatum est in laboribus cor eorum et non fuit qui adjuvet* (*Psal.* CVI). Omnes enim qui ad servitium diaboli desudant, nullum habent auxilium a Deo, ducuntur per obliquas semitas, quarum initium licet aliquando agnoscitur, finis tamen nunquam invenitur. Unde: *In circuitu impii ambulant, et caput circuitus ipsorum labor eorum* (*Psal.* XI), id est circuitus eorum semper est caput, nunquam finis. De labore compunctionis dicitur: *Laboravi in gemitu meo* (*Psal.* VI) Qui ideo affectuosus est, quia qui pœnitere incipit, bonum affectum concipit, quem ad effectum perducit labor charitatis. Et propterea labor charitatis dicitur effectuosus, quia efficit quod compunctio suggerit. Primus labor est punitorius, quia in exquisitione suæ voluntatis, etiam in præsenti puniuntur. Unde: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis* (*Rom.* I). Labor compunctionis est remissorius, quia remissionem meretur. Unde: *In quacunque hora ingemuerit peccator*, etc. (*Ezech.* XVIII). Labor charitatis retributorius, quia meretur retributionem. Unde: *Labores manuum tuarum manducabis* (*Psal.* CXXVII). Et quia hic labor retributorius est, subditur: *Beatus es, et bene tibi erit* (*ibid.*). A primo nos Dominus fingendo dolorem in præcepto revocat, dicens: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). In quo tria hominum genera notantur. Sunt enim qui laborant et onerantur, ii scilicet qui sunt in labore carnis, diabolo servientes, cujus jugum intolerabile, et onus importabile. Alii qui laborant et non onerantur, qui scilicet Christo serviunt, cujus jugum suave et onus leve. Tertii vero nec laborant nec onerantur; qui non onerati, sed honorati dicuntur, qui potius hominum honores recipiunt. Unusquisque autem labor habet crucem suam: labor carnis crucem pœnæ, quam hic et in futuro sustinet; labor compunctionis crucem abstinentiæ, quia pœnitentia requirit abstinentiam; labor charitatis crucem gloriæ, quia diligit Deum, carnem suam crucifigit cum vitiis et concupiscentiis: quæ crucifixio est gloriosa. Unde Apostolus: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi!* (*Gal.* VI.) Secundum tres istas cruces tripliciter dicitur homo, carnalis, animalis, spiritualis. Carnalis pendet in cruce pœnæ, animalis timore gehennæ

perterritus eligens magis a vitiis abstinere quam in gehennam ire, pendet in cruce abstinentiæ. Hic est Lot mutatoa respuens in Segor salvatus, nolens licita relinquere, mediocrem vitam sectatur; spiritualis vero est in cruce charitatis, qui solo amore gloriatur in cruce. Prima crux exactoria, secunda necessaria, tertia voluntaria. Unaquæque habet mortem suam, prima mors damnosa, secunda propitiosa, tertia pretiosa. Unde : *Pretioso in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV). Item utile est in cruce Domini pendere, ut fervore Dei accensi, sic singula castigemus, ut nec manui in opera aridorum, nec pedi liceat deviare in latitudine claudorum. Unusquisque in cruce sua mortuus habet sepulcrum suum, primum est in inferno, secundum in deserto, et tertium in horto, id est in paradiso qui est hortus deliciarum. In primo jacet latro contemnens, in secundo latro confitens, in tertio Christos dimittens. Primum est fetidum et scaturit vermibus qui non moriuntur; secundum purificatum, quod scopatur in confessionibus, quia *Judæa*, id est confessio, *facta est sanctificatio ejus* (*Psal.* CXIII); tertium conditur aromatibus, custoditur numinibus, et frequentatur a mulieribus aromata portantibus. Unusquisque ungitur suo unguento. Primus unguento desperationis, quia in inferno nulla est redemptio; secundus unguento recuperationis, quia hic tempus est miserendi; tertius unguento devotionis, dicens toto mentis affectu : *Convertisti planctum meum in gaudium mihi* (*Psal.* XXIX), Maria Magdalene portat unguentum compunctionis, Maria Jacobi compassionis, Salome devotionis. Compunctio est de recordatione peccatorum, compassio de malis proximorum, devotio de consideratione præmiorum. Per Mariam Magdalenam, *quæ erat in civitate peccatrix* (*Luc.* VII), intelligitur anima pœnitens, et scelerum suorum emendatrix; per Mariam Jacobi, vitia supplantans et virtutum operatrix; per Salomen, ori imprimens osculum cum Deo pacificatrix, quæ labii detersa reatu sudet dicere : *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I).

TIT. XXXII. *De triplici confessione, tribus nominibus Jerusalem, et tribus diebus vivificationis.*

Judæa et Jerusalem, nolite timere, nec paveatis : cras egredimini contra eos et Dominus erit vobiscum (*II Par.* XX). Judæa interpretatur *confessio*, quæ triplex est : peccatorum, cum sua peccata cognoscit; meritorum, cum suam infirmitatem et adjuvantem gratiam considerat; præmiorum, de qua dicitur : *In sæculo sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Prima confessio dicit : *Tibi soli peccavi* (*Psal.* L), et audit : *Dimissa sunt tibi peccata* (*Luc.* V). Secunda orat : *Dirige gressus meos in semitis tuis* (*Psal.* CXVIII), et respondetur : *Sta in justitia et ambula* (*Eccli.* II). Tertia cantat canticum novum, et promittitur ei, *sedebis super sedem*, etc. Jerusalem prius dicta est Jebus, postea Salem, inde Jerusalem. Jebus *conculcatio*, Salem *pax*, Jerusalem dicitur *visio pacis*. Prius fuimus conculcati in luto et fœditate peccati, de qua exuimur per pœnitentiam. Inde habemus pacem propter justitiam, qualis haberi potest in præsenti. Tandem veniemus ad visionem pacis, *quæ exsuperat omnem sensum* (*Philipp.* IV), ubi cognoscemus sicut et cogniti sumus. Triplex nomen civitatis triplici Judeæ respondet : Confessioni peccatorum Jebus, id est conculcatio, qui enim confitetur seipsum conculcat; confessioni meritorum, Salem, id est pax, quam habet qui Deo non sibi attribuit, quia pax hominibus bonæ voluntatis; Jerusalem, id est *visio pacis* confessioni laudis, *In sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Judæa igitur et Jerusalem, non illis qui per cor impœnitens thesaurisant sibi iram, qui non noverunt viam pacis, quibus egredientibus carcer, tenebræ, infernus paratur, dicitur : *Nolite timere : Cras egredimini contra eos, et Dominus erit vobiscum.* Nolite timere, hic est de timoribus vacandum. Cras egredimini, hic de egressionibus. Cras egredimini, quasi dicat : Multos quidem habetis hostes, carnem, qua nullus vicinior, sæculum nequam, et qui in aere collocati viam nostram obsident, sed nolite timere; cras egredimini, id est post dies duos. Tres enim sunt dies de quibus dicitur : *Vivificabit nos post dies duos, in die tertia suscitabit nos*, etc. (*Ose.* VI.) Unus dies sub Adam, alter in Christo, tertius cum Christo. Utinam pereat in nobis dies Adæ, dies peccati, in qua omnes nascimur! quam Job (*Job* III) et Jeremias (*Jer.* XX) maledicunt; et egredientibus vel hic a peccato illucescat dies redemptionis novæ præparationis antiquæ, vel e mundo clarescat dies qui vesperam nescit. Istos tres dies notat Evangelium : *Ecce ego hodie et cras ejicio dæmonia; et tertia die consummor* (*Luc.* XIII). Et quia in prima die conversionis inferuntur tentationes, recte his dicitur : *Nolite timere.* Quia vero in secunda sanitas datur per justitiam; *cras*, inquit, *egredimini*, dimissis, scilicet vitiis vel ergastulo carnis, et pro tertia die additur, *et Dominus erit vobiscum*, scilicet vel per nativitatem et per humanæ naturæ consortium, vel per gratiam in futuro per beatitudinis donationem. Et nota quod non dicit, nos erimus cum eo, sed, ipse erit nobiscum. Cum eo enim sumus qui non ejus adhæremus voluntati, sed non est ille nobiscum, quia nostræ non consentit voluntati : cupimus dissolvi, sed ipso differt. Tunc autem nobiscum erit, quando omnibus desideratis dabitur nobis in eo perfrui.

TIT. XXXIII. *De quadripartita locutione Dei, et responsione facienda ad eam.*

Semel locutus est Deus, etc. (*Psal.* LXI.) Semel sicut dicitur, *loquitur Deus, et ultra non repetit illud* (*Job* XXXIII), quia semel hic loquitur, præcipiendo, prohibendo, promittendo, comminando. In futuro autem non erit tempus docendi, sed judicandi. Quadripartitum est ergo hoc verbum quo semel loquitur. Præcipit bonum, prohibet malum, promittit gloriam, comminatur pœnam. Unum autem dicitur hoc verbum, quia unum est ad correctionem nostram. Nam futurum verbum tantum ad retributio-

tis? in virgn veuium ad vas? (*I Cor.* IV.) De flora. An in *charitate et spiritu mansuetudinis?* (*ibid.*)

TIT. XXXVII. *De pastoribus et eorum officio.*

Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? (*Isa.* LX.) Tria pastoribus gregis Domini sunt necessaria : bona operatio, discretio, prædicatio, ut sint lux, oculus et sal. Lux bonæ operationis, ut exemplo luceant. Unde : *Luceat lux vestra coram hominibus* (*Matth.* V). Oculus discretionis ut discernendo inter lepram et lepram provideant subditis. Unde ad Ezechielem : *Speculatorem dedi te domui Israel* (*Ezech.* III). Sal prædicationis et correctionis ut prædicatione subditos erudiant, ne vermes peccatorum eos consumant. Unde : *Vos estis sal terræ* (*Matth.* V). Ex pastoribus autem aliqui sunt nec sal, nec lux, nec oculus, qui scilicet male prædicant, male operantur, male discernunt. De quibus dicitur : *Sacerdotes contempserunt legem meam, polluerunt sanctuaria mea* (*Ezech.* XXII); quia inter sanctum et profanum, scientiam et ignorantiam, inter lutum et mundum non intellexerunt. Alii sal et non lux. De quibus dicitur : *Quæ dicunt facite; quæ faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII). Alii sal prædicationis non habent. De quibus dicitur : *Canes muti, non valentes latrare* (*Isa.* LVI). Hæc ergo tria nobis necessaria sunt, ut simus lux, oculus, sal. Quorum si vel unum defuerit, gregem Domini periculose servamus. Si enim non sumus lux, licet simus oculus et sal, cum periculo corpus Domini tractamus, officio indigni sumus, facti sicut habentes clavem, aliis aperientes, sed non intrantes. Unde valde timendum ne nos qui cœli janitores sumus, cum alius intromiserimus, ipsi non intremus, et clausa tandem janua frustra clamemus : *Domine, Domine, aperi nobis* (*Matth.* II). Fiat quoque illud ut, cum ejecerit *de templo Jesus ementes et vendentes* (*Matth.* XXI), accedant ad eum et intrent cæci et claudi. Si autem oculo discretionis qui debet esse columbarum non corvorum. Unde : *Oculi tui columbarum* (*Cant.* I) carent, tunc cæcus cæcum ducat, et ambo in foveam cadent (*Matth.* XV). Si sale careant prædicationis, tuncque jejunus deficiat in via populus Dei, sanguis ejus de manu prædicatoris requiratur. Consideret ergo unusquisque onus suum, ut sit per sal nubes compluendo; per lucem, volans ad cœlestia, quod verbo prædicat exemplo monstrando; per oculum, columba ad fenestras Scripturæ, ut per ipsas Deum videndo ovibus suis provideat. Talibus enim congaudens ait propheta : *Qui sunt isti qui ut nubes volant et quasi columbæ ad fenestras suas?* Pensate igitur quid estis, et ad quod ministerium in domo Dei vocati. Clamat secus agentibus Oseas dicens : *Audite, sacerdotes, quia vobis judicium est* (*Ose.* V). Et quare, ostendit subdens : *Quoniam laqueus facti estis speculationi et rete expansum* (*ibid.*) : Quasi dicat : Quoniam vos qui expedire debetis, malo exemplo alios illaqueatis, judicium est vobis damnationis. Unde et alterius sanguinis rei.

TIT. XXXVIII. *De duobus capreæ hinnulis, tribus umbris, et variis diebus.*

Duo hinnuli capreæ pascuntur in liliis (*Cant.* IV). Caprea, Ecclesia visu acuta ad penetranda mysteria Christi, saltu agilis ad transilienda hujus sæculi impedimenta, potens ad supprimendum serpentis antiqui venenum. Hujus duo gemelli Petrus et Paulus, germani fide, pares merito et virtute, ipsa passione et morte conjuncti. Hi pascuntur in liliis, in mundorum et humilium virtute et profectibus. Pascunt eos verbis, pascuntur eorum operibus. Unde alter ipsorum dicebat : *Nunc vivimus, si vos statis in Domino* (*I Thess.* III); alter cum esuriret, cœlum apertum est, et carnes immundorum animalium præcipitur mactare et manducare (*Act.* X). Hoc faciunt laborantes æstu *donec aspiret dies, et inclinentur umbræ* (*Cant.* II). Tres sunt umbræ, et tres dies. Prima umbra terra; est umbrosus spiritus dæmonum et hominum; secunda, tenebræ errorum; tertia, obscura significatio veterum sacramentorum. Umbra significationum inclinata est ad occasum et finem; umbra errorum de die in diem inclinatur ad diminutionem; umbra tenebrosorum spirituum tandem inclinabitur ad infernum et mortem. Primum factum est, cum dies æternus aspiravit apparens in carne. Secundum quotidie fit, cum idem aspirat illustrans nos veritate. Tertium novissime fiet, cum aspirabit in majestate. Sunt et aliæ umbræ duæ quæ intra nos velut in quodam speculo obumbrant nos vel nobis. Obumbrant nos quæ nos congelant et obcæcant. Obumbrant nobis quæ refrigerant et illuminant nos. Primæ de inferioribus sunt graves et noxiæ, secundæ de superioribus, delectabiles et salubres. Anima enim humana in medio posita est, ut sub ipsa sit mundus, propter ipsam factus; supra ipsam sit Deus, a quo, et ad quem et propter quem ipsa facta est. Nam sicut propter animam est corpus, sic propter corpus est domus ejus, id est mundus. Cum igitur incurvatur ad corporalia et mundana, ascendunt in eam umbræ de inferioribus. Cum egreditur ad divina, inclinantur super eam umbræ de superioribus. Illius enim quam cogitat umbram sibi format. Quæ etsi luminosa et gloriosa, umbra tamen est, quantumcunque cognitionis acuatur dies, donec aspiret ille cœlestis dies, sicut cum in facie speculi tersa et lucida splendidæ rei resultat imago. *Videmus enim nunc per speculum in ænigmate* (*I Cor.* XIII). Et nota quod nec umbra videtur nisi inclinato et aspirante die, quia neque per speculum et in ænigmate potest apprehendere quidquam nostra humanitas, quantumcunque a visibilibus ad invisibilia rapiatur, nisi inclinante se majestate ad nos favore gratiæ, cum scilicet qui habitat lucem inaccessibilem dignatur ad nos inclinari, et per umbram suæ imaginis demonstrari. Unde Moyses ascendit in montem (*Exod.* IX), et *Dominus inclinavit cœlos et descendit* (*Psal.* XVII). Sed heu! tam breves et obscuros dies, et tam longas ac laboriosas noctes habet hiems ista, ut propheta laborans in gemitu

suo, et per singulas noctes lavans lectum lacrymis suis (*Psal.* VI), merito plangat, dicens: *Dies mei sicut umbra declinaverunt* (*Psal.* CI). Verum si quæratur cur umbræ pluraliter dicantur, cum res una sit cujus sint umbræ. Respondetur: Quia nunc minus, nunc plus virtus obumbrat Altissimi, dissimiliter umbras format. Unde Apostolus: *Transformamur a claritate in claritatem* (*II Cor.* III). A minore scilicet in majorem, quia præsens claritas respectu futuræ umbra est. Et nota quod cum umbræ de superioribus inclinantur super nos, umbræ de inferioribus inclinantur infra nos. Cum siquidem divinis propinquamus, mundana superamus, quatenus ad umbram lucis accedimus, catenus mortis umbram evadimus. Lux enim et vita in cœlo, mors in inferno, umbra mortis in hoc tartareo et tenebroso loco. Jam, fratres qui laboratis, portantes *pondus diei et æstus* (*Matth.* XX), ad umbras lucis istas accedite. Placeat eas imitari, quas ille dies æternus aspirans rorem misericordiæ cupit æstuantibus inclinare. Audite ipsum diem ad umbrarum refrigeria invitantem: *Venite ad me, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Quam umbram si quis obtinuerit, merito gloriatur et dicit: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi* (*Cant.* II). In qua est sessio ad quietem, et refectio ad satietatem. Unde subdit: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo* (*Psal.* LXXXIII). Aspira ergo gutturi, o dies dierum, quæ *in atriis tuis super millia* (*Psal.* CXXXIX). Obumbra caput nostrum in die belli. Inclina super nos umbras salutis et refrigerii, et inclinentur subtus nos umbræ cæcitatis et mortis. Et licet contingant nos umbræ de cogitatione terrenorum, non nos attingant tenebræ, id est crassiores umbræ de amore eorum; sed semper respiremus in luminosum veri æternique luminis amorem.

TIT. XXXIX. *De auro, thure et myrrha.*

Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum. Afferte Domino gloriam et honorem, etc. (*Psal.* XXVIII). Quia satius est Domino afferre quam sanguisugæ, id est concupiscentiæ, cujus duæ filiæ, voluptas et vanitas, non dant requiem die ac nocte, dicentes: *Affer, affer* (*Prov.* XXX): Quid autem afferendum? *Afferte*, inquit, *gloriam*, scilicet auri et honorem thuris. *Afferte Domino gloriam nomini ejus*, myrrham sepulturæ ejus. Myrrha in corde tuo dolorem; myrrha in corpore tuo laborem, si tamen hic et ille sit pœnitentialis. Myrrha gustu amarissima effectu corruptioni resistit. Quid autem amarius dolore quo peccator recogitat *annos suos in amaritudine animæ suæ* (*Isa.* XXXVIII), dicens Deo: *Noli me condemnare* (*Job* X). Quid enim salubrius quam quod vindicat tam a corruptione luxuriarum in quibus computruit, quam vermium immortalium quos meruit. Labor autem corporis non tam myrrha est quam myrrhæ fasciculus, in quo regula jejuniorum et vigiliarum, asperitas vestium, et omnia amara velut in unum fasciculum colligata sunt ad ferendum. Unde ille: *Convertimini ad me in toto corde vestro; in jejunio et fletu, et in planctu*, etc. (*Joel.* II), ut vere dici possit fasciculus. Debet amaritudo cordis mitigari amaritudine exteriori, quemadmodum cholera stomachi potu absinthii, ut homo usu dulcium corruptus, potione purgetur amara. Peccatori enim debet dari *myrrhatum vinum* Dominicæ passionis (*Marc.* XV); quod noluit bibere Jesus, quia peccatum non fecerat quod ei crucifixio imputabat. Post hanc thus affertur, quia post sacrificium spiritus tribulati et corporis humiliati sequitur sacrificium laudis cum thure devotionis. Quod cum regi obtuleris, suppone ignem charitatis, *ut dirigatur oratio* devotionis *sicut incensum in conspectu Dei* (*Psal.* CXL). Et de hoc sacrificio odoratus odorem suavitatis, dicat tibi: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris* (*Cant.* IV). Post hæc duo offertur aurum. Myrrha enim oblatio est incipientium, thus proficientium, aurum vero perfectorum: quod est sapientia, quam non novit nisi qui accipit. Pretiosius est hoc aurum cunctis opibus, etiam myrrha et thure. Hoc enim ultimum dives est in omnibus qui valet offerre in contemplatione et prudenti administratione. Hæc est quidem vera sapientia, sapientia in contemplatione æternorum et administratione temporalium. Qui novit seipsum regem et alium, non tamen negligit afferre thus in devotione divini operis, et myrrham in mortificatione sui. Nos igitur, fratres, in gloriam pueri regis qui natus est nobis, offeramus aurum, thus, et myrrham, quæ conservat a vermibus. Nam vermis carnis est luxuria; qui ingreditur blandiendo, mordet ridendo, transforat delectando, perimit consensu voluntario. Vermis item est tristitia, quia sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. His et similibus vermibus vermescunt corpora et corda, si quotidie non distillet de manibus myrrha. Manus ergo nostræ per universum corporis nostri distilleut myrrham, præveniendo ungere corpus in sepulturam illius. Corpus enim nostrum Jesus est, quod sepelitur cum omnibus vitiis subtrahitur. Qui sic ungitur, ut dictum est, non timet vermem qui non moritur, quia jam mortuus est. Offeramus etiam thus devotionis et aurum sapientiæ. Et *si quis indiget sapientia postulet eam ab eo qui dat omnibus affluenter, a Patre* scilicet *luminum*, qui dat, *omne datum optimum et omne donum perfectum* (*Jac.* I).

TIT. XL. *De meditanda morte, dum adhuc fortes videmur, et de bene agendo.*

Memento Creatoris tui in die juventutis (*Eccle.* XI), ait Sapiens, et, juxta Apostolum, *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes* (*Gal.* VI). Sequitur: *Antequam rumpatur funiculus argenteus* (*Eccle.* XII), id est dissolvatur corpus et recurrat vita aurea, id est anima vinculis carnis absoluta ad Deum qui fecit illam, punienda vel salvanda. Funis dicitur corpus, quia quibusdam legibus naturæ sibi animam legat, antequam pulvis, id est homo qui de terra factus est conteratur super fontem, id est mundum, ut inde aquam non possit haurire, et rota cogita-

tionum quæ de corde exeunt et volvuntur et revolvuntur super eisternam corporis, qoia in illa die peribunt cogitationes. Hoc idem subdit aliis verbis : *Et revertatnr pulvis in terram suam, unde erat (pulris et in pulverem reverteris* [*Gen.* III]), *et spiritus redeat ad ipsum qui dedit illum* (*Eccl.* XII), recepturus pœnam vel gloriam.

TIT. XLI. *De triplici apertione cordis, sextuplici mandato, et triplici bello ac pace.*

Adaperiat Dominus cor vestrnm in lege sua, et in præceptis suis, et faciat pacem, etc. (*II Macch.* II). Triplex est apertio cordis. Prima ad pœnitentiam, secunda ad justitiam, tertia ad perfectionem. Hæc autem apertio per legem Domini fit meditanti die ac nocte, unde subdit : *in lege sua*, quæ in sex consistit, in prohibitionibus, comminationibus, præceptionibus, promissionibus, consiliis, exhortationibus. Prima apertio in prohibitionibus et comminationibus fit, dum quis attendens suas transgressiones et pœnas quæ ex eis subsequuntur, ad pœnitentiam Dei timore compungitur. Hæc est enim *lex Domini convertens animas* (*Psal.* XVIII). Secunda est in præceptionibus et promissionibus, dum pœnitens divinam voluntatem in sua lege considerans et remunerationem, ad justitiam proficit bonorum operum, qoia *testimonium Domini fidele* (*ibid.*) dans promissa. Tertia in consiliis et exhortationibus, dum justus in bonis delectatur in Deum fervens, Deo quem solum diligere cupit sibi dicente : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes*, etc. (*Matth.* XIX). Arripit sic perfectionem ut præter Deum, qui dat sapientiam parvulis, nil quærat. Quia vero sola dilectio indicativa est religionis, Deo dicente : *In hoc cognoscent ; quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII), subditur : *Et in præceptis suis*, quæ sunt dilectio Dei et proximi inter cætera legis Dei magis tenenda cum ex his pendeant lex et prophetæ. *Et faciat pacem*. Triplex est nobis bellum : A conscientia quæ peccatorem accusare non cessat; a carne et dæmone, quæ etiam justum insequuntur; a fratre et proximo, qui etiam perfectum conturbare conantur. Deus autem qui corda aperit in lege sua, et in præceptis suis, triplicem facit in homine : Primam pacem per pœnitentiam, cum deleto peccato, ipsum conscientia accusare non potest; secundam per justitiam, cum justus exoreitin bonorum operum carnem domuerit, juxta Apostolum : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX), et enm sic omnia inimici tela exstinxerit (*Ephes.* VI); tertiam quoque cum solum Deum tenens nullis prosperis extollitur, nullis adversis movetur; æque acceptans prospera ut adversa, ut vere dicatur : *Pax multa diligentibus legem tuam; et non est illis scandalum* (*Psal.* CXVIII). Conscientia cessante a primo bello, carne et dæmonibus a secundo homine ita perfecto ut aliquo scandalizante scandalum non recipiat, sed quantum in ipso est et cum scandalizaverit pacem habeat, in patientia possidens animam suam (*Luc.* XXI).

TIT. XLII. *De benignitate et severitate Dei erga peccatorem.*

Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multum misericors, et præstabilis super malitiam (*Joel.* II). Videte quemadmodum de venia peccatori danda, si converti voluerit, Dei exaggerat pietatem. *Benignus* est indebita largiendo. *Misericors* debita indulgendo. *Patiens* diu tolerando. *Multum misericors*, pro longis iniquitatibus brevem pœnitentiæ afflictionem suscipiendo. *Præstabilis super malitiam*, etiam sine carnis afflictione perseveranti, ad se cordis conversione mala omnia condonando. Nemo igitur de venia desperet propter Dei justitiam. Nemo in malis perseveret propter ejus misericordiam, quoniam fortis et patiens Dominus, dulcis et rectus, misericors et verax. Patiens, dulcis, misericors super pœnitentes. Fortis, rectus, et verax super impœnitentes. Si ergo, fratres, amamus patientiam, dulcedinem, misericordiam, qua salvat, timeamus fortitudinem, rectitudinem, qua judicat et damnat; et oremos ut a nobis judicii severitatem suspendat misericordiæque benignitatem impendat. Qui, etc.

TIT. XLIII. *De tribus bonis hominis, et tribus flagellis Dei, et de causis eorum.*

Multa flagello peccatoris; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit (*Psal.* XXXI). Tria sunt hominis bona quibus in hac vita fruimur : Alia in anima, ut virtutes, et alia dona tam naturæ quam gratiæ; alia in corpore, ut sanitas; alia extra utrumque, ut proles et divitiæ. Ideo tria sunt flagella, quibus justo Dei judicio percutitur. Flagellatur enim aliquando in exteriori substantia, aliquando in carne propria, aliquando in conscientia. In duobus primis flagellantur æque boni et mali; in tertio non nisi reprobi. In duobus flagellatus est Job, non in tertio. Unde dictum est ad Satan : *Animam illius serva* (*Job* II). In istis omnibus Pharao. Quem enim flagellaverat in exteriori substantia, in carne propria vesicis turgentibus, etiam obstinatione flagellavit in conscientia. Quatuor autem de causis flagellantur homines : Alii ad ruinam, ut Pharao; alii ad disciplinam, ut David; alii ad custodiam, ut Paulus; alii ad coronam, ut Job.

TIT. XLIV. *De signaculo Dei nobis impresso.*

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (*Psal.* IV). Super dicit non subter, quia in superiori natura tria sunt : Signans, signaculum, et signatum, a quo, cum quo, et in quo. Signans est Deus qui suam imaginem primo angelicæ naturæ, inde humanæ impressit, ut angelica esset quasi signaculum, humana quasi signatum. Unde primo angelo dicitur : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti* (*Ezech.* XXVIII). Homo autem dicit de se : *Signatum est super nos lumen*, etc. Instar cujus in signaculo vel sigillo primo figura regis insculpitur, et post subjectæ rei imprimitur. Imago primo naturæ impressa est angelicæ, inde quasi secundum eam humanæ

insignita, sed et aliis rebus modo suo, quia eorum ministerio formantur et reguntur.

Tit. XLV. *De septem rivis peccatorum exeuntibus a primis parentibus.*

In flumine pertransimus [*pertransibunt*] *pede* (*Psal.* LXV). Quid post? *Lætabimur in ipso* (*ibid.*) De quo Isaias : *Percutiet Dominus fluvium Ægypti in septem rivos ita ut per eum transeant calciati* (*Isa.* XI). Ægyptus mundus est; flumen fluxus humani generis, qui de primis parentibus vena infelici prorumpens, impetuosum torrentem per totam mundi latitudinem instagravit, quod in septem torrentes derivatur, vallesque et campestria profunda voragine supersedit, ipsis etiam montibus refusionem intentans. Quorum unus de altioribus inclamat : *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me* (*Psal.* XVII). Primus hujus fluminis rivus est cogitatio mala. Rivus exundans habens frequentiam pluviarum per fenestras corporeorum sensuum, qui ei de mundanis cataractis mortiferos imbres profluxius administrant. Versipellis contortor fingit similitudines, imagines pingit, colores aptat, ut consensum eliciat, affectum inficit, universa convolvit, in thalamo mentis, offert horribilia de divinitate, terribilis de fide, mirabilia de fidei institutione, et in alveo mentis veneniferas ingerit potiones, quas in confessione peccatorum exoneratus exhorret evomere. Quid plura? Inimicus virtutis in thalamo exstirpat devotionem, lo diversa protrahendo, in thalamo castitatem multiformis libidinis sensus evolvendo. Quibus fortioribus telis utinam oppugnans non expugnet, pungens non vulneret, et in claustro lectionem memoriam Scripturarum resecando, libros a manibus evellendo, et de isto ad illum transferendo; in officiis silentii virtutem, dum vagabundo se comitem facit, donec taciturnitatis officium aut aperiat aut infringat. Ad ipsum altare Domini virtutum spiritus isti in ipsos mentis oculos circa sacrificia pendentis in cruce circumvolitant. Has volucres vix patriarcha magnus a suis sacrificiis abigebat (*Gen.* XV). Videtis quam turbidus sit iste torrens. Quis in hoc negat se mersum vel submersum? Secundus rivus locutio perversa. *Linguam nullus domare potest*, ait apostolus, *membrum inquietum et mortiferum* (*Jac.* III). Est autem verbum aliud falsum. Unde : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Aliud vanum. Unde : *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum* (*Psal.* XI). Aliud maledicum. Unde : *Neque maledici*, etc. *regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI). Aliud impudicum. Unde : *Deponite turpem sermonem de ore vestro* (*Coloss.* III). Et : *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat* (*Eph.* IV). Aliud excusatorium. Unde : *Ne declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis* (*Psal.* CXL). Aliud dolosum. Unde : *Disperdat Dominus universa labia dolosa* (*Psal.* XI). Aliud otiosum. De quo Dominus : *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii* (*Matth.* XII). Tertius est actio prava post cogitationem et locutionem quando exhibentur membra iniquitatis peccato, ut contumeliis afficiant corpora nostra. Absit aliquem nostrum huic famulari idolo, Filium virginis in Veneris templo suscipere, arcam Domini juxta Dagon locare, nutritum in croceis stercora amplexari! Quartus rivus est defensio peccatorum, quo nihil magis exasperat iram divinitatis. Quando enim sanatur qui medicum sprevit, medicinam conculcat? Negantem super hoc propheta de sacrario Spiritus sancti nobis innuit. *Ibi*, inquit, *habuit foveam ericius* (*Isa.* XXXIV). Qui cum se adeptum solitudinem putat, caput et pedes exerit. Si quis supervenerit, statim ea contrahit et spinis munit, ut prius spinis illius sanguinem tuum teneas, quam corpus ipsius. Sic peccatoris caput cum pedibus, id est intentio cum actionibus, a pastore prospicitur, et quod fere omnium peccantium vitium est, cum ab omnibus videatur a nemine se videri putat. Si autem intentionis ingressus cum actionum egressibus correptivis manibus velis deprehendere, intantum se excusat novus dialecticus Ciceronis lingua, ut negando quæ vidisti, quæ ipse non vidit in te vitia retorquendo, prius sentiss quam vitium perdas, prius odium incurras quam corrigas. Quintus est exsultatio in peccatis. O detestanda lætitia, ut pro malis ipsi etiam Deo audeant gratias immutire! *Qui exsultant, cum male fecerint, et lætantur in rebus pessimis* (*Prov.* II). *Cadent super eos carbones et in ignem ejicientur.* (*Psal.* CXXXIX). Sextus est alios docere ad malum. Qui de cathedra pestilentiæ derivatur, cui non sufficit ut intereat in sæculum sæculi, nisi alios pertrahat, duplicem habiturus pœnam. Septimus est in his omnibus perseverare. Super sic demersum et absorptum claudit puteus os suum; et cum non levat oculos ad cœlum, nec recordatur judiciorum justorum, mortuus est et sepultus sepulcro conscientiæ, a quo sic mortuo perit confessio, ut veniens in profundum malorum contemnat (*Prov.* XVIII). Hic est in extremo fluminum Ægypti. Huic multitudo miserationum Domini tollitur ab oculis. Hunc fluvium in rivis percussit Dominus cum calceatus carnis calceamento, cujus corrigiam ille magnus non potuit solvere (*Matth.* III), illum transivit per immunitatem prædictarum pestium, et transeundo liberavit nos de aquis prædictis. Eia, fratres, si aliquis humor de his rivis fluminis mortalitatis est in vobis, tergite, et tergite illum niveo confessionis amictu. Percutite hos rivos cogitando pro peccato vestro, prohibendo linguam, declinando a malo et faciendo bonum, confitendo adversum vos injustitias vestras Domino, habeotes dolorem vestrum semper in conspectu vestro iniquos docendo, vias Domini et laudem ipsius in ore semper gerendo. Et ut calceati transeatis, consutis aliquid de arte sutoria, faciatis calceamenta densa et subtiliter consuta, quæ possint aquas obvisutes excludere. Faciatis carnem firmam et confixam timore Domini, quæ libidinis humorem excludat, et

excocta tribulationibus et densata fiat uter novus ad conservandum vinum novum, ut dicere possitis: *Factus sum sicut uter in pruina* (*Psal.* CXVIII).

Tit. XLVI. *De concordi religiosorum cohabitatione quam sit diabolo formidolosa.*

Pulchra es, amica mea, suavis et decora, sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata (*Cant.* VI). *Suavis* hominibus, *decora* numinibus, *terribilis* dæmonibus. Quare? Quia ambulat ut *castrorum acies ordinata*, non dissipata per invidiam, sed constipata per charitatem. *Acies* est per conventum, *castrorum* per procinctum, *ordinata* per consensum. Conventum facit pœnitentia, procinctum ponit vigilantia, consensum præbet concordia. Sane parum timet diabolus jejunantes, vigilantes, continentes, quoniam de illis multus obruit in laqueum ruinæ, sed concordes et unanimiter habitantes in domo Domini, dolorem, timorem, livorem ingerunt diabolo quos concordes invenit, præcipue cognoscit, quia in *manu Dei sunt et non tanget illos tormentum mortis* (*Sap.* III). *In hoc*, inquit, *cognoscent homines quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII). Charitatem autem inter homines expavescit diabolus, quam in cœlis tenere noluit cum Deo et angelis.

Tit. XLVII. *De quadruplici languore unde nos liberavit Christi adventus.*

Dicite pusillanimis: Confortamini et nolite timere. Ecce Deus noster veniet et salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum (*Isa.* XXXV). Generis humani ante adventum multa erat caligo, ut Deum cognoscere, verba ejus audire, bene operari, et peccata recusarent confiteri. Tantis itaque miseriæ languoribus placuit Deo salutis medicinam, ministris suis imponere, ad ejus consolationem, dicens: *Dicite pusillanimis*, etc. Ecce Dominus noster, medicina nostra, et salus nostra, et Jesus noster adveniet. Vere pusillanimes erant jacendo in doloribus, desperando in quadruplici infirmitate. Cæci enim erant, surdi, claudi et muti. Cæci Deum ignorando, surdi ipsum audire contemnendo, muti peccata sua non confitendo, claudi bene operari negligendo. Infirmitas ista a primo parente sumpsit initium. Cæcus fuit ex verbis serpentis putando se fieri Deum, non videndo se ex verbo Dei si non obediret ei futurum esse miserum. Claudus fuit cum in altero pede claudicavit. Duo enim sunt hominis spiritualis pedes, dilectio Dei et proximi; qui altera earum caret claudicat. Adam volens uxori morem gerere, dum amori ejus amorem Dei postposuit; male claudicavit. Dum Deum per obedientiam non audivit, surdus fuit. Mutus in confessione peccati fuit, rejiciens culpam in uxorem. In hæc vitia damnavit posteros excæcatos cultu idolorum, surdos in similitudine aspidis, quia populus Dei non audivit vocem ejus, claudos, quia claudicaverunt a semitis Dei, mutos a confessione peccati. *Quia* inquit *tacui inveteraverunt ossa mea* (*Psal.* XXXI). Ab hac quadruplici infirmitate volens nos liberare, consolando per prophetam inquit: *Ecce Deus noster*. Tunc enim aperuit oculos cæcorum, aperiens sensum ut intelligerent Scripturas; aures dum clamavit: *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XIII). Claudos gressus direxit, dum eos ad viam cœli inclinavit. Directi sunt pedes s'cut Origenes, qui nimium est de misericordia confisus. Neque ad sinistram sunt dejecti, sicut Cain Judas et diabolus, qui desperantes diverterunt. Medius enim callis tenendus est, ut nec desperet, nec de misericordiis confidens licenter peccet. Hinc vaccæ, arcam portantes pro peccatis, ad dexteram vel ad sinistram non declinant. In hac via saliendum est sicut salit cervus, ut spinosa divitiarum et lutosa transiliamus luxuriæ. Cervus deserit valles, ascendit montes. Tu, desere terram, ascendo cœlum. Cervus serpentem devorat, sitiens petit fontem, deponit veterem pellem. Tu, peccator, occide diabolum, curro ad Christum, depone veterem hominem, id est superbiam. Aperuit ora mutorum, quia, cum clamaret: *Agite pœnitentiam* (*Matth.* III, IV), confessi sunt peccata. Patet igitur, fratres, quadruplicis languoris quadruplex remedium. Non contemnamus medicinam. Aperiamus hic oculos per fidem, ut in futuro Deum videamus per speciem. Pateant aures verbo Dei, ne et nobis dicatur: *Vos verba Dei non auditis, quia ex Deo non estis* (*Joan.* VIII). Saliamus ut cervus pede amoris Dei, ut ad cœlorum alta valeamus ascendere. Aperiamus interim linguam nostram in confessione prævenientes Deum, ut ibi eam in illa laude aperiamus confessione, qua *omnis spiritus laudabit Dominum* (*Psal.* CL).

Tit. XLVIII. *De quadruplici statu hominis.*

Ne læteris, Philisthæa omnis tu, quoniam contrita est virga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur regulus, et semen ejus absumens volucrem, etc. (*Isa.* XIV). In his verbis notantur quatuor status hominis, videlicet ante peccatum, lapsus ejus, redemptio, diaboli interitus. Virga est rectitudo primi parentis ante peccatum. Percussor, ipse parens, cujus invidia ipse diabolus percutiebatur. Sed hæc virga contrita est, quoniam per peccatum rectitudo hominis est amissa. Quia ergo virga, id est rectitudo percussoris diaboli, contrita est, lætabatur diabolus, ostendens autem non esse ei lætandum et volens propheta humanum genus consolari; de quo quia illud in carcere detinebat diabolus exsultabat, insultans contra ipsum humani generis inimicum ait: *Ne læteris*, etc. Philisthæa quæ *potionem* interpretatur diabolum notat, qui potione superbiæ inebriatus a nativo sensu et cœlesti gloria cecidit, qui quod propterea quod humanum genus teneat, exaltari non debeat, notatur cum dicitur, *de radice colubri egredietur regulus*, etc. Coluber genus humanum est, cui mors per serpentem illata est. Hic est serpens de quo legitur quod virga de manu Moys

projecta versa est in serpentem, cujus caudam dum Moyses apprehendit, in virgam serpens rediit (*Exod.* IV). Virga genus est humanum: quod erat ante peccatum quasi virga propter bonæ voluntatis: et operis rectitudinem, de quo dicitur: *Redemisti virgam hæreditatis tuæ*, etc. (*Psal.* LXXIX). Hæserat in manu Moysi, id est in Christi manu ante peccatum virga propter rectitudinem in primis parentibus. Mox autem propter peccata ejecta de manu Dei in serpentem vertitur, quia genus humanum tunc et mortale per naturam et tortuosum factum est per malitiam. Sed quia in novissimis diebus ad immortalitatem et bonitatem per gratiam rediit, quasi apprehensa cauda in pristinam rectitudinem virga convertitur. Ex hujus colubri radice, id est ex principio generis humani egreditur regulus, id est Christus, qui: Christus inter mortales ita superior fuit sicut regulus rex serpentum dicitur, cujus semen, id est apostoli, absorbet volucrem, id est diabolum. De istis volucribus dicitur: *Et volucres cœli comederunt illud* (*Luc.* VIII). Confundatur ergo et timeat diabolus, quia semen reguli, id est apostoli Christi, absorbet volucrem, id est diabolum in membris dominicis dissipabit, Domino ei dicente: *Macta et manduca* (*Act.* X). Gaudeat homo quia obstetricante manu Domini, id est medente Filio Dei, eductus est coluber de caverna, id est diabolus de cordibus hominum, ut exsultantes de sui ereptione, suoque vincenti consolatori gratias agentes dicant: *Ecce vicit Leo de tribu Juda* (*Apoc.* V).

TIT. XLIX. *De tribus mansionibus Ægypti.*

Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua (*Cant.* III). Volens Scriptura infirmas mentes, quas in carnalibus desideriis jacere dolebat, ut quæ ad Deum videndum conditæ fuerant, ad visionem veri Salomonis revocare, ait: *Egredimini*. Egredimini itaque a fetore stabuli, ad odorem thalami, a carpis Ægypti ad manna deserti, a tribus, scilicet mansionibus Ægypti, ad tres visiones Salomonis nostri. Tres enim sunt mansiones Ægypti: Exterior, interior, superior. Exterior mansio est in desiderio eorum quæ mundi sunt; interior, in delectatione eorum quæ carnis; superior, in malis gloriari. Has mansiones deserere præcipitur Abraham cum ei dicitur: *Exi de terra tua*, hæc est prima; *et de cognatione*, hæc est secunda; *et de domo patris tui* (*Gen.* XII), hæc est tertia. Terram appellat curiositatem terrenorum, cognationem affinem carnis delectationem, domum patris de malis gloriari, exemplo illius qui singulariter volens gloriari dixit: *Sedebo te in monte testamenti* (*Isa.* XIV). Hic dicitur pater malorum imitatione. In prima mansione habitant qui honoribus et divitiis delectantur: in secunda, qui carnis desideriis obsequuntur; in tertia, qui de propriis malis superbiunt et gloriantur. Hæc sunt tria mala quæ enumerat Joannes apostolus, dicens: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitæ* (*I Joan.* II). Itinere igitur trium dierum, ut neque cogitatione, nec locutione, nec operatione criminaliter peccemus, egrediamur cum Abraham has tres mansiones, quod videamus Salomonem. Aliter non videretur Triplex autem est ejus visio ad quam a triplici prædicta visione pervenitur, prima in hoc exsilio, secunda in judicio, tertia in regno. De prima dicitur: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti* (*Joan.* XX); de secunda: *Videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* III); De tertia: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei* (*Isa.* XXVI). In prima apparuit mansuetus; in secunda justus judex. Unde: *Cum accepero tempus ego justitias judicabo* (*Psal.* LXXIV). In tertia gloriosus quia gloria et honore coronavit eum Dominus (*Psal.* VIII). In prima visione illuminavit cæcos; in secunda voluit solvere compeditos; in tertia dirigit justos. In his est amabilis, terribilis, admirabilis. Prima visio generat spem, ne dejiciamur adversis; secunda, timorem, ne erigamur prosperis; tertia, charitatem, ut videamus *facie ad faciem* (*I Cor.* XIII). In prima visione fuit corrector morum; in secunda erit discretor meritorum; in tertia, largitor præmiorum. Secundum istas tres visiones, tria ipsi conveniunt nomina: Salomon, Ecclesiastes, Idida. Salomon *pacificus* quod vere fuit in prima. Ecclesiastes *concionator*, quod erit in secunda, quando advocabit cœlum desursum et terram, dicturus malis: *Ite, maledicti in ignem æternum* (*Matth.* XXV), bonis: *Venite, benedicti*, etc. (*ibid.*). Idida, id est *dilectus Domini*, quod erit in tertia visione in patria quando erit omnibus omnia (*Col.* III). In prima visione viderunt eum boni et mali, sed non omnes. In secunda videbunt eum boni et mali, et omnes. In tertia omnes boni et soli. Ad primam autem visionem in qua mansuetus exspectat, peccantes Scriptura invitat, dicens: *Egredimini, et videte regem Salomonem* pacis præcepta dictantem ut unitatem spiritus servetis in vinculo pacis. Videte dico non in quo coronavit eum noverca, sed mater sua. Coronavit enim eum noverca, pater et mater. Noverca Synagoga, mater Virgo, Pater ejus Deus. Noverca coronavit eum corona spinea et miseriæ, mater corona justitiæ, Pater corona gloriæ. Spinea corona materialiter punxit eum exterius, spiritualiter interius non pro suis, sed pro nostris criminibus, ut nos pro spinis nostris ei non dedignemur compungi. Matris corona quatuor pretiosis lapidibus eum ornavit. Isti sunt principales quatuor animi affectiones, gaudium, amor, tristitia, timor. Istæ affectiones, sicut dicit beatus Augustinus, ordinatæ justitia sunt, inordinatæ injustitia. Quia itaque sibi ordinatas eas Salomon noster assumpsit de Virgine, ipsa prædicta corona justitia eum coronavit. Ut autem ad plenariam cognitionem tertii diadematis, quo eum Deus Pater gloria et honore coronavit pervenire possitis, egredimini a vitiis, videte fide et operatione et imitatione eum coronatum corona qua coronavit eum mater sua, ut ordinatas ejus exemplo prædictas affectiones habeatis, ipso præstante. Qui, etc.

TIT. L. *De triplici locutione Dei.*

Audiam qui loquatur in me Dominus Deus (*Psal.* LXXXIV). Tribus modis homini loquitur Deus. Lege scripta, lege naturali, inspiratione occulta. Lex scripta, et Vetus et Novum Testamentum. Lex naturalis: Quod tibi factum velis, id alii feceris; et: Quod tibi non fieri nolis, alii ne feceris. Lex scripta proponitur auribus, naturalis inseritur cordibus. Neutra ad salutem observatur operibus, nisi tertio modo loquatur homini Deus, inspiratione scilicet occulta. Hæc est tertia locutio Dei, non loquax, sed efficax, non exterius sonans, sed interius docens et penetrans. Abigit muscas Ægypti, quæ sequuntur sacrificantes in deserto. Prima musca est carnis mollities; hæc contaminat sacrificium mortificatæ carnis. Secunda est curiositas mundi, et hæc maculat sacrificium cordis contriti. Tertia musca est malignitas diaboli et hæc fœdat. Totidem autem sunt ranæ Ægypti loquaces. Has ranas exstinguit divinæ inspirationis locutio, dum a voce carnalium delectationum, a strepitu mundanæ curiositatis, et a voce male suggerentis diaboli facit quiescere. Hæc item locutio est quæ intus loquitur pacem. Pax autem duplex est: temporalis, quæ a vitiis facit quiescere et æterna, quæ in gloria donat durare. De utraque dicit propheta: *Sabbatum ex Sabbato dabit vobis* (*Isa.* LXVI), id est requiem æternam pro temporali. *Pacem* prædictam *loquitur Deus in plebem suam, super sanctos suos et eos qui convertuntur ad cor* (*Psal.* LXXXIV). In his tres in Ecclesia notantur ordines. Conjugati per plebem, prælati per sanctos continentes per eos qui convertuntur ad cor. Vel tres ordines claustralium: incipientes, qui adhuc contra carnalia desideria pugnant; perfecti, qui soli Deo adhærent; prælati, qui sibi et aliis prævident. Qui, etsi ad aliorum curam recedunt, per propria ad cor suum redeunt.

TIT. LI. *De ascensionis cordis ad Deum gradibus.*

Ascensiones in corde suo disposuit (*Psal.* LXXXIII). Ascensor iste in Scriptura sacra aliquando dicitur ovis perdita, aliquando filius prodigus, recedens a patre. Recessit enim a suo pastore et Patre in desertum hujus mundi, quod regio est a Deo longinqua tribus descensionum gradibus. Primus fuit a Dei magistra voluntate recedere, et suam sibi propriam magistram constituere, divinæ voluntati suam præferendo; secundus fuit a sua voluntate in carnis voluptates descendere, carnis curam in desideriis faciendo; tertius vero, a seipso sub se in terrena effluere, mundum et ea quæ in mundo sunt quærendo. Primum recessit a Deo intro ad se, secundo ab intus extra juxta se, tertio extra se. Prima dicta remotum, secunda remotiorem, tertia eum fecit remotissimum. Prima est voluntatis perversio, secunda carnalis delectatio, tertia terrenorum ambitio. His gradibus ad desertum ad regionem longinquam usque ad Babylonem descendit. Sed quia, juxta prophetam, etiam ibi aliquando liberatur, attendendum quomodo per trinam ascensionem ab hac trina descensione ad Deum redeat, quia inde incipit ascendere, ubi descendendo pervenit. Primus ascensionis gradus est terrena contemnere, paupertatem illam appetendo qua pauper in cella dolor fit in conscientia; secundus est carnis delectationes ex toto conterere, carnalia desideria vigiliis, jejuniis et orationibus domando; tertius voluntatem suam Deo et prælatis suis supponere, humilitatem in corde, patientiam in ore, perseverantiam exhibendo in opere. Nam hæc tria veræ obedientiæ sunt necessaria, exemplo illius qui *foetus est obediens* Patri (*Philip.* II); — *mitis et humilis corde* (*Matth.* XI; *Isa.* LIII); — *et tanquam ovis ad victimam ductus non aperuit os suum*, perseverans *usque ad mortem crucis* (*Philipp.* II).

TIT. LII. *Sabbato quæ derideantur.*

Viderunt eam hostes et deriserunt Sabbata ejus (*Thren.* I). Hostes deridere Sabbata est etiam a vitiis ipsa vacationis opera et otia, ad illicitas cogitationes pertrahere.

TIT. LIII. *Quid sit: « Pones eos ut clibanum ignis. »*

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, etc. (*Psal.* XX). Clibanus intus ardet, ignis carnes exterius urit. In tempore igitur vultus Domini, et intus injustis ardet conscientia, et foris carnem cruciat gehenna.

TIT. LIV. *De nominis Jerusalem interpretatione secundum quodruplicem sensum.*

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas (*Psal.* CXXI). Jerusalem quatuor accipitur modis: historice, terrena ista civitas; allegorice, sancta Ecclesia; tropologice, quæque fidelis anima; anagogice, æterna felicitas. De prima dicitur: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas*, etc. (*Luc.* XIII). De secunda et tertia: *Surge, illuminare, Jerusalem*, etc. (*Isa.* LX). De quarta: *Jerusalem quæ sursum est libera est, quæ est mater nostra* (*Gal.* IV). Cui dicitur: *Lauda, Jerusalem, Dominum* (*Psal.* CXLVII). Hæc est, ut cantat Ecclesia, *urbs quædam beata*, scilicet Jerusalem, *dicta pacis visio*, juxta nominis interpretationem, *quæ construitur in montibus*, quia in cœlis, *vivis ex lapidibus*, id est angelis et hominibus, præparata ab origine mundi, ut sponsata per prophetas in tempore, copuletur tandem Domino in æternitate. *Quæ ædificatur ut civitas*, vivis et rationabilibus ædificiis, angelicis ordinibus quasi mœnibus, apostolicis fortitudinibus quasi propugnaculis, martyrum confessionibus tanquam muris, continentium castimoniis tanquam honestis domibus, conjugatorum officiis quasi plateis negotiorum exercitatis. Hujusmodi ædificiis ædificatur, donec consummata dedicetur. Diebus septem ædificatur, octavo dedicatur. Hæc autem non est civitas, sed *ædificatur ut civitas*, non ratione nominis, sed similitudinis ratione. In ædificatione enim tria concurrunt. Primo violenter extrahuntur lapides malleis et vectibus ferreis cum multo labore. Secundo celte, bipenni, regula poliuntur, eruderantur, et quadrantur. Tertio per manum artificis in suis locis disponuntur permansuri. Ad

hunc modum in ædificatione patriæ cœlestis tria considerantur, separatio, politio, positio. Separatio est violenta, politio purgatoria, positio æterna. Primum est in angustia et afflictione; secundum, in patientia et exspectatione; tertium, in gloria et exsultatione. Per primum cribratur homo sicut triticum, in secundo examinatur sicut argentum, in tertio ponitur in thesaurum, siquidem vivi lapides sunt, quos prævidit Deus fieri conformes Filii claritatis suæ. Hi dum sunt in corpore, quasi in lapidea massa sunt. Moles enim corporis tenacissime premit et arctat quia *corpus quod corrumpitur aggravat animam*, etc. (*Sap.* IX). Ab hac desiderabat abstrahi qui dicebat : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* XV). Multis concussionibus necesse est nos agitari, ut inde extrahamur idonei. *Per multas* enim *tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV). De quibus experto credite dicenti : *In vigiliis multis, in laboribus supra modum : in fame et siti*, etc. (*II Cor.* XI). De molestia autem separationis audite Psalmistam : *Circumdederunt me gemitus mortis* (*Psal.* CXIV). Quam intolerabilis sit ista separatio, quando physicales nodi solventur, et proportionalia vincula, in libro experientiæ legitur qui ab Antonio noluit suscitari, cum oporteret iterum mori. Post hanc separationem qui statim inveniantur idonei (sicut beatus Benedictus cui via ad cœlos visa est, quod rarum est) sublevantur. Qui vero cum ligno, feno et stipula transeunt, in purgatorio poliuntur (*I Cor.* III). Unde: *Si cujus opus arserit quod superædificavit, mercedem accipiet* (*ibid.*). Post politionem autem sustolluntur, suisque aptantur locis per manum artificis d. p. i., e. (*sic*). Sane hæc tria singulis annis repræsentat Ecclesia. In vigilia Omnium Sanctorum separationem, in festivitate positionem, in memoria mortuorum politionem. Dies enim jejuniorum dies est afflictionis. Unde : *Prima die septimi mensis affligetis animas vestras* (*Levit.* XXIII). Dies vero solemnis quæ sequitur, plenitudinem gaudii significat, in quo sancti Domino scenopegizant : Tertio memoria mortuorum agitur, ut ii qui in purgatorio poliuntur, pœnæ consequantur absolutionem, vel pœnæ mitigationem. Et sic tria repræsentat Ecclesia circa spem beatorum, unde transeunt, et qua transeunt, et quo transeunt. Unde transeunt, quia ab hac miseria : qua transeunt, quia per pœnam et purgatorium : et quo, quia ad cœlestem Jerusalem, *cujus participatio*, id est habitatio *est in idipsum* (*Psal.* CXXI), id est invariabile. Omnium enim sub sole diversum esse est; habitatio vero Ecclesiæ cœlestis est in eo quod est *idipsum*. In cujus, etc.

TIT. LV. *De nominibus filiarum Dei et diaooli : et egressu earum ad regem suum.*

Sicut perversa anima dicitur filia maris, filia Tyri, filia Sidonis, filia Babylonis, exposita vanitati, voluptati, curiositati, et omnibus vitiis, sic fidelis dicitur filia Juda, filia Sion, filia Jerusalem. Ex humilitate compunctionis, ex sublimitate contemplationis, et ex felicitate supernæ visionis his filiabus dicitur : *Egredimini* ad Creatorem vestrum, quia videnti Creatorem angusta est omnis creatura. Egredimini ad Salvatorem, quia Ipse dicit : *Ecce nova facio omnia* (*Apoc.* XXI). Egredimini ad glorificationem, quia dicitur : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI). Sequitur : *Et videte* oculo rationis Creatoris vestri potentiam, oculo fidei Redemptoris vestri clementiam, oculo contemplationis cœlestis sponsi gloriam, Regem scilicet naturæ, ne tempora in nihilum redigantur gratiæ, ut ordinate succedant munera gratiæ, gloriæ, ut hic vel ad modicum prælibetur, alibi ad plenum consummetur. Regem in mundo, regem in inferno, regem in cœlo. In inferno tormenta disponit, in mundo merita distribuit, in cœlo præmia reddit. Videte ergo, filiæ Sion, regis vestri apud inferos terrorem, in mundo ipsius amorem, in cœlo honorem. Apud inferos impios premit ejus justitia, in mundo pœnitentes regit misericordia, in cœlo diligentes felicitat gloria.

TIT. LVI. *De expositione sacræ Scripturæ.*

Si intraveris segetem proximi tui franges spicas et manu conteres; falce autem non metes (*Deut.* XXIII), hoc est evelles sententias manu intelligentiæ, conteres granum ab arista, spiritum secernens a littera. Falce autem non metes, quod est facile et subito librum transcurrere. Sufficit paucos manipulos per dies colligere. Sunt qui falce metunt, qui totum subito librum legentes nihil intelligunt. *Ingressus vineam proximi tui*, id est Scripturam Dei tui, *comedas uvas*, id est sententias *quantum tibi placuerit*; *foras autem non efferas tecum* (*ibid.*), quia non est dandum sanctum canibus neque ponendæ margaritæ ante porcos (*Matth.* VII).

Frumento, vino et oleo stabilivi eum (*Gen.* XXVII). Divina Scriptura in quibusdam locis quasi panis difficile editur, in quibusdam sicut vinum facile sorbetur, in omnibus quasi medicamentum et oleum animæ, dum sumitur, medetur.

TIT. LVII. *Primogenita diversis modis esse Dei et sacerdotum.*

Omnia primogenita in lege sunt sacerdotum immunda redimuntur, munda non, sed offeruntur. Quorum sanguis super altare funditur, pectusculum et armus est sacerdotum (*Num.* XVII), quia fides sacerdotum ministerio Deo offertur. Aliter enim nemo baptizatur, nisi prius fides quæ est primogenitum sacerdotibus offeratur. Immundum redimitur, quoniam anima violata pœnitentiæ pretio restauratur. Munda non redimuntur, quia quod liberum est redemptione non indiget. Sanguis super altare funditur. *Pectusculum et armus sunt sacerdotum*, quoniam sic ad eos pertinet ipsorum vitas prædicare ut consilia dare et onera portare sufficiant.

TIT. LVIII. *De Levitarum purificatione et officiis in typum cleri Christiani.*

Præcipiuntur Levitæ tolli de medio filiorum Israel, purificari, aqua lustrationis aspergi, omnes pilos corporis radere (*Num.* VIII). Significatur autem per

hoc nostrorum levitarum et clericorum vitam debere a laicali vita secerni ab omni vitiorum sorde purificari et lavari, et a superflua cogitatione mundari. Unde additur: *Ponentque filii Israel manus suas super eos* (*Ibid.*), ut intelligant quanto oneri subdantur, quos pro omnibus laborare oportet, quorum manus ferunt, et quod omnium manus in tabernaculo facere debuerant illi soli faciunt, qui omnium manus in se susceperunt. Levitæ autem super duorum boum capita manus ponebant, intelligentes se corpus et animam suam debere domare, quorum domitor erat qui dicebat: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX). Si sic domiti fuerint, tunc Moyses, id est Salvator, alterum boum pro peccato, alterum in holocaustum offert, ut uno peccata solvantur, altero Dei gratia suscipiatur. Ita purificati in tabernaculum intrant ministraturi, quoniam tales Ecclesiæ et cœli tabernaculo digni sunt.

TIT. LIX. *De bove et asino, id est stolido et rustico cum ceciderint sublevandis.*

Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis eum (*Exod.* XXIV). Sumus in via mandatorum Dei, in qua Psalmista ludo fatigatus dicebat: *Viam mandatorum tuorum cucurri* (*Psal.* CXVIII). Frater noster Christus est, et quilibet homo. Certum enim est quod unius Patris filii sumus. Hujus asinus est aliquis stultus, piger, luxuriosus. Bos est qui in ejus agro laborare debet. Tales si in via peccando cecidisse videmus sublevare debemus. Adjuvemus ergo ut et nos adjuvemur. Intra nos est hortus in quo sepulcrum est Domini, in quod si cadimus, suscitamur, ut corpus a latrunculis elatum timore persequentium in sepulcrum Elisei dum cadit, vivus resurgit (*IV Reg.* XIII), sed lapis, ne intremus, sæpe est ostio oppositus; verum si sanctæ mulieres, id est bonæ cogitationes frequentant sepulcrum, angelus lapidem amovet, et intrantes, etiam si mortui fuerint, vivent.

TIT. LX. *De diligentibus et timentibus Deum, et de confitentibus Deo.*

Recti diligunt te (*Cant.* I). Hominum alii sunt jacentes, alii curvi, alii recti. Jacentes sunt qui nec timent nec diligunt Deum; curvi, qui timent et non diligunt; recti, qui timent et diligunt. Quidam sunt qui confitentur Deo, quia eos bene pascit. Unde in psalmo: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei* (*Psal.* XLVIII). Istis jacentes in luto peccati Deum nec timent nec diligunt. Alii sunt qui confitentur Deo quoniam sciunt esse potentem ponere corpus et animam in gehennam; isti timent et non diligunt. Alii Deo confitentur propter ipsum, quia solus bonus est, dulcis et magnæ misericordiæ; non timore, non cupiditate, sed confitentur quoniam bonus. Primi sunt mercenarii, secundi servi tertii filii. Mercenarius cupit sibi, servus timet sibi, filius diligit. Uousquisque habet legem suam. Mercenarius cupiditatem, qua constringitur; servus timorem, quo arctatur; filius charitatem, quam complectitur.

TIT. LXI. *De triplici cella in quam introducimur.*

Introduxit me rex in cellaria sua (*Cant.* I). In morali disciplina tres sunt cellæ quasi in vero cellario. Unde pluraliter dicit *cellaria*. Prima est disciplinæ, secunda naturæ, tertia gratiæ. In prima discis inferior esse, in secunda par, in tertia superior, scilicet subesse, coesse, præesse. Primo igitur discas esse discipulus, secundo socius, tertio magister. In prima mali mores domentur, in secunda boni assumantur, in tertia in aliis doceantur domari et assumi.

TIT. LXII. *Rursus de interpretatione Jerusalem.*

Lætare, Jerusalem, et conventum facite. Jerusalem quatuor modis dicitur. Historice, allegorice, moraliter, anagogice. Historice civitas est constituta super montem Sion, in area Ornæ Jebusæi, ubi rex David nebulosam construxit turrim. Allegorice est urbs in monte Christo constituta, ejus fundamentum in montibus sanctis, ubi Christus regnat in æternum. Moraliter, fidelis anima contemplationi dedita quæ in virtutum eminentia sternit fundamentum. Hanc inhabitat Verbum de corde Patris eructatum. Verbum enim Dei sumus in illo. Anagogice, supercœlestis illa curia, archangelica turba, quæ quotidie satiatur, dum eis apparet gloria, quia in speculatione æternæ jucunditatis jugiter creditur constituta. Lætatur autem Jerusalem urbs terrena pro terrenis. Lætatur Jerusalem Ecclesia pro multiplicibus donis. Lætatur Jerusalem fidelis anima pro diversis mentis. Lætatur Jerusalem divina curia pro diversis præmiis. Lætitia qua jucundatur Ecclesia duplex est, peccatorum remissio et donorum assecutio. Pro his ergo acceptis beneficiis invitat eam Spiritus sanctus ad exsultationem. Lætare, Jerusalem, et conventum facite. Conveniant virtutes ut resistant vitiis. Conveniant prædicatores ut resistant hæreticis. Conveniant martyres ut resistant tyrannis. *Quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adversus eum testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ.*

TIT. LXIII. *De custodia viæ hominis in locutione, et de non divulgandis mysteriis.*

Via hominis in custodia sermonis non solum servatur, sed etiam corrigitur. *In quo enim corrigit adolescentior viam suam? In custodiendo*, inquit, *sermones suos* (*Psal.* CXVIII). Illi sermones quia aliquando sunt tacendi, subditur: *In corde meo abscondi eloquia tua* (propter porcos et canes), *ut non peccem tibi* (*ibid.*): *Nolite sanctum dare canibus* (*Matth.* VII). Vitium est secreta mysterii indignis vulgare. Quod fit vel adulatione, ut placeat cui vulgat, vel avaritia, ut inde lucretur; vel jactantia, ut multa scire videatur. Quia vero sunt aliquando proferendi ostendit, dicens: *In labiis meis* (cordi consonis) *pronuntiavi* (aliis cum tempus vidi) *judicia tua* (*Psal.* CXVIII). Non dico omnia, sed oris tui: quæ per apostolos et alios mihi manifestasti, judicia quibus nunc et in futuro judicatur mundus, quæ sunt abyssus multa.

Tit. LXIV. *Butyrum et mel comedet*, etc.

Butyrum et mel, qui nobis, puer factus est, comedit in nobis (*Isa.* VII), cum nos comedere facit, quia cum in nos Spiritus sanctus gratiam fundit, melle nos pariter et butyro replet. Mel enim desuper cadit; butyrum ex bonm ceu vaccarum lacte colligitur. Mel itaque ex aere, butyrum est ex carne. Summi autem Patris Unigenitus, cum sit Deus super omnia, homo factus est inter omnia. Qui cum nos dulcedine divinitatis suæ et mysterio incarnationis replevit, nos melle pariter et butyro nutrivit, ut sciat, id est scire nos faciat, reprobare mare malum, vitiurum et pœnarum; et eligere bonum, virtutum et præmiurum.

Tit. LXV. *De quinque civitatibus Ægypti loquentibus lingua Chananæa.*

In illo die erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chananæa (*Isai.* XIX), non Ægyptia, nec Hebræa. Quinque civitates sunt quinque sensus corporis. Ægyptus, mundus. In Ægypto loquuntur civitates lingua Ægypti, dum quinque sensus in mundo quæ mundi sunt appetunt. Chananæa loquuntur in Ægypto, dum moti a vitiis ad virtutem in mundo mundana non quærunt. Chananæa enim interpretatur *commotio*. Lingua vero Hebræa quæ *transitus* sonat, nullus in Ægypto hujus mundi loquitur, sed in vita illa ad quam de morte fit transitus. Hic autem Chananæa, quæ inter Ægyptiam et Hebræam est affinis, ille loquitur qui de vitiis ad virtutes commovetur, licet omnino non transeat. Sequitur: *Et jurantes per Dominum exercituum* (*ibid.*), id est Dei, non hominum recordantes. Additur: *Civitas solis vocabitur una* (*ibid.*). Hæc est visus per quam lumen accipitur justitiæ, ut civitas videatur.

Tit. LXVI. *Quomodo loquatur Deus ad cor hominis.*

Loquar ad cor ejus (*Ose.* II). Loquitur Deus ad cor hominis gratia sua ipsum illustrando. Loquitur homo ad cor suum, in libro cordis sui opera sua diligenter legendo. Liber iste duo folia habet. In uno legunt peccatores; in alio pœnitentes. Peccator hoc legit: Hæc ego egi, recordor, et delector. In contrario folio pœnitens: Ego egi hæc, recordor, et doleo. Legamus in folio pœnitentium ne forte solvamus novissimum quadrantem, id est puniamur pro his quæ de terra protraximus. Duo enim sunt quadrantes, unus Dei, alter sæculi. Quadrans Dei amor ex toto corde, ex toto animo, ex totis viribus. Quadrans sæculi est voluptas, curiositas, inanis gloria. Omnis enim quadrans ex tribus consistit. Primus solvitur, et gloria recipitur, secundus recipitur, et pœna tribuitur.

Tit. LXVII. *De novissimis et antiquis ad verbi incarnationem applicatis.*

Cognovisti omnia novissima et antiqua (*Psal.* CXXXVIII). Novissimum: *Verbum est caro factum* (*Joan.* I); antiquum: *In principio erat Verbum* (*ibid.*). Hæc sunt nova ad vetera, et veterum vetustissima, de quibus in Levitico: *Vetustissima veterum comedetis: et novis supervenientibus, vetera projicietis.* Vetera sunt promissiones legum et prophetarum de venturo Christo. Nova sunt promissionum impletio, veritatis exhibitio. Vetustissima, quæ ad divinitatis æternitatem pertinent. Novis ergo supervenientibus, vetera sunt projicienda, et vetustissima servanda, quia exhibita veritate Dominici adventus figura et promissio cessare debent, nunquam incarnationis et vetustissimum æternitatis Verbi credendo et colendo tenendum. Unde tres in Natali missæ celebrantur. Prima de æterna genitura: *Dominus dixit ad me.* Secunda, de promissione adventus: *Lux fulgebit.* Tertia de impletione promissionis: *Puer natus est nobis.* Et quia ille idem qui est Dei Filius, factus est hominis filius, ideo in illius missæ officio ubi cantatur de æterna Christi genitura; *Dominus dixit ad me*, legitur Evangelium de temporali Christi nativitate: *Liber generationis Jesu Christi* (*Matth.* I); et in missa ubi cantatur de temporali nativitate: *Puer natus est nobis*, legitur Evangelium de æterna generatione: *In principio erat Verbum* (*Joan.* I). Et quia veritate exhibita figuræ cessant, non officium quod pertinet ad promissionem, sed quod ad impletionem sequentibus diebus repetitur, scilicet, *Puer natus est nobis.* Hæc novissima et antiqua quæ Pater novit, et cui Filius voluerit revelare.

Tit. LXVIII. *De dimidiantibus dies suos et non dimidiantibus, et de loco mortis eorum.*

Deduces eos in puteum interitus, quia viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (*Psal.* LIV): ut si quos egerint in malo, reliquos consummarent in bono. Sunt enim qui non incipiunt dies, sed continue perseverant in malis. Alii dimidiant dies, alii implent dies bonos, quia alii moriuntur in Ægypto, alii in deserto, alii in terra sancta. In Ægypto moriuntur qui in tenebris vitiorum usque in finem vitæ perdurant; in deserto, qui de confessione peccati exeuntes per pœnitentiam emendantur; in terra sancta implent dies qui sine crimine in opere justitiæ usque in finem persistunt. Hæc tria genera hominum inveniuntur in volumine illo in quo scripta sunt carmen, lamentum et væ. Carmen cantant qui peccati lapsum non senserunt; lamentum qui a peccatis per lamentum pœnitentiæ surgunt; væ qui peccant et non pœnitent. Hi non dimidiant dies suos.

Tit. LXIX. *De duabus tubis argenteis et earum usu ad Petrum et Paulum applicatis.*

Fac tibi duas tubas argenteas ductiles (*Num.* X), quarum varietate vocum populus congregetur ad prælium præparatum, et in festivitate cantetur. Hæ tubæ argenteæ sunt Petrus et Paulus, qui sunt argentei nitore eloquii, ductiles super incudem cordis Spiritus sancti malleo fabricatam. His ad Ecclesiam nos populi circumcisionis et gentium congregamur, contra hostes vitiorum et dæmonum dimicare, et eos superare docemur, ac discimus bene vivendo, mores componendo, et in via mandatorum currendo, qua-

liter Deo hostias laudis et jubilationis immolemus, gratum Deo festum celebrantes. His aliter ad congregandum, aliter ad pugnandum incitamur, quia triplici modo jam explicito.

TIT. LXX. *De duplici labore, sæculi scilicet et Dei, et utroque triplici.*

Honestavit illum in laboribus suis (*Sap.* x). Labores alii in sæculo, alii in Dei servitio. Labor sæculi triplex. Unus gratus et delectabilis : sicut hortorum, vivariorum et similium. Alius stultus et inutilis, sicut palæstræ, theatri, choreæ in cursibus equorum et saltibus pedum. Alius scelestus et gravis, sicut furtorum, homicidiorum et similium. Hi omnes stultorum. Labor autem qui habetur in Dei servitio similiter triplex. Durus, sed fructuosus, sicut manuum pro salute animæ et ex obedientia, qui habetur sudore plenus. Alius honestus et virtutum gratia plenus, ut in hymnis et canticis, consonantia morum, sed et vocum in Dei laudem exerceri. Alius dulcis et jucundus, quem non novit nisi expertus, sicut quando mens contemplatione quadam Deo ferventissime adhæret, et mirabilibus lacrymis pascitur; quæ in Job aquæ nivis vocantur, quod licet in experto labores videatur; experto tamen est super mel dulce.

TIT. LXXI. *De fine qui consumit et consummat. Et de mandato quod est latum nimis.*

Omnis consummationis vidi finem. Latum mandatum tuum nimis (*Psal.* CXVIII). Finis consummationis est plenitudo dilectionis. Finis qui consumit et consummat. Consumit tria iniquitatem vitiorum mentis et peccatorum carnis, vanitatem mundi, et calamitatem carnis. Consummat tribus : perfecta puritate, angelica parilitate, æterna felicitate. Hoc mandatum latum est nimis, quia ex quo interiorem possidet hominem, nec cogitationem agitat vanitas, nec affectionem impuritas maculat, nec intentionem iniquitas angustat, sic Deus optat a nobis amari. *Dilige*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua* (*Deut.* VI), ut sit cogitatio sana, affectio pura, intentio recta. Diliges, primo, quia te condidit, secundo quia redemit, tertio quia glorificabit, ex operibus scilicet conditionis, redemptionis, glorificationis. In primo te creavit ex nihilo et ratione præditum fecit. In secundo liberavit a maledicto, et a concupiscentia sanavit. In tertio te angelorum sociavit consortio, et limpidissimæ memoriæ patravit.

TIT. LXXII. *De triplici statu in corpore quam habet anima diligens Deum.*

Comedite, inquit sponsus in Canticis, *amici mei, et bibite, et inebriamini* (*Cant.* V). Tres sunt diligenti animæ status corporis : infirmi, mortui, suscitati. Primus valet animæ ad fructum pœnitentiæ, secundus ad requiem, tertius ad consummationem. In primo corpus animam onerat et juvat; in secundo, non juvat, sed onerat; in tertio, juvat et non onerat. Primus status laboriosus est, sed fructuosus; secundus, onerosus et fastidiosus; tertius, gloriosus. Laborantes igitur in corpore ad cibum vocat, jam posito corpore quiescentes ad potum invitat, resumentes corpora ut inebrientur invitat, quos et vocat charissimos, nimirum charitate, plenos. Unde et in aliis differentia est; nam ii qui in carne adhuc gravati erant, chari habentur pro charitate quam habent. Qui vero jam soluti compede carni sunt, eo sunt chariores, quo propinquiores et expeditiores ad amandum. Porro præ utrisque dicuntur charissimi qui recepta secunda stola eo in Dei amorem feruntur liberiores, quod de primo nihil habent quod eos sollicitet vel tardet. Primo ergo fidelis anima in carne pane cibatur doloris : secundo soluta a carne vino potatur amoris, tertio ad ferculum Salomonis admissa pigmento inebriatur amoris. Hoc triplex convivium ex una charitate celebrat sapientia : cibans laborantes, potans quiescentes, et inebrians regnantes. Hic primo ante mortem in carne mortali labores manuum nostrarum manducamus, post mortem in vita spirituali bibemus in suavissima requie, post carnis resurrectionem inebriabimur amplissima quadam felicitate. *Comedite* igitur ante mortem, *bibite* post mortem, *inebriamini* post resurrectionem.

TIT. LXXIII. *De triplici benedictione, duplici manu, et utriusque digitis, et de obedientia triplici.*

Beati omnes qui timent Dominum; qui ambulant in viis ejus. Labores manuum tuarum manducabis : beatus es, etc. (*Psal.* CXXVII). Finis hujus psalmi benedictio est. Triplex est autem benedictio : materialis, spiritualis, intellectualis. Materialis est corporalium. Unde : *Frumento, vino et oleo stabilivi eum* (*Gen.* XXVII). Spiritualis incorporalium. Unde : *in fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum* (*Eccli.* XLV). Omnes qui vident talem cognoscent quia est sanctum, cui benedixit Dominus. Intellectualis cœlestium. Unde : *Convocatis Jesus duodecim discipulis suis, dedit illis virtutem super omnia dæmonia et ut languores curarent* (*Luc.* IX). In prima ergo humana natura sustentatur opere et fructu naturæ; in secunda reparatur muneribus et opere gratiæ; in tertia sublimatur operibus et donis gloriæ, de spirituali in præsenti psalmo loquitur. Sed nota quis sit qui benedici meretur, qui timet, ambulat, laborat, manducat. In primo obedientiam nota; in secundo pœnitentiam, in tertio constantiam, in quarto patientiam. Vera namque pœnitentia semper est timida, et cavet a peccatis; devota obedientia, dilatato corde, ambulat in mandatis; virilis constantia laborat in tentatione, ne cadat; humilis patientia gaudet in tribulatione, dum triumphet. Unde : *Omne gaudium existimate*, etc. (*Jac.* I). Hic, *Labores manuum manducabis*. Prima manus et sinistra est actio. Secunda et dextera, est contemplatio. Sinistræ digiti sunt hi : primus abstinentia, amputat libidinem et ministrat castitatem; secundus silentium, tollit falsitatem et dat veritatem; tertius psalmodia, removet curiositatem, et donat carnis, oris et mentis puritatem; quartus labor vigiliarum, aufert ignorantiæ cæcitatem et confert scientiæ claritatem; quintus exercitium operum, adimit vanitatem

et largitur gratiæ libertatem. Dextera digiti sunt isti : Primus est lectio, secundus meditatio, tertius compunctio, quartus devotio, quintus oratio. Lectio sponsam quærit, meditatio quæsitam invenit, compunctio inventam abluit, devotio ablutam induit et ornat, oratio ornatam subarrhat. Quærit in divinis eloquiis, invenit in sanctorum Patrum institutis, abluit salubri fonte lacrymarum, induit vario colore virtutum, subarrhat fide et voto stabilitate et proposito. Hujus uxor est regularis et perfecta obedientia, sicut vitis abundans; de qua vinum exprimitur, quod triplicem vim habere dignoscitur; calefacit, lætificat, inebriat. Triplex quoque est species obedientiæ. Prima stabilium præceptorum, secunda inviolabilium, tertia incommutabilium. Prima est humanæ dispositionis, et accendit; secunda divinæ institutionis, et lætificat; tertia cœlestis eruditionis inebriat. Accendit prima fervore justitiæ, lætificat secunda puritate conscientiæ, inebriat tertia plenitudine gratiæ. Præfati igitur divitis uxor est *sicut vitis abundans* (*Psal.* CXXVII), quia ejus obedientia accendit ad justitiam et virtutem lætificat ad gratiam et quietem, inebriat ad gloriam et salutem. *In lateribus domus tuæ* (*ibid.*) conscientia, timor et spes. In lateribus domus uxor abundat, quia aliter vitæ perfectio non potest apprehendi, nisi eum timor inferius sollicitat, spes sursum erigit. Inter hæc duo latera virtutum exsultat familia, quia et timor circumspectus sepire vias satagit ne aspirent vitia; et spes sursum provehit, ne præmia certaminum videantur; timor obstat, ne rivalis introeat; spes blanditur, ut sponsæ placeat. Hujus filii, id est opera, sunt sicut novellæ olivarum. Oleum pascit, ungit et lucet. Ungit per opera misericordiæ, pascit per opera justitiæ, lucet per opera gratiæ. Novellæ olivarum dicuntur opera operum.

TIT. LXXIV. *De præmiis arefactæ et mortificatæ carnis per religiosam obedientiam.*

Ossa arida, audite verbum Dei. Hæc dicit Dominus : Ecce intromittam in vos spiritum et vivetis, etc. (*Ezech.* XXXVII). His verbis loquitur ad eos Spiritus sanctus quibus ait Filius : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ego dispono vobis regnum*, etc. (*Luc.* XXII). Laudat in eis rigorem mortificationis per contemptum peccati, mundi, et sui. Laudat decorem fortitudinis per amorem recti, Patris et Dei, æqui, justi, honesti. Ne vero eorum vacillet constantia, spem erigit ex dilectione resurrectionis, dicens, *ossa* propter dilectionis fortitudinem; *arida*, propter mortificationis exilitatem. *Audite verbum Domini*, etc. In his tota pulchritudo animæ consistit. In uno quidquid indecens est et inutile tollitur. In altero quidquid est pulchrum et honestum præparatur. In tertio quidquid salubre est statuitur. In uno quiescit perverse agere; in altero discit bene agere; in tertio, inquirere pacem et habere. Tales erant quibus dicebat Apostolus (*Coloss.* III) : *Mortui estis, ecce arida; et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, ecce ossa. Cum Christus apparuerit vita vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria*, ecce resurrectionem. De hujusmodi dicitur in psalmo : *Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis*, etc. (*Psal.* XLIV). Et alibi : *In terra deserta, invia et inaquosa, sic in sancto apparui tibi*, etc. (*Psal.* LXII). Tria sunt genera mortificationis : Primum iniquitatis per pœnitentiam, secundum carnis per abstinentiam, tertium voluntatis per obedientiam. Pœnitentia namque mortificatur iniquitas, abstinentia caro, obedientia propria voluntas. Prima virus exprimit malitiæ; secunda incentiva libidinis et gulæ excoquit; tertia illicita et incommoda voluntatis propriæ. Fit ergo terra *deserta* per pœnitentiam, *invia* per abstinentiam, *inaquosa* per spiritualem obedientiam. In prima invenitur myrrha, quæ virus ejicit iniquitatis; in secunda gutta, quæ sanguinem abjicit immundæ voluntatis; in tertia casia, quæ naturalem virorem exprimit justæ necessitatis. Hinc Psalmista : *Ossa mea sicut cremium aruerunt* (*Psal.* CI). Cremium triplici de causa : Primo ex gratia salis, secundo ex industria hominis, tertio ex natura sanguinis. Ista, membrum Christi, sponsa Agni, cohæres Unigeniti carnem siccat ab actu peccati, confitendo iniquitatem, sensum ligat a causa vagandi excludendo curiositatem, mentem servat ab affectu peccandi, eliminando vanitatem. Primo igitur sicca sunt ab iniquitate per confessionem; secundo, exilia per parcimoniæ rigorem; tertio arida per spiritualem subjectionem. Hæc est sponsa quæ primo ascendit *quasi aurora consurgens* (*Cant.* VI); secundo, *per desertum sicut virgula fumi* (*Cant.* III); tertio, *deliciis affluens* (*Cant.* VIII). Aurora a tenebris vitiorum elevata per confessionem agnitione veritatis, per desertum abstinentiæ occasione recisa curiositatis, affluens divitiis, id est spiritualibus exercitiis sub obedientiæ puritate. Sic arida, sed ossa, fortitudinem habent quadruplicem : Primo contra impetum vitiorum, secundo contra prosperitatem mundanorum, tertio contra turbines eorum, quarto contra astutias diaboli. Ossa ergo veritatis sunt amici Salvatoris discipuli, contemptus mundi, peccati sui, diaboli. Unde : *Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi?* (*Psal.* XXXIV.) In corpore enim Ecclesiæ cutis sunt carnales, caro animales, ossa spirituales. Sic timore exsiccatis, dolore arefactis, auctor pietatis præmium promittit laboris in gloria resurrectionis. Unde sequitur : *Dabo super vos nervos, carnem, et cutem* (*Ezech.* XXXVII). In *cute* significatur corporis immortalitas, *in carne* animæ felicitas, *in nervis* utriusque æternitas. Magna igitur sunt afflictionis solatia, pretiosa mœroris gaudia, gloriosa certaminis præmia. Mira commutatio. Unde propheta : *Erit vobis in illa die corona pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris* (*Isa.* LXI). In ultimo corporis immortalitas, in medio animæ felicitas. In primo utriusque notatur æternitas. Hinc Apostolus : *Quod momentaneum et leve est tribulationis supra modum pondus gloriæ operatur in nobis* (*II Cor.* IV) : non aspicientibus

quæ temporalia, sed quæ æterna. Viribus ergo compunctio mentis, afflictio carnis, constantia in tentatione, patientia in tribulatione, quoniam de compunctione delectatio, et de afflictione gaudium, de conflictu victoria, de pugna possidetur corona.

TIT. LXXV. *Quomodo Deus exaltetur in nobis, et de altitudine cordis nostri.*

Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus (*Psal.* LXIII). Tribus modis exaltatur Deus : per id quod habet de nobis, naturæ scilicet humanæ conditionem in qua exaltatus est super cœlos cœlorum; secundum quod habitat in nobis, per fidem videlicet et dilectionem, quia qui amplius diligit, amplius diligendus invenitur; secundum quoque quod capitur a nobis per cognitionem, quia quanto crescit in nobis ejus scientia, tanto major invenitur ejus eminentia. Instar montis, a quo quanto magis te elongaveris, tanto minor apparet; quanto magis appropinquaveris, tanto major et altior videtur. Est autem cor profundum et latum et altum : profundum desperatione, latum dilectione, altum contemplatione. Si vis ergo ut Deus, qui in se exaltari non potest, in te exaltetur, a profundo cordis accede ad latum per fidem et dilectionem, et de lato ad altum per cognitionem. Et exaltabitur Deus in nobis, quia quantum humani cordis affectio, ab inferiorum suspensa desiderio, in amorem æternorum promovetur, tantum charitas Dei ex magnis major, ex summis altior virtutibus, apud ipsum exaltatur.

TIT. LXXVI. *De triplici disciplina.*

Apprehendite disciplinam (*Psal.* II). Triplex est disciplina : correctionis, institutionis, conversationis. Prima et secunda ad magistrum, tertia ad discipulum. De prima et secunda dicit propheta : *Disciplina tua correxit me in finem; disciplina tua ipsa me docebit* (*Psal.* XVII). De tertia liber Sapientiæ : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum* (*Sap.* I). Duobus modis fit disciplina correctionis, monitis et flagellis; duobus traditur disciplina institutionis, præceptis et exemplis; duobus agitur disciplina conversationis, moribus et studiis.

TIT. LXXVII. *De quatuor agonibus Christianorum.*

Persequatur inimicus animam tuam (*Psal.* VII). Quatuor sunt agones militiæ Christianæ, plaga, fuga, impetus, triumphus. Aliquando enim persequitur inimicus hominem et comprehendit, et percutit plaga magna. Aliquando persequitur et comprehendit, sed elabitur fuga. Aliquando versa vice persequitur homo, et non comprehendit inimicum, quia indiscretus est impetus. Aliquando persequitur et comprehendit, et hic est triumphus. *Persequar*, inquit, *inimicos meos et comprehendam illos* (*Psal.* XVII). Quandiu distenditur homo in sæculo, persequitur eum inimicus et comprehendit; quando fugit de sæculo, persequitur eum et non comprehendit; quando fervore novitio pro redimendis vitiis indiscrete corpus avertit, tunc versa vice persequitur homo inimicum, sed non comprehendit; quando perfecto sensu sic vitium jugulat ut nec indulgeat, persequitur et comprehendit. De primo propheta : *Plaga inimici percussit te* (*Jer.* XXX). De secundo Dominus : *Videte ne fiat fuga in hieme vel sabbato* (*Matth.* XXIV). De tertio : *Qui festinus est offendit pedibus* (*Prov.* XIX). De quarto : *Resistite diabolo, et fugiet a vobis* (*Jac.* IV). Nam restitisse in tentationibus, vicisse est.

TIT. LXXVIII. *De ira, facie et præsentia Dei; de fumo, flamma et carbonibus.*

Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit, et carbones succensi sunt ab eo (*Psal.* XVII). Aliud in Deo ira, aliud facies, aliud præsentia. Ira judicii recordationem, facies cognitionem, præsentia ponit perfruitionem. Bona est recordatio, melior cognitio, optima perfruitio. Cæterum aliud fumus, aliud flamma, aliud carbones significant. *Fumus* est amaritudo pœnitentiæ, *flamma* ardor dilectionis, *carbones* holocaustum consummationis. *Tunc*, inquit, *acceptabis sacrificium justitiæ oblationes et holocausta* (*Psal.* L). Recordatio igitur judicii excitat compunctionem, dum timorem incutit, et ex timore ad pœnitentiam adducit. *Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui* (*Psal.* CXVIII). Quia post mortem inde afficitur amore. Cognitio exardescere facit affectionem, quia quanto magis cognoscitur Deus tanto plus amatur. Unde in præsenti non plene diligitur, qui non plene cognoscitur. Perfruitio vero donat consummationem, quia, dum post mortem dabitur frui gloria per majestatem contemplationis, consummabitur plenitudo dilectionis. Sed dum ex recordatione judicii excitatur compunctio, tunc ex ira Dei fumus ascendit; dum ex cogitatione incalescit dilectio, a facie ejus ignis exardescit; dum ex perfruitione præsenti datur cognitio, carbones succenduntur ab eo. Primo fumum, secundo flammam, tertio ponit carbones. Ignis enim rudem et humidam tangit materiam, non statim flammas excutit, aut totum in carbones absumit. Humida et rudis materia, peccatorum est conscientia, fluxu carnis et vitiis carnalibus quasi fucis quibusdam infecta. In hac autem materia Deus spuuli (*sic*) divinæ indignationis a corde ad oculos usque ascendit; et effluit per lacrymas fumus compunctionis. Excitata autem materia corporis per abstinentiam, contritionem et pœnitentiam a diversis tenebris ignorantiæ, lucere per cognitionem, et ardere incipit per dilectionem, tantoque fit charitas ardentior quanto sapientia Dei fuerit perspicacior. Vel inde a facie ejus ignis exardescit, quando ex ejus cognitione charitas ignescit, inflammare potens cor humanum dum hic vivitur, sed ut totam materiam in carbones absumat vel consumat, nunquam potest in præsenti, quandiu *corpus quod corrumpitur aggravat hominem* (*Sap.* IX) : tanquam enim aliquid habens adhuc humoris, materia flammas dilectionis habere potest, in carbones nunquam converti potest, donec veniat quod perfectum est, evacuato quod est ex parte (*I Cor.* XIII), ut ignis charitatis totum in se convertat hominem, et ut iterum in carbones redigat; ut

nihil ulterius obstet carni, utque amplius luctari non habeat amoris incendium. Fecit quippe, cum illuc perventum est, de fumo flammam, de flamma carbones. Sicque post ignem qui ardet in Sion, carbonum succensorum caminus est in Jerusalem. *Venit*, inquit Propheta, *Dominus, cujus ignis in Sion et caminus in Jerusalem* (*Isai.* XXXI). Sion *speculatio*, Jerusalem *visio pacis* dicitur. Hic est laboris speculatio, ibi pacis visio. In speculatione igitur ignis est; sed in visione caminus. Quia hic a facie ignis exardet, ibi in camino carbones succensi sunt ab eo.

TIT. LXXIX. *De triplici loco Dei.*

Factus est in pace locus ejus (*Psal.* LXXV). Locus Dei triplex, mundus, Ecclesia, fidelis anima. In mundo est ut imperator in regno, in Ecclesia ut pater familias in domo, in anima ut sponsus in thalamo. In mundo est creando et regnando; in Ecclesia, ad sacramentorum participationem et fidei perceptionem vocando; in anima, per charitatem inhabitando. Si in domo Dei es per conditionem, etiam diabolus tecum est. Si in domo Dei es per fidem, etiam dæmones tecum sunt; credunt enim dæmones et contremiscunt. Si per spem, etiam palea est cum granis in area ac horreo. Si autem fueris per charitatem, beatus es, quia non tam in domo Dei quam domus Dei esse cœpisti, ut intres et habites ubi pax est, et habitare digneiur cujus locus in pace factus est. Quem locum vel domum fac arcam diluvii, tabernaculum militiæ, arcam testamenti. In domo veneretur filius patrem. In diluvio ploret naufragus gubernationem. In tabernaculo honoret miles regem. In testamento auscultet assecla præceptorem.

TIT. LXXX. *De fonte patente et occulto, Christo scilicet Domino nostro.*

In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ (*Zach.* XIII). Fons occultus Unigenitus est Patris invisibilis. *Fons* idem *patens* Deus incarnatus, qui *fons patens domui David* dicitur, quia ex David genere ad nos Redemptor processit. In Jerusalem habitavit, quia in visione pacis intimæ. Mentem autem peccatricem significant peccator et menstruata; vel peccator eum qui delinquit opere, menstruata mentem quæ labitur prava cogitatione. Nam sicut menstruata est polluta quæ aliena carne non tangitur, et sua inquinatur, sic anima, etsi malum opus non peragit, polluta tamen immunda cogitatione sordescit. Unde: *Omnes qui quærunt eam non deficient, in menstruis ejus invenient eam* (*Jer.* II), quia maligni spiritus in illa bonæ cogitationis rectitudine repelluntur, cum in pollutis cogitationibus positam facile ad perversam cogitationem trahant. *In die* igitur *illa*, etc., quia apertus est jam nobis fons misericordiæ, Redemptor noster qui in domo David incarnatus peccatorem lavat a perverso opere, et menstruatam mentem diluit a fœda cogitatione. Pater igitur fons, curramus cum lacrymis, lavemur hoc fonte pietatis. In hoc fonte David, lotus per pœnitentiam a gravi macula culpæ, quærebat hunc, cum diceret: *Redde mihi lætitiam salutaris tui* (*Psal.* L), id est Jesu. In hoc fonte misericordiæ lota est Maria Magdalene, Petrus et latro. Cur ergo pigri sumus? Cur torpentes et frigidi remanemus, qui in hoc fonte pietatis tantos se lavisse cognoscimus? Ergone de mundatione nostri desperemus, qui tot exempla misericordiæ in pignore tenemus? Quærere misericordiæ fontem deberemus, si clausus esset, nunc vero patet, et negligimus. Mittamus oculos fidei in mundum universum, consideremus quam multi hodie in hoc fonte laventur, quam multi post lacrymas ad munditiam redeant. Curramus cum talibus ad aquam vitæ, consideremus quantum peccavimus; atque ut appareamus mundi, cor nostrum illi lavemus in holocaustum, adjuvante nos ad hæc eadem gratia Redemptoris Domini nostri qui vivit et regnat, etc.

TIT. LXXXI. *De humiliatione triplici.*

Bonum mihi quia humiliasti me (*Psal.* CXVIII). Non omnes sunt humiles qui humiliantur, quia alii cum rancore, alii patienter, alii libenter humiliantur. Primi sunt rei, secundi innoxii, tertii justi. Quia licet innocentia portio sit justitiæ, tamen consummatio ejus est apud humilem. Non enim intus murmuranti, non minus murmuranti, quia non humiliatis, sed humilibus dat Deus gratiam.

TIT. LXXXII. *De turpi mutatione hominis.*

Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII). Turpis mutatio, ut cujus erat ante, cœlos meditatione penetrare, mente supernas mansiones circuire, devotione Patres et apostolos salutare, choros prophetarum, martyrum admirari triumphos, supre pulcherrimos ordines angelorum, modo turpi se mancipet corporis servituti ad obediendum carni, ad satisfactionem gulæ et ventri, ut caro ancilla quasi domina imperet spiritui domino. *Exitus aquarum deducunt oculi* (*Psal.* CXVIII) super hujusmodi animam, scilicet quæ cum nutriretur in croceis nunc amplexatur stercora. Pascit sterilem quæ non parit, et viduæ bene non facit. *Homo, cum in honore esset, non intellexit* (*Psal.* XLVIII). *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* (*Gen.* III). — *Cum in honore esset non intellexit*, inquit. In quo habitabat? In paradiso, in loco voluptatis, gloria et honore coronatus, et constitutus super opera manuum Plasmatoris, cujus societas cum plebe angelorum, et omni militia cœlestis exercitus, sed mutavit istam *gloriam in similitudinem vituli comedentis fœnum* (*Psal.* CV). Inde panis angelorum factus est fenum positum in præsepio, et appositum est nobis tanquam jumentis. Hoc fenum carnis Christi non est desiccatum, quæ est pro mundi vita. Illius utique feni carnis nostræ quod desiccatur, et cecidit flos, non ille qui de radice Jesse et virga ascendit. Cibus hominis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. En tristis mutatio et lacrymosa; homo incola paradisi, terræ Dominus, civis cœli, domes-

ticus Domini Sabaoth, super beatorum spirituum agmina, repentina mutatione jacet pecus in stabulo, indiget feno. Agnosce, o bos, possessorem tuum, et o asine, præsepe Domini tui. Cognosce, pecus, quem cognovisti; homo, adora in stabulo quem fugiebas de paradiso, et comede fenum, quia panem angelorum fastidisti, quia, cum in honore esses, non intellexisti nec Deum Creatorem tuum, nec te beatum esse creatum,

Duplex ista ignorantia damnabilis.

Prima facit jumentis parem, secunda posteriorem. Unde, *si ignoras te, abi post gregem sodalium tuorum* (*Cant.* I). Vere post, quia reprobi homines igni traduntur perpetuo, non pecudes. *Melius fuisset ei si natus non fuisset homo* (*Matth.* XXVI), sed pecus. Propter primam ignorantiam pecudes habebat sodales; factus est similis illis in perfruendis bonis terræ; propter secundam, non est cum illis, sed post illas in perferendis tormentis gehennæ. Est enim hic ipsis bestiis bestialior, ratione vigens et ratione non vivens.

TIT. LXXXIII. *De claustri agro, in quo sunt uvæ, rosæ, lilia, violæ et olivæ.*

Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* XXVII). Ager est mundus, vel quilibet conventus. In his redolet uva, rosa, lilium, viola et oliva. Uva divini amoris, quæ calcata in torculari tribulationis reconditur in apotheca æternitatis et jubilationis. Rosa ex cruore martyrii redolens. Lilium, ex incorruptione virginitatis candens. Viola ex humilitate locum minimum tenens, et cœlestis regni purpuram in mente habens. Oliva opere misericordiæ more olei refovens et lucens.

TIT. LXXXIV. *De virore calami et junci.*

Orietur in ea viror calami et junci (*Isai.* XXXV). Calamo scribitur et junco. Primus est prædicator, secundus auditor. Uterque ex eadem aqua proficit, quia et doctrina et profectus audientiæ est ex Deo. Horum viriditas operum ex aqua sapientiæ quæ ex ore Altissimi procedit, in Ecclesia nascitur. Sancti ergo spiritus est gratia, quæ et doctoris os aperit, et auditoris mentem ac profectum intus inspirat et illuminat.

TIT. LXXXV. *Quod dulcedo hominis vermes sint.*

Dulcedo hominis vermis (*Job.* XXIV), scilicet terrarum. Quisquis in hoc mundo appetit cæteros excedere rebus et honoribus tumere, huic nimirum cura sæcularis est in delectatione, quies in labore. Quia igitur natura vermium est momentis singulis moveri et rodere, per vermes inquietudo mentis et consumptio notatur cogitationum, quibus homo incessabiliter se pascit et depascitur. Vel vermis nomine caro signatur. Luxuriosi ergo carnis voluptatibus dediti quanta sit cæcitas monstratur cum dicitur : *Dulcedo illius vermis.* Quid namque caro nisi putredo et vermis est? Qui carnalibus desideriis anhelat, quid aliud nisi vermem amat? Quæ enim sit carnis substantia testantur sepulcra. Quis parentis, quantumvis dilecti, vermibus scaturientem carnem tangere posset? Cum caro concupiscitur, pensetur quid sit quando est exanimis, et intelligetur quid ametur. Multum valet ad domandum desiderium qui vivum diligit pensare quid futurum sit mortuum.

TIT. LXXXVI. *Oleum de capite non deficere.*

Oleum de capite tuo non deficiet (*Eccle.* IX). Oleum in capite, charitas in mente : et a capite oleum deficit cum a mente charitas recedit. A pilis ergo tondemus caput, ne abjiciant oleum, id est malas cogitationes mente, quibus perditur charitas.

TIT. LXXXVII. *Ut speciem suam visitet quisque.*

Visitans speciem tuam non peccabis (*Job* V). Species hominis est sicut homo. Speciem ergo suam visitat quisquis ad eum quem similem per naturam conspicit, passibus amoris tendit, et in altero sua considerans, ex seipso colligit qualiter infirmanti alii condescendat, qui ut in se alterum reficiat, se in altero pensat. Unde Moyses : *Tulit terra lignum habens sementem secundum speciem suam* (*Gen.* II). Terra, inquam, benedicta, ante peccata; nam post maledicta spinas dat et tribulos.

TIT. LXXXVIII. *Quid sit sacerdotes caput non radere, nec tamen comam nutrire.*

Sacerdotes caput suum non radant, nec comam nutriant, sed tondeant (*Ezech.* XLIV). Sacerdotes sunt qui, ut sacrum ducatum præbeant, præsunt. Capilli in capite exteriori sunt cogitationes in mente. Quia igitur de vita subditorum sollicitudines habere debent, nec tamen eis vehementer incumbere, caput prohibentur radere et comam nutrire, ut illos nec funditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent. Quantum necesse est prodeant, et tamen recidantur citius, ne immoderatius crescant; serventur in capite sacerdotis, ut aurem operiant; resecentur, ut oculos non claudant.

TIT. LXXXIX. *De sacculo pertuso et integro.*

Qui mercedes congregavit, in sacculum eas misit pertusum (*Agg.* I), de quo aliunde exit quod aliunde immittitur. Is enim est saeculus pertusus qui irreprehensibiliter vivens, odium in corde portat. Considerat quam sit mundus in opere, nunquam crudelis in mente, qui mercedem quam reponit ex bono opere, perdit ex odio; quod intrat per foramen boni operis exit per pertusum damni supernæ dilectionis. Tu, inquam, homo integer saeculus esto, ad conservanda bona, pertusus et scissus per contritionem pœnitentiæ ad ejicienda mala ut circumderis lætitia. Unde : *Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia* (*Psal.* XXIX).

TIT. XC. *Oculi sapientis in capite ejus.*

Oculi sapientis in capite ejus sunt; stultus in tenebris ambulat (*Eccle.* II). Quia sapiens in capite Christo per imitationem oculos mentis figit, et stultus, in interioribus extra se studium intentionis ponens, quasi sine luce in tenebris ambulat.

TIT. XCI. *De abscondente frumenta.*

Qui abscondit frumenta maledicitur in populis (*Prov.* XI). Frumenta abscondere est prædicationis verba apud se retinere. In populis maledici-

TIT. XCIX. *De sententiæ supremi judicii ad parturientem comparatione.*

Sicut parturiens loquar (*Isa.* XLII). Parturiens cum dolore ejicit quod diu in absconditis cum pondere portavit. Ita Deus qui apud se nunc tacitus tolerat, in ultione judicii quasi cum longo dolore post silentium manifestat.

TIT. C. *Descendere in infernum cum armis.*

Descendunt in infernum cum armis suis (*Ezech.* XXXII). Arma peccantium sunt membra corporis quibus prava desideria quæ concipiunt exsequuntur, cum quibus tolerant æterna tormenta cum principe ipsorum diabolo. Unde: *Ibi Assur et omnis multitudo ejus; in circuitu ejus sepulcra ejus* (*ibid.*). Assur diabolos, multitudo ejus, angelici spiritus quos ad culpam traxit. Qui mortem pertulit, cum sui Conditoris vitam reliquit. Hujus tanquam mortui sunt sepulcra, qui in suis cordibus illum per desideria prava sepeliunt. Qui erunt in circuitu ejus, quia tunc sepulcra cum mortuis ardebunt, ubi ignis qui obscuratur, mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, ignis tenebrescit, mors vivit, finis semper incipit, defectus deficere nescit.

TIT. CI. *Ferro pœnam duram, sed transitoriam, ære signari æternam.*

Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum (*Job.* XX). Quia necessitas inopis vitam mœrnris vulnere cruciat, per ferrum notatur. Unde de Joseph vendito: *Ferrum pertransiit animam ejus* (*Psal.* CIV). Judicium fraternum, quod ab avari mente non attenditur, per arcum innuitur. Si ergo in istis armis ferreis necessitate non perfruitur, sed illa fugiendo multa per avaritiam rapit, hunc extremi et occulti judicii arcus districtius ferit. Et nota quod æreus dicitur, ut ferro durabilior, quia pœna quam fugit transitoria est, quam incurrit æterna.

TIT. CII. *Necessaria hujus vitæ non esse abominanda.*

Non abominaberis Ægyptium vel Idumæum (*Deut.* XXII), id est quamvis relinquenda Ægyptiaca, pristina scilicet conversatio de superfluis non cogitando, non tamen prorsus abominanda, ut de necessariis non cogitemus.

TIT. CIII. *Una trutina nos et proximos metiamur.*

Non sit pondus tibi majus et minus (*Deut.* XXV), ut aliter tibi, aliter proximo metiaris, imponens gravia quæ nec digito velis movere.

TIT. CIV. *Disputare a cedro ad hyssopum.*

Disputavit Salomon super lignis, a cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete (*III Reg.* IV). Salomon Christus; cedri nomine, celsitudo gloriæ in electis; hyssopi, quæ herba humilis est petræ adhærens, humilitas Christi accipitur: *A cedro usque ad hyssopum Salomon disputavit;* quando ab alta gloria cœlestium usque ad carnis humilitatem descendens Christus pervenit. Cedri quoque nomine pravorum elatio designatur. Unde: *Vox Domini confringentis cedros* (*Psal.* XXVIII). A cedro igitur Christus usque ad hyssopum disputat, quia superbos et humiles ipse dijudicat. Super ligna autem disputat, quia in cruce dependens clamat scarabeus de ligno; et tam cedrorum superbiam ad humilitatem deduxit, dum eos ad humilitatem crucis et stultitiam per contemptibilem sermonem fidei inclinavit: *Verbum enim crucis pereuntibus stultitia; credentibus virtus Dei est in salutem* (*I Cor.* I).

TIT. CV. *De absconsione Eliæ in Carith.*

Absconditus est Elias in torrente Carith (*III Reg.* XVII), quod interpretatur *colvus*; et ibi de torrente bibit, et corvus pascebat eum, mane et vespere, pane et carne. Elias, qui interpretatur *Deus fortis*, Christus est qui in Calvariæ loco ubi abscondita est gloria ejus, de torrente immortalitatis nostræ bibit, pascitur mane et vespere, id est ab exordio gratiæ usque ad finem mundi, a corvo, id est genere humano peccatis nigro, pane fidei et carne resurrectionis. Quasi enim corvus Christo carnem et panem offert nostram salutem sitienti, dum peccator vitam suam per fidem componit, et carnem per pœnitentiam domitam Deo in sacrificiu tribuit spe resurrectionis.

TIT. CVI. *De spiritu triplici quem ab Elia petiit Eliseus, et de largitate Christi.*

Dicenti etiam Eliæ, *Postula quod vis* (*IV Reg.* III), respondit Eliseus: *Obsecro, fiat spiritus tuus duplex in me* (*ibid.*). Elias caput, Eliseus corpus, quod est Ecclesia, notat. Elias noster dat locum petenti, cum dicit: *Petite et accipietis* (*Luc.* XI), hac fiducia Eliseus, id est Christianus petit ut spiritus ejus duplex fiat in assumptione virtutum et remissione peccatorum. Spiritus ista conferens simplex fuit in Christo, qui peccata non habuit et ideo remissionem peccatorum non exigit. Opera autem virtutum fecit in spiritu. Bene ergo Ecclesia spiritum duplicem petit, quia et remissione peccatorum indiget qua non indiguit Christus; et collatione virtutum, quas ex plenitudine sua tribuit Christus qui suam in eo spem ponit. Hinc Elias dicit ad Eliseum: *Si videris me quando tollar a te, fiet; si non, non erit* (*IV Reg.* II). Quia nisi quis oculos fidei in illum figat credens resurrectionem, ascensionem et cætera credenda, petitionis fructum non recipiet. Elias pallio flumen percussit, quia Christus per incarnationem, qua tanquam indumento se induit, fluvium nostræ mortalitatis destruxit, et ipse transivit, et nobis ad vitam transitum dedit. Eliseus vero eodem pallio flumen percussit et non dividitur. Item dicit: *Ubi est nunc Deus Eliæ?* (*Ibid.*) et tunc dividitur, quia Ecclesia nisi ad invocationem Christi virtutes nullas potest facere, ipso dicente: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Nihil enim humanum studium potest, nisi adsit divinum adjutorium.

TIT. CVII. *Quid sit a canibus et avibus comedi.*

Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate comedent eos canes; qui in agro, vorabunt eos aves cœli (*III Reg.* XIV). Quia et qui fide tennis positus est in Ecclesia, si mortalibus peccatis moritur, a canibus qui circueunt civitatem, id est sanctorum sententiis increpatur, arguitur et damnatur. Hi sunt qui infideles vel fures abjiciunt foras, abigunt, et

ovilia sancta custodiunt. Qui autem extra Ecclesias vitiis moritur, illæ volucres quæ semen secus viam sparsum comedunt, eum devorant, id est, ad æternum interitum peccatis onustos secum ducunt incorporatos.

Tit. CVIII. *De filio viduæ ob Eliseo suscitato.*

Filium viduæ qui ægrotaverat et mortuus est in sinu ejus, ut suscitet Elias tollit de sinu ejus in cœnaculum, ponitque in lectum: ubi ter eum corpore suo metiens per orationem suscitat (*IV Reg.* iv). Filius moritur in sinu matris, dum spiritus moritur in delectatione pravæ conversationis. Unde et in sinu uxoris Samson necatur. Hic ut vivat prius removetur a sua vana conversatione, quia prius est relinquendum malum. Inde portavit in cœnaculum Ecclesiæ, id est monasterii, ubi habitat Deus. Ibi in lecto contemplationis positus super se ter Deum sentit metiri, dum mente, ore et opere, Deum recipit, nulla cogitans, loquens, aut operans nisi quæ Dei sunt, ut jam vivat in virtutibus, et quiescat non in agro, non in molendino, sed in lecto illius pacis quæ hic incipit, in futuro consummatur. Item sciendum quod vidua hæc animam significat, de qua dicitur: *Pavit sterilem, et viduæ non benefecit* (*Job* xxiv). Quod est carnem a fructu boni operis sterilem nutrire, et animæ non providere, cujus maritus Christus est mortuus. Hujus viduæ sinus est caro, filius opus est. Qui moritur in sinu, id est in carnis delectatione, sed prædicto modo eum suscitat Elias.

Tit. CIX. *De mysterio altaris ob Elio constructi et actorum ab eo circa ipsum.*

Elias ædificavit altare de duodecim lapidibus. In circuitu altaris fecit aquæductum quasi duas arenuculas [*aratiunculas*] (*III Reg.* xviii). Supponit ligna; et bovem super ligna divisit; et fecit primo, secundo, et tertio aquam super infundi, quousque impleretur aquæductus circum altare. Altare fideles sunt vel quælibet congregatio ex his qui fidem sequuntur duodecim apostolorum. Aquæductus duarum arenucularum [aratiuncularum] flumina lacrymarum ex corde contrito pro timore gehennæ et desiderio vitæ æternæ. In altari componuntur ligna, sanctorum scilicet dicta et facta in exemplum credentibus. Bos quoque superponitur, id est Christus, qui super omnes actus suos in exemplum proponitur; super utrumque aqua ter effunditur, dum quis imitatur Christum et sanctos, et aqua compunctionis verba, cogitationes et opera mundat, nec cessat, donec fossa prima et secunda, id est per mortem præsentem et gaudium futurum compleatur. Tunc ignis Dei holocausta et ligna vorat, dum dicta et facta examinans in æterna eum recipit vita. Discutiamus ergo, nos fratres, si ad altare Dei sumus doctrinam apostolicam sequendo. Habeamus in circuitu nostro et timorem gehennæ, et desiderium patriæ, quasi duas fossas quibus compuncti abstineamus a malo timore pœnæ, et faciamus bonum amore patriæ. Superponamus nobis exempla sanctorum, tanquam quidam ligna quibus premamur ne excedamus, et ipsius Christi actus et verba tandem imitemur. Mundemus primo cogitata, deinde dicta, post opera nostra aqua pœnitentiæ, ut ubi ab igne divino mereamur assumi, qui quidem comburit consumendo vitia, et illuminat claritatem dando æternam. Post tale sacrificium sequitur pluvia divinæ gratiæ ad orationem Eliæ super terram, quæ fuerat arida tribus annis et mensibus sex, quanto tempore Christus prædicavit, dum ex evangelica prædicatione in lacrymas compunctionis et desideriorum æternæ consolationis resolvimur.

Tit. CX. *De incarnatione Verbi figurata per vas novum in quod Eliseus salem misit.*

Aquæ Jericho pessimæ erant et terra sterilis. Rogatus ergo Eliseus eas sanare misit sal in vas novum fictile, et demersit illud in flumen, et sanatæ sunt aquæ pessimæ, et terra sterilis (*IV Reg.* ii). Jericho sunt populi mali et a fructu boni operis aridi. Vas novum fictile: vel sancta Virgo quæ fuit vas novum per virginitatem, et fictile, quia terrenum; vel vas novum Christi caro est nova, quæ sine peccato nova generatione creata est, id est de matre sine patre: quæ est quarta et nova generatio et fictilis, quia mortalis. Sal autem est sapientia, Verbum scilicet Patris. Sal iste dum mittitur a Deo Patre in vas novum, id est in uterum Virginis, vel in carnem assumptam de Virgine, ubi latuit divinitas tanquam in vase; sanatæ sunt aquæ, id est gentes quæ receperunt vas in quo est sal, id est Christum in quo est divinitas. Nam sal in vase, divinitas in carne est. Vas habens sal in aqua est Christus Deus et homo in gente. In nobis quoque sunt vitia et peccata aquæ amaræ, quæ terram nostram, id est animam faciunt sterilem, et submergunt in inferni profundum. Ut ergo sanentur aquæ nostræ, opera videlicet nostra, et terra efficiatur vitæ fructui idonea, exuamus veterem hominem cum actibus suis; et induti novum efficetique vas novum a vitiis mundemur; recipiamus sal veræ sapientiæ a qua summa conditi, et in novo homine, qui non moritur, conservemur intacti.

Tit. CXI. *De prælatorum in sagittandis et perimendis vitiis officio.*

Rege Israel tenente arcum superposuit Eliseus manus suas manibus ejus et præcepit ut per fenestram orientalem jaceret sagittam, et cum jecisset ait: *Sagitta salutis Domini contra Assyrios* (*IV Reg.* xiii). In Joa rege, officium regendi populum habente, qui officium habent regendi animas notantur. Hi assumunt arcum et jaciunt sagittas, id est Scripturam et Scripturæ sententias, et verba proferunt ad vulnerandas in vitia animas contra diabolum. In arcu enim de cornu durities Veteris Testamenti per chordam Novi tenditur, ad spiritualem intellectum flectitur, et sagittas salutis contra antiquum hostem dirigit. Unde de sanctis doctoribus gentilitatem ingredientibus dicitur: *Cum sagittis et arcu ingredientur illuc* (*Isai.* vii). Dum Scripturæ sacræ dicta pensamus, arcum tendimus; dum verba doctrinæ da-

mos, sagittas emittimus. Hoc autem ut fiat, Eliseus manus suas super manus regis ponit, quia exemplis suis et gratia actiones rectorum Dominus dirigit et protegit. Et notandum quod per fenestram orientalem sagitta salutis, id est prædicatio sancta ei mandatur, quia lumen scientiæ et doctrinæ primum debent recipere qui jacula verborum debent emittere. Iterum jubet jaculo terram percutere. Quod cum tribus vicibus fecisset, et stetisset, iratus est contra eum quod non quinquies vel sexies vel septies percussisset. Quia carnales non solum fide Trinitatis sunt imbuendi, sed ut quinque sensibus imperent, et bonis operibus quæ per senarium exprimuntur, fructum impendant, ac septiformis Spiritus scientiam meditentur sunt edocendi. *Fides enim sine istis mortuo est* (*Jac.* II).

TIT. CXII. *De virtute potientiæ per adversa monstranda, et ad granum sinapis comparanda.*

Unguenta nisi commota, aromata nisi incensa aut trita latius nesciunt redolere. Ita sancti qui virtutibus redolent tribulationibus innotescunt. Unde fides eorum grano sinapis comparatur, quod vim suam nisi contrita nescit demonstrare. Si ergo tu adversis moveris, si tribulationibus incenderis, tunc quod intus caloris per charitatem gerebas et sapiebas, foris per opera ostendis. Si enim fides nostra fuerit similis grano sinapis, et dixeris monti : Transfer te, transferetur (*Matth.* XVII).

TIT. CXIII. *De duplici pace.*

Est pax inchoata, est et plena. Inchoatam discipulis Veritas dedit, dicens : *Pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV), plenam Simeon poscebat : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace* (*Luc.* II). Prima est a vitiis non a pœnis; secunda a vitiis et a pœnis. Pax igitur desiderio Creatoris inchoatur; ex manifesta ejus visione perficitur.

TIT. CXIV. *De peccatoris captione et excæcatione.*

Occidit rex Babylonis filios Sedeciæ regis in oculis ejus, et post eidem oculos eruit, ut in Babylonem descendat et Babylonem non videat (*IV Reg.* XXV). Sic diabolus bona opera, quæ proles sunt operantis, interimit, ut hæc se amittere quod captos est dolens cernat; peccati tamen delectatione victos bona quæ genuit amens volens et videns perdit. Sed dum videns percutitur, ne contra regem Babylonis levet brachium virtutis, exstinctis mox cunctis filiis oculos amittit, quia hac ipsa intelligentia luminis subtracta, deinde in Babylone vitiorum ipsam sui confusionem non videt.

TIT. CXV. *De hypocrisi et simulatione virtutis.*

Non indues vestem lana linoque contextam (*Deut.* XXII). Lana innocentia, linum subtilitas. Malitiæ vestis ex lis linum interius celat, lanam monstrat exterius. Ex lana ergo et lino vestem induit qui intus subtilitatem malitiæ operit et simplicitatem innocentiæ foris ostendit.

TIT. CXVI. *De murmure vitando et concordia servanda præsertim in claustris.*

Præcordia fatui sicut rota carri (*Eccli.* XXXIII). Carrus portat fenum et murmurat, sicut fratres sunt solo corpore habitantes in unum (quod bonum et jucundum est), sicut unguentum unitatis quod est in capite Christo, a quo in barbam usque, id est in majores et fortiores descendit. Quæ utique barba Aaron est, id est veri sacerdotis Christi. Quando non inveniens aliam dignam hostiam seipsum obtulit factus hostia et sacerdos, a barba venit in oram vestimenti. Vestimentum Ecclesia tensa in cruce, ut non habeat peccati maculam vel duplicitatis rugam. Ora accipitur pro fine seu perfectione. *Descendit* ergo *in oram* (*Psal.* CXXXII), quia Ecclesia peperit monasteria. Per hanc oram caput intrat, quia Christus per fraternam charitatem.

TIT. CXVII. *De Ecclesiæ ad vitem comparatione.*

Vitis ad imitationem vitæ nostræ ipsam defigit radicem, propagine oneratur, brachiis quidquid comprehendit stringens, se erigit; ex qua alia sarmenta inciduntur, alia ne reflectant ligantur. Sic radicatur Ecclesia, radicatur in fide, carnis propagine oneratur. Hæc est mulier quæ morbo inclinata sursum non potest respicere (*Luc.* XIII). Sed respexit eam Jesus, et terrena ejus disposuit onera, ut brachiis charitatis sursum se erigat, proximos per charitatem amplectatur, et usque in arboris cacumen se erigens cœlo se inferat. Sterilia vitiorum reciduntur, cætera præceptis et exemplis ligantur.

TIT. CXVIII. *De Noe et Christo a suis irrisis.*

Noe plantavit vineam (*Gen.* IX). Christus Judaicum populum. Vinea enim Domini Sabaoth domus Israel est. Cujus vinum bibit in calice mortis. Tali calice inebriatus obdormivit, quoniam tradidit spiritum. Quod irridendo Cham, id est, Judaicus populus vidit : Quod scilicet per crucis ignominiam mortuum ita turpiter crucifixum nos ut Deum adoramus, hoc etiam hodie objicitur nobis. Hanc autem ignominiam duo fratres fideles, Græcus et Latinus testimoniis prophetarum operiunt. Evigilans itaque Noe, id est a mortuis resurgens Christus, illum maledicit, et hos benedicit.

TIT. CXIX. *De Christo et fide ejus in David per stragem Goliæ et arma ejus figuratis.*

Goliath David, diabolus Christum, superbia provocavit humilitatem. Contra Goliam David, id est Christus, induitur armis (*I Reg.* XVII), circumcisione scilicet, templi figuris, et multiplicibus sacrificiis. Sed quia arma prementia non adjuvantia erant, deponuntur. Lapides quinque accipiuntur. Deponitur lex et accipitur lex. Deponitur lex figurativa, accipitur figurata, dimittitur quod velabat; nam in morte Domini *velum templi scissum est* (*Matth.* XXVII) : et quod velabatur accipitur. Accipiuntur quinque lapides, id est libri de flumine prioris populi, ubi vacabant et inutiles erant semper; quos fluvius transgressione transibat. Mittuntur in peram pastoralem, id est in caulam boni pastoris Christi, ubi lacte gratiæ abundant oves; nam sine gratia lex intelligi et impleri non poterat. Hoc lac mater Ecclesia satagit dare; sed infidelis non quærit accipere, dolet illa, si

cui det non invenit. Lapidibus quinque torrentis gratiæ armatus unu stravit, quia quinque libri aperti sunt, sed in eis unitas charitatis vincit. In quinque enim porticibus multi jacebant languidi, sed unus sanabatur. Nam nisi charitas, ex qua lex et prophetæ, vincere non potest. Deinde proprio illi gladio caput abscidit. Gladius enim diaboli sunt mali, scilicet membra ejus quibus contra Deum et ejus membra pugnat. Hunc de vagina diaboli extrabit David noster, cum de potestate malorum Christus membra sua diripit. Sed per illum diaboli caput abscidit, quando ipsum per Evangelii prædicationem a suis membris ejicit.

TIT. CXX. *De rubo quem vidit Moyses incombustum.*

Mittens Deus Moysen ad gentem quam præsciebat nunquam igne charitatis arsuram, ostendit ei flammam in rubo, a qua non comburebatur rubus. Flamma in rubo, lex in illo populo peccatorum spinis pleno. Rubus non est combustus, quia verba Dei non sunt peccata in illis consumpta. Flamma rubum inflammans non comburens, persecutio Ecclesiam purgans, non consumens. In qua tantum Moysi, id est solis credentibus, loquitur, ad quam accedere prohibetur, nisi tollat calceamenta prius de pedibus, id est nisi abjiciat prius vitia de affectionibus. Quibus tanquam pedibus itur vel ad bonum ardoris vel ad malum. Et tu ergo, homo, rubus conceptus es et natus, rubus in quem in vitiis et in peccatis conceptus et natus, spinas quotidie germinans vitiorum quantumcunque etiam proficias, quia nec puer unius diei sine peccato. Fiat autem in te flamma verbi Dei, quæ in te ruheat et consumat spinas peccati. Non sis rubus qui non consumitur. Est enim rubus alius bonus, alius malus : uterque habens flammam. Nam et bonus et malus aure corporis percipit verbum Dei, sed malum in malitia nequaquam consumit. Flamma quoque persecutionis est in bono et malo rubo. Malum consumit qui in tempore tentationis recedit. Bonus non consumitur, sed purgatur qui probatus qualis fuerit tribulationibus innotescit. Fornax enim ligna cremat, aurum purgat, quia tribulatio et bonum efficit puriorem et malum ostendit deteriorem. Ad rubum virtutis si vis accedere per imitationem, *solve calceamentum de pedibus* (*Exod.* III). Est autem aliud calceamentum, quod solvit accedens ut audiat et exaudiat Deum in rubo loquentem; aliud, quod solvit recedens dum non exaudit pro suscitando fratris semine vicinum monentem. Primum sunt vitia quæ dimittit ad justum ac sanctum accedens; secundum prædicationis officium quod amittit proximi curam relinquens. Est etiam tertium calceamentum, quo Christus venit in mundum; dispensatio incarnationis suæ. Ad primum ergo calceamentum relinquendum omni conatu te præpara. Ad secundum procreandum omni sollicitudine stude. Ad tertii corrigiam solvendam te indignum cum Joanne judica (*Marc.* I; *Luc.* III), ut et vitia deponas, et curam proximi habeas, et mysterium incarnationis Christi temere discutere non sudeas.

TIT. CXXI. *De ferculo Salomonis.*

Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani; columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum. Medio charitate constravit propter filias Jerusalem (*Cant.* III). Salomon, Christus pax nostra qui fecit utraque unum; ferculum, Ecclesia vel quælibet sanctorum congregatio ad æternum convivium animas ferens; columnæ argenteæ, qui fortitudine operis alios exemplo portant, et luce prædicationis illuminant. Reclinatorium aureum, æternæ felicitatis fulgor, in qua reclinatur et ab omni labore quiescitur. Ascensus purpureus est, quia ad claritatem illius quietis nonnisi per tribulationem venitur. Quid ergo nos miseri acturi sumus? In hoc sæculo columnæ nos esse non possumus, in quibus nec fortitudo operis nec lumen emicat prædicationis. Reclinatorium aureum non habemus, quia spiritualem regem necdum mente aspicimus. Ascensus purpureus non sumus, quia pro Christo effundere sanguinem non possumus. Sed ad hæc est certa consolatio, amemus Deum, diligamus proximum, et simul nos ad Dei ferculum pertingemus, quia scriptum est : *Media charitate constravit propter filias Jerusalem.* Per sexum enim femininum sermo divinus infirma vocavit mentium. Inter columnas ergo argenteas, inter reclinatorium aureum, et ascensum purpureum, media charitas inesse dicitur, quia si habes charitatem, eo sine dubio pervenis, ubi columna erigitur, et ascensus purpureus tenetur, et reclinatorium aureum invenitur. Hinc in propheta : inter thalamos quinque sunt cubiti (*Ezech.* XL), quis inter perfectos sunt minores qui quinque sensibus corporis adhuc depressi de sæculo aliqua cogitare coguntur. Rex itaque noster fecit ferculum sibi, quia congregavit Ecclesiam ; de lignis Libani quæ sunt cedrina, id est, de patribus fortibus, mente imputribilibus : et hoc sibi, quia ad glorificandum seipsum.

TIT. CXXII. *De mutatione vestis sacerdotalis.*

Cum personis supervenientibus summum mutare ordini sacerdotum valde est necessarium. Unde per prophetam dicitur, ut cum sacerdos intus ministrat, *vestibus lineis* utatur (*Ezech.* XLIV); cum egreditur ad populum, reponantur eæ in *gazophylacio sanctuarii* (*ibid.*). Cum enim sacerdos intro ingreditur, subtilioribus contemplationis operibus quasi lineo indumento utatur. At cum ad populum egreditur grossioribus utatur, quia pro utilitate etiam ad terrena portanda mores suos componere debet.

TIT. CXXIII. *Tintinnabula cur pendebant olim ad vestem sacerdotis, et in eis mala punica.*

Vestimentis sacerdotis tintinnabula adhibentur, ne, si de eo sonitus ingrediens et egrediens non audiatur, moriatur (*Exod.* XXVIII); quia vitæ viam cum prædicationis sonitu opera sacerdotis clamare debent, et illis qui intus in districtiori vita spem ha-

bent, et iis qui extra, in habitu sæculari, ne contra se iram Dei provocans moriatur. Tintinnabulis quoque mala punica junguntur. In malo punico, in quo sub uno exterius cortice multa grana continentur, fidei unitas notatur, quia Ecclesiæ sic multos unitas fidei foris contegit, ut intus diversitas meritorum teneat. Ut ergo operibus verba jungantur, vestimentis tintinnabula adhibentur, ut per omne quod dicunt unitatem ejus custodiant, tintinnabulis mala punica junguntur.

TIT. CXXIV. *De aqua spiritnali et naturali.*

Aqua spiritus is inservit ei qui de die in diem renovatur spiritu mentis. Aquarum usus est ad lavandum, ad potandum, ad cibos coquendos; sicque aqua spiritualis et immundum a sordibus purgat criminum, et sitienti salutem fit fons aquæ salientis in vitam æternam, quam qui biberit non sitiet in æternum (*Joan.* IV). Divinum etiam eloquium igne Spiritus sancti coquit cibos mentis, et in sensus spirituales convectit.

TIT. CXXV. *De reginis, concubinis et adolescentulis mysticis veri Salomonis.*

Veri Salomonis multæ sunt *reginæ*, *multæ concubinæ*, *adolescentularum non est numerus* (*Cant.* VI). Quia multæ sunt mansiones apud sponsum: alium regina, alium concubina, alium adolescentula locum tenet, terminumque pro meritis accipit quousque procedens liceat ei intrare in gaudium Domini sui et dulcia secreta sponsi rimari. Nam mulier compuncta ad pedes locum invenit, justa ad caput, pia in toto corpore. Thomas in latere fidei, Joannes in pectore latæ charitatis, Petrus in sinu Patris, id est luce veritatis, Paulus in tertio cœlo, hoc est in intimo sapientiæ secreto, hujus gratiam sunt assecuti. Jacens in miseria et luto fæcis peccator homo plorat et clamat Plasmatori et Salvatori suo supplicans: *Eripe me de luto fæcis* (*Psal.* LXVIII). Et quia in peccatorum suorum stercore computruecat, ut lavandus erigatur, et dum abluitur ne calens inquinetur, inquit: S at ie supra pedes meus. Isti pedes sunt fides et operatio. Istis qui lotus est, ambulat, stat et elevatur. Tria enim ista necessaria tibi noveris, quicunque converti et ad Deum reverti desideras, ut scilicet ambules, stes et eleveris. Primum debes proximo, secundum tibi, tertium Deo. Ambulandum est ut subvenias proximo; in templo standum, ne recidas in lutum, unde ereptus es, ut tandem eleveris ad cœlum, unde es ejectus. Docendus est proximus, quod est ambulare, a se scilicet ad alium transitum facere, non tantum verbo sed etiam exemplo, ut quæ docueris non negligas facere, quod est stare, a tui videlicet cura non recedere, ut per hoc jam tertio in cœlum debeas elevari: quod est ad Deum pro meritorum mercede ascendere. Hinc sancta animalia legnutur ambulare, stare, elevari, pariterque leguntur rotæ ea sequi (*Ezech.* I).

TIT. CXXVI. *Cum angelo luctari Jacob.*

Jacob cum ad parentes rediret, in via cum angelo luctatur, quem dum tenet in femore tenetur et tangitur ac claudicat (*Gen.* XXXII). Parentes nostri angeli sancti sunt et sancti viri in vita et patria cœlesti positi. Angelus Deus, Jacob quilibet justus ab hoc exsilio ad patriam parentum tendens. In hac via cum angelo luctatur, quia, dum contemplari Deum nititur, velut in quodam certamine positus more pugnantium modo superat, cum de Deo aliquid intelligendo degustat, modo succumbit, dum penetrare lumen incircumscriptum non sufficiens deficit quasi temere sensus. Vincitur angelus dum intellectu intimo apprehenditur Deus; sed victus vincentem in uno pede claudum efficit. Pes unus amor Dei, alter est amor sæculi. Qui ergo prius duobus pedibus ambulabat, dum Deum videbatur quærere et sæculum tenere, cum angelum tenet, uno pede claudicat, quia post suavitatem divinæ agnitionis crescit in homine fortitudo amoris Dei, infirmatur in homine fortitudo amoris carnis. Unus sanus remanet, alter claudicat, quia, debilitato amore sæculi, solus convalescit amor Dei. In ipso solo stat, quia pedem amoris sæculi quem in terra ponere consueverat a terra suspensum portat. Et nos si ad patriam redire voluerimus, in via præsentis vitæ angelum teneamus apprehendendo Deum, ut, pede amoris sæculi a terra suspenso, solo pede amoris Dei ducamur. Quod non fit nisi rege superbo exstincto. Unde Isaias, *Anno*, inquit, *in quo mortuus est Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* (*Isa.* VI); et plena erat domus a majestate ejus, etc., quia, cum diabolus a desiderio mentis occiditur, mens Dei gloriam contemplatur.

TIT. CXXVII. *Pœnitentiam agere in cinere et cilicio.*

Pœnitentiam *egissent* in *cinere et cilicio* (*Matth.* XI). In cilicio notatur asperitas peccati et punctio; in cinere pulvis mortuorum. Utrumque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet ut in punctione cilicii cognoscamus quod per culpam fecimus, in cinere quid per judicium futuri sumus. Consideremus in ciliciis pungentia incitamenta vitiorum; in cinere subsequentem pœnam. In asperitate cilicii videat homo superbiendo qui fecit; in cinere, quo peccando pervenit.

TIT. CXXVIII. *De malarum cogitationum et peccatorum et ortu et defensione.*

Orientur in domibus ejus spinæ et urticæ, et paliurus in munitionibus ejus, etc. (*Isa.* XXXIV). Urticæ cogitationum prurigo; spinæ peccati punctio. In domo igitur Babylonis et desideria cogitationum surgunt quæ exasperant, et peccata hominum quæ pungunt; sed hæc agentes nequiores habent defensores. Unde subditur: *Paliurus in munitionibus*. Qui tanta spinarum circumdatione densescit ut præ asperitate vix tangi possit. Intus igitur urticæ et spinæ nascuntur, sed utræque exterius per paliurum muniuntur, quia minores iniqui mala faciunt, sed nequissimi majores eos tuentur. Unde Job: *Protegunt umbræ umbram ejus* (*Job* XL), quia peccatores in quo ipsi sibi consciì sunt alios defendunt.

quærens quem devoret, Evam nostram ita decipiat ut Adam obediat voci uxoris suæ, id est spiritus noster consentiat delectationi carnis nostræ, carnis curam faciens in desideriis. Clamat enim quotidie in nobis Eva ad Adam cui si consentit maledicitur et germinat spinas culparum et tribulos pœnarum. Ergo priusquam spinæ nostræ producant rhamnum, scrutemur viam nostram no per viam spinarum generemus nobis tribulos pœnarum; et revertamur ad Dominum per prophetam nos revocantem ubi dicit: *Revertere, Israel virgo.* Virgo est anima a Deo pura creata et integra. Virginum autem alia prudens, alia fatua: *Fatua, quæ acceptis lampadibus non sumpsit oleum secum; prudens quæ sumpsit oleum in vasis suis cum lampadibus* (*Matth.* XXV). Lampas est caro quam accepit prudens et fatua virgo. Sed prudens in sua lampade oleum sumpsit, id est misericordiam. Sicut enim oleum cæteris liquoribus, sic misericordia præstat aliis charitatis operibus.

Hac primum seipsum debet ungere omnis homo tripliciter; deinde proximum. Tripliciter seipsum prius ungat miserando animæ suæ per cordis contritionem, oris confessionem, et operis satisfactionem. De hac prima prius sibi inferenda misericordia dicitur: *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX). In proximo condonando, si læsit; docendo, si deliquit; necessaria ministrando, si indiget. Hoc triplex oleum misericordiæ sibi et proximo fatua virgo non sumit et ideo, cum venerit et pulsaverit, excluditur et trudetur in tenebras exteriores. Ideo janua vitæ Dominus revocat eam a via sua prava dicens: *Revertere, revertere, virgo Israel.* Quasi dicat: O virgo fatua, si vis esse virgo sapiens, sis virgo Israel, quæ scilicet videas Deum; sic enim interpretatur Israel. Revertere et iterum revertere, quia dupliciter eam revocat, prius a malo ad bonum, a vitiis ad virtutes; secundo a bono ad præmium. Malum a quo eam revocat est locus miseriæ et lutum fæcis, in quo jacens peccator homo plorare debet et supplicare. Ambulet igitur quicunque Domini est proximum docendo, stet seipsum corripiendo, clevetur mercedem operum a Deo exspectando et recipiendo. Hinc sancta animalia rotas sequentes in Ezechiele leguntur ambulasse, stetisse elevata esse (*Ezech.* I), quia sancti doctores, rotas, id est Scripturas sanctas sequentes ambulant docenda, stant se castigando, elevantur ad Deum tendendo. His itaque pedibus spiritualibus, fratres charissimi, revertatur unusquisque nostrum ad Deum, ipso nos ad se vocante: *Revertere, revertere,* etc. Primo ut revertamur de Ægypto ad desertum, ut ibi in via trium dierum sacrificemus Deo nostro; secundo, ut de deserto revertamur ad terram promissionis. Jam Ægyptum hujus mundi dimisimus, et pervenimus ad desertum monasticæ professionis. Est enim claustrum solitudo et desertum, ubi deseruimus non solum nostra, sed etiam nos ipsos. In quo omnino caveamus ne mente redeamus ad Ægyptum, et suspiremus ad ollas carnium Ægypti. Proficiscendum autem noverimus ad terram viventium non per latam viam quæ ducit ad mortem, sed per angustam quæ ducit ad vitam. Hinc præcipit Dominus filiis Israel: Per terram Seon regem Amorrhæorum transibitis: et cætera superius dicta usque ad regem diabolum qui nos quærit concludere ad tres civitates citra et ultra Jordanem positas, dum ad terram lactis et mellis tendimus. Revertamur. Hoc est enim quod sequitur, *revertere*, etc. Ubi? *ad civitates tuas* (*Jer.* XXXI), inquit. Tres sunt civitates spirituales ad quas revocamur. Prima est mens, secunda Ecclesia terrestris, tertia cœlestis. In civitatem mentis congregantur virtutes; in civitatem Ecclesiæ congregantur boni et mali; in civitatem cœlestem soli boni recipiuntur. In singulis singula dantur bona. In prima fides, spes, charitas, solis bonis. In secunda sacramenta, ut baptismus, bonis et malis. In tertia gloria solis beatis. De prima dicitur: *In matutina interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem* (*Psal.* C), id est ut destruerem omnes a mente immundos spiritus, qui operantur in ea vitia et peccata; de secunda: *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri*, etc. (*Psal.* XLVII). Hæc est Ecclesia quæ in monte sancto constituta est, in qua magnus Dominus peccata dimittendo, nimis laudabilis præmia promittendo. De civitate cœlesti dicitur: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI). Hæc est civitas de qua vere gloriosa dicuntur, et in qua dantur, quia *quod oculus non vidit*, etc. (*I Cor.* II), ubi lux sine nube, vita sine fine, satietas sine fastidio, gloria sine termino. O quam gloriosum est choris angelicis, patriarcharum cœtibus, apostolorum senatui, turmis martyrum, confessorum et virginum interesse societatibus, et cum eis Deum laudando regnare! Nos itaque, ut ad civitatem istam perveniamus, revertamur in præsenti ad civitatem mentis et Ecclesiæ, sed quia *non est volentis*, sed *nec currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX); *creavit Dominus novum super terram.* Quasi dicat: Revertere, virgo Israel, quia in auxilium tuum fecit incarnari Filium suum Deus Pater qui creavit novum super terram. Quod novum: *Mulier circumdabit virum.* Maria virgo concipiet in utero Christum. Vere hoc est novum, nova generatione procreatum. Tres aliæ generationes præcesserunt; nam quatuor sunt: Prima, sine patre et matre; secunda, de patre et sine matre; tertia, de patre et matre; quarta, de matre sine patre. Prima generatione Adam venit in mundum, secunda producitur Eva, tertia homo nascitur, quarta inaudita est et nova. Quia Christus venit in mundum, natus est et mundum redemit. Valde *creavit Dominus novum super terram.* Hoc est illud novum quo Eliseus aquam Jericho amaram sanavit. *Mulier* igitur *circumdabit virum.* Vir iste dicitur circumdatus a muliere, quia Moyses circumscriptus dicitur a fiscella scirpea. Hæc autem est Virgo beata, quæ virgo

concepit et virgo peperit Salvatorem, ut latius in alio dicemus loco.

TIT. II. *De Scripturæ statura, altitudine et aspectu horribili.*

Statura erat rotis et altitudo et horribilis aspectus (*Ezech.* I) Statura est bonæ vitæ operatio; altitudo, cœlestis regni promissio; horribilis aspectus, terror gehennæ. Statura est in rectitudine præceptionis; altitudo, in celsitudine supernæ promissionis: horribilis aspectus, in supplicii sequentis minis et terroribus. Scriptura ergo sacra, quæ est quasi rota, dum ab inferiori historiæ volvitur ad superius allegoriæ, habet staturam, quia mores ad standum dirigit, ut mens amicientis ad inferiora non incurvetur. Habet altitudinem, quia vitæ æternæ gaudia promittit; horribilem aspectum, quia reprobis supplicia minatur gehennæ. Stat recta in præceptis cum dicit: *Declina a malo et fac bonum* (*Psal.* XXXVI). Et Paulus: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram* (*Col.* III). Alta est in promissionibus cum dicit. *Erit* vobis *mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato* (*Isa.* LXVI), id est perfectio gloriæ ex perfectione vitæ, et quies cœlestis retributionis ex cessatione pravi operis. Horribilis nimis dum dicit: *Vermis eorum non morietur et ignis non exstinguetur* (*ibid.*). Scriptura ergo sacra et admonendo recta est, et promittendo alta, et minando horribilis. Hæc tria breviter in quatuor comprehendit Apostolus, dicens: *Ut positis comprehendere quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum* (*Ephes.* III). *Latitudo et longitudo* ad staturam pertinent, propter opera charitatis quæ extenditur usque ad inimicos, quæ est *latitudo*, et propter perseverantiam quæ est *longitudo*. *Sublimitas* ipsa est altitudo æternorum quam *nec oculus vidit*, etc. (*I Cor.* II). *Profundum* horribilis aspectus inæstimabile.

TIT. III. *De lamentationibus, carmine, et væ in libro Ezechielis scriptis.*

In libro prophetiæ scriptæ erant lamentationes, quia in eo scriptæ sunt pœnitentiæ peccatorum; carmen, quia ibi prænuntiantur præmia justorum et gloria, et væ, quia expressa est illic damnatio reproborum (*Ezech.* II). Ut ergo peccata punias, lege quæ in eo scripta sunt lamenta. *Scindite corda vestra*, etc. (*Joel* II). Et iterum: *Miseri estote et lugete* (*Jac.* IV). Luctus vester in gaudium Domini convertetur, et gaudium in mœrorem. Ut de promissione gaudii sequentis hilarescas, cognosce quæ in eo scripta sunt æterna carmina. *Ex lapide* pretioso et *mundo omnes plateæ sternentur, et per* universos *vicos ejus alleluia cantabitur* (*Tob.* XIII). Hoc nobis carmen cœleste nuntiare venerant qui concorditer clamabant: *Gloria in excelsis Deo* (*Luc.* II). Sed si adhuc mente inhæres sæculo, si in terrenis voluptatibus delectaris, nec amare potes æterna gaudia quæ audis, cognosce quoque tu quod in eo scriptum est: *Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII); ibi væ reproborum, scriptum est: *Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Isa.* LXVI). Ibi damnatis et repulsis dicitur: *Ite, maledicti in ignem æternum* (*Matth.* XXV). In his omnis eruditio continetur. Peccasti et te pœnitet. Vis ad pœnitentiam agendam? doceris ibi invenies lamenta. Spe cœlestium gaudiorum revelari desideras? ibi ad consolationem tuam invenies carmen. Si vero mala perpetrasti, et ad nullas pœnitentiæ lamentationes inclinaris, et ad nulla cœlestium gaudiorum, velis nolis, inscriptum auditurus es væ, ut is quem nec timor ad pœnitentiam humiliat, nec spes ad superna præmia exaltat, in damnationis suæ pœnam quam prospicit cadat. Mala ergo quæ egimus per pœnitentiam puniamus, ut per lamenta compunctionis ad carmen vitæ perveniamus, ne si affligi nolumus pœnitendo, væ postmodum sine fine sentiamus.

TIT. IV. *De arca Noe ad Ecclesiam comparatione.*

Arca quæ trecentos cubitos in longitudine, sexaginta in latitudine, triginta in altitudine habens, in uno cubito terminatur (*Gen.* VI), est Ecclesia quæ, inferius lata, superius est angusta. Lata carnalibus tanquam animalibus, angusta in paucis spiritualibus ad unum cubitum colligitur, ad unum scilicet hominem, qui est sine peccato. Videmus multos in Ecclesia carnis voluptate dissolvi, iracundiæ jurgiis et odiis disrumpi. Quos cum Ecclesia tolerat, ut convertat, sic portat ut in arcæ latitudine deorsum bestiæ morantur. Videmus alios propriis contentos esse, injuriam non facere, odium non habere: sed quia isti jam pauci sunt, angustatur arca. Alios conspicimus etiam concessa contemnere, inimicos diligere, carnem a cunctis voluptatibus domare, contemplationis penna in altum levari. Sed quia tales valde rari sunt, jam arca juxta cubitum ducitur, ubi homines et volatilia continentur. Hujus unius cubiti est margo quam propheta vidit ante thalamos (*Ezech.* XLVI). Margo, fides; thalami, electorum corda in amore Dei ferventia. Margo ante thalamos, fides ante charitatem. Nemo enim potest amare quæ non credit. Est autem unius cubiti, non divisa per schismata, sed in unitate perdurans, ad thalamum charitatis et æternæ quietis perducit.

TIT. V. *Cur candelabro comparetur Christus.*

Facies candelabrum ductile de auro purissimo, hastile ejus et calamos scyphos et sphærulas ac lilia ex ipso dependentia (*Exod.* XXV). Candelabrum est Christus, qui in natura humanitatis illuxit divinitatis lumine, ut mundum candelarium fieret, cujus lumine videret peccator in quibus tenebris jaceret. De auro fit purissimo, quia sine peccato; ductile, quia perductus per passionem, ad gloriam venit resurrectionis. Hastile ejus Ecclesia est, quæ ejus corpus est; quæ inter prospera et adversa ad lumen divinitatis stat erecta. Calami sunt prædicatores, qui dulcem sonum reddunt, dum novum canticum cantant. Sphærulæ volubilitas prædicationis, quæ tanquam sphæra nullo impedimento retardatur. Unde *verbum Dei non est alligatum* (*II Tim.* II). Post hæc

lilia ponuntur, quæ sunt virens patria et floribus æternis vernans. Patria ad laborem, lilia pertinent ad retributionem.

Tit. VI. *Quomodo Gedeon pœnitentis typum gesserit.*

Cum Jerobaal, id est *Gedeon* a paleis *frumenta excutere* (*Judic.* vi), id est pœnitens a vitiis virtutes separaret, angelum vidit. Quia tantum quisque intus Deum videre meretur, quantum ab exterioribus purgat seipsum. Qui occidi hædum præcepit, id est omnem appetitum nostræ carnis immolari, et super petram carnes poni, id est corpus proprium imitatione Christi (qui petra dicitur) cruciari, et jus carnis desuper fundi, id est cogitationes carnis imitatione ejus exinanire. Ipse enim ait : *Dictum est antiquis : Non mœchoberis. Ego autem dico vobis : Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v). Quæ mox virga tangit, quia intentioni nostræ divinum adjutorium impendit, et de petra ignis exit, qui azymos panes carnemque consumit, quia afflatus a Redemptore spiritus, cor nostrum flamma compunctionis concremat, et omne illicitum cogitationis et operis exurit.

Tit. VII. *Quomodo Job pœnitentem figuret.*

Job *saniem radebat sedens in sterquilinio* (*Job.* ii), id est, justus de peccatis suis dolens (sic enim interpretatur Job) duritia pœnitentiæ duplicem saniem peccati, cogitationis scilicet et operis, deleat. Vel Job, Christus pro nobis dolens factus, qui carne sua de substantiæ nostræ luto sumpta peccati nostri saniem delevit. Job sedit non in mente, sed *in sterquilinio*, quia superbos deserens in humilitate pœnitentiam agit vere pœnitens ; qui dum mala sua flendo conspicit, quantum peccati stercora coinquinent, ab illis recedens cognoscit, neque enim prius fetere percipit quam ab illis recesserit.

Tit. VIII. *De cæcitate qua percutiuntur iniqui.*

Sodomitis vim inferre Lot volentibus et ostium infringere, ab angelo Lot introducitur in domum ostio clauso ; illi cæcitate percussi ostium non inveniunt (*Gen.* xix). Justus enim dum malorum insidias tolerat, ad domum mentis revocatur. Mali autem cæcitate percussi circumeunt, quia invenientes sancta scripta quæ perscrutantur, ostium non inveniunt, quia corruptores mentium contra vitam justi nullum reprehensionis aditum inveniunt.

Tit. IX. *De pœnitentia in vaccæ immolatione.*

Apud Moysen dum in sacrificium vacca mactatur, offerri cum hyssopo et ligno cedrino et cocco bis tincto præcipitur (*Num.* xix). Vaccam mactamus, cum carnem a lascivia suæ voluptatis exstinguimus; cum hyssopo, ligno cedrino, et cocco bis tincto, quia cum maceratione carnis sacrificium fidei, spei et charitatis adolemus. Hyssopus interna nostra mundat, et Petrus dicit : *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore* (*I Petr.* i). Lignum cedrinum nulla putredine deficit, quia spem cœlestium terminus non consumit. Unde Petrus : *Regeneravit nos in spem vivam* (*ibid.*). Coccus rubeo colore flavescit, quia quem implet charitas etiam accendit. Unde Dominus : *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* xii). Is dicitur bis tinctus, ut coram Deo charitas dilectione Dei et proximi colorctur.

Tit. X. *De mentis nostræ custodia per custodiam Isboseth figurata.*

Isboseth, qui in domo una ostiariam sed ostiariam habuit, quæ *purgans triticum obdormivit* (*II Reg.* iv), ab hostibus tunc ingredientibus, et spicas tollentibus, ac eum in inguine ferientibus, occiditur. Ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia virtutes a vitiis separat. Quæ si obdormierit a discretionis cura cessando, malignis spiritibus ad interficiendum Dominum iter pandit; qui ingressi spicas tollunt, id est bonarum cogitationum germina auferunt, et in inguine feriunt, dum vitam delectatione carnis perforantes tollunt, quia ad mentis custodiam mollem custodiam deputant. Duplex enim debet esse mentis nostræ custodia, si Isboseth, id est vir confusionis esse nolimus : fortis et sapiens; ut eam corporis somnus non opprimat, nec error ignorantiæ fallat. Unde Salomon : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit* (*Prov.* iv).

Tit. XI. *Quomodo boves mare æneum sustinentes, sacerdotes pastores significent.*

Ante fores templi ad abluendas ingredientium manus, *mare æneum*, id est luterem duodecim boves portant, qui quidem facie exterius eminent, sed ex posterioribus latent (*II Reg.* vii). Boves sunt pastorum ordo. Unde : *Non obturabis os bovi trituranti* (*Deut.* xxv). Hi ante fores luterem portant ad abluendas ingredientium manus, dum condescensionis suæ patientiam dilaendis proximorum confessionibus præparant, ut quisquis intrare æternitatis januam nititur, tentationes suas menti pastoris indicet, et quasi in bonum luterc cogitationis et operis manus lavet. Tales itaque pastores se exhibeant quibus subjecti occulta prodere non erubescant, ut cum tentationis fluctus parvuli sustinent, ad pastoris mentem tanquam ad sinum matris recurrant, et sordes culpæ eorum solatio lavent. Hi facie videntur, posterioribus latent, quia nos opera, sed ejus quæ posterius maneant cognoscit.

Tit. XII. *Quod per pœnitentiam in unitate fidei servabitur peccator.*

Si quis abierit cum amico *in silvam ad ligna cædenda*, hoc est ad vitia reprehendenda, *et ferrum a manu fugerit*, hoc est prædicatio ab ejus operatione discordans recesserit, *amicumque percusserit* pravo exemplo, et occiderit in anima : *confugiet ad unam trium urbium* (*Deut.* xix), ut in una earum salvetur. Hoc est per lamentum pœnitentiæ conversus, in unitate sacramenti, sub fide, spe et charitate abscondatur, ne cum occisi proximus, id est districtus judex venerit, in judicio æterna pœna occidat.

Tit. XIII. *De Ecclesiæ doctoribus per vectes signatis.*

Vectes de lignis Setim (*Exod.* xxv) induti auro operti in quatuor circulis aureis positis per quatuor angulos arcæ, portant ipsam arcam. Arca Ecclesia

est; vectes, fortes et perseverantes doctores qui inhærentes quatuor circulis, id est evangelicæ doctrinæ, Ecclesiam portant per quatuor partes mundi, ut vectes arcam per quatuor angulos. Qui vectes jubentur auro operiri, ut cum sermone aliis insonant, ipsi etiam vitæ fulgore fulgescant. De quibus subditur : *Qui semper erunt in circulis*, ut cum portandi arcam, hoc est docendi Ecclesiam, opportunitas exigit, pro intromittendis vectibus nulla tarditas generetur. Cum enim a subditis dubium aliquod spirituale pastor percunctatur, ignominiosum est valde, si tunc quærat discere cum quæstionem debet enodare. Unde primus Pastor pastoribus dicit : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos reddere rationem de ea quæ in vobis est* [*spe*] *fides* (*I Petr.* III).

Tit. XIV. *De virtute eloquii per citharam.*

Dum Saulem *spiritus malus* invaderet, cithara David ejus insaniam temperavit (*I Reg.* XVI). Quia cum sensus potentum per elationem in furorem vertitur, dignum est ut elocutionis nostræ tranquillitate quasi citharæ dulcedine ad salutem revocetur. Durus adamas incisionem ferri non recipit, sed leni hircorum sanguine mollescit. Blandis enim dives exhortationibus placandus est, quia dura vulnera per lenia fomenta mollescunt, et furor insanorum medico blandiente sanatur.

Tit. XV. *Quid vita sæcularium bene viventium, licet non sit excellens, est tamen secura.*

Lot qui ardentem Sodomam reliquit, Segor parvam civitatem inveniens, mox nequaquam ad cacumen montis ascendit (*Gen.* XIV). Ardentem Sodomam fugere est illicita carnis incendia devitare; cacumen montis conscendere, celsitudinem vitæ perfectæ arripere. Sed quia sunt multi qui scelera quædam deserunt, sed ad perfectionem montis nondum ascendunt, in medio inveniunt Segor, id est bonam vitam sæcularium, in qua salvent animas suas. Hæc enim vita etsi non sit virtutibus mira, est tamen a suppliciis secura.

Tit. XVI. *Quomodo nobis sit facies per humilitatem velanda exempla Eliæ.*

Elias, ut vocem Dei secum loquentis audiret, in ostio speluncæ suæ stat et velat faciem (*III Reg.* XIX), quia cum vox intelligentiæ supernæ fit in mente, totus homo jam intra speluncam non est, quia mente carnis curam non possidet, sed stat in ostio, quia mortalitatis miserias exire meditatur. Sed tali necesse est ut faciem velet, quia quanto ad altiora intelligenda levamur, tanto nos submissius per humilitatem pœnitentiæ premere debemus, ne plus sapere quam oporteat conemur.

Tit. XVII. *Quod avaritia apud Deum et sanctam Ecclesiam non sit quærenda.*

Laban in furore insequens Jacob, qui ejus filias uxores acceperat, apud eum idola sua quærit (*Gen.* XXXI), quia, dum mundus in membris suis insequens Christum, qui Ecclesiam in sponsam accepit, apud eam avaritiam quæsivit (quæ est idolorum servitus), Deum ipsum de avaritia tentavit. Quam apud eum non inventam filia sessione pœnitentiæ operuit, ut nec apud eam inveniatur.

Tit. XVIII. *Sal discretionis, non mel adulationis nec voluptatis, esse sacris adhibendum.*

Nec quidquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificiis; sed in omni sacrificio afferes sal (*Levit.* II). Mel in sacrificio prohibetur offerri, quia nihil voluptuosum et suave hujus mundi apud Deum placet, nihil quod non habeat aliquid mordacis veritatis. Unde paschalis agnus cum lactucis agrestibus et amaris manducabatur. Sal vero in omni sacrificio offertur, quia sale rationis et discretionis omnia debent condiri.

Tit. XIX. *De schismate vitando.*

Si altare feceris, non ædificabis illud de sectis lapidibus (*Exod.* XX). Quia divisus ab unitate et a societate superna per odium, in corpore suo non recipit Christum, nec in talibus potest sacrificium Deo acceptabile offerri. Unde addit : Si enim super eo levaveris cultrum, polluetur, id est macula maligna et ignita polluetur.

Tit. XX. *De superfluitate verborum et rerum vitando.*

Non plantabis lucum et omnem arborem juxta altare (*Deut.* XVI). Et ad Gedeonem : *Nemus quod circa aram est succide* (*Judic.* VI). Nemus juxta altare plantari prohibetur, quia infructuosi sermones circa Dominica dicta non sunt admittendi.

Tit. XXI. *Quomodo sol justitiæ ad auxilium bonorum nunc quoque stet. Et quod dæmones in morte magis sint molesti.*

Cum fieret bellum contra quinque reges, sol et luna steterunt (*Josue* X), quia, dum pugnamus contra quinque sensus, non deserit nos sol justitiæ, qui ait : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Quinque reges confugiunt ad speluncam corporis, sed pugnante Jesu, id est prædicante Evangelium, et Dei verbo ingrediente in nobis, intra speluncam corporis omnes interficiuntur pariter.

Abraham cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit (*Gen.* XV); quia circa finem vitæ quod in ara crucis offerimus, immundi spiritus conantur magis maculare. Quas ne illud raperent jussus abigit, cum immundis cogitationibus illud non sinit fœdari quod mens utiliter offerre Deo se putat.

Tit. XXII. *Quam aquam sapientiæ auferre conentur dæmones.*

Puteos quos Abraham fodit Allophyli terræ congerie replent (*Gen.* XXVI) : quia iis qui in divinæ Scripturæ abditis sensibus ad alta penetrant immundi spiritus terrenas cogitationes ingerunt, et quasi inventam divinæ scientiæ aquam tollunt.

Tit. XXIII. *De consilio dando et pede figendo.*

Dare stulto consilium charitatis est sapienti ostentationis, ipsi sapientiæ temeritatis. Vitæ præsentis fluctus trahit quem levat. Valde autem demens est qui in unda volvitur et plantam figere conatur.

Tit. XXIV. *De egressu animæ a Deo, et de revocatione ejusdem ad eumdem.*

Egressa est Dina ut videret mulieres regionis (*Gen.* xxxiv). Egreditur animus per aures, per oculos, ut ludat cum filiabus perditionis. Hanc Dominus revocat dicens: *Revertere, revertere, Sunamitis*, etc. (*Cant.* vi). Quater dicit, *revertere*. Ac si dicat: Revertere a meis, quia mirabilia sunt; a tuis, quia prava sunt; a te, quia omnis caro fenum; ad me, quia summum bonum ego sum. Sic ergo Deus vertit faciem a me, quia illi obverti tergum. Ideo, inquit, *ut intueamur te*, quasi dicat: Non potes me videre, nisi prius intueamur te. Nescio quid maculæ habes in facie; turpis es, alienam imaginem portas. Munda ergo eam ut intueamur te.

Tit. XXV. *Quid sit affligi in palea, luto et latere, et Pharaoni civitates construere.*

Pharao filios Israel affligit in palea, luto et latere (*Exod.* i et v). Palea carnalis delectatio. Lutum fit ex pulvere et aqua. Hoc fit, dum mala voluntas jungitur actioni. Ex his lateres producuntur, dum prava opera in duritiam pravæ consuetudinis decoquuntur. Ex his ædificatur Ramesses, quæ *commotio tineæ* interpretatur, et hæc est avaritia; quæ etiam Phiton, qui interpretatur *os abyssi*, id est inferni vel omnium vitiorum; avaritia enim radix est omnium malorum, et Heliopolis, quæ interpretatur *civitas solis*, quæ est bona opera propter vanam gloriam, quæ est hypocrisis, construere. Istas tres civitates construit qui cupiditatem et mendacium et hypocrisim subintroducit.

Tit. XXVI. *De primis, mediis et novissimis.*

Fili, memorare novissima tua, et in æternum non peccabis (*Eccle.* vii). Sunt prima, media, novissima: Primo pudor, secundo dolor, tertio timor, qui cæteris validior ad resistendum peccato. Pudor de multitudine, de qualibet mundi consolatione consilium sumit; timor non invenit solatium. Fili, ergo cogita unde veneris, erubesce ubi sis, ingemisce quo vadis, et time novissima ploraliter. Hæc sunt mors corporalis, districtio judicialis, pœna infernalis. Mors corporalis dura, quia quæ quis possidet cum amore, non relinquit sine dolore. Examinatio formidabilis, ubi tremunt angeli atque archangeli. Ubi enim concutietur cedrus Libani, quid faciet virgula fumi vel deserti. Quando vix justus salvabitur, impius ubi parebit? (*I Petr.* iv.) Pœna periculosa, ubi *vermis* qui *non moritur*, et *ignis* qui *non exstinguitur* (*Isa.* lxvi). Mors autem provenit infirmitate, necessitate, efferitate. Prima fit nec arte nec viribus, secunda sica, tertia in gloriandi cura. Unde ostendisti mihi tribulationes multas quantitate, malas qualitate. Districtio judicii fit tribus modis: Per revelationem peccatorum hic non confessorum. Nunc ergo hic erubesce confiteri. Per confusionem, sed est confusio adducens aliorum gloriam, et est confusio adducens proprium peccatum, quæ scilicet impeditur confessio. Confusio de aliena gloria est qua peccator punitur, videns gloriam sanctorum et dicens: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*, etc. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei* (*Sap.* v). Contra has confusiones, primum remedium contritio cordis, secundum confessio oris, tertium afflictio carnis. Hi sunt tres fontes quibus lavatur anima: contritio per anxietatem, confessio per humilitatem, afflictio per asperitatem. Primus est qui irrigat terræ superficiem; secundus, qui positus est extra urbem; tertius, super quem Jesus sedit. Sequitur pœna infernalis, in qua tetra corrosio per vermes, et dira exustio per ignem, quia illic *vermis non moritur, et ignis non exstinguitur* (*Isa.* lxvi). Ex his duobus nascitur desperatio: Primo, roditur conscientia; secundo, cremantur corpora, tertio, cumulatur miseria. Primum punit peccatum cogitationis, secundum reatum locutionis, tertium usum operationis. Hæc sunt novissima. Sed magna Dei pietas, quæ contra viam erroris propositam, viam veritatis prædicat, errantem filium revocat, perseverantem pie flagellat.

Tit. XXVII. *Quid sit in spelunca duplici sepeliri.*

Abraham conjugem mortuam in spelunca duplici sepelivit (*Gen.* xxiii), quia viator animam suam a mundi actibus mortuam, sub bonæ operationis et contemplationis regimine abscondit. Activa enim sepulcrum est, ut quæ a pravis operibus mortuus sepelit, sed contemplativa perfectius tegit: quæ a cunctis mundi desideriis (susceptos in intimis) funditus dividit, quales erant de quibus Paulus ait: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo* in gloria (*Coloss.* iii).

Tit. XXVIII. *Quid sit ob Jezabel ad speluncam fugere, et Dominum in spiritu leni agnoscere.*

Elias Jezabel fugiens, *in spelunca* absconditur (*III Reg.* xix): quia nonnunquam animus turpitudinem declinat, sed ad descendam carnis mansionem nondum animatur. Concupiscentiam fugit, sed in spelunca latitat, quia non roboratur ad tolerantiam passionum. Unde illi divina voce per increpationem dicitur: *Quid hic agis, Elia?* (*ibid.*) Quasi dicat: Non ad hoc factus es, ut sub latebra carnis moram tibi facias, sed ad contemplandam speciem Creatoris. *Surge* ergo, *sta in ostio speluncæ* (*ibid.*). *Surge*; id est ne terræ inhæreas, ad superiora erigere; quæ sursum sunt quære. *Sta* perseverantia, *sta* patientia, *sta* paratus per desiderium exeundi, *sto* fixus per obedientiam sustinendi. *In ostio speluncæ*, ut nec ingrediaris per concupiscentiam, nec egrediaris per patientiam. *Ecce pertransibit Dominus spiritus grandis et fortis, subvertens montes et conterens petras. Non in spiritu Dominus; et post spiritum commotio. Non in commotione Dominus; et post commotionem ignis. Non in igne Dominus; et post ignem sibilus auræ tenis* (*ibid.*). Ecce præambulos Dei, spiritum, commotionem, ignem. Spiritus est terror æterni judicii, qui si in cor peccatoris impegerit, montes superbiæ dejicit, petras duritiæ dissolvit. Sed hic nequaquam Deus esse dicitur, quoniam anima quam adhuc timor afficit perditionis, charitatis dulcedinem nondum scotit. Post spiritum commotio sequitur,

quia terrore judicii mens mota, compunctionis amore inflammatur. Postremo igni sibilus auræ lenis succedit, quia post longa compunctionis incendia, purgata mens, afflata Spiritu sancto consolationis refrigerium sentit. In quo sibilo nequaquam Dominus inesse negatur, quia nimirum illa sola mens dulcedinem percipit, quæ post laborem pœnitentiæ et anxietatem, consolationis refrigerio perceptu in spe propagationis divinæ requiescit.

TIT. XXIX. *Quomodo melior sit iniquitas viri, quam mulier benefaciens.*

Melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier (*Eccli.* XLII). In interiori homine quiddam est ad cœlestia et superna intendens, et hoc sapientia dicitur; et rursus quiddam ad transitoria et caduca respiciens, et prudentia vocatur. Et dividit se hæc vis animæ in duo, in sursum et deorsum. Sursum in sapientiam, deorsum in prudentiam; sursum in masculum, deorsum in feminam, ut masculus superior sit et regat, et femina inferior et regatur. *Caput mulieris vir ; caput viri Christus; caput Christi Deus* (*Ephes.* V). Prudentiam sapientia regat. Sapientia vero verbum est. Verbum autem ab ipso est cujus est. Prudentia, quasi mulier curam domus agens, circa ea quæ carnis sunt stringitur. Sapientia Dei, quasi vir in longinqua sagacitatem suam mittens vel extendens, per amplitudinem spiritualis contemplationis evagatur. Mulier igitur aliquando bene, aliquando male facit. Male facit quando prudentia vel per pigritiam fugata carnem suam negligit, vel per sollicitudinem distracta ad quærenda superflua se effundit. Bene autem facit, quando quæ necessaria sunt quærit, et commoda carnis suæ, quoniam ei causa ipsius commissa est. Vir similiter aliquando bene, aliquando inique agit. Bene quando sapientia sursum intendit, appetens et desiderans solummodo quæ beneplacita sunt Domino. Inique cum gustu interni saporis roborata non solum superflua resecat, sed etiam necessaria. Vidisti hominem necessaria causa sui studiose perquirentem; hic erat *mulier benefaciens*. Vidisti rursus hominem instinctu vel intuitu supernæ remunerationis carnem suam affligentem; hic erat vir inique agens. Sic enim iniquitas est quando quod debitum est illi subtrahis, sed tamen *melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens*. Melior qui per cœleste desiderium accensus carnem suam in subtrahendo necessaria affligit, quam qui per carnalem affectum resolutus, desideriis ipsius per omnia commoda satisfacere contendit. Multum ergo distat ab iniquitate viri malefaciens mulier. Sed nec benefaciens mulier iniquitati ejus potest æquari. Quando enim bene facit mulier, virtus non est, quando male, culpa. Iniquitas autem viri desiderium justitiæ, bonitas perfectio gloriæ. Si ergo vir iniquus est ad justitiam, et mulier bona est ad naturam, *melior est* profecto *iniquitas viri, quam benefaciens mulier*, quia si natura bona est in conditione, justitia melior in retributione.

TIT. XXX. *De fuga quam suadet nobis Scriptura et de pane quem ministrat.*

Qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti (*Isai.* XXI). Multorum opere nobis fugam persuadet sacra Scriptura. Quid autem debemus fugere, quomodo, et quando? Tres sunt qui movent bellum contra nos : diabolus, caro et mundus. Diabolus ducit contra nos agmina vitiorum, caro malorum desideriorum, mundus prosperorum et adversorum. Felicius esset pugnare et vincere, sed infirmo expedit magis fugere et salvari, quam male pugnare et superari. Vitia igitur fugimus quando peccandi occasionem declinamus, ut in luxuria carnis spe intimæ contemplationis desideria fugimus, quando illorum irritationem cavemus, ne oleum in ignem projiciamus et exardescat, quantum valet. Prospera et adversa fugimus, quando nec etiam ea quæ delectant requirimus per cupiditatem, timentes dissolvi, nec in ea quæ cruciant jactamur, frangi metuentes. Diximus quid et quomodo fugiendum. Nunc quando dicat Veritas. *Videte ne fiat fuga vestra hieme vel Sabbato* (*Matth.* XXIV). Hiems vias aut gelu exasperat, aut pluvia lubricas facit. Hiems est torpor imminentis mortis, quando membra dolor carnis constringit passione et robur dissolvit compassione. Sabbatum tempus est post mortem, quando ab hac vita eductis operandi facultas tollitur. Si ergo vis fugere venturam iram, fuge, dum sanus es; quoniam in morte fuga gravis est post mortem impossibilis. Ne autem deficias in via, habitantes terram austri, si te fugientem viderint, occurrent tibi cum panibus ut reficiaris. In austro splendor et calor; splendor cogitationis, calor dilectionis. *Terram austri* inhabitant qui in cogitatione et dilectione veritatis pausant. Isti abundant in panibus verbi Dei. Occurrunt fugientibus compassione, consolatione reficiunt. Iste panis cum sit unus, diversa specie proponitur. Aliquando enim subcinericius, aliquando hordeaceus, aliquando triticeus nominatur. Elias fugiens, in deserto subcinericio pane reficitur. Filii Jerusalem qui pacem inhabitant adipe frumenti satiantur; qui super fenum recumbunt, hordeaceum comedunt. Panis sub cinere refectio sub vilitate. Sacra Scriptura vilitatem habens in specie litteræ, et dulcedinem servans in profunditate spiritualis intelligentiæ, panis est sub cinere. Vis ut ostendam tibi panem subcinericium? Rachelem et Liam de concubitu unius viri Jacob legis contendere. Magna ibi species vilitatis, magnus cumulus cineris, et acervus terrenitatis. Revolve cinerem, scrutare intus : panis ibi latet, refectio abscondita est. Duas sorores duas vitas, activam scilicet et contemplativam, intellige. Utraque pro amplexu viri contendit; altera ut utilitatem habeat actionis, altera ut jucunditatem percipiat contemplationis. Ecce invenisti panem sub cinere. Vis adhuc panem videre sub cinere? Vides foris infirmitatem Domini nascentis, vagientis, plorantis angustias cunarum, vincula fasciarum. Totum hoc cinis est,

terrenum et infirmum; sub hoc cinere latuit Verbum, refectio angelorum et hominum. Esurientem vides et sitientem, flentem et patientem, compatientem et moventem. Hæc omnia quid fuerunt nisi cinis, indicia corruptionis, signa mortalitatis et latuit sub his virtus divinitatis: quam qui revolvere potuit, satiari meruit. Ecce quomodo Scriptura panem subcinericium apponit. Vides sibi eloquium sacrum secundum litteræ superficiem durum, quasi paleam tenacem habens, ut vix ad medullam spiritualis intelligentiæ penetrari possit. Hic est hordeum. Palea quidem cum labore excutitur, sed si ad interiora perveneris dulcedinem invenis satisfactivam. Invenis alibi sacram Scripturam, et lenitate verborum et suavitate intellectus blandientem. Hic est triticeus in quo mentibus suaviter nutriendis dulcis refectio præparatur. Inter ista tria genera panis subcinericius laborantibus proponitur, ut eos reficiat semetipsos despicientes per exemplum humilitatis et abjectionis, hordeaceus servis, qui studiosiori exercitatione fortia et obscura loca Scripturæ quasi excussa palea detegentes, ad medullam spiritualis intelligentiæ gustandam perveniunt; liliis triticeus, ut in suavitate æternæ dulcedinis reficiantur ad exsultationem.

Tit. XXXI. *De triplici busi in Scriptura. Et de Samsone ejusque ænigmate.*

Tres sunt species basium in Scripturis: ænea, argentea, aurea (*Judic.* xiv). Prima fortitudinem, secunda cum fortitudine claritatem, tertia cum fortitudine et claritate habet fulgorem. Fortitudinem in opere, claritatem in sermone, fulgorem in mente, quia in his tribus patientiam servat, quam basis indicat ænea; claram veritatem, quam basis argentea; et conscientiæ fulgorem, quam basis aurea; quæ virtutum structuram portat omnium. His tribus usus est Moyses.

Si non *arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam* (*Jud.* xiv). *Vitula* est caro lascivs, *propositio*, obscura locutio. Samson, qui sol eorum dicitur, typum tenet Solis *justitiæ*; illius sodales, typum studentium sapientiæ. Dicit ergo: *Si non arassetis in vitula mea*, etc. Ac si dicat: Nisi caro restringatur et fiat sobria, mens nequaquam se valeret erigere ad cœlestia. In vitula aratur, cum caro mortificatur. Invenitur problema, cum cœlestium arcanorum aperitur contemplatio. Sodales igitur Samsonis vitulam diligenter exarant, ut ænigma propositionis intelligant, quia veritatis amici Jesu Christi discipuli carnem sobrie macerant, corpus attenuant, ut obscura scientiæ intelligant, et arcana scientiæ penetrare valeant. Est igitur magni momenti abstinentia, qua purgantur vitia, impetratur venia, possidetur gratia, reparatur innocentia, arcana patefiunt cœlestia. Abstinentia vero quadrifaria est, vitiorum, ciborum, negotiorum immundorum et desideriorum. De his in Zacharia: *Jejunium quarti et jejunium quinti, et jejunium septimi et jejunium decimi erit domui Judæ in gaudium et lætitiam et in solemnitates præclaras*, etc. (*Zach.* viii).

Tit. XXXII. *De cæsarie Absalonis.*

Tondebatur *Absalon semel in anno, quia gravabat eum cæsaries; et tunc crines ponderabantur ducentis siclis pondere publico* (*II Reg.* xiv). Appetitus carnis cæsariem nutrit et producit, quia cogitationum superfluas nutrit: quæ cæsaries gravat mentem dum *deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* ix). Qui tonsus semel in anno ducentis siclis ponderat, quando in omni spatio vitæ suæ cupiditatibus sæculi renuntiat, et hoc in fine. Tunc enim ab iis quæ possidet spoliatur, quando morte ultima terrenis separatur. Ponderat autem plus terra quam cœlum; plus amant esse in domo lutea quam in non manu facta in cœlis, in transitoria quam æterna. Et hoc pondere publico non sanctuarii. Audi pondus sanctuarii, pondus Pauli. *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* i). Audi pondus publicum. *Væ habitantibus in terra* (*Apoc.* viii). Non qui corpore, sed qui corde habitant.

Tit. XXXIII. *De bonis bonorum cum Domino notis, et terriculis malorum.*

Manna de cœlo descendit, gaudeant esurientes. De cœlo *vinea dedit fructum suum* (*Zach.* viii): lætentur sitientes. *Oleum effusum* est (*Cant.* i); exsultent ægrotantes. *Exspectatio gentium* venit (*Genes.* xlix), resipiscant errantes. *Lapis* de monte præcisus est (*Dan.* ii), timeant superbientes. Factus est *fons patens domui David in ablutionem peccatoris* (*Zach.* xiii): redeant prævaricantes. *A Domino factum est istud, et est mirabile oculis nostris* (*Psal.* cxvii). *Non est Deus sicut Deus noster; qui facit mirabilia solus* (*Psal* lxxi).

Tit. XXXIV. *De unguento descendente a Christo in oram, etc., id est in electos ejus.*

A barba Aaron *descendit unguentum in oram vestimenti* (*Psal.* cxxxii), qui a Christo (qui est *mons fortitudinis*, quod interpretatur *Aaron*) in quo est plenitudo gratiæ, descendit in suos, dum gratia (*Joan.* i) quæ est in barba ejus, descendit in apostolos qui per barbam, quæ significat fortitudinem, nutantur, et ab eis usque ad minores, qui sunt in ora vestimenti, pervenit.

Tit. XXXV. *De puero nato et oppresso, moraliter ad simulatum religionem applicito.*

Puer *natus est nobis* (*Isa.* ix). Vos, inquam, martyres, pueri vobis et in vobis nati, quis timorem Domini concepistis et parturivistis spiritum salutis. Vigila, o mater, super curam recens nati, donec formetur vitæ spiritus in eo qui natus est tibi, quia quo recentior est, eo facilius perire potest tibi, qui nunquam periibit sibi. Vigila, inquam, memor, quoniam æmula tua dormiens, oppressit filium qui natus erat (*III Reg.* iii). Quid est enim æmula nisi carnalis anima, quæ spiritum exstinguit? Tangit autem negligentis hujusmodi homines, qui cum religionis amiserint fervorem, ipsius tamen sibi arrogant nomen et gloriam. Inde contentiones carnalium

contra spirituales etiam in capitulis quibus noster Salomon invisibiliter judex præsidet. *Filius meus*, inquiunt carnales, *vivit; tuus mortuus est* (*III Reg.* III): dum scilicet æmulantur sibi religionis auctoritatem; cujus consuetudines judicant pro sua libidine. Et revera mater vult dara æmulæ vivum et integrum, non invidens ei gloriam, dummodo habeat veritatem. Sed illa: *Nec mihi*, inquit, *nec tibi sit, sed dividatur* (*ibid.*). Quia sanctitatis cupit sibi retinere honorem, aliis relinquere laborem. Sed non errat qui judicat, etsi aliquandiu dissimulet. Gladius Salomonis matrem invenit cui adjudicat indivisum, sicut affectum charitatis, sic et effectum potestatis; sicut fervorem operandi, sic favorem operandi. Vos itaque, fratres, in quibus fides per dilectionem operans nata est de Spiritu sancto, custodite eam. Poscite nutricem tanquam parvulum Jesum, donec formetur nobis puer, qui natus est nobis, qui non solum nascendo, sed vivendo et moriendo formam cui imprimitur tradidit nobis.

TIT. XXXVI. *De dæmonum et vanorum cogitationum a sacrificio mentis abactione.*

In sacrificio Abram animalium cæterorum corpora dividuntur, avium non dividuntur (*Gen.* XV). Dum per diversa desideria carnales dividuntur, ut animalia sunt divisi; dumque spirituales unitatis vinculum tenent, ut volucres, indivisi. Supra corpora divisa volucres descendunt, quia in divisione carnalium desideriorum dæmones sibi pastum quærunt. Sunt et aliæ volucres importunæ, cogitationes, quæ in orationis sacrificio se ingerunt et hostiam maculant; sed Abram eas abigit, quia manu sanctæ discretionis intus fugat et immundos spiritus et vanas cogitationes. Difficilius inde abiguntur muscæ quæ cito redeunt quam volucres. Unde non tam gravis est accessus volucrum quam importunitas muscarum, nec tam difficilis est sæpe abactio dæmonum quam cogitationum. *Resistite* enim *diabolo, et fugiet vobis*; resistite cogitationibus: nisi cauti et muniti fuerimus mox redibunt iterum.

TIT. XXXVII. *De rationis et sensualitatis officiis in figura Abrahæ et Saræ.*

Abraham tribus angelis extra ostium occurrit; Sara post ostium subsistit (*Gen.* XVIII). Quia spiritualis noster intellectus debet in cognitione Trinitatis carnem excedere. Cura vero carnis foris non apparet, sed quasi post tergum viri sub discretione spiritus solis necessariis intenta audit promissiones Dei, et irridet, dum dicitur ut de se non præsumat. Subridens corripitur; correpta jam anus fecundatur, quia confidentiam sui deserens contra spem ex promittente accepit quod se habituram humana ratione dubitavit. Unde qui nascitur Isaac, id est *risus* dicitur, quia mens fidens in Deo gaudium parit. Cura ergo carnis metas necessitatis non excedat, sive in eo quod moderate exsequitur de se præsumat.

TIT. XXXVIII. *De lignis frustra quærentibus sibi regem et de malis monachis præsidem.*

Ligna silvarum quærentibus olivam in regem dixerunt ei: *Impera nobis*. *Quæ respondit* eis: *Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua dii utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear?* (*Judic.* IX.) Quia negligentibus religiosis professione, sed sterilibus operatione, dicit Spiritus sanctus, qui per olivam notatur: Pinguedo, quam præfero, in spiritualibus et me quærentibus comparet; vos autem, quia estis steriles, indigni estis gratia mea. Eisdem venientibus ad ficum, id est legem, dicit eadem lex in Isaia: *Excæca cor populi hujus* (*Isa.* VI). Et ut id perficere les intelligatur, ostendit Dominus, dicens: *Homo quidam plantavit vineam* (*Luc.* XX), et in ea ficum plantavit, id est Christus fecit gentem Judaicam et dedit ei legem. Unde et Jeremias: *Vidit bonas valde et malas valde ficus* (*Jer.* XXIV). Observantiæ carnales ficus malæ valde sunt; intelligentiæ spirituales valde bonæ sunt. Veniunt etiam ad vitem, id est Christum; sed *quæ conventio Christi ad Belial?* (*II Cor.* VI.) Ac dicat Christus: *Ego factus sum obediens Patri usque ad mortem* (*Philip.* II). Vos autem Belial estis, id est absque jugo, et ideo non potestis mihi associari. Repulsi ab his tribus: a Spiritu sancto, ab intellectu legis, et Jesu Christo; veniunt ad rhamnum, id est Antichristum. Nam sicut rhamnus prius mollis est in herba, postea densos et acutos aculeos profert, sic Antichristus in principio blandietur, post crudeliter persequetur. Erit enim *coluber in via, cerastes in semita mordens* (*Gen.* XLIX). Hic invitat eos, ut sub umbra sua requiescant, id est desideria hujus mundi appetant, et in operibus carnis quiescant. Sin minus *egrediatur ignis de Rhamno* (*Judic.* IX), scilicet percusso Antichristo: *qui devorabit* non solum simplices, sed etiam *cedros Libani* (*ibid.*), id est majores et minores ejus asseclas.

TIT. XXXIX. *Quod Christus sit ros et pluvia, cœlum Trinitas beata, nubes prophetæ.*

Rorate, *cœli, desuper, et nubes pluant justum* (*Isa.* XLV). Ros de cœlo descendit in terram sine sonitu, pluvia de nubibus cum strepitu. Christus est ros, Christus est pluvia. In hac vita Christus est ros gratiæ, in gremio misericordiæ peccatores collocando. In die judicii erit pluvia, super impios cum strepitu sæviendo. Christus est ros. O peccator, ad spem ascende. Christus est pluvia: O superbe, a tribunali cordis tui descende. *Rorate, cœli, desuper.* Cœlum Pater et Filius et Spiritus sanctus, trinus et unus. Rorent ergo cœli. Quasi dicat: Pater ut Filius ad nos veniat cooperetur, et Spiritus sanctus ut Filius nos redimat. *Nubes pluant justum.* Nubes sunt prophetæ. In his nubibus ligatus et suspensus justus, quia in verbis prophetarum ante incarnationem clausus est Christus. Sed rogat genus humanum ut nubes pluant justum, quia tempus faciendi ut ante conspectum gentium revelet justitiam suam in nubibus pluviam.

TIT. XL. *Quomodo ad Deum redeant compuncti, mendici, devoti et contemplativi.*

Prævaricatores, *redite ad cor* (*Psal.* XLVIII). Compuncti mendici, devoti contemplativi vocantur. Compuncti procumbunt ad pedes rigantes eos lacrymis, et pro commissis clamantis : *Tibi soli peccavi* (*Psal.* L); *propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XII). Hi, cum Maria nostra Magdalene pro menstruis vitiorum ad pedes provoluti audiunt : *Dimissa sunt vobis peccata multa* (*ibid.*). His redimit humilis satisfactio quæ commisit superba transgressio, et experitur supernæ dulcedinis clementiam. Dæmonium a compuncto ejicitur. *Egredietur*, inquit, *diabolus ante pedes ejus* (*Habac.* III). Ut ad pedes fiant mortui viventes, proscripti hæredes terreni cœlestes. Ad manus accedunt mendici, qui, licet de peccatis veniam sint adepti, sentiunt tamen se impotentes ad continendum et bene operandum, et ideo petunt et accipiunt gratiam. Ecce ostendit eui a rege benigno aurea virga clementiæ protenditur (*Esther.* IV) : *Aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione* (*Psal.* CXLIV). Circa pectus versantur et assistunt devoti. Hi sunt qui innocenter vixerunt, vel pœnitendo crimina terserunt, nec ad pedes procumbere dicuntur, quia jam inundati, necad caput pertingunt, quia nondum contemplativi sunt, in quodam medio profectu pietatis operibus vacantes, et temporalia ac spiritualia indigentibus ministrantes. Scientiam hujus actionis et gratiam ministerii hujus non habent a seipsis, sed ab ipso fonte vivo hauriunt, a pectore scilicet Jesu qui est spirituale sacrarium cœlestis armarii *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II). Tales debent esse prælati assistentes pectorio Jesu, id est lectioni sacræ Scripturæ, in quo sedes est sapientiæ, suscipientes et sugentes pacem de sinu Christi, populis eam annuntiaturi, ibi haurientes ad exemplum Joannis copiosam ubertatem doctrinæ spiritualis, ut plenius infusi possint effundere *stillicidia stillantia super terram*, ut Domino dante benignitatem terra nostra det, et fructum suum reddat in tempore suo. Haurire et propinare oportet. Quod non fit discurrendo sæculariter, sed conservando spiritualiter, et meditando diligenter quoniam non eructabit qui non manducavit. Aliud est oscitare de inanitate aliud eructare de plenitudine. A divinis ergo jejuniis nihil saporum annuntiabit, sed neque potest s se quidquam habere quia non potest homo quidquam habere a se, nisi fuerit ei datum desuper. Accedunt ad caput contemplativi vel justificati. *Caput Christi Deus* : Isti qui per Dei gratiam meritorum privilegio se super se levant cum Apostolo quæ non licet homini loqui audientes (*II Cor.* XII). Igitur compuncti ad pedes, delictorum obtinent indulgentiam, mendici ad manus, continendi a malo et bene operandi efficaciam, devoti ad pectus, ad instructionem subditorum moralem scientiam, contemplativi ad caput, sanctiorem de cœlestibus indulgentiam. Timidi et ob crimina quodammodo incredulï veniæ cum Thomas locum inveniunt in vulneribus et fixuris clavorum. Divites fluxu sanguinis laborantes ad fimbriam sanitatis gratiam. Sic Christus homo factus pro nobis stat in medio Ecclesiæ, paratus omnibus subvenire. Accedamus ergo ad eum ne dicatur nobis : *Medius vestram stat quem vos nescitis* (*Joan.* I). Judæi eum viderunt in quem non crediderunt. Nos ipsum fide operante per dilectionem videamus, ne sedentem aliquando timeamus. Sedens enim judicabit. Unde *throni positi sunt et libri aperti : et Antiquus dierum sedit*. *Præoccupemus* ergo *in confessione faciem* (*Psal.* XCIV), judicaturi, nosmetipsos judicantes. *Si enim*, juxta Apostolum, *nos judicaverimus, non utique judicabimur* (*I Cor.* XI).

TIT. XLI. *De officio Moysi, id est legislatoris; Aaron id est sacerdotis, et Samuelis, id est prophetæ applicanda monachis.*

Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus (*Psal.* XCVIII). Noverimus quoddam templum Dei vivum si Apostolo Dei de eo scribenti credimus. *Templum Dei*, inquit, *sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Nequaquam credendum est hoc templum Dei sine sacerdotibus vel absque iis qui invocant Dei nomen debere esse, sed ut Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. Quæramus qui sunt isti *Moyses et Aaron et Samuel*. Per Moysen lex data est; per Aaron sacerdotium institutum; Samueli donum prophetiæ concessum. Officium igitur Moysi facienda præcipere, omittenda prohibere. Officium Aaron, ad ea quæ Moyses mandat Domini implorare auxilium, et de transgressionibus oratione et oblatione Deum verum reddere propitium. Officium Samuelis est prædicere quod præmium sperare valeant legis exsecutores; et quam pœnam exspectent legis prævaricatores. Si ergo videris aliquem nuper de sæculo venientem ne meditatione occupatum, ut de præteritis delictis satisfaciat, de futuris se cautum custodiat, tractare quomodo vultum moderari oporteat, habitumque ac gestum componere, et definire quid et quantum comedendum, quantum sit vigilandum, et quomodo resistat iræ, contradicat gulæ, concultet superbiam, exstinguat luxuriam, quam promptus esse debeat ad obediendum, et patiens ad sustinendum, scias Moysen in eo (qui hujusmodi corde est) surrexit et quasi quamdam novam legem condere. Si item videris eum corpus nuditate et frigore affligere, carnem attendere labore et verbere, mactare multiplices hostias in ara exteriori, et hausto prius igne ad ipsam non sine vituli sanguine in sancta sanctorum introire mactatoque superbiæ vitulo prius cum multis aliis hostiis mactatis in exteriore, in ara interiori consuescit offerre Deo gemitus, suspiria, preces et lacrymas, non dubites in eo Aaron novum sacerdotium inchoare. Ara quidem exterior, sensus carnalis est; ara vero interior affectus. In ara ergo interiori gemitus et lacrymæ offeruntur, et ea quæ cordis affectus commovent, sicut in ara ex-

teriori, vigiliæ, jejunia, labor, et cætera quæ ad sensum carnis pertinent. De hoc autem altari ignis hauritur cum ad interiora transitur, quia de afflictione corporis, doloris vis ad cor transmittitur: unde postmodum compunctionis incessum inflammatur. Ut autem sacerdotii officium plenius cognoscatur, duo sunt quæ ad ipsum præcipue pertinent: populum in lege Domini instituere, et pro populo Dominum verum placare, quorum unum Moyses, alterum Aaron exsequitur. Unde dicitur: *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus.* In Samuele donum prophetiæ eminet. Cur ergo inter eos qui invocant, non potius inter eos qui prophetizant quam inter eos qui invocant? Samuel libenter prophetizat, et illi libenter Deum invocant inter quos prophetizat. Novi prophetia Samuelis est facere, vere invocare, et incitare orantes. Quanto enim quis frequentius cogitaverit quæ præmia justis in cœlo, quæ tormenta pravis sint reposita in inferno, tanto verius Deum invocat et attentius orat. Sed si desinit Samuel prophetare, sacerdotes desinunt invocare et orare, quia quanto fit futurorum contemplatio rarior, tanto redit oratio tepidior, et surgit invocatio tardior. Ut ergo Moyses discretus sit in præceptione, ut Aaron devotus permaneat in oratione, necesse est ut Samuel subtilis et diligens perseveret in contemplatione. Ut igitur ea quæ diffusius diximus ad compendium revocemus, ad Moysen pertinet quod faciendum est prudenter discernere, ad Aaron spectat ad ea quæ per nos non possumus divinum auxilium implorare; Samueli incumbit quid ex re qualibet utilitatis et periculi provenire possit caute providere. Per Moysen igitur discretio, per Aaron devotio, per Samuelem intelligitur circumspectio. Discretionis namque est mores componere, devotionis Deo supplicare; circumspectionis vero de superventuris providere. Si igitur deprehenderis vitam tuam in opere discretam, in oratione devotam, in circumspectione providam, poteris et tunc cum propheta dicere: *Moyses et Aaron*, etc. Nam cum ad sacerdotes pertineat populum præceptis informare et Deum precibus placare, manifestum est eos sine discretione et devotione, quasi sine Moyse et Aaron, sacerdotii sui officium non posse implere. Quos dum Samuel facit de futuris timidos, reddit eos in oratione devotos, et in Dei invocatione assiduos.

Tit. XLII. *De septem fluminibus Ægypti, id est vitiis mundi, et de musca, id est anima illis infecta, et de sibilo Dei quo ab illis avellitur. Et de ape, id est hypocrita, etiam a Domino abacta, et de duplici terra, bona et mala.*

In illa die sibilabit Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api quæ est in terra Assur, et venient et requiescent omnes in torrentibus vallium, et in cavernis petrarum (*Isa.* VII). Ægyptus est mundus tenebris erroris peccati ignorantiæ involutus. In Ægypto septem sunt flumina ex uno fonte; in mundo septem vitia ex una radice superbiæ. Initium omnis peccati superbia. Quæ quamvis ex uno fonte sint, diversi tamen sunt coloris, et diverso modo perniciem ingerunt. Primum flumen inanis gloria, nitidum est, quodam nitore superducto placens, sed subito in se trahens incautos et demergens; secundum flumen invidia lividum est, quadam horrenda profunditate suspectum; tertium ira, fervidum et turbulentum; quartum tristitia, tetrum et nubilum, omnino periculosum; quintum avaritia, Scylla vel Charybdis rapax, omnia trahens ad se, deglutiens et absorbens; sextum gula, quædam vorago, et barathrum fœdas generans ex se exhalationes et corruptelas; septimum luxuria, luteum et viscosum. Musca igitur est anima nostra, inquieta, sordida et impudica quæ discurrendo hunc pungit, illum maculat, alium veneno malitiæ corrumpit, sicut musca, inquieta, sordida et lasciva, ita molesta omnibus et exosa ubicunque insidet, pungit vel maculat. Et hæc movens de fonte superbiæ, et per omnia flumina discurrens pervenit ad flumen luxuriæ quod est extremum flumen Ægypti hujus. Postquam pertransierit omnia flumina vitiorum, capitur musca nostra, delectatur, sordescit et ita implicatur ut non minis, non promissis, non verberibus, non prædicatione vel exhortatione possit inde moveri, facilius occidi posset quam avelli, nec certe avellitur unquam nisi sibilo Dei. Sibilus iste dulcis, suavis lenis est inspiratio Spiritus sancti. Si igitur muscæ pius Dominus sibilare dignatur et compunctionis gratiam infundere, in flumine non poterit detineri. Gratias Deo qui nec tales muscas a sua misericordia repulit, miseretur omnium et nihil odit eorum quæ fecit quia benignus est et misericors, etc. *Sibilat* etiam *api quæ est in terra Assur*. Assur enim interpretatur *elatus*. Hic est diabolus superbiæ caput; hujus terra est maledicta. Est autem alia terra benedicta: Unde: *Benedixisti, Domine, terram tuam* (*Psal.* LXXXIV). Deus mandat nubibus suis ut pluant in eam, et ipsa imbrem suscipiens germinat herbam virentem devotionis quæ bonis aquis alitur. Terra vero maledicta producit spinas et tribulos. Unde: *Maledicta terra in opere tuo*, etc. (*Gen.* III). Hæc est terra Assur. In hac morantur apes, id est hypocritæ, qui sicut apes mel in ore, sed aculeum habent in cauda, de quibus Dominus sic conqueritur: *Circumdederunt me sicut apes* (*Psal.* CVII). Veniunt Judæi cum Herodianis dicentes: *Magister, scimus quia verax es*, etc. (*Matth.* XXII). Ecce quomodo componant favos et mella congregent, sed quia capere quærunt in sermone, aculeum habent in cauda, de quibus propheta: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo* (*Psal.* XXVII). Ecce mel in ore; mala autem in cordibus eorum, ecce aculeus in cauda. Apes ergo habitans in terra Assur est hypocrita, totis desideriis habitans in mundo. Si ergo huic et muscæ sibilet Deus, venient passibus fidei et amoris, et requiescent in cavernis petrarum, melius quam in extremo fluminum Ægypti vel terra Assur, quia *tribulatio et angustia in omnem animam operantis malum* (*Rom.* II). Illius enim quietis *extrema luctus occupat*.

TIT. XLIII. *Quæ servi, quæ mercenarii, et quæ filii offerre debeant Deo.*

Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum (*Psal.* XXVIII). Sicut in lege alia est hostia principum, alia sacerdotum, alia pauperum, sic alia convenit filio, alia servo, alia mercenario. Servo sufficit pro terrore gehennæ de malis pœnitere; mercedis causa mercenario a malis abstinere; filio parum est pro patre Domino animam ponere. Pertinet ad servos itaque pœnitentia, ad mercenarios abstinentia, filiis congruit patientia. Si quis igitur tanquam ovis ad occisionem ducitur et coram tondente se non aperit os suum, inter filios numeratur, qui offerunt filios arietum. Servo, qui non sufficit ad tantam hostiam, sufficit offerre turturem vel columbam, plangendo et gemendo quasi columbino cantu satisfacere. Mercenarius, quamvis petulantiæ et dilectionis hædum mactat, ne mercedem amittat, ad holocaustum Agni immaculati non facile pertingit. Si ergo ad adoptionem filiorum suspiratis, patientiæ agnos afferte Domino. Non autem agnos, sed *filios arietum* dicit, quod idem est, ut quoties perfecta opera habere desideramus, ad Dominici gregis duces prophetas et apostolos recurramus, et si qualia habemus desideria, talia et dicta facta geminantes imitari et nutrire studeamus, filios arietum immolamus. *Afferte* igitur, aut *Domino offerte*, bis ponitur afferte, ut hostia duplicetur, pro gemina stola. Pro stola corporis afferte Domino hostiam bonæ actionis, pro stola mentis, hostiam piæ devotionis. Qui hostiam non duplicat, duplici contritione conteretur. Dictum enim est: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animæ non habent quid faciant* (*Matth.* X). Et ideo ipsi sunt Domini terra, non Domini: *Illum timete, illi munera afferte qui potest et animam mittere in gehennam* (*ibid.*). Afferte Domino corpora, afferte Deo spiritum. Primum Deo, quia dominatur in æternitate; secundo Domino, quia dominatur in tempore. Domino quia cui vult donat temporalia bona vel mala; Domino iterum, quia qui placuerit, dabit æterna præmia vel tormenta. Et nota congruam verborum distinctionem. *Afferte Domino, filii Dei.* Sicut Deus bonitatem sonat, ita Dominus potestatem. Satis ex hac distinctione innuit quod filii sumus, servitium debitum exhibemus, debitum est beneficium. *Afferte Domino gloriam et honorem.* In primo versu bis ponitur afferte. Primo propter nos, secundo propter proximos. Primo ad meritum, secundo ad exemplum. Et quia proximi alii boni alii mali, *offerte Domino gloriam*, et hoc propter bonos, *offerte gloriam nomini ejus* propter malos. Si boni videntes opera vestra bona, quod scilicet filios arietum offertis, et opera mansuetudinis habetis, Deum laudant et in eis operari student, obtulistis Domino gloriam et honorem. Laudibus enim glorificatur Deus, operibus honoratur. Propter bonos ergo *afferte Domino gloriam, afferte Deo gloriam et honorem.* Propter malos, qui mutari nolunt, *nomini ejus*, ut solum quod reprehendant non inveniant. In bonis ergo Domino obtulisti, non solum gloriam, sed honorem, qui laudando glorificant, operando honorantur, in malis saltem gloriam nomini ejus, qui ejus disciplinam laudant, quamvis non custodiant.

TIT. XLIV. *Quid sit adorare in atrio Domini.*

Adorate Dominum in atrio sancto ejus (*Psal.* XXVIII). Superius hostias offerre præcipimur; hic intus adorare jubemur. Prius ne intremus vacui; secundo, ne simus otiosi. Si claustrum cum voto professionis et abrenuntiatione tui ipsius ingressus es, atrium cum hostiis intrasti. Si autem ibi instituta regulæ conservasti, et subjecti omni humanæ creaturæ propter Deum, non solum bonis et modestis, sed etiam dyscolis, non solum majoribus, sed etiam minoribus, per omnia obedistis, humiliter in atrio Domini adoratis. Adorare enim est totum corpus etiam usque ad pedes et infima scilicet membra prosternere. Cum hostiis ergo intrate inchoantes arctam viam et ingredientes angustam portam. Ingressi adorate in habitu religionis, voto professionis, et institutis regulæ, in domo disciplinæ omnibus obedite.

TIT. XLV. *De cedris Libani confractis in bono religioso, et de duplici vitulo.*

Vox Domini confringentis cedros: et confringet Dominus cedros Libani, etc. (*Psal.* XXVIII). Difficile est et quasi impossibile camelum per foramen acus transire, cor tumidum superbia obedientiæ angusta penetrare; sed apud homines, non apud Deum, qui quæcunque voluit fecit, non solum in cœlo, sed etiam in terra, id est non solum in illis quorum cor est intelligentia lucidum directum in cœlum, et mens firma in terra, sed *in mari et omnibus abyssis* (*Psal.* CXXXIV), videlicet qui habent cor amarum et instabile ut mare; animum tenebrosum ut abyssum, fecit quod voluit, qui ad aspectum suum et vocis tonitruum contrivit montes arrogantiæ, incurvavit colles superbiæ, et *deposuit potentes de sede*, quia vox confringentis cedros et etiam cedros Libani. Aliæ sunt cedri aliorum montium. Libanus *decandidatio* interpretatur. Decandidatio autem sanctorum est justificatio. Unde Joannes: *Byssinum enim sunt sanctificationes justorum* (*Apoc.* XIX). Unde vox justi: *Super nivem dealbabor* (*Psal.* L). Et Domini: *Si fuerint peccata vestra* [*ut coccinum*] (*Isa.* I). Cum talis decandidatio creverit in montem, et attolli cœperit super alios: cum se scilicet quisquam magnum putaverit et cæteris sanctiorem, natam scias cedrum in Libano. Si autem nuper de sæculo venisti, et super hoc adhuc pro litteris tuis vel pecuniis te jactas et extollis per nobilitatem generis vel pro habitu honoris dignitate, talium elationes cedri quædam sunt, sed Libani non sunt, quia de vanitatis nigredine non de sanctitatis candidatione surgunt. Quod si in principio bonæ conversationis tuæ, sæcularium pomparum cedri minuuntur, *vox Domini est confringentis cedros.* Et si forte postmodum, ut fieri solet, post instituta opera, quasi de perfecta institutione surgant quædam magnarum elationum cedri, addet Dominus et illas confringere, quia confringet Dominus cedros

Libani. Idcirco pro illis præsens non futurum ponit, dicens, *confringentis cedros*, dum cedros vero Libani futurum ponit, *et confringet cedros Libani*. Additur: *Et comminuet eos ut vitulum Libani* (*Psal.* XXVIII). Vere *hæc est mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI), comminuere rigorem cedri od similitudinem vituli Libani, et quælibet tumida corda inclioare ad humilitatis Christi imaginem. Quomodo prius contritus est propter scelera nostra, Vitulus ille singularis veniens a Libano de monte umbroso et condenso, id est a supremo cœlo ubi splendet candor lucis æternæ? Quomodo, inquam, comminutus est? Qui enim in forma Dei esset, humiliatur immensitate attritionis, quia tormento crucis nihil acerbius, morte nihil ignominiosius. Audiat quomodo inclinari debeat qui se ut vitulum Libani comminui desiderat, asperrima et vilissima, sponte sua, etiam sine culpa sustineat. Ille venit facere voluntatem Patris sui, et tu fac prælati tui. Ecce invenimus vitulum quem in holocaustum Domini mactare debemus, nihil ita flagrat Domino quam si mactetur vitulus propriæ voluntatis. Sed interest utrum sit de Libano an de Carmelo. Vitulum in pascuis Carmeli nutriunt, qui in rebus carnalibus voluntatem suam adhoc non deserunt. Vitulum in Libani vertice pascit, qui voluntatem suam in rebus spiritualibus sequitur. Is autem qui lautiores cibos et vestem molliorem quam cæteri, petit, vitulum impinguat de feno Carmeli. Qui abstinere a concessis volens, fugit comedere quod cæteri, et usurpat sibi habitum hispidiorem, vitulum suum nutrit in pascuis Libani. Uterque pascua quærit vitulo suo, sed unus de Carmelo, alius de monte Libano. Quidquid enim propter violentiam mentis vel teneritatem carnis agitur, ad Carmelum pertinet, quia *molle* vel *tenerum* interpretatur; quidquid quasi pro sanctitate supra ordinis institutum vel prælati consilium præsumitur, inter armenta Libani annumeratur. Sed *væ vobis qui confiditis in vinculo Samariæ* (*Amos.* VI), servientes tanto studio voluntati propriæ. In Judæam venistis, ubi mactatur Domino vitulus propriæ voluntatis. Ad quid descendistis ad Samariam, ubi vitulus pro Deo adoratur, propriam voluntatem enstodientes et descendentes. An nescitis quod Judæi non coutuntur Samaritanis! Prius a sæculo venientes propriam voluntatem damnaveratis. Nunc quæritis de Judæis Samaritani effici. Si in Judæa es, vitulum Deo in sacrificio interficis; si in Samario, vitulo tuo servis. Si enim carnis curam in desideriis facis, vitulum de feno Carmeli pascis. *Omnis* enim *caro fenum* (*Isa.* XL). Vide autem quomodo lex hujus vituli carnes comminuat et flammis in cinerem dirigat. Prius mactatur, cum obedientiæ amore singularitas abdicatur. In frusta dividitur, cum quæque singularitatis opera distinguuntur, quousque omnis arrogantiæ voluntas sopiatur solo cogitationis cinere inde remanente, quo conscientia ex recordatione humilitatis confundatur magisque vereatur.

TIT. XLVI, *De duplici igne, et multiplici puritate per tres pueros figurata.*

Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum (*Psal.* XXVIII). Alius est ignis quem venit Dominus mittere in terram; alius quem venit exstinguere. Primum de cœlo veniens secum attulit; secundum invenit. Omnis amor ignis, sed non omnis bonus. Amor igitur bonus ignis bonus, quem Dominus venit mittere in terram ut ardeat (*Lev.* X). Amor libidinis malus quam venit exstinguere. Unde per Moysen ignem alienum prohibet offerre super altare suum: de suo præcipit ut semper ardeat in altari suo; flammam alieni semper exstinguit. Unde *Angelus Domini descendit et excussit flammam ignis* (*Dan.* III). In pueris autem exstinguitur, qui a puritate dicuntur. Est autem alia puritas cordis, alia oris, alia actionis. In corde simplicitas, in ore veritas, in opere sinceritas. Hos tres pueros habemus cum sanctum est quod meditamur, verum quod loquimur, justum quod operamur. Felix nimium et Deo grata horum trium puerorum societas, propter unam puritati concordiam, in voluntate, sermone, actione. Videt ergo rex Babylonis et invidet, et eos odorare statuam æream desiderat, dum eos ex sua sanctitate in superbiam erigi suadet. Statuam enim auream adorare est super hæc studiis operam dare et deservire. Qui cum eos videt despicere, flammas parat ut quos per gloriam elationis non potest superare, per flammam occidat libidinis. Flamma enim accenditur quando caro nostra ardore libidinis inflammatur. Ab angelo autem Domini flamma excutitur, et medium fornacis quasi ventum roris flantem efficit, dum intima cordis flante Spiritu sancto cœlesti rore perfundit, et refrigerata conscientia puerorum linguam in laudem Creatoris convertit. Quibus liberatis Chaldæos flamma consumit, quia insidiantes innocentiæ, invidiæ se gehennæ ardor exurit.

TIT. XLVII. *De proprietatibus cervi imitandis.*

Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa, etc. (*Psal.* XXVIII). Cervus animal velox, timidum, serpentibus inimicum. In agilitate pedum, velocitas denotatur actionum. Vis videre cervum alacriter currentem? *Viam*, inquit, *mandatorum tuorum cucurri* (*Psal.* CXVIII). Vis videre vocem præparantis ad cervinam velocitatem? *Sic currite ut comprehendatis* (*I Cor.* IX). Vis audire vocem mentis ad cervinam formidinem? *Beatus homo qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Quia *sapiens in omnibus metuit* (*Eccli.* XVIII). Vis audire vocem moventis cervum ad serpentinam interfectionem? *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam*, etc. (*Colos.* III). Tria itaque hæc ad cervum videntur pertinere: viam mandatorum velociter percurrere, dæmonum insidias suspectas habere, venena vitiorum audaciter destruere. Actio igitur expedita, pavida, et justa cervos facit, quia inquantum expedits, velocitatem tribuit; inquantum pavida, utiliter povidum quia cautum reddit; inquantum iusta, vitiorum venena exstinguit. Multi

in eo quod velociter currunt, serpentes non occidunt, sed nutriunt, quia in eo quod fortiter agunt, superbia et vana gloria et alii serpentes convalescunt. Alii in bonis operibus bonam intentionem habent et serpentina vitiorum venena mortificare student, sed dum modum et tempus servare nesciunt, in dæmonum insidias quasi venantium laqueos incidunt. Est ergo vox præparantis cervos, juxta illud: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II). Et illud: *Servite Domino in timore* (*Psal.* II). Ut igitur ad cervorum numerum pertineant, oportet eos et velociter currere, et caute timere. Talibus cervis sic præparatis revelabit condensa Scripturarum, profunda allegoriarum, opaca sacramentorum mysteria, mysteriorum secreta. Dabitque in montibus condensis et umbrosis requiescere, ubi contra venatorum insidias latebras reperient, et contra solis æstus refrigerium accipient. Quanto enim altius Scripturarum intelligentiam perceperint, tanto securius et quietius quasi in condensis latitabunt, et in umbrosis quiescent.

TIT. XLVIII. *Quæ a dextris et quæ a sinistris Dei stent, et quid sit charitatis varietate vestiri.*

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumamicta varietate (*Psal.* XLIV). *Dominus virtutum*, ut ait psalmista, *ipse est Rex gloriæ* (*Psal.* XXIII). Hinc dicit David: *Astitit Regina*, etc. Merito regina virtutum charitas dici creditur, quia virtus virtutis nomen amittit, quæconque charitati non famulatur. A sinistris Dei sunt bona temporalia; a dextris æterna. A dextris ergo charitas dicitur stare, quia bonis æternis, non temporalibus muuitur. In solis namque illis charitas regnat, quos amor æternorum inflammat. *Astitit* ergo *regina* charitas, sed *a dextris* et *in vestitu deaurato*. Summi Regis oculis vult placere, quæ tam pretiosas vestes vult habere. Probatio charitatis exhibitio est operis. Opera bona ejus vestimenta sunt, *In vestitu*, inquit, *deaurato*. In vestitu opera justitiæ, in auro intellige claritatem sapientiæ. Vestimenta igitur aurea, opera sunt discreta. Fortassis tu agis omnia fortiter, minime tamen suaviter, quia non sapienter. Ideoque vestimenta quidem habes, charitatem sapientiæ non habes, quia Sapientia *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII), a fine inchoationis usque ad finem consummationis. Tu fortiter inchoas, tepide consummas. Cur? Quia non disponis omnia suaviter, nec scis operari sapienter. Incipis, curris, festinas, lassaris, deciperis. Non dicam ad finem, sed nec ad medium pertingis. Procedit ergo charitas, imo assistit, quæ nunquam, *a* Dei *dextris* recedit, *in vestitu deaurato*, *circumamicta varietate*. Decet sane utpote reginam multiplicem vestem habere et variam. Tu nescio quis semper vis esse in contemplatione, nescis ut audio, vestiri varietate. Alius quærit assidue esse in oratione, nec animadvertit quod charitas ornari vult varietate. Quisquis uno quolibet pretioso quo delectatur in opere, sic ornari cupit, ut alium æque utilem aspernetur; charitatis ornatum non habet quæ vestitur varietate.

TIT. XLIX. *De opprobrio et contemptu.*

Aufer a me opprobrium et contemptum (*Psal.* CXVIII). Opprobrium est culpa, contemptus pœna. Culpa iniquitas, pœna mortalitas. Propter iniquitatem factus sum exprobrabilis; propter mortalitatem, contemptibilis. Abominabilem me facit concupiscentia, vilem miseria. *Aufer a me opprobrium*, etc. Si facis me justum, *aufer a me opprobrium*, *aufer contemptum*.

TIT. L. *De extremo terræ unde producuntur nubes, fulgura et pluviæ.*

Producens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit, etc. (*Psal.* CXXXIV). Terræ nostræ extrema peccata infima et opera abjecta. A tali extremitate nubes producitur; quia ex turpitudinis nostræ recordatione caligo confusionis generatur. Nubes hujusmodi dum mentem obnubilat contra concupiscentiæ æstus quasi contra solis ardores refrigerium præstat. Nam qui peccasse se meminit, et se peccasse erubescit, quanto magis de præterito dolet, tanto de futuro se cautiorem reddit. *Fulgura in pluviam fecit.* Ante fulgura nubes producitur; post fulgura pluvia sequitur. Nubes caligo confusionis; fulgura, terror majestatis; pluvia fetus compunctionis. Dispensata ergo divina pietate, prius ob mentis oculos turpitudinis nostræ memoria reducitur, post, mens recordatione divini terroris formidine concutitur; tandem, inter confusionem et formidinem deprebensa et diu fatigata in fletu compungitur. Nubem super me aspexi, quotiescunque *confusio faciei meæ cooperuit me* (*Psal.* XLIII): fulgura excipio quando terrores Domini militant adversus me; pluvia descendit, quoties potui lectum meum rigare lacrymis.

TIT. LI. *De primogenitis Ægypti.*

Qui percussit primogenita Ægypti, ab homine usque ad pecus (*Psal.* CXXXIV). Primogenita Ægypti sunt diabolicæ elationes et humanæ præsumptiones. Alii superbiunt de rebus temporalibus, alii intumescunt in rebus spiritualibus. Vere brutus et animalis est sensus, quando ad imaginem Dei factus amens ex his intumescit quæ communia sunt cum pecoribus. Alii igitur superbiunt de vanitate; alii de sanctitate. Superbia vanitatis est primogenitum pecoris. Arrogantia sanctitatis est primogenitum hominis. Ægyptus autem erroris tenebræ. Talia generant primogenita. Flante autem divini Spiritus aura, percutiuntur primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus, quia flante spiritu timoris Domini dejicitur omnis tumor elationis.

TIT. LII. *De vulva, liberis, et uberibus.*

Quid dabis eis? Da eis vulvam absque liberis et ubera arentia. Vulva est studiositas, semen, veritas, bona voluntas. Ad hoc debes legere, propter hoc oportet intelligere, ut studeas adimplere. Vulvam habes, desiderium discendi habes. Si veritatem con-

eeptam amas et opere perficis, liberos nutris. Qui sunt hi liberi? Affectus boni et ordinati. Quid enim decet divina Scriptura nisi amare religionem, servare unitatem, habere charitatem? Sed multos video studiosos, paucos religiosos. Amant lectionem non religionem, imo amore lectionis in odium incidunt religionis. In his impletur quod dicitur: Dabo eis vulvam abaque liberis. Doctores et prædicatores esse volentes, et primas cathedras et salutationes ambientes in populo, sed dantur eis ubera, id est verba arentia. Sermo debet esse ad hortandum sive ad exponendum obscura lucidius, ad persuadendum utilis, quod hæc sunt quasi ubera duo, unum expositionis, alterum exhortationis. Hæc multi accipiunt tumentia quidem, sed arentia; apprehendunt scientiam quæ inflat, carent charitate quæ ædificat; quorum ubera per scientiam tument, sed areotis sunt, quia dulcedinem spiritus non habent. Et videmus hodie permultos habere linguam magniloquam, rarus melliloquam.

TIT. LIII. *De uberibus sponsæ attributis.*

Meliora sunt ubera tua vino (*Cant.* I). Duo sunt ubera sponsi, videlicet ingenitæ mansuetudinis et longanimitatis quibus patienter exspectat delinquentem, et clementer recipit pœnitentem. Gemina est ista dulcedo suavitatis in pectore Domini Jesu; longanimitas in exspectando, et in donando facilitas. Vis videre longanimitatis, uber? Audi Apostolum: *An divitias bonitatis et longanimitatis et patientiæ ejus contemnis? An ignoras quod benignitas ejus ad pœnitentiam te adducit?* (*Rom.* II.) Ad hoc siquidem diu suspendit sententiam ultionis in contemnentem, ut quandoque gratiam remissionis infundat pœnitenti. *Non vult enim mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII). Accipe exemplum et de altero ubere quod est remittendi facilitas. Legitur enim de ipsa: *Quacunque hora peccator ingemuerit* (*ibid.*). Legitur etiam: *Derelinquat*, inquit, *impius viam suam: et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum* (*Isa.* LV). Pulchre David utrumque paucis comprehendit, dicens: *Longanimis et multum misericors* (*Psal.* CII).

TIT. LIV. *De gratiarum actione pudica et mera ad Deum ut ad fontem unde omnia bona, referenda.*

Origo fluminum et fontium, mare virtutum et scientiarum Dominus Jesus, quia juxta Annæ canticum: *Deus scientiarum Dominus est* (*I Reg.* II), dans casta consilia, justa judicia, recta desideria. illius fontis rivuli sunt cordis munditia, carnis continentia, oris puritas. Ex isto fonte manant ut ad *locum unde exeunt flumina* gratiarum *revertantur, ut iterum fluant* (*Eccle.* I). Remittatur itaque ad suum principium cœleste profluvium. Spirituales rivi proprio fonte sine fraude et sine intermissione reddantur, ut arva mentium rigare non desinant, et iterum uberius refundantur. Qualiter? inquis. Audi Apostolum: *In omnibus gratias agentes* (*Ephes.* V), ut quidquid sapientiæ, quidquid virtutis habes et gratiæ, totum Dei virtuti et Dei ascribas sapientiæ. Sed non omnis gratiarum actio Deo est accepta, sed quæ pudica est et mera. Pudica dixerim propter eos qui de malis suis gloriantes cum furtum vel homicidium vel adulterium fecerint, Deo gratias dicere solent, quasi Deus more eorum lætetur, cum malefecerint, et exsultet ut ipsi in rebus pessimis. Audiet quia talis est: *Existimasti inique quod ero tui similis?* etc. (*Psal.* XL.) Mera vero dixerim, propter hypocritas; qui Deum quidem de bonis suis verbo tenus glorificantes dolose agunt, in conspectu Dei invenitur iniquitas eorum ad odium. Primi mala sua impie Deo; secundi bona Dei fraudulenter intorquent sibi. Quorum vox est: *Labia nostra a nobis sunt* (*Psal.* XI). Sed quid *lingua tua nisi calamus scribæ?* (*Psal.* XLIV.) Et hoc ipsum mutuo accepisti a te repetendum cum usura. Si inventus fueris ad opus impiger, ad referendum fidelis, pro labore mercedem accipies et audies. *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multum te constituam*, etc. (*Matth.* XXV). Sin minus, vocaberis servus nequam et piger. Non laus calami est, sed laudabilis est ille bene exarata Scriptura; nec gloria linguæ aut labiorum, sermo bonus, sed essentia, et qui eam dedit Dei.

TIT. LV. *De funiculo triplici.*

Funiculus triplex (qui difficile rumpitur [*Eccle.* IV]) ad extrahendas animas de carcere diaboli, et ad regna cœlestia post retrahendas, est recte servire, utiliter proferre, et efficaciter adimplere.

TIT. LVI. *Oratio funebris et lamentatio de morte prudentis amici et religiosi.*

Multam mœror tristitiam imperat (*Job* VI). In statera mea tristitia exsuperat, et calamitas quam patior, tanquam ignis, triste pectus adurit. Interiora depascitur clausus dolor, latius serpit, et sævit acrius. Quid mihi et lætitiæ, qui in amaritudine sum? Vis doloris omnem abducit lætitiam. Indignatio Domini ebibit spiritum meum, subtracto quem diligebat anima mea, simul quia cor meum dereliquit me. Quo mihi avulsus es? quo mihi raptus e manibus, homo unanimis, homo secundum cor meum? Amarissima separatio, et quam non posset nisi mors efficere. Opus mortis est tam horrendum divortium, totius suavitatis inimica mors, unum rapiendo, duos furiosa periuit. Mitius enim me privares, o austera mors, vitæ usu, quam fructu; sine quo ipsa vita gravior quam mors est. Nam carnis frater, si charos amisit, chariores invenit. In me transiorunt, o mors, iræ tuæ, super me confirmatus est furor tuus, qui elongasti a me amicum et proximum. Erat ambobus grata præsentia, dulce consortium, suave colloquium; sed tantas utrinque delicias ego perdidi; tu super mutasti et quidem in mutatis retributio multa ad omnem locum quo emerserit respicin; ad charum ubi consueveram, et non est. Heu! quantum istic ingemisco, sicut homo sine adjutorio, quem posthac consulam in

ambiguis! cui fidam in adversis? Quis nostra portabit onera? quis imminentia propulsabit pericula? Porro super nivem multiplicatur mihi et dolor. Vivam? Quousque vivam? Et si multum vivam, in amaritudine vivam, in mœrore vivam, in luctu vivam, non parcam mihi, et juvabo manum Domini? *Etenim manus Domini tetigit me* (*Job* XIX), cum succidit illum, nec enim dixit mihi se succisuram quam plantarat vineam. Ego illic portio misera in luto jacens, truncata parte sui et meliori. Frustraque dicitur mihi : Ne senseris. Sentio enim vel invitus, quia nec fortitudo lapidum fortitudo mea (neque enim mihi carnea fibra) nec caro mea ænea est. Sentio prorsus et doleo : *Et dolor meus in conspectu meo semper*. In virga indignationis suæ percussit me Dominus; digne pro meritis, dure pro viribus. Etenim dextera manus mea, lumen oculorum meorum, pectus meum lingua mea truncata sunt. In ipso quidem operabar, providebam, sentiebam, loquebar; quippe cujus os meditabatur sapientiam et lingua loquebatur judicium. Nunc ille, uti spero, pro meritis sempiterna fruitur gloria, et ego pro commeritis in hac communi derelictus sum miseria. Dixi.

TIT. LVII. *De venatore et laqueo animarum, et de verbo aspero ad monachos.*

Ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero (*Psal.* XCX). Ex quo *homo* positus *in honore non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus et similis factus illis* (*Psal.* XLVIII) : et tetendit ei venator diabolus callidissimus et nequissimus laqueo. Et silvestribus et omnino bestialibus sæcularibus loco aperto satis laqueos expandit, ut quos facile capiendos non dubitat : Vobis autem qui tanquam cervi prudentiores, serpentes necatis, et perfugere desideratis ad fontem vivum, subtiliores occultat laqueos, ideo vos, o novellæ plantationes, qui nondum habetis exercitatos sensus cordis vestri, nolite abundare in sensu vestro; sed humiliamini sub potenti manu pastoris vestri, acquiescite consiliis ejus qui melius novit versutias venatoris illius, ne versutus venator, vos tamquam rudes et incautos decipiat. Sed venatores jam et bestias novimus. Quis sit laqueus audiamus. Dic nobis, B. Paule tu qui non ignoras astutias ejus quis sit iste laqueus. *Qui volunt*, inquit, *divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli* (*I Tim.* VI). Ergo laqueus diaboli sunt divitiæ hujus mundi. Heu me, quam pauci sint qui volunt ab isto laqueo liberari! Quam multi sunt, qui dolent quod parum sunt irretiti! *Vos autem qui reliquistis omnia et secuti estis eum qui non habet ubi caput reclinet* (*Matth.* XIX; *Luc.* IX), exsultate et dicite : *Ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.* Bestia, si non times laqueum, time malleum, verbum scilicet asperum: *Ite*, inquit, *maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Durum est pœnitere, ut qui audiunt *pœnitentiam agite* (*Matth.* III), dicant : *Durus est hic sermo* (*Joan.* VI). Sed si hoc verbum asperum recogitaverint, invenient quod *jugum Domini suave, et onus ejus leve* (*Matth.* XI). Vos autem pennati, quorum *ante oculos frustra jacitur rete* (*Prov.* I), quidquid in vobis est bestiæ mactate, corium detrahite, ne quando venator capta bestia clamat : tolle, tolle, infige verubus, infer prunis, infer caldariis. Si enim liberati fueritis a laqueo non timebitis a verbo aspero. Prætiosiorem igitur habere paupertatem vestram divitiis hujus sæculi, et de labore vestro Christum pascite et vestite; ut in die illa gratias agendo exsultetis et dicatis : *Ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.*

TIT. LVIII. *De quatuor generibus ovium, et de caula earum ac carnis custodia quadruplici.*

Nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus (*Psal.* XCIV). Quatuor sunt genera ovium. Infirmæ, fetæ, vagæ, validæ. Hæ sunt incipientes, proficientes, errantes, perfectæ. Unaquæque indiget proprio pastu : incipientes eruditione, ut ulterius proficiant; proficientes admonitione, ut ad summum perveniant; errantes correctione, ut peccatum abjiciant; validæ exhortatione, ut coronæ inserviant. His quasi caulæ quædam claustralis debetur observatio : quæ quodammodo quadrangula est, sicut claustrum, ut singuli a suis proprietatibus non exclusi sint, finibus suis contenti. In primo latere erit subjectio scholastica, ut nascatur humilitas; in secundo, lectio moralis ut acuatur subtilitas; in tertio correctio spiritualis, ut evellatur iniquitas; in quarto, meditatio spiritualis, ut cognoscatur veritas. Demum canis necessarius est, id est vigilantia pastorisque custodia quadrifida, ut sicut canis latratu lupos et latrones fugat, sic prælatus comminatione diabolum et vitia propinquare vetet. Sicut canis propria lingua se sibi medicum præstat, sic, si excesserit, linguæ confessione se curet, sicut canis venaticus feram a longe præsentit, ita virtute fidei vitam post mortem speret; et sicut canis domino suo fideliter adhæret, sic ab unitate fidei se usque ad mortem non separet.

TIT. LIX. *De panibus Salomonis, et duplici amore, pravo et bono.*

Tres sunt panes Salomonis : Contemptus mundi, et sui, et amor Dei. Primum proponit in Ecclesiaste, secundum in parabolis, tertium in canticorum Canticis. Quia enim duo sunt mala, quæ sola maxime militant adversus animam, vanus scilicet amor mundi, et superfluus amor sui, pessimi utrique duo isti priores sibi obviare noscuntur. Quia vero unum solum summum bonum, quo frui et quod amplecti desiderat sponsa, Deus scilicet sponsus est, hic in tertio, id est canticis frangi dignoscitur. In primo igitur, ad refectionem nostri docemur hujus mundi contemnere vanitatem; in secundo cognoscere et sequi veritatem, sequi scilicet Agnum quocunque ierit; in tertio, veritate frui et ad ipsum pervenire : et hic est fructus amborum priorum. Cum tertium istum sumpserit panem qui de via venit amicus, unde murmuret non habebit. Sed quis franget?

Adest paterfamilias cognoscendus Dominus in panis fractione (*Luc.* XXIV), pauper et inops ad eum pulset, quia aperit et nemini claudit.

Tit. LX. *De triplici unguento bonorum.*

Tria sunt unguentorum genera : contritionis, devotionis, pietatis. Primum pungitivum, dolorem faciens; secundum temperativum, dolorem leniens; tertium sanativum, morbum expellens. Primum conficit anima multis criminibus irretita, quando incipit cogitare vias suas, ut colligat, congerat, et conterat in mortariolo conscientiæ suæ moitas et varias species peccatorum, et mire æstuans peccatoris olla simul omnis coquit igne quodam doloris et pœnitentiæ, ut possit dicere : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis* (*Psal.* XXXVIII). Secundum conficit anima multia virtutum beneficiis accensa, cum sancta devotio beneficia Dei cum lætitia et gratiarum actione recolit, illa in vasculo pectoris pistillo crebræ meditationis conterit, et igne sancti desiderii concoquit, et deinde oleo lætitiæ impinguat, et tunc psallit et intelligit in via immaculata, ut possit dicere : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C). Tertium sibi conficit pia hominis anima de necessitatibus pauperum, do perturbationibus tristium, de culpis delinquentium, postremo de omnibus hominum ærumnis, ot si sint inimici, quia *jucundus Deo homo qui miseretur et commodat* (*Psal.* CXI), pronus compati, subvenire paratus ignosceret facilis, irasci difficilis et ulcisci. Sic omnibus omnia factus fit sibi tanquam vas perditum, ut cæteris sit præsto et occurrere et succurrere. Mortuus denique sibi, ut vivat, omnibus speciebus ditare curat, et impinguare, perfundens prædictas proximorum inopias quasi quodam aromate, oleo misericordiæ, et decoquens charitatis ardore, ut de hujuscemodi fratre, in congregatione sanctorum digito ostenso dicatur : *Hic est fratrum amator populi Israel; hic multum orat pro populo, et universa sancta civitate* (*II Mach.* XV). Primo unguento pedes Jesu, secundo caput, tertio totum corpus a bonis mulieribus ungitur. Jesus dicitur caput et sponsus; corpus et sponsa dicitur Ecclesia. In qua boni et mali : pectus boni, pedes mali; corpus boni et mali; caput vero Deus. Mulier igitur, id est anima peccatrix pedes istos ungit (*Luc.* VII), maiitism in mortariolo cordis terendo : Anima justificata caput ungit, de collatis ipsi beneficiis capiti suo, id est Deo non sibi attribuens gratias agendo. Ipsam Jesum, id est totum corpus ungit pia mulier, charitatem suam usque ad inimicos corporaliter et spiritualiter exercendo. Primum quamvis pedibus tanquam extremis membris offeratur, non est tamen vile, cum de eo dictum sit : *Et domus impleta est ex odore unguenti* (*Joan.* XII). Est enim odor vitæ ad vitam. Quamvis pœnitens in Ecclesia tutum dicitur, ut non solum ad terrensm, sed ad cœlestem etiam Ecclesiam attingat odor pœnitentis; teste enim veritate *gaudium fit inter angelos super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV). Hujus unguenti species in propriis hortulis invenimus. Quis enim de proprio suo ad manum non habeat iniquitates et peccata, si non dissimulat? Si autem aromata, beneficia scilicet Dei, procul et de ultimis finibus ea accepit, quia : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est* (*Jac.* I). Hoc unguentum est sacrificium de quo dicitur : *Sacrificium laudis honorificabit me* (*Psal.* XLIX). Non est igitur pauperia hoc unguentum : de quo nimirum quia tangi caput illud venerandum non ducit indignum, judicat honoris esse insigne. His duobus tertium præfertur; sanativum enim est de quo dicatur a Domino : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V). Unde eo non tantum pedes, nec tantum caput, sed et totum ungitur corpus. Primum itaque bonum, secundum melius, tertium optimum. Quia discipulo dicente : *Ut quid perditio hæc* (*Joan.* XII)? dictum est a Domino : *Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonum operata est in me* (*ibid.*). Potest tamen dici quod hoc unguentum priora designet. Cum enim qui prodesse multis posse putatur, soli tamen sibi vivit, et ad pedes in recordatione peccatorum sedens, ad caput in recordatione beneficiorum proficit, ut cæteris prosit et præsit vocatur : quid aliud dicitur nisi, *ut quid perditio hæc? Potuit unguentum istud venundari multo et dari pauperibus.* Hujusmodi autem renuente onus, et Domino congaudente in tali vocatione dicitur : *Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonum*, etc. Quasi dicat : Non vir, ut putatis, qui possit mittere manus ad fortia; sed mulier stet in hoc bono, donec convalescat ad melius.

Tit. LXI. *De quatuor unguentis in quorum odore currit sponsa.*

Curremus in odore unguentorum tuorum, etc. (*Cant.* I). Quatuor sunt unguenta in quorum odore nostra sponsa currit : primum sapientiæ, secundum justitiæ, tertium sanctificationis, quartum redemptionis. Hæc quatuor factus est a Deo sponsus bomini, dicente Apostolo : *Qui factus est nobis a Deo sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio* (*I Cor.* I). Sapientia in prædicatione, justitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conversatione quam cum peccatoribus habuit, redemptio in passione quam pro peccatoribus sustulit. Vides quadrifariam unctionem.

Tit. LXII. *De quadruplici Dei in nos beneficio, illuminationis, justificationis, doctrinæ et redemptionis.*

Sedebas in tenebris et umbra mortis per ignorantiam veritatis vinctus delictorum catenis, et descendit ad te veritatis Doctor, umbramque depellit ignorantiæ tuæ, luce sapientiæ suæ. Per justitiam deinde quæ est ex fide, solvens funes peccatorum, gratis justificans peccatores et in his duobus *Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Addidit sanctificationem, qua sancte inter peccatores vivens tradidit formam vitæ et viæ qua homo rediret ad patriam. Adjungit et redemptionem,

eam tradidit in mortem animam suam et de proprio latere protulit pretium sanctificationis, quo Patrem placaret, ut cognosceres quod *apud Deum est misericordia, et copiosa apud eum redemptio* (*Psal.* cxxix).

Tit. LXIII. *De tribus sagittis expetendis.*

Tres sunt sagittæ: timor, sermo Dei, et charitas. Primam postulat qui dicit: *Confige timore tuo carnes meas* (*Psal.* cxviii). De secunda Apostolus: *Penetrabilior est omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus* (*Hebr.* iv). Tertia vulnerata est quæ dicebat: *Stipate me malis quoniam amore langueo* (*Cant.* ii). Prima sagitta transfodiuntur delectationes carnis, secunda interficiuntur vitia animæ, tertia excutitur omne vitium vel noxium ab ipsa anima: tangitur illa *pax Dei quæ exsuperat omnem sensum* (*Philipp.* iv), quæ facit ut jam non delectet, in quo carnalis sit sensus.

Tit. LXIV. *De quatuor tentationibus conversi ad Dominum.*

Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in tenebris, a negotio perambulante in die, et dæmonio meridiano (*Psal.* xc). His tanguntur quatuor genera tentationum quæ sensit et sentit qui conversus est ad Dominum: Timor nocturnus, sagitta volans in die, negotium perambulans in tenebris, et dæmonium meridianum. Nam primordia conversi primus exagitat timor de terrore vitæ et austeritate insuetæ disciplinæ. Unde dicitur: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* ii). Hic timor dicitur nocturnus, vel quia nox designare solet adversa, vel quoniam propter quod adversa aggredimur nondum revelatur. Si enim dies ille luceret, cujus lumine labores et præmia viderentur, timor nullus esset laborum præ desiderio præmiorum, quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* viii). Sed quia nox est, ideo tentamur a timore nocturno pro his quæ videntur adversa tolerandis. Primo igitur intrantibus orandum est et vigilandum contra hanc tentationem, ne subito præoccupati a pusillanimitate spiritus et tempestate nocturna, bono cœpto resiliant. Hac autem superata, armandum est contra sagittam volantem in die, quæ est inanis gloriæ fama: quæ quidem volat, quia levis; et ideo in die, quia ex operibus lucis. Sed hæc facile superatur tanquam inanis gloriæ aura. Tertio a *negotio perambulante in tenebris*. Die, id est ab hypocrisi timendum est, et ideo procurandum est qui non corat laudes, ne appetat divitias et dignitates, circumventus: *a negotio perambulante*, tam in die quam *in tenebris* quod est hypocrisis. Hæc enim negotiatur omni tempore, formam retinens pietatis, et ad se occultam virtutem vindicans ad emendos honores et prælaturas. Hoc negotium perambulat in die, quia speciem habet virtutis et simulat virtutem; re autem ipsa est in tenebris, quia in tenebris habitatio ejus abscondit quod est, et quod non est mentitur. Qui autem superaverit hujusmodi favores et honores, postremo tentatur a dæmonio meridiano; ab eo qui transfigurat se in meridianum, id est in angelum lucis, cum sit vere dæmonium et angelus tenebrarum. Hinc dolum suspicans Josue non prius amicum angelum recepit quam esse amicum novit (*Josue* v). Discipuli quoque Dominum super mare ambulantem dum procellis agitarentur videntes, Domini virtutem et misericordiam per apertam suspicionem deprimunt, putantes eum phantasma (*Matth.* xiv). Unde et quarta vigilia noctis venit; quarto loco contra istam tentationem vigilare suadens. Tu autem, o homo conversus, juxta prophetam: *Non timebis a timore nocturno a sagitta volante in die, a negotio perambulante* in tenebris, *ob incursu et dæmonio meridiano* (*Psal.* xc). Si veritas Domini circumdat te scuto suæ protectionis et bonæ voluntatis.

Tit. LXV. *De duplici impetu spiritus et carnis.*

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, etc. (*Psal.* xlv). Duo sunt impetus, unus spiritus, et alter carnis: Primus bestiorum, secundus malorum: Impetus carnis ad odium, ad iram, ad exteriorem gloriam et voluptatem animum impellit; impetus spiritus ad charitatem, ad patientiam, ad æternorum fidem, et ad contritionis lacrymas pertrahit mentem. Unde necesse est magna cura considerare qui nos impetus ducat a cogitatione nostra. Nam dum per impetum impellimur amare terrena, ultionem de inimico quærere, temporalia non ad necessitatem, sed ad voluptatem et superfluitatem postulare, impetus est carnis. Econtra amare cœlestia, ignoscere nos offendentibus, amare inimicos propter Deum, temporalia ad usum necessitatis quærere impetus est spiritus. Hinc de sanctis animalibus dicitur: *Ubi erat impetus spiritus gradiebantur* (*Ezech.* i). Et quia sic ad bona tendunt ut ad mala non redeant, recte subditur: *Non revertebantur dum ambularent* (*ibid.*). Quia ab Ægypto egressus, ad olla Ægypti mente non debet reverti. Ab eodem autem propheta dicitur, quod *ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis* (*ibid.*). Quia duplex est gressus justi, de malo ad bonum, in quo gressu non debet esse retrogradus, et de bono activæ ad bonum contemplativæ, a quo sit regressus ad activam in similitudinem fulguris coruscantis, percutiendo vitia et ad Dei amorem inflammando; fulgur enim percutit et incendit.

Tit. LXVI. *De tribus filiabus Job.*

Sunt Job tres filiæ: Dies, Cassia, et tertia Cornustibii nomine. Quæ figurans genus humanum a Christo conditum, redemptum et reassumptum: fuit enim Dies in prima conditione, quia in innocentia creatum est; dies autem innocentiæ per peccatum finitur, et in mœroris nocte absconsa, secundo in redemptione fit Cassia; amarum siquidem est sicut cassia, per confessionem et corporis macerationem a vitiis redimi. Ergo ut ad salutem revocetur, amarum ei poculum dandum est, sed odoriferum per virtutis fragrantiam ex gratia Redemptoris. Quia vero tertio

in re assumptione carnis per resurrectionem Christi, naturam nostram renovatam, in æterna laude assumemus, Cornustibii nomine tertia filia vocatur: in quo nomina lætantium cantus exprimitur. Ibi enim Conditor noster laudum suarum veraces cantus accepit, qui genus humanum candendo diem, et redimendo cassism, et assumendo cornustibium fecit. Qui enim lux et dies fuimus conditi, et sumus Cassia redempti, erimus quandoque Cornustibii in exaltatione æternæ laudis assumpti.

TIT. LXVII. *De ostio et fenestris arcæ Noe.*

Duo sunt exitus arcæ Noe: Alter per fenestras, alter per ostium. Fenestra significat exitum per cogitationem; ostium, exitum per operationem: ostium deorsum, fenestra sursum est, quia actio ad corpus, cogitatio pertinet ad animam. Hinc et aves emissæ sunt per fenestram; homines et bestiæ per ostium, quod clausit et aperuit Dominus. Sed fenestram homo aperuit, quia gravius est opere et cogitatione quam sola cogitatione peccare.

TIT. LXVIII. *De quatuor modis exeundi per operationem et totidem per cogitationem.*

Quatuor modis exitur per operationem: Primo ad usum voluptatis, et hæc sunt animalia immunda: secundo ad usum necessitatis hæc quidem animalia, sed munda; tertio ad curam regiminis ex præcepto obedientiæ, et hi sunt filii Noe, qui exiens obtulit sacrificium; quarto ad camdem ex ambitione cæteros despiciendo, et hi similes ersut Cham qui patris verenda derisit. Quatuor modis per cogitationem. Primo considerando quid ex se sit, secundo quid ex dono Creatoris, tertio quomodo Deus creaturis utatur, tribus his loquens vocibus: Accipe, redde, fuge. Accipe beneficium, redde debitum, fuge supplicium. Prima vox est famulantis, secunda monentis, tertia minantis. Prima voce dicit terra, aqua, aer, ignis: Accipe me in beneficium; secunda: Redde pro beneficio laudem; tertia: A me deglutieris, combureris, absorberis, submergeris. Qui enim beneficia Dei accipit, nec gratias refert, merito hæc patietur. Quarto modo per cogitationem exitur, dum cogitatur non necessitatis subsidium, sed libidinis oblectamentum: et hi similes sunt Evæ, quæ vidit lignum quod pulchrum esset, etc., et corvo, quia ad arcam conscientiæ non rediit. Primi tres similes sunt columbæ, quæ præmissa primo rediit, et nihil reportavit; secundo rediit et attulit ramum olivæ; tertio non rediit ad arcam, sed mansit in loco a Deo aquis purgato. Ex prima consideratione adducit contemptum mundi, quia, contempto mundo aquis diluvii, id est voluptatis cooperto, ad arcam rediit; ex secunda laudem Dei quia ramum olivæ in signum pacis attulit. Pax autem gloriæ Dei conjungitur, cum ab angelis canitur: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax*, etc. (*Luc.* II). Ex tertia amorem pariter et timorem Dei, quia ab eo nec voluit nec ausa est amplius discedere; ex quarta vero, si redire contingat incentivum adducat libidinis.

TIT. LXIX. *De duabus zonis in Veteri Testamento.*

Duas zonas legimus Veteris Testamenti. Quarum zona pellicea renes cingit, zona aurea mamillas stringit. Elias cinctus zona pellicea circa renes, est timor carnem restringens a libidine. Zona aurea circa mamillas, amor virtutis cor compescens a libidinosa voluptate. Zona timoris, quæ non veniam dilatat, sed pœnam cingit. Zona aurea ubi latens voluptas in corde castratur *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendum eam*, etc. (*Matth.* V). Zona præcinctus est pellicea, qui crucifigit carnem cum vitiis et concupiscentiis qui dicit: *Confige timore tuo*, etc. (*Psal.* CXVIII). Zona aurea strictus est, cujus cor non polluit cogitatio fœda, qui pepigit fœdus cum oculis, ut ne cogitet quidem de virgine (*Job* XXXI). Utrumque postulabat qui dicebat: *Ure renes meos et cor meum* (*Psal.* XXV). Carnem a fluxu libidinis, mentem a passione voluptatis. Zona pellicea si rumpatur, filo et acu resarcitur; filum in acu eleemosyna est, quam in manu exercet cum acu, id est cum pœnitentia quæ pungit.

TIT. LXX. *De quatuor montibus.*

Quatuor sunt genera montium: Montes Gelboe, ubi gladius Saul repellitur: hi sunt viri fortes in Ecclesia, in quibus insidiæ diaboli repelluntur; montes Israel, qui multum extenduntur; hi sunt apostoli quorum sonus in omnem terram exivit; montes Samariæ, qui in aera origuntur: hi sunt hæretici, qui ponunt in cœlum os suum; quarti montes sæculi, de quibus propheta: *Contriti sunt montes sæculi* (*Habac.* III); sunt divites et potentes mundi, quorum potentiæ multis modis conteruntur.

TIT. LXXI. *De quatuor vinculis Pharaonis et quatuor vestimentis noxiis.*

Quatuor sunt vincula Pharaonis, quibus alligat animam: Luxuria in fetore, superbia in furore, invidia in livore, avaritia in fervore. Et ut hæc mulier non differat a mulieribus Ægyptiacis, quatuor ei induit vestes similes propriis: Malum malæ intentionis incitamentum, per deliberationem; malum malæ operationis offendiculum per exhibitionem; malum malæ consuetudinis ergastulum, per ostensionem; malum malæ exspectationis periculum, per desperationem. Hinc eam sponsus bis vinculis cupit levare, ait: *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion* (*Isa.* LII). Tunc ad ejus vocem si sponsa dicat: *Deus in adjutorium meum intende* (*Psal.* LXIX), præsto sponsus disrumpit vincula singulis opponens contraria: Puritatem corporalis munditiæ, contra luxuriam; gratiam spiritualis innocentiæ, contra superbiam; veritatem liberalis eloquentiæ, contra invidiam; frequentationem operantis justitiæ, contra avaritiam. Quibus dum liberata est, gratias agit, dicens: *Dirupisti vincula mea* (*Psal.* CXV): Benedictus Deus in donis suis.

TIT. LXXII. *De vestimentis contra noxias vestes.*

Sponsus pro benedicto attrahens vestes Ægyptiacas, contrarias adhibet: primam, sanctum piæ devotionis affectum in desiderio contra malum

malæ intentionis incitamentum; secundam, sanctum sacræ religionis profectum in exercitio, contra malæ operationis offendiculum; tertiam, sanctum consummatæ virtutis effectum in jugi studio, contra malum malæ consuetudinis ergastulum; quartam, sanctum æternæ beatitudinis fructum jure hæreditario, contra malum malæ exspectationis periculum. Quibus ornata dicit sponsa: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII). *Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto.* Mox sponsus tenens ejus dexteram, in cubiculum matris suæ deduxit eam, et benigne supponens capiti lævam, dextera amplexatus est, dicens: *Tota speciosa, sponsa es* [*pulchra, es amica*], *amica mea*, et *macula non est in te* (Cant. IV).

Tit. LXXIII. *De duobus calcaribus.*

Duo sunt calcaria quibus Balaam propheta urget asinam suam: Pudor, ne temporaliter polluatur; timor, ne æternaliter crucietur.

Tit. LXXIV. *De dispositione domus quadruplicis.*

Dispone domui tuæ, quia morte morieris et non vives (*Isa.* XXXVIII). Familiaris fuit hæc admonitio et semel facta Ezechiæ; generalis est et quotidiana ad quamlibet fidelem animam; specialis et annua in hoc tempore Quadragesimæ. Ezechiæ superbienti et non ægrotanti dicitur ut disponat domui suæ, providendo sibi successorem, quia, nisi pœnituerit, morte morietur. Generaliter ad unumquemque nostrum clamat Spiritus sanctus: Dispone domui tuæ, quia nisi disposueris, morte animæ morieris, et post mortem æternam non vives, id est denuo ad vitam non revocaberis. Specialiter autem unicuique nostrum dicitur in hoc tempore Quadragesimæ: Dispone domui tuæ ad recipiendum Christum, ad manducandum carnem ejus et sanguinem digne, quia, si indigne sumpseris, morte morieris, judicium tibi manducans. Hoc enim tempore mundanda et disponenda est domus: quod est parasceve Paschæ. Sed videndum cui patrifamilias et de qua domo loquatur. Sane quatuor domus leguntur: Domus dæmonis, domus hominis, domus animi, domus Dei. Domus dæmonis sunt filii diffidentiæ, de qua dicitur: *Revertar in domum meam unde exivi* (*Matth.* XII). Sed quia ille paterfamilias induratus tanquam lapis est, ad eum non dirigitur sermo vel admonitio. Domus autem hominis est manufacta et visibilis, domus animi creatura est rationabilis, domus Domini regnatura est in æternum. Domum suam homo inhabitat, animus dispensat, Dominus illuminat. De domo hominis dictum est a villico iniquitatis: *Ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domum suam* (*Luc.* XVI). De hujus dispositione non dicitur: *Dispone domui tuæ*, cum potius dicatur: *Exi* (quod inquit Deus ad Abraham) *de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui* (*Gen.* XII). Domus animi homo ipse, cui credita custodia, mandata est disciplina. De qua dicitur: *Tria ejiciunt de domo hominem: fumus, stillicidium, mala uxor* (*Prov.* XXVII), id est peccatum ignorantiæ suggestionis et propriæ conscientiæ. Hujusmodi in domo suo rationem non permittunt dominari, sed cogunt ancillari. Domus autem Dei est animus. Unde: *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* IX). Et ita mirum in modum animus est domus Dei et hominis. Istum vero patremfamilias admonere de dispositione domus suæ, superfluum est. Quis enim adjuvit spiritum Domini? Animo ergo dicitur: *Dispone domui tuæ.* Quærat ergo Scripturas, et inveniet ad dispositionem deputatos clientes, alios exteriores, et ad exteriora deputatos; alios interiores qui semper assistunt vultui ejus. Exteriores sunt quinque sensus corporis. Horum dispositionem sæpe in pluribusque locis docet Scriptura: *Averte*, inquit, *oculos meos ne videant vanitatem* (*Psal.* CXVIII). *Prohibe linguam tuam a malo* (*Psal.* XXXIII). Obtura aures tuas, ne audiant contra proximum. Comprime nares, ne quærant peregrinis odoribus delectari. Claude manus, ne accipiant munera. Super innocentem injice pedes in compedes sapientiæ, ne currant ad effundendum sanguinem. Interiores clientes sunt quatuor: Gaudium, dolor, spes, timor. Pro janitore dolor, pro dapifero gaudium, pro pincerna spes, pro cubiculario timor. Legitur enim de timore: *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX). Hic custodit duas portas, et in medio earum est ostiolum: quæ clauduntur muscis ad suavitatem unguenti intro irruere quærentibus. Prima porta est carere visione Dei; altera ignis qui non exstinguitur. Ostiolum *vermis conscientiæ*, qui *non moritur* (*Isa.* LXVI). Irruentibus igitur hostibus obviet timor et dicat, nequaquam introibitis ne forte propter vos careat visione Dei, et igne crucietur æterno, ne propria conscientia teste et accusante pereat.

Tit. LXXV. *De duabus tribubus sacerdotalibus.*

Duæ sunt tribus, Levi et Judæ ex quibus sacerdotes sumuntur, Aaron et Christus, et eorum successio. Quod qualiter conveniat ex nominum interpretatione poterit conjectari.

Tit. LXXVI *De quadruplici sacerdotum officio*

Quadripartitum est officium sacerdotale: Vivam carnis hostiam immolare: quod Leviticum est; virtutum charismata Deo offerre: quod est aromata incendere: et filiorum Aaron est; cum fervore martyrii cœlum intrare: quod est introire cum sanguine in Sancta sanctorum; gratiarum et precum vota cœlo transfundere: quod est panem et vinum Deo offerre.

Tit. LXXVII. *De tribus panibus quibus alimur.*

Panes quibus alimur in hac vita tres sunt: Purgatorius cum amaritudine, quem mulier Sareptana ministrat in fame (*III Reg.* VII); consolatorius cum dulcedine quem angelus apponit quiescenti in umbra (*III Reg.* XIX); solidus cum fortitudine, qui perducit ad montem Dei Horeb (*ibid.*).

Tit. LXXVIII. *De tribus rivis e corpore Domini.*

Tres rivi salutis fluxerunt a corpore Jesu: verbum doloris, in quo confessio; sanguis aspersionis,

in quo afflictio; aqua emundationis, in qua compunctio.

TIT. LXXIX. *De tribus piscinis Scripturæ*

Piscinæ tres inveniuntur in Scriptura: vetustas erroris, quæ est post duos muros; sensualitas carnis, in quam descendebant languidi; perspicacitas rationis, quæ est in via agri fullonis. In his adaquantur oves et holocausta lavantur.

TIT. LXXX. *De tribus fomentis ignis*

Fomenta ignis tria in nobis: Stipula cogitationis immundæ, fenum locutionis pravæ, lignum operationis illicitæ. Hæc ad ignem nos nutriunt, nisi superioribus fontibus exstinguantur.

TIT. LXXXI. *De tribus contemplantium fenestris.*

Contemplativorum fenestræ tres sunt: originaria, quæ est versus orientem; gubernatricia, quæ vergit ad austrum; consummatricia, quæ respicit ad occidentem.

TIT. LXXXII. *De quatuor fontibus paradisi*

Quatuor fontes irrigant hortum Domini: reatus proprii deploratio, quæ circuit terram Æthiopiæ; excessionis fraternæ compassio, quæ vadit contra Assyrios; indultæ gratiæ consideratio, quæ medium intersecat Babylonis; desideriosa charitatis affectio, quæ circuit omnem terram Ejulath. Hi fontes habent irriguum inferius atque superius, habentes aquas maris, fontis et nivis.

TIT. LXXXIII. *De tribus ostiis ad vitam.*

Ostia per quæ transitur ad vitam tria sunt: Fidei veritas, postquam Sara ridet; spei firmitas, quæ est in latere arcæ; charitatis soliditas, quam observat cherubim cum flammeo gladio.

TIT. LXXXIV. *De triplici vino in scypho Domini.*

Triforme est vinum in scypho Domini: rubicundum in longanimitate sanctorum, quod lætificat Isaac in ægritudine; album in remuneratione justorum, quo inebriatur Noe; nigrum et acidum in damnatione pravorum, quod Jesus gustavit, sed noluit bibere.

TIT. LXXXV. *De triplici sacerdotum veste.*

Vestis qua sacerdos uti debet triplex est: Exterioris operis grossitudo, qua induitur Aaron coram populo, spiritualis sanctimoniæ habitudo, quam apud se Rebecca abscondit: et ea utitur Aaron in tabernaculo; contemplativæ dulcedinis pulchritudo, quæ inconsutilis est: et ea utitur Jesus.

TIT. LXXXVI. *De tribus religiosorum tunicis.*

Tunicæ quibus vestimur tres sunt: castigativa corporis edomatio, quæ pellicea est, et induit Adam; constantis perseverantiæ longitudo, qua dilectus agnoscitur Joseph; remuneratricis gratiæ largitudo, qua vestitur Jesus.

TIT. LXXXVII. *De sex alis Seraphin.*

Seraphin, sex alæ uni sunt: duæ pedales, pudor de præteritis, et metus de futuris; laterales duæ quibus volat, timor deprimens, et spes sustollens; capitaneæ duæ, humilitas provehens, et charitas perficiens.

TIT. LXXXVIII. *De duobus soliis Domini.*

Solia duo Deus habet: angelicam substantiam, quæ est solium excelsum; et humanam naturam, quæ est solium elevatum.

TIT. LXXXIX. *De quatuor pennis animalium*

Quatuor animalibus quatuor sunt pennæ: timor et pœnitentia, quæ corpus velant; amor et spes, quæ sibi junguntur et volant.

TIT. XC. *De sex alis animalium novæ legis*

Animalibus novæ legis sex alæ insunt: naturalis suggestio, legalis institutio, prophetalis assertio, evangelica sanctio, apostolica jussio, Ecclesiastica consuetudo.

TIT. XCI. *De duplici domo Dei.*

Duæ sunt domus Dei: exterior rerum ministra curiositas, quæ est tabernaculum super quod apparet Gloria Domini et recedit; Deo vacans et serviens devota simplicitas, quæ templum est, et de eo non movetur.

TIT. XCII. *De duplici arca veteris legis.*

Duæ sunt arcæ in veteri lege: textus historiæ litteralis, quæ habet in se homines et jumenta; et sensus conscientiæ spiritualis, quæ habet manna et virgam Aaron.

TIT. XCIII. *De triplici curru in Scripturis.*

In Scriptura inveniuntur tres currus: Elatio potentiæ temporalis, cujus auriga est tumor præsumptionis et audaciæ, habens equum robur propriæ confidentiæ. Rotæ ejus præceps mobilitas vanitatis, et felix successio prosperitatis, hic est currus Pharaonis in quo moritur Rechab. Sequitur altitudo conversionis et vitæ; auriga ejus sermo commonitionis divinæ, habens equum votum perseverantiæ. Rotæ ejus horrenda terribilitas tormentorum, et mira delectabilitas præmiorum. Hic est currus in quo legit cum Philippo eunuchus (*Act.* VIII). Sequitur celsitudo contemplationis et gratiæ; auriga cujus est amor cœlestis patriæ, habens equum beatitudinis. Rotæ sunt improbatio gloriæ mundialis, et divinæ reverentia majestatis: hic est currus igneus in quo Elias raptor in cœlum (*IV Reg.* II).

TIT. XCIV. *De fluviis in quibus balneant peccatores.*

Fluvii quibus se peccatores lavant duo sunt: Fluxus corruptionis et lasciviæ, pestis adulationis et fallaciæ, qui sunt Abana et Pharphar fluvii Damasci (*IV Reg.* V).

TIT. XCV. *De fluviis in quibus lavantur justi.*

Quibus justi se balneant duo sunt: invectio correctionis et contumeliæ, suavitas consolationis et gratiæ, qui sunt Jor et Dan fluvii Judeæ.

TIT. XCVI. *De quatuor fidelium canticis.*

Cantica fidelium quatuor sunt: victoriæ quod canitur submerso Pharaone; adhortationis, quod terram promissionis concinunt intraturi, lætitiæ, quod de susceptione filii cantat Anna, fortitudinis, quod David cantat de manu Saulis ereptus (*I Reg.* II).

TIT. XCVII. *De pedibus et equis quibus inniti debemus*

Duo sunt pedes quibus uti debemus: natura et

consuetudo. Equi quibus ad cœlum evehimur tres sunt: dolor ex pœnitudine, cujus ungulas coluber mordet, hujus sella est de veniæ perceptione præsumptio; frenum et chamus, solatia Scripturarum et exemplaria veterum; calcaria quibus urgetur, de reatus enormitate confusio, de pœnæ consideratione formido, fovea, desperatio. Sequitur fervor ex religione, cui super sedet Mardochæus in veste regia, hujus sella temperans discretionis gravitas, frenum et chamus suspecta conditio carnis suæ, et utilis emensio perseverantiæ. Calcaria exercendæ honestatis cupiditas, et fraternæ commoditatis aviditas; fovea in quam præceps ire potest, est intemperantia. Sequitur desiderium ex amore, cui datur fortitudo, et circumdatur hinnitus. Calcaria, fluxa labilitas præsentium, stabilis æternitas futurorum, ductor, affectuositas videndi Deum, fovea, indiscretio.

Tit. XCVIII. *De tribus speluncis in Scripturis.*

Speluncæ in libris sanctis inveniuntur tres: perversa impietas voluntatis, quæ est latronum in qua Saul purgat ventrem; solida firmitas æquanimitatis, quæ fit in altari, et est unius cubiti; exercitium geminæ pietatis. Hæc est spelunca duplex, in qua prophetæ sepeliuntur.

Tit. XCIX. *De tribus cœlis ad quos rapimur.*

Cœli ad quos rapimur tres sunt: Dignitas ecclesiasticæ puritatis, ad quam rapitur Paulus; contemplatio cœlestium, ad quam rapitur Ezechiel in Spiritu, dicens: *Aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei* (*Ezech.* I). Summæ incircumscriptio Deitatis, ad quam rapiuntur electorum animæ.

Tit. C. *De sex civitatibus refugii.*

Sex sunt refugii civitates: interdictæ prævaricationis cautio, sequendæ præceptionis obeditio, propitiandæ Divinitatis ambitio: hæ sunt in terra Chanaan; mundanæ fabricæ consideratio: urbis tyrannicæ jugis inspectio, et supereminentis verbi Dei cognitio: hæ sunt trans Jordanem, et sunt de sorte Levitica

Tit. CI. *De triplici paradiso.*

Paradisorum tria sunt genera: voluptuosa dulcedo visibilium, quæ irrigatur sicut hortus deliciarum; sincera puritas spiritualium, quæ in se conservat hominem; deliciosa veritas super cœlestium, ubi Paulus audit *arcana verba quæ non licet homini fari* (*II Cor.* XII).

Tit. CII. *De quatuor aliis montibus.*

Montium genera quatuor sunt: montes Gelboe, ubi abjicitur clypeus Saulus; montes Samariæ, qui nimis eriguntur; montes Armeniæ, super quos arca Noe requievit; montes Israel, qui expandunt ramos suos.

Tit. CIII. *De duobus nos ab instituto devocantibus.*

Quæ nos devocant a proposito nostro duo sunt: rubor incepti operis, et desperatio exsequendæ virtutis. Hi Rechab et Banaa, qui occidunt Isboseth in stratu suo (*II Reg.* IV).

Tit. CIV. *De quatuor nuditatis nostræ palliis.*

Pallia quibus nostra nuditas operitur, quatuor sunt: vetustas erroris et nequitiæ, quæ est perizoma verendorum; novitas conversationis et vitæ, qua Rebecca descendens camelo operuit vultum suum; integritas cœlestis sanctimoniæ, quam Elias reliquit Eliseo, et qua divisit Jordanem; claritas immortalitatis æternæ: quod est pallium sapphirinum, quo in die festo utitur Mardochæus.

Tit. CV. *De tribus hostibus quibus tradimur.*

Hostes quibus tradimur tres sunt: immundorum desideriorum impuritas, qui sunt quasi mures rodentes posteriora; corporalium passionum obscenitas, quæ sunt quasi locustæ more scorpii percutientes; rationis et sensus obstinata perversitas, qui sunt serpentes igniti.

Tit. CVI. *De quatuor latronibus rerum nostrarum.*

Latrones qui nobis optima quæque furantur quatuor sunt: hebetati intellectus socordia, tollens nobis scientiam veritatis. Hic latro apud Psalmistam dicitur: negotium in tenebris (*Psal.* XC) Indomitæ carnis lascivia rapiens meritum integritatis, et dæmonium dicitur meridianum (*ibid.*); favoralis jactantia tollens plenitudinem sanctitatis, et dicitur sagitta volans in die (*ibid.*); vitæ hujus amor et appetentia rapiens præmium æternitatis, et dicitur timor nocturnus (*ibid.*). Hi sunt latrones Syriæ.

Tit. CVII. *De tribus osculis.*

Oscula tria sunt: reconciliatorium, quo duo pedes Domini misericordia et justitia tanguntur; remuneratorium quo duæ manus opus creatricis justitiæ, et modus gubernationis complectuntur; contemplatorium, quod sumitur ad os et verbum Dei, atque hominem unitate miranda connectit. Possunt quoque dici naturale, quando spontanea voluntate ducimur ad bonum; doctrinale, quando admonitione alterius invitamur ad Deum; gratiosum, quando inspiratione trahimur ad bene agendum.

Tit. CVIII. *De triplici in Scripturis virga.*

Virgæ tres sunt: virga Moysi, quæ dividit mare Rubrum; virga Aaron, quæ confert sacerdotium; virga David pastoralis, propulsans adversarium.

Tit. CIX. *De cibo triplici Israelitarum.*

Cibi Israel tres sunt: Azyma scientiæ sæcularis in exitu de Ægypto, manna intelligentiæ in deserto, palma victoriæ triumphalis in promissionis regno.

Tit. CX. *De tribus liberatis et tribus ad sacerdotium assumptis.*

Tres ex omni populo liberantur: Noe, Daniel et Jacob. Tres in sacerdotium assumuntur, Moyses, Aaron et Samuel.

Tit. CXI. *De gladio et arcu quibus Dominus nos partem suam tulit de manu Amorrhæi.*

Pars tua sumus, Domine, quam tulisti de manu Amorrhæi in gladio et arcu tuo. Gladius tuus sermo vivus et efficax, arcus tuus incarnatio tua. Ibi enim velut curvato sapientiæ ligno, et pio quodammodo nervus carnis extensus, et humanitas ineffabiliter aucta cognoscitur. Pars ergo tua sumus et populus

acquisitionis tuæ, quam acquisivisti verbo prædicationis tuæ et mysterio incarnationis.

TIT. CXII. *De circumcisionis mysterio.*

In circumcisione nec nervus rumpitur, nec os comminuitur, ut robustissima quæque et firmissima ferventur illæsa. Aperitur autem cutis, amputatur caro et sanguis effunditur, ut illecebrosa mollities castigetur. In carne quidem peccatum quod in ea manet intellige. Porro in cuto operimentum est, in sanguine vero incentivum. Hæc igitur vera circumcisio spiritu non littera, si velamen excusationis et dissimulationis per compunctionem cordis et confessionem oris amoveas, si peccati consuetudinem correctione conversationis abscindas, si denique, ut necessarium est, occasiones quoque peccati et fomitem fugias concupiscentiarum.

TIT. CXIII. *De mystica aquarum divisione.*

Usque hodie in civibus Babylonis aquarum effusio, id est confusio cogitationum, terram facit inanem et vacuam. Dum enim fluitat circa carnem cogitatio universa, nullum ex ea sperare est fructum salutis. Dividantur ergo aquæ ab aquis, quatenus anima quæque, ut dictum est, partem sibi vindicet sollicitudinis aut moditationis. Sane inferiores certis limitibus coerceantur, certis contineantur alveis, necessitatis terminos non excedant. Proinde superiores copiosius dilatentur. Ex hoc sane dat Dominus benedictionem, et terra nostra dabit fructum suum.

TIT. CXIV. *De desiderio unde spirituales cornales-ve censendi sunt homines juxta benedictionem Jacob et Esau.*

Cum in populo Dei carnales alii sint, alii spirituales, nec illi tamen æternorum nec isti careant omnino temporalium desiderio, in eo sane distant, quod plus alia alii appetunt, et secundum ea quæ præferunt aut spirituales aut carnales judicantur. Hinc est quod, in benedictionibus Jacob et Esau, et ros cœli et terræ et pinguedo nominantur, sed non eodem ordine in utroque: *Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ* (*Gen.* XXVII), abundantiam, ait Isaac ad Jacob. Ad Esau vero inquit: *In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper erit benedictio tua* (*ibid.*). Quid autem singuli præferant, a studiis eorum et sollicitudinibus animadvertenti innotescat facile.

TIT. CXV. *De tabernaculis, atriis et domibus quid differunt.*

Tria sunt mansionum genera: tabernacula, atria, et domus. In tabernaculis sunt omnes justi in carne viventes et laborantes, quia tabernacula laborantium sunt et militantium. Tabernaculum vero habet tectum, sed fundamento caret, et portabile est, quia justi in præsentibus non sunt fundati, sed inquirunt civitatem desursum fundamenta habentem. Fides etiam eorum, quæ est fundamentum, non est in terrenis, sed in Domino. Tectum habet, id est munimentum gratiæ et protectionem. Atria sunt domui vicina amplitudinem habentia. In illis sunt animæ sanctæ corporibus exutæ, quæ in latitudine sunt, deposita carnis angustia. Atria habent fundamentum, sed non tectum, quia animæ quæ in amore Dei sunt non ruunt. Unde: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis* (*Psal.* CXXI). Sed non habent tectum, adhuc sperantes augmentum; quod non erit nisi in resurrectione corporum suorum. Post ipsam sine resurrectionem cum angelis erunt in domo, quæ habet fundamentum et tectum. Fundamentum est stabilitas æternæ beatitudinis, tectum consummatio et perfectio ipsius.

TIT. CXVI. *Duo clementium esse ubera.*

Duo sunt clementium ubera: compassio de qua fluit lac consolationis, quo nutriuntur infirmi; congratulatio, unde fluit lac adhortationis, quo sustentantur validi.

TIT. CXVII. *De pedibus, id est sensibus nostris lavandis.*

Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet (*Joan.* XIII). Pedes sunt corporis sensus qui ferunt nos extra nos, maculantur in nobis. Porta visus ad mulierem, et ibi maculatur; indiget lavari; auditus ad detractionem, gustus ad crapulam, et sic de cæteris. Qui igitur lotus est in baptismo et post maculatus, pedes istos lavari curet; aliter cum Deo partem non habet. Dixit enim Petro: *Si non lavero te, non habebis partem mecum* (*ibid.*)

TIT. CXVIII. *De duobus denariis erogandis.*

Stabularius duos accipit denarios, dum prædicator ac pastor et doctrinam habet qua instruat, et vitam qua provocet.

TIT. CXIX. *De pastoribus omnium, de mercenariis et lupis*

Pastores sunt qui oves diligunt. Hi custodiunt in prosperitate, defendunt in adversitate. Mercenarii sunt qui oves custodiunt lucri gratia. Lupi sunt qui carnes comedunt, non custodiunt; non defendunt, sed occidunt. Primi salvant subditis quod sunt et habent. Secundi ipsos custodiunt non bona ipsorum. Peccantque quod subditos a peccatis ideo tantum cohibent, ut bona ipsorum auferant. Tertii ipsos occidunt, et bona ipsorum rapiunt. Primi salutem quærunt, secundi lucrum, tertii per materiam et licentiam peccandi, quam tribuunt, occidunt.

TIT. CXX. *De quadruplici cruce et crucifixionis causa ac fine.*

In cruce Christi est gloriatio, in cruce Simonis coactio, in cruce dextri latronis consolatio, in cruce sinistri confusio. In cruce Christi pœna sine culpa, et post pœnam glorificatio. In cruce Simonis culpa cum pœna, et post pœnam laudis captatio. In cruce dextri latronis pœna pro culpa, et post culpam remissio. In cruce sinistra, pœna pro culpa, et post pœnam damnatio. Dicunt quidam quando patiuntur: Si meruissemus, non erubesceremus. Vah, oculi qui non vident. Imo si pro culpa pateris, erubesce; si sine culpa, gloriare. Latro magis vis esse quam

Christus; et sinister, ut filia blasphemator, non confessor.

TIT. CXXI. *Mons Oliveti car sit mons trium luminum dictus, et cur Trinitatem figuret, et de triplici lumine in nobis.*

Mons Oliveti dicebatur olim mons trium luminum: Ex parte templi habens lumen lucernæ ex adverso; ex altera parte lumen orientis solis; in seipso lumen olivæ. Mons iste Divinitas, scilicet lumen lucernæ paternæ Filius, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, et lumen orientis solis, Pater. Unde *oriens est nomen ejus* (*Zach.* VI): cujus radiis mons illuminatur. Tertium lumen, quod est Oliveti, est Spiritus sanctus. Unde unctio dicitur: *Unctio ejus*, inquit apostolus, *docet nos de omnibus* (*I Joan.* II). Similiter in nobis est triplex lumen, naturæ, gratiæ, doctrinæ. Primum commune bonis et malis, quia omnes ad imaginem et similitudinem Dei; secundum solis bonis, qui secundum imaginem et similitudinem, ad quam facti sunt, vivunt; tertium illis tantum, qui præ cæteris acceperunt cognitionem divinæ legis et veritatis.

TIT. CXXII. *De januis tribus et ostiis disciplinæ adversario claudendis.*

Exemplo discipulorum, licet non propter metum Judæorum, tamen propter metum peccatorum congregatos vos admoneo et exhortor: Claudite januas vestras. Quid enim prodest si non exitis ad inimicos vestros, si eos ad vos intrare permittitis? Sive de caulis ad lupum ovis exeat, sive ad eam lupus intret, mors similis est. Propterea *sobrii estote et vigilate in orationibus, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* V), et claudite januas vestras super vos. In hac enim domo disciplinæ tres sunt januæ. Prima observantia est regularis, ut silentium, abstinentia, et cætera ejusmodi; quæ si fuerint laxatæ aut apertæ, intrant loquacitas, crapula, et cætera vitia, illis opposita; patetque locus dissensioni, nec habet pacem. Secunda quinque sunt sensus per quos commercium est inter mundum et animum. Hanc si aperueris mors intrat quasi per fenestras. Tertia est voluntas, per hanc apertam omne malum et solum, per clausam omne bonum et solum intrat ad illam. Hæc est nimirum janua de qua propheta: *Porta hæc clausa erit et aperietur, et vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam* (*Ezech.* XLIV). Itaque ut breviter dicamus, tria sunt claustra in quæ ad discipulos suos clausis januis intrat Christus: Primum corporis, quod est exterius; secundum animæ, quod est interius; tertium spiritus, quod est intimum. Habet unumquodque januas suas. Primum observantias quasdam et traditiones majorum; secundum, oblectamenta sensus corporis; tertium, præsumptionem propriæ voluntatis. His apertis semper diabolus intrat per eas, Christus non nisi per clausas recipitur, receptus pacem loquitur. *Pax vobis* (*Joan.* XX), inquit, et in primo inter virum et fratrem suum; in secundo, inter animam et spiritum; in tertio, inter spiritum et Deum. De his tribus claustris Isaias: *Vade, populus meus, intra in cubicula tua; claude super te ostia et abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio mea* (*Isa.* XXVI). In primo cubiculo sive claustro, quoniam, scriptum est, monstrum est monachus in urbe; abscondit carnem a tumultu vitæ sæcularis; in secundo, ab ipsa carne animam, ne curam ejus perficiat in desideriis; in tertio, etiam a semetipso spiritum, ne eum reperiat præsumptio propriæ voluntatis. De hoc Dominus: *Cum oraveris intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito* (*Matth.* VI). Primum fuga hujus sæculi facit et cura disciplinæ et regulæ, et in eo proximus ædificatur, et caro crucifigitur, et concupiscentia oculorum moritur, fallacemque recipit dispensationem. Secundum contemptus voluptatis, in quo homo seipsum moderatur, anima sepelitur, carnis concupiscentia moritur, et vix ullam recipit dispensationem. Tertium perficit amor Dei, in quo Deus honoratur, spiritus resurgit, superbia vitæ moritur, et prorsus nullam dispensationem recipit.

TIT. CXXIII. *De orantis allegorico officio.*

Bubulcus qui in bobus arat, debet habere duo, vocis suavitatem, qua mulceat laborem bonum operantium; et aculeum pungentem, quo torporem excutiat pigritantium.

TIT. CXXIV. *De triplici modo et fine faciendi.*

Ea quæ agimus, vel in lumine vultus hominum facimus, ut hominibus placeamus; vel in lumine vultus nostri, ut bene nos facere quod malum est credamus; vel in lumine vultus Dei, ut ipsi soli quidquid boni in nobis est humiliter ascribamus.

TIT. CXXV. *Quod mors tripliciter est pretiosa.*

Pretiosam mortem aliquando facit vita, ut in confessoribus, aliquando causa, ut in martyribus, aliquando vita et causa, ut in plerisque.

TIT. CXXVI. *De iis quæ in fronte præferimus.*

In fronte aliquando lepram, aliquando thau, aliquando laminam auream gerimus. Lepram luxuriantes et petulantes; thau pœnitentes; laminam auream, gloriose Deo viventes, dum sic lux nostra lucet coram hominibus, ut glorificent Patrem qui in cœlis est (*Matth.* V).

TIT. CXXVII. *De funiculis quibus trahimur.*

In mundo isto inter paradisum et infernum constituti, a diversis ad diversa trahimur et diversis funiculis. A Patre luminum ad gloriam cœli, triplici funiculo, fidei, spei et charitatis. A patre tenebrarum ad tenebras exteriores, funiculo triplici, incredulitatis, desperationis et odii. Primum postulat trahi cui *ceciderunt funes in præclaris* (*Psal.* XV), et qui dicit: *Trahe me post te* (*Cant.* I). De secundo dicitur: *Væ qui trahitis funem in funiculo iniquitatis, et facitis longam vestem!* (*Isai.* V.)

TIT. CXXVIII. *De contemplativo ad activum comparato per palmam masculam et feminam.*

Palma quæ dactylus generat, prætendens am-

plexus speciem, inclinat ramos suos arbori palmæ, qnam marem vocant et ab illo recepta femina expetiti concubitus gratia sese in priorem statum mux redigit. Sic spiritualis contemplativus sentiens se fructum æternæ vitæ generasse, per activam se inclinat minoribus, ex quibus postquam prædicationis fructum receperit, iterum ad contemplationem revertitur.

TIT. CXXIX. *De culcitra, cervicali et coopertorio conscientiæ.*

Sit animæ beatæ culcitra conscientiæ suæ puritas, sit cervical aut capitale tranquillitas, coopertorium securitas, et in hoc strato delectabiliter dormiat et feliciter requiescat.

TIT. CXXX. *De diversitate eorum qui præsunt et eorum quibus præsunt.*

Scire, posse, et velle præesse, charitatis est si velint prodesse; superbiæ, si nolint. Scire, posse et nolle, humilitatis est, si renuunt; inertiæ, si omnino desistunt. Nec scire, nec posse, sed velle, ambitiosæ cupiditatis est, vel stultitiæ. Nec scire, nec posse, nec velle, discretionis est et ad hoc cœlitus datæ prudentiæ. Quatuor ex his, id est stultitia, inertia, cupiditas et superbia negligentiam generant. Reliqua vero quatuor, id est prudentia, discretio, humilitas et charitas, si nutrita fuerint, negligentiam eliminant. Ad prudentiam quidem pertinet consilium, ad discretionem judicium, ad humilitatem custodia, ad charitatem diligentia. Consilium prudentiæ separat malos a bonis, judicium discretionis eligit quæ meliora sunt, humilitatis custodia, damna vitat virtutum, diligentia, periculum. In his negligentia locum non habet. Illos vero qui prudentiæ oculos apertos habent, caligine tamen stultitiæ, quia a bono opere inertes torpent, quod per cupiditatem ad voluptuosa distrahuntur, et per superbiam humilibus non condescendunt, negligentia possidet. Per stultitiam intrat negligentia; per inertiam manet. Cupiditatis desiderio pascitur, per superbiam regnat. Audiat negligens pastor quid sibi a diligenti pastore dicitur: *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis* (*Joan.* x). Ponit qui per ostium intrans inter linguas adulantium et detrahentium medius incedit omnium, omnibus se subdens, et pusillanimes consolatur et confortat, superbis resistit. Talis potest dicere: *Cognosco oves meas et cognoscunt me meæ* (*ibid.*). Cognoscunt oves malæ pastorem increpantem, consolantem bonæ. Cognoscit pastor oves mores et actus earum diligenter inspiciendo. Unde dictum est: *Vultum pecoris diligenter considera*, per confessionem corda, per circumspectionem opera. Addit Dominus: *Et vocem meam audiunt* (*ibid.*). Tres sunt voces pastoris, suavis, dulcis, alta. Suavis ad infirmum, dulcis ad morientem, ad surdum pertinet alta. Infirmatur qui tentatur, moritur qui desperat, surdus est qui non audit. Sed infirmus suavem audit vocem consolationis, desperans dulcedinem obsecrationis, surdus asperitatem increpationis. *Et sequuntur me meæ* (*ibid.*). Quem? illum qui præcedit. Quo? ad vitam, si diligens, ad mortem, si negligens, quia *si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* xv). Quomodo præcedit? vita et doctrina. *Sic fiet unum ovile et unus pastor* (*Joan.* x). Unus in se et unus cum grege. Unus in se, ut quod docet verbis impleat operibus; unus, ut non mutetur prosperis vel adversis; unus cum grege, ut a subditis non dividatur per pretiosiorem cibum vel habitum, dum fit unus per compassionem infirmis, per dispensationem cum delicatis, ut dicat cum Apostolo: *Omnia omnibus factus sum* (*I Cor.* ix), non fugientes ea quæ præcipiunt, non imponentes *onera gravia, quæ nec digito volunt movere* (*Matth.* xxiii). Talis est pastor negligens, qui et mercenarius dicitur. Tales sunt qui prava agunt, et reprehendi nolunt. Libet, inquit Gregorius, ut cum licenter etiam illicita faciunt, nemo subditorum contradicat, cunctis se existimant amplius sapere, quibus se vident amplius posse. Hoc amant, videri sapientes, et esse potentes. Hæc est causa angelicæ et humanæ ruinæ. Angelus cum vellet esse potentior, ruit; homo cum sapientior, desipuit. Tres autem sunt species negligentiarum prælatorum. Prima est eorum qui bene vivunt, et subditos male vivere permittunt. Secunda est qui male vivunt, et subditos bene vivere cogunt. Tertia est qui male vivunt, et subditos male vivere volunt. Primi similes Heli, cujus filii cum mulieribus quæ veniebant ad ostium tabernaculi dormiebant; qui venientes in Silo sacrificare non permittebant, sed antequam incendebatur ad opus sacrificii carnem crudam rapiebant (*I Reg.* ii). Quasi filii Heli sunt qui sub prælatis bene viventibus dormiunt, vel realiter cum carnis desideriis se conjungunt. Illos qui veniunt in Silo, ne sacrificent impediunt, cum noviter conversos, verbo et exemplo retrahunt a bono. Accipiendi adipem jus sacerdoti non permittunt, quia exstincto igne charitatis dulcedinem cordis bonæ actioni non infundunt. Carnem crudam non coctam quærunt, quia tribulationis ignem fugientes, paupertati et labori se subtrahunt. In camino enim paupertatis decoqui solent vitia carnis, carnem crudam ideo desiderant, ut quando, quam, et quantam volunt sibi coquant. Tales sunt qui id claustro quasi in Silo nil faciunt, nisi quod, vel quando vel quantum volunt.

TIT. CXXXI. *De prælatorum constantia et duritia.*

Tanta constantia debet inesse bonis pastoribus et fortitudo, ut nec laudibus nec blanditiis a veritate flectantur, nec conviciis moveantur. Quod ostendit Dominus dicens ad Prophetam: *Ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam* (*Ezech.* iii). Lapidis utriusque duritia magna est, sed unus, id est adamas, in pretio habetur; alter pedibus conculcatur. Est ergo sicut adamas pastor Ecclesiæ quando laudatur ab hominibus et honoratur, nec tamen laude vel adulatione a recto deflectitur. Est etiam duritia boni pastoris sicut duritia silicis, quando pro justitia despicitur et conculcatur et indigne a malis tractatur

nec tamen deficit vel lassatur, sed invicta virtute in defensione justitiæ perseverat. Horum nihil habent mercenarii intendentes non propulsandis damnis animarum, sed acquisitioni rerum temporalium; non resistentes lupis, sed insudantes lucris. Duo autem sunt genera luporum, scilicet visibilium et invisibilium. Visibiles sunt homines, invisibiles dæmones. Illi damna inferunt, isti vitia inferunt vel suggerunt. Boni pastores contra primos officio, contra secundos doctrina, ac et orationem opponunt. Nos itaque, fratres, ut id irreprehensibiliter efficiamus, castigemus corpus nostrum et in servitute redigamus; ne forte, cum aliis prædicaverimus, ipsi reprobi efficiamur. Respondeant opera coram Deo et coram hominibus, ut utilis, grata, dulcis, sit prædicatio nostra, ut oves nostræ libenter audiant vocem nostram, et nos præcedentes per semitam justitiæ alacrius subsequantur. Ad hoc vigilate, intendite, et laborate, fratres, quatenus pro labore pastoralis officii mercedem recipiatis æternam, largiente pastore æterno Domino nostro.

TIT. CXXXII. *De triplici oleo, et de fide ac charitate.*

Oleum aliud effusionis, aliud puritatis, aliud exsultationis. Oleum effusionis, verbum prædicationis, quo boni et mali bonis et malis participant; oleum puritatis, quo lucernæ operum igne divini amoris debent ardere: quod bene sequitur primum oleum, quia post perceptionem divini verbi, accedit homo ad bene operandum. Oleum exsultationis est charitas, qua ita accenditur, ut non nisi quæ Dei sunt diligat, et non glorietur nisi in Deo suo. Primum oleum est verbum prædicationis, secundum devotio charitatis, tertium dilectio charitatis. Sed olei effusione videndum est ne retineamus quæ effundenda sunt, et retinenda effundamus. Quiddam in nobis est quod nostrum est, quiddam quod non est nostrum, sed proximorum. Si effundimus quod nostrum est, stulti et vani sumus; si retinuerimus aliena, fraudulenti. Nostra sunt sine quibus nemo salvatur, fides, spes, charitas. Hæc non sic sunt effundenda, ut pro aliis in nobis amittantur. Fides facit servos, qua reducuntur inferni pœnæ; spes mercenarios, qua merces exoptatur; charitas filios, qua bonitas Dei Patris amatur. Fides facit animam ancillam, spes concubinam, charitas sponsam. Fides dicit: Sic est, time; spes: Habebis; charitas dat gloriam Deo. Fides est bonorum et malorum scientia aut saltem credulitas; spes adipiscendi commodi et vitandi incommodi fiducia. Charitas est utriusque gratia. Hæc recipienda sunt, ut præservemur, conservemur, salvemur. Fides præservat a peccato, spes conservat in bono, charitas salvat in beatitudine. Alia sunt in nobis data a Deo quæ sunt proximorum, ut sermo scientiæ, genera linguarum et cætera Dei dona. Ista sunt effundenda; sed retinemus ea quandoque tepide, trepide, invidiose. Tepide, dum de auditorum diffidimus intelligentia; trepide, dum de nobis ipsis desperamus, credentes quod auditoribus non possumus sufficere, cum debeamus potius cogitare quod nos non sumus qui loquimur, sed spiritus Patris; invidiose, proximum non amantes. In primo fides destruitur, in secundo spes reprobatur, in tertio charitas damnatur. Non ergo retineamus quæ aliorum sunt, ne fraudulenti simus. Sed si effundatur, cavendum est ne effundatur temere vel incaute, ne sanctum detur canibus, et ne ambitiose, ne propter commodum temporale. Ecce quomodo retinenda sunt et effundenda gratuita sancti Spiritus dona, et si ita nostra aliis impertimus, ipse sua operabitur in nobis. Oleum autem tres habet proprietates: pascit enim, lucet, ungit. Ita oleum verbi Dei, id est charitas, se pascit, proximo lucet, Deum ungit. Et per eam bene ordinatam olei effusionem, *adolescentulæ dilexerunt te*, Jesu Christe, animarum sponse, quia *oleum effusum nomen tuum* (*Cant.* I).

TIT. CXXXIII. *De quadruplici siti restringenda per totidem flumina paradisi.*

Quatuor sunt flumina paradisi contra quatuor genera sitis: Prima sitis est rerum præsentium, sitiens pecuniam; secunda malitiæ in deliciis exæstuans; tertia justitiæ, a peccato redire et bonum facere cupiens; quarta est præsentiæ Domini, eam habens et adhuc sitiens. Prima est cadentium, secunda jacentium, tertia resurgentium, quarta regnantium. Contra primam bibe Phison qui interpretatur *os pupillæ*, ut calendas pupillam ad interiora bona, et statim exteriora vilescent. Incanduit sitis tua ad malitiam, ut doceas linguam loqui mendacium, et inique agere labores, veni ad Geon, qui interpretatur *pectus*: in pectore sapientia notatur. Unde sine pectore dicuntur qui quasi insani sunt. Bibe ergo sapientiam, quia sapientia vincit malitiam. Jam explosisti sitim divitiarum, jam ferum malitiæ viros defervuit, jam sitim justitiæ concepisti, ut in perpetuo pastu nutrias sitim justitiæ, veni ad Tigrim. Tigris dicitur *quasi theogris*, id est Dei gressus, hoc est humilitas. Hoc gressu venit in virginem, ambulavit super terram, ascendit in crucem. Et cum sint tres gradus humilitatis, ultimum elegit, scilicet subjici minori. Humilitas Christiana est proposita velut jugum quo comprimamur. Bibe ergo Tigrim Dei gressum, id est humilitatem, ut de siti justitiæ venias ad sitim præsentiæ Dei, quando satiabit te ne esurias, accendet ne fastidias; tunc bibes Euphratem qui interpretatur *frugifer*, ut in agro divinæ præsentiæ frugem colligas omnis lætitiæ, et ita divina visio erit frugifera, ut semper ex gaudio nascantur gaudia. Bene vero Phison circuit terram Hevilath, Geon Æthiopiam, Tigris vadet circa Assyrios (*Gen.* II), quia et oris confessio dolentes relevat, et sapientia nigros dealbat, et humilitas superbis repugnat, de Euphrate autem siletur, per quam regionem labatur, quia bona alterius jure nobis inexplicabilia sunt.

TIT. CXXXIV. *De iis quibus conservatur virtus.*

Tria sunt quibus conservatur virtus patientia, humilitas, charitas. His armari debet miles Christi, patientiam habens quasi scutum, quod ferat et cir-

conferat contra omnia adversa; humilitatem, qua conservet interiora præcordia; charitatem quasi lanceam, per quam sicut dicit Apostolus *omnibus omnia factus* (*I Cor.* IX), belligeretur bellum Domini. Oportet etiam ut habeat galeam salutis, quæ est spes, caput et principale mentis muniens et conservans. Habeat quoque gladium verbum Dei, et equum boni desiderii.

TIT. CXXXV. *De triplici longanimitate.*

Triplex est longanimitas: Dei ad hominem, hominis ad Deum, hominis ad hominem. Prima est exspectatio qua Deus longanimiter exspectat hominis conversionem; secunda est sustinentia illa qua justus infatigabiliter Dei exspectat repromissionem; tertia est qua spiritualis pater præoccupatum in aliquo filium in spiritu lenitatis instruens æquanimiter ejus exspectat repromissionem. Est ergo longanimitas longa per patientiam exspectatio; non prolixitate rei, sed voti. De hac duplici longanimitate hominis ad Deum et ad hominem dicitur: *Væ illis qui perdiderunt sustinentiam!* (*Eccli.* II.)

TIT. CXXXVI. *De orationis multiplici modo.*

Triplex est oratio: Vocis sine devotione, de qua Apostolus: *Si orem*, inquit, *lingua mea, sine fructu est* (*I Cor.* XIV). Devotionis sine voce, de qua Dominus: *Intra in cubiculum et clauso ostio ora Patrem tuum* (*Matth.* VI). De quo ostio dicitur: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psal.* CXL). Sic oranti Dominus ait: *Quid clamas ad me?* (*Exod.* XIV.) Vocis cum devotione, quando ex sensu vocis, suscitatur affectus devotionis: Unde: *Cantate Domino, psalmum dicite ei* (*Psal.* LXVII). Est et quarta devotionis cum voce, quando ex intimo cordis affectu prorumpit in vocem laudis et orationis. Unde: *Exsultavit cor meum in Domino*, etc. (*I Reg.* II.)

TIT. CXXXVII. *De tribus bene faciendi gratiis.*

Bene faciendi tres sunt gratiæ, præveniens, cooperans et subsequens. Prima dat voluntatem, secunda facultatem, tertia perseverantiam: quas in Scripturis frumenti, vini, et olei nominibus autumo appellari.

TIT. CXXXVIII. *Qui plenus sit gratiæ et veritatis.*

Plenum gratiæ et veritatis (*Joan.* I). Est gratia sine veritate, popularis gratia. *Fallax*, inquit, *gratia et vana est pulchritudo* (*Prov.* XXXI). Et est veritas sine gratia, quando parit odium. Est gratia cum veritate, gratia verorum. Est et veritas cum gratia, grata veritas. Plenum ergo se gratia veritatis, et gratiæ veritate exhibuit, qui nec gratiæ humanæ discretionis veritatem, nec veritatis humanæ gratiam requirens, gratiam ad hominum salutem postposuit.

LIBER QUINTUS.

TRACTATUUM MORALIUM FRAGMENTA, EPISTOLÆ, ETC.

TIT. I. *De reparatione hominum per duplicem Trinitatem divinarum personarum et virtutum theologicarum.*

Lapsum naturæ nostræ reparavit illa beata Trinitas, memor misericordiæ suæ, et non immemor culpæ nostræ. Missus venit a Patre Dei Filius, et dedit fidem. Post Filium Spiritus missus charitatem contulit, et per hæc duo, per fidem et charitatem, facta est redeundi spes ad Patrem. Et hæc est trinitas, fides, spes, charitas, per quam velut per tridentem de limo profundi ad amissam beatitudinem incommutabilis trinitas mutabilem et lapsam trinitatem reduxit, fides quidem illuminavit rationem, spes erexit memoriam, charitas purgavit voluntatem. Cum igitur venit Dei Filius, tanquam bonus medicus dedit præcepta, quibus servatis salus amissa restitueretur: ut præceptis faceret fidem, exhibuit signa; ut eorumdem præceptorum utilitatem ostenderet, promisit beatitudinem. Est ergo fides alia præceptorum, alia signorum, alia promissorum, id est qua credimus in Deum, quod est eum diligere; qua credimus Deum, id est ipsum omnia scire et posse; et qua credimus Deo, quod est quod quidquid promittit veraciter complet. Similiter spes triplex, et procedit de prædicta triplici fide. Nam de fide præceptorum oritur spes veniæ; de fide signorum, spes gratiæ; de fide promissorum, spes gloriæ. Charitas inde ternario numero colligitur: *De corde puro, conscientia bona, fide non ficta* (*I Tim.* I). Puritatem debemus proximo, conscientiam nobis, fidem Deo. Puritas autem est ut quidquid agitur aut ad utilitatem proximi aut ad honorem Dei fiat. Hæc maxime proximo debet exhiberi, Deo enim manifesti sumus. Conscientiam bonam in nobis duo faciunt, pœnitentia et continentia. Quando per pœnitentiam commissa punimus, per continentiam punienda non committimus, et hanc debemus nobis. Post hæc fides non ficta, quæ Deo vigilanter est exhibenda, ut nec propter nos, nec propter proximum minus exsequamur obedientiam mandatorum Dei. Dicitur autem *non ficta* ad differentiam mortuæ, quæ est sine operibus. Est igitur Trinitas creatrix, Pater, et Filius, et Spiritus S. Ex qua cecidit creata trinitas, memoria, ratio, voluntas; trinitas per quam cecidit, suggestio, delectatio, consensus; trinitas in quam cecidit, impotentia cæcitas, immunditia. Trinitas,

quæ cecidit in singulis habet tripartitum casum. Memoria cecidit in tres species cogitationis affectuosas, quæ sunt in necessariis, utpula edendi, bibendi et similibus; onerosas, quæ sunt in duris rerum administrationibus, ut acquirendi, servandi, etc.; et otiosas, dum cogitat equum currere, vel avem volare. Ratio in triplicem ignorantiam boni et mali, veri et falsi, commodi et incommodi; voluntas, in concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et ambitionem vitæ. Est trinitas per quam resurgit, fides, spes, charitas. Fides, præceptorum et signorum; spes, veniæ, gratiæ, gloriæ. *Charitas de corde puro, conscientia bona et fide non ficto.*

TIT. II. *In hypocrisi quæ sint mala.*

Hypocrisis malum subtile, virus latens, fur custodiens, ærugo consumens, tinea demoliens, pestilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, de virtute vitium, de mercede dispendium, de remissione peccatum. Quis sum ego ut effundam spiritum coram Patribus meis et senioribus Israel? Docere magistros, arguere seniores, imperare majoribus, superbi spiritus est et de seipso præsumentis. *Vos enim estis sal terræ* (*Matth.* V), *filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI). Sed quis ego? *Opprobrium hominum et abjectio plebis* (*Psal.* XXI). Angariati tamen portare crucem istam dicitis servo vestro: Fac hoc, et facio.

TIT. III. *De triplici cognitione ex visione Dei.*

Prima scientia nascitur ex Dei visione, qui est fons et origo omnis scientiæ quam homo habet qui Deum cernit. Unde ei triplex nascitur visio et cognitio: Prima est Dei qui cernitur, secunda, ipsius qui cernit; tertia, cæterorum quæ in Deo, cui præsentia sunt, cernuntur, id est intelliguntur. Sicut in speculo trina visio administratur, qua ipsum speculum, qua nos et qua quidquid adest videmus. Nam videndo Deum, abdita rerum etiam ipsius inferni intuemur. Eritque tunc electis trina visio: Corporalis, qua corpora cernentur; spiritualis qua similitudines corporum videbuntur in spiritu, non fallaci phantasia: qua visione fruuntur spiritus justorum post exitum; et intellectualis, qua puro mentis intuitu Deum intuentur, suas animas, et angelicas virtutes.

TIT. IV. *De duodecim virtutum gradibus.*

Duodecim sunt gradus quibus sancti per iter virtutum conscendunt. Unde: *Ibunt de virtute in virtutem, ut videant Deum deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII). Quorum primus est confessio. Ideo in visione Joannis primus ponitur Judas qui interpretatur *confessio* (*Apoc.* VII). Qui enim post peccata converti desiderat, necesse est ut primo confiteatur peccata sua. Quia vero deflet mala, Deum quem offenderat illi placabilem facit, et oculos misericordiæ Dei ad se convertit, juxta quod dicitur: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* I). Ruben post Judam ponitur, qui interpretatur *filius visionis*, quando et peccator per confessionem a Deo respicitur. Et quia per pœnitentiam consecutus est ex Dei respectu misericordiam, necesse est ne relabatur, ut contra omnia vitia et tentationes armetur, et voluptates a se carnis præcidat. Tertio sequitur Gad, qui *accinctus* interpretatur. Tironis est accingi: qui postquam vitia domuerit, beatus esse incipit. Unde in ordine quartus ponitur Aser, qui *beatus* interpretatur, ut ascendens jam beatus factus ad aliorum etiam profectus se extendat, et per misericordiam condonando lædentibus, condolendo peccatoribus, subveniendo egentibus dilatetur. Unde post Aser Nephthalim sequitur, qui interpretatur *dilatatio*. Cumque suæ et aliorum saluti bene prospexerit, omnium peccatorum et eorum quæ mundi sunt debet oblivisci, solum Deum sequens: ideoque post Nephthalim ponitur Manasses, qui interpretatur *oblitus*. Hunc autem pro se et pro aliis vere exaudit Deus. Unde septimo loco invenitur Simeon, qui *exauditio* interpretatur: talisque factus additur bonis et perfectis. Unde sequitur Levi, qui *additus* interpretatur; et merito jam a Deo mercedem consequitur. Unde post eum ponitur Issachar, qui *merces* interpretatur. Sed interpretationem hujus nominis clarius videbimus, si ea quæ mater Lia eo nascente dixit, ponamus: *Reddidit*, inquit, *Dominus mercedem mihi, quia dedi ancillam, et idea appellavit nomen ejus Issachar, id est merces* (*Gen.* XXX). Caro nostra debet esse ancilla nostra, vir noster Deus noster. Viro ancillam damus, si carnem nostram Dei servitio subjicimus, si eam vigilare et abstinere compellimus. Issachar Liæ datur, quia animæ carnem domanti et vitia exstinguenti merces datur ut virtutibus ditetur: et ideo post Issachar Zabulon ponitur, qui *habitaculum fortitudinis* interpretatur. *Quis est fortis sicut Deus noster? Dominus*, inquit propheta, *fortis et potens prælio* (*Psal.* XXIII). Habitaculum igitur fortitudinis est habitatio Dei. In illo enim habitat Deus in quo sunt fides, spes, charitas, castitas et cæteræ virtutes; quia vero per operationem virtutum augentur præmia meritorum, subsequitur Joseph qui *augmentum* interpretatur. Benjamin in ultimo ponitur et supremus, qui interpretatur *filius dexteræ*. Dextera namque patris filius dicitur: ad quam sancti ponentur filii facti dexteræ, cum ab hac vita subtracti in cœlestibus sedibus collocabuntur, ubi nihil est sinistrum, sed totum dextrum et in dextera. Istarum tribuum numerus centum quadraginta quatuor millia qui sunt duodecies duodena millia quia qui fidem et opera sequuntur apostolorum, in isto signatorum et beatorum computabuntur numero.

TIT. V. *De triplici bonorum conversione.*

Bonorum alii trahuntur, alii ducuntur, alii rapiuntur. Primi dicunt: *Trahe me post te* (*Cant.* I). Secundi: *Introduxit me rex in cellaria sua* (*Cant.* II). Tertiorum vox est cum Apostolo: *Raptus sum usque ad tertium cœlum* (*II Cor.* XII). Primi sunt felices, qui in patientia sua possident animas suas (*Luc.* XXI). Secundi feliciores, qui ex voluntate sua confitentur ei. Tertii felicissimi, qui in profundissima Dei jam

misericordia proprii arbitrii sepulta voluntate in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur. Beatus qui in omnibus his gradibus Deum ducem habet, qui est *vita, veritas et via* (*Joan.* XIV). Via in exemplum, veritas in promisso, vita in præmio.

Tit. VI. *De tribus montibus in quos ascendit Dominus.*

Tres sunt montes in quos ascendit Dominus. In primo transfiguratus est, et videtur gloria ejus. In secundum ascendit docere. In tertium ascendit solus orare. Ascendamus ergo in primum ad eum, formantes in cordibus nostris patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum et virginum multiplices mansiones, ut cognita dulcedine domus Dei et gloria ejus dicamus: *Bonum est nos hic esse* (*Matth.* XVII). Eligentes autem illic esse ut viam discamus, ascendamus alium montem in quo docet et scalam erigit octo distinctam interscalaribus, cujus summitas cœlos tangit. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* V). In hunc montem ubi dicere poteris Domino Jesu: *Verba vitæ æternæ habes* (*Joan.* VI), non gravabimur ascendere si primum montem gloriæ ejus jugi meditatione ascendimus. Sic enim audies. *Et quo eam scitis*, propter ascensionem primam *et viam scitis* (*Joan.* XIV), propter secundam. In primo itaque transfiguratus est ut scires quo tenderes, id est gloriam ejus quam tibi promittit. In secundo verba vitæ locutus est, ut scires qua pervenires. Oravit in tertio, ut eundi et perveniendi bonam obtineas voluntatem, et studium adhibeas diligens.

Tit. VII. *De duplici scandalo et instrumento ejus.*

Duplex est scandalum. Primum exterius, de quo Dominus: *Væ per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII). Secundum interius, et ipsum triplex. Primum oculi, secundum manus, tertium pedis. *Si ergo oculus vel manus vel pes scandalizat te* (*Matth.* V), qui noster dicitur, et tunc sinister eum petit contraria, retrahit ad mala, intentionem tuam vel a bonis operibus ad contraria, vel a via sanctæ conversationis, qua per gradus scalæ Jacob de virtute in virtutem ascenderes, ad profundam inferni detrahit; hunc oculum, manum et pedem *erue et abscinde*, a te decliuando, *et projice abs te* derelinquendo.

Tit. VIII. *De duabus clavibus cœli.*

Duæ sunt claves januæ paradisi: charitas et patientia. Primum est charitas amplectenda. Et quia qui Deum vult diligere, tentationibus exponitur, adhibenda est patientia. Hæc sunt cherubim ac gladius versatilis et flammeus posita ad custodiam paradisi. Cherubim interpretatur *plenitudo scientiæ*: at *plenitudo legis* juxta Apostolum, *charitas* (*Rom.* XIII). Per gladium flammeum et versatilem intelligitur tribulatio: quæ tunc gladius, cum dividit; flammeus dicitur cum incendit; versatilis, quia transitorius. Si ergo vis cœlum intrare, ista duo scias necessaria, quia et sine charitate nihil possumus, et *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV). Claves enim sunt paradisi charitas et patientia, sine quibus non intratur, et inter nos et paradisum positæ sunt, ut non nisi per illas nos intrare posse sciamus.

Tit. IX. *De triplici statu fidelis animæ.*

Tres sunt status fidelis animæ. Sub primo est captiva, sub secundo est libera, sub tertio est beata. Captiva servitute peccati opprimitur; libera sub duce justitia præliatur; beata perfruitione gaudii lætatur. Captivæ dicitur: *Revertere, revertere, Sunamitis, ut de captiva efficiaris libera* (*Cant.* VI). Liberæ dicitur: *Viriliter age et confortetur cor tuum et sustine, Dominum* (*Psal.* XXVI), ut de libera efficiaris beata. Beatæ dicitur: *Cantate Domino in Sion. Jubilate ei in voce exsultationis* (*Psal.* XLVIII). Sub primo est ancilla, et timet. Sub secundo filia, et diligit. Sub tertio amica et complectitur.

Tit. X. *De tribus animæ inimicis.*

Tres sunt populi qui fideli animæ inimicantur: Primi sunt homines sæculi, qui a bono retrahunt, de quibus Dominus: *Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam et projice abs te* (*Matth.* V). Secundi sunt desideria carnis, quæ mala suggerunt, de quibus Petrus apostolus: *Obsecro vos abstinere a carnalibus desideriis quæ militant adversus animam* (*I Petr.* II). Tertii sunt cogitationes, quæ peccare cogunt, de quibus Job: *Dissipatæ sunt cogitationes meæ torquentes cor meum* (*Job* XXVII). Primus populus est amicus sæculi, et inimicus Dei, juxta illud: *Amicus sæculi inimicus Dei constituetur* (*Jac.* IV). Secundus amicus carnis, et inimicus hominis. Unde: *Inimici hominis domestici ejus* (*Matth.* X). Tertius amicus mentis et inimicus quietis. Unde: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti* (*Eccle.* X). Hos populos oblivisci præcipitur filiæ dum dicitur: *Et obliviscere populum tuum* (*Psal.* XLIV).

Tit. XI. *De tribus hominis patribus.*

Tres sunt hominis patres: Primus gignit, secundus rapit, tertius requirit. Primus gignit ad vitam carnis, secundus rapit ad pœnam mortis, tertius requirit ad gaudium æternitatis. Primus pater est homo, secundus diabolus, tertius Deus. De primo: *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I). De secundo: *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII). De tertio: *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI). Sub primo carnaliter vivimus, sub secundo mortaliter delinquimus, sub tertio feliciter regnamus. Et monet tertius ut relinquatur primus, nec imitetur secundus. Duorum priorum patrum domum præcipitur filiæ oblivisci eum dicitur, *et domum patris tui* (*Psal.* XLIV).

Tit. XII. *De quatuor ab anima superandis, et triplici ejus decore.*

Quatuor superat fidelis anima: Mundum, carnem, mentem, diabolum. Bella mundi sunt forinseca, carnis domestica, mentis intestina, diaboli fraudulenta. O quam difficile acquiritur victoria, ubi tanta est resistentium turba? Verum in victoria concupiscit rex decorem victricis animæ. Qui triplex est: In voce quia pulchra loquitur; in facie, quia bona operatur; in corde, quia sancta meditatur. Et ideo dicit ei: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non*

eu in te (*Cant.* IV). Et ideo surge de labore ad requiem, de mundo ad gloriam, de certamine ad præmium et veni in thalamum nuptialem, in quo eris sponsa cum ipso sine fine.

TIT. XIII. *De tribus quæ insunt pœnitentiæ.*

In pœnitentia tria sunt: Dolor præteriti, custodia futuri, satisfactio delicti. Dolor culpam placat, satisfactio vitium satiat, custodia sanitatem conservat. Hæc tria sic compensanda sunt, ut sit dolor plenus, custodia perfecta, satisfactio condigna.

TIT. XIV. *De duplici oleo, Dei scilicet et mundi.*

Duplex est oleum. Habet enim oleum Deus, habet oleum et mundus. Oleo Dei vasa deficiunt, oleum mundi in vasis deficit. Oleum Dei dulcedo est æternorum, oleum mundi, delectatio præsentium. Illa sufficit, ista deficit. Unde vasa stultarum virginum vacua esse dicuntur (*Matth.* XXV); vasa viduæ sapientis plena (*IV Reg.* IV). Vasa corda sunt, oleum gaudium.

TIT. XV. *De pace et bello triplici.*

Triplex est pax, scilicet ad Deum, ad seipsum, ad proximum. Quandiu homo ad Deum pacem tenuit, suam pacem et nullam in carne sua contradictionem invenit. Nunc autem si voluerit pacem habere cum Deo, et per hoc secum, pax primo proponitur proximi, ut totus placatus sit, et extra secum proximo per fraternam charitatem, et in se, per concupiscentiam bonam, et supra se, per gratiam divinam. Propter hoc dum offertur hostia salutaris qua nos Deo reconciliari oportet, prius proximis osculum pacis offerimus, ut hac præmissa quæ inter nos est pace, illam quæ ad Deum est obtinere mereamur. Quando pro defunctis offertur, pax non datur, quoniam ab hac vita subtracti, humanæ conversationis pacem tenere vel exhibere non possunt. Ideo illa sola quæ ad Deum est quæritur. Viventes autem per pacem proximi, quærere debent pacem Dei. Per pacem Dei, pacem sui, non illam quæ est animæ ad mundum, quæ est suaviter viventium, sed illam quæ est inter animam et spiritum, per illam quæ est inter spiritum et Deum. Nam vera pax quia invenitur tempore otii *sapientia, non est in terra suaviter viventium* (*Job* XXVIII). Est enim quædam pax inter animam et mundum, suaviter viventium et male; et alia inter animam et spiritum, suaviter viventium et bene; et tertia inter spiritum et Deum, feliciter viventium et beate. Similiter est bellum inter animam et mundum, non suaviter viventium et male, et inter animam et spiritum non suaviter viventium et bene, et inter spiritum et Deum, infeliciter viventium et male.

TIT. XVI. *De tribus modis unum est.*

Trinitate una universitas rerum subsistit. Est unum quod nec ab alio est, nec secundum aliud, ut natura creatrix. Est unum quod ab uno et secundum unum, ut rationalis creatura a Deo similis Deo. Est unum quod ab uno secundum duo, hoc est ab uno per unum, ut corporea natura. Primum exemplar est tantum, non exemplum; secundum exemplar et exemplum; tertium exemplum tantum.

TIT. XVII. *De triplici genere quærentium Deum et sapientiam.*

Tripartitum est genus quærentium Deum. Alii quærunt et inveniunt, sed non retinent, quia non quærunt ut habeant, sed vendant; alii quærunt et inveniunt et retinent. Primis dicitur: *Quæretis me et non invenietis, et in peccato vestro moriemini* (*Joan.* VII). Secundis dicitur: *Ego sum, et injecerunt manus, et tenuerunt eum* (*Joan.* XVIII). Et tertiis dixit: *Avete, et accesserunt et tenuerunt pedes ejus* (*Matth.* XXVIII). Primi quærentes nullo modo inveniunt. Secundi vivum inveniunt et occidunt. Tertii mortuum quærunt, et vivum inveniunt. Sic alii sapientiam inveniunt, sed non diligunt, quia ad lucrum et laudem humanam eam prostituunt. Isti Christum vivum inveniunt et occidunt, quis ex hoc in eis sapientia moritur, quod ejus dulcedine nullo amoris sensu perfruuntur. Alii mortuam quærunt et vivam inveniunt, quia dum eam ad hujus vitæ usum non appetunt, verius intus ad illius dulcedinem pertingunt.

TIT. XVIII. *De tribus ædificantibus super fundamentum fidei, et tribus superædificatis.*

Tris sunt genera hominum ædificantium super fundamentum fidei. Sunt qui amant solum Deum. Hi superædificant aurum in amore virtutis, argentum in cognitione veritatis, lapides pretiosos in fulgore boni operis. Sunt qui amant præter Deum, non tamen contra Deum, nec plus quam Deum. In his fundamentum manet, quoniam amor non destruitur. Sed tamen quia ex affectu eorum quæ amantur quædam contrahitur corruptio, superædificant ligna per peccatum illiciti operis, fenum per delictum delectationis, stipulam per culpam illicitæ cogitationis. Sunt qui amant quædam contra Deum; et in his fundamentum destruitur, quia amor Dei non potest esse ubi non est solus vel summus. Igitur ad primos pertinet laudari et salvari; ad secundos, corripi et liberari; ad tertios, argui et damnari.

TIT. XIX. *De quatuor humilitatem conferentibus.*

Quatuor sunt quæ conferunt veram humilitatem: vilitas corporis, assiduitas subjectionis, comparatio melioris, suspectum Dei judicium.

TIT. XX. *De triplici fratrum cohabitatione.*

Tripliciter habitant fratres in unum: loco tantum, loco et animo, animo tantum. Loco tantum habitare in unum, pœna est; animo non loco, bonitas; animo et loco, felicitas.

TIT. XXI. *De pastore, ove et lupo.*

Tria sunt: pastor, ovis et lupus. Primus et ultimus in ovem medium respiciunt; ulter ut custodiat, alter ut rapiat. Unde de primo dicitur: *Oculi ejus in pauperem respiciunt; palpebræ ejus interrogant filios hominum* (*Psal.* X). De secundo: *Insidiatur ut rapiat pauperem*, etc. (*Psal.* IX). Ovis in medio pauper est; pastor Deus, lupus diabolus. Omne autem judicium procedit ab ove, tumida deseritur, timida

visitatur. Deseritur ne præsumat; visitatur ne desperet. Ideo *ne declines a servo tuo* (*Psal.* XXVI). Cum pastor elongat, lupus appropinquat; cum pastor redit, lupus fugit.

TIT. XXII. *De conscientia et fama.*

Duo sunt : conscientia et fama. Conscientia Deum habet in vase; fama lumen in lampade. Propter conscientiam ingredimur; propter famam egredimur. Intus reficimur salute propria; foris ædificatione aliena. Intus *cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp.* I); foris *manere in carne necessariam judico propter vos* (*ibid.*). Conscientia irriguum superius; fama, irriguum inferius. Ad conscientiam meditatio, ad famam prædicatio. Ad conscientiam silentium, ad famam verbum. Per silentium seminas agrum tuum, per verbum agrum proximi tui.

TIT. XXIII. *De tribus exemplis Dei ad vitam, et tribus diaboli ad mortem.*

Tribus exempla nobis Christus viam ostendit qua eum sequi debemus. Similiter diabolus, tria proponit quibus præcipitantur qui eum sequuntur. Via ad Deum sursum ardua, arcta, et in longum sublimis. Iter ad diabolum, est deorsum latum, breve, at in profundum et ad præcipitium facile. Ideo Christus nobis exemplum paupertatis reliquit, ut exonerati sarcina terrenorum leves ascendamus per arduam. Unde dicitur : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Matth.* VIII). Ideo divitias in hoc mundo habere noluit ut simus expediti, et dedit exemplum humilitatis, ut modici sine difficultate transeamus per arduum. Unde dicit : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* (*Matth.* XI). Ideo gloriam sprevit in exemplum patientiæ, ne deficiamus in longum. Unde : Cum percuteretur non repercussit, cum occideretur sustinuit (*I Petr.* II). Ergo prima est discenda paupertas, ut abjiciamus quod gravat, in quo est peccandi occasio; et quia paupertas despicitur, sequitur humilitas, quia ipsa etiam vilitas propter Deum amatur, et quia vir qui vilis est sine reverentia læditur, necessaria est post humilitatem patientia, qua adversa propter Deum tolerentur fortiter. Paupertas levem facit et expeditum, humilitas modicum, patientia fortem et robustum. Econtrario diabulus suos primo onerat divitiarum pondere, ut deorsum prosternat; secundo per superbiam inflat, ut per latum incedant; tertio per impatientiam frangit, ut cito deficiant.

TIT. XXIV. *De cœli, terræ et inferni habitatoribus peculioribus, et de tribus doutibus in singulis testimonium.*

Tria loca, cœlum, terra, infernus, habent singula habitatores suos. Cœlum solos bonos, infernus solos malos, terra malos mistos et bonos : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater et Filius et Spiritus sanctus. Tres in terra : spiritus, aqua et sanguis* (*I Joan.* V). Tres in inferno, vermis qui non moritur, quo roditur conscientia; ignis qui non exstinguitur quo cremantur corpora; tertium desperatio, quæ in eo intelligitur quod dicitur *non exstinguitur, non moritur* (*Isa.* LXVI). His qui in cœlo sunt datur testimonium beatitudinis; qui in terra, justificationis; qui in inferno damnationis. Primum testimonium gloriæ, secundum gratiæ, tertium iræ.

TIT. XXV. *De triplici labore hominis, et triplici ejus remedio.*

Triplici loco laborat genus humanum : principio, medio, fine, id est nativitate, vita, morte. Nativitas erat immunda, vita perversa, mors periculosa. Venit ergo medicus cœlestis; et contra hunc triplicem morbum triplex attulit remedium. Natus enim est, vixit, obiit. Ejus nativitas purgavit nostram; ejus vita instruxit nostram; ejus mors destruxit nostram.

TIT. XXVI. *De tribus panibus quibus reficiendus est superveniens amicus.*

Tribus panibus reficiendus est superveniens amicus. Primus panis est continentia, qua restringitur corpus ne per mortiferas delectationes effluat. Secundus, humilitas, qua instruitur anima, ne de ipsa corporis sui continentia superbiat. Tertius, charitatis fervor, quo accenditur spiritus ut utrumque, id est corpus et animam in castitate et humilitate custodiat perseveranter. His tribus virtutibus reficitur homo Dei et roboratur, ut, secundum Apostolum, *in die adventus Domini sit integer spiritus anima et corpus* (*I Thess.* V). Hi panes quoties deficiunt a Deo quærendi sunt. Merito autem tres quæruntur, quia tres reficiendi sunt; anima tanquam vir; caro tanquam uxor; spiritus velut utriusque vernaculus. Et nota quod non ait da, sed *accommoda* (*Luc.* XI), quia fructum ejusdem gratiæ non sibi, sed Deo debet semper acceptum referre.

TIT. XXVII. *Quatuor modis orationem fieri.*

Quatuor modis fit oratio. Primo verecundo affectu. Hic fit cum nondum peccator per se audet accedere, sed quærit in Ecclesia sanctum virum qui sit vel in ora vestimenti Domini sicut fimbria, per quam habeat accessum. Hujus orationis tenuit figuram evangelica mulier, quæ patiens fluxum sanguinis ait : *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus sana ero* (*Matth.* IX). Secundo oratio fit puro affectu, quando peccator jam per se accedit, et ore proprio confitetur. Hujus typum tenuit peccatrix Maria quæ pedes Domini *lacrymis rigavit et capillis tersit* (*Luc.* VII), auditque : *Dimissa sunt tibi peccata tua* (*ibid.*). Tertio oratio effunditur amplo affectu, quando fit non solum pro se, sed pro aliis, sicut oraverunt apostoli pro mulieris Chananææ filia. Quarto oratio fit cum cordis fiducia sine aliqua hæsitatione promitur. Talem fecit Dominus quando Lazarum suscitavit. Has orationum species, id est verecundam, puram, amplam et non hæsitantem nuncupat aliis nominibus Apostolus dicens : *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus* (*I Tim.* II). Nam obsecrationes verecundo, orationes puro, postulationes amplo, gratiarum actiones non hæsitanti fiunt affectu.

TIT. XXVIII. *Duobus modis impediri orationem peccatoris ne exaudiatur.*

Duobus modis impeditur oratio peccatoris, dum vel nulla luce illustratur, vel nimia obruitur. Nulla luce illustratur, quando peccata sua nec videt nec confitetur. Econtrario nimia luce obruitur, quando ea tanta videt, ut de remissione desperet. Temperanda est ergo lux ut peccata sua videat peccator et confiteatur, oretque cum spe veniæ pro ipsis ut remittantur.

TIT. XXIX. *De tribus vitiis per tres equos in Apocalypsi præsignatis, et de innocentia per equum album.*

Hæc tria vitia, superbia, luxuria, hypocrisis sunt tres equi Apocalypsis rufus, niger, pallidus (*Apoc.* VI). Ruffus portat sessorem suum, spiritum scilicet, hominis ad bella, lites, et iras; niger ad luxuriam, crapulam, ebrietatem; pallidus ad hypocrisim et simulationem. Ruffus per loca dura et aspera; niger, per immunda et fetida; pallidus per ardua et excelsa. Equus albus est innocentia. Super hunc qui ascendit, exit vincens ut vincat. Triplex autem est hic equus propter tres partes innocentiæ. Unde et pluraliter dicit Habacuc : *Qui ascendis super equos tuos*, etc. (*Habac.* III.)

TIT. XXX. *De tribus dissolutionibus et tribus cinctoriis hominum.*

Tres sunt dissolutiones quæ penitus hominem dissolvunt, et animam cum corpore penitus interire faciunt, avaritia, luxuria, superbia. Avaritia generans invidiam, trahens hominem extra se per evagationem, ut vadat transitoriis consolari. Luxuria proferens immunditiam, premens hominem infra se per pollutionem, ut est in vitiis delectari. Superbia pariens injustitiam, rapiens eum extra se per elationem, ut pergat in potestate gloriari. Hæc tria tres merentur maledictiones. Prima est : *Maledictus est qui sperorit in multitudine divitiorum suarum* (*Psal.* LI). Secunda : *Maledictus homo qui confidit in homine* (*Jer.* XVII). Prima dissolutio, id est avaritia tribus nocet amore : pecuniæ, honoris ambitione, damnationis affectione. Et inde tria perdimus : amorem in Christo et Creatore, exspectationem cœlestis gloriæ, obedientiam divinæ potentiæ. Secunda, id est luxuria, etiam tribus nocet : cutis nitore, vestis splendore, et exquisito ciborum sapore. Per hæc tria perdimus primam stolam quæ deberetur in morte, incorruptionem futuram in corpore, refectionem divinæ præsentiæ. Tertia quoque, id est superbia, tribus nocet, immunda cogitatione, superflua locutione, impura operatione. Per hæc tria perdimus : mentis simplicitatem, linguæ vel vocis mediocritatem manuum puritatem. Prima dissolutio a bono multos dimovit, secunda complures ad malum promovit, tertia infinitos in mortem demuvit.

His opponuntur tria cinctoria : Primum est memoria mortis corporeæ. Hæc est zona pellicea qua cingebatur Joannes et qua utuntur eremitæ, quæ tribus patet indiciis, dolore, pallore, torpore, cum meminit mortis corporeæ. Hoc cinctorium tria confert, minus superbiro, neminem odire, magna pus ambire. Hoc enim superbum humiliat, odientem placat, cupidum replet et satiat. Secundum cinctorium probabilitas et decor pudicitiæ. Balteus quo cingebatur Aaron iturus ad Deum, quo utuntur sacerdotes et levitæ studentes castitati : quod tribus patet indiciis, lætitia intus in corde, fiducia foris in ore, munditia exterius in corpore. Confert hoc cinctorium tria : gravitatem in vultu, mediocritatem in habitu, maturitatem in incessu. Pudicitia enim intus corde fundata his bonis est extrinsecus ornata. Tertium cinctorium est amor religionis et justitiæ. Zona aurea qua Joannes in Apocalypsi præcinctus est ad mamillas. Quo utitur Jesus studens omnium integritati. Tribusque patet indiciis : Cautione prævaricationis in providentia, obeditione præceptionis in patientia, attentione divinæ cognitionis in constantia. Hoc cinctorium tria confert: Humilitatem in prosperis, soliditatem in adversis, mediocritatem in cunctis. Per hoc enim justitia unicuique quod suum est reddit. Primum cinctorium manus ad prælium pugiles informat, secundum vires viribus accumulat, tertium victorem præmiis exornat. Joannes quia primum habuit, scilicet mortis memoriam, morti occurrere non formidat. Petrus quia secundum habuit, dictum est ei : *Caro et sanguis non revelavit tibi* (*Matth.* XVI). Christus quia principaliter tertium habuit, stans ad monumentum Lazari confitentur ait : *Gratias ago tibi, quoniam audisti me* (*Joan.* XI). Primum cinctorium hominem a malo separat, quo David Goliam peremit; secundum virtutibus corroborat, quo carens Absalon ab hostibus se non exemit. Tertium religioni consociat, quo Christus genus humanum solus redemit.

TIT. XXXI. *De præconiis B. Joannis Baptistæ viro innoxio et perseveranti applicandis.*

Ex præconialibus titulis plurimi sicut B. Joanni historialiter, ita viro renascenti et perseveranti, moraliter non incongrue possunt adaptari. Ili autem sunt, miraculum in conceptione, gaudium in nativitate, sublimitas in conversatione, humilitas in confessione, veritas in prædicatione, constantia in morte. Cum enim de veteri Adam per timorem Dei, qui quasi quidem signifer cœlestis militiæ mentes ad Deum solet convertere, ac a malo deterrere, ac ut prævaricatores ad cor redeant efficere, aliquis fit novus homo, et de terreno cœlestis et spiritualis. Quid aliud quam quædam nova conceptione mutatur in ventrem Ecclesiæ et concipitur? Et in hac conceptione est gaudendum. Digitus enim Dei est hic subtiliter operans, suaviter renovans, salubriter immutans. Fit autem tribus in unum concurrentibus : cogitatione, quia in spiritu et mente; voluntate, quæ non est sine merito ; stabilitate propositi, quæ non sine justitia. Sequitur gaudium in nativitate. Nativitas duplex est : prima ex patre diabolo, cujus vita perversa, mors ad utrumque consequens periculosa; secunda ex patre Deo, cujus vita religiosa,

tuor ad utrumque consequens pretiosæ. Fit autem hæc nativitas tribus, fide firma, spe certa, charitate robusta. Sequitur sublimitas in conversatione, quæ fit habitu, actione, sermone. Caveamus in habitu conspici notabiles, in actione reprehensibiles, in sermone contemptibiles. Sit habitus noster in mediocritate, actio in integritate, sermo in veritate. Sequitur humilitas in confessione. Qui stat videat ne cadat per superbiam. Fit autem prædicta confessio tribus. Si minoribus confiteatur se non majorem, æqualibus minorem, majoribus obedientem, minoribus socium, æqualibus amicum, majoribus filium. Sequitur veritas in prædicatione, quæ fit tribus, fidelitate, utilitate, humilitate. Verumtamen debet esse fidele et verum, nebula simulationis non decipiens; utile auditores ad ædificationem erudiens; humile, per altitudinem eloquentiæ non intumescens. Sequitur constantia in morte. Nam *qui in finem perseveraverit, hic salvus erit* (*Matth.* x). Quod fit tribus, cum quis in necessitate fidem negandi positus divitias oblatas spernit, honoris potentiam contemnit, tormenta libens suffert, recogitans quod se quod Scriptura dicit : *Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei* (*Apoc.* II). Constans enim eligit pugnare ut vincat; laborare, ut quiescat; mori, ut vivat. Quis ergo dubitat eum esse Joannem in quo sunt hæc? ubique in eo est gratia Dei : quod interpretatur Joannes.

TIT. XXXII. *Quomodo sobrie, pie et juste vivamus.*

Sobrie et pie et juste vivamus in hoc sæculo (*Tit.* II). Sobrie nobis, juste proximo, pie Deo. Sobrie in duobus, in cavenda voluptate carnis, et curiositate sæculi. Unde Dominus : *Attendite, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ* (*Luc.* XXI). Ecce compedes quæ crapulam, id est carnis curam stringunt et angustant, et carcer qui curiositates sæculi claudit et obfirmat. Qui primum vincit, in carne ambulans non secundum carnem militat; qui secundum vincit, dicere potest : *Conversatio nostra in cœlis est* (*Philipp.* III). Juste item in duobus, ut nemini noceas, omnibus prodesse velis. Unde *quod tibi non vis, alii non facias* (*Tob.* IV); et *quæcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem facite illis* (*Matth.* VII). Pie quantum ad fidem, quæ in duobus consistit : in justificatione qua in præsenti nos justificat, et in beatificatione qua in futuro nos beatificat. Hanc fidem a nobis exigit Deus, ut credamus nos ab ipso justificandos per misericordiam, beatificandos per veritatem. Promisit enim justos beatificare. Unde *quos justificavit hos et glorificavit* (*Rom.* VIII). Et Dominus : *Si terrena dixi vobis et non credidistis, quomodo si cœlestia vobis dixero credetis?* (*Joan.* III.) Terrena justificatio fit in præsenti, cœlestis beatificatio in futuro. Sobrie ergo vivamus, ut bonam conscientiam habeamus; juste, ut proximis prodesse possimus. Unde sapientia quæ desursum est (*Jac.* III), primum pudica est, deinde pacifica, pie ut Deum diligamus; hæc enim omnia propter Deum agenda sun'

TIT. XXXIII. *De quatuor vocationibus et duabus electionibus.*

Multi sunt vocati; pauci vero electi (*Matth.* x). Quatuor sunt vocationes, duæ electiones. Prima vocatio est naturæ de utero ad lucem; de qua propheta : *Dominus vocavit me ab utero* (*Isa.* XLIX). Secunda gratiæ, de qua Apostolus : *Videte, fratres, vocationem vestram, quia non multi nobiles* (*I Cor.* I). Et *quos prædestinavit, hos et vocavit* (*Rom.* VIII). Tertia solutionis, de qua idem Apostolus : *Sequor ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu* (*Philipp.* III). Inde et dies mortis dictus est vocationis. Quarta retributionis, de qua Propheta : *Advocavit cœlum desursum, et terram discernere populum suum* (*Psal.* XLIX). *Multi ergo vocati sunt, pauci vero electi.* Multi vocati ad fidem, pauci electi ad justificationem. Multi vocati ad laborem, pauci electi ad requiem. Multi vocati ad judicium, pauci electi ad regnum.

TIT. XXXIV. *Quomodo in electis suis thronum suum ponat Deus.*

Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum. Aliud est Deum in electis suis ponere thronum suum, aliud electos ponere in throno. Illud est justificare, hoc beatificare. Justificare per fidem, beatificare per speciem. Per fidem enim Christus habitat in cordibus nostris; et quia Christus est Dei virtus et Dei sapientia, anima justi efficitur sedes et thronus sapientiæ. Vocat ergo Deus electam, primo de errore ad fidem; secundo de fide ad speciem, prædestinatione electam. Vocat ad fidem electam ex omni carne et assumptam. Primo vocat ut in ea thronum ponat; secundo, ut eam in thronum constituat, quia prima vocat ut inhabitans et fide cor ejus mundans justificet; secundo, ut justificatam et assumptam glorificet.

TIT. XXXV. *De tribus quæ sunt in matrimonio et de triplici fornicatione, et ejus remedio.*

Cum gustasset architriclinus, etc. (*Joan.* II). Tria sunt in conjugio. Sacramentum religionis, de quo Apostolus : *Sacramentum hoc dico magnum*, etc. (*Ephes.* V.) Officium purgationis; unde : *Maledictus qui non reliquerit semen super terram.* Remedium fornicationis; unde : *Unusquisque habeat suam uxorem propter fornicationem* (*I Cor.* VII). Fornicatio autem triplex est. Lubrica opere, phantastica cogitatione. Unde : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo* (*Matth.* V). Apostatica discessione, quando a vis sanctæ conversationis reditur ad sæculum et vomitum. Unde : *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te* (*Psal.* LXXII). Hanc triplicem Osee breviter comprehendit : *Fornicatio*, inquit, *et vinum et ebrietas auferunt cor* (*Ose.* IV). Fornicationem apostaticam vinum, phantasticam ebrietatem, lubricam vocans fornicationem. Huic triplici fornicationi triplex apponitur remedium. Desponsatio, de qua in Osee Dominus : *Sponsabo te mihi in misericordia; sponsabo te mihi in justitia, sponsabo te mihi in fide* (*Ose.* II). In misericordia reconciliationis, in justitia confœderationis, in fide tori nuptialis. Hanc ab se longe fornican-

tem Dominus ad se vocans, sola misericordia sibi reconciliat, reconciliatam jnstificat, et jnstificatam interno qnodam gustu suæ dulcedinis velut quadam pignoris arrha sibi;facit confœderatam et sui desiderii æstu flagrantem, tandem de exsilio hnjus peregrinationis eripiens, in thalamum ipsam absorbentis gloriæ introducit et amplexo suo glorificat. Triplex igitur est desponsatio: in misericordia, in justitia, in fide; quæ in fide conjongit sponsum et sponsam; qnæ in misericordia, Christum et Ecclesiam; quæ in jnstitia, Denm et animam. Prima est legitima, seconda mystica, tertia spiritualis. Legitima lubricæ fornicationis, mystica phantasticæ, spiritualis apostaticæ remedium est. Nam unicuique snam propter fornicationen habere permittitur, et Ecclesia a Christo suo electa de fornicatione eximitor. Christiana vero amica post diuturnam incontinentiam ad priorem virum soom revertens et illi casto amoro inhærens, cum eo unus spiritus efficitur. In figura triplicis desponsationis apnd Jndæos in nuptiis parabatur triclinium, id est triom lectornm thalamus discubitorius ex tris et κλίνη cline, qnod est lectus, dicitur quibus magister convivii vocatus architriclinus præsidebat. Thalamus aotem est locns complectentium se amore conjugali. In primo lecto sunt sponsus et sponsa; in secundo, Christns et Ecclesia; io tertio, Deus et anima. Primus legitimns, secundns mysticus, tertius spiritnalis, imo primus est illo lectus materialis, secundus uterus virginalis, de qno Propheta inquit: *tonquom sponsns procedens de thalamo sno* (*Psal.* XVIII). Tertius mens sincera devota et fidelis. Unde Apostolns: *Timeo ne sicut serpens seduxit Evam ostntia sno, ita corrumpnntur sensus vestri, et exeidont a simplicitnte, quæ est in Christo Jesu* (*II Cor.* XI).

Tit. XXXVI. *Qnod persecutio fit tribns de causis et quatnor gladiis.*

Beati qni persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth.* V). Alii propter injustitiam, alii propter falsam et simulatam jostitiam, alii propter veram justitiam persecotionem patiuntur. Primi snnt iniqui, secundi hypocritæ, tertii electi. Fit antem persecutio quadruplici gladio: pœnæ, linguæ, hnmanæ perturbationis et diabolicæ snggestionis. De prima dicitur: *Tribnlotio an gladins?* (*Rom.* VIII.) De seconda: *Lingua sorum glodins acntus* (*Psal.* LVI). De tertia: *Tnam ipsius animam pertransibitgladins* (*Luc.* II). De quarta: *A gladio moligno eripe me* (*Psal.* XLIII). His quatoor gladiis opponuotur duo gladii ecclesiasticæ defensionis. Unde Petrus: *Ecce dno glndii hic* (*Luc.* XXII). Et Dominus: *Satis est* (*ibid.*).

Tit. XXXVII. *Ad quæ docenda missi snnt Filius et Spiritns sanctus.*

Venit hora et nunc est, in quo veri ndorntores ndornbunt Patrem in spiritu et veritats (*Joan.* IV). Spiritus est Dens, qui docet eos qni adorant in spiritu et veritate. Nam ad docendum tris quædam missus est Filins et Spiritus sanctns: qnem, ubi et qnomodo. Quem? Deum. Ubi? In Spiritu. Quomodo? In veritate. Sont qui Deum non adorant, sed dæmonia; snnt qui Denm adorant, sed non in spiritu; sunt qui in spiritu Deum adorant, sed non in veritate. Sunt qui Deum adorant et in spiritu et veritate. Primi sunt gentiles vel avari, secundi Jndæi, tertii hypocritæ vel hæretici, qnarti Catholici et electi. In primis est religio profana, io secundis vana, in tertiis falsa, in quartis vera. Haoc oltimam docet Filius veritas, Spiritus sanctus; qoam religionem beatns Jacobus dicit esse *mnndom et immocnlatum* (*Jac.* I): mundam, sine ruga deauratæ inteotionis; immaculatam, sine veneno perversitatis.

Tit. XXXVIII. *Qnid sit Deum diligere « ex toto corde, ex toto nnimo, et ex totn virtnte; » et quæ tria diverso grodn diligi possint.*

Diliges Dominnm Deum tunm ex toto corde tuo, etc. (*Deut.* VI). Qni mondum propter Denm diligit, et totnm cogitatum soum qoi ex mondi sollicitudine gignitur jactat in Dominnm, hic Denm toto corde diligit. Qni se propter Deum diligit, ut cui vivere Christns est, et mori lucrum; qui dicere potest: *Vivo, jnm non ego; vivit nutem in me Christns* (*Gal.* II), Denm tota anima, id est tota vita diligit. Et hoc duobus modis: vel in se Deum, vel se in Deo diligendo. At qui gustata dulcedine snavitatis Dei, ipsum propter ipsum diligit, jamqoe nnus cum Deo spiritus est, tota virtute Deum diligit. Tria qnippe sunt qnæ hoc gradu diligi possunt, quamvis unum solum amore sit dignum: mundns, homo, Deus. Potest enim quis mundum diligere propter mundum, mondnm propter seipsum, mundum propter Denm. Sed quia omnis et solns effectns bonus est cujus causa bona est, bene profecto diligit qni diligit propter Deum; nihil enim prætor Deom bene diligitur. In corde autem, cogitatio; in anima, vita; in mente, intellectos notatur. Ille ergo diligit Deum toto corde, tota aoima, tota mente qui extra Deum nihil cogitat, affectat et sapit.

Tit. XXXIX. *De fide, quos et per qnos salvet,ant non solvet tam nnuc quom olim.*

Fides tna te solvum fecit (*Luc.* VIII). Aliqnando salvum fecit hominem sua fides et non alterius, ut hydropicom Pharisæis Dominum observantibus. Aliquando alterins et non sua, ut paralyticum quibusdam per tegnlas eum submittentibus. Quornm fidem ut andivit ait: *Remittnntnr tibi peccnta* tua (*Luc.* V). Aliqnando et sua et alterius, nt filiam Chananææ, apostolis pro ea rogantibus (*Matth.* XV). Aliqosndo nec sna nec alterius sed sola gratia, nt cæcnm a nativitate, qni nec peccavit, ut cæcus nasceretor, sed ut manifestaretur gratia Dei (*Joan.* IX). Multos hodie sola gratia, ut Paulum; fides alterius, ut pueros; fides sns, ot Cornelium et justos. Qnosdam nec sua fides, quam vivam non habent, nec alterius, salvos facit, nt damnaodos. Nam *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI).

Tit. XL. *De quadrnplici pnce claustrali*

Stetit Jesus in medio discipulorum et dixit eis: Pax vobis (*Luc.* XXIV). Discipuli congregati erant propter

metum Judæorum. Nos congregati sumus in claustro propter metum dæmoniorum, cum eis congredi timuimus in campo sæculi, confugimus ad munitionem claustri, ubi, si volumus ut ingrediator ad nos Jesus, et dicat : *Pax vobis*, sicut dixit discipulis veniens ad eos clausis jam januis, claudamus jannas. Quatuor autem sunt differentiæ pacis multum necessariæ religiosis. Est enim pax extra, pax inter, pax intra, pax supra. Pax extra, ad sæculum; pax inter, pax inter fratres; pax intra, ad seipsum; pax supra, ad Deum. Prima bona, secunda melior, tertia optima, quarta excellentissima. Qui has adipisci desiderat, quatuor sibi claustra constituat et ostia singulorum diligenter claudat. Primum est claustrum materiale, secundum disciplinæ, tertium spiritnale, id est virtutis, quartum contemplationis et dilectionis divinæ. Claustrum materiale si custodiatur et claudatur, acquiritur frequenter pax ad sæculum. Claustrum disciplinæ si circumseratur, pax inter fratres conservatur. Claustro enim disciplinæ compositio omnium motuum corporis comprehenditur. Si itaque ori silentium imponatur a murmure, a detractione, a vaniloquio, a stultiloquio, et falsiloquio; si manus cohibeatur a malo, pes vero ab eo quo non licite eatur, retrahitur; claustrum disciplinæ custodita, pax fraterna per quam inter fratres Deus possidetur. Sed adhuc oportet progredi ad pacem quæ intra nos est. Multi foris cum hominibus et inter se intus cum fratribus pacem habent; sed vitiorum tumultu vastantur intra se. Verum sicut nihil prodest sanitas foris in cute, si interiora humorum peste corrumpuntur, sic non valet pax cum hominibus cui deest pax interna secum et cum angelis. Juxta Apostolum enim *spectaculum facti sumus et angelis et hominibus* (*I Cor.* IV), bonis et malis non hominibus tantum. Boni considerant ut juvent et allevent; mali ut impugnent et illudant. Sed homines casum nostrum et statum extra et intus; angeli extra, intus, et intra nos vident. Ideo est necessaria pax foris et intus ad homines; sed multo magis intra nos, ad nos et ad angelos. Unde Salomon : *Omni custodia serva cor tuum* (*Prov.* IV). Sunt qui hæc materialia claustra tanta diligentia claudunt, ut nulli extraneo ingressus pateat vel egressus, nullum signum contra disciplinam foris erumpat, qui interiora negligentes, intus depasci dæmoniacis morsibus non expavescunt, et quidem pereunt nisi maculam cordis digna laveat satisfactione. Restat pax suprema quæ est ad Deum; restat et claustrum omnium altissimum. In quod cum quis ingressus fuerit, securus in Deo, et Deus delectabitur et requiescet in eo. In quo abscondit suos in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum (*Psal.* XXX), id est in congregatione sui : quæ pax multis abscondita, vix paucis revelata est.

TIT. XLI. *De castelli etymo morali.*

Intravit Jesus in quoddam castellum (*Luc.* X). Castellum est anima, vallum patientia, turris nomen Domini, fossæ profunditas vera humilitas, portæ sensus corporei, arma opera virtutum, vigiles et propugnatores sensus spirituales. Quorum alii vigilant per mutuo circumspectionem, alii pugnant per vitiorum expulsionem, alii pausant per internam cœlestium contemplationem. Cibus est sacra Scriptura, potus facilior intelligentia; principes, quatuor virtutes, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia.

TIT. XLII. *De filio prodigo et de panibus tribus illi ut amico de via venienti commodandis.*

Amice, commoda mihi tres panes (*Luc.* XI). Amicus est qui loquitur amico et pro amico. Amicus noster de via veniens filius prodigus est, qui de regione longinqua rediens tribus panibus reficiendus est. Ait enim patri : *Da mihi portionem quæ me contingit* (*Luc.* XV). Qua accepta peregre profectus est in regionem longinquam, agens iter sine fine, laborem sine requie, motum sine stabilitate, cursum sine perventione. Fuit autem portio triplex : Memoria, ratio, voluntas. Memoria iis quæ solius Dei erant intendebat. Ratio perspicaci oculo eorum profunditatem discutiebat. Voluntas terrena triumphans, cœlestia appetebat. Memoria res veras summatim perstringebat. Ratio quid bonum, quid melius, quid optimum discutiebat. Voluntas quod optimum singulariter eligebat. Hac ergo accepta substantia filius elongavit se a patre fugiens tribus noctibus. Primæ noctis iter est, quo Deum creatorem deseruit; secundæ, quo præter Deum aliud appetit; tertiæ, quo extra Deum in alienis quievit. Primo a Deo recedens vadit ad se. Secundo descendens sub se delectatur in carne. Tertio tractus extra se delectatur in rerum specie. Primo vadit de virtute gloriari, secundo in vitiis delectari, tertio in transitoriis consolari. Sic igitur consummato itinere, in primo anno bona memoriæ dilapidavit tribus modis : per cogitationes affectuosas, onerosas, et otiosas. Affectuosas, per rei familiaris occupationem; onerosas, per rerum extrinsecarum sollicitudinem; otiosas, per rerum quæ ad rem non pertinent evagationem. Secundo autem anno bona rationis dissipavit tribus modis; recipiens malum pro bono, falsum pro vero, noxium pro commodo. Malum pro bono, quia perdidit ethicam; falsum pro vero, quia perdidit logicam; noxium pro commodo, quia perdidit physicam. Tertio anno bona voluntatis dissipavit vivendo luxuriose, per incendium ignis occulti, per evagationem exterioris oculi, per ambitionem labentis sæculi, id est per luxuriam in fetore, per superbiam in furore, per avaritiam in fervore. Postquam omnia consumpserat, facta est fames in terra illa, et cœpit egere. Quarto anno ad se reversus ait : *Surgam et ibo ad patrem* (*ibid.*). Primo recompensat damna rationis per fidem, damna memoriæ per spem, voluntatis per charitatem. Fides rationem illuminavit tribus modis : præceptis, signis, promissis. Spes tribus modis memoriam roboravit : venia, gratia, gloria. Charitas voluntatem tribus modis reparavit : dilectione naturali qua diligit proximum · naturali et rationali qua

seipsum; spirituali qua diligit Deum. Redit ergo per contrarium tribus diebus, ut quibus gradibus adolevit morbida pestis, eisdem limitibus redeat sanitas. Primo ergo reversionis die divertit ad amicum, ut prandeat apud eum. Sed in regione longinqua quem inveniet amicum? Ipse sibi proximus est et amicus, ad se igitur conversus, in se non invenit quod ponat ante se, nisi peccata; dolet et gemit aliumque petit amicum scilicet sacerdotem, et dicit ei: *Amice, commoda mihi tres panes*; impone modum pœnitentiæ. *Ille surgens dat ei quotquot habet necessarios* (*Luc.* XI). Panem scilicet amoris, laboris, doloris. Secundo die ad alium descendit amicum ad exempla Patrum per frequentiam Scripturarum. Qui tres panes ei proponunt: panem veniæ, gratiæ, gloriæ. Manducavit homo ergo et saturatus est nimis. Tertio die venit ad patrem suum, Deum misericordem et pium, qui tres vitulos proposuit ei tenerrimos: vitulum novellum, vitulum raptum de armento, vitulum saginatum. Manducavit ergo et satiatus est nimis. Prima ergo reversio est de alicuis ad propria; secunda, de malis ad bona; tertia, de transitoriis ad æterna.

TIT. XLIII. *Quod quilibet similis B. Petro apostolo secundum etymon trium nominum ejus liberabitur de manu hostili.*

Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis (*Act.* XII). Vox ejus est qui trinominis est, scilicet Petrus. Primum enim dictus est Simon, id est obediens: deinde Bar-Jona, id est filius columbæ, scilicet humilitas; tertio Petrus, id est firmus. Si talis fueris, eripieris *de omni exspectatione plebis Judæorum* (*Act.* XII). Omni, id est triplici. Exspectatio enim hæc in tribus consistit, in vinculo carnis, in concupiscentia oculorum, in superbia vitæ. Carnis vinculum ligat, concupiscentia oculorum coinquinat, superbia vitæ devorat. Carnis vinculum comparatur limo, oculorum concupiscentia luto, vitæ superbia tempestatis profundo. Plus est limus quam lutum. Lutum enim etsi coinquinat, non tamen est tenax; a limo autem evolvi facile nemo potest, quia caro sic ligat spiritum ut vix etiam bonus velit ab ea separari, sed superindui. De profundo habes: *Non me demergat tempestas aquæ, neque urgeat super me puteus os suum* (*Psal.* LXVIII). Sed et claustralis, si trinominis fuerit per obedientiam, humilitatem, et firmitatem, poterit evadere primam et secundam custodiam et portam ferream. Prima custodia est consuetudo carnis; secunda impetus tentationis; tertia species veritatis. Carnis consuetudo ligat, impetus suffocat, species veritatis cruciat. Durum est a comessationibus venire ad legumina, a pulvinaribus ad stramen, vertere amurcam in oleum, paleam in granum, truncum in vitulum. Sic difficile converti ad Dominum. Is vitulus cornua producit et ungulas, qui totus Deo in holocaustum offertur. *Hæc est vere mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXVII): quam nullus nisi per obedientiam transit. Sed cum transieris hanc custodiam, restat impetus tentationis. Quando videt fratrem omnem rigoris ordinem servantem, et dicit: Quid exspectat hic, nisi mortem abbatis? hic vellet abbas esse, et ita invidet et detrahit: hæc est pessima custodia, certe si non fueris filius humilitatis, non transibis hanc custodiam. Audi quid responsum est Antonio, quærenti enim ut sibi ostenderentur omnes tentationes; et cum ostensæ essent dicenti: *Domine, quis unquam poterit hos laqueos transire?* responsum est: *Humilitas.* Si quis hujus tentationis impetum transierit: restat ei porta ferrea, id est species veritatis: quam nemo potest transire nisi fuerit Petrus. Ad custodiendum autem Petrum positi quatuor erant quaterniones (*Act.* XII); unus supra, alius infra: unus ante, alius retro. Inferius est carnis sollicitudo; quæ sub specie veritatis sic fratrem alloquitur. Frater audi quid dicat Apostolus: Sicut virga ita cibus debet dari jumento: non cuilibet id subtrahi unde chorda citharæ rumpatur, in qua debet cum fratribus cantare. Sed cibi claustralium salubres non sunt. Caseus in universum malus est; ova in carnem cito convertibilia, legumina inflativa, aqua frigida. Quære alios cibos. Ecce quomodo sub specie veritatis decipit. Hic te fratri, quod Dominus Petro dixit respondere oportet. *Vade retro, Satana* (*Matth.* XVI). Panis et aqua, vita beata. Tu vis me facere discipulum Galeni, non Augustini; et medicum, non canonicum. Superbia vero quaternio superior sic eum aggreditur. Frater, tu bonus orator es, religiosus, litteratus es, nobilis nobilitate generis facilem ingressum habes ad curiam regis, plus potes prodesse uno verbo quam omnes alii, et ideo debes præesse. Ecce quomodo sub specie veritatis decipit. Dic ergo quod Petro Dominus: *Vade retro, Satana.* Melius est mihi imitari Christum humilia quærentem, quam diabolum ad aquilonem sedem ponere volentem. Accedit posterior quaternio, et per recordationem præteritorum quod parentes reliquerit pauperes, quibus esset providendum, quod locum ubi fuerunt pedes Domini debuerit visitare prius et limina sanctorum; sub hac specie veri decipere molitur. Dic ergo ei quod Petro dictum est: *Vade retro, Satana.* Vis me facere circumcellionem? *Non vidi justum derelictum a Domino*, etc. (*Psal.* XXXVI). Ecce si sic eris trinominis Simon Bar-Jona et Petrus, poteris transire primam et secundam custodiam, et portam ferream, ibique quaterniones contemnere, et gratias agendo dicere: *Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum*, etc. (*Act.* XII).

TIT. XLIV. *De B. Mariæ semper virginis præconiis.*

Qui beatæ virginis habent memoriam, felices sunt. Feliciores tamen angeli, qui ejus habent præsentiam cujus speciem concupivit Omnipotens, et posuit in ea thronum suum. De quo historia: *Fecit Salomon thronum grandem* (*III Reg.* X). Salomon trinominis. Salvator enim noster prius Salomon, id est pacificus est nobis in hoc exsilio, amabilis, pius, corrector morum: ideo rex; Ecclesiastes, id est concionator, erit in judicio, terribilis injustis, et distinctor meri-

torum, ideoque rex; Idida, id est gloriosus in regno, admirabilis et distributor præmiorum; ideoque rex. Hic fecit thronum, id est uterum Virginis, in quo sedet illa majestas quæ nutu concutit orbem. Iste thronus est sicut sol in conspectu Dei. Ex quo vox illa : *Ecce nova facio omnia* (*Apoc.* XXI). Per hoc enim vetera innovantur. *Fecit*, inquam, *thronum grandem de ebore*. Ebur frigidum, forte et candidum est : quid autem grandius ea quæ magnitudinem divinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? *Vestivit eum auro* (*Isai.* XLVII), id est, totam virginem tota divinitatis indivisibiliter pleniori gratia superfudit. Sequitur *fulvo nimis* (*ibid.*), quia cum insit creaturis quatuor modis, bonis et malis per essentiam; bonis per operationem; eis quos futurorum cognitione nobilitat, per illuminationem; matri inest soli per identitatem. Habitat enim in angelis, sed non cum angelis, cum quibus non est ejusdem essentiæ. In virgine autem habitat et cum ea. Unde Angelus : *Dominus tecum* (*Luc.* I). Sequitur : *Per septem gradus ascendebatur ad eum* (*III Reg.* X). Elige meditari quæ sancta sunt; quia perversæ cogitationes a Deo separant, et primum gradum ascendisti. Insuesce linguam tuam bene loqui; et substitisti ad secundum. Juste quod justum est operare; et tertium ascendere meruisti. Relinque mundum et quæ ejus sunt; et ad quartum cacumen evolasti. Persevera; et sextum viriliter tenuisti, ut jam ad illam gloriam aspires in qua regione angelorum gloriosam reverberat dignitatem. Sequitur : *In posterioribus est rotundum*, quia finis ejus, quæ per posteriora illa intelligitur est gloriosa; quæ sicut rotundum non habet initium nec finem. Sequitur : *Duodecim stabat super gradus*, quia duodecim apostoli prænisso modo in gradibus stantes, reginam non sine stupore mirantur, et dicunt ; *Quæ est ista quæ ascendit* etc. (*Cant.* VIII.) Sequitur : *Duæ manus tenebant hinc et inde sedile* (*III Reg.* X), id est activam et contemplativam vitam. Si enim recorderis quomodo filium lactaverit, et omnes sustinuerit vagientis pueri actiones, intelliges eam in activa plurimum ministrasse. Si autem audias quomodo *omnia verba ejus conferebat in corde suo* (*Luc.* II), contemplativam in ea vitam cognosces. Sequitur : *Duo leones stabant juxta brachiola* (*III Reg.* X). Hi sunt Gabriel et Joannes : quorum alter dextræ, alter sinistræ virginis est custos deputatus. Gabriel mentem; Joannes carnem servavit. Et bene leones propter altissimæ vocis rugitum : quorum unus, *Ave, gratia plena* (*Luc.* I). Alter : *In principio erat verbum* (*Joan.* I). clamando, talia orbi nuntiaverunt, ut de eorum operatione quidquid dicitur sit quasi mutum. Nobis itaque virgo, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, subveni clamantibus : *Revertere, revertere, Sunamitis* (*Cant.* IV) ut intuamur te, ter benedictam et super. Revertere primo per naturam. Nunquid quia ita sublimata es, ideo nostræ mortalitatis oblita? nequaquam domina. Nosti in quo discrimine nos reliqueris, ubi jaceant tui, quantum delinquant servi tui. Tantæ ergo misericordiæ non congruit tantam miseriam oblivisci, quia etsi te subtrahit gloria, revocat tamen natura. Non es ita impassibilis, ut sis incompassibilis, et ideo non ita memoraris gloriæ Dei solius, ut misericordiam non habeas. Revertere secundo per potentiam : *Quia fecit in te magna qui potens est*. Quid tibi negabitur, quæ Theophilum de ipsis faucibus diaboli eruisti? Quomodo illa potestas tuæ potentiæ poterit obsistere, quæ de carne tua carnis suæ suscepit originem? Accedis ad illud reconciliationis altare, non solum rogans sed et imperans. Moneat ac moveat ergo te natura, moneat potentia, quia quanto potentior tanto misericordior esse debes. Revertere tertio per amorem. Scio, domina, quod benignissima es et amore nos amas invincibili; quos in te et per te filius tuus et Deus tuus summa dilectione dilexit. Quis scit quoties restringas iram judicis, cujus justitiæ virtus a facie deitatis egreditur? Revertere quarto per singularitatem. In manibus tuis sunt thesauri misericordiæ Dei. Absit ut cesset manus tua; neque enim tua gloria minuitur, sed augetur, cum pœnitentes ad veniam, justificati assumuntur ad gloriam. *Revertere* ergo *Sunamitis*, id est despecta, quæ fabri uxores appellata; cujus *animam pertransiit gladius* (*Luc.* II). Ad quid? ut intueamur te. Summa gloria est te post Deum videre, tibique adhærere, et in tua protectione commorari. Audivit nos quam filius nihil negans honorat.

TIT. XLV. *De prælio per auxilium angelorum contra diabolos a nobis gerendo.*

Factum est prælium magnum in cœlo. Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, etc. (*Apoc.* XII). Cœlum electorum est Ecclesia; in quo ab initio Christianæ fidei usque in finem sæculi fit illud prælium magnum, de quo Apostolus : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI). Ad hoc bellum nos accingit qui ait : *Adversarius vester diabolus circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* V). Hoc autem bellum non solum nostrum, sed etiam angelorum dicitur. Unde : *In tempore illo consurget Michael princeps magnus; qui stat pro filiis populi tui*, etc. (*Dan.* XII). Item : *Immittet in isto prælio Angelus Domini in circuitu timentium eum et eripiet eos* (*Psal.* XXXIII). *Omnes* enim juxta apostolum, *sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* I). Erigamus ergo arma securi, quia fortissimos nostræ patriæ et invictos adjutores habemus. Unde sequitur : *Projectus est de cœlo in terram ille draco magnus, serpens antiquus, diabolus et Satan* (*Apoc.* XII). Draco, propter malitiam; magnus propter immanitatem; serpens, propter occultas insidias; antiquus, propter diuturnitatem. Hic quotidie de cœlo in terram cadit, cum ab electorum cordibus expul-

sus, deorsum fluens (quod sonat diabolus) reprobos in terra sapientes invadit. Quibus sibi subjectis contra eos quos desernit accusationem retorquet. Unde et Satan dicitur, quia id nomen adversarius interpretatur. Utinam et de nobis non dicatur quod sequitur: *Et non est inventus amplius eorum locus in cœlo* (*Apoc.* XII). Multi enim abeunt retro post professionem, in quibus diabolus ponit locum suum et sedem.

TIT. XLVI. *De misericordia et fide purgantibus peccata.*

Per misericordiam et fidem purgantur peccata (*Prov.* XV). Id ait Salomon teneris et delicatis. Si enim lacrymas non habent, horrent labores, nesciunt ferre tribulationes, quomodo a fide se excusabunt et misericordia? Quid misericordia suavius? quid fide jucundius? Hæc oleum melius, illa lumen oculis. Hæc ungit affectus, illa sensus illuminat et dirigit ut eas ad lumen a tenebris, quia misericordia sua impendens roddit debita; fides etiam gratis sine operibus indulgentiam impetrat. De misericordia dicitur: *Date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI). De secundo: *Vade. Fides tua te salvam fecit* (*Luc.* VIII). Unde hæc duo merito junguntur.

TIT. XLVII. *De inevitabili judicio Dei quem sit tremendum, nisi ad misericordiam confugerimus.*

Oculi Domini contemplantur bonos et malos in omni loco (*Prov.* XV). Oculos hominum timuisti, oculos Altissimi non expavisti, de quo propheta: *Ecce tu, Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua* (*Psal.* CXXXVIII). Neque ab oriente, neque ab occidente neque a desertis montium locus est fugiendi, quoniam Deus judex est; et ita non usurpat sibi judicium cum sit Deus; corrumpi non potest, quia justus est; ei resisti non potest, quia fortis est, impetuose non judicat, quia patiens est. Vidit opera tua et excursus flagitiorum tuorum, et comminuit iram suam; cœlum non fulminavit, aqua non submersit, non absorbuit tellus. Et cum omnis terra sit plena gloria Dei, in gloriam ejus tuam miseriam evomuisti, nec reveritus es præsentem Deum et coram tanta munditia tuam immunditiam exercere. Ipse autem inquit: *Ego autem tanquam non videns.* Nunquid alieni ministrorum suorum qui judices sunt iræ ejus in hoc ipsum constituti, revelavit ignominiam tuam? Ecce videt et tacet nec judicat. Videt neque judicat; vidit et videre dissimulat. Vocat, et non audis; promittit, et contemnis; minatur, nec metuis. *Thesaurisas tibi iram in die iræ* (*Rom.* II). Licet autem multum sit patiens, nec irascatur per singulos dies oculus ejus, sed peccantibus parcat, est tamen judex justus et fortis. Nunquid qui ita tacuit semper tacebit? An non legisti quia ad judicium veniet, patientiam abjiciens, humilitatem nesciens, ignorans misericordiam? Attendisti patienter tacentem; attende et impatienter loquentem. *Sicut,* inquit, *parturiens loquar* (*Isa.* XLII). Vidisti dissimulantem, videas et ubique currentem minantem. *Vestigia,* inquit, *pedum meorum dinumerasti* (*Job* XIII). Quis locus erit spei, cum venerit judex, qui stetit sub judice, præcinentibus tubis, clamantibus accusatoribus, ardentibus elementis? Ad cujus fugiemus auxilium, cum ignis, cœlum et terram furialibus miscebit incendiis? Veniet iste cum potestate et majestate, non cum dulcedine et humilitate quia illic *justitia plena est dextera ejus* (*Psal.* XLVII): qui hic misericordiam seminavit et sparsit. Tunc ille misericors oculus non parcet, nec miserebitur; sed percutiet et occidet. Peccatores autem quid? Videntes turbabuntur timore horribili, sed corrigibili: Audientes illud horrendum tonitruum: *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Quis ergo es tu qui contemnis divitias bonitatis et patientiæ Dei? Scias juxta Apostolum quod non evasisti judicium Dei (*Rom.* II). Aspice ergo prius abundantiam peccatorum tuorum, secundo negligentiam, tertio in his Dei patientiam, quarto ad ejus misericordiam oculos attollo. Licet peccaveris, neglexeris, et patientiam ad iram provocaveris, paratus est misereri, cum volueris reverti. Admittere, abolere et tegere peccata tua, et projicere in profundum maris; nec erit mora inter confitentem et remittentem, quia benignus et misericors est. Sunt homines faciles ad iram, difficiles ad misericordiam, ac pedibus suis devolutus non solum loqui, sed vel respicere dedignantes. Non sic Dominus Jesus. Libentius loquitur mecum quam cum eo quem invenio, quoties quæro. Occurrit cum panibus fugienti; ubique pius, ubique dulcis, ubique cum magna multitudine dulcedinis suæ. Non facit supercilium, oculos non obliquat; sed occurrit revertenti; in amplexus ruit, jubet perferri stolam primam, dari in manum annulum, occidere vitulum saginatum in remissionem peccatorum, cum symphonia reduci ad superna gaudia. Vides quam longa patientia, quam velox in Deo misericordis: *Longanimis,* ait sanctus, *et multum misericors* (*Psal.* CII). Absit ergo ut tanta misericordia abutatur ambulando in passione desiderii sui, sicut gentes quæ ignorant Deum! Vos qui corpus Christi aut consecratis aut ministratis, Christi corpori electi servire, ut cum imperatore sedeatis. Qua mente, qua conscientia acceditis, ad sancta sanctorum quorum vita notabilis, fama contemptibilis, sermo habetur reprehensibilis? Verumtamen si aliquis tale aliquid in cubiculo conscientiæ complicavit, displiceat illud, et per confessionem deleat, et per pœnitentiam abluat; et ego eidem, nati nobis pueri (si tamen ei natus fuerit, ipsumque in pelvi cordis habentem aquam igne charitatis calidam susceperit) misericordiam repromitto qua nascetur in eo lux mundi, nec miseris misericordiam negabit, misericorditer natus misericors et miserator Dominus

TIT. XLVIII. *De oculo lucerna corporis moraliter, id est de prælato.*

Lucerna corporis tuis est oculus tuus (*Matth.* VI). Hic est lumen Ecclesiæ prælatus. Si simplex et sine

macula fuerit, totum corpus Ecclesiæ bene regitur. Si nequam, si fornicator, si avarus, totum corpus tenebrosum erit; non ait nequam, sed tenebrosum. Quia non omnes ejus nequitiam imitantur, quamvis tenebris involvantur, quia eorum lucerna exstincta est. Necesse est ergo ut oculus sacerdos vel episcopus sine macula sit, ut de ejus moribus omnia membra illuminentur.

Tit. XLIX. *De exitu Christi a Patre et reditu ad Patrem, et sapientiæ a corde et ad cor.*

Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem (*Joan.* XVI). Primus exitus sapientiæ est a sinu Patris, ad cor hominis secundus, dum induta voce per eos egreditur et venit ad aurem, ubi se exspolians per auditum cordi illabitur, ut iterum mundum relinquens per cordis contemplationem ad Patrem revertatur. In corde radicat, in homine pullulat, in ore loquitur, et iterum in cordis apotheca recipitur. Vox est vestimentum sapientiæ. Unde scriptum est: *Lingua sapientium ornat scientiam* (*Prov.* XV). Quæ non egreditur nisi induta, nec egreditur nisi exuta.

Tit. L. *De quatuor in electione apostolorum notandis.*

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos et posui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Joan.* XV). His verbis quatuor nota: dignitatem, ubi dicit, *elegi vos*; officium, *ut eatis*; cautelam, *et fructum afferatis*; constantiam, *et fructus vester maneat*. Est dignitas in electione. Magnum enim est quod elegit qui non fallitur, dum elegit; majusque electum est opus ad quod elegit; maximum, quod in electos præelegit, est autem sensus: *non vos me elegistis*, id est nullo genere electionis elegistis, *sed ego vos* omni, sunt enim tres modi eligendi. Primus est electio, quando de multitudine malorum et bonorum eliguntur boni, ut de acervo granum, de torculari oleum: quo genere electi sunt filii Israel ex omni natione in populum peculiarem. Secundus subelectio, qua de bonis eliguntur meliores, quomodo elegit filios Levi ad servitium tabernaculi. Tertius modus est præelectio, qua de melioribus optimi eliguntur: quo genere elegit Aaron filios in sacerdotes. Ad hunc itaque modum: Primo vos elegit per aquam et spiritum ab uberibus infidelitatis. Subelegit cum in sortem sanctorum vocavit; et in ordinem clericatus promovens characteristica quadam tonsura capitis a minoribus fidelibus segregavit. Præelegit autem cum posuit vos super capita hominum dispensatores familiæ suæ, ut detis illi cibum in tempore suo. Magnum itaque quod elegit, majus quod subelegit, maximum quod præelegit. Quantum enim quod ad elevationem manuum vestrarum, capita regum inclinantur omnes confitentur vos patres. Reges et regna munera offerunt, intercessores exspectant. Sed væ illis qui cum fuerint *lapides sanctuarii, dispersi sunt in capite platearum* (*Thren.* IV). Væ piscatoribus animarum, si inter malos pisces foris projiciantur. Væ operariis Dominicæ messis, si sicut palea sunt arsuri. Sequitur officium in ambulatione. *Posui*, inquit, *vos ut eatis*. Quatuor sunt hominum positiones. Prima jacentium, quorum pars omnis quiescit. Illi sunt mali in mundo jacentes qui totam spem suam ponunt in incerto divitiarum, aut *quorum Deus venter est* (*Philipp.* III), *nec ponunt Deum adjutorem suum* (*Psal.* LI); qui dicunt: *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos. Quiesce, comede, bibe, epulare* (*Luc.* XII). Qui tales sunt prostrati jacent. Secunda est sedentium, quorum inferiores partes jacent, superiores laborant. Illi sunt boni conjugati, qui bene utuntur licitis, partimque Deo, partim serviunt sæculo. Tertia est stantium. Illi sunt contemplativi quorum omnis pars laborat erigens se, cum naturaliter ad ima referatur, quorum *conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III); cum Deo pacem ponunt, in terra pressuras habent quibus *vivere Christus est et mori lucrum* (*Philipp.* I). Quarta est ambulantium, quibus ex motu augetur labor. Illi sunt prælati, quibus incumbit inter cætera hominum genera discurrere, et nunc his, nunc illis, nunc aliis, increpationem, exhortationem, consolationem tanquam annonam verbi Dei erogare. Ambulans Jesus juxta mare Galilææ ut daret exemplum ait: *Ite in orbem*, etc. Electi ergo estis ut eatis. Ergo vobis periculosum est sedere, peremptorium jacere. Ite ergo excitare jacentes, et dicite: *Surge qui dormis*, etc. (*Ephes.* V), ne fur repente veniat et effodiat domum tuam. Si autem gravi somno pressus ad manum tangentis non evigilaverit, *clama, ne cesses* (*Isa.* LVIII), quia et Dominus magna voce suscitavit mortuum quatriduanum, adhibe minas quarum punctionibus lethargicus excitetur. Dura punctio si dicatur: *Ignis non exstinguetur, vermis non morietur; ibi erit fletus et stridor dentium* (*Marc.* IX). Ab his transite ad sedentes; exhortantes eos ut proficiscantur: et dicite: *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus dum recordaremur tui Jerusalem* (*Psal.* CXXXVI). Porrige manum pauperi, ne oblivioni detur dextera tua; si stare non valuerit, nutanti appone manum et dic: *Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris* (*ibid.*). Ab his transeundum ad stantes, quibus necessaria consolatio. State, dicatis eis, in viis vestris, *viriliter agite et confortetur cor vestrum, et sustinete Dominum* (*Psal.* XXVI), qui sedebitis *super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX), ambulate nunc in via mandatorum Dei: hic est labor officii vestri.

Sequitur de cautela in fructificatione: *Et fructum*, inquit, *afferatis*. Tres sunt fructus: trigesimus, sexagesimus, centesimus; subditorum, prælatorum, virginum. Non sufficit prælato bonum esse nisi, quantum in ipso est, etiam alios bonos faciat. Non sine causa dictum reor: *Et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII). Subditis sufficit lucerna una in manu, quia pro se tantum rationem sunt reddituri. Prælatis non sufficit nisi utraque manu lucernam ferant. Inde cum dominus papa ordinat sacerdotem facit cum qui ordinatur in utraque manu ardentem

tenere cereum, ordinato præsignans quod de cura sui sororumque summo Pastori rationem præstabit.

Sequitur constantia in continuatione: *Et fructus*, inquit, *vester maneat*, id est perseveret. Finis enim, id est victoria, non pugna coronat. Unde præceptum est caudam cum capite offerre. Ad hoc etiam data est sacerdotibus tonica altaris. Ecce quot gradnum culmen ascendistis, tot rationum vinculis alligati estis. Quis enim tot vinculis alligatur quot sacerdos, cum induitur ministraturus? Primo amictu fauces ligat: inde manicis conductis sub axellis pectus stringit. Tertio renes sub cinctorio arctat; ac si dicatur ei: Stringo fauces, id est pono custodiam ori tuo; stringe pectus, id est cogitationes malæ non ascendant in corde tuo; stringe renes, id est crucifige carnem tuam cum vitiis et concupiscentiis. Orate autem illum sine quo nihil potestis, ut sicut vos elegit, ita jovet, *ut fructum offeratis*, *et fructus vester maneat. Amen.*

Tit. LI. *De duplici nativitate*, etc.

Omne quod natum est ex Deo vincit mundum (*I Joan.* v). Duæ sunt nativitates: una ex Deo, altera ex mundo. In quo quatuor nota, concupiscentiam carnalem, affluentiam temporalem, rationem naturalem, et gratiam spiritualem. Concupiscentia carnis concordat cum mundo, sequitur eum et pacem habet cum eo, quoniam duo prima facile simul currunt. Ratio naturalis dissentit, resistit mundo et cum eo pugnat; sed vincitur, et ita fit homo natus, in mundo existendo; cum autem ex Deo donatur gratia spiritualis, ratio quæ prius sola duobus non poterat resistere, juvatur, et vincitur mundus et concupiscentia refrenatur. Gratia autem Dei est, juxta Apostolum, per fidem Jesu Christi super omnes qui credunt in eum, potestate filios Dei fieri, qui nati sunt ex Deo vincunt mundum (*I Joan.* II), natura repugnat, fides vincit, pax regnat. Nunc videndum est qui vincant, duæ sunt hominum species, quæ mundum triumphant. Tertia vincitur a mundo. Hinc sunt Maria, Martha, Lazarus in una domo. *Maria optimam partem elegit* (*Luc.* x), quia nemo tutius, facilius, celerius, mundum vincit quam qui ipsum totum deserit, despicit. Qui autem mundana tractat, pietatisque actione ministrat, et erga plurima turbatur, sicut Martha, laboriose, periculose, diuque pugnat; sed gloriose triumphat. Hostem ergo Maria declinat sapienter, Martha aggreditur fortiter. Vincit fuga Maria, Martha pugna. Lazarus vero, qui nec declinat nec pugnat moratus terrenæ affluentiæ aggere, in concupiscentia carnis sepelitur, absente virtute, id est Christo. Nam, ut inquit Martha ad Jesum: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* (*Joan.* XI). Nunc quinam vincat et quibus videndum est. *Mundum*, inquit, *vincit* (*I Joan.* II). Mundi nomine tria comprehendit, prudentiam carnis, quæ est inimica Deo; sapientiam sæculi, quæ est stultitia apud Deum; præsumptionem spiritus, quæ est apostatæ a Deo. Hæc vincuntur castitate, humilitate, charitate. Prudentia carnis animam exhortatur, dicens: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, quiesce, comede, bibe, epulare* (*Luc.* XII). Hanc exsuperat temperantia, quæ castigat corpus et sub anima in servitutem redigit et facit membra corporis arma justitiæ Deo. Sapientia hujus sæculi quærit quæ sua sunt, quod sibi utile est tantummodo curat. Hanc conculcat charitas, quæ non quærit sua sed quæ Jesu Christi (*I Cor.* XIII); non quid sibi, sed quid aliis utile pensat. Præsumptio spiritus, dum aliis quærit præesse, Deo dedignatur subesse. Super hanc elevatur humilitas, quæ ut Deo melius possit subjici, nulli vult præfici. *Omne* ergo *quod natum est ex Deo vincit mundum* (*I Joan.* v), id est carnis prudentiam, sæculi sapientiam, et spiritus præsumptionem: castitate, charitate, humilitate.

Tit. LII. *De tribus cœlis, terris et testimoniis in eis, iterum aliter.*

Tres sunt qui testimonium dant in cœlo (*I Joan.* v). Tres sunt cœli, tres terræ, tria testimonia. Primum cœlum Deus. In hoc pleaæ et summæ perfectionis testimonium dat potentia, sapientia, benignitas, *Pater, filius et Spiritus sanctus, et hi tres* proprie et principaliter *unum sunt* (*ibid.*), ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia. Secundum cœlum Angeli. Unde *Rorate cœli desuper* (*Isa.* XLV), in quo testimonium dant felicitatis, virtus, veritas, charitas, *et hi tres unum*, quoniam ex uno unum sunt, de potentia Dei virtus, de sapientia veritas, de benignitate charitas. Cœlum tertium spirituales viri qui enarrant gloriam Dei; in quibus dant testimonium justificationis, fides, spes, charitas. Et hi tres ideo unum, quia ex uno. Fides de sapientia illuminat ad veritatem; ignis de Spiritu sancto inflammat ad charitatem: et per hæc duo spem habemus perveniendi ad Patrem.

Prima terra est populus pœnitens, terra sancta, in hac testimonium remissionis dant spiritus, aqua, et sanguis, id est compunctio, confessio, remissio. Spiritus sanctus scrutans corda et renes, dum de peccato, justitia et judicio peccatorum arguit, nimirum pœnitentia pungit. Ideo spiritus illam significat quam dat. Aqua significat confessionem, quia in confessione peccata lavantur; quam sæpe manifestant rivi oculorum. Bona est confessio oris, melior oculorum, optima operum. Spiritum ergo compunctionis, aquam intellige confessionis. Sequitur sanguis remissionis, sine sanguine enim non fit remissio. *Et hi tres unum*, quia ab uno a quo *omne datum optimum* (*Jac.* I). Terra autem media in opere Adæ maledicta: quæ scinditur vomere comminationis, perfunditur rore promissionis, spinas et tribulos germinans: tres habet testes perditionis: concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ. Terra ultima damnationis æternæ habet testes ignem inexstinguibilem, vermem immortalem, vel damnatorum carnem incorruptibilem; et ex his desperationem. Quia si substantialis ignis vel vermis

esset terminabilis, posset quoque pœna esse temporalis.

TIT. LIII. *De tribus donis Dei in homine.*

Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (*Jac.* I). Tria sunt dona Dei in homine: Primum naturæ, quo subsistit; secundum gratiæ, quo eum meretur; tertium gloriæ, quo cum eo glorificatur. Omnia tamen sunt gratiæ. Per prima dona naturæ homines sumus; per dona gratiæ justi; per dona gloriæ erimus beati. Per prima, liberi a peccato creati; per secunda, de peccato liberati; per tertia, contra peccatum confirmati. Dona naturæ, memoria, ratio, voluntas; quibus præstamus brutis animalibus. Dona gratiæ, fides, spes, charitas: quibus dæmones superamus. Dona gloriæ æterna et vera felicitas, felix et æterna veritas, vera et felix æternitas: quibus angelis æquamur. In donis naturæ et gratiæ quædam sunt minima, quædam media, quædam magna. Prima sunt corporis pulchritudo, sanitas, et cætera, cum illis quæ ad corpus sustentandum pertinent: quæ si non abundant non obest, sed sæpe prodest. Secunda sunt animæ, sicut ratio, mens, voluntas: quæ si vigent prosunt quidem sæpe ad salutem, sed nunquam nisi eis bene utamur. Tertia dona sunt bonus usus istarum dotium, quæ virtutes dicuntur. Sine primis bene interdum utimur; cæteris sine secundis raro; nunquam sine tertiis. Omne bonum est a Deo. Bonis bene utitur virtus, abutitur vitium. Hæc bona vel dona aliquando a Deo descendunt ad hominem, et tunc munera sunt; aliquando ab homine ascendunt ad Deum; et tunc merita. Aliquando homo ascendit ad dona, et tunc præmia sunt et fructus laboris. Itaque Dei dona sunt, prima, secunda, tertia: munera, merita, præmia. Munera et merita ascendunt ad præmia, et nos ascendimus ad ea. Omnia tamen a Deo descendunt, quia omnia ejus dona sunt. De munere ascendimus ad meritum, de merito ad præmium. Munus est simplex donum; meritum donum super donum, descendens a Patre luminum. Ex ipso enim donum, ex dono meritum, ex merito præmium: et Deus ipse per primum venit ad te. In secundo laborat tecum; in tertio requiescis in ipso. Itaque Deus est donum tuum; totumque bonum tuum est donum ejus, descendens a Patre luminum. Tu divisiones occipis, ipse non dividitur, participas ipsum in te, quia semper integer et idem manet in se: *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* (*ibid.*). Unde in te variatur, qui in se non mutatur.

TIT. LIV. *De triplici forma mundi: et de triplici vetustate et ejus remediis.*

Nolite conformari huic sæculo; sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacita et perfecta (*Rom.* XII). Mundus triformis est: Prima forma nobis congratulatur flore prosperitatis per delectationem; secunda quasi nos deosculatur honore dignitatis per prælationem; tertia qua nos amplexatur amore potestatis per dominationem. Per primam nos fatigat, per secundam vincit, per tertiam victos ligat. Sunt autem oscula mundi similia osculis Judæ. Judas Christum osculo tradidit in manus Judæorum; mundus, sequaces sui in potestate dæmoniorum. Judas dixit Judæis: *Quemcunque osculatus fuero, ipse est; tenete eum* (*Matth.* XXVI). Mundus dicit diabolo et angelis ejus: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, damnate eum. Salubri ergo consilio monet nos Apostolus: *Nolite conformari huic sæculo* (*Rom.* XII), sed cur? quia triformis est, et tribus modis illi conformamur: per delectationem prosperitatis in laxariam, per ambitionem dignitatis in superbiam, per abusionem potestatis in violentiam. Prosperitas emollit, dignitas extollit, potentia in ruinam compellit. Hæc sunt vitia quæ prius evellit, dicens: *Nolite conformari huic sæculo.* Quasi dicat: Declinate a malo. Secundo virtutes inserit, subjungens: *Sed reformamini in novitate* (*ibid.*). Quasi dicat: Et facite bonum: Cum dicit *in novitate*, vetustatem notat præcessisse, quæ triplex est: Prima est in corde, carnis desideria per cogitationem: secunda est in ore, arrogantia per locutionem; tertia in opere, flagitia per exhibitionem. Si non esset vetustas in corde, non dixisset: *Renovamini in spiritu mentis vestræ* (*Ephes.* IV). Si non esset arrogantia in ore, non diceret: *Ut omne os obstruatur et subditus fiat omnis mundus Deo* (*Rom.* III). Si non esset in opere, non diceret: *Exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem*, etc. (*Rom.* VI). Ecce triformis vetustas in imagine veteris hominis, quam *sicut portavimus, portemus imaginem cœlestis* (*I Cor.* II), quæ triformis est: amor æquitatis in corde, contra carnis desideria, confessio humilitatis in ore contra arrogantiam, innocentia simplicitatis in opere contra flagitia.

TIT. LV. *De triplici proprietate lapidis et amoris, et de bono et malo pastore.*

Dixit Dominus Petro: Petre, amas me? (*Joan.* XXI.) Tres sunt proprietates lapidis: Sunt enim solidi, asperi, ædificia apti. Solidi eos designant qui non cedant vitiis; asperi, eos qui aspere vivunt; ædificio apti, eos qui virtutibus proficiunt. Ille ergo Petrus est qui vitiis non cedit, aspere vivit, virtutibus proficit. Tria quoque considerantur in amore, ut proximum non negligat, seipsum diligat, Deum in partem (quia bonus est) eligat; proximum diligat, plusquam proximum se, Deum plusquam se. Cui hæ proprietates lapidis et amoris sunt, se esse Petrum vere fatetur. Tertio dicit Dominus: *Pasce oves meas* (*ibid.*). Forma pasce, doctrina pasce, oratione sancta pasce. Petrus factus pastor boni pastoris prosequitur formam tribus modis; pascit servos correctione in virga pœnitentiæ, pascit mercenarios consolans mercede justitiæ, pascit filios erudiens gratia obedientiæ. Pastores autem malis aliis designantur proprietatibus. Sunt enim lapides duri, sicci, geliði. Duri crudelitate, carentes spiritu mansuetudinis; sicci ariditate, non habentes humorem

gratiæ; gelidi, igne Spiritus sancti non calentes. Hi, dicente ter Domino: *Amas me*, non vere respondere possunt; Amo te aut me. Proximum enim talis odit ex malitia, seipsum ob pigritiam negligit, ex avaritia Deum non colit: In proximum nocens ex despectu; in se peatiiens ex defectu; in Deum præsumens ex contemptu. Hi audientes: *Pasce oves meas*, pascunt eas perverse tribus modis: Operis forma, docentes male vivere per transgressionem facti; verbi doctrina, docentes caute fallere per abusionem facti; orationis opere, docentes causas agere per contemplationem nummi. Prælati ergo mali sic pascunt oves Christi pro se, imo sic depascunt, vellus abstrahunt, lac bibunt, carnes corrodunt. Considerans autem quod pastor a pascendo dicitur, ne sit pastor vel nomine tantum, ex toto negligit gregem, et omni studio pascit ventrem, idque modis tribus. Suavi ciborum sapore condito, ut bene sapiat gustui; delectabili odore aromatico, ut bene redoleat odoratui; desiderabili nitore mirifico, ut placeat aspectui. Ecce Nabuzardam coquus Pharaonis, qui muros dejecit Jerusalem. Gulositas enim corpus animam et mentem, quasi civitatem quamdam destruit.

Tit. LVI. *De optima parte eligenda.*

Maria optimam partem elegit (*Luc.* x). Optimum dicitur excessu duorum. Bona est castitas conjugalis; melior, continentia vidualis; optima, pudicitia virginalis.

Tit. LVII. *Quomodo succingi deceat ad viam, accingi ad prælium, et præcingi ad mensam, et de zona qua cingamur.*

Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* xii). Succingimur ituri, accingimur præliaturi, præcingimur ministraturi. Hæc tria tribus debentur in ecclesiasticis disciplinis, viæ, pugnæ, mensæ. Viæ cursum, pugnæ conflictum, mensæ ministerium. Via est operum, pugna est hostium, mensa sacramentorum. Succingi ergo debemus ad viam cingulo patientiæ, accingi ad pugnam gladio pœnitentiæ, præcingi ad mensam linteo continentiæ. Spectat quod dicitur Petro: *Alius te cinget* (*Joan.* xxi) ad cingulum patientiæ. Ad pœnitentiæ pugnam: *Qui non habet gladium, vendat tunicam et emat gladium* (*Luc.* xxii), id est relinquat conversationem mundi, et assumat pœnitentiæ fructum. Ad linteum continentiæ feminalia linea Aaron et filiorum ejus. Hæc tria scilicet, cursum in via, bellum et ministerium, Paulus et in se exhibuit et alios docuit. Cucurrit enim, dicens: *Curro non quasi in incertum* (*I Cor.* ix); et: *cursum consummavi* (*II Tim.* iv). Correre docuit, dicens: *Sic currite ut comprehendatis* (*I Cor.* ix). Pugnavit, dicens: *Sic pugno non quasi aerem verberans* (*ibid.*); et item: *Bonum certamen certavi*, etc. (*II Tim.* iv). Pugnare docuit, dicens: *Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet* (*I Cor.* ix). Ministravit, dicens: *Ministri Christi sunt et ego* (*II Cor.* xi). Ministrare docuit, dicens: *Ut non vituperetur ministerium nostrum* (*II Cor.* ix). Succincti igitur ad viam a quatuor ejus impedimentis caveamus. Est enim via aspera, ruinosa, clivosa, lutosa. Aspera, lapidibus laborum; ruinosa, vallibus defectuum; clivosa, collibus successuum; lutosa, paludibus voluptatum. Lapidibus offendimur, ruinis cadimus, paludibus demergimur. Accede ad pugnam et *accingere gladio tuo super femur tuum* (*Psal.* xliv): *Militia est enim vita hominis super terram* (*Job* vii). Pugna hæc hostium est superabilium, licet immortalium. Hi triplicem contra aciem instruunt. Prima est suggestionum, secunda occasionum, tertia occupationum. Suggestionum impugnat, occasionibus expugnat, occupationibus ligat. Suggestiones turbant affectus, et advocant in auxilium delectationes et consensum: quibus vincit et non vincitur nisi occurratur, acies prima. Occasiones sensus impediunt et considerantur ex loco, tempore, et persona. Locus solitarius præbet audaciam; tempus nocturnum, confidentiam; persona luxuriosa et impudica ansam. Hæc sunt fugienda, ut non vincat acies secunda. Occupationes actus confundunt, et consistunt circa duos actus, scilicet publicos, ut sunt administrationes extrinsecæ prælatorum, abbatum et consimilium: et actus privatos, ut scribere, pingere et hujusmodi. Hæc si quis inoffenso pede pertransit, de tertia turma triumphat. Prima acie videlicet suggestionum, victa est turma (*Gen.* xxxii); secunda, id est, occasionum, capta est Dina (*Gen.* xxxiv); tertia, quæ est occupationum, corrupta est Thamar soror Absalonis ab Amnon (*II Reg.* xiii). Per viam et pugnam vocaris ad mensam (quæ est sacramentorum) cui quoniam ministraturus accedis, *sint lumbi* tui *præcincti* linteo continentiæ; nam per linum munditia carnis, per lumbos luxuria designatur. Ad hanc lumborum restrictionem tria hæc verba vim suam legimus accommodare, ut jubeamur succingi, accingi et præcingi. *Succincti lumbos vestros in veritate* (*Ephes.* vi): ait Apostolus: Et Dominus ad Job: *Accinge sicut vir lumbos tuos* (*Job* xl). Et in Evangelio: *Sint lumbi vestri præcincti*. Hoc linteum continentiæ signifi cat lumbare illud lineum prophetæ quod primo posuit super carnem suam; inde tulit et posuit in flumen Euphrate, cumque reverteretur ut tolleret, computruerat ut nulli usui aptum esset (*Jer.* xiii). Lumbare super carnem est continentia refreoans eam: ponitur in flumen, quando relaxatur in fluxa sæculi voluptate. In ea computrescit, quando inter carnales delicias continentia dissolvitur et perit. Nullique usui est jam lumbare aptum, quia neque Deo neque hominibus acceptum. Hoc lumbare significat zona pellicea Joannis et Eliæ. Nam uterque zonam pelliceam super lumbos legitur habuisse. Duo sunt lumbi, voluptas permissa et illicita. Permissa in conjugatis; illicita in solutis et devotis. Præcingendus est lumbus conjugatorum, ne ad alienam accedant; solutorum, ne aliquam tangant nisi ducant, devotorum ne tangant vel ducant. Hi præcingi maxime debent, ut qui ser-

viunt Domini mensæ. *Mundomini* inquit *qui furtis vasa Domini* (*Isa.* LII). Hnic mensæ qui ministraot præcingant se xona Joannis et Eliæ, id est continentia, quam quidem habuerunt et babent, ut virginea perpetuo continentes. Quidam prius non babueruot, sed nonc habent, ut pœnitentes; quidom nec habucrunt nec habent, ut in luxuria permanentes. Qui tenet teneat, quia beatus qui tenebit; qui non habuit, emat; qui perdidit, redimat. Præsto est venditor qui corium suum exposuit ad vendendum, et de proprio non de alieno largas in cruce fecit corrigias. Et pretium hujus xonæ modicum erit: duo tantom denarii, oratio et jejunium. *Hac genus dæmaniorum*, inquit idem venditor, non *ejicitur nisi in oratiane et jejunia* (*Marc.* IX). Illi outem denarii probi non falsi sint, quia qui reprubam pecuniam solvit, non se liberat. Nummorum autem probitas in tribus coosistit. Materia, pondere, figura. Materio est charitas, qoæ auro comparatur; pondos spes, quæ a terrenis sublevat; figura fidea, quæ signum crucis frontibus nostris imprimit. Hanc monetam dicit Apostolus volere, dicens: *Omnia opera vestra in charitate fiant* (*Rom.* XVI). Et quod extra honc materiam fabricata sit falsa ostendit, dicens: *Si distribuero in cibos pouperum omnes facultates meas; et si trodidera corpus meum ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi pradest* (*I Car.* XIII). Sioe figura fidei non est vera. *Impossibile est*, ait idem Apostolus, *sine fide placere Deo* (*Hebr.* XI). Si ergo unum defuerit a jejunio et oratione tua, crimen falsæ monetæ iucurris, quod est vivorum exustio. Si enim falsam monetam Deo obtuleris, perpetuis ignibus coocremaberis. Vide ergo ut oratio tua dirigatur in conspectu Domini, et jejunium tuum sit acceptum. Alia est oratio Tullii, alia Pharisæi, alia publicani, Tullii demulcet, Pharisæi exacerbat. *Non sum* (inquit) *sicut cæteri haminum*, etc. (*Luc.* XVIII). Justi impetrat; quæ si sit assidua multom valet. Sit jejunium tuum quod eligat Deus, non sicut faciunt *hypacritæ tristes ut upporeant jejunantes; sed unge caput*, id est, mentem oleo lætitiæ, *lava faciem* lacrymis pœnitentiæ (*Matth.* VI). Sed est zona pellicea quam juberis redimere, sic formanda. Primo separanda a carne per votum, ut incidatur gladio quem venit Domious mittere io terram: Quo separantur quique o domo, filius a patre, filia a matre, nurus a socru (*Matth.* X). Secundo aspergenda sale per metum, ne corrumpatur, quia sal vermes fugat, et timor Domini expellit peccatum. Tertio exsiccanda sole per desiderium, ne dissolvatur, qoia sol exsiccat, et desiderium inflammat. Quarto ungenda oleo per gaudium, ne frigescat, quia gaudium conscientiæ lætum et bilarem facit. *Gloria*, inquit, Apostolus *nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ* (*II Car.* I). Quinto radeoda ferro per zelum ne sordeat, quia zelus etiam in allia libidinis perimit sordes. Sexto coloranda est minio, per bonum testimonium, quia testimonium bonæ famæ coloratum et acceptabilem hominibos facit. Hac ergo zona de corrigia carnis crucifixi, duobus jam dictis denariis sic empta, si præcinxeris lombos tuos, secure ministrabis in meosa Domini.

Tit. LVIII. *Du surditate, morte et paupertatu triplici.*

Surdi audiunt, mortui surgunt, pauperes evangelizantur (*Matth.* XI). Surditas tribus modis provenit. Mors tribus modis invalescit. Poupertas in tribus consistit. Surditas provenit ab ineunte nativitate, ab accidenti infirmitate, a deficiente ætate: bæc autem surditas est naturalis. Est alia spiritualis, quæ in eo comprobatur quod tribus modis locutus est Deus, nec eum audivimus. Locutus est lege naturæ, figura Scripturæ, verbo rei venturæ. Lex naturæ locuta est in corde, scripta in opere: verbum rei in homine. Ab hac triplici surditate Dominus nos triplici excitat vocatione, ter vociferans: Venite, venite, venite. Prima vocatio: *Venite, filii audite me* (*Psal.* XXXIII). Secunda: *Venite ad me, omnes qui labaratis et onerati estis, et ego reficiam vas* (*Matth.* XI). Tertia: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XXV). Prima vocatio surditatis nostræ solvit torporem; secunda auribus audiendi reparat vigorem; tertia, audita conservat per tenorem. Mors tribus invalescit: necessitate, infirmitate, efferitate. Naturaliter scilicet per senium, accidentaliter per febrem, crudeliter per venenum et ferrum. Similiter mors spiritualis tribus modis invaluit per affirmationem, per dubitationem, per negationem. Dominus affirmavit, dicens: *Quacunque hora comederis morte marieris* (*Gen.* III). Mulier dubitavit, dicens: *Ne forte mariamur* (*ibid.*). Diabolus negavit, dicens: *Nequaquam mariemini* (*ibid.*). Est igitur mors triplex: pravi consensus, pravi operis, pravæ consuetudinis. Primæ mortis causa est quod Adam *abiit in consilia impiarum* (*Psal.* I). Secundo quod *stetit in via peccaturum* (*ibid.*). Tertia quod *sedit in cathedra pestilentiæ* (*ibid.*), corrumpens alios per exemplum. Dominus ab hac triplici morte tribus modis nos suscitavit, compunctione, confessione, afflictione, ut sit compunctio per amaritudinem spiritus contribulati; confessio in veritate sermonis prolati; afflictio in asperitate corporis macerati. Paupertas in tribus consistit, quia alia est simulatoria, alia necessario, alia voluntaria. Simulatoria in hypocritis; necessaria, in egenis; voluntaria, in electis. Prima infert damnationem, secunda expiationem, tertia remunerationem. Sustinentes paupertatem occessariam consolatur Dominus per prophetam: *Noli*, inquit, *timere; non confunderis, paupercula, tempestate concussa* (*Isa.* LIV). Unde patet quod evadit damnationem, non tamen meretur corooam. Unde subdit: *Excoxi te, sed quasi non argentum* (*ibid.*). Voluntaria vero primam habet coronam. Hæc est in spiritu. Simulatoria est ex voluntate, sed non ex veritate: ideo nec in spiritu. Voluntas autem sine spiritu est sicut corpus sine anima, quod cadit, putrescit, solvitur in pulverem. Dum autem homo humiliatur in spiritu suo, et de se in nullo præsumat, incipit deficere

ejus spiritu et Deo adhæret et tunc unus spiritus cum eo efficitur; spiritus siquidem voluntatem ejus aspirat et implet, et voluntas sic effecta spiritualis solet dici spiritus : et hæc est paupertas spiritu, id est, voluntate spirituali. Similiter est possessio triplex : alia perniciosa in avaris, alia otiosa in conversis tepide, alia onerosa in devotis. De perniciosa dicit Apostolus : *Omnes qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes diaboli* (*I Tim.* VI). Otiosa in illis qui nil habentes exterius, multa sibi interius proponunt possessiones, tanquam somniantes. De onerosa : *Non potestis Deo servire et mammonæ* etc. (*Matth.* VI).

De tribus tristitiis fugiendis aut in gaudium convertendis.

Tristitia vestra vertetur in gaudium (*Joan.* XVI). Tristitia quæ vertitur in gaudium triplex est. Nam præterita peccata damnat, præsentia dijudicat, occurrentia vitat; damnat per pœnitentiam, dijudicat per discretionem, vitat per providentiam. Ex pœnitentia de præteritis assequitur veniam, ex discretione de præsentibus tutelam, ex providentia de futuris cautelam. Præterita delentur per veniam, quasi non fuerint; præsentia vincuntur per displicentiam, ut nil nocere possint; futura excluduntur per cautelam, ut nunquam sint.

TIT. LIX. *Cur ter dictum : « Pasce oves meas. »*

Pasce oves meas (*Joan.* XXI). Ter dictum est, quasi dicat : Pasce servos, pasce mercenarios, pasce filios. Servos corriges virga directionis; mercenarios, consolans mercede justitiæ; filios, erudiens gratia obedientiæ : adjungens modum in correctione, abundantiam in consolatione, suavitatem in persuasione.

TIT. LX. *De refectione spirituali, et de arbore paradisi et fermento veteri.*

Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi (*I Cor.* V). Ad epulas divinas et ad refectionem animæ nos invitat Apostolus : ad quas invitata sponsa Dei, umbram quam desideraverat se accepisse gaudens, dicebat : *Sub umbra illius quem desideraveram sedi; et fructus ejus dulcis gutturi meo* (*Cant.* II). Est enim in medio paradisi arbor vitæ, dans umbram, folium, fructum. Paradisus iste conventus est religiosorum, congregatio monachorum. Sumus et nos, si tamen congregati sumus corde, et non solo corpore, ad glorificandum Deum. Si enim dissensio est in mentibus, nihil prodest corporibus congregari; nam potius dissensio dicendi animus quam congregatio. Quod si datum fuerit desuper ab eo qui facit unius moris habitare in domo, illud donum perquam jucundum, quod est habitare scilicet fratres in unum, in dilectione, charitate et unitate, tunc vere paradisus, id est hortus voluptatis Dei sumus, in quo Deus congaudet et delectatur, tuncque habitat in nobis. In medio talis paradisi est arbor vitæ, id est Christus dans vitam. Quod ipse promisit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Quia *ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Arbor ista, id est Christus, dat umbram, folium, fructum : Umbram protectionis, folium præceptionis, fructum æternæ retributionis. Dat umbram, non in circuitu protegendo; a dorso, peccata præterita condonando; a facie, ab imminentibus malis custodiendo; a dextris, protegendo ne nos prospera extollant; a sinistris, ne adversa conturbent. Post umbram sequitur folium præceptionis, quo retrahit a malo et trahit ad bonum. Quod est : *Fac bonum et declina a malo* (*Psal.* CII). Post umbram et folium est fructus retributionis, in qua *satiabitur in bonis desiderium tuum* (*Prov.* XIII). Sedet igitur sponsa sub Dei umbra divinæ protectionis, folium ipsius præceptionis per obedientiam recipiendo, et per spem fructum æternæ retributionis exspectando. Sedet autem super fenum cum quinque millibus in deserto a Domino saturandis, id est super quinque sensus corporis, carnem, quæ feno significatur, domando, aut sedet super scabellum, quo mundus notatur, ipsum et ejus desideria comprimendo; aut cum Rachele super idola Laban, diaboli fallacias reprimendo. Isti sunt tres homines pessimi, vetus fermentum illud miseræ animæ conficientes. A quo nos Apostolus præcipit expurgari, dicens : *Expurgate vetus fermentum*. Hoc vetus fermentum consistit in tribus : in voluptate, vana gloria, superbia. Diabolus superbiam dat, mundus apponit vanam gloriam, caro miscet voluptatem : et simul faciunt vetus fermentum, id est veterem hominem. Prima pars hujus fermenti est mala, secunda pejor, tertia pessima. Beatus, qui abjicit superbiam diaboli; perfectior, qui vanam gloriam mundi; perfectissimus, qui carnis domuerit voluptatem. Samson leonem vicit, et Philisthæos debellavit; sed enim uxoris frangit mollities. Leo est diabolus, qui circuit tanquam leo rugiens, quærens quem devoret. Philisthæi sunt mundus et sæcularis vita. Uxor est caro. Samson leonem occidit, dum quilibet spiritualia diabolo abrenuntiat. Philisthæos vincit qui mundanam vitam respuit; sed ab uxore decipitur dum a carne superatur. Dormit in gremio uxoris, qui carnis curam facit in desideriis. Tunc insurgunt Allophyli, veniuntque spiritus maligni, capillos incidunt, id est virtutes tollunt, oculos eruunt, id est lumen Christi auferunt, et ad molam, id est in circuitu rerum labentium ponunt, ut sit inter illos de quibus dicitur : *In circuitu impii ambulant* (*Psal.* XI. Ecce quod deducit prima pars fermenti voluptas carnis. Videamus quo et aliæ duæ infectiones, vana gloria et superbia pertrahunt. Istæ enim duæ sunt duæ filiæ Lot, quæ ipsum, postquam Sodomam exivit, uxorem reliquit et Segor, pusillam civitatem in qua salvari poterat, ad cacumina montis sequuntur, et ipsum inebriant; qui ebrius filios generat, qui non intrant in Ecclesiam Dei. Lot iste monachum notat, qui Sodomæ flammas, et uxoris, id est carnis, quæ retrospexit, ac etiam licitam sæcularium vitam, in qua peti isset

salvari, deserit, et ad eaeumen perfectionis monasticæ professionis ascendit. Sed in perfectionis statu duæ filiæ de patre quasi de se generant filios, id est talia opera quæ non intrant in Ecclesiam Dei. Ecce quo pertrahant secunda et tertia pars fermenti. Nos itaque, fratres, ne per earuem oculos et lumen Christi perdamus, per superbiam et vanam gloriam a cœlesti gloria excludamur, expurgemus vetus fermentum, superbiam per humilitatem domando, et vanam gloriam per puritatem rectæ actionis abjiciendo, et voluptatem carnis per abstinentiam mortificando, ut simus nova conspersio, novos panis absque fermento, qui datur populo exeunti de Ægypto, qui apponitur Eliæ fugienti malam Jezabel reginam (*III Reg.* XIX). Mala regina est caro, quæ, carnalibus desideriis dedita, virtutes quærit occidere et illis dominari. Hæc persequitur Eliam et quemlibet spiritualem qui concupiscit adversus spiritum. Elias hanc fugit, concupiscentiam ejus relinquendo. Venit in Bersabee Juda ad confessionem, ubi est puteus gratiæ septiformis Spiritus, et dimittit ibi puerum suum, relinquit in confessione puerilem sensum et puerilia opera cum apostolo evacuans quæ erant parvuli, abit in desertum, id est mundi contemptum; dormit sub umbra juniperi, id est quiescit a vitiis; sub duris pœnitentiæ operibus vigilat, et panem subcinericium manducat, quia dum quiescit a vitiis, duris premitur pœnitentiæ spinis, et dum vigilat, dura ei proponuntur et aspera. Panis enim subcinericius est vita pœnitentiæ. In pane enim vita, in cinere notatur pœnitentia. Post primum somnum dormit, et iterum vigilans ambulat ad montem Dei Horeb. Primus somnus est pausa a vitiis; secundus, quo requiescunt sancti a laboribus suis in Domino mortui, et perveniunt ad celsitudinem gloriæ in fortitudine panis subcinericii, id est vitæ pœnitentialis, qua se pro peccatis affligunt. Hic panis est proprie monachorum. Ipsis enim non indicuntur, nisi dura et aspera. Panis proponitur cum cinere, id est vita cum pœnitentia, qua macerare seipsos debent per sacrificium cordis contriti et sacrificium carnis mortificatæ, ut perveniant ad sacrificium corporis Christi. Quod ut assequantur, præcedat sacrificium humilitatis in mente, afflictionis in carne, ut habeatur devotio in vivi Agni immolatione. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus* (*I Cor.* V). Qui immolatur quia ipse est Agnus qui decima die tolli, quarta decima præcipitur immolari. Quid non crudus, non aqua coctus, sed igne assus editur? (*Exod.* XII.) In denario sumitur propter Decalogum Veteris Testamenti; et in quaternario propter quatuor Evangelia *Agnus* ergo *qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I), decima luna tollitur, quia in Veteri Testamento venturus prædicitur, et in quarta decima immolatur, quia in Novo Testamento crucifigitur. Hic a tribus generibus hominum tripliciter mandocatur. Manducatur enim crudus, aqua coctus, igni assus. Primum genus hominum infideles sunt, secundum, stulti fideles; tertium, boni fideles. Infideles crudum, stulti fideles aqua coctum, boni fideles igni assum. Crudus manducatur, dum purus homo creditur; aqua coctus, dum creditur etiam Deus; sed quomodo de Virgine nasci, et Deus homo fieri potuit per humanam sapientiam discutitur. Tunc enim coquitur in aqua, dum investigatur humana sapientia. Igni autem assus comeditur, cum Deus et homo passus creditur, et igne Spiritus sancti conceptus et natus. Agnus enim assus Christus est passus. Infideles enim quasi crudum sine sapore glutiunt, qui Christum purum hominem sentiunt; stulti fideles aqua coctum accipiunt, quia humana enm sapientia investigare præsumunt, et boni fideles agnum assum sibi incorporant, qui Christum Deum et hominem Spiritus sancti operatione fideliter edentes, corpus ejus et sanguinem devote suscipiunt.

TIT. LXI. *De triplici transmigratione et nube.*

Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, etc. (*Act.* I.) Galilæa *transmigratio* interpretatur. Hæc triplex est: alia enim est in carne, alia in pœnitentia, alia in charitate. Transmigratio in carne triplex, a bono statu in delectationem peccati, a delectatione in operationem, ab operatione in consuetudinem. Transmigratio quoque in pœnitentia triplex est: a peccato in cordis contritionem, a contritione in oris confessionem, a confessione in operis satisfactionem. Transmigratio in charitate itidem triplex est; a bono dolore pœnitentiæ in jucunditatem justitiæ; a bono opere justitiæ in spem et fidem gloriæ; a contemplatione fidei et spei ad contemplationem rei. Bona est quidem pœnitentia; sed quandiu secum loquitur in amaritudine sua non est jucunda; cum vero cœperit operari, ut jam timor peccatorum absumatur a desiderio æternorum, mox a bono doloris transmigrat in bonum jucunditatis. Prima igitur transmigratio in charitate est a bono pœnitentiæ in bonum jucundum justitiæ; secunda, a bono opere justitiæ in contemplationem fidei et spei; tertia a contemplatione fidei et spei in contemplationem rei. Primi horum omnium transmigratores sunt carnales, quia in carne sunt et secundum carnem ambulant. Secundi sunt rationales, qui in carne sunt sed secundum carnem non ambulant. Tertii mere spirituales, quorum *conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III). Istis duobus posterioribus transmigratoribus dicitur: *Viri Galilæi*, etc. Isti enim Deum vident ascendentem; sed aliter primi, aliter secundi: quia dupliciter ascendit Deus, in voce tubæ et in jubilo. Pœnitentibus ascendit in voce tubæ charitativis in jubilo. In tuba ascendit pœnitentibus, quando timore Dei horribiliter intonante peccator resipiscit. In jubilo ascendit charitativis tribus modis: Jubilus enim alius in corde, alius in ore, alius in opere. In corde jubilat qui conceptam lætitiam voce non potest exprimere, nec tamen potest voce reprimere. In ore jubilat qui subtilia de Deo cogitans in ipso anhelat proficere, et cogitur deficere, In opere jubilat qui ad diligendum Deum tota vir-

tute suspirat, cum hoc in præsenti plane facere nequeat; nam in visione fidei non quantum in visione Dei diligitur. Hos modos innuit Psalmista, dicens: *Jubilate Deo, omnis terra; cantate, exsulate, et psallite* (*Psal.* XCVII). Cantate jubilo oris, exsultate jubilo cordis, psallite jubilo operis. In charitate ergo ascendit Deus in jubilo ad amplectendum. Eum Galilæus verus aspicit, ut eum jubilare faciat ascendens Deus in nube. Nubes alia bona, alia mala. Mala triplex est: Prima voluptatis, secunda iniquitatis, tertia phantasiæ. Prima est lutosa, quia hominem fœdat; secunda fumosa, quia unde voluptates postponit, avaritiam autem et cæteras nequitias tenet, deterior efficitur, et quasi fumus oculum, ita excæcat rationem; in tertia vero nube, scilicet phantasiæ, ii qui nubem voluptatis et iniquitatis evaserunt in orationibus perturbantur. Contra has nubes Dominus ascendit in bona nube. Et hæc triplex est: alia tonitrui, alia pluviæ, alia diei. Prima horrida, secunda humida, tertia lucida. Horrida terret, humida rigat, lucida illuminat, ostendendo quantum sit justis repositum præmium, ut perseverantiam exspectent. Contra ergo triplicem malam nubem in triplici nube Dominus ascendit. Dum igitur, vir Galilæus, transmigrans in charitate, Deum ascendentem contemplatur, quia non plene capit evanescentem ab oculo cordis sui, dolet et tristatur. Et ecce duo viri astiterunt in vestibus albis qui charitatem consolantur. Hi sunt spes et fides: spes promissorum, fides gloriæ. Qui inquiunt: O charitas, quid hic desperando stas? crede Deum velle, scire, et posse quod promisit dare. Dicit fides: Spera te glorificandam. Dicit spes: Vere enim ita veniet tibi dare gloriam quemadmodum vidisti eum ascendentem in cœlum. Nos itaque, fratres, de mala Galilæa transmigremus ad bonam, relinquentes nubes contrarias, ascendamus ad Deum in bonis nubibus, ut cum ille qui ascendit in judicium advenerit, eam nobis gloriam tribuat quam promisit.

Tit. LXII. *De tabula pœnitentiæ, de alis columbæ et corvi, labroque æneo quod fecit Moyses de speculis mulierum.*

Confitemini alterutrum peccata vestra (*Jac.* V). Hæc est secunda tabula post naufragium, qua per mare hujus mundi natamus, ne pereamus. Hæc est una ala (nam altera est oratio) qua columba ab arca cordis sui volat ad olivam cordis misericordiæ Dei, et inde reportat ad arcam Noe, id est hominis in periculo constituti, ramum divinæ miserationis. Corvus, cujus vox non est pœnitentiæ gemitum dare, pro cantu præsentis lætitiæ, potius cras cras, ab arca alis falsæ spei et adulationis, ad cadaver evolat putridæ voluptatis, nec ad arcam sui cordis revertitur, ut pœniteat et lavetur a putredine cadaveris et carnis mortuæ in proposito. Sic labro æneo quod Moyses fecit *de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi* (*Exod.* XXXVIII), ut sacerdotes ingressuri Sancta sanctorum in eo prius lavarentur (*Exod.* XXX), Moyses legem designat. Labrum æneum est pœnitentia dura: specula divina præcepta, mulieres excubantes in ostio tabernaculi, sanctæ animæ sunt, quæ quandiu in hac vita sunt, quia æternum tabernaculum ingredi nequeunt, amore continuo aditum regni observant. Mulieres istæ habent specula mandatorum, in quibus dum se semper aspiciunt, fœditatis suæ maculas deprehendunt et corrigunt; et quid in se cœlesti viro vel placeat vel displiceat agnoscunt, et quasi remittentes vultus ex reddita imagine componunt. Moyses itaque de speculis mulierum quæ excubabant ad ostium tabernaculi facit labrum sacerdotibus ad lavandum, quia lex Dei lavacrum peccatorum exhibet, per quod sanctæ animæ aditum supernæ patriæ exspectantes, per considerationem divinorum mandatorum, suas maculas et videbant et emendabant. Dum enim lex divina David ex divino mandato peccatum recognoscentem, et emendantem nobis proponit, quid aliud quam Moyses labrum ablutionis de speculis illius facit? Nos itaque sumus, fratres, sacerdotes illi qui sacra bonorum operum vobis et aliis dare debemus. Nobis autem ingressuris Sancta sanctorum, internæ scilicet habitationis aditum, proponitur labrum de speculis mulierum, pœnitentia scilicet per exemplum antiquorum Patrum. Si igitur volumus ingredi, prius in hoc lavacro lavemus maculas cordis: quod nobis facit Moyses, id est, lex illa quæ dixit: *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* V): ut sic beati efficiamur ad videndum Deum, qui vivit et regnat. Amen.

Tit. LXIII. *De contemnendo mundo et laqueis ejus.*

Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt, quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (*I Joan.* II). Pulchritudinem animæ, fratres, secundum quam creati sumus ad imaginem et similitudinem Dei, mundus non mundat, sed maculat; dumque imagini, qua *super nos signatum est lumen vultus Domini* (*Psal.* IV), terrestris vultus imaginem mundus superducit, imaginem suam deturpatam Deus abjicit; et tunc hostis diabolus animam coinquinatam per mundum, eam, mundi laqueis ligat, captivat, et suffocat. Inimicus enim Dei constituitur qui voluerit esse amicus mundi hujus, per quem diabolo capitur homo, et ejus Domino subjugatur. A dilectione igitur mundi volens nos retrahere B. Joannes evangelista, et ejus laqueos ostendere, ait: *Nolite diligere mundum*: quia *nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI) Deo et mundo. Alter enim ad vitam, alter trahit ad laqueos mortis. Unde subdit: *Quia omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (*I Joan.* II). Isti sunt tres laquei: Primus *concupiscentia carnis*; secundus, *concupiscentia oculorum*; tertius, *superbia vitæ*. Istorum quem non tenuerit primus, capit secundus; et qui per gratiam Dei a duobus prioribus se excusserit, vix transiliet tertium. *Concupiscentia carnis* est voluptas quam per motum illicitum caro appetit, ut gulositas, ebrietas, luxuria. Per hunc laqueum tanto

citius mundus ligat quanto vicinius carni mentem apponit, tantoque periculosior quanto vicinior. Adam per gulam, Lot per ebrietatem, Salomon per luxuriam stravit. Gulositati igitur, quæ captivitatis nostræ fuit initium, per abstinentiam occurramus; ebrietati, per sobrietatem; luxuriæ, per carnis macerationem. Multi autem sunt quos per carnis vitia non tenet diabolus, sed per concupiscentiam oculorum cupiditatis laqueum trahit. Hi primum laqueum evadentes, secundo capiuntur qui dicitur *concupiscentia oculorum*. Per oculos enim dum aurum et argentum et cætera concupiscit, mors ad animam per fenestras intrat, et captivam eam in exterioribus ligat. Super hunc ridebitur et dicetur : *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum*, etc. (*Psal.* LI.) Huic laqueo si occurrat consideratio Creatoris, qui creatura debet pretiosior videri, cavendum est a tertio, qui sævit per omnes. Sunt qui carnem domant, mundum respuunt : sed dum quasi de perfectione superbiunt, tertio tenentur *superbia vitæ*. Hoc vitium primum est recedentibus : ultimum redeuntibus. Hoc est proprium diaboli; et ideo magis cavendum. Hoc est una de filiabus Lot, quæ ipsum etiam in cacumine montis stravit. His tribus laqueis capitur quicunque capitur, quia in his omnia vitia includuntur. Aut enim exterioribus, quæ in mundo; aut vicinioribus, quæ in carne; aut interioribus, quæ in corde sunt, homo ligatur : ultimus enim laqueus intra nos latet : secundus extra nos latet vel tenditur; primus juxta nos paratus. His tribus tentatus est primus homo et victus (*Gen.* III). His tribus tentatus est et vicit secundus homo. His tribus tentatur et, si vult, adjuvatur et vincit omnis homo. Contra gulæ vitium, quod est laqueus carnis, Christus desertum petit et jejunat, respondens tentatori, quod *non in solo pane vivit homo* (*Matth.* IV). Contra concupiscentiam rerum exteriorum, Deum creaturis præponendum sit. Contra superbiam, qua suasit tentator, ut deorsum se mitteret, sicut et in cæteris ad Scripturæ testimonia confugit : *Deum tuum adorabis et illi soli servies* (*ibid.*). Christi ergo exemplo qui nos docuit vincere, in his tentati ad Scripturæ defensionem curramus. Et quia tempore abstinentiæ magis tentamur, magis etiam resistamus, et in deserto monasticæ professionis, ubi dimisso principe vanitatis, in Judæa confessionis cum Elia jejunamus a cibis, jejunemus a vitiis ut post victoriam et hic angelos recipiamus ministros in adjutorium, et in futuro ad gloriam, ubi gloriæ libertatem recipiemus. Est enim triplex libertas : naturæ, gratiæ, et gloriæ. Prima fuit in paradiso in omnibus; secunda in mundo, in quibusdam; tertia in bonis, tantum in cœlo. In paradiso fuit libertas collata a necessitate peccati et pœnæ; in mundo, a necessitate peccati non pœnæ; in cœlo, ab utroque. Libertas igitur naturæ a necessitate fuit in paradiso, quando nulla ante primum peccatum necessitas patiendi vel peccandi incumbebat homini. Libertas gratiæ a peccato in mundo, quia per Christum recipimus peccatorum remissionem : sub quorum jugo ut servi tenebamur. Libertas gloriæ inerit cœlo, quia tunc ab omni peccato et pœna liberati, in cœlesti beatitudine gaudebimus. Sed in his omnibus, *si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII), dicit Dominus, qui vivit et regnat. Amen.

TIT. LXIV. *De multiplici luctatione fidelium in hoc mundo.*

Non est nobis colluctatio, etc. (*Ephes.* VI). Multiplex est luctatio fideli homini in hoc mundo. Pugnat enim contra carnem, pugnat contra hominem, pugnat contra diabolum. Contra carnem, sicut dicit Apostolus : *Caro concupiscit adversus spiritum* (*Gal.* V). Et idem : *Video legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* VII). Pugnat contra homines impios, de quibus Dominus : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* XV). Considerat enim peccator justum, et quærit mortificare eum. Habet tertium inimicum, eo asperiorem quo callidiorem, de quo Apostolus : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem* (supra tantum), *sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI). Primus itaque hostis, scilicet caro, nocet illicitos motus incitando; secundus scilicet tyrannus, tribulationes inferendo; tertius, scilicet diabolus, tentationes suggerendo. Primus vincendus est jejuniis, vigiliis, laboribus, carnem domando. Hoc docebat Apostolus verbo et exemplo : verbo dicens : *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram* (*Col.* III.), *quia non sumus debitores carni ut secundum carnem vivamus* (*Rom.* VIII). Exemplo : *Castigo*, inquit, *corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX). Secundus autem hostis vincendus est patiendo, dicente Apostolo : *Non vos defendentes, charissimi* (*Rom.* XII). Et Domino dicente : *Diligite inimicos vestros* (*Luc.* VI). Et : *Si quis percusserit te in maxillam unam, præbe ei et alteram* (*Matth.* V). Tertius quoque hostis repellendus est non consentiendo, dicente Apostolo : *Nolite locum dare diabolo* (*Ephes.* IV). Quotcunque vitiorum sagittas ille in te direxerit, tot contra eas de sanctæ Scripturæ armario munimentorum clypeos tibi oppone. Si adulterii furtive jaculo te conatur ferire, clypeum quo tibi præscribitur : *Non mœchaberis* (*Exod.* XX); vel quo caveatur : *Non furtum facies* (*ibid.*), illi oppone. Sed ut primum vincamus, carnis nos delectatione exuamus, quia *qui in carne sunt Deo placere non possunt. Si enim secundum carnem vixeritis moriemini* (*Rom.* VIII). Ut vero secundum lucremur, faciamus quod dicit Apostolus : *Si inimicus tuus esurierit, ciba illum* (*Rom.* XII) : verbo scilicet Dei, ut ores pro persequentibus, et benedicas tibi maledicentibus. Hoc autem faciens : *Carbones ignis congeres super caput ejus* (*ibid.*), id est, ignem charitatis super mentem ejus. Ut a tertio non vincaris, habites *in adjutorio Altissimi* (*Psal.* XC), quia qui in eo habitat, *non commorabitur* (*ibid.*). Sic ergo et primum hostem vincere, et secundum lucrari, et a tertio ne vincamur,

debemus sub alis defensionis ejus consurgere, qui *sicut gallina a facie milvi congregat pullos suos sub alas* (*Matth.* XXIII), et quasi perdix fuvet filios quos non peperit; quasi aquila provocat eos ad volandum.

Tit. LXV. *De multiplici ingressu Christi.*

Ingressus Jesus in templum cœpit ejicere vendentes et ementes, etc. (*Luc.* II). Ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto, plures sunt, divino docente eloquio: In civitatem, in castellum, in domum, in templum. De primo: *Ingrediente Domino sanctam civitatem* (*Matth.* XI). De secundo: *Cum ingrederetur in quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi* (*Luc.* XVII). De tertio: *Ingressus est in domum Pharisæi* (*Luc.* VII). De quarto: *Ingressus Jesus in templum*, et cætera, quæ præmisimus. In civitatem ingressus est sicut rex: in castellum, sicut propugnator; in domum, sicut pater familias; in templum, sicut sacerdos. Quod ipse sit rex, propugnator, et paterfamilias pagina docet sancta. De primo Isaias: *Dominus rex noster veniet et salvabit nos* (*Isa.* XXXV). De secundo: *Mitte nobis salvatorem et propugnatorem*, etc. (*Isa.* IX). De tertio: *Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias*, etc. (*Matth.* XX). De quarto: *Tu es sacerdos in æternum*, etc. (*Psal.* CIX). Regi diadema, propugnatori arma, patrifamilias alimentorum distributio, sacerdoti sacramentorum convenit exhibitio. Videamus itaque cum propheta regem gloria et honore coronatum (*Psal.* VIII). Intelligamus propugnatorem, propheta petente: *Apprehende arma et scutum* (*Psal.* XXXIV). Advertamus patremfamilias quinque vel septem panibus turbas reficientem (*Matth.* XIV). Recolamus sacerdotem semetipsum sacrificantem (*Isa.* LIII). Rex in diademate se præbet admirabilem, propugnator in armis se præstat formidabilem, sacerdos in sacrificio se reddit acceptabilem. Rex coronatus sedet in throno divinitatis; propugnator expugnaturus adversarium stat in propugnaculo crucis; paterfamilias esurientes impleturus bonis, vocem suam dat in plateis; sacerdos ingreditur in templum oblaturus Deo sacrificium laudis. Duo sunt templa, alterum Salomonis, alterum Salvatoris. Templum Salomonis auro, lignis et lapidibus construitur; templum Salvatoris justis hominibus. Tria sunt templa Salvatoris. Templum enim ejus est corpus quod assumpsit de Virgine, templum ejus est quisque fidelis, templum ejus est Ecclesia universalis. De primo dictum est: *Solvite templum hoc* (*Joan.* II). De secundo: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*, etc. (*I Cor.* III). De tertio: *Ecce venit ad templum sanctum suum*, etc. (*Malach.* III). In quo quid facturus sit ostendit eum paulo post subdit: *Et purgabit filios Levi* (*Ibid.*). Filii Levi ministri sunt altaris, et dispensatores ministeriorum Dei, quos evangelica lectione purgasse quodammodo perhibetur, cum *de templo vendentes et ementes ejecit*, ideo scilicet ne ministri altaris attendentes lucra, eorum corrumperentur exemplo. Quo præfiguratur et discretio quæ de bonis et de malis fiet in judicio. Sicut enim vendentes et ementes ejecti sunt de templo, sic reprobi de medio justorum tollentur, quando Dominus veniet *judicare vivos et mortuos*.

Tit. LXVI. *De verbo Dei misso in villam, castellum et civitatem; et quid differant.*

Verbum Dei aliquando mittitur ad villam: aliquando ad castellum, aliquando ad civitatem. In qua figura Jesus in villa Galilææ aquam in vinum convertit (*Joan.* II). Inde in castello illo celebre miraculum fecit (*Joan.* XI). Post in civitate ab Hebræis mysticis obsequiis honoratur (*Matth.* XXI). Villa est propriis tantum vestita colonis, nullo munita vallo. Hæc est anima naturalibus tantum virtutibus pollens, nullo humilitatis vallo, vel ex gratia superadditæ virtutis roborata. Castellum quod vallo munitur vel muro; sed ad latitudinem urbis non extenditur; est anima vallo pœnitentiæ et humilitatis vel muro obedientiæ non voluntate munita: quæ nondum charitate dilatatur sed angustatur timore. Civitas præsidiis plurimis vallata, largo sinu et numeroso populo sub juris æquitate et justitia vivente dilatatur et colitur. Hæc est anima quæ diversis honestatis præsidiis, charitate dilatatur, et copioso et ordinato virtutum agmine habitatur. Venit ergo sermo divinus ad villam, ut aqua in vinum mutetur, id est de rusticitatis insipido sapore ad virtutum fervorem valletur, ne ab irruentibus hostibus diruatur. Venit ad castellum, ut suscitato mortuo, et etiam solutis timorum institiis, spem libertatis a peccatorum vinculis solutis injiceret. Venit ad civitatem ut conservetur ipsa, et idem sermo ibidem honorificentius habetur, ne pulcherrimi voluntariæ obedientiæ muri diversis antiquorum exemplis roborati, furtive ab insidiantibus fodiantur. In villa ergo obruitur cito, in castello roboratur subito, in civitate honoratur continuo.

Tit. LXVII. *De lumine vultus divini, de attributis Trinitati, et virtutibus animæ.*

Vultus Patris est potentia Filii; sapientia Spiritus sancti, benignitas. Lumen vultus est memoria, intellectus voluntas. De memoria cecidit homo in oblivionem; de intellectu in ignorantiam; de voluntate in rectitudinis abusionem. Sed Deus misit Filium suum qui attulit fidem, spem, charitatem. Quibus hæc imago, hic vultus signatur super nos, id est rationi imprimitur. Fides pellit oblivionem, memoriam restituendo; spes ignorantiam fugat, intellectum purgando; charitas rectitudinis abusionem exstinguit, voluntatem relevando. Vultus itaque Trinitatis in charitate, est potentia, sapientia, benignitas. Per potentiam cuncta creavit: per sapientiam cuncta disposuit: per benignitatem cuncta gubernat et fovet. Sed quis ad vultum videndum accedere non possumus, habemus lumen, id est insignem et similitudinem. Per imaginem ipsum apprehendimus, id est, per memoriam, intellectum, at voluntatem. Per similitudinem eum nobis exprimimus, id est, per fidem, spem, et charitatem, etc.

Tit. LXVIII. *De seminante in spiritu vel carne.*

Alius est qui seminat, aliud in quo seminatur. Anima seminat; sed si in spiritu, metet de spiritu vitam. *Fructus enim spiritus est gaudium et pax*, etc. (*Gal.* v). Si in carne, metet corruptionem. *Fructus enim carnis luxuria: avaritia*, etc. (*ibid.*). Anima ergo est quæ seminat vel in carne vel in spiritu; corpus sequela est ad quodcunque delegaverit ipsum; anima dux ad veritatem, si eam sequi velit.

Tit. LXIX. *De duplici captura piscium.*

Rumpitur rete præ multitudine piscium in prima piscatione. In secunda multi pisces capiuntur, et rete non rumpitur, quia et hic in prima vocatione cum electis tot reprobi intrant Ecclesiam, qui ipsam hæresibus scindunt; et in futuro soli electi intrabunt, qui in pacis auctore in dissolubile vinculum pacis habebunt. In prima elabitur piscis, quia novit Dominus etiam inter persequentium scandala suos servare. In secunda autem eliguntur boni in vasis; mali autem ejiciuntur foras.

Tit. LXX. *De lavandis et plicandis retibus.*

Exemplo Petri in littore sedentis, prædicatori lavanda prius et inde tergenda sunt retia (*Luc.* v): quia post prædicationem lavare debet pulverem peccati, si quem forte ex ipsa prædicatione contraxit doctor, et inde ea plicare, id est quæ docuit adimplere.

Tit. LXXI. *De piscibus in verbo Domini capiendis.*

Per totam noctem laborantes Apostoli nihil capiunt; Petrus autem in verbo Christi laxat et capit (*Luc.* v), quia frustra prædicator vocis jaculum mittit nisi verbo gratiæ fuerint laxata retia.

Tit. LXXII. *De negotiatione claustralium.*

Negotiamini dum venio (*Luc.* xix). Venit Dominus in obitu uniuscujusque, vel gratus remunerator, vel terribilis damnator. Nihil morte certius. *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam* (*Matth.* xxv). *Cum dixerint: pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus* (*Prov.* xxix). Ut autem semper vigilemus, ac diem illam calamitatis et miseriæ vitemus, paterfamilias quinque regiones ad negotiandum destinavit, in quibus quasi per nundinas cursitando inutilia rejiciant, quæ utilia sunt colligant; et tanquam prudentes negotiatores sibi sarcinas referant. Quarum hæc nomina: Regio dissimilitudinis, præsens vita, quam quidam nimium amantes dissimiles facti sunt a Deo, et jumentis comparati descenderunt ad locum mortis. Unde exclamat Propheta: *Homo, cum in honore esset*, etc. (*Psal.* xxxxviii). In hac prudenter negotiatur, qui si vel parum mundus arrisit, pensando discernit quam fallax vita brevis et incerta, quam vilia et nullius momenti temporalia. Regio australis claustrum vel eremus, in qua Christus suos abscondit a contradictione linguarum, postmodum admisturus consortio angelorum. Per austrum quippe in Scripturis sanctis Spiritus sanctus, et per australem plagam spiritualium bonorum designatur conversatio Claustralis vero paradisus ad suavem spirantis ro stri clementiam quasi tot floribus vernat quot virtutibus abundat. Regio expiationis, locus non homini, sed Deo notus; in quo sunt animæ quorumdam, qui salvandi sunt, quibus conferunt sacrificia et eleemosynæ. Sed in hac plaga bonus negotiator vendibilem superat sarcinam, cum induit affectum compatiendi. Regio gehennalis carcer est damnatorum, de quo et in quo nulla patet redemptio. Est etiam alius carcer mundus iste, in quo tenemur exsules, et captivi; sed ad tempus. Mundus itaque carcer est captivorum, infernus damnatorum. Res mira, severa, et non sine tonitrui timoris audienda. Ad plagam istam recurrendum est considératione subtili, quoties diabolus mala suggerit, ut bonio sic cohibeatur a peccato, et negotietur sibi odium peccati. Regio supercœlestis, mater nostra est Jerusalem, in hanc regionem colligat sibi dulcissima, scilicet amorem Dei. Has quinque regiones perlustrare debemus; de quarum singulis singulas referamus sarcinas. De regione dissimilitudinis, contemptum mundi; de regione australi formam bene vivendi, de regione expiationis affectum compatiendi; de regione inferorum, odium peccati; de regione supercœlesti, amorem Dei.

Tit. LXXIII. *De tribus Christianæ perfectionis statibus.*

Dominus dicit: *Ecce ego hodie et cras dæmonia ejicio, et sanitates perficio; et tertia die consummor* (*Luc.* xiii). Et Apostolus: *Donec occurramus omnes in virum perfectum* (*Ephes.* iv). Tres status Christianæ perfectionis in his notantur; unus in futuro, ubi triumphabimus; duo in præsenti, ubi meremur. Primus in pœnitentia, secundus in justitia, tertius in gloria. In primo dæmonia ejicit; in secundo sanitatem perficit, cum per misericordiam juste vivere facit; in tertio consummabit, cum nos coronabit: quos in sua passione, dormitione, et evigilatione, ostendit. In cruce patiens de diabolo triumphavit, in sepulcro quievit, in resurrectione exsultavit. Ita nos pœnitentia qua diabolum vincimus, cruciat; justitia qua a malis quiescimus, tranquillat; vita æterna, ubi Deus videbitur, jucundabit. Hinc primus horum trium status agit de pœnitentia. Cujus vox: *Miserere mei, Deus* (*Psal.* l). Secundus de misericordia et judicio, cujus vox est: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* c). Tertius de vita æterna, cujus vox: *Omnis spiritus laudet Dominum* (*Psal.* cl). Hinc in Veteri Testamento tres præcipue festivitates celebrantur, Paschæ, Pentecostes, Scenopegiæ. In prima comedebant lactucas agrestes, et spicas igni tostas offerebant; per quæ significantur carnis mortificatio et pœnitentiæ amaritudo. In Pentecoste novi panes de novis frugibus offeruntur; per quod intelligitur status justitiæ per quam in novitate vitæ ambulamus. In scenopegia de cunctis frugibus anni offerebatur; per quod status gloriæ: quando *venient cum exsultatione portantes manipulos suos* (*Psal.* cxxv). Hæc sunt opera Samaritani; qui prius vinum, inde oleum fudit, postea

ait : *Vade, sanus factus es* (*Joan.* v). In vino fervor pœnitentiæ, in oleo lenitas justitiæ; in tertio significatur perfectio.

Tit. LXXIV. *De quadruplici tristitia et gaudio.*

Tristitia vestra vertetur in gaudium (*Joan.* xvi). Quadripartita est tristitia. Prima est pressuræ, de qua dicitur : *Mulier cum parit tristitiam habet, ita et vos nunc tristitiam habetis* (*ibid.*). Secunda est pœnitentiæ. Unde : *Gaudeo quia tristati estis ad pœnitentiam.* Et : *Quæ secundum Deum est tristitia pœnitentiam in salutem stabilem operatur* (*II Cor.* vii). Tertia est desperationis. Unde : *Sæculi tristitia mortem operatur* (*ibid.*). Quarta damnationis. Unde : *Ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* viii). Gaudium similiter quadripartitum est. Primum dissolutionis. Unde : *Væ vobis qui ridetis* (*Luc.* vi). Secundum præsumptionis. Unde : *Lætantur cum male fecerint; et exsultant in rebus pessimis* (*Prov.* ii). Tertium est conscientiæ, de quo : *Gaudemus*, inquit, *in tribulationibus nostris* (*Coloss.* i). *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* i). Quartum pacis et gloriæ. Ergo tristitia pressuræ convertetur in gaudium conscientiæ. Tristitia pœnitentiæ operatur gaudium pacis et gloriæ. Gaudium vero dissolutionis nonnunquam vertitur in tristitiam diffidentiæ. At tristitia desperationis consummatur in tristitiam damnationis; gaudium vero conscientiæ, in gaudium lucis gloriæ.

Tit. LXXXV. *De triplicis regni inquisitione.*

Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus (*Matth.* vi). Triplex est regnum, potentiæ, gratiæ, gloriæ. De primo dicitur : *Regnum tuum regnum omnium sæculorum* (*Psal.* cxliv). De secundo : *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* xvii). De tertio : *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* xviii). Regnum potentiæ est in omni creatura, regnum gratiæ in præsenti Ecclesia, regnum gloriæ in vita æterna. Regnum potentiæ tripliciter quæritur : Per superbiam, per fraudem, et per hypocrisim. Per superbiam, ut ipse qui est rex inter omnes filios superbiæ : *Sedebo*, inquit, *ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isa.* xiv). Imitantur autem illum qui sunt ex parte ejus; per fraudem, ut Herodes; per hypocrisim, ut Antichristus, et omnes hypocritæ cum illo. Regnum autem gratiæ et gloriæ quæritur per pœnitentiam et confessionem, ut latroni in cruce qui per violentiam illud rapuit. Sunt qui hoc duplex regnum Dei nequaquam quærunt, sed iterum sæculi. Alii non primo regnum Dei quærunt, sed rerum iterum et usum. Alii utrumque quærunt, sed primo iterum sæculi. Alii primo regnum Dei. Primi sunt carnales, secundi sunt singulares, tertii sunt animales, quarti spirituales. Propter primos qui nunquam regnum Dei quærunt dicitur, *quærite*. Propter eos qui primo aliud quærunt, subdit, *primum regnum*. Propter eos qui regnum sæculi quærunt, adjungit, *Dei*. Propter eos qui non Dei, sed sæculi vel suam justitiam quærunt, addit, *et justitiam ejus*. Est enim justitia ad sæculum, est ad seipsum, est ad Deum. Justitiam ad sæculum quærit qui humano vult justificari judicio, et terrenis anteponit cœlestia, ita ut illa sumat ad usum necessitatis, non ad fructum utilitatis. Hic dum unicuique reddit quod suum est, necessitati temporalia, utilitati æterna, per iter justitiæ festinat ad regnum gloriæ; at ut quædam summa comprehendatur; alii neque regnum quærunt Dei, neque justitiam ejus, ut carnales; alii regnum Dei quærunt, sed non ejus justitiam, ut singulares; alii regnum Dei et justitiam ejus quærunt, sed non primum, ut animales; alii primum, et regnum Dei, et ejus justitiam quærunt, ut spirituales.

Tit. LXXVI. *De triplici statu animæ, et de ratione pœnitentiæ faciendæ.*

Tres sunt status animæ: in corpore, seposito corpore, et recepto corpore. Primus datus est ad agendam pœnitentiam. Reliqui duo ad habendam requiem vel pœnam, *prout gessit in corpore sive bonum sive malum* (*II Cor.* v). Ad agendam vero pœnitentiam tria sunt necessaria : tempus, locus et corpus. Quod tempus est necessarium dicit Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile*, etc. (*II Cor.* vi). Similiter et de loco et de corpore idem dicit: *Omnes oportet nos manifestari ante tribunal Domini ut referat quisque propria corporis prout gessit* (*II Cor.* v). Sed de hoc loco loquitur Scriptura, dicens : *Si ascenderit super te spiritus potestatem habens, locum tuum ne deseras* (*Eccl.* x). Porro tempus in tria dividitur in præteritum : in præsens, in futurum. Horum nullum perdit quisquis recte pœnitentiam agit. Nam præteritum quidem quod perdiderat restaurat, dum in amaritudine animæ suæ omnes annos suos recogitat. Præsens autem tenet per exercitium operis, futurum vero per constantiam boni propositi. De peccato loquitur Apostolus cum dicit : *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* v). Ad præsentis vero temporis operationem hortator nos, dicens; *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes* (*Gal.* vi). Futuri autem nos monet Dominus cum dicit : *Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit* (*Math.* x). Corpus quoque necessarium est ad agendam pœnitentiam. In corpore enim possumus mala pati pro expurgandis commissis delictis, et bona operari pro adipiscendis æternæ vitæ præmiis. Quæ autem anima corpore caret, quomodo dignos fructus pœnitentiæ agere valeret ? Et notandum quod pœnitentia, quæ per corpus geritur, brevis est et levis. Brevis, quia per corporis mortem breviatur : levis, quia per societatem corporis fertur facilius. Gravis siquidem esset pœnitentia, si eam solus animus portaret. Cum vero et ipse corpus ejus partitur pondus, quanto magis corpus inde oneratur, tanto amplius animus exoneratur. Locus etiam pœnitendi non quidem necessarius, sed utilis, est locus Ecclesiæ. Tempus autem est tempus vitæ pœnitentis; nam quisquis dum in corpore vivit pœnitentiam agere negligit, nullum in futuro salutis remedium habere poterit.

Tit. LXXVII. *Quæ ad orationis puritatem sint necessaria.*

Ad hoc ut oratio sit pura, tria videntur mihi necessaria quibus orationis intentio firmiter est affigenda. Considerare namque debet is qui orat quid petit, et propter quid petit, et ipsum quem petit. In eo autem quod petit duo debet attendere: ut secundum Deum sit quod postulet, et ut hoc ipsum in summo desiderio habeat. Verbi gratia: si mortem inimici, si læsionem seu dejectionem proximi orando quis petierit, non est secundum Deum talis oratio; cum ipse præcipiat et dicat: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Matth.* v). Si remissionem peccatorum, si Spiritus sancti gratiam, si virtutem atque sapientiam, si fidem, veritatem, justitiam, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, et cætera spiritualia charismata quæsierit, et ea vehementer cogitando affectaverit; hæc secundum Deum est oratio, et hæc vere meretur exaudiri. De hujusmodi orationibus loquitur per Isaiam Dominus: *Antequam clament ego exaudiam* (*Isa.* LXV). Sunt et alia quæ cum desunt, et petuntur a Deo, dantur. Et possunt esse vel non esse a Deo, quantum duntaxat interest finis ad quem referuntur. Ut corporis sanitas, pecuniæ, cæterarumque rerum affluentia. Quæ etsi a Deo sint, non tamen sunt magni pendenda, nec ex desiderio possidenda. Similiter et in ipso quem petit debet duo considerare, bonitatem, quæ gratis velit, et majestatem, quæ plene possit dare quicquid petitur. Sed in seipso qui petit debet nihilominus duo attendere, id est, ut pro suis meritis nil se accepturum putet, et ut de Dei misericordia tantum quidquid rogaverit se impetraturum speret. Tunc ergo dicitur cor purum, quando hæc tria quæ dicta sunt cogitat. Qui in hac puritate et intensione cordis oraverit exaudiri se sciat, quia sicut testatur Petrus apostolus: *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi* (*Act.* x).

Tit. LXXVIII. *De suscitato a morte animæ.*

Mors animæ est oblivio. De qua morte suscitatus hoc modo agnoscitur. Per memoriam sentit, per obedientiam audit, per intelligentiam videt, per circumspectionem olfacit, et gustat per dilectionem.

Tit. LXXIX. *De quatuor voluntatibus hominis.*

Quatuor sunt genera voluntatis humanæ: Sicca in reprobis et terrenis, quorum corda nullo rore gratiæ perfunduntur; Recta in inchoantibus, quæ vitæ pristinæ obliquitatem relinquentes ad boni operis rectitudinem mutatione voluntatis assurgunt; devota in proficientibus, qui usu orationis assiduæ in amorem bene agendi cœlitus eriguntur; perfecta consummatis, qui pene nil aliud nisi Deum cogitantes, in ipso totius desiderii sui finem reponunt. Inter siccam et rectam voluntatem quoddam firmamentum est, ut qui volunt transire non possint, perversa scilicet intentio inter rectam et devotam, A insolita male agendi consuetudo; inter devotam et perfectam, corporalis refectio. Quæ tria dum quasi lapides duri in via nostri corporis se opponunt, ne de virtute in virtutem ascendamus, impediunt.

Tit. LXXX. *De quatuor quibus servimus*

Quatuor sunt quorum in hac vita obsequiis deservimus: Caro, mundus, diabolus, Deus. Carni militamus gulæ illecebris serviendo, luxuriæ stimulis obsequendo; mundo militamus avaritiæ æstibus anhelando, honoris altitudinem affectando; diabolo militamus, bonorum profectibus invidendo, et contra Deum superbiæ spiritu intumescendo; Deo militamus pietatis operibus humiliter insistendo, potestates aerias virtute spiritus oppugnando. Habent et singuli principes isti donativa propria. Caro suis B tironibus elargitur momentaneam voluntatem, mundus transitoriam sublimitatem, diabolus captivitatem perpetuam, Deus interminabilem felicitatem. Hæc sola præponderat.

Tit. LXXXI. *De titillationum carnis causis.*

Motus et titillatio carnis nostræ tribus ex causis contingit. Ex præcedenti cogitatione deformes et illicitas imagines intro trahendo in quarum retractione turpiter commovetur. Ex ventris plenitudine, quia cum venter ciborum cumulositate distenditur, caro lasciviens admodum luxuria concitatur. Ex maligni spiritus impugnatione, quia quo justos superare se minus posse considerat, eo per carnis titillationem eos gravius impugnat.

C Tit. LXXXII. *Quomodo ascendendum de convalle et deserto, et quod triplex desertum.*

De convalle plorationis ascensuri semper ad altiora tendere et anhelare debemus. Est enim quasi quoddam desertum via ista mortalis, de qua dicitur: *Terra deserta, invia*, etc. (*Psal.* LXII). Sed triformis est species desertorum. Est quippe desertum momentanea vanitas, quam despicere vitæ moderatione debemus; de quo deserto ascendere nos oportet sicut dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* (*Cant.* VIII.) Deliciis affluimus cum virtutibus abundamus, super dilectum innitimur, cum Deo ascribimus quidquid boni operamur. Est aliud desertum D Christianæ simplicitatis, humilitas, vocata desertum, quia fere nullus est Christianus, qui studeat istud bonum plene operari. Per hoc desertum necesse est ut ascendamus. Unde dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, thuris*, etc. (*Cant.* III.) Sicut virgula fumi ex aromatibus ascendimus, cum virtutum studio et disciplina exercitati proximos ad bene agendi similitudinem incitamus. Est aliud quoque desertum, innocentiæ purioris simplicitas vel integritas: ad hoc debemus ascendere, quia ad veram medicinam, ut simus sancti corpore et spiritu debemus anhelare. Ascendamus ergo de deserto momentaneæ vanitatis, per desertum humillimæ simplicitatis, ad desertum integerrimæ puritatis.

Tit. LXXXIII. *De sagittis quibus utitur Dominus.*

Dominus noster habet proprias sagittas quibus hostes suos vulnerat, et in brachio virtutis impugnat. Sunt autem tres sagittæ quibus hostes sanciantur. Stimulus amissæ pecuniæ, quia valde tristatur dum instrumenta vivendi, et satellites voluptatum et divitias amisisse reminiscitur. Sequitur pestis corporalis molestiæ, quæ ut ejus vias ex animi potestate sopiat, eum quem ad peccatum festinare considerat, per corporis contritionem flagellat. Sequitur malleus infernalis memoriæ, quia cum se homo, undique circumseptum pondere pœnarum corporalium pensat, etiam ad illam quæ fine caret angustiam oculos convertens, horribilem gehennæ fornacem timida secum consideratione pertractat.

Tit. LXXXIV. *De ebrietatis vino.*

Non uno eodemque modo omnes qui ebrii sunt inebriantur. Aliud est vinum malitiæ, quod effluit de vite nequitiæ, et a diabolo initium habuit, qui amaritudines peccati et mortes humano generi propinavit: quo inebriantur iniqui cousimiles Holopherni. Aliud est vinum molestiæ, quod emanat de labrusca conditionis humanæ, quæ de suo acetum iniquitatis apposuit. Hoc vino quisquis inebriatur, non injuste, sed merito peccati sui a Deo pœnam pati comprobatur. Aliud est vinum gratiæ, quod ex botro cypri, id est ex Conditoris largitate discurrit. Et hoc est mustum quo sponsi filii inebriantur; quod mittitur etiam in utres novos.

Tit. LXXXV. *De gradibus bonæ condescensionis.*

Septem gradus descensionis habet humilitas, abdicationem rerum, exemplo apostolorum, abjectionem vestium, sicut Elias et Joannes Baptista; compassionis et cooperationis exercitium, ut Paulus; dejectionem in prosperis, ad modum David pauperis regis; patientiam in adversis, sicut Job et Tobias, proprium abhorrere consilium et propriæ voluntatis affectum.

Tit. LXXXVI. *De quinque contra peccatum præliis.*

Prælia virtutis quibus arma peccati expugnantur sunt hæc: Plena peccati cognitio, quæ expellit tenebras voluptatis; pœnitentialis afflictio, contra dulcedinem carnalitatis; humilis et vera confessio contra venenum iniquitatis quod potavimus; sufficiens et digna correctio, contra imitationem pristinæ voluptatis; perseverantiæ plena successio, ut perfecta subrogetur custodia sanitatis.

Tit. LXXXVII. *De diversitate gradientium ad Deum.*

Non omnes uniformiter gradiuntur ad Deum. Quidam tardo et pigro passu, sicut illi qui terrenorum curis impliciti vix aliquando respirant aut respiciunt, ut Dei recordentur. Quidam modesto incessu, sicut ii qui Dei servitio mancipati sunt, et Deo quidem serviunt, sed tamen erga seipsos indulgentiores existunt. Et alii veloci et rapido cursu properant, sicut ii qui super carnem suam se intuentes et se et transitoria contemnentes, celeriter proficiscuntur ad Deum, hoc solummodo cupientes, in pace quiescere in idipsum.

Tit. LXXXVIII. *De triplici prælatorum timore.*

Trifarius est timor prælatorum: Ne audientium animos exquisitorum verborum apparatus commoveat, ne interni judicis oculos immoderati usus offendant, ne justitiæ retributio in præsenti eis fiat.

Tit. LXXXIX. *De triplici sanctorum dolore.*

Triformis est sanctorum dolor, quia distant de paradiso, quia detinentur in exsilio, qui differuntur a regno.

Tit. XC. *Quæ sint in Christo montium monte.*

Mons coagulatus, mons pinguis, etc. (*Psal.* LXVII). In monte montium Christo fuerunt hæc duo: coagulum passionis, et pinguedo sanctitatis. Item vitulus novellus, vitulus de armento, vitulus saginatus.

Tit. XCI. *De variis portis.*

Portas suas habet mundus quibus stulte ingredi nititur ad Deum. Quæ sunt corrupta sensualitas, et incesta cupiditas. Unde est: *Appropinquaverunt usque ad portas mortis* (*Psal.* CVI). Portæ inferi sunt cæca dispensatio et dura obstinatio: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Portæ cœli sunt humilis potentia, quæ est porta ferrea ducens ad vitam, et amoris concordia, quæ est porta orientalis.

Tit. XCII. *De tribus lucernis.*

Tres sunt lucernæ. Regula disciplinæ in Christo, quæ accenditur ut dragma perdita inveniatur; forma veritatis, quæ posita est in Evangelio super candelabrum; scientiæ puritas in corde bono, quæ illuminatur a Domino.

Tit. XCIII. *De modis quibus interrogat Deus.*

Tribus modis interrogat nos Deus: Promulgatione præcepti, ut nota nobis obedientia fiat; injectione flagelli, ut patientia nostra proximis innotescat; revelatione secreti, ut se nobis virtus humilitatis aperiat.

Tit. XCIV. *De adversitati opponendis.*

Adversitati tria sunt opponenda: Electorum agones et angustiæ, quas patiuntur qui pie vivunt; redemptoris afflictiones et molestiæ, quas ei sævissimi principes intulerunt, dispositio moderatricis justitiæ, cujus altitudinem quasi virgæ Joseph summitatem non discutere, sed adorare debemus. Hæc sunt illa tria ostia, vectes et termini, quibus Dominus circumdat mare iniquitatis humanæ (*Job* XXXVIII).

Tit. XCV. *De tribus postulandis ab electis.*

Electi tria postulant quæ fiant pro tempore futuro, quod in eis mortale est a vita penitus absorberi, perennis gloriæ compensatione ditari, Deum insatiabiliter sicuti est contemplari.

Tit. XCVI. *De tribus frustra optatis.*

Reprobi tria optare dicuntur: Voluptatem corpoream sibi ad sufficientiam cumulari, momentaneam

gloriam ad beatitudinem suffragari, mores suos et opera nullo post se judicio reprobari.

Tit. XCVII. *De tribus agendis Christiano.*

Imitator Christi debet tria agere : Simplicis innocentiæ sensum tenere, ut cum Christo puer efficiatur; abjectum et humilem habitum amare, ut infantiæ Christi vilibus pannis involvatur ; in disciplina simpliciter ambulare, ut cum Christo positus in præsepio inveniatur : cujus beati Spiritus visione satiantur et dulcedine inebriantur.

Tit. XCVIII. *De Christi attributis.*

Christus quandoque dicitur germen seu radix, juxta illud : *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur* (*Isa.* XI). Quandoque lignum vel truncus, ut ibi : *Sapientia est lignum vitæ* (*Prov.* III). Quandoque flos, ut : *Ego sum flos campi* (*Cant.* II). Fructus quandoque, ut supradictum est. Levatus est Christus in crucem, juxta illud : *Cum exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum* (*Joan.* XII). Exaltatus fuit a terra in resurrectione, juxta illud : *Propter quod exaltavit illum Deus*, etc. (*Philipp.* II). Exaltatus fuit in ascensione, juxta illud : *Elevata est magnificentia tua super cœlos* (*Psal.* VIII). Exaltatus in apostolorum prædicatione, juxta illud : *Exaltabor in gentibus et exaltabor in terra* (*Psal.* XLIV).

Tit. XCIX. *De differentia surgendi, exsurgendi, resurgendi, insurgendi, assurgendi, et consurgendi.*

Surgimus a sede, exsurgimus a somno, resurgimus a morte, insurgimus ad vindictam, assurgimus ad honorem, consurgimus ad auxilium.

Tit. C. *De conditionibus fumi in peccatore.*

Fumus oritur ex igne, ascendit et evanescit. Hæc tria habet peccator sive peccatrix. Oritur enim ex flamma concupiscentiæ, juxta illud : *Ascendit ignis in ira ejus* (*Psal.* XVII). Ascendit juxta illud : *Vidi impium superexaltatum* (*Psal.* XXXVI). Evanescit juxta illud. *Et transivi et ecce non erat* (*Ibid.*). Sed cum fumus duobus modis deficiat; deficit enim a nativitate, quandoque per claritatem diffunditur et deficit, quandoque penitus evanescit. Uno tantum modo peccator deficit. Deficit enim a peccato quando non potest peccare absorptus in gehennam.

Tit. CI. *De funiculi significationibus.*

Funiculus dicuntur virtutes, juxta illud : *Funiculus triplex difficile rumpitur* (*Eccle.* IV). Funiculus etiam dicuntur peccata, juxta illud : *Funes peccatorum circumplexi sunt me* (*Psal.* CXVIII). Dicuntur etiam bona temporalia. Unde dicitur : *Væ vobis qui trahitis populum in funiculis iniquitatis!* (*Isa.* V.) Funiculus etiam dicitur forma, gratia, sive hæreditas. Unde Psalmista : *Funes ceciderunt mihi in præclaris* (*Psal.* XV).

Tit. CII. *De fide et fidei intelligentia.*

Aliud est fides, aliud est intelligentia fidei. Ad fidem tenentur etiam laici, ut credant articulos fidei, scilicet nativitatem, passionem, etc. Ad intelligentiam fidei tenentur majores, ut prælati ; illi enim tenentur habere et fidem et fidei intelligentiam.

Tit. CIII. *Bonum quadrupliciter dici.*

Bonum quadrupliciter accipitur, dicitur enim bonum essentialiter, ut Deus; denominative, ut quælibet creatura dicitur bona, quia a summo bono est, justa illud : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I); usu, ut equus dicitur bonus, quia ejus bonus usus est; effectu, ut justitia et cæteræ virtutes quia faciunt bonum. Deus autem dicitur tripliciter bonus. In sua natura; bonitas enim ejus est ipsa deitas; et ipse est bonus in se et per se. Dicitur item bonus, quia dat, et quia facit bona.

Tit. CIV. *De differentia inter logicum et theologum Et de triplici intellectu.*

Hæc differentia est inter logicum et theologum, quod logicus prius intelligit quam credat, theologus vero prius credit, post intelligit, juxta illud : *Credite et intelligetis*, licet, secundum quosdam, intellectus debeat præcedere fidem. Ad hoc etiam ut fides actu habeatur de aliquo, primum, oportet scire quod ipsum sit, secundo credere, tertio intelligere quid ipsum sit : quod plene erit in patria. Intellectum vero alius est purus, quo comprehenditur forma et subjectum ; alius purior quo comprehendimus angelicam naturam; alius purissimus, quo contemplamur quodammodo divinam naturam. Primus dicitur cor imum, secundus medium, tertius altum.

Tit. CV. *De triplici similitudine.*

Similitudinum alia est æqualitatis, alia imitationis, alia contrarietatis. Prima convenit Filio Dei. Unde dicitur : *Non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo* (*Philipp.* II). Secunda convenit homini; est enim creatus ad imaginem Dei. Tertia convenit diabolo; cum enim Deus sit auctor et principium bonorum, diabolus a simili per contrarium est auctor omnium malorum. Prima licet sit optima nulli est appetenda ; quam quia homo voluit habere, cecidit in peccatum. Cum etiam esset servus, noluit habere dominum, sed credens suggestioni diaboli dicentis : *In quacunque hora comederitis eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III) : voluit æquari Deo per scientiam, et ita cum Filius sapientia sit Patris, fuit ei quasi occasio ruinæ, quare congruum fuit ut a Filio redimeretur. Unde Jonas in persona Filii loquens ait : *Propter me orta est tempestas, projicite me in mare* (*Jon.* I). Jonas Christum significat; mare mundum. Propter Christum autem occasionaliter orta est tempestas in mundo, cum homo suggestione dæmonis voluit superbe æquari Deo. Fuit ergo necessarium ut ipse in mare, id est in mundum mitteretur, et sedaret tempestatem, id est reformaret pacem inter Deum et hominem.

Tit. CVI. *De triplici baptismate.*

Triplex est baptismus fluminis, flaminis, et sanguinis. Fluminis in aqua, flaminis in pœnitentia, sanguinis in martyrio. Non quod baptismus sit nisi in aqua, sed quia illa supplent vicem baptismi. Unde illud Evangelio sic est supplendum vel exponendum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, id est, nisi quis renatus

fuerit ex illa scilicet virtute qua regenerantur illi, qui baptizantur ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit, etc.

Tit. CVII. *De quadruplici mutatione.*

Quadrupliciter fit mutatio. Est enim mutatio divina, physica, magica, moralis. Mutatio Divina duplex est : altera alternationis, altera transsubstantiationis. Mutatio alternitatis fuit in Cana Galilææ, ubi de aqua factum est vinum, quia mutata sunt substantialis, natura manente. Mutatio transsubstantiationis fit in eucharistia. Panis enim et vinum transsubstantiantur in carnem et sanguinem Christi. Mutatio physica, id est naturalis, fit cum de aqua fit glacies, de glacie crystallus. Mutatio magica fuit quando Magi Pharaonis mutaverunt virgas in serpentes. Mutatio moralis est, secundum quam philosophi aut poetæ dicunt quosdam mutatos in sues, ut socios Ulyssis, utpote in luxuriosos; quemdam in cervum, ut Acteonem, qui omnia sua expendit in venatione, Lycaonem in lupum, propter ferocitatem.

Tit. CVIII. *De multiplici debito.*

Multipliciter dicitur debitum. Est enim debitum commissi, omissi, meriti, congrui, voti, præcepti, promissi. Ratione commissi, sacerdos debet cantare missam. Ratione omissi, monachus debet vapulare, si delinquat in ordine. Ratione meriti quilibet retribuere amico suo beneficium acceptum. Ratione congrui debet esse miles, qui est aptus ad ferenda arma. Ratione voti, ille qui vovit se non cognoscere uxorem suam in Quadragesima, debet illud observare. Ratione præcepti debemus habere dilectionem Christi et proximi. Ratione promissi, Deus debet nobis vitam æternam, observemus ejus præcepta.

Tit. CIX. *De affectione exspectantis Deum.*

Homines Deum exspectantes debent esse suspensi, quando veniet; dubii ne ipsos deserat, hilares et devoti, diligentius adornati, terrena aspernantes, in ea nuptialem præsentiam, familiarem gratiam, liberalem munificentiam, summopere desiderantes.

Tit. CX. *De tribus nuptiis, et de variis verbis Dei.*

Tres sunt species nuptiarum. Prima reconciliationis per fidem, in qua sunt tria fercula, peccatorum ablutio, gratiæ consecutio, naturæ reformatio; secunda adoptionis per spem, in qua sunt etiam tria : eloquii Divini consolatio, alimoniæ cœlestis communio, dulcedinis internæ prælibatio. Tertia glorificationis perfectæ per charitatem cujus hæc tria fercula sunt : æterna incorruptio, vera glorificatio, perpetua Dei visio. Verba consolationis Dei sunt ablutio culpæ, restitutio gratiæ, exilii evasio, consecutio regni, consortium Divinitatis, adeptio æternitatis.

Tit. CXI. *De tribus armis fidelium.*

Arma fidelium sunt tria. Sapientia, plenitudo, quæ est David, de qua sententiarum lapides emittuntur; patientiæ fortitudo, quæ est baculus, quo luporum rabies propulsatur; charitatis amplitudo, quæ est pera David, de qua orationes proferuntur.

Tit. CXII. *De tribus prælato necessariis.*

Tria sunt prælatis necessaria : Via fidei, doctrinæ sinceritas, ut inhabitent in eadem regione. Studiosa bene operandi sedulitas, ut vigiliis cum pastoribus celebrent. De salute subditorum diligens curiositas, ut custodiant et conservent gregem suum.

Tit. CXIII. *De tribus speciebus pœnitentiæ.*

Tres sunt species pœnitentiæ : Simulatoria et infructuosa, cujus exemplum est in Esau et falsis credulis; et desperata, sicut in Cain et Juda : utilis et consummata, sicut in Maria Magdalena et Zachæo. Cujus partes sunt quinque, contritio in corde, confessio in ore, maceratio in carne, correctio in opere, perseverantia in virtute.

Tit. CXIV. *De tribus mirabiliter mutatis.*

Tria sunt mirabiliter mutata : sublimitas in humilitatem, quando Verbum carnem assumpsit; contemptibilitas in majestatem, quando se homo Deus coram discipulis transfiguravit; mutabilitas in æternitatem, quando Christus post resurrectionem cœlum regnaturus ascendit.

Tit. CXV. *De tribus impedientibus pœnitentiam.*

Tria sunt quæ pœnitentiam obruunt. Anxietas nimia, doloris exactio ad mensuram innocentis, indignitas inferentis.

Tit. CXVI. *De triplici ascensu Domini.*

Trifarmis ascensus Domini : Victoriosus quo ascendit super aera; spiritualis, quo ascendit super cœlos cœlorum ; gloriosus, quo ascendit super pennas ventorum.

Tit. CXVII. *De regni cœlorum acquisitione.*

Regnum cœlorum alii violenter rapiunt, ut pauperes spiritu. Alii merentur, ut illi qui faciunt amicos de mammona iniquitatis. Alii furantur, ut mulier quæ tetigit furtim vestimenti Dominici fimbriam. Alii ad ipsum compelluntur, ut pauperes sæculi.

Tit. CXVIII. *De instrumentis vindictæ Dominicæ.*

Tria sunt quibus Deus vindictam exercet in hostes : Lavacri salutaris remedium, quod obruit diabolos velut mare Rubrum occidit Ægyptios; pœnitentiæ condignæ exercitium, quæ velut sulphur peccati letores interimit; districtionis extremæ judicium, quod obduratos velut ignis ad vocem Eliæ involvit idololatras.

Tit. CXIX. *De triplici lecto animæ.*

Lectus animæ tripartitus est quo pausat : Gravitatis debilitatis compositione quam sibi languidus jam sanatus substernit; tranquillitas quietæ conscientiæ in qua, fugiente David, statua ejus ponitur (*I Reg.* XIX). Hoc est, cui duæ futuræ supponuntur, de præterito securitatis et fiduciæ ampliatio, de futuro remunerationis et præmii certitudo. Cervical quod supponitur capiti, est divinæ et familiaris gratiæ largitudo. Lectus tertius, humilitas inanis gloriæ; quæ est lectus floridus, quem LX fortes ambiunt (*Cant.* III).

Tit. CXX. *De duobus fluviis quibus se lavant peccatores, et quibus justi.*

Fluvii quibus se peccatores lavant duo sunt : fluxus compositionis et lasciviæ, item pestis adulationis et fallaciæ. Qui sunt Abana et Pharphar, fluvii Damasci (*IV Reg.* v). Fluvii quoque quibus justi se balneant duo sunt : invectio compositionis et contumeliæ, suavitas consolationis et gratiæ qui sunt Core et Datan, filii Levi.

Tit. CXXI. *De quatuor herbis aut floribus in horto Dominico crescentibus.*

Quatuor species sunt herbarum in horto Domini : Puritas corporalis munditiæ quæ est quasi lilium; Gratia specialis innocentiæ, quæ est quasi hyssopus; Veritas libera eloquentiæ, quæ est quasi viola; justitia operationis continuæ, quæ est quasi rosa.

Tit. CXXII. *De tribus paradisis.*

Paradisorum genera trin sunt : Voluptuosa dulcedo visibilium, quæ irrigatur sicut hortus deliciarum; sincera puritas spiritualium, quæ in se conservat hominem; deliciosa veritas supercœlestium, ubi Paulus audit arcana verba quæ non licet homini fari (*II Cor.* xii).

Tit. CXXIII. *De rerum nostrorum furibus.*

Latrones qui nobis optima quæque furantur, quatuor sunt : Hebetatio intellectus, discordia tollens nobis scientiam veritatis. Hic latro apud Psalmistam vocatur negotium in tenebris (*Psal.* xc). Indomitæ carnis lascivia, rapiens meritum integritatis, et dæmonium dicitur meridianum (*ibid.*). Favorabilis jactantia, tollens plenitudinem sanctitatis, et dicitur sagitta volans in die (*ibid.*). Vitæ hujus amor et appetentia rapiens præmium æternitatis, et dicitur timor nocturnus (*ibid.*). Hi sunt latrones sine intermissione insidiantes.

Tit. CXXIV. *De tribus panibus.*

Tres sunt panes quos de via veniens quærit amicus, charitas, humilitas, continentia.

Tit. CXXV. *De assumptione et decem præconiis Mariæ semper Virginis.*

Assumpta est Maria in cœlum. Felix dies et præteritis diebus felicior, in qua Virgo virginum, Sancta sanctorum, misericordiæ mater assumitur, in qua cella aromatica, paradisus deliciarum, angelorum gloria ad regalis solii celsitudinem sublimatur. Hæc est Domina nostra, hæc est Virgo quæ singulari privilegio comitantibus angelicis choris hodie ad dexteram filii pervenit. Nam universorum Rex et ejus Filius et Dominus cœlorum cum tota cœlesti curia huic hodie occurrit, dicens : *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te* (*Cant.* iv). Hodie Domina nostra insigni circumdata corona, ostendit angelicæ dignitati suæ celsitudinis privilegia, in quibus totius paradisi gloriatur curia. Primum privilegium est quod sine sorde et sine viro concepit. In hoc enim immunem se in conceptu ostendit, ab illo præscripto prophetico : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* l). Secundum privilegium quod sine dolore peperit. Ubi maledictionem illam quæ primæ mulieri data fuerat superavit. *In dolore paries filium*, etc. (*Gen.* iii). Nam quam homo non deflorat, non torquetur, nec laborat, etc. Tertium quod virgo et mater fuit, ubi natura cursum suum mutavit et admirando expavit. Nam miratur quod virgo pura parit filium. Nullo enim naturæ pacto ibi fecunditas prædicatur, ubi integra virginitas conservatur. Quartum quod integre et perfecte omnia novit; qualiter enim aliquid potuit ignorare quæ omnia scientem scivit; in qua tota divinitatis plenitudo corporaliter habitavit? Quintum, quod Deum genuit. Sextum quod sine dolore mortis abiit; tantum enim a dolore mortis facta est extranea, quantum a corruptione fuerat aliena. Septimum quod cum corpore suo (quantum credimus) in cœlo vivit. Licet enim B. Hieronymus hic opiniones ponat, non tamen factum abnuit; sed rationis astutæ tota fidei nostræ colla submisit, in qua dicimus non impossibile Deo esse ut illud divinitatis habitaculum singulare corruptioni non subjaceat vel vermibus. Qui enim trium puerorum vestimenta in camino ignis illæsa servavit, corpus matris propriæ incorruptum servare et voluit et potuit. Octavum quod angelicam sublimitatem transcendit. Nonum quod ad dexteram Filii singulariter sedet Psalmista testante : *Astitit regina a dextris tuis*, etc. (*Psal.* xliv). Decimum est generale quo pertexitur ora chlamydis, quod *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*

Tit. CXXVI. *De triplici gaudio.*

Intra in gaudium Domini tui (*Matth.* xxv.). Triplex est gaudium. Est gaudium sæculi, est gaudium tuum, est gaudium Domini tui. Primum est de terrena affluentia, secundum de bona conscientia, tertium de æternitatis experientia. Non igitur exeas in gaudium sæculi, non remaneas in gaudio tuo, sed intres in gaudium Domini tui. Primum enim exterius est, medium quidem intra te, sed tertium multo interius. Ad primum exitur, ad secundum venire incipitur, ad tertium pervenitur. Ad primum exivit homo cum cecidit de paradiso, ad secundum venire incipit, cum per fidem reconciliatus est Deo. Tunc autem ad tertium perveniet, cum videndo ipsum sicuti est in æternum fruetur ipso. Primum est simplum, secundum centuplum, tertium vita æterna. *Qui autem renuntiaverit omnibus quæ possidet, centuplum accipiet, et in futuro vitam possidebit æternam.*

Tit. CXXVII. *De exaltatione Dei in nobis per cor altum, latum et profundum.*

Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus (*Psal.* lxiii.). Tribus modis exaltatur Deus. Primo per id quod habet de nobis, per naturæ scilicet humanæ conditionem, in qua exaltatus est super cœlos cœlorum, secundo, per id per quod habitat in nobis, per fidem videlicet, et dilectionem : quia qui amplius diligit, amplius diligendus invenitur; tertio, per id per quod capitur a nobis, utpote per cognitionem, quia quanto magis crescit in nobis

ejus cognitio, tanto major invenitur ejus eminentia, instar montis qui quanto magis ab eo elongaris, tanto minor apparet; quanto vero magis appropinques, tanto major et altior videtur. Est autem cor profundum, et latum, et altum. Profundum desperatione, latum dilectione, altum contemplatione. Si ergo vis ut Deus qui in se exaltari non potest, in te exaltetur, a profundo cordis accede ad latum per fidem et dilectionem, et de lato ad altum per cognitionem, et exaltabitur Deus in nobis, quia quanto magis humani cordis affectio ab inferiorum suspensa desiderio in amorem æternorum promovetur, tanto charitas Dei de maximis major, et de summis altior virtutibus apud ipsum exaltatur.

TIT. CXXVIII. *De triplici promotione hominis.*

Euge, serve bone et fidelis! quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam (*Matth.* XXV). Tres sunt promotiones: Prima est in virtutibus, secunda in administrationibus, tertia in præmiis. Prima meritorum, secunda stipendiorum, tertia præmiorum. Prima meritoria, secunda dispensatoria, tertia remuneratoria. Prima interius operatur, secunda exterius, tertia interius et exterius. Prima quippe bonum facit, secunda fidelem comprobat, tertia beatum constituit. Prima supra seipsum, secunda supra proximum, tertia supra hominem simul et angelum. *Nescitis*, inquit Apostolus, *quia angelos judicabimus* (*I Cor.* VI). Unde dicitur: *Euge, serve bone et fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis*, etc. Hæc prima promotio bona est in propriis. Hæc secunda fidelis in commissis, bona in conscientia, fidelis in providentia. *Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Hæc autem tertia beata est in præmiis; unde additur: *Intra in gaudium Domini tui.*

TIT. CXXIX. *Esse ex Deo, a Deo et de Deo.*

Qui ex Deo est verba Dei audit (*Joan.* VIII). Aliud est esse ex Deo, aliud a Deo, aliud de Deo. Ex Deo esse est ex eo habere existentiam; a Deo, ipsi conformari per gratiam et justitiam; de Deo, deitatis habere naturam. Nihil de Deo est, nisi Deus; nullus a Deo, nisi electus. Ex Deo, tam electos quam reprobus; sed de Deo nihil, nisi Deus: solus enim Deus deitatis habet naturam. Electi conformantur ei per justitiam, ex Deo habent omnia existentiam, ex quo et in quo et per quem omnia sunt. Unde non secundum gratiam ex Deo sunt omnia, sed secundum existentiam, quia multa quæ sunt ex Deo per naturam conditionis; ex diabolo sunt per malitiam imitationis. Unde Dominus: *Vos*, inquit, *ex patre diabolo estis*, etc. (*Joan* III). Qui ergo naturam subsistendi et formam vivendi ac vincendi ex Deo habent, ii ex Deo omnino sunt; et ipsi verba Dei audiunt non solo auditu auris, sed et cordis et operis. In auditu autem operis est obedientia; nam qui audit solo auditu auris, audit negligenter; qui auditu cordis, intelligenter; qui auditu operis, obedienter.

TIT. CXXX. *De pastoris boni officio.*

Ego sum pastor bonus, etc. (*Joan.* X). Qui habet pastoris nomen, sic gerat officium, ut habeat et meritum: ut non tantum sit bonus nomine, sed bonus actu, bonus et pastor sibi et gregi. Quos pascit verbo informet exemplo. Pro qua duplici bonitate, *duplici*, secundum Apostolum, *habeatur dignus honore* (*I Tim.* V). Potest enim quis esse bonus et non pastor, et pastor et non bonus, et nec bonus nec pastor, et simul bonus et pastor. Sed bonus sit oportet, qui bonus pastor, hic ergo duplici bono præditus: altero suas oves cognoscit, altero a suis ovibus cognoscitur. Nam haud bonus pastor esset, si uno abundaret, at non altero; utpote si vel non cognosceret oves suas, vel non cognosceretur ab eis. Pastorum quippe alii cognoscunt oves suas, sed non cognoscuntur a suis. Alii cognoscuntur a suis, sed non cognoscunt suas. Alii neque cognoscuntur a suis, nec cognoscunt suas. Alii et cognoscunt suas, et cognoscuntur a suis. Primum fit cum prælati subditis necessariam exhibent providentiam et debitam ab ipsis non accipiunt obedientiam; secundum, cum prælatis debita solvitur obedientia, nec ab ipsis necessaria subditis impenditur providentia; tertium, cum nec illi providentiam neque isti largiuntur obedientiam; quartum fit cum et illi providentiam, et isti obedientiam exsolvunt debitam. Sic etenim pastor ovem cognoscit, si ejus necessitati sicut notæ sive commissæ diligenter providet. Ovis pastorem agnoscit, si ejus voci non ut alienæ, sed ut domesticæ incunctanter obedit.

LIBER SEXTUS.

ADNOTATIONES ELUCIDATORIÆ IN SCRIPTURAM, TRACTATUUM MORALIUM FRAGMENTA, ETC.

TIT. I. *De quadruplici potestate Christo data, et quadruplici statu creaturarum.*

Data est mihi omnis potestas, etc. (*Matth.* XXVIII). Magno et inæstimabili gaudio meus noster potest hilarescere, si quam eminenti gratia natura humana de morte translata sit ad gloriam curet attendere. Duplo enim amplius exaltata est quæ cecidit, si attendas de quo statu ciciderit, et ad quem ascenderit. Lapsus enim est de animali et mortali ad mortuum. Primus enim homo factus est in animam viventem, id est, vitam animalem; et si animalem, etiam mortalem. Et corpus mortuum est propter

et de ubere compassionis lac exprimere consolationis. Gaudere scilicet cum gaudentibus, et flere cum flentibus.

Tit. IV. *Responsum a triplici spiritu accipi.*

Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto (*Luc.* II). Aliquando homo accipit responsum a Spiritu sancto, aliquando a spiritu malo, aliquando a spiritu suo. Quando accipit a spiritu malo, semper deluditur; quando a spiritu suo, sæpe decipitur; quando a Spiritu sancto nunquam fallitur. Spiritus malus semper deludit, spiritus hominis sæpe decipit, Spiritus sanctus semper bene docet et instruit. Nam quoties dat responsum, reddit veritati testimonium, sponsorque et testis de seipso facit judicium. *Spiritus*, inquit, *scrutatur verba Dei* (*I Cor.* II). Dat ergo Spiritus sanctus responsum per inspirationem, quam suggerit: testimonium per gratiam quam infundit; judicium per discretionem quam tribuit. Quia vero multæ sunt suggestiones, et non facile credendum est omni spiritui, gratia cujusdam optimi saporis bono spiritui testimonium reddit. *Ipse*, inquit, *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro* (*Rom.* VIII). Quoniam ipsum gustum a carnis affectionibus, scientia judicandi discrevit. *Spiritus enim omnia judicat* (*I Cor.* II), *attingens a fine usque ad finem fortiter* (*Sap.* VIII). Aspiratio ergo judicat, gratia commendat, scientia discretionis examinat. Quicunque his fulcitur auctoritatibus et circumstantiis, huic secure assentias.

Tit. V. *De infirmo, causa morbi, medico et remedio morbi.*

Infelix homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? (*Rom.* VII.) Hic quatuor consideranda: infirmus, causa morbi, medicus et remedium. Medicus Deus, infirmus homo, causa morbi amor mundi, remedium amor Dei. Horum differentia hæc est: Amor mundi in principio dulcis, in fine amarus nimis; amor Dei ab amaritudine incipit, finitur in dulcedinem magnam. Unde architriclinus sponso: *Omnis homo primum bonum vinum ponit; sed cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est*, etc. (*Joan.* II).

Tit. VI. *De triplici edicto, et de Moyse in fiscella clauso, per allegoriam ad Christum.*

Exiit edictum a Cæsare Augusto, etc. (*Luc.* II). Tria sunt edicta: Primum ad liberationem, secundum ad purgationem, tertium ad salvationem. Primum exivit a sapientia, secundum a potentia, tertium a gloria. Nisi sapientia exiret, potentia non salvaret nos, nec gloria vivificaret. Exivit Illius qui diu latuit. Sicut Scriptura ait, Moyses latuit tribus mensibus in domo patris (*Exod.* II), Christus tribus temporibus in sinu Patris: ante diluvium, post diluvium, post legem. Ut exeat texitur fiscella scirpea. Fiscella est Maria; scirpea, fragili ex carne sine nodo culpæ. Recens in aqua rore gratiæ, pice et bitumine linitur ne dissolvatur, neve aqua intret. Duo sunt mala hominis: unum carnis, alterum spiritus, luxuria et superbia. Contra luxuriam adhibetur bitumen virginitatis, contra superbiam pix humilitatis; et ideo aqua libidinis non potest influere, quia carnem claudit bitumen, nec superbia potest dissolvere, quia pix sigillat mentem. Audi vocem bituminis: *Quoniam virum non cognosco* (*Luc.* I). Audi picem liquentem: *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum* (*ibid.*). Valida fiscella interius omne bonum continet: exterius nullum malum accedit. In tali vase venit in Ægyptum hujus mundi Dominus.

Tit. VII. *De vigiliis, somnis, quando et a quibus surgendum.*

Hora est jam nos de somno surgere (*Rom.* XIII). Tria ponit: horam, somnum, et surgere. Fuerunt quasi cujusdam noctis tenebrosæ vigiliæ tres. Prima in paradiso, in qua diabolus tribus modis tentat et superat: per avaritiam, per vanam gloriam, per gulam. Secunda in lege naturali, in quibus sunt tria quibus victos homo desperat: hostis instantia per suggestionem, malignitas carnis per concupiscentiam et titillationem fragilitatis, mentis ignorantia per alienationem veritatis. Tertia in lege scripta Moysi, in qua tria sunt, per quæ moriens homo exspirat: abusio corporalium, quam faciebant in manna, dicentes: Revertamur ad ollas carnium; transgressio spiritualium mandatorum, dum facti sunt prævaricatores, obstinatio malorum cordium, sæpe etenim correpti pejores sunt facti. Tres similiter sunt species somni: Prima qua dormitat per cogitationem, tribus modis: immunditia, cum res turpes revolvit; superbis, cum in proximum se erigit; concupiscentia, cum res proximi concupiscit. Secunda qua dormit per locutionem, tribus modis: sermone supervacuo, detractorio, adulatorio. Tertia qua soporatur per operationem tribus modis: opere simulatorio, impio, impudico. Dicit igitur: *Hora est jam nos de somno surgere.* Post tres vigilias noctis sequitur quarta vigilia; quæ est ab incarnatione Domini usque ad finem sæculi. Post quam nox non est, sed dies perpetua: *Nox enim præcessit; dies autem appropinquavit* (*Rom.* XIII). Quarta vigilia noctis qua Dominus venit super aquas, tripartita est, tribus principaliter horis distincta. Prima hora, tempore martyrum, obstrepentibus hæreticis; secunda, tempore confessorum, pullulantibus hypocritis; tertia erit cum refrigescet charitas multorum. In his et in illis sicut per tres vigilias dormitavimus, dormivimus et soporati sumus. Sic quarta vigilia, tribus modis oppositis, de somno surgimus, trium vigilantium intentione; qui sunt spiritualis puritas, contra immunditiam; spiritualis paupertas contra concupiscentiam; oris custodia contra linguæ vitium: idque tribus modis: ostium ut sit circumstantiæ, contra sermonem supervacuum; lana ex amore, contra detractorium; veritas in ore, contra adulatorium. Tribus modis etiam vigilare excitamur in operis exhibitione, per tres monitores: qui sunt veritas actualis contra opus simulatorium, pietas

Personæ nomen occurrit, quia es vel monachus simplex, vel pastor, vel episcopus. Quid ad te horum principaliter pertinet, sive quod nactus sive quod natus? Hoc ergo consideres maxime quod maxime es. Nec modo quod natus, sed qualiter natus. Nudus egressus es de utero matris. Nunquid infulatus? Si consideres qualis sis, occurrit homo dolens, quia humo sis, erubescens quod nudus, quod natus sis plorans, murmurans quod sis natus ad laborem non ad honorem. Ita tibi sume formam tam de conditione originis quam de sacramento redemptionis, quia auctor naturæ summa imaque consociat in sui persona; lumen Verbumque temperat. Tu altus sedens, non alta sapiens sis, sed humilia de te sentiens humilibus consentias. Proinde si consideres quantus sis, cogita et qualis, et maxime monstruosa res est grandissimus animus et infirmus, sedes prima et ima, vana lingua et magniloqua, et manus otiosa, sermo multus, et fructus nullus; vultus gravis, et actus levis; ingens auctoritas, et nutans stabilitas. Considerandum ergo quid sis, ut te in te teneas, non ambulans in magnis neque in mirabilibus super te, neque sub te in profundum, quia locus medius est tuus, et virtus est ut qui fis sentiens, non decus tuum, sed ministerium datum consideres. Propheta cum similiter elevaretur audivit : *Ut evellas et destruas, et ædifices et plantes* (*Jer.* I). Rustica res, in sudoris autem schemate quidam labor spiritualis non honor expressus est. Ut enim rusticum facias opus, prophetæ sarculo opus est, non sceptro. Attendas regimini non imperaturus, sed vitia exstirpaturus. Illius tenore contentus, curam hæreditabit et operam, non gloriam; sed et duritias pro blanditiis. Cathedra episcopalis specula est; inde superintendens sonans episcopi nomen, officium significat non dominium. Tertiæ considerationi adjiciendum, qualis sis in condonandis injuriis, qualis in ulciscendis, quam in utroque providus loci et modi observator, qualis in prosperis, qualis in adversis, qualiter constans in propriis injuriis, condolens in alienis. Magnus est qui incidens in adversa, non excidit vel parum a sapientia; major qui cum præsens felicitas sibi arrisit, illi non arrisit. Facilius enim contraria fortuna quam prospera sapientia retinetur.

TIT. XIV. *De tribus supplicationibus, seu rogationibus principalibus.*

Tres sunt principales processiones : Prima in Purificatione beatæ Mariæ cum cereis ac lucernis; secunda in ramis Palmarum, cum floribus et palmis; tertia circa Ascensionem Domini, cum crucibus et vexillis. In duobus autem consistit purificationis nostræ festum : in emundanda conscientia propter Deum, et fama propter proximum. Conscientia a manifestis et occultis. Unde : *Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea*, etc. (*Psal.* L). Ecce de manifestis. Et : *Ab occultis meis munda me* (*Psal.* XVIII). Ecce de occultis. Fama quoque mundanda et protegenda a vera et falsa infamia. In his opus est lucerna, id est prudentia multa quæ in secretioribus et obscuris, peccata quibus cæci facti sumus quærat, inveniat et purget, ut sic illuminatus dicat : *Lumen ad revelationem gentium*, etc. (*Luc.* II). Purificati autem facimus secundam cum floribus et palmis. Arbores prius folia, deinde flores, et tandem producunt fructus. In folio initium boni, in flore promissio primi, in fructu perceptio. In floribus præcedimus, si bonis initiis spe præmii ad æternitatis fructum tendimus. Palma non nisi centenaria fructificat, significatque palma victoriam. Centesimus fructus vitam æternam significat. Palmam portat in palma, qui in bonis de diabolo triumphat, et æternæ vitæ fructum exspectat. Sequitur processio in crucibus et vexillis. In cruce carnis afflictio, in vexillis mentis elevatio; crucibus vexilla addimus cum ex carnis maceratione ad cordis magnificentiam proficimus. Prima processio fit de domo in templum, secunda de vico in civitatem, tertia de terra in cœlum. Domus est mansio usibus destinata propriis; templum, domus divinis dedicata. Conscientia ergo immunda domus est, munda templum, et ita prima processio, ab immunda incipiens conscientia, in ipsius munditiam terminatur. Vicus vero habitatio immunita. Secunda ergo processio a pusillanimitate spiritus et tempestate, modo ejusdem terminatur securitate. Ultima fit de terra ad cœlum : de loco afflictionis et miseriæ ad locum jucunditatis et gloriæ. In prima processione, hinc adsunt puer et puella, inde senex et vidua. In puero lacrymæ et mœror, in puella pudor, in sene tremor, in vidua notatur dolor. Eget omnino purificationis nostræ festum talibus cultoribus ex recordatione peccatorum lacrymantibus, erubescentibus, trementibus et dolentibus. Nam talium est circumducere processionem cum immolatione in templo vociferationis. In secunda processione, hinc videre est discipulorum cœtus, inde utriusque sexus turbam, quæ convenerat ad diem festum. Recipit hæc pueros, adolescentes, ætate maturos. In primis virtutis inchoatio, in secundis promotio, in tertiis notatur perfectio. Cum his oportet procedere qui vult sanctam ingredi civitatem. Ultima processio recipit solos perfectos, hinc viros angelicos descendentes et Galilæos sursum intendentes : medium Jesum a terra sublevatum, a nube susceptum, et in cœlum assumptum. Primi sunt boni doctores; secundi boni auditores; tertii eos qui ex his et illis in cœlum recipiuntur designant. In secunda processione opus est aut turture aut columba; uterque gemitum pro cantu habet. In cantu turturis gemitum pro peccatis; unde solitudinem amat. In cantu columbæ notamus gemitum pro dilectione patriæ : unde congregationem amat. Hoc opus in processione expiationis. In secunda pullo et asina quæ sunt minora subselliorum et clitellatorum genera. In asina humilitas, in pullo humiliatio. Humilitas qua quisque intus vilescit sibi in oculis Dei; humiliatio ejus effectus, quasi exterius se abjicit in oculis proximi; multi enim sunt exterius abjecti qui vere humiles non sunt. Hi in pullo, non in asino se-

dent. Alii infirmitatem suam agnoscunt; sed dom foris humilia erubescunt, asinam, non pullum habent. Dominus non nisi in his subselliis sedet, quia: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI.) In tertia fit processio in tuba et cymbalo. Cymbalum est jubilationis, tuba admirationis. Cymbalum a quacunque parte percutiatur idipsum resonat. Multiplex percussio, simplex resonantia, ut et nos quomodocunque et ubicunque feriamur, non nisi in cymbalis benesonantibus et jubilationis, solam Dei laudem resonemus, intendentes in tubam admirationis.

TIT. XV. *Forma exordiendi sermonis.*

In auribus tam prudentium, tamque venerabilium personarum quemlibet mihi timeo usurpare sermonem, qui nihil penes me nisi conscientiam habeo peccatricem, minorem scientiam et eloquentiam imperfectam, cui opportunius esset silere quam loqui, pasci quam pascere, aures vobis potius exhibere quam linguam. Sed quia sum qui mandatis Domini mel audeam obsistere? Multa do me mihi fiducia; verum ad sanctitatem præcipientis et ad merita vestra convertor, cui necesse est obedire ex regula; idque sine mora. Nam os meum obedientiæ necessitas aperit, utinamque illud merita vestra adimpleant gratia ejus, qui ait: *Aperi* [*Dilata*] *os tuum, et ego implebo illud!* (*Psal.* LXXX.)

TIT. XVI. *Ad pastores et prælatos sermo de officio pastorali.*

Videte, fratres, ministerium vestrum, judicate judicium Domini, quia judices sæculi positi estis, non enim in ad occidendum, sed vulnerum ad sanandum. Videte languidum in manibus vestris, quem vobis misericors ille Samaritanus commisit: pro quo pretium ab eodem accepistis ne de vestro constet curatio ejus. Habetis duos nummos in duplici Testamento: Veteris monetæ unum, novæ alterum; ut Veteri emantur medicamenta quæ mordent; Novo, quæ fovent. Prima ad putrida purganda; secunda ad viva confirmanda. Hi sunt duo gladii quos Petrus parat in passione Domini. Primus est increpatio; secundus exhortatio. Unus quo ab Ecclesia putrida membra resecantur; alter quo sana a vulneribus defensantur. Hoc Petrus vobis reliquit, ut vitia hominum feriatis; sed cum fervore Petri, hæredes ejus et imitatores esse velitis. Christus in oculis vestris crucifigitur, et vos gladium in vagina habetis? Quid Christianus, nisi corpus Christi, cum ipse dicat: *Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Quid pigri? quid timidi estis? Forte quia non statis sicut Phinees, iram Domini non placatis ut cesset quassatio. Forte quia discubuistis ad ollam Pharaonis, saginam diligitis, pignum est vobis ad bellum surgere. Forte quia lac diligitis et lanam, non oves pascitis, sed vosmetipsos, et fugitis veniente lupo, quia de ovibus non curatis. Saltem si lac ovium comeditis, carnem servate. Si fructum pro custodia quæritis, ipsas tamen oves non occidatis. An non occiditis? *Si eis iniquitatem suam non annuntiatis, sanguinem*, inquit Dominus, *de manu tuo requiram* (*Ezech.* III). Bonus pastor Christus etiam carnem suam ovibus dedit edendam, ut eas reficeret, et vos quomodo pretium pro gratia accipientes et lupi facti, ipsas oves necatis? Væ pastoribus malis, qui pascunt semetipsos non oves, qui sicut mercenarii, videntes lupum venientem, fugiunt non mutando locum, sed subtrahendo auxilium. Si ergo pastores estis vigilate super gregem vestrum. Ascendite ex adverso, et date vos murum pro domo Israel. Et quasi boni canes, latrato circum caulas Ecclesiæ vocibus confidentiæ, ut timeant laniatores lupi, et oves securæ permaneant, et vos, pro bona custodia, pretium condignum accipere mereamini.

TIT. XVII. *De verbi Dei efficacia.*

Vivus est sermo Domini et efficax, etc. (*Hebr.* IV.) Sermo Domini vivus est et multiplex, quia loquitur per homines, loquitur et per se: per homines multus, per se unum. Videamus magnum sacramentum. Verbum Dei humana carne vestitum semel visibile apparuit: quotidie idipsum, iterata voce, conditum ad nos venit. Humanitatem Christi mali non solum videre, sed etiam occidere potuerunt. Quotidie sermonem Dei mali audiunt et contemnunt. Quemadmodum autem illi non occidissent, si cognovissent; ita isti nequaquam verba Dei audita contemnerent, si virtutem eorum interno sapore gustarent. Sermo Dei vivus est, quia in eo vita est et cor vivificat. Quod foris est transit, quod intus mutabilitatem non recipit. Vivus est ergo, quia non mutatur; efficax, quia non deficit. Non fallitur judicio promissio ejus, oblivione non moritur, nec intentione mutatur. Operatio ejus difficultate non vincitur, judicium ambiguitate non fallitur. Veraciter permittit, fortiter facit, subtiliter discernit. Vivus est ut credas; efficax ut speres. Penetrabilis in judiciis; vivus in præceptis et prohibitionibus: efficax in promissis et comminationibus. Penetrabilis in judiciis et damnationibus: *penetrabilior omni gladio ancipiti*. Hominis gladius non nisi hominis corpus incidit: ideoque anceps non est: dicitur enim anceps, qui utraque parte secat, quia *potest animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X). Sive utrumque dijudicat, incidit, et discernit: *pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus*, dum sacrum eloquium nobis quæ inter carnalia de fide repugnantia habeatur ostendit: *compagum quoque et medullarum*, quod explanatur eum subditur *cogitationum et intentionum*. Primum est foris super omnia quasi cutis; deinde delectatio quasi caro; inde cogitationes quasi ossa; tandem intentio quasi medulla. Sicut autem cutis carnem tegit, sic opera delectationem; et sicut ossa carnem fulciunt, sic cogitationes desideria pascunt, et sicut medullæ ossibus interiores sunt, sic in cogitationibus latent intentiones. Cogitationes compages vocantur, quia sicut compago vinculum est quod medium extrema conjungit, ita cogitationes quia ex desideriis nascuntur, et desideria gignunt, quodammodo

utraque, hæc nutriendo, illa gignendo, conjungunt. Et bene post divisionem animæ et spiritus, id est carnalium voluntatum, divisio compagum, id est cogitationum bonarum et malarum, quasi perplexior et difficilior est posita; postremo quasi discretor intentionum. His omnibus secreta est merito in extremo medullarum divisio posita. Hic autem sermo Dei dijudicando penetrat intus per sapientiam suam secreta nostra subtiliter intelligendo; foris per doctrinam suam utiliter nos illuminando, eadem faciendo intelligere. Quia ergo vivus est, credamus eum vera promittere; quia efficax, speremus eum promissa perficere; quia penetrabilis et falli non potest, offendisse eum doleamus, et de reliquo offendere eum caveamus.

TIT. XVIII. *De Pharisaicis sui admiratoribus, et hypocritis occultis detractoribus.*

Pharisaica jactantia cunctos quidam homines quod superiores se et meliores existimant, despiciunt, venientes ad eos sub vestimentis ovium, intus autem lupi rapaces sunt: sed et pulices mordaces, imo tineæ demolientes bonorum vitam, cum palam non audeant, in occulto corrodunt; si clamorem invectionis non possunt, saltem susurrium detractionis emittunt. Quid hujusmodi prodest tanta in suo victu parcitas, et in vestitu asperitas illa, et notabilis vilitas, in vigiliis, in jejuniis, in totius denique vitæ suæ singularitate quædam austerior conversatio, nisi forte opera sua faciunt *ut videantur ab hominibus? (Matth.* IX.) Sed dicit Christus: *Amen, dico vobis, receperunt mercedem suam (ibid.).* Tales, juxta Apostolum, in hac vita tantum sperantes, miserabiliores sunt omnibus hominibus (*I Cor.* XV). In hac vita tantum in Christo sperat, qui de Christi servitio tantum temporalem gloriam quærit. Miser talis homuncio, qui tanto labore et industria studet non esse, vel potius non videri sicut cæteri hominum: minus acceptus, imo cruciandus gravius quam quilibet hominum. Siccine non invenitur hypocritis via, ut ita dicam, utcunque tolerabilior ad infernum! cur saltem illam, qua multi incedunt, viam latam quæ ducit ad mortem non eligunt, ut velut de gaudio et non de luctu ad luctum transirent? O quam felicius est illis: quorum *non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum: qui in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur!* (*Psal.* LXXII.) Qui etsi peccatores, et pro temporalibus gaudiis perpetuis cruciatibus addicti, saltem abundantes in sæculo obtinuerunt divitias. Væ portantibus crucem, non sicut Salvator suam; sed sicut Cyrenæus alienam. Væ citharœdis citharizantibus non velut illi de Apocalypsi in citharis suis, sed vere, ut hypocritæ, in alienis. Væ semel et væ iterum pauperibus superbis, portantibus crucem Christi, non sequentibus Christum! qui cujus passionibus participantur, humilitatem sectari negligunt. Duplici contritione conteruntur qui hujusmodi sunt. Quia hic pro temporali gloria se affligunt, et in futuro pro interna superbia ad æterna supplicia protrahentur. Laborant cum Christo, sed non cum Christo regnabunt; sequuntur Christum in simulata tristitia, non tamen Christum consequentur in gloria. De torrente in via bibunt, sed non exaltabunt caput. In via lugent, sed non consolabuntur in patria: et merito. Quid enim facit superbia sub pannis humilitatis Christi? Nunquid non habet quo se palliet humana malitia, nisi unde involuta fuit infantia Salvatoris? et quomodo inter præsepium Domini simulans arrogantia se coarcta, et pro vagitibus innocentiæ malum murmurat detractionis? An non illi superbissimi in psalmo quorum *prodiit ex adipe iniquitas eorum*, multo citius sint redempti ab iniquitate et impietate, quam isti qui latent sub sanctitate aliena? (*Psol.* LXXII.) Certe minus est impius confitens impietatem quam mentiens sanctitatem, quia mendacium addens geminat impietatem.

TIT. XIX. *De incremento seminis jacti in terram, id est fidei et cæterarum virtutum.*

Sic est regnum Dei quemadmodum si homo jaciat semen in terram, et dormiat et exsurgat nocte et die et semen germinet, et increscat dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat; primum herbam, deinde spicam, postea plenum frumentum in spica. Et cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis (*Marc.* IV). In cordis ascensione quidam gradus sunt de quibus ait psalmista: *Ambulabunt de virtute in virtutem* (*Psal.* LXXXIII). Unde Job: *Per singulos gradus meos pronuntiabo illum* (*Job* XXXI). Is quippe per singulos gradus suos pronuntiat, qui propter incrementa virtutum quæ accipit ei qui dedit laudem reddit. Et non solum de virtute in virtutem gradus sunt, sed unaquæque virtus quasi quibusdam gradibus augetur et per incrementa perficitur. Est enim aliud virtutis exordium, aliud profectus, aliud perfectio. Si ipsa fides quibusdam gradibus ad perfectionem non deduceretur, apostoli non dixissent: *Adauge in nobis fidem* (*Luc.* XVII). Et alius, an crederet requisitus, non respondisset: *Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* IX). Si enim incredulitatem se habere noverat, quomodo credebat? Sed quia fides meritorum gradibus crescit, uno atque eodem tempore is qui non plene crediderat, simul et credebat, et incredulus erat. Hos itaque gradus sub messis nomine, Marcus noster describit dicens: *Sic est regnum Dei*, etc. Semen homo jacit in terram, cum bonam intentionem cordi suo inserit. Posteaque dormit, id est in spe boni operis quiescit; nocte exsurgit ac die, quia inter prospera et adversa non deficit semen, germinat et crescit ille, quia et cum adhuc incrementa sua metiri non valet, virtus semel concepta ad provectum ducitur; et ultro terra fructificat, quia præveniente se gratia mens hominis spontanee ad fructum boni operis surgit. Sed hæc eadem terra primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Ipsa enim invocatio boni operis instar herbæ teneritudinem habet, et ad spicam pervenit, cum virtus percepta ad perfectum operis

pertrahit. Plerumque frumentum in spica fructificat, cum virtus ad robustum et perfectum opus perficit. Producto fructu, omnipotens Deus falcem mittit, et messem suam desecat, quia cum unusquisque ad perfecta opera produxerit temporalem vitam suam, per emissam sententiam incidit, ut granum suum ad horreum cœleste perducat. Cum igitur desideria bona concipimus, semen vitæ in terram mittimus; cum opera recta concipimus, herba sumus; cum ad perfectum boni operis conficimus, ad spicam pervenimus; cum ipsius operis perfectione solidamur, plenum frumentum in spica proferimus. Petrus herba fuit. Cum autem ancillæ verba timuit, viriditas adhuc erat in mente, quia Christum omnium redemptorem credebat, sed flexibilis pede conculcabatur timoris. In spicam suam excreverat, cum eum quem confiteri timuerat in Galilæa, viventem videbat. Ad plenum granum in spica pervenerat, quando, veniente desuper spiritu, ita roboratus est ut vires persequentium cæsus despiceret, et Deum inter flagella prædicaret.

TIT. XX. *De hydriis vacuis et plenis.*

Hydriæ aliquando sunt vacuæ, aliquando plenæ. Plenæ autem aliquando veneno, aliquando aqua vel vino. Vacuæ sunt cum pro inani gloria vel terreno commodo fiunt. Plena veneno, si cum rancore animi vel murmure; aqua cum ex timore: siquidem per aquam quidam timor intelligitur. Unde Salomon: *Timor Domini fons vitæ* (*Prov.* XIV). Vino plenæ sunt, cum timor vertitur in amorem, cum charitas timorem excludit. Ut vacuæ sint vel veneno plenæ, non vult Dominus; ut aqua impleantur jubet; ut aqua in vinum vertatur facit.

TIT. XXI. *De pigro, de luctante et vincente.*

Tres sunt: piger, luctans, vincens. De primo dicitur: *Abscondit piger manus suas sub axilla* (*Prov.* XIX). Luctans audit: *Viriliter age* (*Psal.* XXX). Et vincenti clamat Dominus: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei* (*Apoc.* II). Pigro ergo est primo consolandum, secundo condolendum, pugnanti metuendum, vincenti congaudendum. Primus habet manus ligatas, secundus exertas, tertius quietas. Primus insanus sine vulnere, secundus sanus cum vulnere, tertius sanus ab omni vulnere. Primus dormit sine spe, secundus vigilat in spe, tertius gaudet in re. Piger tenet silentium a bono, secundus a malo, tertius ab incommodo. Incommodum dico nocivum corpori et animæ, id est peccata et peccati pœnam. Hoc silentium erit in vita beata, ubi servus liber erit a domino suo. In hac enim vita non est servus liber a Domino, quia licet per pœnitentiam relinquat peccatum peccator, impugnatio tamen peccati adhuc insistit.

TIT. XXII. *De nocte, cursu ac itineribus ejus.*

Nox in suo cursu medium iter haberet (*Sap.* XIII). Nox ignorantia boni. Cursus noctis est ad defendendum tempus bonitatis. Tria sunt itinera noctis: Primum, ex ignorantia boni errare; secundum, post cognitum bonum errorem diligere; tertium, in errore perseverare. Cum itaque venit Christus, medium silentium tenebant omnia, nox in suo cursu medium iter tenebat, quia homines a bono silebant et errorem diligebant.

TIT. XXIII. *De multiplici acceptione Eucharistiæ corporis Dominici.*

Qui semel datus est mundo in forma carnis, is cunctis diebus aut horis datur fidelibus in specie panis, scilicet in esu sacramenti sui, sed sæpius et in cunctis horis devotis datur in gustu spiritus sui. Primum ad redemptionem, secundum ad sanctificationem, tertium ad consolationem. Primum exigit ut fides sit recta, secundum ut conscientia sit pura, tertium ut devotio sit pura et prompta. Hoc menten elevat, ut gratiæ occurrat; cor aperit, ut excipiat; affectum dilatat, ut plurimum inde plus capiat.

TIT. XXIV. *De præparamentis ad Purificationem Mariæ digne celebrandam.*

Sint lumbi vestri præcincti, etc. (*Luc.* XII). Lumbi nostri sint præcincti, ut Purificationem Mariæ æmulemur, ut sint lucernæ ardentes in manibus nostris, ut gaudium Simeonis lumen in manibus, portantis etiam visibili signo in nobis præsentemus. Simus casto corpore, et mundo corde, ut Purificationem Virginis expressius colamus. Simus ardentes devotione, lucentes opere, ut cum Simeone Christum portemus in manibus. Sit lucerna in corde sit in manu, sit in ore. Lucerna in corde luceat in nobis, in manu aliis, in ore proximo. Lucerna in corde puritas est fidei; lucerna in manu, exemplum operis; lucerna in ore, sermo ædificationis. Non solum coram hominibus nos lucere necesse est per orationem, et coram Deo per intentionem, sed etiam coram angelis per operationem. Lucerna nostra coram angelis est pura devotio, cum in conspectu angelorum psallimus sapienter, vel oramus ardenter. Lucerna coram Deo, simplex intentio, ut ei soli placeamus cui nos probavimus. Quod autem fides lucerna sit, testatur Salomon: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus* (*Prov.* XXXI), id est non deficiet in tentatione fides ejus. Quod opus bonum lucerna sit, ostendit Dominus: *Luceat lux vestra*, etc. (*Matth.* V). Quod Domini sermo lucerna sit ostendit David: *Lucerna pedibus meis verbum tuum* (*Psal.* CXVIII). Quod oratio lucerna sit Salomon notat: *Lucerna Domini spiraculum vitæ hominis, quæ investigat omnia secreta ventris* (*Prov.* XX). Lumen namque quod nobis orantibus vel psallentibus desuper aperitur spiraculum est vitæ, in quo suaviter respiramus. Quod autem dicatur investigare secreta ventris, id est mentis, non illud esse putandum quod Dominus comminatur se scrutaturum esse in lucernis; istud namque causa cum sit illuminantis, illud judicii est exquirentis. Nam et aliter investigat secreta ventris potio medici, aliter gladius carnificis. De intentione dicitur: *Lucerna corporis tui est oculus tuus* (*Matth.* VI). Nobis ergo, quibus ardent tot lucernæ, cum exstincta fuerit lucerna hujus vitæ, orietur lux inexstinguibilis

vitæ, et quasi fulgor meridianus consurget nobis ad vesperam. Et cum nos consumptos putaveris, orie-mur ut lucifer, et tenebræ erunt sicut meridies.

TIT. XXV. *De triplici descriptione ad conjugium, ad continentiam, et ad virginitatem.*

Ut describeretur universus orbis, etc. (*Luc.* II). Triplex est descriptio : Alii ad conjugium, alii ad continentiam, alii describuntur ad virginitatem. In his tribus est tota descriptio Christi : qui non est in aliqua istarum, non est Christi, sed potius ad censum diaboli pertinet. Conjugium comparatur tapetibus, quæ super terram extenduntur. Continentia est cortina dependens in pariete. Virginitas regium mantile supra quod fercula ponuntur. Primum est sub pedibus regis, secundum in conspectu, tertium juxta regem vel circa. Primum ad usum, secundum ad delectationem, tertium ad dignitatem. Primum in terra terræ pulvere obfuscatur, secundum supra terram coronatur, tertium cœlestia imitatur. In conjugio est vinculum spiritus propter societatem, usus carnis propter prolem, moderatio carnalis consortii propter suscipiendum corpus Christi et orationem. Fornicatio est ignis comburens, conjugium ignis calefaciens, virginitas ignis lucens, et levitate se ad alta acuens ac agens. Nostrum igitur est aut perire incendio, aut evadere remedio.

TIT. XXVI. *De vocatione Lazari in sepulcro, moraliter alludendo primo ad hoc quod « abyssus abyssum invocat ; » deinde de tertia decima mansione Judæorum in deserto, et quæ sequuntur.*

Lazare, veni foras (*Joan.* XXI). In hac vocatione videndum est quis vocat, quem vocat, et quomodo vocat. Hæc enim tria in omni vocatione sunt attendenda : qualitas vocantis, vocati et vocandi, id est vocans, vocatum et vocatio. Historialiter Christus Lazarum materialem de sepulcro vocavit materiali. Spiritualiter abyssus vocat abyssum : Abyssus Dei, abyssum hominis; abyssus sapientiæ, abyssum ignorantiæ; abyssus misericordiæ, abyssum miseriæ. Venit enim sapientia Dei ad ignorantiam nostram, venit misericordia Dei ad miseriam nostram, venit Christus sublimis ad limum nostrum, excelsus ad profundum nostrum, et infixus est in limo profundi, ut nos erueret de profundo. Abyssus Christus est, quia *incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI). Unde *Ego latitudo*, etc. (*Jer.* XVII). Abyssus etiam *cor hominis pravum et inscrutabile. Et quis cognoscet illud? ibid.*) Unde et Jonas sub persona Christi in passione : *Abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum* (*Jon.* II). Abyssus igitur superior vocat inferiorem; Christus hominem, dicens : *Lazare, veni foras.* Quasi dicat : Abysse malitiæ Adam, abysse ignorantiæ, abysse miseriæ, *veni foras.* Sed unde et quo de sepulcro, imo de sepulcris? Omne enim peccatum sepulcrum est : ergo quot peccata, tot sepulcra. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (*Luc.* IX). Mortuus mortuum sepelit, cum peccator peccatorem adulationibus pascit. In sepulcris concupiscentiæ mortui sunt et sepulti quibus dedit Dominus desideria cordis eorum. Decima tertia mansione in exitu de Ægypto murmuravit populus contra Dominum suum et Moysen, reversi enim sunt corde in Ægyptum ad ollas carnium, cæpas, allia et pepones. Nam tertius decimus numeros, primus a duodecimo doctrinæ apostolorum, transgressionem notat. Inde Christus tertia decima transgrediens, tertia decima passus est, ad vesperam fecit pro nobis sacrificium vespertinum, ut de vespere mortis duceret nos ad matutinum vitæ. In hujusmodi sepulcris fetebat quatriduanus. Prima dies mortis nativitas carnalis; quia homo nascitur ad laborem, repletus multis miseriis. Unde : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Secunda transgressio legis naturalis; tertia scriptæ legis; quarta datæ gratiæ. *Ecce jam fetet.* Hunc tamen vocat de abyssis terræ. Unde : *De abyssis terræ iterum reduxisti me* (*Ps.* LXX). Primo in corpore, iterum in anima. Primo de peccato originali; iterum de actuali. Primo in te capite nostro, cum naturam nostram de morte suscitasti; iterum in membris, cum nos morte peccati liberasti. Semel in spe, iterum in re de abyssis terræ ad abyssum cœli reduxisti. Tres autem sunt abyssi vitæ, prima profunda, secunda profundior, tertia profundissima. Peccatum in cogitatione, operatione, consuetudine. Mortua in domo, in porta, fetens in sepulcris. Ab hac triplici abysso postulat liberari Propheta : *Non me demergat*, inquit, *tempestas aquæ*, per iniquam cogitationem, *neque absorbeat me profundum*, per pravam operationem, *neque urgeat super me puteus os suum*, per obstinatam consuetudinem (*Psal.* LXVIII). *Lazare, veni foras.* Qua? per me, quia *ego sum via* (*Joan.* XIV). Quo? ad me, quia ego sum patria. Veni per me hominem, ad me Deum. Unde vocatur? de peccatis. Qua? per Christum hominem ad Christum Deum. Vocat igitur abyssum de abyssis, et per abyssum.

TIT. XXVII. *Quod multiplici ratione Maria dicatur virga, et Christus flos ejus.*

Virga Dei genitrix virga est, flos filius ejus. Perquam convenienter, fratres charissimi, dicitur virga, beata virgo Maria. Est enim virga recta, virga erecta, et in cœlum usque porrecta. Virga gracilis, virga fragilis, virga flexibilis, virga frondosa, virga florigera, virga fructifera : Recta per fidem, erecta per spem, porrecta per longanimitatem, per humilitatem gracilis, per mansuetudinem flexibilis, per virginalem conceptionem florigera, per partum salutis fructifera. Gracilis, per abjectionem sui, fragilis per despectionem mundi, flexibilis per compassionem proximi, frondosa per gratiam devotionis, florigera per gratiam virginitatis, fructifera per prærogativam fecunditatis. Prærogativa fecunditatis fuit quia talis taliter talem genuit. Qualis? virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit. Qualiter? Angelo nuntiante, Spiritu sancto operante, virtute Altissimi obumbrante. Qualem? Sanctum sanctorum, Regem sæculorum, Dominum angelorum, Regem denique regum, et Dominum dominorum, unicum Virginis

matris, unigenitum Dei Patris, Deum et Dominum majestatis. Virgo Dei genitrix, virga est; flos filius ejus, quam bene quam recte dicitur flos? quia ex virga virgine producitur. Quid flore tenuius? Quid flore tenerius? Quid ad tactum lenius? Quid ad ferendum levius? Quid flore speciosius? Quid flore fragrantius? Quid flore fructuosius attendimus? In flore itaque est mellificatio, ex flore fructificatio, ex flore favus et fructus. In favo mel et cera, in fructu potus et esca. Si parva sunt ista, addo quod et in flore medicamenta. Quid flore tenuius cum astringitur? Quid tenerius cum atteritur? Quid lenius cum attrectatur? Quid levius cum portatur? Quid speciosius cum aspicitur? Quid fragrantius cum odoratur? Quid utilius si effectus attendantur? Septem itaque sunt quæ in flore miramur: tenuitatem, teneritatem, lenitatem, levitatem, pulchritudinem, fragrantiam, utilitatem. Ex his itaque collige, Virginis ille filius qualis invenitur ab illis quibus in florem vertitur. Nam qui incredulis et prævaricatoribus est *lapis offensionis, et petra scandali* (*I Petr.* II), flos est spe et amore inhærentibus. Illis flos igitur inimitabilis specie et utilitate singularis; flos in quo est filius Virginis, flos tenuis ad indignationem, tener ad miserationem, mansuetudine lenis, levis dominatione, pulcher per dominationem, pulcher per moderationem, fragrans per repromissionem, utilis per remunerationem. Est ergo tenuis in flagellis, tener in misericordiis, lenis in donis, levis in præceptis, pulcher in exemplis, fragrans promissis, fructuosus in præmiis. Hic flos factus est nobis medicina; ex illo enim mel et cera, in ipso potus et esca. Medicina in redemptione, potus et esca in justificatione, mel et cera in glorificatione. Ex hac medicina sanitas sempiternæ incorruptibilitatis, ex ejus esca refectio internæ sanitatis, ex ejus potu ebrietas æternæ fecunditatis. De illius esca et cera, splendor summæ claritatis. In ejus melle dulcedo indeficientis felicitatis.

TIT. XXVIII. *De matre et puero in Ægyptum profugis moraliter, et persecutione puerorum sanctorum Innocentium.*

Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum (*Matth.* II). Mater munditia est cordis, puer veritas, quia de tali matre nascitur intelligentia, veritas, cognitio sui et Dei. Hæc est plena intelligentia et plena sapientia. Vis scire quod de tali matre talis filius riatur, cognitio scilicet Dei de cordis munditia? *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V), id est cognoscent. Puritas cordis est terra quæ in perpetuum stat. Quia quod purum est, corruptionem ignorat, et sic perire nescit. Hujus terræ fructus, veritas, quia *veritas de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV). Nato tali puero, *Herodes turbatur, et omnis Hierosolyma cum illo*, quia puerum qui natus est, non vult crescere, imo omnes pueros vult occidere. Herodes est superbia. Hierosolyma regnum ejus. Diligit Christus parvulos Judæos, amat Hierosolyma magnos Judæos. Judæos *confitentes* interpretatur. Vis scire quales confessores Herodes habeat rex superbus? *Non sum*, inquit, *ut cæteri homines raptores*, etc. (*Luc.* XVIII). Talium Hierosolyma turbatur cum eo. Vis audire quales habeat Christus? *Ego sum*, inquit, *minimus apostolorum*, etc. (*I Cor.* XV). *Excelsus Dominus humiliata respicit* (*Psal.* CXXXVII), parvulos quærit. *Sinite*, inquit, *parvulos venire ad me*, etc. (*Matth.* XIX). Superbus Herodes humilia despicit, ambulans in magnis, et mirabilibus super se parvulos Christi quærit occidere a bimatu et infra. Humilis confessio minimum facit Judæum et parvulum: inquantum humilis est parvulum; inquantum confessio, Judæum. Sed alia est confessio criminis, alia laudis. Tu forte mala tantum in te invenis, erubescis confiteri: illa bona aliqua comprehendit, et hæc de Dei munere cognoscens, gratias agit. Uterque pro humili confessione Judæus et parvulus, sed tu anniculus: ille bimus. Qui enim pro peccatis Domino confitentur, ad primum annum perveniunt; qui pro donis, secundum attingunt. Confessio itaque criminis facit anniculos; laudis, bimos. Herodes igitur, qui Judæos magnos et tumidos, non ad laudandum Deum, sed ad lapidandum Stephanum promptos, non solum primum, sed et secundum piæ vel humilis confessionis annum transgredientes diligit. Parvulos quos Christus diligit usque ad mortem persequitur a bimatu, et infra; et ipsum puerum, scilicet ipsum veritatem cordis mundati. Herodes puerum persequitur, cum ex accepta veritatis intelligentia, spiritu elationis animus impugnatur. Multi enim cum veritatis intelligentiam accipiunt, altiora seipsis quærentes se deserunt. Nunc de mysterio Incarnationis et Trinitatis, nunc de secretis cœlestibus, et Spiritus sancti charismatibus disputant; et dum supra se rimantur, suæ infirmitatis nescii, se esse homines obliviscuntur. Qui ergo hanc Herodianam impietatem cupit evadere, angeli consilio obediat. *Accipe*, inquit, *puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum*. Ægyptus *tenebræ* interpretatur. Ad tenebras igitur nostras considerandas ire præcipimur, quando per spiritum superbiæ impugnamur. Est autem puer aliquando apud Ægyptum, aliquando invenitur in Judæa: apud Ægyptum est quando docet me quantæ sint tenebræ meæ, instruens me vera cognoscere de meipso; apud Judæam est quando ostendit mihi quæ sit claritas sapientiæ suæ, erudiens me vera de Deo. In Ægypto dat cognitionem mei; et in Judæa, Dei, quia *Notus in Judæa Deus* (*Psal.* LXXV). Accipe puerum et matrem ejus, cum utroque fuge. Si Herodem non evitas, puer occiditur, quia si superbiam non declinas, veritatis lux exstinguitur. Si cum utroque non pergis, intus non eris. Si pristinos errores, præteritas delectationes, ad memoriam reducis, in Ægyptum quidem venisti et moraris in ea, in tenebris tuis considerandis occupatus; sed quia sine puritate huc venisti, raperis in turpem delectationem; sed quia veritas tecum non est, cadis cito in errorem.

Si enim antiquas voluptatis vias per concupiscentiam respicis, sine Virgine matre pergis. Si mala tua excusas vel mala esse dissimulas, sine puero in Ægypto moraris. *Fuge*, ergo et cum utroque *esto ibi usque dum dicam tibi*. Non ante tempus redeas, sed neque ultra quam satis est moreris. Nam si mala tua nimis attendas, cito te in desperationis foveam præcipitas; si ante tempus vel ultra modum de Dei misericordia confidis, to nihilominus in præsumptionem erigis. Cum igitur ex nimia consideratione tenebrarum tuarum tanquam ex multa mora Ægypti in desperationem traheris, et a tristitia absorberis, angeli Satanæ consilium sequeris. Hoc ipsum si ex Judeæ facias inhabitatione, per inanem lætitiam ad vanam gloriam et spem rapies. Si igitur discretus es, non solum fugias, sed esto ibi usque dum dicam tibi, ut ait Angelus magni consilii : *Surgene ergo Joseph fugit in Ægyptum cum matre et puero, et erat ibi usque ad obitum Herodis*, usque dum diceretur ei : *Revertere in terram Israel, defuncti enim sunt qui quærebant animam pueri*, etc. Et nota quod nocte fugit. Nox autem propter tenebras significare quandoque solet ignorantiam ; quandoque propter frigus tristitiam. Nocte igitur ad Ægyptum tendit, qui pristini erroris sui vias cum gravi mœrore respicit. Qui enim conscientiæ suæ tenebras eam alacritate intuetur, in Ægyptum clara die revertitur. O quanta impudentia, peccata præ oculis habere et non gemere, erubescenda tueri et non erubescere, dolenda videre et minime dolere ! De nocte quidem ire disponebat qui dicebat : *Recogitabo annoe meos in amaritudine animæ meæ* (*Isa.* XXXVIII). Qui recogitat in jucunditate animæ suæ, sibi, o Domine, non tibi recogitat annos anteactæ vitæ suæ. Recogita illi annos tuos in amaritudine animæ tuæ, non in dulcedine, ut nocte fugias in Ægyptum, quia eo amplius dulcescat tibi bonitas Dei, quo magis tibi amarescit iniquitas tua; et quo plus displicet injustitia, tanto plus placeat Dei misericordia. Utile enim est fugere ad Ægyptum et infirmitatis nostræ tenebras inspicere, ne animus intumescat. Sed forte dices : Tenebræ conculcabunt me si in Ægyptum iero, ideoque audi : *Nox nocti indicat scientiam* (*Psal.* XVIII). Tantum ergo puer Jesus, et mater sit tecum, fiducialiter ibi et vere dicere poteris : *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala* (*Psal.* CXXXVII), quoniam puer Jesus et mater Virgo, et cordis munditia, et veritatis intelligentia mecum est, quinimo et nox facta est illuminatio mea in deliciis meis. O bone Jesu! quantæ qualesque misericordiæ divinæ, dum nox vertitur in diem, tenebræ in lucem, amaritudo in jucunditatem, ignorantia in scientiam? *Fugit quoque Joseph in Ægyptum, et erat ibi usque ad obitum Herodis*. Obitus Herodis, defectus est elationis. Si in Ægyptum vadis et in ea moraris, quando infirmitatis tuæ tenebras agnoscis, omnis profecto arrogantia deficit. Defuncto Herode tempus est revertendi in terram Israel. Israel *vir videns Deum* interpretatur. Ille Israel est cujus mens in contemplatione levatur. *Ego vir videns paupertatem meam* (*Thren.* III) ; usque hodie, quia nihil nisi tenebras video, in Ægypto sum, qui vero per contemplationem gloriam Dei intuetur, in terra Israel moratur, quia si quis sapientiam loquitur inter perfectos, et quæ corde contemplatur ore confitetur, in Judæa conversatur. In Ægypto quisque est per considerationem sui; in terra Israel per contemplationem Dei ; in Judæa per ædificationem proximi.

TIT. XXIX. *De sacramentorum diversitate.*

Sacramentorum alia consistunt in rebus, ut aqua aspersionis; alia in factis ut signaculum crucis, tunsio pectoris, expansio manuum ; alia in verbis, ut responsoria; alia in jubilis et gestu, ut aquæ aspersio exemplo Elisei mittentis sal in aquam, ut amari fontes dulcorarentur. Innuit autem aqua pœnitentiam de præteritis, sal discretionem de futuris : quæ duo juncta amaram conscientiam in dulcedinem vertunt, illusiones et infestationes dæmonum pellunt. Signaculum crucis, virtus est passionis Christi ; tunsio pectoris expulsionem malæ cogitationis ; expansio manuum charitatem notat ; Responsorium, bonam operationem. Alleluia præsentem lætitiam. Jubilus futuram significat.

TIT. XXX. *De saucio, vulneribus ejus, et medico et medicamentis, et operibus misericordiæ.*

Homo in peccatis jacens ægrotus est, vitia vulnera, Deus medicus, dona Spiritus sancti antidota, virtutes sanitates, beatitudines gaudia. Per dona Spiritus sancti vitia sanantur, sanus virtutibus operatur, operans gaudiis muneratur. Sex autem sunt opera misericordiæ, esurientem pascere, sitientem potare, hospitem colligere, nudum vestire, infirmum visitare, ad carceratum et inclusum venire; septimum, ut in Tobia legitur (*Tob.* I), mortuum sepelire.

TIT. XXXI. *De duabus portis summe vel bonis vel malis.*

Duæ sunt portæ, amor et timor. Quæ cum bonæ sunt, omnem bonum efficiunt. Per timorem enim mala caventur, per amorem bona exercentur. Cum vero malæ, omnium malorum causa sunt. Per timorem enim malum a bono reciditur, et per amorem malum mala fiunt. Portæ igitur sunt per quas mors et vita ingrediuntur. Mors, quando ad malum aperiuntur; vita, quando ad bonum reserantur.

TIT. XXXII. *De quadruplici timore.*

Quatuor sunt timores : servilis, mundanus, initialis, filialis. Primus pro evitanda pœna abstinet a malo, retenta voluntate mala ; secundus pro evitanda pœna abstinet a malo, obtenta voluntate bona ; tertius pro evitanda pœna a pravo opere abstinet, et pravas cogitationes resecat; quartus bono firmiter adhæret, illud amittere nolens. Primus hominibus placere quærit, pœnam quæ ab hominibus infertur, non reatum conscientiæ timens : secundus hominibus placere non quærens, tametsi displicere metuens, tam mendax est in veritate neganda,

quam fallax alter in veritate tegenda, uterque in veritate offendit; tertius, quia pœnam quam Deus qui cor inspicit comminatur declinare vult, ei displicere metuit; quartus Deo placere volens, destinatum bonum tacet, id est non vult amittere.

Tit. XXXIII. *De triplici vitio, triplici peccato, et triplici remedio.*

Triplex vitium, triplex peccatum, triplex remedium : impotentia, ignorantia, concupiscentia; tria virtute hominis interioris vitia, dum consensum alliciunt, transeunt in peccata, quorum alia per infirmitatem, alia per errorem, alia ex sosa (*sic*) perversa voluntate ultro committimus, triplex vero remedium in divinis constitutionibus, comminationibus et promissionibus, intelligimus. Unde : *Omne caput languidum, et omne cor mœrens! A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas* (*Isa.* I), ecce mala innata. Vulnus et livor et plaga tumens, etc., ecce mala illata. Prima intrinsecus, secunda extrinsecus. Ad cumulum autem malorum sequitur contemptus remediorum. *Non est*, inquit, *circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo*, etc. Ecce quantis malis premimur. Ergo disce, o homo! et si ab homine dedignaris, ab eo saltem qui docet hominem scientiam, tantam miseriam, quod scilicet de interioribus timere, de exterioribus debeas formidare, ut ardentius medici remedia quæras, et diligas ligamenta, scilicet divinarum institutionum, curamenta comminationum, fomenta promissionum. *Omne*, inquit medicus in propheta, *caput languidum*, etc. Caput, id est liberum arbitrium, quia sicut caput corpori præeminet, ita liberum arbitrium omni occasioni præsidet. Isto nihil dignius, quia incommutabili æternitati præ cæteris viribus accedit, ejus in se imaginem expressius gerit, quia nulla culpa, vel miseria, non dicam destrui, sed nec minui potest; et sicut superiorem non habet, nec habere potest, sic liberum arbitrium dominium non patitur nec pati potest, quia violentiam illi inferre, nec Creatorem decet, nec creatura potest. Totus si infernus, totusque mundus, et militiæ cœlestis in unum conjuret exercitus, unus ex libero arbitrio consensus in qualibet re invito extorqueri non valet. Hoc itaque caput in homine languidum dicitur, quia ad amorem boni torpet. Capitis languorem ostendebat, qui dicebat : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Quid enim boni facere potest ex seipso, quando nec *dicere potest Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (*I Cor.* XII). Nihil ergo languidius eo quod ad quodlibet bonum etiam minimum minime convalescere potest, quia : *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX). Voluntati enim ejus quis potest resistere? Unde sicut admiranda arbitrii dignitas est, ab ullo cogi non posse; sic miseranda infirmitas, in seipso ad omne opus bonum torpere. Sequitur : *Omne cor mœrens*, etc. Ex corde consilium de occulto eruitur, et in secreto invenitur, et ex eo bona intentio procedit, quoniam per consilium vita nostra depravata corrigitur. Nam mors et vita ex ipso procedit, quoniam si ex consilio intentio bona depravatur, quid juvat bonorum operum prolem gignere, et eam per pravam intentionem necare? Quidam in ipso proposito ex mala intentione opera corrumpunt, alii post exercitia virtutem per vanam laudem a bona intentione evanescunt. Primi abortivos faciunt parere; secundi natus vel adultos occidunt. Nonne satius non parere quam dormiendo partum opprimere, vel ex consilio necare? Melior est sterilis quæ non parit, quam filiorum necatrix sine misericordia. Quid enim ossa arida sine anima, nisi fortia opera sine intentione bona? Et hæc ab virtutum merito et retributione frustrata, sed vaticinante filio hominis ingressus est spiritus in ea, et revixerunt. Quia ergo ex consilio intentio accipit ut bona sit, quasi de corde spiritus procedit qui ad corporis vivificationem exiens, se per virtutum opera diffundit, ut nostrum sit quod dicitur : *Consilium custodiet te, et prudentia servabit te* (*Prov.* II). Hoc autem cor in tenebris ignorantiæ positum erat, modo in discernenda quantitate, dicendo majus malum esse minus, et e converso; modo in examinanda qualitate, dicendo malum bonum et econverso; non judicando scilicet inter noctem et noctem, ut a malis pejora, et a pejoribus pessima dijudicet, nec inter diem et diem, ut a bonis meliora, a melioribus optima separet; nec omnem noctem, ut quodcunque vitium digna examinatione penset; nec omnem diem, juxta Apostolum, ut unamquamque virtutem juxta propriam dignitatem æstimet. Hæc enim sunt quinque talenta quæ imprimuntur cogitationi, lucranda ex eis alia quinque, si imprimantur et affectui, ut quæ cognoscit, efficaciter diligendo duplicet. Alioquin *melius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retrorsum abire* (*II Petr.* II). Diligenda avide debemus diligere, et contraria debemus odire. Nec huc ascendisse sufficit, nisi ulterius ascenderimus, scilicet ut in malis, pejora majori odio persequamur, in bonis meliora altiori dilectione complectamur. Et de secundo ad tertium, ut de melioribus optima eligamus, ex deterioribus pessima maxime contemnamus. Et quia possumus hæc tria facere in dilectione bonorum, et contrariorum reprobatione, contrarium modum minime servare studeamus, sed per quartum et quintum ascendamus, ut in omni bono vel malo odii vel amoris congruam mensuram servemus. Sed in his omnibus cor mœret, et ex mœrore caligat. Mœror namque lacrymas fundit : lacrymæ oculos caligare faciunt. Recte ergo cor mœret, quia ad omne consilium rationis cor hebet. Vere mœret; et mœrere debet, quia malum diligimus, quod dum consilium patitur, sicut non ignorat, ita nec dissimulat. Quanto enim evidentius per consilium cognoscit malum quod patitur, tanto amplius mœret et suis pravitatibus indignatur, quia qui apponit scientiam, apponit et dolorem (*Eccle.* I). Si igitur cor habemus, non omni consilio destituti sumus, tantum malum dissimulare non debe-

nus, debet dolor noster serius nos urgere interius, apparere exterius, intus ad remedium, foris ad exemplum. Nam mœror est dolor acrius intus sæviens, et in lacrymas foris erumpens. Si ergo columba seducta et non habens cor non sumus, si absque prudentia et sine consilio non existimus, probemus in opere quam vere doleamus in corde, appareat exterius quid patiamur interius. Sequitur: *A planta pedis*, etc. Pes notat carnale desiderium, quia sicut pes in imo jacet et a pedibus totum corpus circumfertur, ita carnale desiderium in infimis adhæret, et a carnalibus desideriis animus exagitatur, et circumfertur, quandiu enim homo vagus et profugus vivit super terram, tandiu post concupiscentias suas abiens repletus miseriis et nunquam in eodem statu permanet, quærens apprehendere quod concupiscit et effugere quod odit. Nunc hoc, nunc illud amat: quæ prius amaverat, iterum despicit et fastidit. Sed cur dicimus fastidire, qui, Scriptura teste, cursum in amaritudine consummant. *Omnia*, inquit, *flumina intrant in mare* (*Eccle.* I), hoc est omnem delectationem carnalem in amaritudinem terminari, omne flumen, et omnis dulcis aqua dum mare intrat, in amaram mutatur aquam, quia *extrema gaudii luctus occupat, et risus dolore miscebitur* (*Prov.* XIV). *Et mare non redundat* (*Eccle.* I), quia divina æquitas in omni percussione sua quam ad ultionem vel correctionem fert, modum servat, justitiæ metas non excedit. Malitiæ nostræ meritum, miseriæ nostræ quantitas non exsuperat. A pede igitur usque ad verticem non est sanitas, et sic pes cum toto corpore dolet, quia concupiscentiæ malum undique fervet, et dolorem in singulis membris propria infirmitas extorquet. Quid enim infirmius quam non posse plene resistere in quibus erubescimus? Mente consentire legi Dei, et in lege Dei captivari, et vinci? Hæc igitur sunt tria vitia: languor capitis, mœror cordis, dolor infirmi corporis. Qui defectus nostri ab interioribus surgunt. Per languorem capitis intelligimus debilitatem liberi arbitrii ad bonum; per infirmitatem corporis, inquietudinem desiderii ad malum; per mœrorem cordis, caliginem, ambiguitatem judicii ad utrumque discernendum. In languore, in impotentia boni, in vexatione infirmitatis, in concupiscentia mali, in nubilo mœroris ignorantia boni et mali.

Secundum hoc genus triplex vitiorum, triplex est genus peccatorum. Unde sequitur: *Vulnus, livor, plaga tumens.* Alia enim sunt quæ incidimus per infirmitatem, alia per errorem, alia per iniquitatem. Vulnus est peccatum quod committitur per infirmitatem. Quid enim contritio exterius aperta sine tumore, nisi culpa manifesta sine elatione, cum humiliatione et confusione? Talia per infirmitatem quodammodo inviti committimus; nulla enim magis erubescimus magisque damnamus. Livor est peccatum ignorantiæ; nam sicut contritio pelli obtenditur, et ne sanies profluat, pelle, qua tegitur, prohibetur, sic ignorantiæ peccata ne in apertum prodeant, sub ambiguitatis suæ umbraculo se velant, et, ne per confessionis aperturam putredo suæ corruptionis erumpat, falsæ opinionis velamento se palliat. Plaga tumens est peccatum malitiæ, quia neque per infirmitatem, neque per ignorantiam, sed per solam malam voluntatem tumor contemptus Dei committitur. Hæc tria sunt peccata, in Patrem, in Filium et in Spiritum sanctum. Vel per hæc tria intelligemus mortuum extra domum, in domo, et in tumulo, scilicet cogitationis peccatum, actionis et consuetudinis. Vulnus in tumorem versum, est peccatum consuetudine obductum; vulnus apertum, peccatum per actionem manifestum; livor sub pelle putrescens, peccatum in cogitatione latens. Vel per vulnus quod est sine tumore, peccatum; quod accusamus non defendimus; per livorem, illud quod per hypocrisim tegimus; per plagam tumentem, quod per contumaciam defendimus. Tribus itaque modis peccati contritio aperitur, tribus obducitur; tribus inflatur: aperitur in modum vulneris, obducitur in modum livoris, inflatur in modum plagæ tumentis. Sed peccati vulnus aliter patet homini in seipso, aliter proximo, aliter Deo; sibi per cognitionem, proximo per actionem, Deo per confessionem. Quantum enim in nobis est, illud Deo abscondimus quod curam ei per confessionem damnare nolumus. Tribus item modis absconditur ad livoris similitudinem. Pelle obducitur aliter nobis, aliter Dei oculis, aliter proximi. Nobis per errorem, Deo per taciturnitatem, proximo per simulationem. Similiter tribus modis intumescit, dum more plagæ tumentis distenditur: in seipso putrescit per malitiam, coram proximo per imprudentiam, circa Deum intumescit per contumaciam. Per malitiam, homo destruit seipsum, per imprudentiam destruit vel perimit proximum, per contumaciam impugnat Deum.

Huic triplici malo, triplex remedium additur. In ligamentis, curamentis, fomentis, licet quælibet ad tria mala posse referri videantur. Plagam tumentem respiciunt in præsenti eloquio, cum dicit circumligata, curata, fota. Intelligimus autem ligamenta in mandatis, curamenta in minis, fomenta in promissis. Triplex est autem vinculum mandatorum. Primo trahimur, secundo retrahimur, tertio astringimur. Vinculum attrahens, præceptiones sunt, quæ sunt eorum quæ fieri oportet: quibus sæpe urgemur eo quod bonorum operum gressus sine difficultate non dirigamus. Quæ sunt: *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. (*Deut.* VI). Vinculum retrahens, sunt prohibitiones, quæ sunt eorum, quæ fieri non licet: quibus tamen sæpe inde retrahimur quod per desiderium properamus. Quæ sunt: *Non occides*, etc. (*ibid.*) Vinculum constringens, sunt admonitiones, quibus cordium fluxum ligamus, cum voluntates etiam a licitis restringimus. Quæ sunt: *Si vis perfectus esse vade et vende*, etc. (*Matth.* XIX). Triplex est curationum genus in divinis comminationibus. Est comminatio correctionis, reprobat u-

nis, damnationis. De prima dicitur : *Flagellat omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII). De secunda : *Indurabo cor Pharaonis* (*Exod.* VII). Et : *Quem vult indurat* (*Rom.* IX). Et : *Addam correctiones vestras in septuplum, propter peccata vestra* (*Levit.* XXVI). Et : *Conteram superbiam duritiæ* (*ibid.*). De tertia dicet sinistris : *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV). *Vermis non morietur*, etc. (*Isa.* LXVI). Amarus hic succus herbarum, sed ad desiccandos vitiorum humores efficacissimus. Nimis effrenatus est qui non studet concupiscentias temperare vel refrenare, etsi attendat in electis mala septempliciter puniri; alias propter peccata in reprobum sensum dari et quosdam in supplicium æternum. Triplex est olei species in divinis promissionibus. Prima promissio veniæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Quia non solum delictorum veniam, nec etiam solum gratiam, sed et gloriam dabit misericors et miserator Dominus. Ad primam pertinet : *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur* (*Isa.* I). Ad secundam pertinet : *Divisiones gratiarum sunt* (*I Cor.* XII). Ad tertiam : *Alia gloria cœlestium, alia terrestrium*, etc. (*I Cor.* XV). Prima ad vulnera medenda in usum unctionis fovet salubrius. Secunda ad luminaria concinnanda in usum luminis ardet clarius. Tertia ad cibaria condienda in usum refectionis sapit dulcius, quia est oleum lætitiæ, participatio gloriæ. Hæ species olei sunt contra triplicem dolorem. Si doles ex vulnere criminis, et conscientia peccatorum te urget acerbius; accipe unctionem olei propositæ veniæ, et recipe consolationem, ad illam vocem : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII). *Convertimini a viis vestris pessimis* (*Ezech.* XXXIII). Et : *Quare moriemini, domus Israel?* (*Ezech.* XVIII.) Quæ est tam immanis contritionis et pœnitentiæ amaritudo, quam lenire non possit hujus divinæ unctionis infusio. Si doles ex infirmitate et defectu tuo, imungere oleo promissæ gratiæ, et accipe ab eo *qui dat omnibus affluenter, et nemini improperat* (*Jac.* I). *Si*, inquit, *nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se?* etc. (*Luc.* XI). Hoc inde vasis inanibus ex præcepto, quia non novit deficere, nisi cum vasa vacua defuerint quæ possent impleri. Si doles de tribulationibus, habes oleum gloriæ, unde fatigationem levans, dolorem mitiges ab illo pretioso unguentario qui dicit : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, etc. (*Rom.* VIII). Primam unctionem Samaritanus infundebat ei qui incidit in latrones, et ea peccatrix mulier sanavit vulnera sua. Secundam accepit qui dicebat : *Gratia Dei sum, id quod sum*, etc. (*I Cor.* XIII). Hæc non debet esse vacua, quæ exemplo et verbo ducuit. Exemplo : *Et gratia ejus in me vacua non fuit* (*ibid.*). Verbo : *Videte*, inquit, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (*II Cor.* VI). Tertia prudentes virgines, intrantes in gaudium Domini sui, et ad nuptias Agni recumbentes abundant (*Matth.* XXV). Habemus ergo tres olei species, utiles et necessarias : Primam, contra triplicem contritionem vulneris, livoris plagæ tumentis; secundam, contra triplicem dolorem mœsti cordis, languidi capitis, ægroti corporis; tertiam, contra triplicem fatigationem etiam sani corporis, videlicet laboris, egestatis, persecutionis. Oleum habes divinæ misericordiæ, in quo foveas vulnera peccatorum; oleum gratiæ, in quo mitiges vitiorum morbos; oleum gloriæ, in quo lenias fatigationes certaminum. Primum est ergo sanare vulnera peccatorum, secundum curare morbos vitiorum, tertium lenire fatigationum dolores. In peccatorum medelam habemus oleum misericordiæ, confectionem illam propheticam ex prima olei specie confectam : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates* (*Psal.* XXXI). Mirabile unguentum illud quod non solum de infirmo sanum, sed etiam de misero facit beatum. Contra vitiorum morbos accipe aliam confectionem ex oleo gratiæ : *Beatus vir cujus Deus adjutor est* (*Psal.* LXXXIII); et : *Beatus quem tu erudieris, Domine* (*Psal.* XCIII); et : *Beatus qui confidit in Domino*, etc. (*Psal.* II) Beatus, inquam, quem Dominus adjuvat, et erudit, et protegit : adjuvat ad bonum, defendit contra malum, erudit ad utrumque discernendum. Adjuvare, erudire, defendere totum est gratiæ. Primum est igitur contra defectum fortitudinis, secundum contra defectum veritatis, tertium contra defectum virtutis. Omnia contra defectum boni naturalis. Primum contra debilitatem languidi capitis, secundum contra caliginem mœrentis cordis, tertium contra infirmi anxietatem corporis. Habemus adhuc tertiam olei speciem ex promissione gratiæ contra triplicem corporis jam convalescentis defatigationem. Contra fatigationem habes illud : *Labores manuum tuorum, quia manducabis : Beatus es et bene tibi erit* (*Matth.* V); contra afflictionem egestatis, illud : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*ibid.*); contra tribulationem persecutionis, illud : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*ibid.*). Quis inter tot tribulationum certamina non modo non doleat, verumetiam exhilarescat, cum Scripturæ attestatione addiscat de quo hæsitare non audeat, quoniam *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ* (*Jac.* I)! hoc est, quo *apostoli ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V). Ergo tertia olei species facit de tribulatione gaudentis [gaudentes ?], cum speret [sperent] in certamine, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, etc. (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II). Studeamus ergo ex his secundum suam quisque utilitatem et virtutem infirma nostra fovere, ne illa divinæ increpationis arguamur sententia : *Vulnus et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo*, etc. (*Isa.* I).

TIT. XXXIV. *De publicani justificatione.*

Tribus virtutibus in domum suam rediit justificatus : obedientia, qua se dixit servum; justitia, quam

misericordia facit; charitate in filio, quam Deus in seipso gignit. Dicit enim tria: *Domine, miserere* [Vulg. *Deus, propitius esto*] *mihi peccatori*. In eo quod *Domine* clamat, servum se dicit; in eo quod *miserere* vociferat, misericordia se justum facit; in eo quod se peccatorem accusat, Deus ex impio filium gignit.

TIT. XXXV. *De consilio impiorum in quatuor.*

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, etc. (*Psal.* I). In quatuor consilium impiorum consistit: malitia, astutia, audacia, imprudentia. Malitia ad mandandum in cogitatione; astutia ad ordinandum in deliberatione; audacia ad peragendum mala in operatione; imprudentia ad iterationem in consuetudine. Hi peccatorem ducunt ad sepeliendum. Sed si Jesus tangit loculum peccati mortalis per misericordiam, stant portitores.

TIT. XXXVI. *De consilio piorum*, etc.

Consilium piorum consistit in quatuor: In innocentia, quæ privat fetore vitiorum; providentia, quæ dotat odore proximarum virtutum; constantia, quæ confirmat honore virtutum receptarum; reverentia, quæ exornat decore retributionum.

TIT. XXXVII. *De tribus salutationum in Evangelio generibus.*

Tria salutationum in Evangelio genera invenimus: angelus Virginem salutavit, Virgo Elizabeth salutavit, Dominus post resurrectionem discipulos salutavit. Cum enim videmus eos qui in sterilitate senuerunt, mutana professionis ascendendo, fervorem pœnitentiæ quasi quemdam filium concipere, vel in verbo Dei voce salutationis gratiam remissionis offerre debemus. Quos in sanctitate et castitate Deo servire videmus, invitando ad meliora, benedictionis fecunditatem necessario permittimus. Quos sanos in conclavi remotioris vitæ positos ad imitationis apostolicæ fastigium tendere conspicimus, illis pacis geminæ soliditatem, cum etiam in suo corpore quædam præludia sentiunt, vice vocis ministerio spondemus. Alios vero qui in via sæculi positi sunt, in eodem Evangelio salutare prohibemur, quia nullam salutem sæculo inhærentes merentur.

TIT. XXXVIII. *De quatuor augentibus gratiam devotionis et religionis*

Quatuor sunt quæ nostræ gratiam devotionis adaugent: Memoria peccatorum, quæ hominem apud se reddit humilem; recordatio peccati, quæ illum ad bene agendum sollicitat; consideratio peregrinationis, quæ illum hortatur visibilia contemnere; desiderium vitæ perennis, quod, hominem invitans ad perfectum, cogit eum cum terrenis affectibus voluptatis imitationem suspendere.

TIT. XXXIX. *De tribus quibus nos erudit Dominus.*

Tribus modis nos erudit Dominus: indulti beneficii largitate, quæ duritiam mentis emollit et excitat ad amorem; illati damni et verbi severitate, quæ præstans intellectum auditui nobis timorem incutit; contemptus publica utilitate, quæ, implens facies nostras ignominia, parit nobis verecundiam ut Deum quæramus et ejus nomen: cujus hic est puer Ægyptius, quem lassum ab Amalecita derelictum advenit David et cibo refecit (*I Reg.* XXXIX).

TIT. XL. *De tribus nobis prohibitis, et tribus nobis licitis.*

Tria nobis prohibentur: male cogitare, male dicere, male facere. Quia in male cogitando vel immunditia est, cum res olidæ revolvuntur; vel superbia, cum animus super proximum erigitur; vel ambitio, cum res vel honor illicite concupiscitur. Necesse est malæ cogitationi istorum qui semper volunt maledicere, ut sit sermo vel supervacuus ratione carens et utilitate; vel detractorius, superna bona invida et odiosa corrosione diminuens; vel adulatorius caput alterius falsa olei delinitione demulcens. In male faciendo opus est vel simulatorium, cum aliud intendimus et aliud demonstramus; vel impium, cum proximos lædimus; vel impudicum, cum nos sordidamus. Per contrarium, ut bene cogitare, bene loqui, bene facere, eadem possunt mutari. Triformis esse debet nostræ laudis oblatio: affectuosa, ut mens concordet voci; fructuosa, ut ædificationem pariat intuenti; gratiosa, ut placeat conditori, qui gratis dedit.

TIT. XLI. *Pœnitentiæ tria necessaria.*

Tria sunt necessaria pœnitentiæ: Abstinentia, per quam carnis superbia domatur; lectio, cujus fructu reformandus in vigore animus sagina ur; oratio, cujus munimine virtutes ex anima proteguntur.

TIT. XLII. *De tribus in quibus obnoxii Deo sumus.*

Tria sunt in quibus obnoxii Deo sumus: Signaculum naturæ, quo ad similitudinem Dei facti sumus; talentum fidei, quod per bonum opus Deo integrum resignare debemus; titulus per confessionem, quo ad serviendum Deo sponsionis vinculis alligamur.

TIT. XLIII. *De triplici via ad mortem.*

Trifaria ratione dividuntur viæ ad mortem: Alia ærumnosa pauperibus, qui divite animo intumescentes ab inopia temporali ad æternam transferuntur; alia laboriosa in amaris, qui diversarum curarum angustiis districti obliviscuntur Dei, et ita ab his angustiis ad æterna referuntur; deliciosa in divitibus, qui post dulcedines momentaneas sempiternam inveniunt amaritudinem.

TIT. XLIV. *De triplici via arcta.*

Triplex est arcta via quæ ducit ad vitam: Sanguinolenta in martyribus, qui in sanguine Agni lavantes corpora sua, altitudinis solium attingunt; purpurea in confessoribus, qui in sua cruce vestigia diversæ passionis per abstinentiam expresserunt; lactea in virginibus, quæ puritatis angelicæ candidatum in se conservantes, ad complexum inde sponsi virtutum evolaverunt.

TIT. XLV. *De tribus in quibus Christum imitari debemus.*

Tria sunt quæ, nobis in Christo expressa, nos Christiani a Christo dicti exercere debemus: Impro-

tiare sæculi vanitatem, quia et Jesus, ne rex fieret, aufugit a turbis; exercere patientiam, quia et ipse agnus occisus est; habere geminam charitatem, quia Christus etiam pro inimicis oravit.

Tit. XLVI. *Quod impii quatuor modis dicuntur filii.*

Quatuor modis impii dicuntur filii : alieni, Belial, iniquitatis, malitiæ. Filii alieni sunt, qui mentiuntur; filii Belial, qui non cognoscunt Deum; iniquitatis filii sunt genimina viperarum; malitiæ filii, Chanaan, et non Juda.

Tit. XLVII. *De tribulationis triplici bono.*

Tribulatio tria confert : exercitium ne virtutis amor otii tepore frigescat; probationem, ut nostræ constantiæ fortitudo ad exemplum hominibus innotescat; præmium, ut juxta tribulationem immensum gloriæ pondus accipiat.

Tit. XLVIII. *De triplici electorum exercitio.*

Triforme est exercitium electorum : austeritas jejuniorum, qua excolitur terra, ut fructum ferat; assiduitas lectionum, qua reficitur, ut pinguescat; instantia orationis, qua confirmatur mens ut ad cœlestium appetitum fortius assurgat.

Tit. XLIX. *De tribus in nobis principibus.*

Tres sunt in nobis principes, quos in nobis mori necesse est, ut Christus vivat : Prudentia sæcularium, quæ est Joseph; eloquentia spiritualium, quæ est Moyses; copia temporalium, quæ est Josue.

Tit. L. *De tribus calicibus a Domino propinatis.*

Tres sunt calices quos Dominus propinat nobis : pœnitentiæ et doloris, qui est plenus misto (*f.* musto); pœnitentiæ et laboris, quem bibit Joannes; benevolentiæ et amoris, qui est inebrians et præclarus.

Tit. LI. *De tribus vestimentis electorum.*

Tria sunt vestimenta communia electis Dei : Cœlestis sapientia, quæ est ephod et caput operit; perseverans justitia, quæ poderis est, et totum corpus induit; carnalis continentia, quæ lumbos cingit.

Tit. LII. *De tribus puellis pervertentibus sensum.*

Tres sunt puellæ, quæ pervertunt sensum nostrum : Teneritudo carnis, quæ est Dalila Samsonia; oculus curiositatis mundialis gloriæ, quæ est Jezabel, et Naboth occidit; diffidentia futuræ vitæ, quæ est filia Herodis, et caput Joannis aufert in disco.

Tit. LIII. *De quadruplici sacerdotum officio.*

Quadripartitum est officium sacerdotis : Vivam carnis suæ hostiam immolare, quod est Leviticum; virtutum charisma Deo offerre, quod est aromata incendere, et filiorum Aaron est; cum fervore martyrii cœlum intrare, quod est introire sancta sanctorum; gratiæ et precum vota cœlo transfundere, quod est panem et vinum Deo offerre.

Tit. LIV. *De tribus generibus hominum quibus more hujus sæculi pervium est.*

Tribus generibus hominum hoc mare magnum, præsens scilicet sæculum, est pervium ut transeant liberati : qui tres esse dicuntur. Noe, Daniel et Job. In Noe qui arcam rexit ne periret diluvio, rectorum A formam intelligo; in Daniele, viro desideriorum abstinentiæ et castimoniæ, debito soli Deo, vacantem pœnitentiæ et continentiæ ordinem; in Job substantiam hujus mundi bene dispensantem in convivio, fidelem populum terrena fide possidentem. Primus navi, secundus ponte, tertius vado pertransit. Conjugatorum ordo maremagnum vado pertransit, laboriosum, periculosum et longum iter habens, præsertim diebus istis, quibus malitia nimis involvit [invaluit?], inter undas hujus sæculi voragines vitiorum et criminalium foveas declinare. Continentium ordo ponte pertransit : quod iter brevius est et facilius, sed non prorsus securum. Timendum enim est periculum triplex, ne forte æquare se alteri, aut respicere retro, aut certe in medio ponte stare quis velit. Nullas ex his B tribus angustiis angustia patitur pontis; *angusta enim est via quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII). Contra primum periculum oremus ut non veniat nobis pes superbiæ, quoniam ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem. Nam et ejus qui mittens manum ad aratrum aspicit retro, statim pelagus operit caput; sed et qui stare voluerit, non quidem relinquens ordinem, sed non perficiens, cadat necesse est, ab his qui sequuntur impulsus et eversus. Necesse enim est e duobus, aut proficere aut deficere. In hac autem angusta pontis semita confidendum est; composita enim est lignis, ut qui eis inniti voluerint non labatur pes eorum. Hæc est pœna corporis, et paupertas vitæ mundialis, humilitas obedientiæ; nam et *per multas tribulationes oportet nos intrare in re-*C *gnum Dei* (*Act.* XIV); et : *Qui volunt divites fieri, incident in tentationem et in laqueum diaboli* (*I Tim.* VI). Et quem adeo exturbavit inobedientia suo recto tramite, per obedientiam rediit. His rite compositis trina maris declinasti pericula : concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ. Porro prælati *descendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis* (*Psal.* CVI). Neque certa pontis aut vadis semita coarctantur, ut libere possint discurrere, et occurrere singulis; et ut oportet dirigere pontis et vadi semitam ordinate gradientes, pericula investigare ac declinare. *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos* (*ibid.*); nunc tractantes sublimia, et horribilia loca dijudi-D cantes. Sed quæ poterit navis inveniri quæ tam immanes fluctus sine discrimine sustineat? Hæc est *fortis, ut mors dilectio* (*Cant.* VIII). Quia, juxta quod alibi habes : *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem* (*ibid.*). His tribus compacta est lateribus, ut sit, juxta Apostolum, *charitas de corde puro, conscientia bona, fide non ficta* (*I Tim.* I); ut magis prodesse quam præesse desiderem, intentionem habentes bonam, ut forma facti gregis incipiant facere et docere, et magistram sequenteique regulam, quæcunque discipulis docuerunt esse contraria verbo, factis indicent non agenda, ne subditos submurmurare possit et dicere : *Medice, cura teipsum* (*Luc.* IV); ut secure respondere exprobrantibus sibi valeant : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (*Joan.*

VIII.) Si non de veniali, saltem de criminali. Fidem quoque non fictam, ut qualis prælatus in conversatione, talis sit in occulta cogitatione; non foris humilis, intus elatus, de sua virtute vel sapientia confidens, quæ est ficti fides. His convenienter aptatur trina Petri interrogatio : *Amas me? amas me? amas me?* quod est dicere, amas me *de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta.*

TIT. LV. *De quintuplici obedientia.*

Quinquepartita debet esse obedientia : recta, ut non sit contra Deum; voluntaria, quia Deus non approbat coacta servitia; pura, quia debet esse intentio sincera : *Si enim oculus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit* (*Luc.* XI); discreta, ne quid nimis: qui enim recte offert si non recte dividit, peccat; firma, ut non desistat : *Qui enim perseveraverit salvabitur* (*Matth.* XXIV).

TIT. LVI. *De triplici bono quod nobis indicat Propheta.*

Triplex est bonum quod omnis propheta indicat : facere judicium et justitiam, et ambulare rectum cum Domino. Facere justitiam reddendo unicuique quod suum est, prioribus obedientiam, minoribus doctrinam, amicis lætitiam, inimicis patientiam; facere etiam judicium, aliud in se, aliud in proximum, aliud in Deum. In se debet esse severum. *Si enim nos dijudicaremus, non utique judicaremur* (*I Cor.* X). Pium in proximum, ut sive misericorditer obsecres, sive zelo increpes, utrumque facias in spiritu lenitatis. In Deum sit purum et verum. Considerans enim scipsum, judicia Dei attendere debet in simplicitate cordis et puritate, dicens in confessione : Omnia opera Dei bona valde. Sit ergo homo in se districtus judex, per intellectum veritatis, pius in proximum per affectum charitatis; purus in Deum per consensum voluntatis. Postquam vero fecerit homo judicium et justitiam, necessaria est ei vigilantia, ne laxetur per torporem, vel corruat per elationem, ut sollicitus ambulet cum Deo suo subditus ei, et orans eum.

TIT. LVII. *De triplici animarum statu.*

Triplex est status sanctarum animarum. Primus est in corpore corruptibili, secundus sine corpore, tertius in corpore jam glorificato. Primus in militia, secundus in requie, tertius in beatitudine. Primus in tabernaculis, secundus in atriis, tertius in domo Dei. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* (*Psal.* LXXXIII.) Multo magis atria concupiscibilia, juxta illud : *Melior est dies una in atriis tuis super millia* (*ibid.*). *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (*ibid.*). Sed quoniam in ipsis atriis aliquis defectus est : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*ibid.*). *Lætatus sum*, inquit alibi, *in his quæ dicta sunt mihi; In domum Domini ibimus* (*Psal.* CXXI). In primis est Ecclesia non sine macula et ruga. *Si enim dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus; et veritas in nobis non est* (*II Joan.* I). In secundis est sine macula. *Sine macula sunt*, inquit, *ante thronum Dei* (*Apoc.* XIV) Nondum tamen sine ruga. Adeo enim riget in eis desiderium domus Dei in qua vestiantur duplicibus, ut necdum illorum recta intentio tendat in Deum; sed quodammodo retrahatur et rugam faciat cum desiderio inclinati clament : *Vindica, Domine, sanguinem servorum tuorum qui effusus est* (*Apoc.* XIX). Non tanquam vindictæ cupidi, sed desiderio resurgendi : quod differendum est usque ad diem judicii. In tertiis vero exhibet Dominus Ecclesiam *sine macula et sine ruga* (*Ephes.* V). In tabernaculo habitat justitiam operans; in atrio sine macula ingrediens. Unde Prophetæ quærenti : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* (*Psal.* XIX) respondetur : *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam* (*ibid.*). Quasi dicat : Hic requiescet in monte sancto tuo qui operatur justitiam, et qui ingreditur sine macula. In habitaculo igitur semper inest macula aliqua vetustatis et ruga alicujus necessitatis. In atrio removetur peccati macula, remanente, ut dictum est, aliqua constrictionis ruga, dum accipiunt tantum singulas stolas, sed non vestiuntur duplicibus donec recipiant corpora et impleatur numerus fratrum, donc vestiamur et nos pariter, sicut de patriarchis ait apostolus : *Deo pro nobis melius aliquid disponente* (*Heb.* XI), ut non sine nobis consummarentur. In domo aufertur penitus et macula et ruga, quando extenditur cœlum sicut pellis et dilatatur (*Psal.* CIII), ut nec minima in eis inveniatur macula aut ruga. Tripliciter autem serviemus Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobisipsis, cognoscentes eum in semetipso trinum et unum, et gloriam sine ænigmate mundi cordis oculo intuentes. Unde *mensuram plenam et confertam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum* (*Luc.* VI). Plenam in universitate creaturarum, confertam in interiori, supereffluentem in ipso Deo. Quomodo videndus fit in creaturis, et habendus in nobis, possumus vel ex parte cognoscere. Cognitio enim illa mirabilis confortata est facta, et non possumus ad eam.

TIT. LVIII. *De triplici cœlestis verbi auditore.*

Tres legimus cœlestis verbi auditores, pigros, activos, contemplativos. Pigri audiunt et audita contemnunt. Activi audiunt et auditis obediunt. Contemplativi audiunt et in amplexu obdormiunt. Pigri torpent, activi laborant, contemplativi quiescunt. De pigro scriptum est : *Abscondit manus suas sub axilla* (*Prov.* XIX); de activo : *Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es et bene tibi erit* (*Psal.* CXXVII), de contemplativo : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ : et volabo et requiescam?* (*Psal.* LIV.) Pigri sunt debiles, activi fortes, contemplativi vacantes. Est autem triplex pigrorum debilitas : quia sunt in oculis cæci, in manibus contracti, in pedibus claudi. Cæci, quia vident et non intelligunt; contracti, quia congregant et non distribuunt; claudi, quia ad intimam erroris lasciviam declinantes, rectam viam salutis non arripiunt. Pigri torpent Deo, non

sæculo; quia multis laboribus thesauriaaat sibi divitiss sæculi. Activi nec Deo aec sæculo, quia thesaurizant sibi divitias cœli et beatitudioem Dei. Contemplativi sou Deo cui vacant, sed sæculo, quod contemnunt.

TIT. LIX. *De triplici vita hominis.*

Tripliciter dicitur vita hominis: vita naturæ, qua vita vivit homo; vita gratiæ, qua vivit Christus in hominis corde; vita culpæ, qua vivit peccatum in homine. Duæ sunt a Deo, tertia ab homine. De omnibus dicit David: *Deus, vitam meam annuntiavi tibi* (*Psal.* LV). Nam et illas quæ naturæ et gratiæ sunt, Deo annuntiat, dum eas se a Deo confitetur habere; tertiam quæ est peccati, dum eam confitetur cum Apostolo, ut aos mentiatur. Vita gratiæ est super terram, vita naturæ in terra; vita culpæ subtus terram. De prima Apostolus: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III). De secunda Job: *Homo nascitur ad laborem* (*Job* V). De tertia Dominus: *Qui male agit odit lucem* (*Joan.* III). Et Joan.: *Qui odit fratrem suum in tenebris est* (*Joan.* II).

TIT. LX. *De tribus mansionibus hominum.*

Tres sunt mansiones: cœlestis, terrestris, infernalis. In media constitutis dat creaturis Creator bonus optionem, ut quod voluerint eligant, quod eligerint meritis acquirant. Mansio in qua sumus in medio constituta sursum habet cœlum, deorsum infernum. Inferni mansio plusquam possit dici dura est et aspera. Ibi vermis qui non moritur, ignis qui non extinguitur. Ibi miser in miseriis non subsistit, quoniam non est homini cor, non sensus, quo malorum et dolorum infinitas calamitates exprimere possit. Cœli vero mansionem sapientia ponit mensam, panem vitæ et intellectus. Vinum miscet quod lætificat cor hominis, ut bibant ia jucunditate, et inebrientur ab ubertate domus, ut non esuriant, neque sitiant amplius, quando Dominus transiens ministrabit illis et manifestabit seipsum illis. Nos ergo, fratres, in terrestri mansione inter istas mansiones constituti, sursum erigamur ad cœlestem. Nam *beatus qui ad cœnam Agni vocatus est* (*Apoc.* XIX). *Beatus qui manducabit panem in regno cœlorum* (*Luc.* XIV). Et quia ad hoc vocati sumus hic positi, beatitudinem illam hæreditate possideamus. Festinemus ingredi in illam requiem; sed quia non intrabit in eam aliquid coinquinatum et immundum, totum studium nostrum sit circa nostri purificationem, uti purificati cum filio virginis in illud sublime templum non manufactum præsentari et Domino sisti mereamur. Mater Domini purgatorios agebat dies quæ illis non indigebat, Dominus circumcidebatur, in quo nullum erat delictum. Nos maculosi et turpes agamus purgatorios dies, mundemus conscientias, purgemus ora, tempus quod superest purgationi deputemus. Patet animabus nostris purgandis et lavandis fons divinæ pietatis in ablutione pectoris et menstruatæ.

TIT. LXI. *De triplici virginitate.*

Triplex est virginitas: Prima in carne, mente corrupta; secunda in mente, carnis violato pudore; tertia in mente et corpore. Prima est ancilla, secunda adolescentula, tertia sponsa. Prima est fatua, quæ mente prostituta caste vivit in carne, timore vel laude humana; secunda est prudens, quæ post amissam virginitatem carnis prudenter repetit virginitatem mentis, per omnia se subdens divinis præceptis; tertia est fidelis, quæ corruptionem carnis aut mentis non incurrit, sed in amore sponsi fideliter permansit. Prima damnatur, secunda muneratur, tertia coronatur. Qui sponsus voce suavissima ait: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (*Cant.* IV).

TIT. LXII. *De tribus quæ desponsata recipit.*

Tria recipit desponsata: Monile in pectore, annulum in digito, dotem in jure hæreditario. Monili pectus munitur, annulo manus ornatur, dote conjugium consummatur. In pectore ratio, cum qua versatur cogitatio; in manu operatio; in dote utriusque remuneratio. Per monile, quod ex auro et gemmis cum labore fabricatur, nota cœlestis sapientis quæ diversis disciplinis illustratur. Ut enim ait Scriptura, *Sapientia desursum est* (*Jac.* III). Primum quidem pudica, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens. Hæc cum difficultate acquiritur, quia disciplinatis tantum mentibus infunditur. *Non enim in malevolam animam intrabit sapientia* (*Sap.* I). Hæc ergo acquisita pectus munit ne secreta sinus aperiantur, ne tenere mammæ sponsæ aura adulationis flante lædantur, ne suggestio immittatur, qua ratio obnubiletur, cogitatio casta prostituatur; sed tota integra et sigillo sapientiæ undique munita, digna efficitur laude sponsi dicentis: *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea, sponsa. Pulchriora sunt ubera tua vino* (*Cant.* IV). Per annulum sine quo nulla desponsatur, Spiritus sancti pignus accipitur, sine quo cœlestis sponsi amplexibus nemo jungitur: qui omnem operationem quæ per manus signatur, ornat et diligit, ut dicere possit: *Manus meæ distillaverunt myrrham probatissimam; digiti mei pleni sunt myrrha* (*Cant.* V). Tantis ornamentis decorata et muneribus pignorata, dote cœlesti officitur digna, quæ est æterna remuneratio. Spe et amore cujus, fidelis anima spirituali viro desponsatur, de quo dicitur: *Vir oriens nomen ejus* (*Zach.* VI).

TIT. LXIII. *De tribus Christi gestatoribus.*

Tres leguntur principaliter portatores Jesu: Beata Maria concipiens in utero; Simeon offerens in ulnis, Joseph portans in humeris. Significant tres ordines electorum: Maria prædicatores, Simeon bonos operatores, Joseph fidei defensores. Qui enim verbum Dei prædicant, quasi Christum in utero portant ut eum aliis vel alios pariant. Unde Paulus: *Filioli mei, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis* (*Gal.* IV). Qui vero porrigit panem esurienti, et cætera facit misericordiæ opera, recte videtur Christum in ulnis portare quibus dicturus est in judicio: *Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Qui autem laboribus pro Christo

fatigantur, qui persecutionem propter justitiam patiuntur, Jesum in humeris portare dicuntur; unde: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me* (*Luc.* IX).

TIT. LXIV. *Prædicatori tria necessaria.*

Tria solent in prædicatore requiri: sanctitas conversationis, perfectio scientiæ, eloquentia ad gratiam, ut sermo sit sanctus, sit prudens, sit illustris. Sanctitas, quia cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. *Quare*, inquit Dominus, *tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* (*Psal.* XLIX.) Perfectio scientiæ, ut habeat unde præferat de thesauro suo nova et vetera; eloquentia, ut habeat secundum scientiam quid dicat, secundum eloquentiam quomodo dicat, ut sententiarum excellentiæ sermonis elegantia respondeat, et verborum dignitas rerum majestati; et quasi quodam concentu res et verba concurrant, ut sic triplici et ita omni acceptione sermo ejus sit dignus. Unde: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus* (*I Tim.* I).

TIT. LXV. *De tribus quibus nocet luxuria.*

Tribus luxuria nocet: Cutis nitore, vestis decore, exquisito ciborum sapore.

TIT. LXVI. *De tribus in quibus confessio.*

In tribus consistit confessio: In crebris gemitibus, in multis singultibus, in irriguis fletibus. Ut sint gemitus in pectore, singultus in gutture, fletus in facie.

TIT. LXVII. *De tribus in quibus contritio.*

Tribus conficitur cordis contritio: A pudore, a timore, a dolore. A pudore, quia turpiter egit; a dolore, quia Deum offendit; a timore, quia impunitum non transibit. Primo pudet deliquisse, secundo dolet offendisse, tertio timet.

TIT. LXVIII. *De tribus silentiis ante gratiam.*

Tria gratiam præcesserunt silentia. Primum fuit cæcum et surdum, secundum surdum, tertium mutum. Primum ante legem, quando nec per se homo videbat mortem, nec ab alio audiebat; et ideo remedium non quærebat. Secundum sub lege, quando videbat morbum per legem, nec tamen audiebat per prophetas, nec remedium flagitabat per gratiam. Tertium in prophetis, quando et videbat morbum et per prophetas audiebat; sed ad veniam remedium non confitebatur nec postulabat. In gratia omne silentium abiit, quoniam *cum summum silentium tenerent omnia* (*Sap.* XVIII), id est, ultimum silentium esset in omnibus, *et nox*, id est, diabolus vel nox in peccatorum tenebris, *medium iter perageret, omnipotens Sermo venit* (*ibid*). In quo qui videbant morbum, audiebant et remedium præsens habebant, cœperunt et intus morbum per cognitionem cognoscere, et amore cordis audire, et oris confessione medico supplicare.

TIT. LXIX. *De tribus silentiis aliis.*

Triplex est silentium: cordis, oris, operis. Corde silet, qui dicenda nunquam concipiens, nunquam intus in corde loquitur. Ore silet, qui etsi concipiat, magno tamen silentii vigore extra in ore restringit. Opere silet, qui licet concipiat, licet proferat, tamen usque ad effectum non pervenit. Qui prava in corde concipiendo silet bonus est. Qui intus silentium rumpit, licet linguam exterius comprimit, malus. Qui corde rumpit et lingua, deterior; qui corde, lingua et opere, pessimus. Hic enim effrenate concepta, non solum effrenatius loquitur; verum etiam effrenatissime operatur. De illo dicitur: *Qui dimittit aquam caput est jurgiorum* (*Prov.* XVII). Aquam dimittere est fluxum linguæ ad actum perducere; et est caput jurgiorum, quia ibi propinatur origo discordiæ.

TIT. LXX. *De quatuor vigiliis vitæ nostræ.*

Quatuor vigiliæ vitæ humanæ, tanquam cujusdam noctis tenebrosæ, sunt quatuor status. Prima noctis vigilia in claustro paradisi; secunda, post peccatum in lege naturali; tertia, sub peccato in lege Moysi; quarta, in Christi lege sub gratia. In his omnibus contra hominem est diabolus. In primo statu diabolus cum homine pugnat et eum superat, quia homo virtutis arma abjecit; in secundo nulla est pugna, quia homo subjugatus per desperationem victus jacet; cum victori fomes peccati comes accessit; in tertio moriens expirat, quia per mandatum legis mors revixit. In quarta autem vigilia hujus noctis venit Dominus ambulans super mare; et sedenti homini *in tenebris et in umbra mortis lux orta est ei* (*Luc.* I): et clamans voce magna in persona Lazari, unicuique jacenti in morte ait: *Veni foras* (*Matth.* XI). Revixit itaque homo, et cum diabolo iterum pugnat et vincit, quoniam libero arbitrio gratia accessit. In primo male pugnat per negligentiam; in secundo repugnat per ignorantiam; in tertio, necatur per superbiam; in quarto, suscitatur, pugnat et vincit per gratiam.

TIT. LXXI. *De triplici odore vitæ.*

Triformis est odor vitæ: non delinquere, quod agit timor servilis; nolle delinquere, quod operatur filialis; non posse delinquere, quod confert gloria perennis. Primi sunt servi, secundi filii, tertii beati.

TIT. LXXII. *De tribus gradibus superbiæ et humilitatis.*

Tres sunt gradus superbiæ, et tres gradus humilitatis. Primus gradus superbiæ est aliquem existimare quod habet a se habere; secundus, cum bonum quod habet suis meritis se accepisse gloriatur; tertius, quando contemptis reliquis, singulariter appetit videri, nec se putat parem posse habere. Primi vox est: *Labia nostra a nobis sunt* (*Psal.* II). Secundi: *Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines* (*Luc.* XVIII), tertii vero: *Ponam sedem meam in aquilone* (*Isai.* XIV). Et hic est summus, quo primus homo noluit Deo subesse, credens verbis serpentis: *Eritis sicut dii*. Hic autem summus superbiæ gradus summo humilitatis gradu curandus fuit. Primus enim est suo subdi superiori: et hic est sufficiens; secundus, suo submitti pari et socio, et hic est abundans; tertius, suo submitti inferiori: et hic est

omnis et superabundans. De quo ad Joannem Christus: *Sic decet nos implere omnem justitiam* (*Matth.* III), id est, superabundantem humilitatem. Primus humiliter, secundus humilius, tertius obtinetur humillime. Quo superiori genere humilitatis, Deus qui est super omnia, factus est homo inter omnia, superbiæ summum hominis gradum curavit, ut juxta morbum morbi salutis cresceret medicina. Erubesce igitur tu homo, qui nec tuo consentis supponi majori cum Deus omnibus major suo pro te non dedignatur subjici inferiori. O quam damnanda superbia! Creaturæ suæ creator subjicitur, et contra Creatorem suum creatura superbit. Sed quia omnis qui se exaltat, in gehenna humiliabitur, *humiliare* homo *sub potenti manu Dei* (*I Petr.* V), ut te exaltet in tempore tribulationis illius ubi erit ignis qui non exstinguitur et vermis qui non moritur, ipso præstante qui, etc.

TIT. LXXIII. *De tribus cinctoriis.*

Tria sunt cinctoria quæ nos stringunt et cohibent: Memoria mortis, decor pudicitiæ, amor religiosus. Prima est zona pellicea qua cingebatur Joannes; secunda, balteus quo Aaron ad Deum accedens; tertia, zona aurea, quo similis Filio hominis et vestitus podere præcinctus est in Apocalypsi ad mamillas. Primo cinctorio, cincti sunt eremitæ studentes asperitati; secundo sacerdotes studentes castitati; tertio, cives angelici insistentes charitati. Unde zona dicitur aurea.

TIT. LXXIV. *De tribus castris*, etc.

Tria sunt castra: prædicantium, continentium, conjugatorum. Primi contra hæreticos, secundi contra seipsos, tertii pugnant contra ea quæ mundus dat, quia mundi sunt cogitatores, et ad invicem sibi placere coguntur.

TIT. LXXV. *De duplici compunctione.*

Duæ sunt compunctiones: una nascitur per timorem, altera per amorem. Prima timore supplicii, secunda venit amore præmii. Unde in tabernaculo duo altaria fiunt: unum exterius, alterum interius. Unde in atrio aliud ante arcam. Unum quod ære, alterum quod auro vestitur. In primo carnes, in secundo incensum crematur. Altaria corda sunt in quibus vel ex timore peccatorum, ignis ardet compunctionis, et caro consumitur ardore pravi operis; vel ex amore cœlestium ab igne charitatis ascendit thymiama orationis. Multi enim sunt qui, dum supplicia metuunt, quotidie fletibus incendunt vitia igne compunctionis. Sunt alii qui a peccatis liberi, amoris flamma in lacrymas compunctionis inardescunt, et cum fraternis civibus regem in decore suo videre concupiscunt. Primum altare est exterius, ut videantur opera bona et glorificetur Deus (*Matth.* V); secundum ante arcam intus, ut ab eo solo qui intus videt retributio exspectetur. Et notandum quod inter hoc altare et arcam velum est interpositum. Arca ille est in quo sunt reconditi omnes thesauri sapientiæ et scientiæ. Velum est cœlum. Arca igitur intra velum, Redemptor noster est in cœlo. Altare autem velum est, quia electorum corda quæ per sanctum desiderium amore ardent, adhuc relevata facie quod desiderant videre nequeunt. Quousque ergo in atrio populi extra sumus, in altari compunctionis crememus per timorem carnes vitiorum. Si intus sumus ante velum antequam scilicet intremus cœlum, per compunctionis amorem nil terrenum flere debemus, solus nobis ipse sufficiat qui fecit omnia, transcendamus per desiderium omnia, non tam timore pœnarum nec memoria vitiorum quam amoris flamma succensi, ardeamus cum lacrymis in odore virtutum sicut illa *quæ ascendit* per desiderium *sicut virgula fumi ex aromatibus*, etc. (*Cant.* III).

TIT. LXXVI. *De triplici hominis acceptione.*

Tribus modis hominem Scriptura appellat: Per naturam, ut *Faciamus hominem* (*Gen.* I); per culpam, ut *Vos sicut homines moriemini* (*Psal.* LXXXI); per infirmitatem, ut *Maledictus qui confidit in homine* (*Jer.* XVII).

TIT. LXXVII. *De triplici somni acceptione.*

Tribus modis somnus in Scriptura accipitur: Pro morte carnis. Unde Apostolus: *Nolo vos ignorare de dormientibus* (*Thess.* I). Pro negligentia peccati. Unde idem: *Hora est jam nos de somno surgere* (*Rom.* XIII). Pro quiete et vitæ desideriis. Pro quo somno dormivit Jacob, ponens caput in lapide (*Gen.* XXVIII).

TIT. LXXVIII. *De duplici respectu Dei.*

Duplex est Dei respectus: Hic per misericordiam, quo respicit pœnitentes; in futuro per justitiam, quo reprobos damnabit. Unde: *Oculi tui in me, et non subsistam* (*Job* VII). Et quia ibi non est respectus misericordiæ, præmittit, *Nec aspiciet me visus hominis* (*ibid.*), id est Christi, quia quoque illinc huc non revertitur quisquam ad emendationem, idem præmisit: *Et non revertetur oculus meus ut videat bona* (*ibid.*), quia etiam hinc illuc cito transit dicendo; *Memento, Domine, quia ventus est vita mea* (*Prov.* XVIII), orat hic se per misericordiam respici. Sed quia Deus non parcit si tibi parcis, audi quid Job idem dicat: *Ego non parcam ori meo* (*Job* VII). Ori suo parcit qui confiteri malum erubescit. *Justus* autem qui in principio sermonis *accusator est sui* (*Prov.* XVIII), ori suo non parcit, quia districti judicis præveniens verbum, contra se propriæ confessionis verbo sævit; sicut Psalmista: *Præoccupemus*, inquit, *faciem ejus in confessione* (*Psal.* XCIV).

TIT. LXXIX. *De quatuor modis peccandi.*

Quatuor modis peccata perpetrantur in corde: totidem consummantur in opere. In corde suggestione, per adversarium; delectatione, per carnem; consensu, per spiritum; defensionis audacia per elationem, cum culpa terrere mentem debuit, extollit. His quatuor ictibus primi hominis rectitudinem antiqui hostis fregit. Nam serpens suasit, Eva delectata est, Adam consensit, requisitus ubi esset, culpam confiteri per audaciam noluit. Hoc in homine quotidie agitur. Diabolus tanquam serpens tortuosus et lubricus suadet; caro sicut Eva delectatur; spi-

ritus velut Adam præpositus consentit per carnis delectationem a sua rectitudine inclinatus; qui tanquam requisitus Adam, per audaciam defensionis nequius obduratur. His quatuor consummatur. In opere prima latens culpa agitur, postmodum sine confusione ante oculos hominum aperitur, in consuetudinem ducitur, ad extremum spe falsa vel desperatione misera nutritur. Hos modos Job deplorat dicens: *Quare non in vulva mortuus sum? Egressus ex utero non statim perii? Quare exceptus genibus? Quare lactatus uberibus?* (*Job* III.) Mortua esset in vulva si se moriturum in ipsa suggestione cognosceret. Sic de cæteris. Sciendum tamen quod tres primi modi faciliter corriguntur: quartus nunquam. Unde Dominus puellam in domo (*Luc.* VIII); juvenem extra portam (*Luc.* VII): quatriduanum Lazarum suscitat (*Joan.* XI). Puella in domo peccator est in occulto: juvenis qui extra portam ducitur est cum peccati culpa aperitur; sepulturæ vero aggere premitur, qui usu consuetudinis pressus gravatur. Hus tamen miseratus Dominus ad vitam per pœnitentiam advocat. Quartus autem a Domino nuntiatur, non suscitatur, quia peccatum desperationis nec in hoc sæculo nec in futuro dimittitur (*Luc.* XII), imo is qui mortuum nuntiat audit. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* VIII).

TIT. LXXX. *De triplici adventu Dei.*

Tres sunt adventus Dei, ad homines, in homines, contra homines. Non sunt tam desiderabiles primus et ultimus quam medius, quo sapientia Dei in hominem veniens facit ibi mansionem, ædificans domum, scindens columnas septem, ut faciat sibi sedem (*Prov.* IX). Domus est homo, sedes anima, septem columnæ præparamenta sedis. *Justitia*, inquit, *et judicium præparatio sedis tuæ* (*Psal.* LXXXVIII). Justitia virtus est cuique quod suum est tribuens, superiori, inferiori, æquali. Superiori obedientiam et reverentiam: quarum altera corporis, altera cordis est. Æquali consilium quo instruatur ignorantia, et auxilium quo juvetur infirmitas, non solum in verbo et officio, sed etiam exemplo quo provocetur ad meliora, et oratione qua juvetur a Domino. Inferiori custodiam, qua cavere possit peccatum futurum: et disciplinam qua puniatur admissum. Si ergo superiori reddis devotionem et obedientiam, æquali consilium et auxilium, inferiori subdito custodiam et disciplinam, vel tibi ipsi qui habes corpus tuum subditum, ut non regnent in eo peccata, et facias fructus dignos pœnitentiæ, veniet in te Dominus.

TIT. LXXXI. *De animo cur Christi sit sponsa.*

Quatuor sunt propter quæ anima dicitur sponsa: Dona gratiarum, quibus subarrhata est in baptismate; castus amor, quo illi sociata in ungendo chrismate; proles virtutum, quibus fecundata est divini verbi dogmate; torus quietus, quo in æternum est ei socianda omni procul ænigmate. Arrharum vero quædam est communia, quædam specialis. Communia quadrifarie est, qua nati sumus, sentimus, sapimus, discernimus. Specialis similiter quadrifaria: qua regnaturi sumus præveniente misericordia; remissionem consecuti subsequenti intelligentia; virtutibus exornati, superabundante gratia, spe certa beati, perseverante constantia.

TIT. LXXXII. *De quinquepertito gulæ vitio.*

Quinque partitum est gulæ vitium. Aliquando in digentiæ tempus prævenitur in siliquibus; et ii similes Jonathæ in gustu mellis. Aliquando hora non prævenitur, sed cibos lautiores quærunt; et ii similes populo judaico in eremo: qui despecto manna carnes petiit. Aliquando quælibet sumenda præparari accuratius poscunt, et ii similes filiis Heli, qui carnes non coctas de more, sed crudas accuratius præparandas extorquent. Aliquando qualitati et tempori congruunt, sed mensuram excedunt. Unde dicitur: *Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ: superbia vitæ saturitas panis et abundantia* (*Ezech.* XVI). Aliquando abjectus est cibus et æstu desiderii deterius peccatur, et ii similes Esau qui lentis esca primogenita vendidit. Neque enim cibus sed appetitus vitium est. Unde et hic per lenticulam primatum amisit, et Elias carnes edendo virtutem corporis servavit; et diabolus primum hominem non in carne, sed in pomo (*Gen.* III); et secundum, in pane tentavit (*Matth.* IV).

TIT. LXXXIII. *De tribus sacerdotum vitiis.*

Tria sunt vitia quibus frequenter diverse sacerdotes delinquunt. Cupiditas, incontinentia, negligentia. Cupiditate peccant qui pro obtinendis temporalibus commodis divina officia celebrant; in quorum intentione non est amor Dei, sed temporalis lucri. His dicit Dominus per Amos: *Ideo audivi et projeci festivitates vestras, et non capiam odorem sacrificiorum vestrorum* (*Amos.* V). Quia non possunt esse odorifera et delectabilia sacrificia Deo, quæ quisque facit in eis quærendo non honorem Dei, sed sua lucra. Quod si dicat: Deo in hoc servio licet commodum consequar, dicitur ei: *Nemo potest duobus dominis servire*, etc. *Non potestis Deo servire et mammonæ* (*Matth.* VI). Tales constituunt Dagon juxta arcam (*I Reg.* XII): dum per divina officia quæ faciunt pecuniam congregare intendunt. Talibus et Dagon auferetur, et ipsi percutiuntur in posterioribus, quia et ipsa temporalia subtrahuntur, et pœna æterna mulctantur. Secundum autem vitium incontinentiæ quanto odio insequatur Apostolus docendo quod violatorem templi Dei disperdet Deus (*I Cor.* III), notum est. Hæc vero duo vitia propter tertium, id est negligentiam accidunt, cum ita sunt in subditis et in se negligentes ut non suscitentur ad custodiam Sion et ad depascendum terram Assur in gladio sicut dicit Dominus per prophetam: *Suscitabimus super eum septem pastores et octo primates homines, et pascent terram Assur gladio* (*Mich.* V). Per septem pastores et octo primates universi prælati intelliguntur, qui debent esse septem et octo, id est Novo et Veteri Testamento instructi. Suscitabo pastores, id est animarum custodes utroque Testamento, ut sciant proferre de thesauro suo nova et

vetera. Vigilanter debent custodire Sion, id est Ecclesiam, et viriliter resistere Assur impugnanti populum Dei, id est diabolo, quia sicut olim Assur populum Dei, ita quotidie nunc diabolus populum persequitur Christianum. Et debent pascere terram Assur in gladio Spiritus, quod est verbum Dei ut illos qui sunt subjecti diabolo per amorem terrenorum, pabulo sacræ doctrinæ tanquam gladio bis acuto, hinc per timorem gehennæ terrendo, illinc amore cœlestis patriæ provocando, revocent a malis per terrorem tormentorum, et ad bonum per dulcedinem præmiorum. Tales nos oportet esse charissimi, prudentes et exercitatos in sacris Scripturis, et suscitatos et accinctos gladii acumine super gregem nobis commissum, ut refrenata cupiditate temporalium solis cœlestibus intendamus, servata continentia carnis, mundi apparentes in conspectu Dei et hominum, abjecta negligentia, diligenter curam adhibeamus ad custodiam non solum aliarum, sed et nostrarum animarum, ut non sit vox nostra. *Posuerunt me custodem vineis* (*Cant.* I). Vineam meam, id est domum meam non custodivi. Recepturi præmia digna pro laboribus nostris, præstante Domino qui vivit et regnat, etc.

Tit. LXXXIV. *De tribus in quibus consistit salus.*

In tribus salus æterna consistit. Primum est abrenuntiare sæculo et jungere se Deo; secundum, terrena contemnere et æterna quærere; tertium, vitia calcare, et virtutibus operam dare. Hoc triduo in holocaustum immolatur vacca trima, aries, taurus. Hoc triduo Dominus turmæ se in eremo austinentis per miserationem suam offerretur. Hoc triduo de vitiis ad virtutes, de luce ad tenebras transit Hebræus. Primo die deserit Pharaonem conjunctus Deo; secundo, servilia opera luti et lateris, desiderans libertatem; tertio, de Ægypto exiens tendit ad terram promissionis. De primo dicitur: *Mihi adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII); de secundo: *Quæ sursum sunt quærite* (*Colos.* III); de tertio, *Educ de custodia animam meam* (*Psal.* CXLI).

Tit. LXXXV. *De triplici damno ferendo.*

Tribus modis damnum infertur homini: a dæmone, a proximo, a carne. Dæmon insidiatur charitati, proximus possessioni, caro pudicitiæ. Quod Isaias breviter sic coloravit: *Ibi habuit foveam ericius, et enutrivit catulos suos; congregati sunt milvi, cubavit lamia et invenit sibi requiem* (*Isa.* XXXIV). Babylon homo filius confusionis, quem confundit delectatio culpæ, amaritudo pœnæ, singularitas vitæ. In hoc sunt tria mala Babylonis, tria genera confusionis. Nunc de singulis. Ericius piger, spinosus, inter operculum latens suæ pellis, est diabolus piger in effectu ne quis currat ad pœnitentiam, opertus spinis ne recipiat gloriam vel gratiam; quem latebra perditionis celat, ne veniat ad misericordiam. Piger est ericius, quia diabolus nullas contra hominem habet vires, nisi se homo ei sponte mancipet. Formica est contra leonem resistentem. Contra formicas consentientes leo. Vis videre formicam? *Domine, mitte nos in porcos* (*Marc.* V). Hic Domino gladium tribuit, ut occidat; in principio facilis ut repellatur. Si invaluerit figens radicem, non exstirpatur, nisi clamet Jesus voce magna. Unde dum parvulus est hostis, cave ne nequitia erigatur in semine. Sed si piger repellitur, spinas submittit. Hæ sunt multiplices nocendi machinæ. Plantat diabolus radicem peccati: quæ nisi mox avellatur, pullulat et nascitur arbor culpæ. Per oculum expanduntur rami nequitiæ; per linguam hujus arboris sentit homo, et delectationis colligit fructum in æternam damnationem. Ericius igitur est pigritia imbecillitatis, spina fallaciæ, pellis latebra. Per spinam præcipitat in aperta mala; per pellem in occulta. Hic habet foveam, id est in confusis mentibus mansionem, et nutrit catulos latrantes, id est vitia. Post ericium sunt milvi, quia post diabolum est proximi malignitas, quia cum maledicit et malefacit nobis, rostro et unguibus discerpit. Sed si ericium et milvum evadimus, sequitur lamia. Lamia humanam faciem habet, corpus habet bestiale. Hæc est caro, hic est domesticus hostis. Hic primus vincendus, in nobis contra nos habens radices, pugnans blandiendo quasi rationale pro necessariis, et succumbendo quasi bestiale pro superfluis. Hic invenit requiem cum carnis curam facit in desideriis. Hæc tria sunt bella Babylonis: tentatio dæmonis, proximi calumnia, carnis fornax. Contra ista increpat vultus Dei, et pereunt; blanditur et percutit. Blanditur patienter exspectando, increpat correctione flagellando, percutit juste damnando.

Tit. LXXXVI. *De triplici adventu Domini.*

Primus adventus in nube, secundus in rore, tertius in fulmine. In primo occultus, in secundo manifestus ex parte, in tertio ex toto. In primo venit occultos agnus ad aram, in secundo sponsus ad amicam, in tertio ferrum ad culpam. III sunt tres descensus, præsentiæ, clementiæ, vindictæ. De primo dicitur: *Inclina cœlos et descende* (*Psal.* XVII). De secundo: *Descendi in hortum meum* (*Cant.* VI). De tertio: *Descendamus et confundamus labia eorum* (*Gen.* XI).

Tit. LXXXVII. *De via carnis et spiritus.*

Duæ sunt viæ: una carnis, altera spiritus. Una separat a Domino, altera revocat ad Dominum. Una visibilis, altera invisibilis. In prima mundi amatores spatiantur; in secunda mundi contemptores requiescunt. Primi sunt Hebræi secundum carnem, qui sic transeunt per bona temporalia ut æterna mala incurrant; secundi Hebræi secundum spiritum, qui per ista transeunt ad æterna bona.

Tit. LXXXVIII. *Sapientiam quinque modis concupisci.*

Quinque modis sapientia concupiscitur. Quidam discunt ut sciant: quod est curiositas; quidam, ut scientes appareant: quod est vanitas; alii, ut vendant et lucrentur: quod est Simoniaca pravitas; alii ut alios ædificent: quod est laudata charitas; alii, ut ædificentur: quod est pia humilitas. Tres superiores sine fructu in concupiscendo abundant.

Hi colligunt manna, sed putrescit in ore eorum. Duo posteriores fructum metunt.

Tit. LXXXIX. *De tribus cognationibus.*

Tres cognationes sunt: Naturæ, gratiæ, gloriæ. In prima sumus conditi nobilis Dei creatura; in secunda renati, nova in Christo creatura; in tertia, translati, perfecta in Domino creatura. Per primam in animalibus excellimus, per secundam carnem superamus, per tertiam mortem vincimus.

Tit. XC. *De tribus inobedientiæ comitibus, et tribus obedientiæ bonis.*

Inobedientia tres comites habet: Imprudentiam, quantum ad seipsam; irreverentiam, quantum ad Deum; contumeliam, quantum ad proximum. Ut autem scias dignitatem obedientiæ, adverte quod extra Bethaniam, quæ interpretatur *domus obedientiæ*, nec lacryma pœnitentis, nec studium bonæ operationis, nec otium sanctæ contemplationis Deo placere invenitur. In Bethania quatriduanus suscitatur; ibidem in domo Simonis Maria ab onere peccatorum exoneratur. Postremo a Bethania in Jerusalem, id est visionem pacis venitur, quia per obedientiam ovis centesima humeris pii Patris ad regem reportatur. Per obedientiam drachma inventa in thesaurum regis absconditur. Per obedientiam regina austri ad verum Salomonem dicitur. Per obedientiam Bersabee ad amplexum veri sponsi repræsentatur.

Tit. XCI. *De tribus in cruce animadvertendis.*

Tria notemus in cruce Christiana: nobilitatem, sapientiam, religionem. Unde titulus litteris Latinis, Græcis et Hebraicis inscribitur. In Latino notatur nobilitas, qua præcedebant Romani; in Græco, sapientia, quam ipsi requirunt; in Hebraico, religio, ex qua Judæi, qui petunt signa, procedunt.

Tit. XCII. *De tribus imitatori Christi agendis.*

Imitator Christi tria debet agere: Simplicis innocentiæ sensum tenere, ut cum Christo puer efficiatur; abjectum et humilem habitum amare, ut infantiæ Christi pannis vilibus involvatur; in disciplina simpliciter ambulare, ut cum Christo in præsepe positus inveniatur.

Tit. XCIII. *De tribus piscinis, diaboli, mundi, et Dei, et earum porticibus.*

Tres sunt piscinæ: una diaboli, altera mundi, tertia Dei. Prima confusio dicitur, et cruciat lethaliter; secunda, contritio, et lavat potentialiter; tertia, compunctio, et abluit salubriter. De prima dicitur: *Mittentur in stagnum ignis ardentis et sulphuris* (*Apoc.* XIX); de secunda: *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* (*Jer.* II.) De tertia: *In die illa erit fons patens domui David*, etc. (*Zach.* XIII). Prima habet quinque porticus pœnarum tenebras: in prima habet stridorem dentium; in secunda, ignem inexstinguibilem; in tertia, vermem non morituram; in quarta, frigus nimium; in quinta, desperationem. Secunda quoque piscina quinque habet porticus: prima est negligentia et in ista jacet Saul cum inobedientibus; secunda curiositas mundi, et in hac Jezabel cum curiosis mulieribus; tertia contemptus proximi: et in hac dives epulo cum omnibus avaris, quarta profundum malitiæ: et in ea Arius et Caiphas cum aliis malitiosis; quinta desperatio veniæ: in qua Cain et Judas cum reliquis desperantibus. In prima audiunt: *Maledictus qui opera Dei facit negligenter* (*Jer.* XLVIII); in secunda: *Ascendit mors per fenestras nostras* (*Jer.* IX); in tertia: *Qui non diligit manet in morte* (*Joan.* III); in quarta: *In malevolam animam non intrabit sapientia* (*Sap.* I); in quinta: *Qui peccaverit in Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro* (*Luc.* XII). Tertia piscina quinque porticus habet: Prima est timor supplicii: et in ipsa jacent pœnitentes; secunda, dolor exsilii præsentis: in qua jacent lugentes et justitiam esurientes; tertia, compassio proximi: in qua misericordes; quarta, amor præmii: in qua mundi corde; quinta, amor conjugii: in qua pacifici. In his quanquam habeatur virtutum sanitas, quis tamen in præsenti non habetur ad plenum, multitudo dicitur jacere languentium: hi exspectant ut descendat angelus; a quo mota aqua compunctionis (*Joan.* V), langoor venialium vel mortalium descendentis Spiritus sancti gratia tergatur, et sanetur ab omni labe onus, ille scilicet tantum qui charitatis servat unitatem.

Tit. XCIV. *De triplici materia gaudii animæ.*

Triplex est materia gaudii sponsæ Christi animæ fidelis: Prima est a gloria sponsi; secunda, a desponsationis suæ reverentia; tertia, a dotis magnificentia. Laus autem sponsi multiplex est. *A forma* quia *speciosus est præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV); a genere, quia *descendens a patre luminum* (*Jac.* I); a divitiis, quia *Domini est terra et plenitudo ejus*, etc. (*Psal.* XXIII); a potentia, quia non potest vinci; a sapientia, quia non potest falli; a justitia, quia non potest corrumpi; a certitudine scientiæ, quia non potest vitari. Est *admirabilis* bonitate vitæ, *consiliarius* utilitate doctrinæ, *Deus* singularitate potentiæ, *fortis* proprietate victoriæ, *Pater futuri sæculi* donis gratiæ, *Princeps pacis*, felicitate gloriæ: *Non est similis tui in diis, Domine; et non est secundum opera tua* (*Psal.* LXXXV). Primo igitur felix est sponsa tali conjugio. Sindonem fecit et vendidit, etc. Reverentia vero desponsationis triplex: prima sacramentorum vitæ; secunda, mandatorum justitiæ; tertia, consiliorum disciplinæ. Primo eam despondit lavando eam sacramentis; secundo, eam despondit induendo præceptis; tertio, eam despondit ornando eam exercitiis. Quam lotam, vestitam, honoratam sponsus recipiet, ut cognoscatur in gentibus ejus, juxta illud: *Deus in gentibus ejus cognoscetur eum susceperit sum* (*Psal.* XLVII). In gradibus, clericis, laicis, prælatis, subditis, eremitis, mundi contemptoribus. Prælatis debetur sacramentorum reverentia; subditis, præceptorum obedientia; mundi contemptoribus, consiliorum exercitia. Ad prælatos pertinent salutis sacramenta, ordinationes et dispensationes mandatorum.

Sacer igitur debet esse qui sacrat, ordinatus qui ordinat, justus qui mandata vitæ ministrat, discretus et humanus qui vitam alienam librat, et hominum mores dispensat. Taliter sponsata dotis recipit magnificentiam. Merito igitur gaudet sponsa primo per gloriam sponsi felix; secundo, per dispensationis reverentiam felicior; tertio propter dotis magnificentiam felicissima, ut bene ei dicatur: *Lætare, Jerusalem*, etc.

Tit. XCV. *De tribus florum et animarum dotibus.*

Tria in flore considerantur: gratus aspectus, suavis tactus et odor jucundus. Quid autem anima spirituali intellectu purificata gratius videtur? quid spiritualibus amplexibus suavius stringitur? quid odoratu talis animæ jucundius sentitur? In qua nihil sibi vindicans superbia tumidum, non offendit aspectum; nihil invidia rubiginosum inducens, non exasperat tactum; nihil luxuria marcidum immittens, non conturbat olfactum; sed tota viret intus, floret præsentibus, fructificat absentibus: viret intus per bonam conscientiam, floret præsentibus per bonum exemplum, fructificat absentibus per bonam operationem.

Tit. XCVI. *De ingressu verbi Dei.*

Quatuor modis sermo divinus ad humanam animam ingreditur. Intrat ad primam induratam et propria malitia cæcatam, cum virga ut puniatur, rigidus et crudelis, damnans ipsum ac dicens: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei* (*Isa.* XXVI). Intrat ad secundam lapsam et propria conscientia perterritam cum parabola, ut reparetur; terribilis sed salutaris, eam invitans curando ac dicens: *Fili, ne differas converti ad Dominum de die in diem* (*Eccli.* V). Intrat ad tertiam justificatam et pro sui probatione flagellatam, cum sententia, consolatorius et amatorius, ipsi animæ dicens: *Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se*, etc. (*Jac.* I). Intrat ad quartam emeritam et cœlesti remuneratione dignam, cum gratia, ut remuneretur, gratus atque festivus eam invitans ad præmium et dicens: *Propera, columba mea, formosa mea, et veni* (*Cant.* II). In figura hujus mystici sermonis Moyses rigidus verbis, in manu ferens virgam durissimæ contritionis, in conspectu obdurati gradi.or Pharaonis. In figura secundi terribilis, sed salutaris, Nathan propheta ad David peccatum et propriæ conscientiæ reatu constrictum, cum parabola correctionis ingressus, reprehendendo dejectum relevavit, et errore relicto, justitiæ restituit. In figura tertii amabilis et consolatorii, Isaias propheta ad regem Ezechiam justum quidem, sed ad sui probationem corporali debilitate ægrotantem, cum sententia divinæ consolationis ingressus, jam probatum, jam patientia eruditum sanavit, et de manu regis Assur protegere repromisit. In figura quarti grati et festivi Gabriel angelus aspectu jucundus, habitu decorus, sermone placidus, ad Mariam ingressus est, eam venerabiliter salutavit fructumque cœlestem quasi suæ virginitatis præmium repromisit, dicens: *Ecce concipies in utero, et paries filium*, etc. (*Luc.* I).

Tit. XCVII. *De tribus donis corpori humano et totidem spiritui in conditione collatis.*

Tria in conditione invenimus divinæ dilectionis incentiva, corpori collata: panem, solem, aerem; cibum vescenti, lucem cernenti, flatum spiranti. Porro spiritui tria: dignitatem, scientiam, veritatem. Dignitas geminum possidet donum; naturæ prærogativam, et donationis potentiam. Scientia quoque duplex: hanc ipsam sciens dignitatem vel aliam nobis inesse et a nobis non esse. At virtus bifaria est, auctorem quærere, et invento inseparabiliter inhærere. Dignitas sine scientia non prodorit; scientia vero etiam obest, si virtus non affuerit.

Tit. XCVIII. *De tribus in redemptione hominis ipsum ad dilectionem Dei incitantibus.*

Tria in redemptione sunt dilectionis incitamenta, tempus, modus, fructus. In tempore tria considerantur: Corruptio naturæ, transgressio legis, plenitudo malitiæ. In modo quoque tria, quia exinanivit se usque ad hominem, descendit usque ad crucem, passus est usque ad mortem. In fructu item tria: perfecta veritas, quæ ignorantiam abjecit; consummata charitas, quæ concupiscentiam abstulit; secura æternitas, quæ oblivionem removit. In tempore igitur est consummatio mali; in modo, exinanitio Dei; in fructu, illo illo repletio nostri. Quis concipere posset quantæ miserationis fuit exterminare malitiam, delere culpam, informare naturam? quantæ humanitatis, Dominum Majestatis in carne mortem tolerare, in cruce pati? quantæ dignationis exstiterit, cæcatæ cationi refundere plenitudinem lucis, fœdatæ voluntati multitudinem pacis, turbatæ memoriæ continuationem claræ æternitatis?

Tit. XCIX. *De quadruplici dilectione.*

Quatuor sunt genera dilectionis: in primo amat se homo propter seipsum; in secundo propter se, Deum; in tertio, Deum propter Deum; in quarto, se propter Deum. Primus modus carnalis et servorum est, de quo dicitur: *Nemo unquam carnem suam odio habet* (*Ephes.* V). Secundus animalis et mercenariorum, de quo: *Confitebitur ei, cum benefeceris ei* (*Psal.* XLVIII). Tertio spiritualis et filiorum, de quo: *Confitemini Domino quoniam bonus* (*Psal.* CXVII). Qui Domino confitetur, non solum quoniam bonus est, hic vere diligit Deum propter Deum, non propter se; quartus intellectualis et angelorum: de quo: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Phil.* I).

Tit. C. *De septem gradibus confessionis.*

Septem sunt gradus confessionis: Cognitio peccati, pœnitentia, cordis dolor, oris confessio, carnis maceratio, operis correctio, et bonitatis perseverantia. Tres intus et tres foris, septimus intus et foris

prospicit. Ut igitur vera sit et fructuosa confessio, primo gradu necessaria est cognitio peccati, in qua tria necessaria sunt: ut videas quid egeris, quantis scilicet contumeliis affeceris corpus tuum, possidens vas tuum ad immanditiam et vilitatem, non in sanctificatione et honore; secundo, quid merueris, considerans *ignem* scilicet illum *qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv), et cætera mala quæ in pœnalibus locis cumulantur et crescunt; tertio, inspicias quid amiseris, bona certe illa *quæ oculus non vidit*, etc. (*I Cor.* ii). Horum consideratione perterritus transi ad secundum gradum, qui est pœnitentia, et ipsa triformis est: ut pœniteat te quod in luto fæcis et miseriæ peccati diutius jacuisti, pœnitentiam agas, corpus conteras, et furibundo carnis asello incentivorum semina subtrahens, pœnitenda non admittas amplius, ne vulnus vulnere geminans frequenter confringas ossa animæ tuæ. Sic cognoscens et pœnitens transvola ad tertium gradum qui est dolor cordis. Et hic triplex: acer, acrior, acerrimus. Acer dolor, quia Creatorem offendisti, cujus legem cum cœlestia et terrestria conservent in tanta republica Dei, tu solus peregrinus es, imperatoriæ majestatis dexteram contemnens. Acrior, quia cum Creatore Patrem etiam ad iram provocasti, qui tibi ministrat siderum cursus et fructuum ubertatem. Acerrimus, qui pertranseat animam, quod beneficium contempseris ejus qui dolorem crucis sustinuit, ne dolorem amplius sustineres inferni. Sic in interiori homine justitiæ generatæ surculus erumpat in arborem, et quod conscientia tenet, lingua loquatur, ut ascendas ad quartum gradum, qui est oris confessio. Quæ debet tripliciter fieri: pure, humiliter, fideliter. Pure, ut nihil subticeas, sed omnem putredinem evomas vitiorum; humiliter, ut quod in ore, sit in corde. Nam utrique reges, David et Saul dixerunt: *Peccavi*, sed Saul audivit: *Transtulit Dominus regnum tuum a te, et dabit illud æmulo tuo* (*I Reg.* xv). David autem: *Transtulit Dominus peccatum tuum, et non morieris* (*II Reg.* xii). Quia confessio Saulis, quæ in ore fuit, non fuit in corde; et humilitas quæ in ore David exstitit, in corde radicavit. Fideliter, ut in fide Ecclesiæ credat sibi peccata dimitti, quia Cain et Judas pure et humiliter confessi sunt, sed non fideliter, quia alter desperans ad laqueum cucurrit, alter illud grande scelus evomuit: *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear* (*Gen.* iv). Sequitur quintus gradus. Maceratio carnis, quæ jejuniis et vigiliis attenuanda est, ne nova prurigine ad voluptuosam vitam revolet. Hæc quoque tripliciter fiat: licenter, quia quod fit sine licentia, vanæ gloriæ deputabitur non mercedi; occultæ, *ut nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* vi); discrete, ut fiat pro corporis capacitate. Sic illuminatus procedit ad sextum, qui est correctio operis, ut omnes sensuales motus frenis continentiæ refrenans, veniat ad septimum gradum, qui est perseverantia bonitatis. Et in hoc septimo vocabit te Dominus cum Moyse de medio caliginis, et in ipsam divinitatis turbam interiores oculos infiget. Hanc perseverantiam faciunt exspectatio præmiorum, pœnarum recordatio, primitiæ spiritus et donum cœleste. Pro hac septemplici confessione in tribus gradibus dicitur: *Corde creditur ad justitiam* (*Rom.* x), in aliis tribus, *Oris confessio fit ad salutem* (*ibid.*). Septimus currit per omnes gradus. Hanc confessionem quatuor impediunt: Pudor, quo quæ commisimus, erubescimus confiteri. Hic tripliciter obviandum est, consideratione rationis, quæ confiteri monet; reverentia intuentis Dei, quem nil latet; majoris confusionis comparatione, quoniam in futuro cuncta crimina omnibus patebunt. Secundo timor, qui plerosque opprimit ne gravi pœna percellantur et eam ferre non possint. Huic similiter tribus occurrendum est: considerando quam gravis sit pœna gehennæ, quam longa et infructuosa; econtrario quod pœnitentia præsens levis, momentanea fructuosa. Vere *qui timent pruinam, irruet super eos nix* (*Job* vi). Tertio spes, quæ multos obruit, dum præsentia cupientes conscientias aperire nolunt, ne si quales sunt hominibus apparerent, ad nulla præsentia bona concenderent. Contra quam inculcandum est bona hujus sæculi quam incerta et momentanea, futura quam sint certa et æterna. Quarto desperatio multos interimit, quia metuunt ne possint continere. Contra hanc vigor confessionis, gratia humilitatis, et confirmationis illius est aperienda constantia.

TIT. CI. *Quod hodie tripliciter dicatur.*

Hodie tribus modis dicitur, quia aliud est transitorium. Unde: *Si fenum quod hodie viret et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit*, etc. (*Matth.* vi). Aliud reciprocum. Unde Apostolus: *Adhortamini invicem per singulos dies donec Hodie cognominatur* (*Hebr.* iii). Aliud æternum. Unde: *Ego hodie genui te* (*Psal.* ii).

TIT. CII. *De triplici hominum statu, et triplici oblatione eidem facienda.*

Tres sunt status hominis: Primus pœnitentiæ, secundus justitiæ, tertius vitæ æternæ. Et secundum tres istos status tria debemus offerre sacrificia. In primo statu sacrificium compunctionis; in secundo, bonæ operationis; in tertio, laudis et jubilationis. Hoc triplici sacrificio offerre nos Deo jubemur cum dicitur: *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino* (*Psal.* iv). Initium enim justitiæ est compunctio, profectus ejus operatio, bona consummatio ipsius, laus vitæ æternæ. Unamquodque istorum suam habet pinguedinem. Primum butyrum humilitatis secundum oleum discretionis, tertium, balsamum charitatis.

TIT. CIII. *De tribus testimonium perhibentibus in cœlo, et totidem in terra, et totidem in inferno: rursum.*

Tres sunt qui testimonium dant in cœlo. Pater et Filius et Spiritus sanctus. Tres in terra Spiritus, aqua, et sanguis (*I Joan.* v). Similiter in inferno: ut in Isaia legimus: *Vermis eorum non morietur,*

et ignis eorum non extinguetur (*Isa.* LXVI). Duo mala sunt ignis et vermis; altero roditur conscientia, altero concremantur corpora. Tertium additur desperatio, quæ in eo utique intelligitur quod dicitur: *Non morietur, et non extinguetur.* His qui in cœlo sunt datur testimonium beatitudinis; his qui in terra, justificationis; his qui in inferno sunt, damnationis. Primum est gloriæ, secundum gratiæ, tertium iræ.

TIT. CIV. *Quomodo Spiritus sanctus arguat mundum.*

Spiritus sanctus arguet mundum *de peccato* (*Joan.* XVI), quod dissimulat; *de justitia* quam non ordinat, dum sibi non Deo eam dat; *de judicio* quod inique usurpat, dum tam de se quam de aliis temere judicat.

TIT. CV. *De nomine Christiano*, etc.

Christiani a Christo nomen acceperunt; et opus est ut sicut hæredes sunt nominis, ita sint imitatores sanctitatis. Tria ergo sunt quæ in Christo nobis expressa plenis viribus exercere debemus: videlicet improbare vivaciter sæculi vanitatem, quia et Christus ne rex constitueretur a turbis aufugit; exercere viriliter patientiam, quia et Jesus sicut agnus occisus est; et veraciter habere geminam charitatem, quia Jesus pro inimicis oravit.

TIT. CVI. *De septem gradibus humilitatis.*

Septem gradus descensionis habet humilitas: abdicationem rerum, exemplo apostolorum; abjectionem vestium, sicut Elias et Joannes; corporis exercitium, ut habuit Paulus; dejectionem in prosperis, ad morem David pauperis et regis; patientiam in adversis, sicut Job et Tobias; et proprium abhorrere consilium et propriam voluntatis affectum.

TIT. CVII. *De armis virtutis et nequitiæ.*

Arma virtutis, quibus arma nequitiæ expugnantur sunt hæc: plena peccati cognitio, quæ expellit tenebras voluptatis; pœnitentialis afflictio contra venenum iniquitatis; sufficiens et digna correctio in mutatione pristinæ voluntatis; perseverantiæ plena successio, ut perfecta subrogetur custodia sanitatis.

TIT. CVIII. *De tribus pœnitentiæ necessariis.*

Necessaria sunt pœnitentiæ tria hæc: Abstinentia, per quam carnis superbia edomatur; lectio, cujus fructu reformandus in vigorem animus saginatur; oratio, cujus munimine et tutela virtutum examina proteguntur.

TIT. CIX. *Quæ tria habent humilitas.*

Humilitatis virtus hæc habet tria: Superiori subdi, ut ad ejus æqualitatem nulla ambitione vel invidia rapiatur. Æquali non præferri, ne illicito appetitu superior velle fieri videatur. Minori subdi potius quam præponi, ut ex hoc humilitatis gratia comprobetur.

TIT. CX. *De inæqualitate gradientium ad Deum.*

Non omnes uniformiter gradiuntur ad Deum. Quidam lento passu, sicut ii qui terrenorum curis implici vix aliquando respirant ut Dei recordentur: quidam modesto incessu, sicut ii qui Domini servitio mancipati Deo quidem serviunt, et tamen erga scipsos indulgentiores existunt; alii veloci, id est rapido cursu, sicut ii qui super carnem suam inhærentes, et sic transitoria contemnentes, celeriter proficiscuntur ad Deum: hoc solummodo cupientes in pace quiescere in idipsum.

TIT. CXI. *De tribus quæ electos manent.*

Electos tria in futuro manent: interna satietas, æterna jucunditas, jucunda voluptas. De his dicitur: *Et justi epulentur et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia* (*Psal.* LXVII).

TIT. CXII. *De triplici electorum desiderio.*

Triforme est desiderium electorum: unanimiter habitare in Domino. Unde est: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (*Psal.* XXVI). Victoriam obtinere de mundo. Unde est: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Præsentialiter frui Deo. Unde est et illud: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo* (*Phil.* I).

TIT. CXIII. *De triplici prælatorum timore.*

Trifarius est prælatorum timor: Ne audientium animos exquisitior apparatus verborum commoveat, ne interni judicis oculos immoderatior usus offendat, ne justitiæ retributio in præsenti eis fiat.

TIT. CXIV. *De tribus vitulis Domino immolandis.*

Vituli quos Domino immolare debemus tres sunt. novæ conversationis affectus, quasi vitulus novellus, cornua producens et ungulas; sacræ religionis profectus, qui est vitulus tenerrimus de armento: consummatæ virtutis effectus, qui est vitulus saginatus.

TIT. CXV. *De quadruplici pressura hominis.*

Quadriformis est pressura nostra: corruptibilis carnis angustiæ, quæ sunt dolores mortis; temporalium pressurarum molestiæ, quæ sunt torrentes iniquitatis; occulti hostis latentes insidiæ, quæ sunt dolores inferni; deceptoriæ facies mundanæ gloriæ, quæ sunt laquei mortis.

TIT. CXVI. *De fumo, igne, et caligine respectu Dei.*

Fumus est ab ira Dei (*Psal.* XVII), quia in consideratione iræ Dei electi compunguntur; *ignis a facie ejus*, quia per cognitionem et præsentiam ejus ad amorem accenduntur; *caligo sub pedibus ejus*, quia per districtam illius examen reprobos desperationis nebulis obscuratur.

TIT. CXVII. *Quomodo Deus ambulet, volet, et nobiscum habitet.*

Ambulat Dominus super pennas ventorum (*Psal.* CIII), cum electi ejus dulcedinem vel tenuiter attingunt. Volat, cum de incircumscripta ejus substantia nihil percipiunt. Unde est: *Fuge, dilecti mi* (*Cant.* VIII). Ponit Dominus tenebras profunditatis et altitudinis latibulum suæ divinitatis: in sole manifestationis et laboris, tabernaculum suæ carnis; in luce puritatis et sanctimoniæ, habitaculum mansionis suæ.

TIT. CXVIII. *De portis mundi, inferi, cœli.*

Portas duas mundus habet, quibus ingredimur ad eum, quæ sunt corrupta sensualitas et incesta cupiditas. Unde est : *Appropinquaverunt usque ad portas mortis* (*Psal.* CVI). Portæ inferi, cæca desperatio et dura obstinatio. Unde est : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Portæ cœli : humilis patientia, quæ est porta ferrea ducens ad civitatem; et amoris concordia, quæ est porta orientalis.

TIT. CXIX. *De quadruplici retributione.*

Genera retributionis sunt quatuor; duo in hoc sæculo, et duo in futuro. Retributio prosperitatis et abundantia impiorum. Unde est : *Receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI). Damnationis et ignominiæ eorum; familiaritatis et gratiæ justorum; dulcedinis et amoris et gloriæ. Duo autem sunt quæ remunerantur : justitia operis, et puritas cordis.

TIT. CXX. *De tribus lucernis.*

Tres sunt lucernæ : regula disciplinæ in Christo, qua ascenditur et drachma perdita invenitur; forma veritatis in Evangelio, quæ ponitur super candelabrum; scientiæ puritas in corde bono, quæ illuminatur a Domino.

TIT. CXXI. *De triplici semine*

Triforme est semen. Primum veritatis et justitiæ, quod in terram jactum facit semen centuplum; secundum iniquitatis et perfidiæ, quod est geminen viperarum; tertium erroris et malitiæ, quod est semen Chanaan et non Juda.

TIT. CXXII. *Quod sapientia Dei est ut perdix, gallina, et aquila ergo pullos, id est auditores.*

Sapientia Dei quasi perdix fovet filios quos non peperit, quasi gallina congregat pullos sub alis, quasi aquila provocat pullos ad volandum.

TIT. CXXIII. *De triplici veste bonorum.*

Trifaria est vestis nostra : pœnitentialis anxietas, quæ est vestis viduitatis; religiosa maturitas, quæ est vestis jucunditatis; sincera integritas, quæ est vestis virginitatis.

TIT. CXXIV. *De veste Esau et pelliculis hædorum.*

Vestes Esau : honestas vitæ et maturitas disciplinæ. Pelliculæ hædorum abjectio noxiæ vetustatis, et mortificatio propriæ voluntatis. Cibi, hilaris obedientia et humilis abstinentia. Pater tangit filium, apposita probationis manu; osculatur, secretæ inspirationis instinctu; benedicit, religionis profectu.

TIT. CXXV. *De tribus ad puritatem necessariis.*

Tria sunt necessaria puritati : integritas actionis, simplicitas intentionis, tranquillitas devotionis.

TIT. CXXVI. *De tribus bonis quæ confert puritas.*

Puritas tria confert: Spiritum libertatis, gaudium sinceritatis, firmitudinem charitatis.

TIT. CXXVII. *Quod reprobi sunt fumus, pulvis, cera.*

Reprobi sunt aliquando sicut fumus, quia in sua altitudine evanescunt; aliquando sicut pulvis, quia nullum charitatis humorem proferunt; aliquando sicut cera, quia ad calorem, id est impulsum tentationis facile liquescunt.

TIT. CXXVIII. *De portis triplicibus.*

Portæ Sion sunt Ecclesiæ sacramenta, sine quibus Ecclesiam non intramus. Portæ justitiæ sunt virtutes mediæ, quas temporaliter exercemus. Portæ æternales sunt præcipue virtutes quas etiam in futuro habituri sumus.

TIT. CXXIX. *Religiosos in tribus obnoxios esse Deo.*

Tria sunt in quibus obnoxii sumus Deo : signaculum naturæ, quod ad similitudinem Dei facti sumus; talentum fidei, quod per bonum opus Deo integrum resignare debemus; titulus professionis, quod ad serviendum Deo sponsionis vincolis alligamur.

TIT. CXXX. *Tribus modis nos interrogat Deus.*

Tribus modis nos interrogat Deus : promulgatione præcepti, ut nostra obedientia nota fiat; inflictione flagelli, ut patientia nostra proximis innotescat; revelatione secreti, ut se nobis virtus humilitatis aperiat.

TIT. CXXXI. *De tribus bonis tribulationis.*

Tribulatio tria confert : exercitium, ne virtus amoris otii tepore frigescat; probationem, ut nostræ constantiæ fortitudo ad exemplum hominibus innotescat; præmium, ut juxta tribulationis modum immensum gloriæ pondus accipiat.

TIT. CXXXII. *De tribus adversitati opponendis.*

Adversitati tria sunt opponenda : electorum agones et angustiæ, quas patiuntur qui pie vivunt; Redemptoris afflictiones et molestiæ, quas ei sævissimi principes intulerunt; dispositio moderatricis justitiæ, cujus altitudinem quasi virgæ Joseph summitatem non discutere, sed adorare debemus. Hæc sunt illa tria : ostia, vectes, termini, quibus Dominus circumdat mare sæculi (*Job* XXXVIII).

TIT. CXXXIII. *De triplici exercitatione electorum.*

Triforme est exercitium electorum : austeritas jejuniorum, qua excolitur terra carnis, ut fructum ferat; assiduitas lectionum, qua reficitur animus, ut homo interior pinguescat; instantia orationum, qua mens ad cœlestium appetitum assurgit.

TIT. CXXXIV. *De tribus mirabilibus in Maria.*

Auctor mirabilium Deus tria quædam mirabilia operatus est in Maria: integritatem munditiæ mirabiliter sociavit, ut arca testamenti auro purissimo tegeretur; puritatem virginalem potentialiter fecundavit, ut rubus ardens non comburreretur; ima summis ineffabiliter copulavit, ut, scala Jacob mediante, terrena cœlestibus unirentur.

TIT. CXXXV. *De bonis fecunditatis Mariæ.*

Tria nobis contulit Mariæ fecunditas : avertit jugum captivitatis antiquæ; remisit iram indignationis divinæ; delevit notum iniquitatis humanæ.

TIT. CXXXVI. *De tribus quæ prætolantur electi, et de tribus quæ optant reprobi.*

Electi tria præstolantur in futuro : quod in eis mortale est a vita penitus absorberi, perennis gloriæ compensatione ditari, Deum sicuti est insatiabiliter contemplari. Reprobi tria optare dicuntur : voluptatem corpoream sibi ad sufficientiam cumulari,

momentaneam gloriam ad beatitudinem suffragari, mores suos et opera nullo posse judicio reprobari.

Tit. CXXXVII. *Quod quadruplices sint exspectantes Deum, et quid ab eo sperent iterum.*

Homines Deum exspectantes debent esse suspensi; quando veniat dubii quid eis deferat, hilares, devoti, diligentius adornati, tria sperantes in eo: nuptialem præsentiam, familiarem gratiam, liberalem munificentiam.

Tit. CXXXVIII. *De tribus nuptiis spiritualibus.*

Tres sunt species nuptiarum: primæ reconciliationis per fidem, in quibus sunt tria fercula: peccatorum abbitio, gratiæ consecutio, naturæ reformatio; secundæ adoptionis per spem, in quibus eloquii divini est consolatio, alimoniæ cœlestis communio, dulcedinis internæ prælibatio; tertiæ glorificationis perfectæ per charitatem, quorum fercula sunt æterna incorruptio, vera glorificatio, perennis Dei visio.

Tit. CXXXIX. *De ternis fidelium armis.*

Arma fidelium terna sunt: sapientiæ plenitudo, quæ est funda David, de qua sententiarum lapides emittuntur; patientiæ fortitudo, quæ est baculus, quo luporum rabies repulsatur; charitatis amplitudo, quæ est pera David, de qua orationes proferuntur.

Tit. CXL. *De tribus prælato necessariis.*

Tria prælatis necessaria sunt: vivæ fidei et doctrinæ sinceritas, ut inhabitent in eadem regione; studiosa bene operandi sedulitas, ut vigilias cum pastoribus celebrent; de salute subditorum diligens curiositas, ut a lupis gregem suum custodiant.

Tit. CXLI. *De pœnitentiæ speciebus et partibus.*

Tres sunt species pœnitentiæ: simulatoria et infructuosa, cujus exemplum est in Esau et in Saul; crudelis et desperata, sicut in Cain et Juda; utilis et consummata, sicut in Magdalena et Zachæo. Cujus partes sunt quinque: Contritio in corde, confessio in ore, maceratio in carne, correctio in opere, perseverantia in virtute.

Tit. CXLII. *De triplici mutatione.*

Tria sunt genera mutationum: sublimitas in humilitatem, quando Verbum carnem assumpsit; contemptibilitas in majestatem, quando se homo Deus coram discipulis transfiguravit; mutabilitas in æternitatem, quando resurgens cœlum regnaturus ascendit.

Tit. CXLIII. *De triplici impiorum refugio.*

Triforme est impiorum refugium: deceptricis documentum fallaciæ, quæ est Phiton; sæcularis munimentum potentiæ, quæ est Ramesse; simulatricis figura justitiæ, quæ est civitas solis. Has jubet Pharao ædificari.

De quinque torrentibus (34).

Quinque sunt torrentes: crudelitatis et malitiæ, quæ est Cison apud quem Johin occiditur; philosophalis eloquentiæ: hic est Cedron ultra quem Jesus egreditur; passionis et angustiæ: hic est via, de quo dicitur Jesus bibisse; cœlestis sapientiæ, apud quem Elias pascitur; jucunditatis et lætitiæ, quo in cœlis potantur electi. Cison interpretatur *eorum duritia;* Cedron, id est *cedrorum,* et est genitivus Græcis.

Tit. CXLIV. *De quadruplici specie terræ.*

Species terræ quadriformis est: flos et viriditas temporalium bonorum, quæ irrigatur sicut paradisus; utilis vita et conversatio electorum, de qua oritur panis vitæ: amœnitas cœlestium mansionum, quæ fluit lacte et melle; situs gehennalium locorum, quæ est terra, miseriæ et tenebrarum.

Tit. CXLV. *De quadruplici deserto.*

Quadruplex est genus deserti: invia mundani exsilii solitudo, de qua David: *In terra deserta, invia, et inaquosa* (*Psal.* LXII); disciplinæ Christianæ difficilis altitudo, in qua peregrinantur filii Israel; cœlestis Jerusalem delectabilis amplitudo, in qua relinquuntur oves nonaginta novem; gehennalis miseriæ terribilis habitudo, quæ est desertum solitudinis.

Tit. CXLVI. *De quadruplici curru.*

Quatuor sunt species curruum: elationis et dominii, in quo submergitur Pharao; humilitatis et studii, in quo sedet eunuchus reginæ Candacis; devotionis et obsequii, in quo sedens Joseph occurrit patri; amoris et desiderii, in quo rapitur Elias.

Tit. CXLVII. *De triplici ascensu Domini.*

Triformis ascensus domini: Victoriosus, quo ascendit super occasum; speciosus, quo ascendit super cœlos cœlorum; gloriosus, quo ascendit super pennas ventorum.

Tit. CXLVIII. *De acquisitione regni cœlorum.*

Regnum cœlorum alii violenter rapiunt, ut pauperes spiritu; alii mercantur, ut illi qui faciunt amicos *de mammona iniquitatis* (*Luc.* XVI); alii furantur, ut mulier quæ clam tetigit fimbriam vestimenti Domini; alii compelluntur ipsum intrare, ut pauperes sæculi.

Tit. CXLIX. *De iis quæ pretiosam faciunt mortem.*

Pretiosam mortem aliquando facit vita, ut in confessoribus; aliquando causa ut in martyribus; aliquando vita et causa, ut in plerisque post sanctam vitam coronatis martyrio.

Tit. CL. *De quadruplici visitatione Dei.*

Modis quatuor visitat nos Deus: Exhibitione præcepti, præceptum enim aliud carnale, aliud spirituale; asperitate flagelli, cujus modi sunt quinque, ut ab iniquitate corrigat, ne quis de collata virtute superbiat, ut virtus hominibus innotescat, ut alios cujus exemplo compescat, ut coronis cumuletur et crescat; novitate miraculi, quod visibile et invisibile; inspiratione subtili.

Tit. CLI. *De quatuor virginibus ducendis.*

Quatuor virgines sunt quas in conjugium sociare debemus. Eloquentia philosophalis, quæ est Zelpha

(34) Titulus et numerus hic desiderantur.

ancilla Jacob; sententia judicialis, quæ per Balam designatur; innocentia actualis, quæ Lia potest dici; contemplatio spiritualis, quæ Rachel intelligitur.

TIT. CLII. *De tribus candelabris.*

Candelabra in Scripturis reperiuntur tria : legalis obscuritas, quæ sphærulas habet et lilia; prophetalis subtilitas, quæ habet duas olivas in cacumine suo, et Evangelica veritas, quæ habet in medio sui similem Filio hominis.

TIT. CLIII. *De tribus munitionibus animæ.*

Munitiones quibus anima vallatur tres sunt : sedula circumspectio, quæ est sepes; sanctorum intercessio, quæ est vallum firmissimum; divina protectio, quæ est murus protegens ab incursu hostium.

TIT. CLIV. *De tribus spem roborantibus.*

Spem nostram triplex ratio discutit et roborat : humilitas collatæ sapientiæ, quæ est ovum in aqua coquere; firmitas constantis sapientiæ, quod est ovum igne assare; virilitas inspirationis occultæ, quod est ovum in sartagine frigere.

TIT. CLV. *De tribus quibus Deus vincit hostes.*

Tribus sunt quibus Deus exercet vindictam in hostes nostros : lavacri salutaris remedium, quod velut mare Rubrum occidit Ægyptios; pœnitentiæ condignæ exercitium, quæ velut sulphur peccatores interimit; districtionis extremæ judicium, quod velut ignis ad vocem Eliæ idololatras involvit.

TIT. CLVI. *De triplici lecto animæ.*

Lectus animæ quo pausat tripartitus est : gravitas debilitatis corporeæ, quam sibi languidus sanatus substernit, tranquillitas quietæ conscientiæ, in qua fugiente David statua ponitur. Hic est cui duæ culcitræ supponuntur : de præterito securitatis et fiduciæ amplitudo; de futuro remunerationis et præmii certitudo. Cervical quod supponitur capiti, divinæ familiaritatis et gratiæ largitudo. Lectus tertius humilitas superioris gloriæ. quæ est lectus floridus, quem sexaginta fortes ambiunt (*Cant.* III).

TIT. CLVII. *De tribus vitrinis.*

Vitrinæ per quas solis radius infunditur, tres sunt. Charitatis integritas, per quam peccati remissio se infundit: humilitatis puritas, per quam Mariæ gratia cœlestis illapsa est; intellectus subtilitas, per quam radius sapientiæ cor illustrat.

TIT. CLVIII. *De septem lampadibus mentis.*

Septem lampades thronum electæ mentis illuminant : Charismata sancti Spiritus, quæ plenius propheta prosequitur (*Isa.* XI), quæ dum oleum gloriæ vinumque timoris et infirmitatis cœlesti igne consumunt, lumen veritatis incessabiliter administrant.

TIT. CLIX. *De triplici edulio apposito.*

Quod nobis apponitor ad edendum trifariam est carnis edulium : hædus de capris in fructu pœnitentiæ, quem Jacob obtulit patri suo Isaac, ut benediceretur; vitulus de armento in actu justitiæ, quem Abraham expendit in cibum angelorum; vitulus saginatus in cumulo gloriæ, quem pater recepto filio prodigo dicitur mactasse.

TIT. CLX. *De triplici horto animarum.*

Triplex est hortus in quo electæ animæ spatiantur : molestia corruptibilis vitæ, quæ est hortus nucum, in quo Susanna lavatur : amœnitas jucunditatis supernæ quæ est hortus deliciarum, in quo ponitur Adam ut operetur et ipsum custodiat; dulcedo et suavitas visionis divinæ, quæ est hortus conclusus, in quo Joseph statuit sibi monumentum in petra excisum. Munda quoque conscientia pro sui diversitate hos in se suscipit hortos.

TIT. CLXI. *De tribus mensis appositis.*

Esoriei nostræ mensæ tres apponuntur : legis et Evangelii sacramentum, in quo sumuntur sapientiæ dapes; Catholicæ institutionis mysterium, ubi accipitur pars piscis assi, et favus mellis; æternæ satietatis arcanum, quod intra velum est, et continet panes propositionis et vitæ.

TIT. CLXII. *De tribus thesauris faciendis.*

Thesauri quos thesaurizare debemus tres sunt, desiderium pietatis in corde, qui absconditur in agro ut ematur; doctrina veritatis in ore, quæ est thesauri nivis et grandinis; assiduitas perseverans in homine, quæ habet frumentum et hordeum et oleum et mel. Hi sunt thesauri Magorum, qui aurum, thus et myrrham nato Domino obtulerunt.

TIT. CLXIII. *De quatuor differentiis panum.*

Quatuor differentiæ panum in Scripturis reperiuntur, quibus diversæ generis humani deplorantur miseriæ : panis coctus in stercore humano, bovino, cinere, et clibano. Quibus diversi affectus mentis humanæ exprimuntur.

TIT. CLXIV. *De voto tribus altaribus imponendo*

Altaria quibus vota superponere debemus tria sunt : Divinorum sanctionum expletio, quod fit de lignis setim in deserto; beatorum multiples advocatio, quod fit de lapidibus quos ferrum non tetigit; Redemptoris humilis incarnatio, quod fit de terra.

TIT. CLXV. *De tribus paellis sensum nostrum evertentibus, de quibus ut de aliis multis prolixius habitum est supra.*

Poellæ quæ avertunt sensum nostrum, tres sunt : teneritudo carnis nostræ, quæ est Dalila, quæ Samsonis oculos eruit; amœnitas mundialis gloriæ, quæ est Jezabel, quæ Nabot occidit; diffidentia futuræ vitæ, quæ est filia Herodiadis, quæ caput prophetæ sustulit.

LIBER SEPTIMUS.

DE DIVERSIS.

Tit. I. *De ecclesiarum et animarum sanctorum spirituali ornatu.*

Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina (*Cant.* I). Domus sunt varii fidelium conventus; tigna, quæ ad munitionem valent prælati, quorum verbo et exemplo sustentantur. Hæc sunt cedrina, cujus odor serpentes fugat, quia virtute verbi venenata dogmata, cogitationes, opera solent expellere. Laquearia quæ ad decorem domum pertinent, ii sunt qui Ecclesiam virtutibus decorare potius noverunt quam reformare. Hæc tignis debent affigi, quia qui in Ecclesia moribus splendere desiderant, summorum Patrum dictis et exemplis tota mente inhæreant. Suntque cypressina. Cypressi autem venustatem comæ ventorum impulsu non deponunt, constantiam eorum exprimentes qui sanctam Ecclesiam altioribus virtutum ornatibus velut laquearia decorant.

Tit. II. *De ædificatione templi sive Ecclesiæ morali ex ligno, auro et lapide.*

Templum Salomonis ex triplici materia; Ecclesia ex tribus constat ordinibus. Triplex materia: aurum, ligna, lapides: lapis prælatis, aurum contemplativis, lignum confertur activis. Ligni ut pars sursum erigatur, pars deorsum demittitur. Activi, ut cœlesti gloria potiantur, piis actibus in terra occupantur. Aurum quod invenit homo abscondit: et de contemplativis dicitur; *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum* (*Psal.* XXX). In lapide qui scriptus est digito Dei, tria sunt: Scriptura, ignis, duritia. In prælato debent esse doctrina, dilectio, correctio. Scriptura notat doctrinam, duritia correctionem, ignis dilectionem. Nec dilectio sine correctione, nec correctio utilis est sine dilectione. Utrumque necessarium; plus tamen amandum amari quam timeri. Quod mystice Salomon docet in base templi quæ prælatis aptatur, ubi cum cherubin bovem pariter sculpsit et leonem. In cherubim scientia: in bove mansuetudo, in leone terror innuitur. Scientia pertinet ad doctrinam, mansuetudo ad charitatem, terror ad correctionem. Virtutem doctrina parit, charitas fovet, correctio conservat. Doctrina instruit ignorantes, charitas consolatur pusillanimes, correctio comprimit contumaces. Sicut templum Salomonis ex triplici materia, sic ex tribus ordinibus constat Christi Ecclesia. Unde hæc tria conveniunt prælato doctrina, ne cæcus cæco ducatum præbeat; charitas, ut congaudeat veritati; correctio, ut vitiosis non consentiat. Prælatus cum Noe regit arcam in diluvio. Contemplativus cum Daniele orat ad fenestram orientalem in cœnaculo. Activus cum Job universis necessitatem patientibus pio subvenit auxilio. Prælatus est in agro ut seminet verbum Dei, contemplativus in lecto ut suavitate Dei fruatur; activus in pistrino, ut sollicitetur et turbetur erga plurima pro amore Dei. Et qui horum trium ordinum Christus erat forma futurus, cui conformarentur, seipsum proposuit, ut verus magister prius fecit, postea docuit (*Act.* I). Ut devotus contemplator ascendit in montem solus orare; ut sedulus minister non venit ministrari, sed ministrare. Ipse quoque in templo corporis sui triplicem hanc materiam præsentavit. Non tantum enim Salomonis templum, templum Ecclesiæ, sed et corporis Christi templum signat, de quo ait: *Solvite templum hoc*, etc. (*Joan.* II). Et hoc templum constat auro, ligno, lapide. Unde legitur: *Nascitur ibi aurum terræ illius optimum, ibique invenitur bdellium* (quæ, ut Plinius ait, arbor est odorifera) *et lapis onychinus* (*Gen.* II). Terra illa est beata Virgo; cætera Christum signant, qui constat deitate, carne, anima. Lapis congruit divinitati propter immutabilitatem, aurum animæ propter tribulationem quam sustinuit, lignum carni, propter infirmitatem. De primo dicitur: *Ego sum Deus, et non mutor* (*Mal.* III). De secundo: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XVI). De tertio: *Ego sum vermis et non homo* (*Psal.* XXI). Secundum divinitatem miracula operatus est; secundum animam nobis compassus est; secundum carnem tormenta passus est. De primo leo, quia fortis; de secundo gallina, quia multum misericors est; de tertio agnus, quia multum mansuetus et mitis. Horum, scilicet leonis, gallinæ et agni, id est verbi, carnis et animæ facta est conjunctio, quando Deus et homo convenerunt in unum, ut miro commercio fieret excelsus humilis, incognitus visibilis, ἀθάνατος, id est immortalis, passibilis et mortalis.

Tit. III. *De templo Salomonis allegorice.*

In templo Salomonis, quod generalem significat Ecclesiam, quæ in cœlis et in terris subsistit, tria notanda occurrunt. Porticus sive atrium ante templum, ipsum templum et oraculum quod dicitur sancta sanctorum. Erantque tria ostia: porticus, templi, et oraculi (*III Reg.* VI). Porticus ante templum figuram gerit eorum qui fuerunt tempore legis ante Christi adventum. Templum notat integrum Christum caput, scilicet et membra ipsum subsequentia. Oraculum significat quod utrisque datur interioris regni cœlestis gaudia. Ostium porticus sermo propheticus qui solis radios primum percipit. Ostium domus ipse est Christus, qui ait: *Ego sum*

ostium (*Joan.* x). Oraculi aditus regni aditus cœlestis. In templo sunt fenestræ obliquæ, id est intus latiores. Hi sunt doctores Ecclesiæ qui prædicatione lumen quod acceperunt aliis infundunt; intus latiores, quia quod exterius prædicant, intus magis in opere tenent. Vel extra quod recipiunt lumen, parvum est ejus comparatione quod intus in spe gloriæ tenent.

TIT. IV. *De eodem.*

Super parietem templi sunt tria tabulata (*III Reg.* vi): Primum habebat latitudinis septem cubitos, secundum sex, tertium quinque. Hi sunt tres ordines in Ecclesia: conjugatorum, continentium, virginum; vel laicorum, clericorum, monachorum. Primum et secundum in terrenam conversationem amplius, tertium cæteris strictius. Vel primum cœnaculum præsentem signat Ecclesiæ statum; secundum, statum post hanc vitam notat animarum; tertium autem monstrat duplicem animarum et corporum post judicium gloriam. Ostium erat in latere templi, a quo per cocleam intus per parietem erat ascensus in medium tabulatum; et a medio ad tertium, in quo Dominicum corpus notatur. In cujus latere ostium factum est, dum in cruce *unus militum lancea latus ejus aperuit, et exivit sanguis et aqua* (*Joan.* xix). Aqua qua in baptismo abluimur, sanguis quo in calice sancto consecramur. Per hoc ergo ostium ascensus fit ad medium et tertium tabulatum; quia per fidem et mysteria Redemptoria de præsenti sæculo et Ecclesiæ conversione ad requiem animarum post mortem, et rursus post judicium ad requiem animarum ad immortalitatem ascendimus corporum quasi in tertium tabulatum. Intus hoc autem iter sit per cocleam, quia invisibiliter fit. Nullus nisi qui Domino duce per hæc ad cœlestia scandit agnoscit; et si qui foris sunt tantum ibi celebrationes intuentur sacramentorum. Hoc tabulatum in Evangelio dicitur pinnaculum, ubi tentatur a diabolo Dominus. Habebant autem singula tabulata in circuitu latera, ne ab his quispiam residens deorsum laberetur: quæ quotidianam virtutem divinæ protectionis vel humilitatis custodiam, qua in bonorum operum arce custodimur, notant, ne in malis dum a Deo deserimur, vel in bonis dum a nobis extollimur, ad infima cadamus: sicut Osias qui de cancello cecidit, in quem separatus a domo David ascendit. Quia et si mali ascensum bonæ actionis tenent, quia tamen unitatem domus David non habent, quasi fatiscentibus laterum præsidiis, ad vitiorum declivia labuntur, dum divino destituti auxilio, proprio fastu intercunt. Hæc latera jubet Moyses in omni domo fieri dicens: *Si ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua; et sis reus alio labente* (*Deut.* xxii). Si ædificas novam conversationem, adhibenda est humilitatis custodis, ne in ipsa per superbiam cadens, sis reus et tui et proximi quem exemplo occidisti.

TIT. V. *De eodem.*

Operuit parietem domus a pavimento usque ad summitatem parietum, et usque ad laquearia intrinsecus lignis cedrinis (*III Reg.* vi). Lapides parietis facti sunt lapides vivi, qui super fundamentum quod est Christus, crescunt in habitaculum Dei, juncti cæmento charitatis, supportantes invicem alter alterius onera in timore Dei. Hi intus vestiuntur cedro. Cedrus autem est arbor imputrescibilis, odora et aspectu jucunda, serpentes fugans et perimens accensa. Tales enim sunt sancti, qui per patientiam insuperabiles, fama et operibus alti, diaboli astutias exterminantes, igne divini amori accensi, a pavimento domus usque ad summitatem parietum cedro operiuntur, hoc est ab initio fidei usque ad consummationem boni operis, et usque ad laquearia, id est ad ingressum cœlestis patriæ. Laquearia tria fuerunt: primum in primo tabulatu, secundum in secundo, tertium in tertio. Laquearia ergo justos intelligimus, vel illos qui in præsenti Ecclesia, vel illos qui in futuro statu animarum, vel post judicium animarum et corporum; qui Ecclesiam Dei ornant, et positi in superiori parte domus vel hic vel in futuro, orationibus protegunt. Usque ergo ad superiora laquearia lapis in pariete vestitur, qui usque ad ingressum eorum qui sunt in requie in fidei firmitate perdurat. Ipsi quoque parietes sicut et pavimentum, quod pretioso lapide super lapidem tabulis abiegnis, et super tabulas laminis aureis dicitur stratum, post cedrum auro operiuntur, ut sanctorum omnis vita notetur expressa. Lapides enim vivi, tam in pariete quam fundamento, sunt sancti fortitudine fidei in unitate conglutinati. Tabulæ cedrinæ sive abiegnæ sunt sancti altitudine sui terrena spernentes, et ad summa tendentes virtute patientiæ, et odore virtutum dæmones fugantes. Aureæ laminæ sunt supereminentes scientiæ charitatem habentes, quæ marmori et lignis superponuntur, quia sicut aurum aliis metallis, ita charitas cæteris supereminet virtutibus: Quæ tria breviter notat Apostolus dicens: *In Christo nec circumcisio, neque præputium valet; sed fides quæ per dilectionem operatur* (*Gal.* v). Fidei namque invictæ lapis figuram tenet; cedrus, actionis odoriferæ: aurum, transcendentis omnia dilectionis. Vestitur lapideus paries tabulis cedrinis, cum fides ornatur operibus, ne sit otiosa vel mortua. Adduntur laminæ aureæ, ut fides et opus Dei dilectione splendeat et proximi, ut in omni opere solus Deus quæratur. Unde quia lex in lapide scripta, et doctrina Evangelii per lignum crucis est confirmata, ideo ille populus lapide signabatur in præputio; nos signo crucis consecramur in fronte. Possunt quoque nec incongrue lapides parietis sive pavimenti, fideles in lege signare; tabulæ cedrinæ, Novi Testamenti justos indicare. Et quis utrosque una supernæ retributionis manet gloria, lapidibus et lignis lamina additur aurea; quæ æternæ retributionis fulgorem designat.

TIT. VI. *De eodem.*

Ædificavit quoque parietem quo dividitur oraculum

a templo, non usque ad laquearia pertingens; sed in inferiori parte habebat aperturam per totum, quasi januam per quam ab altari thymiamatis, quod erat ante ostium oraculi, accensus Domini lumus incensorum intravit oraculum arcamque perfudit (*III Reg.* vi). Prior itaque domus, in quam semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia celebrantes, præsens est Ecclesia, ubi quotidie piis insistentes operibus, sacrificia laudis Deo offerimus. Interior vero domus, promissa nobis vita in cœlis, ubi arca fœderis et cherubim, ubi Christus, in quo solo habemus apud Patrem pacis fœdus, et beatorum angelorum solemnitas agitur, in quam semel introeunt in anno non sine sanguine. Paries qui utramque domum ab invicem dividit, claustra sunt cœli, quorum aperitionem quotidie suspiramus, et donec aperiantur nobis et intrare liceat pulsamus. Quæ et si ante resolutionem corporum intrare non permittimur, apertam tamen in inferioribus habemus januam divinæ pietatis, qua orationum et eleemosynarum, jejuniorum cæterorumque bonorum operum incensum et thymiamata ab altari cordis præmittimus. Hoc altare prope ostium est oraculi, significans illas in sancta sanctorum ad aures Christi orationum voces per januam divinæ misericordiæ præmitti : qui quidem sola carne detenti, omni desiderio ad superiora suspensi, quanto cœlesti patriæ viciniores, tanto a Deo citius quæ poscunt accipiunt. Sciendum autem quod omnes clavi, quibus in toto templo laminæ figebantur, aurei erant pondere singuli quinquaginta siclorum. Hi sunt præcepta charitatis, vel promissa beatitudinis, quibus ne deficiamus contioemur. Hi quinquaginta siclis ponderantur, quia verba cœlestia remissionem peccati, gratiam scilicet et requiem æternam promittunt : quæ omnia in Scripturis isto modo significantur. Isti sunt clavi dilectionis. Sunt et alii clavi timoris, quibus incipientes illecebras vitiorum et carnis mortificant, illi scilicet sermones virtutis quibus carnem crucifigimus cum vitiis et concupiscentiis, de quibus dicitur : *Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui* (*Psal.* cxviii). Qui rursus proficiens de clavis dicit : *Mihi adhærere Deo bonum est* (*Psal.* lxxii). Fecit in oraculo duo cherubim de lignis olivarum. In cherubim angelica ministratio, quam in laude Creatoris, in motua charitate, et ea quæ ad homines extendunt, notatur. Nam quod duabus alis tangunt utrumque parietem et amplectuntur; quod extendunt alas super aream, quasi ad volandum, eos ad laudem Dei omne bonum referre et ad divinum obsequium exprimit paratos esse. Quod autem de olivarum lignis facta sunt, virtutes angelicas gratia, scilicet ne unquam ab amore Dei arescant, exprimit esse unctas. Isti in oraculo positi facies habent ad exteriorem domum, quia in gloria positi non ab hac peregrinatione eripi, et ad suum consortium desiderant pervenire. Vel duo cherubim duo sunt testamenta quæ et duos parietes tangunt, dum utrique populo dantur, et se tangunt, dum in altero sit alterum, ac ipsum Christum tanquam pari concordia venerantur.

TIT. VII. *De eodem.*

In *ingressu oraculi fecit duo ostiola de lignis olivarum* (*III Reg.* vi). Hæc sunt dilectio Dei et proximi; quia januam vitæ non sive dilectione quisquam ingreditur. Hæc sunt de lignis olivarum ut operibus misericordiæ luceant. In introitu quoque templi duo ostia de lignis abiegnis; unumquodque duplex et seipsum aperiebatur contioens. Sicut ingressus oraculi ingressus regni vocat; sic ingressus templi primordia conversionis quo Ecclesiam intramus. Iste ad fidem, ille ad spem. Ista sunt dilectio Dei et proximi quæ se continent : et una non est sine a te a. Et unumquodque duplex propter fidei operationem : quod non sunt ostiola oraculi quia in ea videbimus quæ credimus, et nullo labore indigebimus ubi laborum præmia recipiemus. In parietibus et ostiis sculpsit cherubim, palmas et anaglypha et varias picturas. Cherubim facit quando in eis puritatem angelicæ castitatis docet imitari; palmas, cum memoriam æternæ retributionis eorum mentibus infigit, picturas varias quasi de pariete proeminentes, cum multifarias virtutum operationes ex eis imminentes tribuit. Verbi gratia, misericordiæ viscera, humilitatem et patientiam, etc. Et notandum quod de lapidibus furis dolatis ædificata est domus; quia *dum ædificaretur domus, non est auditus malleus neque securis in domo.* Hic enim tundimur adversitatibus et disciplinis exercemur; ut illic locis juxta meritum congruis castigatione cessante disponamur, imo spiritu impleti Deo copulemur. Notandum præterea quod ingredi volentibus templum primo in atrio inveniebatur mare, id est lavacrum ad lavandum. Ex quo a duodecim bobus fundebatur aqua. Inde in eodem atrio in ingressum templi erat altare in quo immolabantur carnes. In templo autem juxta ostium oraculi altare aureum in quo adolebatur thymiama. In oraculo autem post velum erat arca sub alis cherubim. In his notatur ut qui vult Sancta sanctorum intrare, id est cœlum, ubi est Christus, et angelorum gloriam : prius se lavet per pœnitentiam et in altare holocaustorum mortificet carnem, et proficiens in altari thymiamatis, præmittat perfectionis opera, postque mereatur ad Sancta sanctorum ingressum.

TIT. VIII. *De eodem.*

Salomon in basibus luteris, in templo imaginem cherubim leonis et bovis fecit depingi (*III Reg.* vii). Bases in templo summi sacerdotes in Ecclesia, qui sollicitudem regiminis sceipiunt, quasi bases separatæ, ut onus portent. Cherubim plenitudo est scientiæ : quæ bene basibus imprimitur, quoniam decet ut summi sacerdotes plenitudine scientiæ repleantur. Per leonem terror veritatis; per bovem patientia mansuetudinis. Igitur in basibus nec leones sine bobus, nec boves sine leonibus imprimuntur, quia in sacerdotibus debet esse mansuetudo et ira, ut in furore sciant iram temperare, et in mansuetudine excitare.

Tit. IX. *De cereo et quæ in eo sunt mystice.*

Cereus est Christus. Tria namque in cereo sunt: cera, lignum, ignis. Cera mirabiliter non coitu, sed ex diversa florum amœnitate colligitur. Hæc circumponitur ligno. Lignum vero igne accenditur ut luceat. Cera ergo carnem illam significat, quæ opera Spiritus sancti sine coitu concepta est de Virgine; lignum cera indutum est, anima Christi carne vestita. Ignis qoo lucet est ipsa divinitas. Vel cereus est fides et operatio. Nam cereus lumen habet, et cera fit spum magno labore, in quo operatio notatur. Lumen est ipsa fides, quæ operationem illuminat. Hæc duo debemus Christo puero offerre, ut ipse, verum lumen ortum ad illuminationem gentium, accendat in nobis lumen fidei, et seipso lumine bonum nobis datum oous æterna mercede remuneretur.

Tit. X. *De horis canonicis in quibus fit Dominicæ passionis commemoratio. Et primo de hora prima.*

Prima hora qua Dominus conspntus, illusus, alapis cæsus, opprobriis affectus, Pilato propter nos astitit ligatos, et qua redivivus stans in littore in captura piscium magnorum et multorum a quibus retia rupta noo sunt, mellitum convictum cum discipulis celebrans, Ecclesiam, qualis in resurrectione mortuorum futura est, significavit. Ante omnem igitur curam corporis, primam horam diei offeremus Creatori nostro et Redemptori, *qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV). Quærendum enim *primum regnum Dei: et cætera adjicientur* nobis (*Matth.* VI); quia et in lege jubet Dominus omne sibi primogenitum offerri (*Exod.* XIII).

Tit. XI. *De hora tertia canonica.*

Hora tertia duplici ratione splendet insignis, quoniam hac Jesus spinis coronatus et crucifixus illis linguis Judæorum est, quorum dentes arma et sagittæ, et lingua est gladius acutus, qui, Pilato judicante dimitti, *firmaverunt sibi sermonem nequam* (*Psal.* LXIII), clamantes; *Tolle!* et: *Crucifige eum!* (*Marc.* XV; *Luc.* XXIII.) Et quia Spiritus sanctus qui in remissionem peccatorum non fuerat datus antequam Jesus esset clarificatus, super nascentem Ecclesiam in igneis linguis sub horam tertiam effusus est.

Tit. XII. *De hora nona canonica.*

Hora nona jure in laudem Domini celebratur, quando *clamans Jesus magna voce emisit spiritum*, (*Matth.* XXVII), et latrone admisso in paradisum, venia quamvis sero veraciter tamen pœnitentibus dedicatur, et qua reciso velo legis et prophetarum, cœpimus revelata facie gloriam Domini contemplari, et perforato latere Christi formandæ Ecclesiæ profluxerunt elementa, sanguis ejus quo redimimur, et aqua qua abluimur. Hujus ergo horæ nobis celebrandæ quadruplex est ratio.

Tit. XIII. *De Vespertina et matutina.*

Vespertinæ et matutinæ laudis sacrificium magnis est sacramentis dedicatum. Vespere et mane jugiter in lege jubetur offerri holocaustum. Vespere Dominus panem et vinum assumens et in veritate sui corporis et sanguinis repræsentans, propriis portatur in manibus, testamentum suis aeripsit hæredibus, humilitatem et charitatem lavando pedes discipulorum commendans, et post jam moriturus solemnitatem longi sermonis amicis et filiolis ultimum valedixit. Item in vespere apparens vivus, in fractione panis agnoscitur, et hæsitantia discipulorum corda injecto igne charitatis succendit. In matutino negantem Petrum galli cantus redarguit, Dominus respicit; et negator ad pœnitentiæ lacrymas confugit. Nuntiata resurrectione Domini a sanctis mulieribus, tristitia fidelium in gaudium convertitur, quia qui erat mortuus, vivum se ostendit, et tangi dignatur et adorari. Et nota qood, cum cæterarum partes horarum septenæ sint, id est versus, *Deus in adjutorium*, cum gloria, hymnus, psalmi, lectio et oratio completiva, his horis octava additur, canticum scilicet de Evangelio, quia cantatur pro octava in beatitudine resurrectionis, qua insignitæ sunt juxta sensum Evangelii, *Vespere*, inquit, *Sabbati quæ lucescit in prima Sabbati*, etc. (*Matth.* XXVIII).

Tit. XIV. *De hora completorii.*

Hora completorii nobis illud commemorat de passione Domini, quod, egresso Juda, cœpit Dominus pavere et tædere, et factus in agonia prolixius orare et guttis sanguinei sudoris torcular solus calcans, in futuro sanguinem martyrum pro se fundendum præsignat. Itemque de resurrectione ejus: quod postquam fecerat pacem inter Deum et homines, legatus fidelis rediens evangelizavit nobis, stans in media discipulorum et dicens: *Pax vobis* (*Joan.* XX).

Tit. XV. *De vigiliis nocturnis canonicis.*

Vigilias nocturnas de quibus Propheta: *Media*, inquit, *nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* CXVIII) evangelicæ gratiæ claritas instituit. Nam nocte media Dominus nascitur. Idem, ut Samson, quondam obsessus media nocte, confractis inferni portis surrexit a mortuis, media nocte venturus asseritur in similitudinem Ægyptii temporis, quando Pascha celebratum est, et exterminator venit, Dominus super tabernacula transiit, et in typom nostrarum frontium postes sanguine agni consecrati sunt. « Unde reor, inquit beatus Hieronymus, traditionem apostolicam permansisse, ut die vigiliarum Paschæ ante noctis medium dimittere non liceat populos exspectantes adventum Christi, et postquam advenerit illud tempus, securitate præsumpta festum diem cunctos agere. »

Tit. XVI. *De oratione ante lectiones.*

Lectiones oratione prævenimus, quia rogare debemus Dominum messis ut mittat operarios in messem, et aperiat cor nostrum in lege sua et in præceptis, ne semen verbi quo auditori sumus, aut volucres comedant, aut spinæ suffocent, aut duritia petræ frustrata radice supplantet.

TIT. XVII. *De benedictione ab lectura ante lectionem petenda.*

Lecturus, benedictionem petens, significat quod nemo, nisi missus, officium prædicandi usurpare debet: *Quomodo enim*, inquit Apostolus, *prædicabunt nisi mittantur?* (*Rom.* x.) Quod autem in fine dicit: *Tu autem, Domine, miserere nostri*, innuit quod officium prædicandi sine pulvere vel levis culpæ difficulter possit peragi; et quod quia pedes evangelizantis quasi per terram ambulant et sordidantur, misericordia indiget, ut in hac parte lavetur, etiam si totus sit mundus. Quod *Deo gratias* succinit chorus, non ad precem lectoris, sed totam lectionem respicit. Gratias enim agimus quod doctrinæ suæ panem nobis frangit, ne fame verbi Dei pereamus. Nam ad lectiones, quarum in fine *Tu autem*, etc., non dicitur, scilicet ad capitula horarum, quia verbum Dei est in quo vivit omnis homo, *Deo gratias* similiter succlamamus.

TIT. XVIII. *De campanarum significatione.*

Campanæ sicut et legales tubæ, sanctos Ecclesiæ prædicatores significant, qui ad Sion montem et civitatem sanctam Jerusalem et futurum Dei judicium populum invitant et præparant, sensumque auditoris surdi ad audiendum magnitudinem rei, magnitudine dicendi flectere contendunt. Duritia metalli fortitudinem mentis, plectrum ferreum quo sonus eliditur, constantiam sermonis imitatur: *Ecce dedi*, ait Dominus, *frontem tuam duriorem frontibus eorum; et ut adamantem et silicem faciem tuam* (*Ezech.* III). Fugiens quoque terrenam habitationem et dicens: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III); sursum cor suspendat, pendensque de turre fortitudinis, quæ constat contra faciem inimici, speculatorem se noverit positum domni Israel. Gestet autem lignum crucis in capite mentis, funem exinde colligatum, id est vinculum charitatis, usque ad infirmos fratres, quasi ad terram porrigat: quo commonitus personare et os suum dilatare non cesset, dicens: *Charitas Christi urget nos* (*II Cor.* v). Item custos super muros Jerusalem constitutus (*Isa.* LXII) non taceat instans opportune et importune, iis qui dormiunt in lectis eburneis (*Amos.* VI), nocte ebrii sunt et lasciviunt in stratis suis, et illi qui nocte dormiunt et nocte ebrii sunt, ad laudem Dei quasi violenter excitentur, ne usque ad matutinum, id est tremendum Dei judicium somno consepulti pereant. Trinum autem solemnis diei classicum, id est matutinum, vespertinum, et quod ad missæ pulsatur initium, sic imitetur evangelicus prædicatorum chorus ut semper prædicet lamentationes præsentis vitæ, carmen futuræ, et væ gehenualis iræ.

TIT. XIX. *De Dominicis Adventus et earum officiis.*

Primus adventus in persona commemoratur antiquæ Ecclesiæ, id est, in III Dominica. Secundus adventus exspectantibus et desiderantibus jam instare denuntiatur propheticis et apostolicis tubis. Ideo vero secundus adventus duabus Dominicis declamatur, quia primum adventum sola quæ præcessit, incarnationem Domini promissam exspectavit; secunda tam præcedens quam subsequens audivit. Illa propheticis tantum, hæc propheticis et apostolicis edocta præconiis. Quapropter in secunda propheticum personat officium populus Sion; in tertia apostolicum: *Gaudete in Domino semper* (*Philipp.* IV).

Quarta Dominica quæ diem nativitatis novissimam respicit, tempus illud commemorat quo imprægnato jam et tumido utero virginis, prope erat Dominus; et calceatus se in corpore Virginis Dominus corrigiam suæ ligabat incarnationis, quam se Joannes non posse solvere confitetur (*Joan.* I). Ideoque dicitur *Dominica vacans*: quæ ita vacat officio ut nulli sanctorum, qui omnes officiales ejus sunt, huoc regis Christi ligaturam corrigiæ solvere, id est sanctæ incarnationis mysterium denudare fuerit creditum, sed solummodo stans Idumæa illa, id est gentilitas, quæ promissum audierat: *In Idumæam extendam calceamentum meum* (*Psal.* LIX): et respiciens illud tempus quo rex qui hoc promiserat egressus de sinu Patris in utero calceabatur, et insolubilem sanctæ incarnationis corrigiam suis circumdans gressibus, et videns neminem mysterii hujus habere investigationis officium, tantum orandi innuit officium clamans in Introito: *Memento nostri, Domine, in beneplacito tuo* (*Psal.* CV), id est Filio in quo tibi bene complacuit solo ex millibus populi tui; *visita nos in salutari tuo* (*ibid.*), eodem scilicet Filio instar medici ægrum dignatione gratuita visitantis.

TIT. XX. *De primæ Dominicæ Adventus officio.*

Prima vero Dominica ad primum spectans adventum, hujus intentionis habet officium, ut iis quibus necdum venit Dominus, id est qui fidem non receperunt incarnationis, adveniat tanta salus ut levent ad Deum animam suam, et confidentes in Domino non erubescant, neque irrideant inimici, id est dæmones; sed vias suas eis demonstret et semitas doceat: quas ut ambulent demonstrat Apostolus, dicens: *Scientes quia hora est*, etc. (*Rom.* XIII).

TIT. XXI. *De secundæ Dominicæ Adventus officio.*

In secunda autem Dominica parvulo et pupillo filio peregrina matre nato; qui Patrem nunquam vidit, quem, matre narrante, in cœlum abiisse audiens, sicut cervus ad fontes, patris absentiam plorans, præsentiam desiderat, et gemitibus et precibus cœlum pulsat, et commiscresceos noster secundi adventus officium canit, desideranti Patris reditum imminere denuntians, consolatur et dicit: *Populus Sion: ecce Dominus veniet ad salvandas gentes, et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ*, qua dicet: *Venite, benedicti Patris mei*, etc. (*Matth.* XXV). *In lætitia*, inquit, *cordis vestri*: quæ tanta erit ut levare debeamus corda nostra. Unde et in Collecta precamur: *Excita, Domine, corda nostra*, id est leva et exhilara *ad præparandas unigeniti tui vias*. In tertia quoque Dominica hoc idem vox

clamat Apostolica, ut et si quis dilaceretur, persecutiones sustineat, et pro dilatione Patris gemat, gaudeat in tribulationibus; et iterum gaudeat reposita in cœlis, propter hoc, molta mereede, nihilquo sollicitus sit, quia Dominus prope est ad remunerandum, tantum *modestia* ejus *nota sit omnibus hominibus*; *et petitiones innatescant apud Deum* (*Philipp.* IV). Et nota quod hoc tempore diaconus et subdiaconus non utuntur dalmatica et tunica, quia subdiaconus tanquam lex ante incarnationem carebat ornatu Evangelii; diaconus tanquam ipsum Evangelium latuerit, cujus claritas quanta sit nondum apparuit ante sacramenta incarnationis, passionis et resurrectionis. Utuntur autem casulis, quas lecturi exuunt maxime protestantes illam suam non esse vestem; sed propter Dominicæ dici vel alicujos reverentiam festi se accipere accommodato, ut inopem atque indecenter consolentur exspoliationem. Eadem de causa *Gloria in excelsis* (*Luc.* II): et *Ite missa est* intermittitur, quod illud tempus significat qoo adhuc exspectabatur gaudium pacis, et quo nunc solliciti præstolamur consummationem nostræ salutis.

TIT. XXII. *De duabus missis in nocte Natalis Domini et de una in die.*

Duæ missæ noctis Nativitatis fiunt, ut Ecclesia in honorem nativitatis, qua Deus Pater ex secreto suæ substantiæ illum genuit, primam missam ordinaret et in memoriam ejus qua per uterum Virginis benedictus Filius ante incarnationem credebatur venturus, secundam succinereut. Tertia vero fit in die, qua eum non venturum sed venisse exsultans, venisse proclamat: *Puer natus est nobis* (*Isa.* IX). Ad hoc enim officium primæ missæ æternam ejus genituram exprimit, et officium secundæ sedem temporalem futuram et officium tertiæ ipsam factam esse manifeste demonstrant. Quod autem duæ lectiones in his missis leguntur, id significat quod per duo cherubim qui se invicem aspiciunt versis vultibus per propitiatorium, incarnatus Dominus designatur vel figuratur. In hac ergo solemnitate in omni missa leguntur duæ Lectiones: una de Veteri Testamento, altera do Novo, ut, dum Vetus hoc faciendum denuntiat, quod Novum clamat factum, quasi cherubim invicem se aspiciant: et dum dispensationis Christi mysterium concorditer narrant, vultus in propitiatorium vertant, et quasi inter se incarnatom Dominum videant. Cherubim itaque in propitiatorium versis vultibus se respicere, est duas Lectiones ex duobus Testamentis, propheticam qua venturam, et evangelicam lectionem qua propitiatorium nostrum jam incarnatum Verbum prædicatur, concordibus testimoniis et uno codemque sensu respicere.

TIT. XXIII. *Quod* Allelola, *in Septuagesima non cantatur, et quare.*

Antiquæ auctoritatis et dignitatis canticum *Alleluia* tempore Septuagesimæ de ore tollitur sanctæ Ecclesiæ. Quidquid enim sempiterna musica, gloriaque Patris de corde ipsius æterni musici nata, cujus est etiam psalterium et cithara: Sicut dicitur ei: *Exsurge, gloria mea, psalterium et cithara* (*Psal.* LVI), Jesus scilicet Christus, de æterna jucunditate suis auditoribus exhibuit, quorum beati oculi qui viderunt et aures quæ audierunt: quidquid, inquam, de cœlestibus gaudiis ore suo Dominus Jesus prædicavit, Alleluia nostrum est; novum canticum, laus suavis. Hoc autem neque veteres sancti Patres videre. Unde: *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et oudire quæ vos auditis, et non audierunt* (*Luc.* X). Neque nos quamdiu peregrinamur a Domino in corpore videre possumos vel audire. Cum itaque plorabilem antiquæ Ecclesiæ nondum redemptæ statum commemoramus nostrumque incolatum, quia prolongatus est, deplangimus, pulchro ordine Alleluia de ore nostro tollitor, quia per illud Alleluia significatur, quod nondum illis advenerat, et a nobis recessit, et ablatus est sponsus a filiis. Die vero resurrectionis quando nova soboles renascitur, et claritate repletur agni novelli, qui venerunt ad fontes, nova Ecclesia, nova tot mundo nuntiat gaodia hoc nomine. Alleluia.

TIT. XXIV. *De Septuagesimæ ratione et paschali lætitia.*

Septuagesimam nominamus septem Dominicas sequentes. In quarum prima miser homo a paradisi felicitate, a Creatoris facie projectus, clamat: *Circumdederunt me gemitus mortis* (*Psal.* XVII). In septima a Septuagesima Dominica redeunti de peregrinatione hac et de convalle lacrymarum dicitur: *Lætare, Jerusalem.* Ideo autem Septuagesimam vocamus, quia hoc idem officiis innuitur quod significatum est illa septuagenaria captivitate populi Dei, qui realiter sedit et flevit super flumina Babylonis. Non enim dicitur Septuagesima a septuaginta diebus qui terminantur ad Sabbatum, quo albæ ponuntur, cum nihil indignius sit quam captivitatem eo nomero signari intra quem dies resurrectionis occurrit, nobilitas anni, decos mensium, aurora dierum: quo victo captivatore, Dominus victor surgens suos omues liberavit. Hoc idem dicitur de Sexagesima, Quinquagesima, Quadragesima.

TIT. XXV. *De Sexagesimæ officio.*

In Sexagesima ille quem *circumdederant dolores mortis* (*Psal.* XVII) suam miseriam considerans, jam incipit clamare ad liberationem, dicens: *Exsurge, quare obdormis, Domine* (*Psal.* XLIII). Unde et Redemptor calamitatis ejus misertus: *Exiit seminare semen* (*Matth.* XIII) bonum in terram cordis ejus, et est statio ad Sanctum Paulum digna satis causa. Exsurgens enim ad vocem orantis miseri qui dormire videbatur, seminator verbi Dei, sapientiæ cœlestis aratores suos conducit sanctos apostolos, et præcipue sanctum Paulum qui plus omnibus laboravit, operarium utilem, ducem verbi et vere seminatorem verborum, per quem omnes entes cognu-

verum gratiam Dei quam ad gentes misit, et acuto vomere linguæ suæ corda dura proscindens, fidei et morum semen copiosum effudit. Unde sacerdos ingressus, in Collecta celebrem doctoris gentium memoriam facit. Amplius ad hoc sequens Epistola pertinet, qua idem fortissimus cœlestis agricola et operarius veros labores suos enumerat et pericula quibus illum affecerunt qui Domini sui fines invaserunt et arari non permittebant, qui rebellantes Dominatori universæ terræ aratrum ejus confregerunt et boves jugularunt innocuos. Disseminato verbo doctoris, in Graduali canit : *Jam sciant gentes quoniam nomen tibi, Deus; et qui repu- lerunt positi sunt ut rota ; quod surgentes in his quæ retro sunt*, id est in carnalibus, *caduut in anteriori- bus*, id est in intellectualibus ; *et quemadmodum ante faciem venti, sic dispergerunt flante spiritu iræ Dei*. In Tractu gratias agit seminatori quod commota terra et conturbata, id est universi peccatores qui, culturas suas exsecrabiles advertentes, commoti sunt ad pœnitentiam, et per significationem prædicationis incipientes timere, fugiunt a facie arcus, id est divini judicii : in quo duobus Testamentis quasi duobus cornibus inflexis, rebelles divini verbi damnationis sententia feriuntur. Lecto evangelio orat in Offerenda : *Perfice gressus meos* (*Psal.* XVII). Timendum est enim ne susceptum semen verbi Dei, si ceciderit secus viam, id est in exterioribus vacantes, diripiatur a volucribus immundorum spirituum, vel a spinosis divitiis suffocetur, vel sine humore charitatis arescat, et sic non perficiantur gressus nostri. In ipsa vero Offerenda postulantur misericordiæ Dei, ut Deus custodiat semen suum sicut pupillam ne compungatur a suffocantibus spinis (*Luc.* VIII); protegat sub umbra alarum, ne siccetur ab ardoribus solis, id est æstuantis avaritiæ; eripiat ab impio, ne auferat verbum de cordibus nostris, ut dicat bona terra afferens fructum in patientia : *Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo* (*Psal.* XVI). Quod et communio. Canitur : *Introibo*, inquit, *ad altare Dei* (*Psal.* XLII). Semen enim Dei terram nostram in qua crevit quod mutabile est sursum vehit secum in horrea cœli, quia, cum terra simus, nisi verbo Dei, quod est Christus, portemur, in cœlum non ascendimus, sicut ipse ait : *Nemo ascendit in cœlum, nisi*, (*Joan.* III) etc. Cum quo et per quem sublevati portantes manipulos justitiæ lætificabimur, Deo renovante juventutem nostram, vigore novitatis æternæ.

TIT. XXVI. *De Quinquagesimæ officio.*

In Quinquagesima, is qui, calamitatem suam considerans, in superiori Dominica de profundis clamaverat ad Dominum ut exsurgeret et non repelleret eum usque in finem, videns captivitatem suam, et diabolum omnem contra ipsum vitiorum movere exercitum, a quo *omnes qui pie volunt vivere persecutionem patitur* (*II Tim.* III) : et audiens sibi dictum : *Fili, si vis converti ad Dominum, præpara animam tuam ad tentationes* (*Eccli.* II); adjutoris Dei implorat protectionem, dicens : *Esto mihi in Deum protectorem.* (*Psal.* XXX) etc. Et quoniam nihil sine ipso valet, cum neque currentis neque volentis sed ipsius miserentis sit, ut videat per se cæcus et faciat bonum, hoc idem in Collecta orat; et Domino dicenti sibi in Evangelio : *Quid vis faciam tibi?* (*Marc.* X.) respondet : *Domine, ut videam* (*ibid.*). Apostolus quoque ad illuminationem ejusdem cæci in Epistola curam recipit, dum cunctis charismatibus excellentiorem viam demonstrat, id est charitatem, *Si linguis*, inquit, *hominum loquar et angelorum ; charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans aut cymbalum tinniens* (*I Cor.* XIII). Hæc est enim cordis lumen et oculus, quo qui caret cæcus est, et in tenebris ambulat et nescit quo eat. Nam et cæcum illuminare cœpit Deus genus humanum, dando fidem filiis Israel. Hoc primum collyrio inunxit ejus oculos, dicens : *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. (*Matth.* XXII.) Ad hanc illuminationem nota fit per Graduale in gentibus virtus illuminatoris. Propter hanc etiam dicitur in Tractu : *Intrate in conspectu ejus* ; quasi dicatur : *Accedite et illuminamini* (*Psal.* XXXIII). Propter hanc quoque et in Offertorio gratias agimus, dicentes : *Benedictus*, etc. Quia vero non satis est illuminationem scientiæ percepisse; nisi abjiciamus carnalia desideria, congrue illorum exemplo terremur de quibus dicimus in communione : *Manducaverunt et saturati sunt* (*Psal.* LXXVII).

TIT. XXVII. *De quadragesimæ officio*

In quadragesima quasi ex persona Liberatoris dicentis se invocanti : *Ecce adsum*, clamat Ecclesia in officio, *Invocabit me et ego exaudiam*, etc. Unde in omnibus quæ sequuntur, Christum jejunantem tentatoris insidias superasse, super aspidem et basiliscum ambulasse, leonem et draconem conculcasse narrat, victoriam eamdem nobis corpori ejusdem capitis repromittens. Sed quoniam Scriptura prophetarum hoc dicentium, usque ad adventum Christi et passionis ipsius tempus clausa fuit, quia tenebrosa aqua in nubibus aeris, id est occulta scientia in prophetis, donec *Agnus Dei*, solus dignus solvere librum, significata ejus in passione sua complendo aperiret propheticas voces, idcirco ab hac Dominica vela depensa ducuntur ante sanctæ Ecclesiæ altaria, ut populus non videat sancta sanctorum donec in hebdomada ante Pascha, depositione velorum eadem reveletur significatio, quæ facta est per hoc quod velum templi scissum est, tradente Domino spiritum.

TIT. XXVIII. *De die cinerum in Capite jejunii*

In Capite jejunii neque cineribus caput aspergere, neque nudis pedibus ambulare opus esset, si omnes lugendi scientiam haberemus, cunctisque illud æqualiter saperet quod propheta exprobrans : *Cecidit*, inquit, *corona capitis nostri : væ nobis quia peccavimus!* (*Thren.* V), et omnibus esset in promptu facere illud : *Scindite corda vestra et non vestimenta vestra* (*Joel.* II). Nunc autem maxima pars nostrum sponte non meminit qualem ornatum capitis, id est

cordis, Deum offendendo perdidit. Neque possunt facile corda tepida scindi, nisi extrinsecis adjuvemur ornamentis. Ut igitur meminerimus quod pulvis sumus, quod nos esse pater noster oblitus fuit, quando projecit Deum coronam suam, et exinde sensit nuditatem suam, cinere capitis aspergimus, imas partes nudamus, hoc habitu confitentes quod non dii nec de cœlo sumus, sed homines, et de terra habuimus principium; et quod per peccata gloria nostra spoliati, et inter hostes nudi constituti, ornatu gloriæ Dei indigemus.

Tit. XXIX. *De pœnitentia incipienda eodem die.*

In Capite jejunii cinis et cilicium, quæ sunt arma pœnitentium, nobis proponuntur. In cilicio memoria peccatorum pungentium, ut peccatum nos non delectet, sed pungat et feriat, et ad puniendum admoneat: ideo fit de pilis caprarum quæ pro peccato solebant offerri. Cinis significat quod ædificium diaboli prius in nobis male constructum debet esse combustum, et ardorem peccati in nobis refriguisse. Unde immundus in lege qui lavabatur aqua non plene mundabatur usque ad vesperam, id est donec fervor defecisset. Cinis autem ille non sine causa fieri solet de sarmento, non passim de quibuslibet lignis. Sarmenta in vite pretiosiora sunt quibuslibet lignis silvestribus, quod fructifera sunt et pretiosum fructum afferunt. Infructuosa vero sarmenta sunt cæteris viliora, quia in nullam fabricam conveniunt, sed in ignem ut ardeant. Ita et Christiani a Christo vite præcisi tanto gravius puniuntur, quanto amplioribus Dei beneficiis sunt abusi.

Tit. XXX. *De secundæ dominicæ officio vacante:*

Secunda Dominica Quadragesimæ vacat, nec habet officium nisi mutuatur ab alio, notans quod post imploratum et præstitum nobis divinum auxilium, propriis vacamus officiis, curam carnis non facientes in desideriis, sed a vitiis vacantes etiam a propriis usibus, ut hoc non nobis sed Dei nostri attribuamus miserationi, quoniam in mutato Introitu rogamus reminisci miserationum suarum, ne unquam dominentur nostri inimici; et in Graduali, ut de necessitatibus nos eruat. *Ad te, Domine, levavi, animam meam* (*Psal.* XXIV), *Miserere mei secundum eloquium*, etc. (*Psal.* CXVIII). In Offertorio, itemque in Communione: *Intellige clamorem meum* (*Psal.* V). Quæ ideo de jejunii die mutuata sunt, quia mali desiderii passiones, quæ per dæmoniosam Chananææ filiam designantur, pro qua tanquam pro qua-libet peccatrice anima clamat magna illa mulier Ecclesia mater, non ejiciuntur, nisi in oratione et jejunio.

Tit. XXXI. *De Dominica tertia quadragesimæ.*

In tertia Dominica solummodo divinis intenta jam liberata Ecclesia habet oculos, in Introitu dicens ad Dominum: *Oculi mei ad Dominum* (*Psal.* XXIV). Et in Tractu gratulabunda: *Ad te levavi animam meam* (*Psal.* LXXXV), gaudens quod in Evangelio immundus spiritus exierit ab ea, et fortior Christus superveniens fortis diaboli vasa, id est homines quos in pace possidebat, et arma distribuit (*Luc.* XI). Ideoque in Offertorio prædicat judicia Domini recta, quod ejecto a se dæmone rursus ad illum de quo exierat, id est populum judaicum, permissus sit reverti. In Communione gratulatur quod tanquam *passer invenit sibi domum, et ut turtur nidum* (*Psal.* LXXXIII), ut cum beatis sit qui habitant in domo Domini, et qui in sæcula sæculorum laudabunt te, vel tanquam post sex dierum opus Sabbatum celebrantes.

Tit. XXXII. *De Dominica « Lætare, » quæ est quarta.*

Dominica qua *Lætare, Jerusalem*, in Introitu cantatur, a Septuagesima Sabbatum mundi, id est requiem significat in qua electorum animæ deposito carnis onere, velut post bella victrices depositis armis feriatæ lætantur; et singulis stolis, id est beatitudine animæ muneratæ resurrectionem in qua binam animarum et corporum gloriam recipient, præstolantur. Illic Jerusalem, quæ sursum est mater omnium, lætatur, et diem festum gerens pro numerositate filiorum de hujus sæculi peregrinatione redeuntium, repositas effundit epulas, et lacteas ex suis uberibus maternæ consolationis effundit delicias. In hujus consolationis præconio gratulabunda Spiritus sancti allocutio prophetali ore ad eam præmittitur. *Lætare, Jerusalem*, etc. Et consolatio quæ hic canitur: *satiemini ab uberibus consolationis ejus.* In Collecta poscitur quæ est consolatio libertatis Dei: quam in Epistola supponit Apostolus: *Illa*, inquit, *quæ sursum est Jerusalem, libera est* (*Gal.* IV), ipsa est *pax in virtute, et abundantia in turribus* (*Psal.* CXXI). De qua in Graduali canimus: *Lætantes in his quæ dicta sunt* (*Psal.* CXXI), nobis a sanctis apostolis et doctoribus nostris, *in domum Domini ibimus* (*ibid.*). Ad quam cum venerimus complebitur quod in Tractu dicitur: *Non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem* (*Psal.* LXXIV). Cum ablata fuerit virga, id est potestas peccatorum, quam etsi ad tempus dimittit ad probationem, non relinquet Dominus super terram justorum. Hujus quoque lætitiæ est illud vitale sanctorum convivium, quo Dominus in Evangelio de quinque panibus et duobus piscibus satiat quinque millia hominum, id est quo de Pauli, Moysi et prophetarum libris crescente cupis divinæ benedictionis inter ora comedentium, id est inter studia tractantium affatim reficitur mundus, quondam a scientia Dei jejunus, et affluentia dictorum repletis armariis lassi convivæ assistimus. Hoc convivium divinæ cognitionis hic incipit; perficietur in illius sabbati, de quo loquimur, perenni gloria. Unde Apostolus: *Nunc ex parte cognoscimus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* XIII). Unde in Offertorio convivas lætantes in epulis laudum, ipsumque convivii patrem benedixit ex Sion, qui habitat in Jerusalem, ut ex præsenti Ecclesia, quæ dicitur Sion, id est, *specula*, in qua videmus nunc per speculum, laudem Domini personare incipientes,

in hujusmodi processione prælatos nostros præeuntes quasi Dominum in Galilæam sequimur, et locum quo suprema statione processionem terminamus recte Galilæam nominamus. Unde etiam in his processionibus, ut et gratulemur matri Virgini in resurrectione unigeniti ejus jam non morituri, in cujus passione animam gladius transiit, una statione decantando quod ei sit proprium ejus memoriam facimus etiam diversorio ejus quod in claustro ipsi consuevit esse provisum, eaque salutata processionem pro consueto postperagimus. Prima autem palmarum non lætitiam resurrectionis, sed sacramentum præfert fructus Dominicæ passionis, quo illa, sicut prædictum est, ultima Domini processio figuratur. Quia ergo processio palmarum sacramentum est fructus illius passionis Domini, et hac die obediens Patri, calicem passionis bibere venit, recte cum eisdem cum quibus est exceptus palmarum ramis prius legitur passio Domini, et sequitur totum officium de passione, in qua in summa hominis humilitate Deus illuditur, conspuitur, dorsum dat percutientibus, orat pro inimicis, et cætera, obediens Patri patienter fert, quæ nobis imitanda Paulus in Epistola proponit manifeste, dicens : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu*, etc. (*Philip.* II.)

TIT. XXXVI. *De feria tertia post ramos Palmarum.*

Post palmas tertia feria legendam passionem præcurrit illa Lectio, qua consilia cogitationum de morte Christi ostenduntur sic dicentium. *Venite, mittamus lignum in panem ejus* (*Jerem.* XI). Per hos enim dies usque ad quartam feriam studia eorum magis fervescebant, sed timebant ne forte tumultus fieret in populo. Sicut enim superbissimus Aman, erecta cruce quam paraverat Mardochæo, opportunitatem quærebat, qua regi de illo suggereret ut apprehenderetur et appenderetur, sic diabolus, inito consilio in domo sua, id est in cordibus Judæorum, dicendo : *Venite, mittamus lignum in panem ejus*, quærebat opportunitatem tradendi Jesum potestati Romanæ. Ultionem ergo videmus ejus in eodem ligno transfixi. Nos vero Judæi sumus cum Esther, id est Ecclesia, liberati, ut in Epistola dicitur : et ideo *Gloriari nos oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI), quæ a pœna reorum sublimata est in fronte imperatoris. Cætera quæ sequuntur, verba sunt agonizantis Christi, et suam resurrectionem exorantis.

De feria quarta ejusdem hebdomadæ sanctæ.

Feria quarta quando abiit Judas et pactus est Judæis tradere caput Ecclesiæ, ipsa ejus passionem audit, qua, positis genibus, prolixius orasse in agonia factus memoratur, et sudorem ejus decurrentem sicut guttas sanguinis, contremiscit, et tantorum miraculorum contemplatrix, perinde ac si attonita repentino clamore concrepat : *In nomine Domini omne genu flectatur* (*Philipp.* II) : percutiens terrifico clamore humana corda, ut nullus stare audeat rigidus et elatus, cum videt hominum et angelorum Dominum procidisse, et in sudore vultus sui agonizare. Dicto autem cum clamore introitu, protinus Isaias desiderantissimus hujus Dominicæ passionis exspectator, quasi præsens accurrit, lectoris voce nos ad videndum agonem illum excitat dicens : *Dicite filiæ Sion : Ecce Salvator tuus venit* (*Isa.* LXII). Et ut ostendat opus passionis cui intendebat, et mercedem gloriæ qua coronandus erat, subdit : *Ecce merces ejus cum eo et opus illius coram illo* (*ibid.*). Cujus etiam habitum admirans. *Quis est*, inquit, *iste qui venit de Edom*, id est de sanguineis et de terrenis Judæis, *vestibus*, id est membris, quæ sunt indumenta Deitatis, *tinctis* purpura sanguinis *de Bosra* (*Isa.* LXIII), quæ interpretatur *firma*, id est de civitate Jerusalem quam sine auxilio magis quam muris Deus firmaverat. Cui cum respondisset : *Ego qui loquor justitiam* (*ibid.*), rursus interrogat; si loqueris justitiam, *quare rubrum est indumentum tuum* pressura crucis? *Torcular*, inquit, *calcavi solus* (*ibid.*) pro omnibus. His auditis, chorus sciens Domini sui agonem in persona sua orat in Graduali, dicens. *Ne avertas*, etc. Altera autem Lectione pronuntiata, audiens eum non habentem speciem neque decorem, *despectum et novissimum virorum*, vulneratum *propter iniquitates nostras* (*Isa.* LIII), et cætera quæ ibi narrantur, fit quod non alia die excepta sexta feria in Sabbatis Quatuor Temporum, ut non Alleluia quod per dies Pentecostes fit, non Graduale, sed Tractus sequatur. Musicus enim ille qui dixit : *Cantavimus vobis et non saltastis; lamentavimus et non plorastis* (*Luc.* VII), cujus lamentationi Graduale, quasi ploratio pœnitentiæ, et cantationi Alleluia quasi saltatio respondet. In illa luctuosa ablatus a nobis auditur, et ideo non Alleluia gaudii, non Graduale cujuslibet luctus, sed Tractus multis mœroris sequitur. Quod enim tractus magis quam gradus luctui congruat inde ostenditur, quod non Alleluia ut gradus, sed pro Alleluia gradus quadragesimalibus diebus, quibus mortem per invidiam mundum intrasse lugemus, canitur. Fit autem ut prima Lectione tantum eum Parasceve fiat in omnibus, ad majorem luctum exprimendum, quod quarta tantum veditus cum discipulis habebatur, Parasceve autem penitus ablatus crucifigitur.

TIT. XXXVII. *De officio in Cœna Domini, præcipue de chrismate tunc instituto.*

Inter tristes horas, quibus capita, id est initia præcidimus, et fines earum sub silentio abscondimus, solemnitatis diei Cœnæ Domini missa celebris et solemnior exsultat; sicut medias inter nebulas sol interdum subrutilat. Causa hæc est, quia cum die hac verum sacrificium ipse summus Sacerdos, ipse hostia contradidit, sacrificiique ritum instituit, accipiens panem et calicem, dicensque : *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI) ; *Et : Hic est sanguis meus* (*ibid.*), seque ipsum agnus typicus Deo primus offerens, Novum Testamentum suis hæredibus sanguine suo conscripsit, recte in medio tristitiæ quæ per omnes horas notatur, missa tanquam in die institutionis suæ

solemnem concentum, cœtumque ministrorum altaris mereretur ornatum; et ne quid sancto sacrificio venustatis desit, *Gloria in excelsis Deo* (*Luc.* II) cantatur, et pontificis omnis ornatus perficitur. Inde est quod hac die papa oleum benedicit, chrisma conficit, pœnitentes restituit, significans summum Pontificem oleo misericordiæ pœnitentibus peccata quasi quædam vincula solvere, chrismate vero non solum consolatoris, sed et tutoris vicem exhibere. Est enim chrisma oleum cum balsamo, hoc est Spiritus sanctus consolator et tutor. Olim ungebantur soli reges et sacerdotes, in quo futurus rex summus et sacerdos Christus præfigurabatur. Sed postquam per se venit a Deo Patre unctus præ participibus suis, non soli reges et sacerdotes, sed omnis Ecclesia chrismatis unctione consecratur, quod in confirmatione a solis dabatur episcopis: ut patet ex illa Lectione qua in Actibus apostolorum per manum Pauli datus est baptizatis Spiritus sanctus (*Act.* XIX), et in Samariam missi sunt Petrus et Joannes ut baptizati acciperent Spiritum sanctum (*Act.* VIII). Unde datur intelligi quod solis pontificibus apostolorum vicariis id liceat. Verum propter occasionem transitus mortis, ne propter absentiam episcopi baptizati sine quacunque unctione migrent, Sylvester papa instituit, ut presbyteri baptizatum simul liniant, sed in vertice non in fronte. Nec dicas: Quid prodest mysterium confirmationis (quasi non de fonte totum suscipiamus) adjectione novi generis? Non ita est intelligendum. Nam quid prodest parvulo magnam hæreditatem providere et tutorem non dare? Paracletus itaque non regeneratis in Christo consolator et custos et tutor est: consolatur enim oleo misericordiæ peccata relaxando, virtutes conferendo, et bona promittendo; tuetur autem odore balsami inimicos fugando et in bono confirmando. Hoc chrismate in frontibus nostris ex sanguine veri Agni tanquam utroque poste signamur, ut exterminator diabolus in animam et corpus nostrum jus nullum nocendi habeat. Qui verum Pharaonem fugientes, et per mare baptismi ad Deum tendentes, submerso Pharaone, in voce exsultationis et confessionis paschalis agni convivium celebremus in domibus nostris, dicentes: *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur* (*I Cor.* V). Quod autem ampulla cum chrismate, antequam veniat ad altare, in medio tantum apparet, significat Christum, cujus corporis sacramentum tunc est institutum, plenitudinem Spiritus sancti continentem, initium suum, quod scilicet de Virgine natus sit; et finem, quod videlicet per mortem suam mortem destrueret, occultasse antequam ad altare crucis veniret; medium tantum apparebat, id est miracula quæ in medio inter initium et finem faciebat, in quibus quod esset Deus comprobabatur. In ipso autem altari crucis initium ejus et finis apparuit, ut jam dicatur: *Vere filius Dei erat iste* (*Marc.* XV). Quod autem hostia ministris altaris visibilis salutatur, cæteris invisibilis et operta, significat quod post Pascha testibus suæ resurrectionis visibilem se præbuit. Quod autem a cæteris invisibilis salutatur, significat quod Christus in cœlum unde venerat rediens, sicut dicit: *Exivi a Patre, et veni in mundum: et iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem* (*Joan.* XVI), a nobis corporaliter non videtur, quem tamen quotidie venerando salutamus.

TIT. XXXVIII. *De mysterio in lotione pedum.*

Duplici, scilicet morali et historico sensu Dominus nos instruit, dum surgens a cœna ponit vestimenta, et præcinctus linteo, et aqua in pelvim fusa pedes lavit discipulorum. Nam historice dans exemplum, ut quemadmodum fecit et nos faciamus, nostram superbiam deprimit. Quomodo enim, cum simus pulvis et cinis, non erubescamus in contemptum nostri similium rigidam cervicem et staturam erigere, quando audivimus Creatorem cœli et terræ, flexis genibus, ad solum, lavandis discipulorum pedibus incurvatum esse? Hic quoque moraliter pietatis sacramentum est, quod Christus surrexerat a cœna paternæ gloriæ, deposuerat purpuram sui imperii, seipsum exinaniens, et terrena carne quasi linteo, cujus materia de terra oritur, præcinctus, fudit aquam baptismi vel pœnitentiæ, vel sanguinem suum velut aquam in pelvim; atque eum illum in remissionem peccatorum sumimus, quotidie lavat pedes nostros, id est actus, quamvis semel loti per baptismum toti sumus mundi per fidem, quos si hoc modo lavare contemnimus, non habebimus partem cum illo. *Nisi enim, inquit, manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, etc. (*Joan.* VI.) Convenienter præmittitur huic lectioni evangelicæ, apostolica: qua cum dicitur *Convenientibus vobis*, etc. (*I Cor.* XI) qualiter hoc sacramento lavemur ostenditur, ut prius *probet seipsum homo, et sic edat* (*ibid.*). A sordibus enim nulla re melius purificamur, quam ut odientes peccata nostra ad hanc mensam pure accedamus. Hoc etiam opere Ecclesiarum prælatis more regum gentium dominari prohibuit et ministrari, sed in morem servorum lavare pedes et illis ministrare. Ubi autem subditi similes bestiis fiunt, prælatos eis dominari vetus est auctoritas. Ubi homines sunt rationabiliter vivendo, etiam si pulvere venialium pedes fœdaverint, evangelicus homo non prælatum se noverit, sed se ad lavandos pedes, et porrigendum osculum humiliter se illis submittat.

TIT. XXXIX. *De duplici mandato perficiendo.*

In ipso autem die cœnæ Domini duo mandata consuevit homo facere, pauperum videlicet et congregationis: in primo, Maria suscipiens Christum in Bethania, ad convivium surrexit a cœna et accipiens libram unguenti, unxit pedes Jesu, et capillis tersit, et domus impleta est ex odore unguenti. Hæc mulier typum gessit Ecclesiæ, quæ pedes Domini ungens, id est pauperes eleemosynis refovens, capillis tergit, dum eos superfluis reficit. Hoc ergo mandatum est Ecclesiæ obsequium; ideoque omnis congregatio pedes lavat pauperum, quæ veluti Maria

Christum in Bethaniam ad cœnam invitat, dum pauperes in quibus Christus, in domo obedientiæ charitatis officium exhibendo recipit, surgens a cœna, quasi jejunium frangens, fert libram unguenti, dum surgens a mensa post modicum gustum intentionem gerit eleemosynæ Christum redolentis. Hoc mandatum pauperum dicitur Ecclesiæ; mandatum autem congregationis Christi. Ideoque in primo tota congregatio; in secundo soli prælati vice Christi deserviunt. Pulchre autem Ecclesia suo mandato Dominum suum prævenit, ut, antequam Christus pedes discipulorum lavet, ipsi discipuli Christi pedes, id est pauperum lavent, et eleemosynæ unguento ungant, ut domus, in qua Christus, hora qua per prælatos nostros pedes laverat, impleatur ex odore hujus unguenti.

TIT. XL. *De officio trium noctium, videlicet in cœna Domini, in Parasceve, et sabbato sequenti.*

In nocte Cœnæ Domini, quando traditur Christus, et nocte Parasceves, quando crucifigitur, et nocte Sabbati quæ est in sepulcro: canonici et monachi in usitato ordine novem Lectionibus vigilias celebrant, et in tenebris consummant, obsequia triduanæ Christi mortis insinuantes, et ipsas vigilias luctui mortis Christi deputari ostendentes, quæ param aut nihil ab officio mortuorum distent. Ideoque in omnibus horis capita præcidimus, et fines sub silentio abscondimus, quia ipse qui est initium et finis, α et ω, per hos dies a nobis ablatus est, in manus peccatorum traditus, et inter iniquos projectus. *Gloria Patri* omnino subtrahitur propter hoc ipsum quod in quibusdam locis a Dominica de Passione cœpit subtrahi, quia ex tunc Christus cœpit ad mortem inquiri. Quod candelæ finitis singulis psalmis aut lectionibus, singulæ exstinguuntur, factum Judæorum repræsentat, qui singulos prophetas solem nasciturum præcedentes, et prophetico sermone lucentes impietis prophetiæ officiis occiderunt. Illa autem quæ suo lumine Evangelium eam legeretur illustravit, ultima non major cæteris exstinguitur: dum Christus qui evangelizavit quasi unus ex prophetis reputatus, ultimus est occisus, et hic exstinctus profundas illis erroris et perfidiæ tenebras reliquit. Unde crucifixo Domino *tenebræ factæ sunt per universam terram* (*Luc.* XXIII).

TIT. XLI. *De ignis exstincti mystica recuperatione per dictum tempus.*

Amisso igne sil lapidem Christum per eosdem tres dies confingimus ut eo percusso ignem occultum eliciamus, vel crystallinum lapidem soli objicientes escam subjicimus, ut mediante crystallo aspectu solis carbones exstincti reviviscant. Lapis percussus ignem emittit, dum Christus lapis angularis verbere crucis percussus, Spiritum sanctum nobis effudit: quod in oratione benedictionis ejusdem ignis satis ostenditur. Crystallus autem medius inter solem et exstinctus carbones, *mediator Dei et hominum est, homo Christus Jesus* (*I Tim.* II), qui inter Deum et exstinctos homines medias interveniens, a Deo Patre per seipsum nobis ignem ingerit, quem ut ipse testatur, venit mittere ut ardeat (*Luc.* XII). Si ergo lumen Christi amisimus peccando, ad novi ignis benedictionem solemni processione exeamus extra castra improperium ejus portantes, eredentes in eum quem in se Judæi a præsenti vita exstinxerunt.

TIT. XLII. *De incrementis tristitiæ Ecclesiæ, imminente Dominico passione.*

Deinde, imminente vespera, majora tristitiæ sequuntur incrementa, altaria spoliantur, campanæ conticescunt, omnes horas præter nocturnas triste silentium absorbet, altare nudatur, dum Christus illud utique altare quod de terra fieri a Moyse præcipitur, nostræ menti præsentatur, sine specie et decore, ut cum propheta eum propter nos exspoliatum videntes, dicamus: *Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem. Vere languores nostros ipse tulit* (*Isa.* LIII), etc., *ipse speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV), seipsum exinanivit, nudatus omni honore, non solo divino, sed dum conspuitur, et alia patitur, etiam humano. Hoc autem altare hispidis ramusculis aqua et vino lavatur, dum Christus asperis flagellis aquam ablutionis et vinum redemptionis nobis propinasse creditur. Campanis silentium indicimus, notantes sanctos Christi præcones, qui charitatis igne decocti, et divina institutione formati, in protectione Dei cœli tanquam in turre fortitudinis commanentes, quadam supernæ dilectionis chorda commoventur, ut tota die et nocte non cessent laudare numen Domini, scilicet sanctos apostolos, non solum tunc conticuisse, sed etiam fugisse. Unde illa vehemens campana Petrus, cujus vox dicentis: *Tu es Christus, Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI), in omnem terram exivit, tunc non solum reprimitur, sed fugit, et negando rauca sonat. His ergo signis cessantibus, Christum torcular calcantem, solumque in ligno crucis extenso corpore tympanizantem, ligneo malleolo in tabula suspenso et personantem, populum ad Ecclesiam invitantem significamus. Hoc quoque silentium apostolorum illorum silentium notat. Nocturnæ vero non solum sub silentio, sed magis sonora voce decantantur, quia tempus aliud per diem, per noctem aliud notatur. Nam diurnis horis præsentiam significamus Dominicæ passionis; nocturnis autem priora, per quæ futuram eamdem passionem prophetæ aperte pronuntiaverunt, quique non tacentes occisi sunt. Nobis eorum voces protendentibus candelæ exstinguuntur: quarum ultima quæ exstinguitur ad canticum Evangelii, ipsum Dominum qui evangelizans occisus est significat, ut eo exstincto jam pro morte tristes in die sileamus.

TIT. XLIII. *De Parasceve quare sit dolore potius quam gaudio celebranda; et de pœnitentia tunc agenda, et de Passione secundum Joannem.*

Die Parasceve, *gloriari nos oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI), et in gratia tanti pretii quod pro nostra redemptione datum est, ipsam cum pura mente et devota adorare et venerari

Verum cur a missarum celebratione vocamus, et a publicis cessamus gaudiis, cum passio Dominica quæ hac die peracta est, principium sit nostræ salutis ac consummatio? Nam sicut unius martyris dies qua per passionem ad gloriam transmigravit, nobis festiva est, quia *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV), hæc dies, qua martyrum et sanctorum omnium Rex, omnibus sanctis antiquis et novis per mortem suam paradisum aperuit et inferni claustra confregit, merito majoribus gaudiis honoretur. Sed hanc gloriam et exsultationem nostram, quædam dolorosa nimium obnubilant, quia nostri causa imperiosa sanctæ Trinitatis charitas hominem tantæ reverentiæ qui cum Deo verbo una est persona, hominem innocentem morti nihil debentem, morti addixit, sicut Apostolus dicit: *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII). Non igitur debemus ita gaudere de gratia traditi vel de charitate morientis, ut non doleamus quod tanto Domino tormentorum causa fuimus, et ideo a sacrificii gaudiis cessamus. Siquidem non dolere ingratitudinis, sed ultra gaudere dignoscitur esse crudelitatis. Hac ergo tristi die contristemur ad pœnitentiam, ferrum lanceæ Dominicæ pertranseat animam nostram, clavi manuum et pedum carnem nostram transfigant, crux nostram suspendat concupiscentiam, compatiamur ut conregnemus. Hodie non sacrificemus dum nobis hostia de manibus tollitur; non sacrificent amici, dum trucidant inimici, differatur usque in diem illum quo tantus victor resurgens, suam nobis victoriam nuntiabit: profundum interim teneamus silentium mœrori amicum, et interiorem penetrantes solitudinem, solventesque cum Moyse calceamentum de pedibus, audiamus illum tanquam de medio rubi dicentem: *Videns vidi afflictionem populi mei, et descendi liberare eum* (*Exod.* III). Nunc enim quasi in rubo spinis inhæret, clavis confixus, spinis coronatus, crucisque arbustum guttis sanguineis quasi rubentibus pullulat mortis, ut, sicut ait Prudentius:

> . . . . *tristes purgentur sanguine culpæ,*
> *Quem contorta rubus densis cruciatibus edit.*
> (PRUDENT. *Apoth.* vers. 69, 70, *Patrolog.* tom. LIX.)

Hac die legitur Passio secundum Joannem, et quia ultimus scripsit, et præsens, sicut notus pontifici, cæteris non audentibus adesse, interfuit: cui virgini matrem Virginem Dominus virgo commendavit.

TIT. XLIV. *De gustato vino felle misto.*

Quod cum acetum felle mistum gustasset, noluit bibere, reprobationem notat vineæ suæ gentis Judaicæ, de qua exspectavit ut faceret uvam, et fecit labruscam, tandem miscuit amaritudinem; qua gustata modice per triduum deinceps de genimine vitis illius bibere non curavit. *Resurgens* enim *a mortuis, jam non moritur* (*Rom.* VI).

TIT. XLV. *De chlamide purpurea seu coccinea.*

Chlamyde quoque coccinea ignei coloris qui in tabernaculo offertur, et veste sacerdotis bis tincta legitur circumdatus geminam dilectionem significat qua obediens Patri propter nimiam charitatem suam pro nobis calicem bibit passionis, ut et nos sequentes vestigia ejus, gemina hac veste discretionis fulgeamus, et quidquid offerimus quasi ignitum et bene coloratum coram divinis placeat obtutibus.

TIT. XLVI. *De arundine Christo in manum data*

Arundinem accipere ab illudentibus non recusavit, ut sacrilegium scriberet Judæorum, et animalia venenata interficeret, et ostenderet quod virgam in manu, id est animam in potestate haberet, ut volens poneret et resumeret, et sicut virga Moysi versa in colubrum, id est in mortem, quæ per colubrum venit, colubros Ægyptiorum, id est mortes assumeret peccatorum, et iterum in virgam, id est in potestatem rediret pristinam.

TIT. XLVII. *De spinea corona et colaphis, et quod Domini non franguntur crura et de sanguine et aqua de latere ejus profluentibus.*

Spineam autem gestat coronam, ut innotescat quod peccata nostra ipse portavit. Illusus colaphizatur, fortissimus præbens humilitatis exemplum, ut collum, homo erubescat erigere et superbire, tot conviciis humiliato Deo et omnium Domino. Ejus non franguntur crura, et universæ viæ ejus inter tot passiones rectæ erant, quatenus in tribulatione non deficiamus, sed firmi perseveremus. De latere ejus non solus sanguis, sed etiam aqua manavit, ut esset unde a peccatis lavaremur. Aqua enim tantum sordes corporis lavare poterat, quæ sanguini, qui est pretium redemptionis, juncta virtutem sumpsit ad abluendas peccatorum invisibiles sordes: ut compararetur vera similitudine Rubro mari, per quod salvatus populus Israel transivit, Pharaone submerso cum curribus et equitibus suis; nam fugientes Ægyptum hujus sæculi, mundatos in terram repromissionis transmittit, diabolum persequentem penitus absorbet cum præteritis actibus et pompis ejus, et ut de latere ipsius morientis nasceretur Ecclesia, sicut de costa Adæ dormientis formata est Eva.

TIT. XLVIII. *De precibus quæ tunc pro omnibus fiunt.*

Hac die pro statu Ecclesiæ, gradibus, dignitatibus et ordinibus solemnes fiunt orationes, quia orans pro omnibus summus pontifex stetit juxta aram templi habens thuribulum, etc. Juxta scilicet aram crucis habens aureum immaculati corporis thuribulum in conspectu Dei pendens in cruce sustulit, in quo orationis incensum Patri adolevit. Recte ergo et nos cum illo communes orationes offerimus quod juxta illud additum est, et data sunt incensa multa. Pro Judæis autem genua non flectimus, quia cæcitas quæ contigit Israel, nullius orationis manu potest depelli; tamen oramus utcunque, quia hoc futurum est: sed genua non flectimus, quia enim divinis ju-

diriis occurrere non possumus, vehementem orationem non intendimus.

TIT. XLIX. *De triplici aqua, quæ in Christo profluxit lacrymante, sudante et jam mortuo.*

Triplicem aquam et triplicem sanguinem suum nobis apposuit Christus. Plorat super Lazarum et super sanctam civitatem Jerusalem; et hæc est aqua pura. Sudanti imminente hora passionis, non tam ab oculis quam a toto corpore manat aqua cum sanguine mista, et hæc sanguinei coloris. Tertia est quæ pariter cum sanguine de ejus latere fluxit. Vere pœnitens primam habet si in spiritu humilitatis et in animo contrito maculas suorum diluit peccatorum. Sic enim largiente Domino, pellem mutabis Æthiopis, lamentando dolens inveteratas litteras mortis. Secundam aquam habes, si in sudore vultus tui labore pœnitentiæ corpus dissolvis et concupiscentiæ flammam restringis. Jam vero si perfecte cœperis usque ad devotionem tui, in divinam profluere contemplationem tertiam a latere Domini aquam ebibisti.

TIT. L. *De triplici dedicatione templi.*

Triplex templi dedicatio legitur: Prima in autumno sub Salomone; secunda in vere sub Zorobabel; tertia in hieme sub Juda Machabæo. Salomon enim ædificavit templum, et septima die mensis septimi dedicavit. Quod Nabuchodonosor destruxit, et post septuaginta annos sub Zorobabel, tertia die duodecimi mensis est dedicatum. Ipsum quoque postea cum destruxisset Antiochus, Judas Machabæus illud mense nono dedicavit. Triplex ergo dedicatio, triplicem notat in Ecclesia ordinem: conjugalem, vidualem, virginalem. Primo tricesimus, secundo sexagesimus, tertio est centesimus fructus. Isti sunt tres viri qui salvantur, Daniel, Noe et Job. Daniel quiescit in lecto, Noe laborat in molendino, Job nuptias celebrat in domo. Unusquisque etiam Deo tripliciter dedicatur, id est possessio Dei efficitur: Primo, per baptismi regenerationem; secundo, per pœnitentiæ satisfactionem; tertio, per peccatorum confessionem; *Templum enim sanctum est, quod estis vos* (*II Cor.* VI), dedicandum illis tribus dedicatoribus. Dedicet Salomon domum quietis, Zorobabel satisfactionis, Judas confessionis. Nullum Deus habet habitaculum nisi vel in quietis, vel in pœnitentibus, vel in confitentibus. Quies pertinet ad pacem, pœnitentia ad humilitatem, confessio ad timorem. Dedicat ergo Salomon quietem in pace, Zorobabel pœnitentiam in humilitate, Judas confessionem in timore; Salomon in justo, Zorobabel in justificato, Judas in justificando. Ut hic triplex in tabernaculo funiculus dedicetur, triplici fundamento fundatur. Pax nostra in bonitate, ne sit simulatoria; satisfactio in disciplina, ne sit erronea; confessio in scientia, ne sit fatua. In his tribus postulabat fundari qui dicebat: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me* (*Psal.* CXVIII); bonitatem, ne pax mea sit ficta; disciplinam, ne aberret satisfactio; scientiam, ne infametur confessio. Nunquam congruentior est scientia quam circa confessionem.

TIT. LI. *De quinque in quibus consistit templi dedicatio moraliter explicatis.*

Quinque sunt, ut arbitror, in quibus consistit templi dedicatio: aspersio aquæ, cui tria miscentur, sal, cinis et vinum; inscriptio in pavimento alphabeti; unctio chrismatis in duodecim locis; illuminatio duodena; Benedictio episcopalis cuncta concludens. Aspersio profusio pœnitentiæ est et lamenti, habens cinerem, salem et vinum. Sal timor. Unde in omni sacrificio sal per omnes gradus comitatur. In omnibus enim sacrificiis quæ offert Christianus, debet esset timor ante oculos ejus. Cinis est memoria circumeuntis humanitatis. Vita enim nostra est quasi linea circumducta ad idem rediens, a pulvere enim punctum incipiens, et per defectus naturales progrediens, circulariter ad pulverem revertitur. Hanc periodum inevitabilem fecit manus Domini impellentis nos cum ait: *Terra es et in terram ibis* (*Eccle.* III). Vinum est memoria Dominicæ passionis, quæ ad resolvendum in lacrymas hominem, dum eum pro se morte turpissima condemnatum recolit, valde accommoda est. Inscriptio rigor est ordinis nostri, qui nobis a sanctis Patribus traditus est. Gemina est inscriptio, quia et in tabulis cordis, et in pavimento corporis indelebiliter scribi debet ab angulo in angulum. Cur autem angulosum dicitur dolosum. Hic autem duos angulos, cor humile et cor altum vocamus, Cor humile, cum quis mente quæ in se sunt abjectissima considerat; cor altum, cum quæ sursum sunt altissima contemplatur. Vel ab angulo in angulum, ut a capite usque ad pedes, divinorum institutione informetur, vel a principio usque in finem. Unctio duodena, est apostolica institutio. Nunc itaque aspersi per pœnitentiam, inscripti per disciplinam, uncti per gratiam, illuminati per operationem, extremam benedictionem exspectetis. Scitis enim cui credidistis: et certi estis quoniam apponet justus Judex illam vobis dare benedictionem, qua electos in suum regnum vocare dignabitur, dicens: *Venite, benedicti Patris mei*, etc. (*Matth.* XXV).

TIT. LII. *De lotione pedum in cœna: aliter.*

Transiturus Christus de mundo ad Patrem celebravit mandatum, posuit vestimenta, præcinxit se linteo, misit aquam in pelvim, factum hoc plenum est mysteriis, redundat sacramentis. Christus vestimentum deposuit, cum, purpuram regiæ dignitatis relinquens, seipsum exinanivit, et linteo servilis formæ contra diabolum pugnaturus se præcinxit. Misit aquam in pelvim, dum pretiosum sanguinem in terram effudit, in illam, inquam, terram quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem Abel effusum de manu Cain, id est sanguinem Christi de manu Judæorum, id est in Ecclesiam, et in unamquamque fidelem animam. Diu vacua fuit pelvis ista, diu arida et inaquosa terra ista, et anima nostra sicut terra sine aqua. Venit Christus, effudit

aquam in pelvim, pretiosum sanguinem in terram; si tamen pelvis sumus. Pelvis duo habet: concavitatem et sonoritatem. Concavitas est intus, sonoritas exterius, sic et nos debemus evacuare nos a vitiis sono confessionis, ut aquam de latere Christi suscipiamus lavantem maculas peccatorum. Extersit linteo, id est carne. Ipse enim peccata nostra in carne sua portavit. Sed quid est quod solos pedes lavat hic discipulis, quis ex es parte qua terram tangere in necessariis compelluntur sine peccato esse non possunt, et ideo in perfectis soli pedes lavantur, id est venialis; nos autem miseri quod non tantum cogitando, sed et operando et consuescendo peccamus, cum Petro dicamus: *Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput* (*Joan.* XIII). Lava pedes cogitationum, manus operationum, caput consuetudinis.

TIT. LIII. *De purificatione triplici, et sex hydriis.*

Erant ibi sex hydriæ positæ secundum purificationem Judæorum (*Joan.* II). Tres sunt purificationes aptæ purificandis veris Judæis, in primis Judæis: Primæ, reconciliationis, quibus a mala servitute in bonos servos reconciliamur; secundæ, adoptionis, quibus in filios adoptamur, et tertiæ, glorificationis quibus hæredes Dei, cohæredes autem Christi efficimur. Sex autem ponendæ sunt hydriæ: Prima hydria, id est purgatio, est in compunctione. *In quacunque enim hora peccator conversus fuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor* (*Ezech.* XVIII). Secunda est confessio: omnia enim in confessione lavantur. Unde: *Dic tu prior iniquitates tuas, et Dominus deponet eas* (*Isa.* XLIII). Tertia eleemosynarum largitio: *Date eleemosynam et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI). Quarta injuriarum remissio: *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Quinta carnis afflictio: *Afflictus et humiliatus sum nimis*, etc. (*Psal.* XXXVII). Sexta obedientia sermonis Dei: *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis* (*Joan.* XV). Istæ hydriæ illis sunt vacuæ qui nullo Dei timore ad pœnitentiæ lamenta consurgunt. Has jubet Jesus impleri aqua, id est divino timore. Timor enim Domini, aqua vitæ; etsi minus sapida, tamen hominem refrigefaciens noxis desideriis æstuantem. Aqua ista est quæ ignita jacula inimici valet exstinguere. Aqua semper ima petit, et timor ad inferiora descendit, et inferna loca pavida mente perlustrat. Ejus enim vox est: *Vadam ad portas inferi* (*Isa.* XXXVIII). Sed divina virtute mutatur in vinum, quia *charitas foras mittit timorem* (*Joan.* IV). Dicuntur autem lapideæ non per duritiam, sed per stabilitatem; capiunt singulæ metretas binas vel ternas, quia duplex est timor, ne scilicet contingat detrudi in infernum, et ne ab æterna gloria excludi. Sed qui *miserunt manum ad fortia, non timebunt domui suæ a frigoribus nivis* (*Prov.* XXXI), id est ne vino spirituali fraudentur. In primis nuptiis per dictas hydrias purificatos transit ad secundas nuptias et purificationes, ut adoptetur et desinat esse servus, et ex illis ad tertias, ut sedeat cum Patre ad mensam in regno suo; ad quas quoniam invitavit nos, simus interim similes hominibus exspectantibus dominum suum quomodo revertatur a nuptiis, ut cum venerit confestim aperiamus ei. Veniet enim exspectantibus se in veritate, tanquam revertens a nuptiis inebriatus vino charitatis, et immemor iniquitatum nostrarum. Veniet autem non exspectantibus, tanquam revertens a nuptiis, sed quasi potens crapulatus ac velut ebrius, immemor miserationum suarum quia quantum ad illos obliviscitur misereri Deus.

TIT. LIV. *De quadruplici purificatione per Christum instituta, in die Purificationis.*

Quatuor Christus purgationes peccatorum faciens, purificat mundum, aqua, sanguine, spiritu et igni. Hic est, inquit Joannes, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto et igni* (*Matth.* III). Primum est contritio cordis, secundum afflictio corporis, tertium opus pietatis et fidei, quartum patientia in tribulatione. His quatuor diebus purgationis nostræ purgamur ut natum offeramus cum matre et suscipiamus cum Simeone. Unde et Christus aqua baptizavit, pedesque discipulorum lavit, dedicans baptismum lacrymarum quæ de contritione profluunt cordis. Sanguinem fudit, ut et nos per mortificationem corporis participantes de ejus passione lavemus stolas nostras in sanguine Agni. Spiritum dedit: unde *charitas proximi diffusa est in cordibus nostris* (*Rom.* V), ut in nobis *multitudinem aperiat peccatorum* (*Jac.* V). Quæ si minus perfecta est ut tot et tanta non valest operire, admovet ignem conflator ille qui comburat filios Levi, et quidquid residuum est rubiginis, ignis excoquit præsentis et futuræ tribulationis, ut tandem cantare possimus: *Transivimus per ignem et aquam* (*Psal.* LXV), etc.

TIT. LV. *De tribus tabernaculis, de quibus Petrus: « Faciamus hic tria tabernacula. »*

Tria sunt tabernacula: Synagoga, Ecclesia, cœlum. Primum Moysi, secundum Eliæ, de quo Dominus: *Elias venturus est; et ipse restituet omnia* (*Matth.* XVII). Tertium Christi tabernaculum: *Primum tabernaculum factum est*, ut ait Apostolus, *in quo erant candelabra* (*Hebr.* IX), scilicet patriarchæ et prophetæ, et mensa, lex, panes, cibi spirituales mandatorum; secundum post velamentum legis, in quo thuribulum sunt apostoli, cujus *odor aliis mortis in mortem, aliis vitæ in vitam* (*II Cor.* II). Urna habens manna, quæ est Christi humanitas habens divinitatem, et virga aurea et virga Aaron quæ floruit et nucem protulit amigdalinam, quæ est Maria virgo quæ Christum concepit et peperit contra naturam; tertium vero, in quod *non manu factum*, ut ait Apostolus, Jesus factus *pontifex introivit* (*Hebr.* IX). Primum fuit in umbra et figura, secundum in figura et veritate, tertium in sola veritate. In primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur.

Tit. LVI. *De passionis Dominicæ voluntarie susceptæ et crucis sublimitate et fructu.*

Dixi, inquit Dominus : *Ascendam in palmam et apprehendam fructus ejus* (*Cant.* vii). Quo verbo tria notantur : in dicto, proponentis arbitrium et voluntas qua passus est ; in ascensu crucifixi sublimitas, qua per passionem exaltatus est ; in apprehensione fructus, redemptionis demonstratur utilitas, quia non sine fructu passus est. Ascendit itaque crucem voluntate, triumphavit in ea potestate, fructum ex ea collegit pietate. Uno opere pariter et mundum irrisit, et diabolum peremit, et Christianum redemit. Dicant ergo qui redempti sunt, quos redemit de manu inimici : *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi!* (*Gal.* vi). In qua tribus tria fecit Dominus : Sapientia nequam infatuavit consilium, justitia destruxit eum qui mortis habebat imperium, misericordia liberavit captivum. Et ideo merito in ea gloriatur, in ea liberatus, triumpho vivificatus, ministerio justificatus, exemplo confirmatus, munitus signo. Sic justæ rationis consequentia postulat ut exemplum crucifixi ad justificationem suis imprimant moribus, qui signum crucis ad munimen suis imprimunt frontibus, ut ejus vivant lege cujus armantur fide ; alioquin miles characterem regis fallaciter gestat, cujus præscriptum non observat ; non recte se tuetur ejus signo, cujus non paret imperio, sicut inimici crucis luxuriantes contra pietatem crucis ; qui ea non se tuebuntur, cum ministerio angelorum non hominum signabitur in frontibus gementium et dolentium, ut discernantur salvandi a multitudine perditorum : quos et ille discernebat qui dicebat : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* v).

Tit. LVII. *De sindone munda et corona spinea in passione Dominica.*

Involvit Joseph corpus Jesu in sindone munda (*Matth.* xxvii), quia in munda conscientia suscipiendus est Dominus et puro corde, quasi in monumento novo. Spinea corona regnum ex peccatoribus significavit.

Tit. LVIII. *De obedientia, patientia, et perseverantia in passione Christi designatis.*

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* ii). In passione Christi tria virtutum insignia tanquam ad omnium aliarum inchoationem, persecutionem et consummationem declarata sunt. Prima, obedientia, qua *usque ad mortem factus est obediens* Patri (*Philipp.* ii) ; secunda, patientia magna, quoniam doloribus et irrisoribus non succubuit ; major, quoniam honoribus non cessit ; maxima, quoniam pro persecutoribus oravit. De hac patientia dictum est : *Os non comminuetis ex eo* (*Joan.* xix) ; quia sicut ossa corporis, sic patientia furtitudo totius religionis ; tertia, perseverantia, quoniam in cruce moritur, et non a se, sed ab alio deponitur. Obedientia ergo bellum in Christo adversus diabolum suscepit ; patientia, perseverantia vicit. Ideoque si vultis ejus sequi vestigia, ut quemadmodum ipse quem ducem in via elegistis ambulavit et vos ambuletis, propositum vobis certamen suscipite obedienter, quærite patienter, perseverate feliciter. Omne namque opus bonum obedientia inchoat, patientia tolerat, perseverantia consummat, quia *omnes currunt, sed unus accipit bravium* (*I Cor.* ix).

Tit. LIX. *De triplici voluntate signanda in tristitia Christi usque ad mortem.*

Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* xxvi). In hac tristitia tria considerantur : voluntas Patris, voluntas spiritus, voluntas carnis. Voluntas Patris erat per Christi mortem humanum genus redimere. Voluntas spiritus erat eadem quæ Patris. Voluntas carnis mortem refugiebat naturaliter, si tamen mutata voluntate Dei alioquando : *Non mea*, inquit, *sed tua voluntas fiat* (*ibid.*).

Tit. LX. *Quare prophetiæ et Epistolæ in officio divino dispari voce terminentur.*

Prophetiæ submissa, Epistolæ elevata voce terminantur, quia in Veteri Testamento temporalia quibus graves erant manus Moysi promittebantur ; in Novo autem spiritualia et æterna, quæ sursum sunt et nos vocant, promittuntur.

Tit. LXI. *De tribus quæ Dominum mori pro nobis voluntaria quadam coactione compulerunt.*

Dominum Jesum subire mortis et crucis ignominiam tria quædam præcipue, coactione voluntaria compulerunt ; filialis et pura obedientia, qua prioris inobedientiæ piaculum solveretur ; compassibilis et communis miseria, quæ illius justitiam inflexibilem et virgam ferream ad misericordiam flecti optabant ; et miseria illa et ponderosa et gravis, quæ cervices hominum communis hostis potestate et mortis addictione premebat ; publica et generalis, quæ justos et injustos simili obligationis sententia pariter obligabat ; continua et perennis, quæ nisi per Christum redemptionis gratia fieret, irremediabilis captivitatis nexu omne genus hominum in damnationis voragine absorbebat. Porro tertium quod spontanee coegit in mortem, est celeberrima et solemnis victoria, cujus successu, inevitabilis diaboli et mortis potentia, in momento gloriose et efficaciter erat imminuenda.

Tit. LXII. *De quadruplici traditione Christi.*

Filius hominis tradetur (*Matth.* xxvi). Traditionum alia missionis vel permissionis, qua Pater tradit Filium ; alia propitiationis, qua filius seipsum ; alia proditionis, qua eum Judas summis pontificibus ; alia damnationis, qua eum præses flagellatum tradidit Judæis. De prima : *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit eum* (*Rom.* viii). De secunda : Qui *dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis* (*Ephes.* v). De tertia : *Ecce ascendimus Jerusolymam, et Filius hominis tradetur* (*Matth.* xx). De quarta : *Tradent eum gentibus ad illudendum* (*Luc.* xviii), etc.

Tit. LXIII. *De triplici effusione sanguinis Christi.*

Triplicem sanguinem nobis fudit Dominus : de manibus, pedibus, latere. Hoc in cruce fecit pretium nostrum, in altari poculum, in exsilio viaticum

in exitu de Ægypto conductum, in cœlo advocatum.

TIT. LXIV. *De varia Christi apparitione variis facta, et in locis et modis; et de nostra apparitione.*

Quomodo tertio die solemnitate ter repetita, tribus locis et tribus modis apparuit Christus? in stabulo tribus Magis, prima die; in baptismo paucis discipulis, secunda die; in convivio pluribus invitatis, tertia die. Prima apparitio facta est in loco vili, secunda in humili, tertia in sublimi. Hæc apparitio prima facta magis per stellam in oraculo; secunda discipulis per vocem auditam in propatulo; tertia in conviviis per vinum factum in miraculo. In loco vili stella visa est sapientibus, ut sapientum sapientia destruatur. Vox in propatulo audita simplicibus, ut simplicitas instruatur. Vinum in miraculo mistum anteponitur dubitantibus, ut infidelitas confundatur. De prima dicitur: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* (*I Cor.* III). De secunda: *Estote simplices sicut columbæ* (*Matth.* X). De tertia: *Omne quod non est ex fide peccatum est* (*Rom.* XIV). Apparuit autem tribus modis: In stabulo hominis filius; in baptismate Dei Filius et de Spiritu conceptus: quia dictum est: *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* XVII). Et super eum est Spiritus sancti visus. In convivio vero Deus quia hoc nemo posset facere nisi esset Deus cum eo. Prima apparitio in humanitate, qua verus homo; secunda in dignitate qua plus quam homo; tertia in potestate qua æqualis Deo. Similiter et nos appareamus tribus locis et modis, incipientes in stabulo, proficientes in baptismo, perseverantes in convivio. Adam apparuit, ut jumentum in stabulo: *Infixus sum*, inquit, *in limo profundi* (*Psal.* LXVIII). Naaman Syrus, et eunuchus Candacis reginæ, in baptismo: *Ecce aquam*, inquit, *Quis prohibet me baptizari* (*Act.* VIII). Stephanus in convivio. *Ecce*, inquit, *video cœlos apertos* (*Act.* VII). In primo clamat inferius: *Sano animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal.* XL). In secundo mundus orat: *Amplius lava me, Domine* (*Psal.* L). In tertio famelicus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Matth.* VI). In stabulo curamur ejus livore; in baptismo lavamur ejus cruore; in convivio inebriabimur ejus odore. De primo dicitur: *Livore ejus sanati sumus* (*Isa.* LIII); de secundo: *Ablati estis, sanctificati estis* (*I Cor.* VI). De tertio: *Curremus in odore unguentorum tuorum* (*Cant.* I). Stabulum est in fetore peccatorum tuorum, baptismus in decore donorum, convivium in odore meritorum. Similiter tribus modis apparet, in conscientia, fama, justitia. Conscientia refertur ad stellam, fama ad vocem auditam, justitia ad vinum propinatum. Stella significat conscientiam lucidæ cogitationis; vox, famam conversationis; vinum, justitiam gratæ operationis. Conscientia latet in occulto, fama volat in publico, justitia patet in manifesto. De prima dicitur: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ* (*II Cor.* I). De fama: *Luceat lux vestra*, (*Matth.* V), etc. De tertia: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*ibid.*). Per conscientiam apparent sæculares populi, per famam, clerici regulares et monachi; per justitiam, sæculares. Primi apparent incedentes lento incessu, secundi festino passu, tertii rapido cursu.

APPENDIX

AD

HUGONIS OPERA MYSTICA.

SERMONES CENTUM.

PRÆFATIO.

Cum, Scriptura teste, *lucerna sit pedibus nostris verbum Dei et lumen semitis* (*Psal.* CXVIII), modis omnibus sacræ Scripturæ ver bis legendis, meditandis, audiendis, dicendis scribendisque, prout licet, studium impendere debemus, præsertim, nos fratres charissimi, socilque claustrales, qui actionis turbationibus abrenuntiavimus, et soli us præstandæ contemplationis quieti nos mancipavimus. Cujus virtutis evidentissimum beata Maria, soror Marthæ, nobis præbet exemplum, quæ, sorore circa frequens ministerium satagente, secus pedes Domini, auribus intentis, sitiendo verba loquentis, optimam partem, Domino teste, legitur elegisse: cujus laudabilem mirabilemque virtutem multi contemnunt. Ex quibus nonnullos, qui

intellectu sibi cælitus dato in Scripturis gaudia capere potuissent, ad tantam audimus vitiorum et morum fœditatem enormitatemque delapsos, ut anima eorum verbum Dei nauseante et spiritalem escam abominante, usque ad portas mortis appropinquarent, et inter Ægyptios magis quam inter Israelitas, interque cives Babylonis magis quam Jerusalem viderentur reputandi. Vidimus et alios, solertia sui studii, cooperante gratia Christi, ad tantam virtutum bonitatem, honestatemque morum de pravitate pervenisse, ut in ipsis luce clarius agnosceretur impletum quod scriptum est : « *Misit Dominus verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum* (*Psal.* CVI). » Omnes igitur ad legendum verbum Dei provocemur, sed eruditiores etiam ad loquendum, minus autem docti ad audiendum, ut et in nobis perficiatur quod scriptum est : « *In doctrinis glorificate Dominum* (*Isa.* XXIV). » Et quoniam quædam vobis de florentissimo divinæ Scripturæ agro documenta dudum collegi, visum est mihi in hoc sermone ea vobis proponere, ut in his etiam vestrum valeatis sensum exercere. Sciendum tamen est quod non omne tempus nostrum lectionibus debemus impendere, quia secundum Salomonem *omnia tempus habent et suis spatiis transeunt universa* (*Eccle.* V). Est ergo et tempus legendi, et est tempus meditandi. Est tempus veritatem inquirendi ut erudiatur sensus, et est tempus virtutem exercendi ut sanetur affectus; et est tempus boni operis exhibendi ut adjuvetur proximus. Est tempus orandi, et est tempus cantandi, tempus divinis officiis assistendi, et tempus cuilibet rei necessariæ intendendi. Ex quibus omnibus, velut apes mel de diversis floribus, debemus internæ suavitatis dulcedinem nobis colligere, mellifluumque justitiæ favum sancte vivendo consummare.

SERMO PRIMUS

In Dedicatione ecclesiæ historice.

Sanctificavit Dominus tabernaculum suum (*Psal.* XLV). Habet, fratres charissimi, tabernaculum Domini, id est sancta Ecclesia, lapides suos; habet cæmentum, habet fundamentum, habet parietes, habet tectum, habet longitudinem, habet latitudinem, habet altitudinem, habet sanctuarium, habet chorum, habet navem, habet atrium, habet altare, habet turrim, habet signa sonantia, habet vitreas fenestras, habet dealbaturam interiorem et exteriorem, habet cereos duodecim, habet pontificem dedicantem. Omnia quæ dicta sunt, plena sunt sacramentis et spiritualia præferunt documenta. Singuli lapides sunt singuli fideles, quadri et firmi, quadri stabilitate fidei, firmi virtute patiendi. Cæmentum est charitas, quæ singulos coaptat, conjungit et vivificat; et ne per aliquam discordiam invicem discrepent, uniformiter æquat. Fundamentum sunt prophetæ et apostoli, sicut scriptum est : *Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu* (*Ephes.* II). Parietes sunt contemplativi, Christi fundamento, quod superius est vicini, terrena deserentes, cœlestibus adhærentes. Tectum in hoc spirituali ædificio non sursum eminet, sed deorsum pendet : in hoc ab ædificio materiali diversum, et ab ipso talis dispositionis dissimili modo remotum. Tectum sunt activi, terrenis actionibus proximi, propter suam imperfectionem minus cœlestibus intendentes, et necessitati proximorum res terrenas administrantes. Longitudo sanctæ Ecclesiæ consideratur secundum diuturnitatem temporum; latitudo, secundum multitudinem populorum; altitudo, secundum differentiam meritorum. In longitudine enim porrigitur, dum secundum tria tempora, tempus naturalis legis, et tempus scriptæ legis, et tempus gratiæ a primo justo usque ad ultimum justum extenditur. In latitudinem distenditur, dum multorum populorum numerositate dilatatur. In altitudinem erigitur, dum per differentiam minorum et majorum elevatur. Possumus dicere etiam quod longitudo sanctæ Ecclesiæ est ab oriente usque ad occidentem. Latitudo a septentrione usque ad meridiem. De longitudine dictum est : *Venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cælorum* (*Matth.* VIII). De latitudine dictum est : *Dicam aquiloni : Da; et austro : Noli prohibere* (*Isa.* XLIII). De utraque dictum est : *Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent* (*Isa.* LX). Altitudo etiam secundum gradus dignitatis consideratur. In altum enim erigitur, dum super laicos ordo sacerdotalis, et super sacerdotalem episcopalis, et super hunc archiepiscopalis, et super omnes denique papa episcopus Romanorum collocatur. Sacrarium significat ordinem virginum; chorus, ordinem continentium; navis, ordinem conjugatorum. Strictius namque est sanctuarium quam chorus, et chorus quam navis, et pauciores sunt virgines quam continentes, et continentes quam conjugati. Sacratior est etiam locus sanctuarium quam chorus, et chorus quam navis. Sic dignior est chorus virginum quam ordo continentium, et dignior ordo continentium quam conjugatorum. Atrium sunt falsi Christiani, qui sunt sanctificati in eo quod baptizati; sed pleni sunt putredine cadaverum, quia sunt pleni corruptione vitiorum. De hoc atrio scriptum est : *Atrium, quod foris est, noli metiri, quia projectum est, et datum gentibus* (*Apoc.* XI), quia falsi Christiani damnabuntur cum gentibus, et dabuntur ad puniendum dæmonibus. Altare Christus est, super quem non solum sacrificia bonorum operum, sed etiam orationum offerimus, dicentes : *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*, etc. Turris est nomen Domini, sicut scriptum est : *Turris fortissima nomen Domini; ad eam fugiet justus et salvabitur* (*Prov.* XVIII). Signa sunt prædicatores, qui verba Dni loquuntur. Fenestræ vitreæ sunt viri spirituales,

per quos nobis divina cognitio illocet. Interior dealbatura significat munditiam cordium; exterior, munditiam corporum. Duodecim cerei duodecim sunt apostoli, qui vexillum crucis, et fidem passionis Christi prædicaverunt per quatuor partes mundi. Habet ergo sancta Ecclesia singulos lapides per singulos fideles; cæmentum, per charitatem; fundamentum, per prophetas et apostolos; parietes per contemplativos, tectum per activos. Habet longitudinem per diuturnitatem temporum, latitudinem per multitudinem populorum, altitudinem per differentiam meritorum, sacrarium per ordinem virginum, chorum per ordinem continentium, navem per ordinem conjugatorum. Habet altare Christum; turrim per nomen Domini, signa per prædicatores. Habet vitreas fenestras per viros spirituales, interiorem dealbaturam per munditiam cordium, exteriorem per munditiam corporum, duodecim cereos per duodecim apostolos. Sequitur pontifex, qui significat Christum, qui circuivit Ecclesiam suam, primum in tempore naturalis legis admonendo eam per patriarchas; deinde in tempore legis scriptæ admonendo eam per prophetas. Deinde in tempore gratiæ per semetipsum eam circuivit et introivit, foris eam erudiendo per doctrinam, intus sanctificando per gratiam. In primo circuitu dixit: *Carnem eam sanguine non comedetis* (*Gen.* IX). In secundo dixit: *Non occidetis* (*Exod.* XX). In tertio dixit: *Qui irascitur fratri suo, reus est judicio* (*Matth.* V). Multi autem existimantur in hoc spirituali ædificio per sanctitatem contineri, qui longe ab ipso per pravitatem sunt remoti. Extra ipsum sunt immundi, fornicarii, concubinarii, adulteri, incestuosi, ebriosi, feneratores, avari, fures, rapaces, odiosi, homicidæ, mendaces, perjuri, et *qui dicunt fratri suo, fatue* (*Matth.* V). Qui vident mulierem ad concupiscendum eam (*ibid*). Nec ipsi sunt lapides, qui charitatis non sunt participes. Talem igitur vitam, fratres, agamus, ut Dei lapides esse possimus. Quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

In Dedicatione ecclesiæ tropologice.

Sanctificavit Dominus tabernaculum suum (*Psal.* XLV). Tabernaculum Domini secundum sensum tropologicum est anima. Habet autem ipsa anima, quæ tabernaculum Domini dicitur, lapides suos, cæmentum suum, et cætera, quæ ad constructionem Ecclesiæ pertinent, sicut ea in præcedenti sermone disposuimus. Lapides istius tabernaculi sunt singulæ virtutes per exercitationem bene politæ, et per immobilitatem contra vitia stabiles. Cæmentum est charitas, per quam cæteræ virtutes complectuntur, uniuntur, æquantur et continentur. Fundamentum Christus est, sicut ait Apostolus: *Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III). Habet parietes per contemplationem cœlestium bonorum, per quam fundamento suo, id est Christo a terrenis affectibus elongata vicinius inhæret. Habet etiam tectum per bonam actionem, per quam indigentibus temporalia pro æternis administrat. Habet longitudinem per fidem per quam cuncta quæ Deus per se, per angelos, per homines fecit ab initio, vel facturus est usque in finem, vera esse credit. Habet altitudinem per spem, per quam erigitur a terrenis ad cœlestia, a transitoriis ad æterna, a visibilibus ad invisibilia, a corporalibus ad spiritualia. Habet latitudinem per charitatem, per quam dilatatur dextrorsum et sinistrorsum, dextrorsum ad amicos diligendos in Deo, sinistrorsum ad inimicos diligendos propter Deum. Habet sacrarium, per hoc quod facta est ad imaginem Dei. Sicut enim in ædificio Ecclesiæ, sacrario nihil est dignius: sic in anima, divina imagine nihil est sanctius, nihil nobilius, aut excellentius. Habet chorum, per hoc quod facta est ad similitudinem Dei. Sicut namque in Ecclesia post sacrarium chorus primus invenitur, sic in anima post divinam imaginem divina similitudo sublimior intelligitur. Habet navem suam per sensualitatem; sicut enim in navi Ecclesiæ consistunt conjugati, sic in sensualitate continentur quinque sensus corporis nostri, qui bene dicuntur conjugati, quia in terrenis rebus habent, et per exercitationem cognitionis propagationem, et per experimentum naturale delectationis voluptatem. Habet atrium per carnem, in qua sunt quasi cadavera mortuorum originales fomitea vitiorum. Habet altare cor suum, de quo scriptum est: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L). Habet vitreas fenestras sensus spirituales, per quos radio veri Solis illustratur, et a cæcitate ignorantiæ suæ liberatur. Habet turrim nomen Domini de quo scriptum: *Turris fortissima nomen Domini, ad eam confugiet justus et salvabitur* (*Prov.* XVIII). Habet signa per prædicationem, per quam ad cultum Dei convocat elongatos. Habet interiorem dealbaturam per munditiam cordis, exteriorem per munditiam corporis. Habet duodecim cereos, quibus illuminatur secundum doctrinam duodecim apostolorum, per quam ad fidem per bonam operationem eruditur. Habet pontificem sanctam Trinitatem. Circuit eam Pater per potentiam, Filius per sapientiam, Spiritus sanctus per benignitatem. Pater per potentiam incutit timorem, Filius per sapientiam confert cognitionem, Spiritus sanctus per benignitatem confert consolationem. Pater dicit: Ego feci cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Ego angelis peccantibus non peperci. Ego Adam de paradiso projeci. Ego primordialo genus diluvio perdidi. Ego Sodomam et Gomorrham subverti. Ego Pharaonem cum exercitu suo submersi. Ego populum Israeliticum peccantem punivi: Mihi aperi ne sic faciam tibi. Filius dicit: Ego sum sapientia Dei, qui ex ore Altissimi prodivi. Ego attingo a fine usque ad finem fortiter. Ego sum sermo Dei vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: mihi aperi ne forte non parcam tibi. Spiritus sanctus dicit: Ego a Patre et Fi-

lio procedo, amor utrinsque, lapsorum sublevator, dolentium consolator: mihi aperi, si vis spirituali gaudio lætificari. Isti tamen tres sicut sunt unus Deus, sic sunt Pontifex unus. Sanctificat itaque Trinitas Ecclesiam istam intus et foris. Intus ab inquinamento spiritus, foris ab inquinamento carnis. Habet ergo Ecclesia ista, id est anima, lapides per virtutes, cæmentum per charitatem, fundamentum per Christum, parietes per contemplationem, tectum per bonam actionem, longitudinem per fidem, altitudinem per spem, latitudinem per charitatem, sacrarium per hoc quod facta est ad imaginem Dei, chorum per hoc quod facta est ad Dei similitudinem, navem per sensualitatem, atrium per carnem, altare per cor contritum. Habet et vitreas fenestras per sensus spirituales, turrim per nomen, signa per prædicationem, interiorem dealbaturam per munditiam cordis, exteriorem per munditiam corporis, duodecim cereos per duodecim apostolorum doctrinam: Pontifex ejus est Trinitas sancta. Conetur igitur, fratres charissimi, unusquisque vestrum, conetur, inquam, ut, secundum ea quæ supra dicta sunt, tabernaculum Dei fiat, ut in ipso dignetur Deus habitare. Magnus est enim honor, magna securitas, magna gloria Deum in se habere habitatorem. Providendum itaque nobis summopere est, ut tales simus intus et foris, intus per fidem, foris per bonam operationem, ut Dominus majestatis ad nos venire, et apud nos dignetur facere mansionem. Sed quia tales sine ejus gratia esse non possumus, ipsam incessanter necesse est ut imploremus. Ipse namque dabit gratiam, et non solum gratiam, sed et gloriam: gratiam in via, gloriam in patria; gratiam in mundo, gloriam in cœlo, gratiam in præsenti, gloriam in futuro; gratiam in itinere, gloriam in perventione; gratiam in tempore, gloriam in æternitate; gratiam in justificatione, gloriam in beatitudine; gratiam in merito, gloriam in meriti præmio, in qua vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

Dedicatione Ecclesiæ anagogice.

Lauda, Jerusalem, Dominum (*Psal.* CXLVII). Jerusalem civitas sancta, et civitas Sancti, sancta Ecclesia est, quæ sicut civitas ædificatur, et ædificata diversis ornamentis ornatur. Habet hæc civitas sancta, id est Ecclesia, lapides suos, murum suum, turres suas, ædificia sua, portas suas. Habet lapides, scilicet fideles, qui sicut per cæmentum lapis jungitur lapidi, sic per charitatem junguntur sibi. Habet murum per munimen virtutum, quibus ipsa contra vitia firmatur, ne vitia irruentia auferant illi spiritualia bona. Habet turres per illos qui sunt in contemplatione sublimes. Quasi namque turres in sancta Ecclesia levantur, dum perfecti quique, relictis terrenis, ad cœlestia per contemplationem sublimantur. Habet ædificia minora, habet majora, habet maxima. Minora habet ædificia per vitam conjugatorum, majora per vitam continentium, maxima per vitam virginum. Vita namque conjugatorum per terrenarum actionem et generationi voluptatem circa ima subsistit. Vita vero continentium per virtutum exercitationem, et honorum operum exhibitionem ad altiora se subrigit. Vita vero virginum per cordis puritatem, et carnis integritatem ad cœlestia se extollit. Habet ædificia lapidea, habet eburnea. Lapidea habet per illos qui sunt in fide firmi, eburnea per illos qui sunt castitate nitidi. Lapis namque per firmitatem significat fidem. Ebur vero per naturæ frigiditatem significat castitatem. Habet portas diversas, per quas diversæ nationis et conversationis homines a se dudum remotos inducit, et cives suos et domesticos facit. Habet portas, portam gregis, portam piscium, portam veterem, portam vallis, portam stercoris, portam fontis, portam aquarum, portam equorum, portam judicialem. Quarum mysticam significationem vobis breviter, prout Dominus dedit, adnotabo. Porta gregis erat illa, ubi erat Probatica piscina, id est ovilis piscina, quia ibi abluebantur carnes ovium, quæ in sacrificio ponebantur. Porta vero gregis, eo quod ovis innocens animal est, significat innocentiam. Per hanc itaque portam induuntur nocentes et fiunt innocentes: nocentes per culpam, innocentes per justitiam. Per culpam foris, per justitiam intus. Foris lupi, intus oves. Lupi per rapacitatem, oves per simplicitatem. O quam bona porta, in qua talia fecit dextera Excelsi! Porta piscium vocabatur porta illa, per quam pisces de mari venientes inferebantur. Porta ista significat pœnitentiam, quæ quasi unam columnam habet hinc per compunctionem cordis, alteram inde per confessionem oris; tectum vero desuper satisfactionem operis. Per istam vero invehuntur inquietudine sæculi præsentis agitati, sale scilicet amaricati, fetore corrupti, mulositate elati, squammis veteris hominis hispidi, cœno carnalis delectationis polluti, a luce veri Solis alieni, rete beati Petri vel ejus vicem agentium de fluctibus mundanis educti, et in sanctam Jerusalem, id est Ecclesiam, squammis peccatorum detractis, inducti. Sunt tamen quidam, qui, ad similitudinem anguillarum, pelle veteris hominis se stringentes, lato vitiorum inhærentes, vel sæpe vel semper rete Dominicum effugiunt, et sursum ad lucem veritatis non veniunt, ut ibi mortificentur sibi, vivificenturque et vivant Deo. Porta vetus charitas est. Sicut scriptum est: *Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio* (*I Joan.* II). Per hanc portam intrant, qui se de amore sæculi transferunt ad amorem Dei. Per hanc intravit beata Maria Magdalene, quæ post tot et tanta carnis scandala facta est ex lebete phiala, de vase contumeliæ in vas translata gloriæ. Porta vallis, quæ erat contra vallem Josaphat, significat humilitatem. Per hanc intrant illi, qui de superbia diaboli redeunt ad humilitatem Christi. Foris sublimes, intus humiles. Foris similes cedro, intus hyssopo: cedro per elationem, hyssopo per humilitatem. Per elationem aversi, per humilitatem con-

versi, id est a Deo aversi ad Deum conversi. Porta stercoris, quæ erat in inferiori parte civitatis, per quam purgatimes elimioabantur, significat excommunicationem. Per hanc non inducuntur, sed ejiciuntur profani, qui sunt stercora per culpam et projiciuntur per vindictam; stercora proprio facto, projiciuntur verbo divino. Non enim decet ut accubet hædus cum agno, peccator cum justo, immundus cum mundo, adulter cum Christo, ne forte justus, provocatus exemplo peccatoris, extendat ad iniquitatem manus suas. Porta fontis dicta est, quia erat contra fontem Siloe. Siloe interpretatur missus, et significat Christum, quem misit Pater ad salutem generis humani. O quam bonus fons! Fons iste sapientiæ Verbum Dei in excelsis, cujus rivulo potantur sitibundi, satiantur famelici, revocantur abjecti, sanantur ægroti, reconciliantur inimici, liberantur captivi, justificantur impii, beatificantur miseri. Porta ergo Siloe fides est Christi. Qui extra hanc portam sunt, sunt infideles; qui intra sunt, sunt fideles. Infideles membra diaboli, fideles membra Christi. Membra diaboli diabolo unita, cùm diabolo damnanda: unita per culpam, damnanda per pœnam. Membra Christi Christo unita per fidem, cum Christo beatificanda per gloriam. Porta aquarum significat compunctionem. Qui hanc ingrediuntur, in hac abluuntur. Extra hanc sordidi, intra hanc mundi; extra nigri, intra candidi; extra hædi, intra agni. Porta equorum significat vitiorum refrenationem. Qui per hanc ingrediuntur, cohibent freno temperantiæ impetum iræ, hiatum avaritiæ, voracitatem gulæ, fluxum luxuriæ. Porta judicialis significat discretionem. Per hanc qui ingrediuntur, discernunt inter sanctum et profanum, mundum et immundum, verum et falsum, bonum et malum, justitiam et culpam, veritatem et mendacium, honestum et inhonestum. Habet itaque sancta Ecclesia murum per munimen virtutum, turres per illos qui sunt in contemplatione sublimes, diversa ædificia per diversa bene viventium merita, portas diversas per diversas gratiæ cœlestis operationes, portam gregis per innocentiam, portam piscium per pœnitentiam, portam veterem per charitatem, portam vallis per humilitatem, portam stercoris per excommunicationem, portam fontis per fidem, portam aquarum per compunctionem, portam equorum per vitiorum refrenationem, portam judicialem per discretionem. Beati qui ingrediuntur per portas istas. Studeamus, fratres charissimi, studeamus tam gloriosæ civitatis cives esse, et in ipsa Domino Deo nostro sacrificium laudis immolare, offerentes illi vitulos labiorum nostrorum, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

In Nativitate beatæ Mariæ.

Ave, maris stella. Præsens sæculum, fratres charissimi, mare est. Ad similitudinem namque maris latet, tumet, falsum est, et instabile. Fetet per luxuriam, tumet per superbiam, instabile est per curiositatem. Oportet itaque, fratres charissimi, habere navem, et ea quæ ad navem pertinent, si tam periculosum mare sine periculo transire volumus. Oportet nos habere navem, malum, velum, et duo ligna inter quæ velum extenditur, superius et inferius cherocum quem gallum ventum observantem vocare possumus. Debemus habere chordas, remos, gubernaculum, anchoram, escam nobis necessariam. Rete etiam habeamus, ut aliquem piscem extrahere valeamus. Videte quid ista significent. Navis significat fidem, quæ in Abraham, qui fuit prima credendi via, quasi in uno ligno initium cepit; et adhuc in Isaac et Jacob satis aucta fuit. Cœpit autem postmodum dilatari navis ista secundum propagationem decem tribuum. Numerus credentium quanto magis crevit, tanto magis navem fidei dilatavit. Deinde post transitum maris Rubri suscipientibus filiis Israel legem Dei, et in ipsis in terra promissionis postmodum multiplicatis amplius est dilatata. Deinde veniente Christo, et ipso pro genere humano passo, et in omni terra sono apostolicæ prædicationis audito, postquam plenitudo gentium intrare cœpit, multum navem istam dilatavit. In tempore autem Antichristi, refrigescente charitate multorum, falsis fidelibus exclusis, rursus in altum reducetur et constringetur, et sicut in Adam in prora fidei fuit primum lignum, sic ultimus justus in puppi ejus erit ultimum lignum.

Sane quicunque ab initio mare præsentis sæculi salubriter transfretaverunt, quicunque pericula ejus evaserunt, quicunque ad portum salutis pervenerunt, omnes navi fidei navigaverunt, et transierunt.

Fide gratiorem hostiam Abel obtulit Deo quam Cain, per quam testimonium consecutus est esse justus, et per illam defunctus adhuc loquitur. Fide Henoch placuit Deo, et translatus est. Fide Noe aptavit arcam in salutem domus suæ. Fide qui vocatus est Abraham obedivit exire in locum quem accepturus erat. Fide Sara sterilis accepit virtutem conceptionis. Fide Isaac singulos filiorum benedixit. Fide Joseph moriens de reversione in terram promissionis filiorum Israel memoratus est, et de ossibus suis illuc asportandis mandavit. Fide Moyses natus occultatus est. Fide se filium filiæ Pharaonis negavit. Fide Pascha celebravit. Fide filii Israel mare Rubrum transierunt. Fide muri Jericho corruerunt. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim meridies narrantem de sanctis antiquis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Quorum alii obturaverunt ora leonum ut Daniel. Alii extinxerunt impetum ignis ut tres pueri; convaluerunt de infirmitate, ut Job, Ezechias; fortes facti sunt in bello, ut Josue, Judas Machabæus; acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos, ut per Eliam, et per Eliseum. Alii distenti sunt, non suscipientes a morte temporali per transgressionem legis redemptionem, sicut septem fratres qui in libro Machabæorum passi leguntur. Alii lapidati sunt ut Jeremias in Ægypto,

Ezechiel in Babylone; secti sunt, ut Isaias; in occisione gladii mortui sunt, ut Urias, Josias, circuierunt in melotis, ut Elias, et alii eremicolæ (*Hebr.* XI, 4-38).

Et ii omnes, et multi alii fide pericula præsentis sæculi transierunt, eo quod testimonio fidei probati inventi sunt. Istius navis tabulæ sunt sacræ Scripturæ sententiæ: et ad ejus fabricationem alias tabulas nobis tradit Vetus Testamentum. Alias Novum. Clavi, quibus istæ tabulæ compinguntur, id est, sententiæ conjunguntur, auctoritates sunt sanctorum, quibus concordant ea quæ continentur in serie duorum Testamentorum. Istæ tabulæ exciduntur per lectionem, dolantur per meditationem. Malus, qui in altum dirigitur, significat spem, per quam levamur ad cœlestia quærenda et sapienda. Sicut scriptum est: *Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram; quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei Patris* (*Coloss.* III). Velum charitas est, quæ extenditur, antorsum, dextrorsum, sinistrorsum: Antorsum per desiderium futurorum, dextrorsum per dilectionem amicorum, sinistrorsum per dilectionem inimicorum. Duo ligna superius et inferius significant, rationem et sensualitatem: rationem superius, inferius sensualitatem. Debet charitas superius firmari per rationem, et immobiliter teneri; inferius vero per sensualitatem non solum teneri, sed et moveri, quia per eam debet in bona actione exerceri. Sic etiam fit in navi materiali, quia lignum superius non movetur, et lignum inferius movetur. Galliculus significat discretionem spirituum. Ad hoc enim galliculus, vel aliud aliquid vice ejus malo superponitur, ut eo quis ventus vel unde spiret discernatur. De hoc itaque gallo, id est spirituum probatione scriptum est: *Probate spiritus utrum ex Deo sint* (*I Joan.* IV). Et item: *Alii datur discretio spirituum* (*I Cor.* XII). Chordæ sunt virtutes, humilitas, patientia, compassio, modestia, castitas, continentia, constantia, mansuetudo, bonitas, prudentia, fortitudo, justitia, temperantia. Istæ chordæ, id est virtutes per exercitationem debent semper extendi ut per eam nostræ spei malus possit firmari. Nullum enim malus spei potest habere firmamentum, si exercitationem contingat deesse virtutum. Sequuntur remi, qui de navi emittuntur et in aquas demittuntur, per quos bona opera significantur, quæ de fide procedunt, et in aquas, id est in proximos, se extendunt. Aquæ enim sunt populi, qui oriuntur per nativitatem, fluunt per mortalitatem, et effluunt per mortem. Debemus autem habere remos is os non solum a dextris, ut bona faciamus his qui nobis bene faciunt tantum, sed etiam a sinistris, ut benefaciamus et his qui nobis malefaciunt, sicut scriptum est: *Benefacite his qui vos oderunt* (*Matth.* V); et: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Si sitit, potum da illi* (*Rom.* XII). Gubernaculum quo navis dirigitur, significat discretionem, quæ nos in directum ducit, ne vel a dextris dissolvamur per prospera, vel a sinistris frangamur per adversa. Anchora nostra humilitas est, quæ ad ima demittitur, per quam navis nostra stabilitur, ne forte, flante vento, diabolicarum suggestionum, et turbante mare, cogitationum nostrarum navis nostra conrutiatur et in profundum demergatur. Debet ergo navis fidei nostræ per humilitatem firmari et stabiliri, ut in tempore tentationis habeat firmum statum, quamvis habere non possit liberum cursum. Escam habere debemus per Scripturarum lectionem. Istam escam non appetunt mali, sicut scriptum est: *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis* (*Psal.* CVI). Ista bonis tribuitur, sicut scriptum est: *Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum* (*Psal.* CVI). Rete significat prædicationem. Istud rete debemus sine cessatione exercere, ut eo homines præsentis sæculi fluctibus submersos extrahere, et, squamis peccatorum detractis, Domino nostro Jesu Christo præparare. Debemus quoque, more nautarum, celeusma cantare per divinæ laudis modulationem, sicut Psalmista ait: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII). Post hæc omnia necessarius est nobis ventus, qui significat Spiritus sancti aspirationem, ut per ipsam dirigamur ad portum quietis, ad medicum salutis, ad terram promissionis, ad domum æternitatis. Debemus igitur, fratres charissimi, habere navem per fidem, malum per spem, velum per charitatem, galliculum per probationem spirituum, chordas per exercitationem virtutum, remos per exhibitionem bonorum operum, gubernaculum per discretionem, anchoram per humilitatem, escam per Scripturarum meditationem et lectionem, rete per prædicationem, et celeusma debemus cantare per laudis Dei jubilationem. Dominus autem dabit ventum per sui spiritus aspirationem. *Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I). Lumina sunt dona; Pater luminum actor, largitor, et distributor donorum. Donum optimum significat dona naturæ; donum perfectum significat dona gratiæ. Ipse itaque dabit nobis ventum prosperum, id est Spiritum sanctum, qui nobis dedit cætera bona: sive illa quæ sunt per naturam, sive illa quæ sunt nobis data per gratiam. Ut autem, fratres charissimi, mare istud salubriter transeamus, maris stellam, id est beatam Mariam sæpissime salutemus, et salutantes invocemus dicentes: *Ave, maris Stella*. More quoque nautarum, fundamus semper preces ad beatam Mariam, et ad ejus filium. Multa sunt enim impedimenta nostra sicut egregius versificator testatus est, dicens

Sævit mare, fremunt venti
Fluctus surgunt turbulenti,
Navis currit, sed currenti
Tot occurrunt obvia.
Hinc syrenæ voluptatis
Draco, canes, cum piratis
Mortem pene desperatis,
Hæc intentant omnia.
Post abyssos, nunc ad cœlum
Furens unda fert phaselum,

Nutat malus, fluit velum,
Nautæ cessat opera.
Contabescit in his molis
Homo noster animolis;
Tu nos mater spiritalis,
Pereuntes libera.
Jesu, sacri ventris fructus
Nobis inter mundi fluctus,
Sis rio, dux, et conductus:
Liber ad cœlestia.
Tene clavum, rege navem;
Tu, procellam sedans gravem,
Portum nobis det suavem
Pro tua potentia.
Ex te natus nobis datus,
Qui Deus regnat beatus,
Per immensa sæcula. Amen.

SERMO V.

In adventu Domini.

Paratus esto, Israel, in occursum Domini, quoniam venit. Sicut sacer est omnis, fratres charissimi, locus, inquantum est locus; sic sacrum est omne tempus, inquantum est tempus. Dicimus tamen aliquando respectu alterius loci: Bonus aut malus est iste locus; et respectu alterius temporis: Bonum aut malum est illud tempus; quamvis propter locum et tempus non dicimus hæc vel illa, sed propter loco et tempori accidentia. Sicut igitur alius locus dicitur minus sacer propter perpetratam culpam, et alius magis sacer propter operantem inibi gratiam: sic aliquod tempus minus sacrum dicitur propter factam in ipso aliquam iniquitatem, et aliquod magis sacrum nominatur propter aliquam in ipso exercendam religionem. Omne tamen sacrum est tempus inquantum est tempus, et omnis locus sacer est inquantum est locus. Est itaque, fratres, modo tempus adventus Dominici, in quo debemus per aliquam spiritualem religionem præparari. Tempus est, in quo venit Deus homo ad hominem pro homine redimendo, liberando, justificando, beatificando: Redimendo de culpa, liberando de pœna, justificando per gratiam, beatificando per gloriam. In hoc itaque tam sacro tempore debemus in bono propensius exerceri, ut per ejus gratiam mereamur abundantius visitari. Certe si rex dignaretur ad nos venire, et nobiscum facere mansionem, diligenter et nos, et nostra in ejus susceptionem præpararemus.

Studeamus ergo, fratres, qui adhuc foris forsitan servilibus operibus deservimus, studeamus domum cordis nostri intrare, fenestras ejus aperire, quid ibi deceat, et quid non deceat inspicere, telas aranearum deponere, scopis aream mundare, lutum et paleam ejicere, junco recenti, herbis odoriferis, floribus redolentibus mundatam tegere, cortinis variis parietes ornare, festivis vestibus nos induere, solemne convivium instaurare, et jucundis deinde cantibus in occursum ejus exsultare. Si extra nos fuimus servilibus operibus, id est peccatis intenti, revertamur ad cor nostrum, sicut propheta docet dicens: *Redite, prævaricatores ad cor* (*Isa.*, XLVI). Fenestræ hujus domus sunt sensus spirituales, per quos divina cognitio nobis irradiat, et penetralia nostræ mentis illustrat. Has fenestras per diligentem circumspectionem aperiamus, ut quid ibi sit bonum, quid malum discernamus: bonum custodiamus, malum ejiciamus. Aranearum telæ, quæ tenues sunt, et in altum pendent, mentis humanæ designant elationem. Alius elevatur propter nobilitatem generis, alius propter florem pulchritudinis, alius propter robur fortitudinis, alius propter cumulum possessionis, alius propter fastum potestatis, alius propter majorem sibi collatam prærogativam gratiæ cœlestis. Sed quisquis superbit, quasi telas aranearum inanes in altum texit. Deponamus, fratres, has telas per elationis depressionem, sicut Apostolus præcipit, dicens: *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* XI). Mundemus quoque aream cordis nostri, ejicientes paleam et lutum. Lutum inquinat, palea transvolat. Ideo lutum significat immunditiam, palea vanam gloriam. Ejiciamus hoc et illam per cordis compunctionem, et oris confessionem.

Deinde quasi quodam junco tegamus aream cordis per satisfactionem pœnitentiæ, ne quid transactæ terrenæ et carnalis vitæ in nobis appareat, sicut David dicit: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI). Herbas quoque odoriferas, et flores redolentes habeamus per bonam opinionem, ut cum Apostolo dicere possimus: *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II). Variæ cortinæ sunt virtutes diversæ. Has extendere debemus per virtutum exercitationem. Cortina alia viridis, alia hyacinthina, alia crocea, alia nigra, alia rubra, alia candida. Viridis significat fidem, quia sicut in rebus de terra nascentibus viror primum sensui occurrit, ita fides omnium virtutum prima consistit. Prima dico ordine non dignitate. Omnes enim virtutes charitas dignitate præcedit, sine qua cæteræ nihil prosunt. Hyacinthina spem cœlestium designat, eo quod colorem cœli et aeris purioris in se demonstrat. Per crocei coloris cortinam charitas figuratur, eo quod croceus color flammam imitatur. Cortina nigra humilitatem insinuat, quæ sibi nigredinem peccatorum suorum semper repræsentat; rubra patientiam, quæ nonnunquam rubescit sanguine passionis; candida designat munditiam, quæ semper sine sorde candescit. Cultiores vestes, fratres, bona designant opera. Sicut namque pulchræ vestes homines foris coram hominibus decorant, sic bona opera sanctum et justum prædicant et commendant. Nihil ergo his vestibus circo nos gloriosius, nihil pretiosius, nihil laudabilius, nihil utilius. Istis studeamus indui, si in occursu Domini volumus esse gloriosi. Cibum debemus præparare per frequentiorem et solertiorem sacræ Scripturæ lectionem et meditationem. Per hunc cibum anima roboratur, per hunc impinguatur, per hunc in bono opere vires accipit, et illas ad perfectum sine defectu perducit. Sed et cantibus jucunditatem cordis in ejus adventu demonstrare debemus, sicut scriptum est: *Benedicite, gentes, Deum*

nostrum, et auditam facite vocem laudis ejus (*Psal.* LXV). Curemus ergo, curemus fenestras hujus domus aperire per mentis circumspectionem, telas aranearum deponere per elationis depressionem, aream scopare per criminis confessionem, junco tegere per pœnitentiæ satisfactionem, cortinas per parietes extendere per exercitationem virtutum, pretiosis vestibus indui per exhibitionem bonorum operum, escas præparare per sacræ Scripturæ lectionem et meditationem, cantu psallere per divinæ laudis decantationem. Taliter curemus præparari in occursum Domini, ut mereamur ab illo visitari, qui vivit et regnat Deus.

SERMO VI.

In festo cujuslibet sancti.

Sacra Scriptura, laudem decantans justi in capite libri, de ipso dicit: *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo* (*Psal.* I). Quærendum est nobis, fratres charissimi, quæ sunt istæ aquæ, quis decursus aquarum, quæ radix ligni, quis stipes, qui rami, quis cortex, quæ medulla, quæ folia, qui flores, qui fructus. Aquæ istæ dona sunt gratiæ, quibus Deus justum irrigat, ut crescat et fructum faciat. Decursus aquarum vices sunt aspirationum. Scriptum est enim: *Spiritus ubi vult spirat, et nescis unde veniat et quo vadat* (*Joan.* III). Affluit nobis itaque Spiritus sanctus et defluit, accedit et recedit. Affluit ad nostram justificationem, defluit ad nostram humiliationem. Accedit ut crescamus, recedit ne superbiamus; ut crescamus virtute, ne superbiamus de virtute propter gratiam abundantem. Fons Christus, flumina dona, quibus justus vegetatur, augmentatur, consummatur per perfectionem. Radix arboris hujus est fides, quæ est origo et fundamentum aliarum virtutum, et radix bonorum operum. Per istam radicem justus in Deo plantatur, sine qua nullum fructum bonum profert. Sicut Apostolus ait: *Sine fide enim impossibile est placere Deo* (*Hebr.* II). O quam bona radix ista, quam sumit initium boni, vita justi. Stipes designat spem supernorum bonorum, per quam erigimur et roboramur a transitoriis ad æterna conscendentes. Rami charitatem insinuant, quæ sursum erigitur per dilectionem Dei, et in latum extenditur per dilectionem proximi. Medulla, quæ intrinsecus latet occultam significat cordis intentionem; cortex qui patet, manifestam bonæ conversationis superficiem. Intentio cordis ad solam spectat conscientiam; superficies vero conversationis etiam ad famam. Istam judicat solus Deus, illam etiam proximus. Propterea ista prodest tantum tibi, illa vero prodesse potest et alteri, si te tamen velit imitari. Folia quibus vestitur significant bonam actionem, per quam justus circumdatur et ornatur. Viror foliorum exprimit ejusdem actionis perseverantiam et perpetuitatem. Flores, propter suam redolentiam, significant bonam famam. Istos flores arbor illa frondosa et fructifera, quæ in cœlum comas extulit, dicens: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Phil.* III) istos, inquam, flores illa habebat et redolebat quando dicebat: *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II). De his floribus scriptum est: *Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa* (*Eccle.* VII). De malis autem: *Nomen impiorum putrescet* (*Prov.* X). Habet quoque fructum lignum istud, habet fructum extra, fructum intra, fructum supra. Intra in animo, extra coram proximo, supra in Deo. In animo per bonam conscientiam, coram proximo per doctrinam, in Deo per gloriam. Habet igitur lignum istud, justus videlicet secus salutarium decursus aquarum plantatus radicem per fidem, stipitem per spem, ramos per charitatem, medullam per intentionem, corticem per conversationis speciem, folia per bonam actionem, flores per bonam opinionem; fructum, sicut superius dictum est, intus per conscientiam, foris per doctrinam, supra per gloriam. Talis fuit, fratres charissimi, justus iste. Beatus enim hic cujus hodie festa celebramus, cujus virtutes recitamus, cujus sanctitatem commendamus, cujus suffragium imploramus, illuminamur verbo, formamur exemplo, munimur patrocinio. Tales esse, fratres, laboremus, et imitemur Patrem filii, magistrum discipuli, dominum servi, milites ducis, oves pastoris. Sed quia nostris viribus talia facere non valemus, Dominum exoremus *qui omnibus dat affluenter et non improperat* (*Jac.* I), ut flumine sapientiæ suæ, *cujus impetus lætificat civitatem ejus* (*Psal.* XLVII), nostri cordis ariditatem irrigare dignetur, ut fluant *de ventre* mentis nostræ *flumina aquæ vivæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* VII). Per hanc enim aquam, si nostri cordis hortum irrigaverit, vegetabitur in nobis radix fidei, roborabitur stipes spei, erigentur et extendentur rami charitatis, producentur folia boni operis, flores bonæ opinionis, fructus justificationis et glorificationis: justificationis in via, glorificationis in patria. Ad cujus patriæ ingressum *abstergat Deus omnem lacrymam ab oculis* sanctorum suorum (*Apoc.* XXI). Et dabit *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, quæ scilicet *præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II), qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VII.

In festo Apostolorum.

Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras? (*Isa.* LX.) Beatorum, fratres, apostolorum solemnia celebramus, in quorum præconium, et laudem, et admirationem eorum dignitatem et excellentiam admiratus propheta, divinitus inspiratus, oraculo tali proclamavit, dicens: *Qui sunt isti*, etc. Hujus igitur oraculi verba tam præclara tamque divina ad laudem et honorem et gloriam eorum de quibus dicta sunt, et ad vestram utilitatem quibus dicenda sunt, exponenda, prout Deus scientiarum Dominus dederit prompta devotione aggredimur, spe consummationem promittimus. *Qui sunt isti*, inquit, *qui ut nubes volant*, quia pulchre et convenienter, fratres charissimi, sancti

apostoli nubibus comparantur, et per nubes significantur. Sicut namque non solum ex sensu nostro, sed et ex verbis sanctorum colligimus, quatuor habent nubes proprietates, per quas beatorum apostolorum quatuor designantur principales virtutes. Nubes enim pluunt et protegunt, coruscant et volant. Sic apostoli pluunt et protegunt, coruscant et volant. Pluerunt quando *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrarum verba eorum* (*Psal.* XVIII). Pluunt per prædicationem, protegunt per intercessionem, per miracula coruscant, per contemplationem volant. Unusquisque pluit ubi prædicavit; pluit Thomas in India majori, Bartholomæus in India minori, Simon et Judas in Perside, Philippus in Scythia, Matthæus in Æthiopia, Marcus in Alexandria, Joannes in Asia, Andreas in Achaia, Petrus in Cappadocia, Paulus in Græcia, Petrus et Paulus demum in Italia. Sic in principio gratiæ multo sono prædicationis salutarium verborum pluviam effuderunt. Istam pluviam desiderabat Psalmista quando dicebat : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII). Suscepit itaque terra, id est genus humanum terrenis intentum supervenientem imbrem istum, et fecit fructum : fructum de quo scriptum est, *fructum vero vitæ æternæ* (*Joan.* IV). O quam bonæ nubes istæ, quarum imber terram sic inebriat, ut talem fructum faciat! Adhuc nubium istarum stillicidiis irrigamur salutaribus, quando eorum scripta legimus aut meditamur. Protegunt per intercessionem. Ipsi etenim se medios inter Deum et nos ponunt, ne Deus facinora nostra per iram videat, et nos per districti judicii fervorem puniat. Sic Paulus nubes fuit, et gentes per eum conversas sibi commissas protexit, quando pro eis gratias agebat, et sine intermissione orabat. Adhuc quoque et ipse, et alii nos protegunt, quando pro salute nostra preces ad Deum fundunt. Miraculis coruscant, mortuos suscitando, leprosos mundando, cæcos illuminando, et alios infirmos curando non solum in carne viventes, sed et nunc cum Christo regnantes. Volatus significat contemplationem. Nunquid non ille volaverat, qui dicebat : *Nostra autem conversatio in cœlis est?* (*Philipp.* III.) Vere volaverunt qui usque ad cœli palatium cum Christo regnantes conscenderunt. Nubes igitur sunt apostoli pluentes per prædicationem, protegentes per orationem, coruscantes per virtutem, volantes per contemplationem.

Et quasi columbæ ad fenestras suas. Columba avis simplex est, nec intus habet iracundiam fellis, nec foris simulationem operis. Simplicitatem ergo veram significat. Fenestræ sensus corporis sunt, per quos egrediuntur interiora, et ingrediuntur exteriora. Sancti itaque apostoli quasi columbæ ad fenestras suas esse dicuntur, quia columbinam simplicitatem in suis sensibus habuisse dignoscuntur. Sequitur versus de laude eorum : *Candidiores nive, nitidiores lacte*, etc. (*Thren.* IV). Possumus per nivem, quæ de cœlo venit, et super omne candidum albet, virgines, et per lac, quod de fecunditate carnis nascitur, conjugatos novi testamenti accipere; per ebur vero antiquum, eo quod elephas animal est castissimum continentes veteris testamenti. Per sapphirum, eo quod cœli prætendat colorem, spirituales ejusdem testamenti viros recte possumus designare. Sancti autem apostoli candidiores sunt nive; nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores, quia et virgines novi testamenti, angelicam vitam honestate castitatis imitantes, et conjugatos legitime conviventes mirabili dignitate præcellunt; et continentes veteris testamenti, etiam martyrio rubentes, et spirituales viros, sive prophetas, excellentia singulari transcendunt : *Multi*, namque *prophetæ et reges* veteris testamenti *voluerunt videre quæ* ipsi viderunt, *et non viderunt : et audire quæ* illi audierunt, *et non audierunt* (*Matth.* XIII.) Unde Isaias, in spiritum contemplatus Christum colaphis cæsum, spinis coronatum, cruce suspensum, ait : *Vidimus eum, et non erat aspectus; desideravimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum scientem infirmitatem* (*Isa.* XXXIII). In novo quoque testamento, martyres, confessores, virgines, et omnes denique sancti alii libenter Christum in carne vidissent, et ejus doctrinam salutarem audissent, si potuissent. Sed hoc privilegium apostolicæ dignitati concessum est. Omnes ergo sanctos beati apostoli præcedunt, qui Christum in carne viderunt, et Spiritus sancti cœlitus missi primitias acceperunt. Istos studeamus dignis præconiis venerari, istos bonis operibus imitari. Istorum exoremus regimine gubernari, istorum interventu patrocinari. Desideremus denique jungi eorum consortio, et eorum frui gaudio, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, etc.

SERMO VIII.

In festivitate cujuslibet sancti.

Israel germinabit quasi lilium. Unde canimus : *Justus germinabit sicut lilium, et florebit in æternum ante Dominum* (*Ose.* XIV). In rebus visibilibus si sit qui quærat, tot possunt reperiri spiritualium rerum et invisibilium significationes, quot in ipsis videlicet visibilibus et corporalibus rebus inveniuntur proprietates, sive intus in natura, sive foris in forma. Non solum namque ipsæ res nobis sunt quasi ad cognoscendum et expetendum summum et æternum bonum directiones et exhortationes; sed naturales earum qualitates et formales dispositiones. Homo quippe, quem Dominus docet scientiam, revocatur ad verum et immutabile bonum, non tantum intus per rationem et aspirationem, sed foris quoque per scripturam et creaturam. Prima lilii proprietas, quæ sensibus nostris occurrit, viror est. Cernimus etiam lilium in erectum crescere, nec huc aut illuc erectionis suæ statum inclinare. Medicinale est, et habet fibras in radice aptissime sibi conjunctas. Vestitur hasta baculi ejus foliis suis. Invenitur per ramusculos suos sursum, quando ad plenitudinem incrementi sui pertingit pluraliter discretum. Habet

florem sexifidum candidum, intus quibusdam granulis croceum, suave redolentem. Est etiam non solum erectum, sed et rectum. Hæc omnia spiritualiter justo conveniunt. Viret justus, et crescit in erectum, et cætera quæ jam disposuimus in ipso spiritualiter inveniuntur. Viror designat fidem, eo quod fides prima sit in virtutibus, sicut viror primum cernitur in rebus germinantibus, quod in superiori quodam sermone ostendimus. Erectio significat spem, per quam erigimur a præsenti sæculo nequam ad supernorum spirituum societatem, ad veræ beatitudinis plenitudinem, ad æterni Dei contemplationem sperandam, amandam, desiderandam, quærendam et inveniendam. Medicinalis est per prædicationem; sicut namque medicinæ diversis antidotis et medicamentis diverse curantur ægritudines et infirmitates corporum : sic multiplici modo prædicationes ægritudines curantur animarum. Pharmaca et medicamenta sanant apostemata, verbum prædicationis expellit peccata. Habet quoque justus fibras [dossas] et radices intus unitas, dum concordat in ipso cogitatio cogitationi, sensus sensui, voluntas voluntati, affectio affectioni. Sic sibi concordat, nec de alio in aliud se transmutat, sicut econverso de stulto scriptum est : *Stultus sicut luna mutatur* (*Eccli.* XXVII). Sicut enim luna modo est prima, modo secunda, modo tertia, et sine intermissione de uno statu transfertur in alium: ita stultus per carnalia desideria raptus alteratur, ut nunquam nec sibi nec alteri conveniens sed semper dissidens inveniatur.

Et notandum quod folia lilii eriguntur, quia quidquid justus exterius exercet per actionem, sursum levatur per intentionem. Rectus, per justitiam, tribuit enim unicuique quod suum est, tribuit fideli quod fidelis est, infideli quod infidelis est, justo quod justi est, injusto quod injusti est, amico quod debet amico, inimico quod inimico, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* XXII). Pluraliter ramusculos dividit per multiplicem Spiritus sancti gratiam. Dum enim diversis donis multipliciter perfunditur, ramos dividere non inconvenienter dicitur. Candidus est per munditiam : dum namque ab omni inquinamento mentis et spiritus purgatur, lilii candorem per munditiæ decorem imitatur. Sexifidus est per perfectionem : senarius etenim eo quod constat et perficitur ex partibus suis perfectionem significat. Partes senarii sunt unum, duo, tria, quæ simul constituunt sex, et sive dicas sexies unum, sive ter duo, sive bis tria, senarium consummabis. Grana in flore croceum colorem prætendentia charitatem figurant. Croceus namque color rutilum flammæ splendorem videtur præ se ferre, sicut jam alibi demonstravimus. Redolentia quoque bonam exprimit famam, sicut in aliis sermonibus dictum est. Ad formam itaque lilii justus viret per fidem, erigitur per spem, medetur per prædicationem, conjungitur sibi per unanimitatem, vestitur foliis suis per bonam actionem, rectus est per justitiam, multiformiter discretus per multiplicem Spiritus sancti gratiam, candidus per munditiam, sexifidus per perfectionem, croceus per charitatem, redolens per bonam opinionem. Sunt et aliæ lilii proprietates, sicut quod frigidæ naturæ esse dignoscitur, vitiorum exstinctionem insinuat, et quædam aliæ per quas virtutes et bona opera possunt figurari. Sed hæc modo de proprietatibus lilii dixisse sufficiat. Notanda sunt quoque quatuor verba quæ dicta sunt, *germinabit, florebit in æternum ante Dominum*. In lilio, fratres, primum est germinare, extremum florere. Significat ergo germinare bonam inchoationem, florere consummationem. Quod vero ait *in æternum* exprimit perpetuam justi in bono perseverantiam; quod dicit *ante Dominum*, intentionem bonam. Germinat igitur justus bona inchoando, floret consummando, in æternum perseverando, ante Dominum recta intentione bona sua faciendo. Studeamus, fratres, sic germinare, sic florere per merita et intercessionem justi, cujus hodie solemnia celebramus, ut in gloriam regni cœlestis transferri mereamur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat, etc.

SERMO IX.

In festivitate Conceptionis B. Virginis, sed magis in desponsatione cujuslibet animæ fidelis.

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (*Cant.* IV). Quis est, fratres, qui loquitur, et quæ est ad quam loquitur? Loquitur amicus ad amicam, sponsus ad sponsam, immaculatus ad castam, incorruptus ad integram, Deus ad animam et ad talem, qualis ista fuit cujus hodie solemnia celebramus, cujus castitatis irradiamur exemplis. *Tota pulchra es*. Pulchra es intus, pulchra foris. Intus in corde, foris in corpore. Intus rubicunda, foris candida, utrobique composita. Rubicunda per charitatem, candida per castitatem, composita per humilitatem. Tota ergo pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Totum quod in te est pulchrum est, et nihil inest tibi quod sit sordidum. In toto grata, in nullo ingrata, in toto places, in nullo displices. *Tota pulchra es*. Pulchra per naturam, pulchrior per gratiam, pulcherrima fies per gloriam. Quæ et qualia putatis, fratres, ornamenta esse, quibus sponsa Dei, anima justi, sic possit decorari, ut sic debeat decor ejus commendari? Legimus quod Assuerus rex fecerit puellas ad thalamum suum deductas ingenti diligentia præparari, balneis lavari, unguentis deliniri, et omnibus quæ decori conveniunt adornari (*Esther.* II). Sic Deus imo multo amplius sponsam suam sibi præparat, et omnibus quæ spiritualem formam decorant ditat. Primum dat ei lavacrum per compunctionem et fletum peccaminum ut a sorde scelerum velut hyssopo aspersa mundificetur, et tota super nivem dealbetur. Unguenta sunt dona spiritualia, quibus post fletum delibuta a mœroris asperitate lenificatur. Sequuntur ornamenta, vestes, zona, annulus, morenula, pecten, peplum inaures, diadema, speculum, calceamenta. Vestes designant

virtutum et bonorum operum varietatem, quibus anima intus et foris coram Deo et proximo decoratur et honestatur. De hac multiplici varietate scriptum est : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate* (*Psal.* XLIV). Zona, qua lumbi præcinguntur, castitatem significat, qua fluxa luxuria carnis humanæ refrenatur, sicut scriptum est : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII). Annulus exprimit fidem integram, per quam sponsa sponsum absentem diligit, et ad ejus speciem jugi desiderio pervenire concupiscit. Murenula, quæ pectori affligitur, ne adulter manum inserat, castam prætendit dilectionem, quam diabolus violare non permittitur per aliquam pravam delectationem. Pecten, quia capillos ab invicem discernit, virtutem figurat discretionis. Peplum, quod capillos ne fluant conservat, cogitationum sobrietatem et quietem insinuat. Inaures eo quod aurium ornamentum sunt, obedientiam exprimunt. Diadema figurat gloriam conscientiæ, de qua scriptum est. *Gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ* (*I Cor.* I). Speculum significat Scripturarum lectionem, in qua anima quid in se bonum sit, quidve malum, quid honestum, quid inhonestum contemplatur. Calceamenta, quæ munimenta sunt pedum, quibus per diversa loca movemur, prædicationem circumquaque delatam figurant.

Habet itaque sponsa ista lavacrum per compunctionem, unguenta per spiritualium donorum susceptionem, vestes per bonam actionem, zonam per castitatem, anoulum per fidem, murenulam per castam dilectionem, pectinem per discretionem, peplum per cogitationum quietem et sobrietatem, inaures per obedientiam, diadema per gloriam, speculum per lectionem, calceamenta per prædicationem. His omnibus adduntur plerumque lapides pretiosi, qui, propter suum fulgorem, miracula longe lateque coruscantia designant. O felix sponsa Dei, anima justi, quæ talibus ornamentis decoratur, et ad thalamum æterni regis præparatur! Multa potest anima talis uti fiducia. Nonnunquam tamen contingit, ut donis ditata divinis, magno terrore divina contemplando judicia concutiatur, et multo motu formidinis afficiatur. Cujus exemplum rei nobis Esther historia tribuit : Legimus namque quod Esther regem Assuerum contra basilicam in throno suo sedentem, virgam tenentem, ardentibus oculis furorem pectoris indicantem contemplata pene examinata sit, in tantum ut rege et ministris ejus coram consolantibus vix potuerit se levare (*Esther.* V). Quid, fratres, in hac re Assuerus rex significat, nisi Deum? quid Esther, nisi animam? quid basilica, nisi divinitatem? quid thronus, nisi majestatem? quid virga, nisi potestatem? quid ardor oculorum nisi superni judicii figurat terrorem? Esther, regem supradicto modo intuita, expavefacta cecidit; et anima, Deum et districta Dei judicia contemplando, coram divina majestate contremiscit. Sed resumat vires, dona sibi collata, et consolationes factas consideret et dicat : *Etiam si occiderit me, in ipsum sperabo. Bonus enim est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Qui vivit et regnat, etc.

SERMO X.

De timore Dei.

Deum time, et mandata ejus observa, hoc est omnis homo (*Eccli.* XII). Multas et præclaras, dilectissimi fratres, auctoritates in divinis invenimus Scripturis de timore Domini. Scriptum est enim : *Beatus vir qui timet Dominum* (*Psal.* CXI); et iterum : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX) ; et : *Qui sine timore est non potest justificari* (*Eccli.* I); et : *Quam magnus qui invenit sapientiam et scientiam, sed non super timentem Dominum* (*Eccli.* XXV). Sapientia dicitur cogitatio de cœlestibus et divinis; scientia de terrenis et humanis ; et magnus prædicatur qui invenit vel alteram vel utramque. Quando namque, ut de inventore scientiæ primum loquamur, et de minoribus ad majora conscendamus, quemlibet in logica peritum cernimus, magnum prædicamus. Certe si aliquem videremus doctum in grammatica sicut Priscianum, dialectica sicut Aristotelem, rhetorica sicut Tullium, diceremus : *Magnus est iste.* Si autem videremus eum doctum in mechanica, diceremus similiter : *Magnus est iste.* Si vero videremus eum eruditum in arithmetica, musica, geometria, astronomia sicut Boetium, vel quemlibet inventorem, vel translatorem artium, multo magis clamaremus : *Magnus est iste.* Si autem sciremus illum etiam in physica sapientem, ut Hippocratem vel Galenum, et provectum in theorica sæculari ut Platonem, et Socratem, omnino clamaremus : *Magnus est iste.* Si quoque videremus istum taliter scientia sæculari doctum, sapientia divinæ Scripturæ peritissimum, doctum scilicet in Veteri et Novo Testamento, historia, allegoria, tropologia, anagoge, litterarum triplici sermone sicut Hieronymum, in ratiocinatione disertum sicut Augustinum, in moralitate sicut Gregorium, sapientem denique sicut Salomonem, omnibus modis proclamaremus : *Magnus iste.* Non tamen, fratres, major timente Dominum. Magnus namque qui invenit sapientiam et scientiam, sed non super timentem Dominum. Sapientia hic accipitur pro cognitione, quæ facit quidem doctum sed et justum, de qua scriptum est : *Beatus homo qui invenit sapientiam* (*Prov.* III). Beatus namque qui sapientiam non tantum cognitione, sed etiam sapore justitiæ invenit, quis per talem inventionem bonum internum sapere incipit. Sed et si iste talis inventor sapientiæ pulcher esset ut Absalon, fortis ut Samson, velox ut Asael, probus ut Alexander, dives ut Crœsus, potens ut Octavius Augustus, longævus ut Henoch, nihil illi vel totum conferret nisi Deum timeret. Scriptum est enim de pulchritudine : *Fallax gratia et vana est pulchritudo ; mulier timens Deum ipsa laudabitur* (*Prov.* XXXI). De Sapientia autem et fortitudine et divitiis dicit Dominus talibus verbis per Hieremiam : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives*

in divitiis suis, sed in hoc glorietur, si noscet quod ego sum Dominus (*Jer.* IX).

Omnia denique quæcunque in præsenti sæculo percipi possunt, quam inutilia quam transitoria sint, ex multis Scripturarum locis colligimus. Solus ergo timens Deum ad beatitudinem festinat, si tamen sic timeat, ut a malo recedat, et faciat bonum. Sane duo sunt timores, unus servilis, alter filialis. Servilis servorum, filialis filiorum. Servilis habet formidinem, filialis amorem. Servilis de peccato perpetrato, filialis de dono accepto. Servilis de tormento sustinendo, filialis de præmio accipiendo. Servilis inchoantium, filialis perfectorum. Verum octo sunt, per quæ excitamur et informamur ad timorem Dei, per tria priora ad timorem servilem, per tria ultima ad timorem filialem, per duo media ad utrumque. Sunt autem hæc: culpa, sententia, pœna, creatura, scriptura, natura, gratia, gloria. Per culpam, sententiam et pœnam incitamur ad timorem servilem. Per naturam, gratiam et gloriam ad timorem filialem; per creaturam et scripturam ad utrumque. Servilis habet formidinem pœnæ. Filialis habet amorem justitiæ. Servilis aliquando cito transit; filialis, qui dicitur sanctus, permanet in sæculum sæculi. Excitamur itaque ad timorem servilem per culpam ex consideratione divinæ sententiæ; per sententiam vero excitamur ex æstimatione sequentis pœnæ. Dum enim timemus puniri per pœnam, timemus etiam judicari per sententiam: et dum judicari per sententiam timemus, culpam, quæ causa est malorum perhorrescimus. Erit namque in damnatis secundum magnitudinem culpæ pondus sententiæ, miseria sequentis pœnæ. Sic *abyssus abyssum invocat* (*Psal.* XLI). Abyssus culpæ invocat abyssum sententiæ, et abyssus sententiæ invocat abyssum pœnæ. Et hoc in *voce cataractarum tuarum, Domine* (*ibid.*), id est in testimonio prædicatorum tuorum. O quam profundæ, quam latæ, quam horrendæ sunt abyssi istæ. Profunditatem facit magnitudo, latitudinem multitudo, horrorem utrinsque contemplatio. Pœnam autem propter semetipsam formidamus. Sed quam pauci, qui oculos divertunt ad contemplationem timoris, et quam multi sunt, qui eos vertunt ad spectacula vanitatis! De istis scriptum est: *Cor sapientium ubi tristitia* (*Eccle.* VII); de illis autem: *Cor stultorum, ubi lætitia* (*ibid.*). Per tria quoque ultima naturam, gratiam, gloriam informamur ad timorem filialem. Est autem timor filialis, ut quem amas nolis offendere propter gloriam; sicut timor est servilis, ut quem times non audeas offendere propter pœnam. Per naturam vocamur ad timorem filialem, quia dum naturæ nostræ dignitatem consideramus ex magna dilectione timemus Deum offendere per culpam, qui nobis ex dilectione imprimere dignatus est imaginem et similitudinem suam.

Magnus namque honor, magna dignitas humanæ conditionis, cui naturaliter indita est forma creatricis deitatis. Ad hunc eumdem quoque timorem per considerationem gratiæ ducimur, quia dum quod nobis impiis absque merito per gratiam contulit perpendimus, eum peccando ad iram provocare dedignamur. Sed et ex gloria futura, quæ revelabitur in nobis, ad hunc timorem provocamur, quia dum audimus quod nobis promisit, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II), præ nimia dilectione jam timemus illum offendere, qui tanta voluit nobis promittere, et potest dare. Per duo etiam media, per creaturam et scripturam, ad utrumque timorem nonnunquam pervenimus. Ad timorem namque servilem per creaturam cogimur, quia dum ejus magnitudinem consideramus, immensam Creatoris majestatem formidamus; nec ignoramus omnipotentem pœnam inferre, si nos invenerit legis suæ transgressores esse. Sic etiam ad hunc ipsum timorem per Scripturam impellimur, quia dum divinas comminationes in ipsa frequenter audimus, Dei præcepta transgredi pertimescimus. Per creaturam vero ad timorem filialem attingimus, quia dum tantam molem cernimus, Creatorem mirabilem, laudabilem, amabilem, et ex amore timendum judicamus. Sic quoque per Scripturam ad hunc castum timorem provehimur, dum in ea divina promissa meritum humanum transcendentia legimus, et promissorem amando timemus ne offendamus. Sunt igitur ista octo, quibus ad timorem Dei ascendamus, a minoribus incipientes, ad majora pervenientes: Culpa, sententia, pœna, creatura, scriptura, natura, gratia, gloria. Timeamus Deum, fratres, unusquisque secundum quod in se conspicit. Si in malo sumus, corrigamus errata; si in bono, meliuremus incepta, et mandata ejus observemus. Quæ sunt ista mandata? *Dilectio Dei et proximi*. Quantum debemus diligere Deum? *Super omnia*. Quantum proximum? *Sicut nosmetipsos: beneficio, verbo, voto*. In beneficio est opus bonum, in verbo sanum consilium, in voto pium desiderium. Timeamus ergo Deum, et mandata ejus observemus. Per hæc igitur ad gloriam, sine his itur ad pœnam. *Hoc est*, inquit, *omnis homo*. Si omnis homo est qui Deum timet, et mandata ejus observat, constat quod ille homo non est qui hoc non facit. Si enim cognoscit Deum et mandata ejus, et non timet nec observat, contemptor est, et magis esse diabolus dicendus est quam homo. Si vero non cognoscit Deum et mandata ejus, cæcus est, et magis bestia dicendus est quam homo. Si autem cognoscit, et timet et custodit, vere homo est, et tali nomine dignus appellari. Timeamus ergo Dominum et mandata ejus observemus, ut per talem viam perveniamus ad supernam patriam, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat.

SERMO XI.

De spirituali sanitate.

Sana me, Domine, et sanabor, salvum me fac, et salvus ero, quoniam laus mea tu es (*Jer.* XVII). Fratres, qui sanari rogat, infirmum se esse demon-

strat. Sed quis est iste infirmus? Genus humanum, in cujus voce ista dicuntur infirmum: per peccatum originale et per multa actualia erat, et medicum quærebat. Venit medicus, et sanatus est ægrotus. Duodecim autem sunt quæ de sanatione humani generis nobis exponere proposuimus. Ægrotus, medicus, vulnera, medicina, vasa, antidota, diæta, dispensatores, locus, tempus, sanitates, gaudia de ipsis sanitatibus recuperatis. Ægrotus iste genus est humanum, de cujus ægritudine Isaias testatus est dicens: *Omne caput languidum, et omne cor mœrens; a planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas* (*Isa.* I). Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Alius etiam aliis clamat: *Caput meum doleo.* Alius: *Ventrem meum doleo.* Alius: *Lumbi mei impleti sunt illusionibus* (*Psal.* XXXVII). Sic membra generis humani clamabant, et dolorem suæ ægritudinis insinuabant. Sed, ut dictum est, venit medicus, et sanatus est ægrotus. Quis est iste medicus? *Deus qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum* (*Psal.* CXLVI). Vulnera sunt peccata originalia, quæ quisque contraxit per ignorantiam in mente, per concupiscentiam in carne luxuriose vivendo, et actualia, quæ commisit prave vivendo. Illa habet ex parentibus, ista ex propriis operibus. Illa habet ex alieno, ista ex suo. Medicina est gratis, quæ duobus modis vulneribus nostris infunditur. Uno amaro, et altero dulci. Amaro per increpationem, dulci per consolationem. Increpatio vinum, consolatio oleum. Vasa sunt sacramenta, in quibus, et per quæ gratia spiritualis continetur et infertur, sicut aqua baptismi, oleum, chrisma, aqua benedicta, et cætera talia. Antidota sunt septem dona Spiritus sancti, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, spiritus timoris Domini, ut simus per timorem humiles, per pietatem misericordes, per scientiam discreti, per fortitudinem invicti, per consilium providi, per intellectum cauti, per sapientiam maturi. Timor expellit elationem, pietas crudelitatem, scientia indiscretionem, fortitudo debilitatem, consilium improvidentiam, intellectus incautelam, sapientia stultitiam. O quam bona antidota, quibus tam mala curantur apostemata! Diæta est sacra Scriptura, quæ diverso modo nobis apponitur, dum secundum diversam capacitatem audientium prædicatur. Nunc apponitur audientibus vel legentibus per historiam, nunc per allegoriam, nunc per tropologiam, nunc per anagogen, nunc quoque per auctoritatem Veteris Testamenti, nunc per auctoritatem Novi, nunc mysticis velaminibus involuta, nunc pura, nuda et aperta.

Talibus ergo modis et multis aliis nobis cibus iste spiritualis apponitur, ut per eum æger noster confortetur et ad sanitatem reformetur. Recte autem Scriptura diæta esse dicitur, quando quæ in ea esse facienda legimus, facimus; quæ cavenda cavemus. Sic enim in cibo præcepta medicorum facimus, quia alia comedimus, alia vitamus. Dispensatores sunt sacerdotes, qui divina sacramenta tractant, et divinam nobis gratiam arcana summi largitoris distributione mirabiliter administrant. Qui servi summi medici sunt, et ad ejus arbitrium vasa et medicamenta illius tractare debent. Locus est mundus iste, in quem, quasi in quamdam infirmariam, de paradiso homo, post peccatum, delatus est, ut hic infirmitatem suam curare studeat, et sanitatem recipiat. Tempus quod Deus concessit homini, ut in eo sanitati restituatur, præsens sæculum est, quod in tria tempora dividitur, tempus naturalis legis, tempus scriptæ legis, tempus gratiæ. Tempus naturalis legis fuit ab Adam usque ad Moysen; tempus scriptæ legis a Moyse usque ad Christum; tempus gratiæ a nativitate Christi usque ad finem mundi. Et notandum quod locus iste, in quo æger sanatur, est asper, tempus longum, remedium efficax. Locus est asper ut prævaricator castigetur, tempus longum ne sanandus præoccupetur, remedium efficax ut infirmus curetur. Sanitates sunt virtutes. Quando etenim homo per virtutes exercetur, et pelluntur vitia et ipse sanatur. Virtutes namque expellunt vitia, humilitas superbiam, charitas invidiam, pax iracundiam, lætitia acediam, largitas avaritiam, abstinentia gastrimargiam, castitas luxuriam. Virtutes itaque locum possidentes vitiorum sanitates sunt ægritudinum. Gaudia de sanitatibus recuperatis sunt beatitudines. Contristatur homo quando infirmatur, gaudet quando sanatur. Sic in præsenti sæculo de infirmitate nostræ corruptionis dolemus; quando autem in resurrectione ad veram sanitatem consurgemus, in æterna beatitudine adepta sanitate gaudebimus.

Homo igitur est ægrotus, Deus medicus, vitia vulnera, medicina gratia, vasa sacramenta, antidota Spiritus sancti dona, diæta Scriptura, dispensatores sacerdotes, locus mundus, tempus præsens sæculum, virtutes sanitates, gaudia beatitudines: *Sana me itaque, Domine, et sanabor; salvum me fac et salvus ero, quoniam laus mea tu es. Sana me de infirmitate, salvum me fac de perditione. Sana me de culpa, salvum me fac de pœna. Sana me in tempore, salvum me fac in æternitate, quia laus mea tu es in utroque*, qui vivis et regnas.

SERMO XII.

De spiritualibus montibus et arboribus Israel.

Montes Israel ramos vestros expandite, florete et fructum facite (*Ezech.* XXXVI). Habent, fratres charissimi, loca suas significationes sicut tempora. Sicut enim per mane accipimus cognitionem veritatis, per meridiem amorem virtutis, per vesperam ignorantiam, per mediam noctem malitiam, per lucem justitiam, per tenebras culpam: sic accipimus per campum libertatem, per collem bonam actionem, per montem contemplationem, per cœlum beatitudinem, per vallem veram iniquitatem, per abyssum desperationem, per infernum damnationem. Campus, in æqualitate constitutus tria habet

supra loca significantia: cellem, montem, cœlum; tris subtus: vallem, abyssum, infernum. Campus significat libertatem, quia sicut ille, qui in campo est, habet facultatem sine alicujus tumoli obviantia ante vel retro, dextrorsum vel sinistrorsum, vel quo placet divertendi: sic ille, qui vere liber est, habet potentiam quod magis placet faciendi. Collis, qui a planitie terræ modicum consurgit, bonam actionem exprimit, per quam a terrenis elevamur. Mons qui nubibus magis approximat, contemplationem designat, quæ nos sursum levans ad visionem cœlestium bonorum exaltat. Cœlum autem, quia locus beatitudinis est, beatitudinem ipsam non inconvenienter insinuat. Vallis, quia ad inferiora se deprimit, significat iniquitatem, quæ malos ad ima trahit. Abyssus desperationem significat, in quam niqui de valle iniquitatis descendunt. Unde scriptum est: *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* (*Prov.* XVIII). Infernus autem, quia locus est damnationis, damnationem significat. Montes Israel, etc. Montes Israel sunt justi contemplativi, qui, ramos suos, id est sanctas et fructuosas cogitationes, de radice fidei et stipe bonæ voluntatis procedentes, expandunt per proximi dilectionem, et florent per bonam inchoationem, et fructum faciunt per consummationem, et folia producunt per bonam actionem.

Sane tria principaliter arborum genera mihi videntur in montibus Israel nasci, crescere, ramos expandere, florere, fructum facere, folia producere. Prima olea sive oliva, secunda vitis, tertia ficulnea. Oliva significat misericordiam, quia sicut oleum alios excedit liquores: ita misericordia alias præcedit virtutes. Vitis significat sapientiam, quia vinum, modice sumptum, acuit ingenium. Ficulnea, quia dulces habet fructus, dulcedinem designat internam. Solet autem Patri assignari misericordia, Filio sapientia, Spiritui sancto dulcedo. Plantat itaque Pater olivam, Filius vitem, Spiritus sanctus ficulneam. Sciendum est tamen quod, licet faciamus talem discretionem in hujusmodi assignatione trium virtutum, nulla tamen est intelligenda divisio in operatione trium personarum. Istarum autem trium virtutum infructuositatem in reprobis propheta deplorans, dixit: *Ficus non florebit, et non erit germen in vineis. Mentietur opus olivæ* (*Habac.* III). Significat itaque oliva misericordiam, vitis sapientiam, ficulnea dulcedinem internam. Sunt et aliæ forsitan arbores in montibus Israel, per quas diversæ figurantur virtutes, sicut per buxum propter virorem fides, per cedrum propter altitudinem spes, per pinum propter pinguedinem charitas, per spinam recta increpatio, per myrtum temperantia figuratur. Expandamus, fratres, ramos, floreamus, et fructum faciamus, ne Dominus nos infructuosos inveniat, et nos succidat et succendat. *Jam enim securis ad radicem arboris posita est* (*Matth.* III). Fructificemus sicut oliva, vitis, ficulnea. Sunt namque quidam qui fructum faciunt amarissimum de quibus scriptum est: *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile* (*Deut.* XXXII). *Nos autem sicut oliva fructifera in domo Domini speremus in misericordia Dei* (*Psal* LI). Qui vivit et regnat.

SERMO XIII.

In anno novo.

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit (*Psal.* XCVII). Fecit Dominus mirabilia in creatione mundi, fecit mirabilia in redemptione generis humani. Fecit mirabilia in creatione mundi creando terrestria et cœlestia, infima et summa, visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia. Fecit quoque mirabilia in rebus conditis. In elementis et elementatis, simplicibus et compositis, in causis et efficientiis, in naturis et formis, in figuris et coloribus, in vegetatione germinantium, et fecunditate generantium. Fecit mirabilia in redemptione generis humani carnem assumendo, esuriendo, sitiendo, miracula faciendo, patiendo, moriendo, resurgendo, ascendendo, Spiritus sancti gratiam tribuendo, culpas condonando, impios justificando, miseros beatificando. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit*. Canticum est vita. Canticum novum, vita nova. Canticum vetus, vita vetus. Nova vita justitia, vetus vita culpa. Porro tribus modis distinguitur cantus, gravi, acuto, superacuto. Gravis significat vitam conjugatorum, acutus continentium, superacutus virginum. Qui bene vivit, bene cantat, qui male vivit male cantat, quia discordat. Ab hoc cantico discordant avari, fures, rapaces, immundi, fornicatores, adulteri, molles, masculorum concubitores, perjuri, mendaces, homicidæ. Ab hoc cantico discordant etiam multi, qui sacris ordinibus sunt sublimati, qui in domibus eburneis debent habitare, id est castitatem servare sicut sunt subdiaconi, diaconi, præsbyteri, episcopi, archiepiscopi, et viri forsitan apostolici, canonici regulares, monachi, eremitæ, reclusi Horum nonnulli a laude divina discordant, quia, quamvis Christiani sint nomine, pagani tamen sunt conversatione; et quamvis rectam habeant de Deo fidem, tamen mortua est, quia non habent operationem. Discordant ergo a cantico laudis Dei, quia *non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV). Omnes tales canticum vetus cantant, quod magis significat tristitiam quam gaudium.

De hujusmodi laudatoribus scriptum est: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomeniam, et sabbatum, et festivitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri. Kalendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta; laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras avertam oculos meos a vobis; et cum*

multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, id est, peccato (*Isa.* I). Et per Malachiam prophetam: *Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, et assumet vos secum dixit Dominus* (*Malac.* II). Per alium quoque prophetam de talibus dicitur: *Putabant se habere vasa cantici sicut David* (*Amos.* VI). Dum etenim subtilibus vocibus verba divinæ laudis sibilant, et duplici aut triplici modulatione cantica sonant, *vasa cantici se habere sicut David putant*, quia se vere laudatores esse Dei existimant. Sed non placet vos, quia vita displicet. Nos ergo, fratres, cantemus Domino sicut præcepit Psalmista. *Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter* (*Psal.* XLVI). Quid sapienter? Non simus pravis operibus dediti, non in psallendo verbis otiosis intenti, non vanis aspectibus curiosi, non risu dissoluti, non excursu et discursu vagi. Cantemus sicut quidam versificator dicit.

Omnibus his horis eodem vox cordis et oris.
Vox est grata chori, quando cor concinit ori.

Cantemus igitur Domino canticum novum, quia mirabilia fecit, et non solum quia fecit, sed etiam quia mirabilia facturus est. Fecit duo præcipua mirabilia: unum in creatione mundi, alterum in redemptione generis humani. Et facturus est duo: unum in renovatione creati, alterum in glorificatione redempti. In fine namque sæculi, quando nova faciet omnia, tunc faciet mirabilia in renovatione creati. Quando autem dicet electis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV), tunc faciet mirabilia in glorificatione redempti. Ad quam glorificationem nos perducere dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat.

SERMO XIV.

In synodo, aut in festo confessorum sacerdotum, de vestibus sacris.

Sacerdotes tui, Domine, induantur justitiam (*Psal.* CXXXI). Oportet, fratres charissimi, ut nos qui in domo Dei sacerdotio fungimur, dignam sacerdotio justitiam ducamus, et honestis in officio vestibus induamur, imo virtutes, quæ per vestes sacerdotales designantur, exerceamus. Quid namque prodest ornari vestibus, nisi ornemur virtutibus? Certe si videremus sacerdotem sine sacerdotalibus vestimentis missam celebrare, sine alba, sine stola, sine infula, multum miraremur, et cum horrore nimio ministrum talem detestaremur. Si ergo detestandus esset qui accederet ad altare sine vestibus, quam detestandus, quam horrendus est, qui accedere præsumit cum vitiis et sine virtutibus? Quantum distat inter vas quodlibet et cibum, tantum distat inter significans et significatum. Vestes significant, virtutes significantur. Vestes foris coram populo decorant, virtutes intus coram Domino ministrum commendant. Sicut igitur non audemus accedere ad altare sine vestibus, sic non præsumamus accedere sine virtutibus. Videamus denique quæ sunt istæ vestes, et quæ per eas significentur virtutes. Sunt ergo vestimenta, interior linea, exterior scilicet alba, amictus super humeros, quod nos super humerale dicere possumus, zona, stola, manipula, infula. Ante omnia debet sacerdos quotidiana vestimenta deponere, deinde manus abluere, et sic candida vestimenta sumere. Depositio quotidianorum vestimentorum significat veteris hominis depositionem, ablutio manuum criminum confessionem, assumptio novorum vestimentorum virtutum exercitationem. Linea interior interius est, exterior exterius. Ista est in occulto, illa in manifesto. Ista latet, illa patet. Propterea interior significat munditiam cordis, exterior munditiam corporis. Super humerale, quod supra humeros ponitur, ubi onera solent imponi, tolerantiam præsentium significat laborum, quæ nobis necessaria est, si veri sacerdotes volumus esse. Unde de illis qui eam perdiderunt scriptum est: *Væ his qui perdiderunt sustinentiam!* (*Eccle.* II.)

Et Dominus de laude patientiæ in Evangelio ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI).

Sustineamus ergo, fratres, quidquid nobis acciderit adversum, ut *sicut bona suscepimus de manu Domini, ita et malo sustineamus* (*Job* II). Zona, quæ lumbus circumdat et vestimenta constringit, ne diffluant, virtutem continentiæ insinuat, quæ fluxam luxuriæ nostræ lasciviam refrenat. Stola, quæ collo imponitur, jugum suave Domini exprimit, de quo Dominus in Evangelio ait: *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI). Sequitur manipula, quæ in brachio sinistro dependet, quæ nihil aliud denotat sacramenti, nisi quod pro cautela ibi ponitur, ne sacerdos aliquid in officio suo incaute et negligenter agat, sed omnia diligenter, sicut qui in conspectu Domini et sanctorum angelorum consistit, perficiat. Significat ergo cautelam, per quam cavenda cavemus, et facienda facimus. His omnibus minister Domini indutus, his omnibus adornatus, nondum est aptus officio sacerdotali, nec illud implere præsumit, nisi septimum, quod infula dicitur, cæteris addatur et superponatur. Istud vestimentum excellentius est cæteris, eminetque universis. Quam igitur virtutem per hoc significari dicimus, nisi charitatem de qua dicit Apostolus: *Adhuc vobis excellentiorem viam demonstro. Si linguis hominum loquar et angelorum*, etc. (*I Cor.* XII XIII), quæ bene novit fraternitas vestra. Qui enim alia dona spiritualia et virtutes demonstrasset, tandem de charitate intulit dicens: *Si linguis*, etc. O beata virtus charitas! et beatus solus, qui in ipsa usque in finem perseverat! Qui ergo cum aliis virtutibus charitatem habet, sacerdos est. Et qui etiam alias sine ista habet, sacerdos non est. Habeamus itaque, si veri sacerdotes volumus esse, quod esse debemus, habeamus interiorem lineam per munditiam cordis, exteriorem per munditiam corporis. Super humerale per patientiam, zonam per continentiam, stolam per obedientiam, manipulum per cautelam, infulam per charitatem

fraternam. His etenim omnibus armati sancte et A religiose perficiemus holocaustum Domini, et dicetur de nobis quod scriptum est : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II). Tales fuerunt sancti, quorum hodie solemnia celebramus. Tales, fratres charissimi, esse studeamus, ut et nos induamur justitiam, et facti cum ipsis participes meritorum, fieri mereamur socii præmiorum. Quod per merita et intercessionem eorum nobis præstare dignetur qui vivit et regnat, etc.

SERMO XV.

In LXX. De vinea Dominica.

Ite et vos in vineam meam : et quod justum fuerit dabo vobis (*Matth.* XX). De vinea Dominica, fratres, ad quam nos invitat sermo divinus, brevem vobis exhortationem faciemus, ne vestram dilectionem B verbis prolixioribus oneremus. Primum itaque videamus quis sit ager in quo plantatio fit, quæ vinea, quæ fossio, quæ binatio, quæ tertiatio, qui palmites, quæ putatio, quæ plicatio, quæ folia, qui flores, quis fructus, quis denarius qui promittitur. Ager iste cor humanum est, quod debemus jugi compunctionum ligone scindere, et in ipso per gratiam divinam vineam sive vites per bonas voluntates plantare, ut in bono crescant, et palmites, folia, flores, fructumque producant. Debemus vineam istam fodere per compunctionem, quæ nascitur scrutatione peccatorum nostrorum; binare per compunctionem, quæ nascitur de consideratione donorum nobis coelitus collatorum; tertiare per compunctionem, quæ C oritur de prægustatione futurorum bonorum. Sunt autem palmites bonæ cogitationes de bona voluntate multipliciter procedentes. Istam vineam putamus, quando cogitationes minus utiles resecamus, et utilioribus propagandis vacamus. Palmites plicamus, quando cogitationes nostras humiliamus, et quasi baculum in terram figimus, quando mortalitatis nostræ recordamur, et quod terra sumus et in terram ibimus reminiscimur. Sic plicuit vitem suam Abraham, quando dixit : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* XVIII). Sic Jacob quando dixit : *Minor sum cunctis miserationibus tuis* (*Gen.* XXXII). David quoque dixit : *Unicus et pauper sum ego* (*Psal.* XXIV)). Beata Maria plicuit suam vitem, et ait : *Ecce ancilla Domini* (*Luc.* I). Sed B. Paulus D palmitem suum plicuerat, quando dicebat : *Non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei* (*I Cor.* XV). Folia designant bonam actionem, quæ nos circumdat et ornat, sicut in aliis sermonibus sæpe jam diximus. Flores, eo quod redoleant et suum longe spargant odorem, bonam famam insinuant, per quam sive prope sive longe proximo redolemus. Fructus bonam designat conscientiam de justitia consummata. Ad hoc enim laboramus ut bonam conscientiam habeamus, sicut ille qui in vinea colenda desudat, ad hoc tendit ut fructum percipiat. Habemus itaque, fratres, agrum cor nostrum, Dominicam vitem bonam voluntatem, palmites bonas cogitationes. Fodiamus, binemus, tertiemus eam, sicut scriptum est, per triplicem compunctionem. Putemus eam per superfluarum et minus utilium cogitationum resecationem. Plicemus eam per mentis humiliationem, ut producat folia per bona actionem, flores per bonam famam, fructus per bonam conscientiam. Si sic, fratres charissimi, in vinea Dominica laboraverimus, promissum denarium percipiemus. Quid est iste denarius? Denarius iste est vita æterna. Denarius iste est *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II). Denarius iste est summum bonum, in quo omne bonum, et a quo omne bonum. In quo omne bonum per plenitudinem, a quo omne bonum per largitionem. Denarius iste est Deum videre, et eum gustare. Videre per contemplationem, gustare per dilectionem. In hac vinea nos laborantes adjuvare, et isto denario nos dignetur remunerare Jesus Christus, qui vivit et regnat, etc.

SERMO XVI.

In festo martyrum. De spirituali agricultura.

Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent (*Psal.* CXXV). Fratres, *qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (*II Cor.* IX). Bonum igitur et multum seminemus, si bonum et multum metere desideramus. Seminemus in merito, prout metere desideramus in præmio. Quæramus aratrum et utensilia aratri, longum lignum quod rustici bagiam vocant, lignum bifidum per quod aratrum manibus tenetur, et cætera quæ, causa brevitatis, prætereo exponendo ponemus. Pes aratri, super quem cætera fabrica consistit, fides est quæ aliarum est origo virtutum. Lignum longum, quod in longum extenditur, quod bagiam voce rustica nominamus, spem significat, de cujus longitudine scriptum est : *Sperantis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuam* (*Isa.* XXVI). Manubrium, quod bifurcum est, et utraque manu tenetur, charitatem demonstrat, quam dextera tenemus dum benefacimus amicis, sinistra dum benefacimus inimicis. Aures aratri virtutem significant obedientiæ, quia auribus audimus, et obedimus. Rotæ scientiam duorum Testamentorum designant. Recte namque per rotas Testamenta figurantur, quæ quasi deorsum tangunt terram per historiam, et sursum levantur per allegoriam, deorsum deponuntur per sensum carnalem, sursum levantur per sensum spiritualem, deorsum per significantia, sursum per significata. Vomer et colter, quibus scinditur terra et aperitur, rationem et intellectum designant, quæ per occulta creaturarum, et obscura Scripturarum rimamur et volvimus. Jugum, quod cervices premit, pondus divini timoris exprimit, quod mentibus nostris imponitur, ne noster sensus per elationem contra Deum erigatur. Vincula, quibus jugum ligatur, præcepta divinæ legis sunt. De contemptore hujus jugi et horum vinculorum scriptum est : *A sæculo confregisti jugum, rupisti vincula; dixisti : Non serviam* (*Jer.* II). Boves,

qui arando laborant, sensus corporales, qui, propter utrumque sexum duplicati, decem fiunt. Qui bene dicuntur esse boves per maturitatem, non tauri per dissolutionem; boves per continentiam, non tauri per lasciviam. Stimulus, quo pungimtur, afflictio corporis est in vigiliis, et jejuniis, et cæteris hujusmodi. Terram, quam debemus arare, nosmetipsi sumus, quos debemus arare per compunctionem, quæ nascitur de scrutatione peccatorum nostrorum; binare per compunctionem, quæ oritur de consideratione cœlestium donorum nobis collatorum; tertiare quoque per compunctionem, quæ oritur ex prægustatione futurorum bonorum. Debemus etiam fimare terram istam per memoriam antiquarum et iniquarum conversationum nostrarum. Quasi namque de singulis massunculis animalium nostrorum fimum super terram nostram ducimus, dum quæcunque quæ in conversationibus præteritis carnaliter et bestialiter egimus, ad memoriam plangendo revocamus. Et quasi per partes spargimus, dum singula male acta pro loco et tempore, pro qualitate et quantitate discutimus.

Habeamus itaque, fratres, per fidem pedem aratri, bsgiam per spem, manubrium per charitatem, dexterum cornu ejus per dilectionem amicorum, sinistrum per dilectionem inimicorum, aures aratri per obedientiam, rotellas per utriusque Testamenti scientiam, cultrum et vomerem per sanam rationem et sanum intellectum, jugum per timorem divinum, corrigias per præcepta legis, boves per quinque sensus corporis, stimulum per afflictionem carnis, araturam triplicem per triplicem compunctionem, fimaturam per peccatorum recordationem. Semina autem nostra sunt dona divina; vas in quo ea servamus intellectus et sensus spiritualis est. Ista semina terræ mandamus, quando ea affectui et effectui mancipamus; affectui per dilectionem, effectui per operationem. In lacrymis seminamus, in exsultatione metemus. Seminamus in lacrymis, quia *omnes qui volunt pie vivere in Christo persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III); metemus in exsultatione, quia gaudebimus in retributione. Quod ipse præstare dignetur qui vivit et regnat, etc.

SERMO XVII.

In Epiphania Domini.

Vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ (*Psal.* LXXI). Quis est qui vivet, et cui dabitur de auro Arabiæ? *Puer qui natus est nobis, et filius qui datus est nobis, cujus nomen Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis* (*Isa.* IX). Admirabilis gloria, consiliarius sapientia, Deus natura, fortis potentia, pater misericordia, princeps justitia. Admirabilis gloria, quia et angeli, præ nimia admiratione gloriæ ejus, in ipsum prospicientes deficiunt, et cantant dicentes: *Pleni sunt cœli et terra majestatis gloriæ tuæ.* Consiliarius sapientia, quia est Angelus magni consilii, qui hominem in invio infidelitatis et iniquitatis errantem reduxit. Deus natura, quia deitatem habet per naturam, et aliis tribuit esse deos per gratiam. Fortis potentia, quia principem hujus mundi custodientem atrium suum, id est mundum, debellavit, et vasa ejus, id est animas, in quibus iniquitatem posuerat, ad vitam tamen prædestinata diripuit, et ipsum dejecit, et alligavit (*Luc.* II), ne more antiquo in homine dominetur, donec in tempore Antichristi ad modicum ipsius permissione solvatur, et postea cum suis in die judicii in infernum redigatur. Pater misericordia, quia paterna pietate ad nos venit, et nos redemit, et justificavit et beatificavit. Venit per humanitatem, redemit per passionem, justificavit per gratiam, beatificavit per gloriam. Princeps justitia, quis reddet unicuique quod suum est, bona bonis, mala malis, bonis gloriam, malis pœnam. Admirabilis ergo est gloria, consiliarius sapientia, Deus natura, fortis potentia, pater misericordia, princeps justitia. Vivet et dabitur ei. Quid dabitur ei? De auro Arabiæ, non solum de auro, sed et de thure, et de myrrha. Aurum, propter fulgorem divinæ cognitionis, significat claritatem, id est fidem; thus, propter suam redolentiam, significat bonam opinionem; myrrha, quæ corpora servat incorrupta, designat carnis incorruptionem. Possumus autem de myrrha, propter ejus amaritudinem, multiplices trahere significationes. Est etenim myrrha doloris, est et myrrha timoris, est et myrrha compunctionis, est et myrrha confessionis, est et myrrha satisfactionis, est et myrrha exercitationis, est et myrrha laboris, est et myrrha subjectionis, est et myrrha compassionis; est myrrha quoque passionis. Myrrha doloris est, quando transacta mala recogitamus, et inde dolemus. Myrrha timoris est, quando pro malis, quæ commisimus, futuram pœnam timemus. Myrrha compunctionis est, quando, cogente dolore et timore, de malis perpetratis compungimur. Myrrha confessionis est, quando mala, quæ egimus confitendo erubescimus. Myrrha laboris, satisfactionis, quando, post confessionem de transgressione divinæ legis, Deo per afflictionem pœnitentiæ pro modulo nostro satisfacimus. Myrrha laboris est, quando in sex operibus misericordiæ proximo exhibendis laboramus. Myrrha exercitationis est, quando, vitiis expulsis, per diuturnum exercitium ad virtutes pervenimus. Myrrha subjectionis est, quando sublimiori propter Deum subdimur, et inde nonnunquam amaritudinem toleramus. Myrrha autem compassionis est, quando alienis malis compatimur. Myrrha vero passionis est, quando mala nostra patimur.

Habemus itaque decem species myrrhæ: primam per dolorem, secundam per timorem, tertiam per compunctionem, quartam per confessionem, quintam per satisfactionem, sextam per exercitationem virtutum, septimam per exhibitionem bonorum operum, octavam per subjectionem, nonam per compassionem, decimam per passionem. Offeramus et nos, fratres, nato Domino, aurum, thus et myrrham. Aurum per fidem, thus per bonam opinionem, myrrham per carnis nostræ incorruptionem, et

secundum multiplicem superiorem myrrhæ divisionem. Et quia nihil sine divina gratia possumus, ipsam semper imploremus, ut per ejus auxilium valeamus hanc offerre oblationem et ad æternam pervenire retributionem. Quod nobis præstare dignetur qui vivit et regnat, etc.

SERMO XVIII

In Annuntiatione Dominica.

Ecce concipies, et paries filium (*Luc.* I). In Annuntiatione Dominica, fratres charissimi, locuturi, compendiosum vobis sermonem faciemus, ne vestram dilectionem oneremus. Et quia modum sacratissimæ conceptionis, multis Scripturis exponentibus, nostis, placet ipsum modum illibatum præterire, et aliquid quod vestros mores ædificet proferre. Debemus, fratres, nosmetipsi mater esse Christi, si volumus esse justi, si volumus esse beati: justi per gratiam, beati per gloriam. Debemus Christum concipere, Christum parturire, Christum parere, Christum natum possidere. In generatione carnali prima est conceptio, secunda parturitio, tertia partus, quarta nati possessio in qua est gaudium, quia *natus est homo in mundum, nec meminit pressuræ mater transactæ* (*Joan.* XVI). In spirituali autem hac generatione prima est fides, secunda bona voluntas, tertia bona actio, quarta æterna beatitudo. In carnali generatione prima est commistio maris et feminæ quando femina, retento semine, fecundatur. Deinde parturitio, id est partus paratio, fetus videlicet concepti augmentatio, vegetatio, membrorum formatio et dispositio, sensificatio hominis atque perfectio. Denique igitur sequitur partus, id est fetus editio, in qua est maximus matri dolor, angustia, labor et clamor. Ad ultimum sequitur nati filii possessio, in qua præ nimio gaudio quod natus est homo in mundum, mater præteritæ pressuræ non recordatur. Sic in spirituali generatione, in qua Deus masculus est, anima femina. Quando ipse Deus animæ conjungitur, concipit anima Christum per fidem. Fides namque prima est omnium bonorum, sine qua impossibile est placere Deo, sicut impossibile est naturæ ut sine semine generetur homo. Deinde sequitur parturitio, quando concepti cognitio boni per bonam voluntatem augmentatur, et per affectionem sensificatur, et quasi membratim per desiderium operandi disponitur. Sequitur partus, quando foris bonum per actionem manifestatur, quod prius intus in bona voluntate continebatur; in qua est labor et clamor matris, quia gravatur tunc animus propter infirmitatem et murmurationem carnis. Sed quandiu durat partus iste, quandiu vivitur, semper fetus iste editur, quia quandiu est tempus vivendi, semper est tempus bene agendi. Quando vero homo moritur, tunc perfecte puer nascitur, quia in solo die mortis perfecte declaratur virtus et meritum operis. Nati filii possessio, æterna est beatitudo, in qua videbimus Christum et gustabimus: videbimus per contemplationem, gustabimus per dilectionem. De hujus nativitatis gaudio et fructu scriptum est: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris* (*Psal.* CXXVII). Concipimus ergo Christum per fidem, parturimus per bonam voluntatem, parimus per bonam actionem, gaudebimus de nato filio per æternam retributionem.

Sciendum autem est quod carnalis anima non potest suscipere Christum, sicut lignea fenestra non potest suscipere in se solarem radium. Et sicut vitrea fenestra in se suscipit radium solis, et ipse radius eam intrat et penetrat: sic anima spiritualis, sordibus vitiorum purificata et sole virtutum clarificata, Christum concipit. Quid est namque in fenestra lignum, nisi corpus? Quid vitrum, nisi spiritus? Ferrum autem quod panellos ligat, eo quod ferro domantur omnia, significat rigorem severitatis, et plumbum, propter ponderositatem, virtutem gravitatis; diversæ laminæ diversi sunt sensus animæ, quorum alii disponuntur sursum per contemplationem Dei, alii deorsum per curam sui, alii dextrorsum per dilectionem amicorum, alii sinistrorsum per dilectionem inimicorum, alii in circuitum per circumspectionem motuum. Naturalis puritas vitri significat virtutes nobis datas per naturam; colores superadditi, virtutes nobis collatas per gratiam; picturæ imaginum exempla significant sanctorum, quæ diligenter in nobis pingere debemus, virtutes eorum cogitando: innocentiam Abel, justitiam Noe, fidem Abrahæ, perseverantiam Isaac, tolerantiam Jacob, castitatem Joseph, mansuetudinem Moysi, constantiam Josue, charitatem Samuelis, humilitatem David, zelum Eliæ, abstinentiam Danielis, præcipuam S. Joannis Baptistæ humilitatem, et castitatem B. Mariæ. Sed et crucem in nobis pingimus, cogitando continue passionem Domini, quam pro nobis sustinuit. Sic pingamus in nobis aliorum imagines sanctorum, cogitando et imitando virtutes et exempla eorum.

In hac itaque, fratres, mystica significatione vitreæ fenestræ lignum est corpus, vitrum spiritus, ferrum severitas, plumbum gravitas, singulæ laminæ singuli sensus animæ, puritas vitri virtutes nobis datæ per naturam, colores additi, virtutes nobis collatæ, per gratiam, picturæ imaginum exempla sanctorum. Simus igitur, fratres charissimi, spirituales ut irradiemur radio solis justitiæ, et spiritualiter concipiamus et pariamus Christum filium virginis Mariæ, ut sic perveniamus ad gaudium retributionis æternæ, ipso præstante qui venit et regnat, etc.

SERMO XIX.

De uno quovis confessore.

Ecce sacerdos magnus (*ex Epist. Com. conf. pont.*). Magnus officio, magnus merito, magnus præmio, magnus suffragio. Magnus officio, quia episcopus: magnus merito, quia dignus cœlo; magnus præmio, quia beatus; magnus suffragio, quia noster patronus. De cujus magnitudine Scriptura adjungit dicens: *Quasi stella, quasi luna, quasi sol, quasi iris, quasi cedrus, quasi cypressus, quasi rosa, quasi lilium, quasi thus,*

SERMO XXI.

De membris humanis.

Sana me, Domine, et sanabor (*Jer.* XVII). Homo quamdiu injustitia perstitit, sanus fuit; sed postquam per culpam corruit, gravem languorem incidit. Et qui ante culpam in omnibus spiritualibus membris suis habuit sanitatem, post culpam in omnibus patitur infirmitatem. Clamet igitur necesse est: *Sana me, Domine, et sanabor.* Sed nonquid est dicendus homo habere membra spiritualia? Habet membra spiritualia, scilicet virtutes. Sicut enim exterius membris sibi convenientibus formatur, sic interius virtutibus sibi concordantibus mirabiliter disponitur et ordinatur; et ipsa membra corporis virtutes figurant substantiæ spiritualis. Caput significat mentem. Quemadmodum namque caput summum obtinet locum inter membra, ita mens inter virtutes animæ principalis esse videtur et summa. Et sicut de capite capilli surgunt varii, citrini, rufi, candidi, nigri, sic de mente cogitationes procedunt variæ, benignæ, malitiosæ, mundæ, immundæ. Oculi designant contemplationem. Quomodo namque oculis corporis foris visibilia cernimus, sic radiis contemplationis invisibilia speculamur. Per nares discretiones accipimus. Naribus etenim odores ac fetores discernimus, et ideo per nares virtutem discretionis non inconvenienter significamus. Aures exprimunt obedientiam, eo quod audiendi obediendique sunt instrumentum. Os insinuat intelligentiam. Sicut enim cibum ore recipimus, ita virtute intelligentiæ pastum divinæ lectionis capiamus. Dentes vero significant meditationem, quia sicut dentibus receptum cibum comminuimus, ita meditationis officio panem lectionis acceptum subtilius discutimus ac dividimus. Lingua quoque, quia ipsa sermonem format, eloquentiæ pulchritudinem non inconvenienter designat. Per collum, humeros et dorsum, eo quod ipsis onera soleant imponi, recte patientiam intelligimus. Per brachia autem, quia in ipsis est magna fortitudo, virtutem fortitudinis accipimus. Manus, eo quod ipsis operamur, significat operationem. Sic pectus, quia per ipsum reluctando resistimus adversario, constantiam figurat. Cor quoque, quia in ipso sapientia continetur, sapientiam designat. Mamillæ doctrinam exprimunt. Sicut enim mater duabus mamillis filios suos enutrit, sic quilibet pius doctor doctrina dilectionis Dei et proximi imperfectos quosque ad perfectionem justitiæ provehit. Per ventrem memoriam intelligamus. Sicut namque corporalem cibum ore acceptum, dentibus comminutum, in ventrem trajicimus, ut ibi decoquatur et membris omnibus distribuatur, ut ex ipso membra corroborentur; sic spiritualem cibum intelligentia cognitum, meditatione discussum et subtiliatum intra memoriam condimus, ut illic amoris igne coctus virtutibus omnibus administretur et dividatur, ut ex eo confortentur. Sed quemadmodum quibusdam corporeus cibus in ventrem acceptus non prodest, quia propter nimietatem ejus, aut debilitatem virtutis digestivæ non bene digeritur, sed quasi integer emittitur; sic quibusdam cibus spiritualis in mentem acceptus non prodest, quia ipsis per nimiam negligentiam resolutis de memoria subito lapsus amittitur. Qui autem cibum talem acceptum per memoriam retinet, et per dilectionem decoquit, confortatur et ad devitanda mala et peragenda bona roboratur. Inferiora membra, crura videlicet et pedes, quibus corpus velociter fertur, significant virtutum et bonorum operum perfectionem, et in ipsa perfectione velocitatem. Cruribus namque et pedibus non solum movemur, sed et velociter quandoque currimus. Digiti pedum et manuum, eo quod sint extremitates membrorum, virtutum et bonorum operum figurant perfectionem. Ungues, quia digitorum sunt munimen perfectionis significant soliditatem. Itaque qui habet digitos per perfectionem, ungues habere diligat per perfectionis soliditatem.

Itaque qui habet digitos, caveat ne aliquando a perfectione dissolvatur, et paulatim diffluendo ad nihilum redigatur. Membra igitur hominis exterioris virtutes designant hominis interioris. Caput designat mentem, capilli cogitationes, oculi contemplationem, nares discretionem, aures obedientiam, os intelligentiam, lingua eloquentiam, collum humilitatem, dorsum patientiam et longanimitatem, brachia fortitudinem, manus operationem, pectus constantiam, cor sapientiam, mamillæ doctrinam, venter memoriam. Inferiora membra, quibus corpus movetur, virtutum et bonorum operum perfectionem, et in ipsa perfectione velocitatem. Digiti pedum et manuum, qui sunt extremitates membrorum, bonorum omnium designant perfectionem. Ungues, qui sunt digitorum munimen, perfectionis designant soliditatem. Interiora membra virtutes occultas, exteriora manifestas. Ossa boni operis internum vigorem, cutis ejusdem operis superficiem. Si quis autem istorum integritatem et sanitatem adipiscitur membrorum, ut videlicet caput habeat sanum per incorruptionem mentis, capillos candidos per munditiam cogitationis, faciem rubicundam per fervorem charitatis, oculos claros per fulgurem supernæ contemplationis, et cæterorum, sicut supra dictum est, possideat decorem membrorum, is vere sanus est. Sic ubi autem alicujus vitii contagio læditur, ibi protinus decor internæ pulchritudinis violatur. Reparemus in nobis, fratres, spiritualis formæ decorem, divinam imaginem. Sed quia nec spiritualem in nobis languorem sanare, nec sanitatem sine summi ope medici possumus obtinere, ad ipsum singuli proclamemus: *Sana me, Domine, et sanabor.* Quod, etc., qui vivit et regnat, etc.

SERMO XXII.

De populo et terra Domini.

Legimus in cantico Moysi, quod scripsit de populo antiquo, de populo Israelitico, ipsum de eodem populo dixisse quod *eum Deus constituit super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel*

matris, saxum vero significat Christum in dextera Dei Patris. Petra Christus in mundo, saxum Christus in cœlo. Vis videre Christum petram parvam? vide eum in cunis latitantem, vel in sola Judæa prædicantem. Vis videre Christum saxum magnum? vide eum ad dexteram Patris sublimatum, ad terminos terræ per fidem in cordibus credentium dilatatum. Hic est lapis, de quo scriptum est : *Lapis abscissus de monte sine manu hominis factus est mons magnus, et implevit terram* (*Dan.* II). Vis videre Christum petram fragilem? vide vagientem, esurientem, sitientem, lassescentem, algentem, lacrymantem, flagellatum, mortificatum. Vis videre Christum saxum durissimum? Vide quod *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illa ultra non dominabitur; quod enim vivit, vivit Deo* (*Rom.* VI). Mel de petra significat gratiam redemptionis. Oleum autem de saxo durissimo gloriam beatitudinis. Sicut namque mel præ omnibus, quæ comeduntur palato dulcius sapit, sic gratia redemptionis præ omnibus, quæ in præsenti sæculo possunt homini in cordibus electorum dulcescit. Et quomodo oleum cunctos liquores excellit, sic gloria beatitudinis, quæ summum est bonum, bona cuncta superat et excedit. Debemus itaque, fratres, esse constituti super excelsam petram per eminentiam virtutum, comedere fructus agrorum lectionem Scripturarum, et per contemplationem creaturarum sugere mel de petra, suscipiendo gratiam redemptionis oleumque de saxo durissimo, sperando gloriam beatitudinis. Ad quam nos perducere dignetur qui vivit et regnat, etc.

SERMO XXIII.

Ad sacerdotes in synodo.

Ite angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, gentem expectantem et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus (*Isa.* XVIII). Ecce, fratres charissimi, divinum nobis officium injunctum : ecce cura, sollicitudo laborque sacerdotum. Ecce pium, sed periculosum onus illis impositum. Ite, angeli veloces. Admonet nos hoc in loco sermo propheticus, imo divinus, ne ministerium nobis divinitus injunctum contemnamus, ne sanctum onus dejiciamus, ne gentem ad imaginem et similitudinem Dei formatam, pretioso sanguine Christi redemptam, nobis commissam negligamus, ne per culpam temporalem ad æternam defluat damnationem, ne (quod absit!) non solum in illa fiat peccatum propter ipsius delicta propria, sed et in nobis fiat supra modum peccans peccatum propter delicta aliena. Reddituri namque sumus rationem non solum de nobis, sed etiam de animabus nobis commissis, nisi illis instanter annuntiaverimus verbum salutis. Audiamus igitur attentius quod nobis divinitus dicitur : *Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam.* Sacerdotes sunt angeli, sicut quodam loco Scriptura innuit dicens : *Labia sacerdotis custodiunt sapientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malac.* II). Ergo si sacerdotes Domini sumus, etiam ex ipso officio angeli, id est nuntii sumus, et populo ea quæ Dei sunt nuntiare debemus. *Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam.* Duobus modis probatur humana natura Deo inhærere, et in ipso radicem habere, secundum hoc videlicet quod facta est, ut alio loco jam diximus, ad imaginem Dei, in eo quod verum potest cognoscere ; et secundum hoc quod facta est ad similitudinem Dei in eo quod potest bonum diligere. His enim modis non solum humana, verum et angelica creatura Creatori conjuncta dignoscitur, dum et cognitione ejus sapientiam contemplatur, et dilectione beatitudine ejus jugiter fruitur. His duobus modis vitat malum, quia et per cognitionem veritatis, quam habet in divina sibi originaliter insita imagine, pellit errorem ; et per amorem virtutis, quam habet in divina similitudine, odit iniquitatem. Subintravit autem in naturam humanam per suggestionem diabolicam ignorantia, et evellit in homine radicem divinæ cognitionis, et venit concupiscentia, et eradicavit plantam dilectionis.

Gens itaque quælibet impia a divinis et cœlestibus bonis per culpam elongata, duobus præcedentibus bonis in bono primum plantata, duobus succedentibus malis deinceps recte monstratur et vocatur a bono convulsa. *Ite* ergo, *angeli veloces, ad gentem convulsam*, et non solum convulsam, sed et dilaceratam. Convulsam a bono, dilaceratam in malo. Humana namque natura postquam a bono vellitur, statim in malo dilaceratur multipliciter, dum diversis vitiis et peccatis ad damnationem pertrahuntur diversi : alii per superbiam, alii per invidiam, alii per iram, alii per acediam, alii per avaritiam, alii per gulam, alii per luxuriam, alii per usuram, alii per rapinam, alii per furtum, alii per falsum testimonium, alii per perjurium, alii per homicidium, alii videndo mulierem ad concupiscendum eam, alii dicendo fratri *fatue*, et per alia si qua sunt vitia sive peccata, intus vel foris, quæ propter præsens compendium nec volumus nec valemus dinumerare. *Ite* igitur, *angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam*, ut per vestram prædicationem in malo dilaceratam coadunetis, et a bono convulsam replantetis. *Ite, angeli*, ite *veloces*, ite *ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem post quem non est alius.* Quandiu, fratres charissimi, homo nobilitatem, elegantiam, ac pulchritudinem suæ conditionis per justitiam conservat, speciosus esse forma comprobatur. Quando vero decorem pulchritudinis in semetipso per culpam fœdat, statim deformis et horribilis invenitur, dissimilis Deo, etiam similis factus diabolo. Heu! quam turpis, quam terribilis est populus iste! Alii in populo isto sunt deformiter nigri per cogitationem immundam, alii cæci sunt per ignorantiam, alii carent naribus per indiscretionem, alii lingua vel labiis per noxiam taciturnitatem, in aliis retroversus est vultus per transacti criminis recordationem et delectationem, aliis solus remansit corporis truncus capite præciso per mentis alienationem, alii quoque carent brachiis perdito

et non facit, plagis vapulabit multis; servus autem nesciens eam vapulabit paucis (*Luc.* xii).

Igitur sicut Dominus civitatibus, in quibus plurimas virtutes fecerat, eo quod pœnitentiam non egissent, exprobravit dicens : *Væ tibi Corozain ! væ tibi Bethsaida ! quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis, Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii quam vobis. Et tu, Capharnaum, nunquid usque ad cœlum exaltaberis? Usque ad infernum descendes, quia si in Sidoniis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hunc diem. Verumtamen dico tibi quia terræ Sidoniorum remissius erit in die judicii quam tibi* (*Matth.* xi.). Sic et huic falsorum Christianorum populo per diversas impietates depravato, terribili facto, longo a divina similitudine quodammodo secundum suam nequitiam remoto, sic, inquam, ei potest exprobrari ut dicatur ei : Væ tibi, popule nequam, popule mendax, popule apostata, qui male vivendo Filium Dei conculcas, qui sanguinem testamenti pollutum ducis in quo sanctificatus es, et Spiritui gratiæ contumeliam facis! Melius enim erat *illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato* (*II Petr.* ii). Contigit enim eis et illud veri Proverbii : *Canis reversus ad suum vomitum, et sus loto in volutabro luti* (*ibid.*). Sed et quomodo populus iste seipso deterior vel terribilior esse possit, aut populo malo post nos futuro similiue videmus ? Nam et in ipsum pondus malorum, ore prophetico prolatum, videtur esse profusum quo dicitur : *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum! Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes! Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo* (*Isai.* v). Multa, fratres charissimi, sunt, quæ causa brevitatis prætermittimus, quæ de his omnibus adhuc dici possent. *Ite, angeli veloces, ad populum terribilem, post quem non est alius.* Sequitur *ad gentem exspectantem et conculcatam.* Quid exspectat? Vestrum verbum, vestrum exemplum, vestrum patrocinium, et divinum per vestram sollicitudinem et administrationem auxilium et donum. Vestrum exspectat verbum, ut erudiatur; vestrum exemplum, ut informetur; vestrum patrocinium, ut defendatur; divinum per vestram sollicitudinem et administrationem auxilium et donum, ut a malo liberetur et in bono justificetur. *Et conculcatam.* Quis conculcavit eam? Universi dæmones, qui jugiter animæ ejus dicunt : Incurvare ut transeamus per te. Pravi etenim, et qui cœlestia spernunt, et ad terrena se deflectunt, dæmonibus iter se conculcandi et pertranseundi tribuunt. Sequitur :

Cujus diripuerunt flumina terram ejus. Quæ sunt ista flumina terram male viventium diripientia? Ubi vitia cum impetu sunt fluentia, et malis ad tormenta trahentia. Quæ est terræ direptio, nisi virtutis cujuslibet dissipatio? Flumina ergo malorum terram diripiunt, cum vitia virtutes eorum auferunt. Aufert enim superbia humilitatem, ira pacem, invidia charitatem, acedia spiritualem exsultationem, avaritia largitatem, luxuria continentiam. *Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem exspectantem et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus.*

In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo divulso et dilacerato : a populo terribili post quem non fuit alius; a gente exspectante et conculcata, cujus diripuerunt flumina terram ejus. In illo, inquit, *tempore deferetur munus Domino* (*Isa.* xviii). In quo tempore? Cum videlicet ieritis ad populum istum ad quem mittimini, et illum a supradictis malis per vestram prædicationem curaveritis. Quod munus deferetur? Munus gratum, holocaustum medullatum, votum internum, et deferetur ad locum numinis Domini ad montem Sion, id est in sanctam Ecclesiam. Ite igitur, angeli veloces, et populo terribili prædicate, ministerium vestrum implete. Quod si feceritis, bonum gradum vobis acquiretis. Det vobis et nobis hujus rei gratiam, qui promittit gloriam Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIV.

In Nativitate Domini.

Domine, miserere nostri; te enim exspectavimus. Esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis (*Isa.* xxxiii). Deus fons et origo boni totius, sine cujus suffragio nec bonum possumus habere, nec malum valemus evadere, nec consequi justitiam vel gloriam, nec culpam vitare nec pœnam; ipse jugiter a nobis est exorandus, ipse jugiter reclamandus, ut ipsius suffragante gratia et a malo liberemur, et in bono confirmemur. Legimus in verbis Isaiæ prophetæ quod ipse Isaias pro populo Judaico, exigentibus peccatis, a Sennacherib intra muros Jerusalem obsesso oravit dicens : *Domine, miserere nostri; te enim exspectavimus; esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis.* Timebant enim Judæi, ut, illucescente mane, ipse Sennacherib urbem aggrederetur, et sic civitas caperetur. Populus Judaicus in Jerusalem constitutus electorum significat populum in divinæ pacis visione collocatum. Sennacherib et ejus exercitus, populo Dei dirus inimicus, diabolum designat, multitudinemque dæmonum ac pravorum hominum. Venit Sennacherib cum exercitu suo, et Judæos in Jerusalem consistentes expugnare conatur, dum diabolus cum multitudine malignorum spirituum, et perversorum hominum veros divini numinis confessores in divinæ pacis visione quiescentes per multas tentationes aggreditur, et eos per quamlibet culpam a securitate suæ quietis, et a statu rectitudinis subvertere molitur. Erant duo

muri in Jerusalem, murus superior sive interior, murus inferior vel exterior. Sic in spirituali conversatione fidelium duo sunt præcipua munimenta quasi duo muri, dilectio scilicet et actio: dilectio murus interior, actio murus exterior; sed nihil valet ad salutem murus exterior, nisi interior diligenter custodiatur. Quid namque prodest operis exhibitio, si desit cordis dilectio? Quid valet panem esurienti porrigere, potum sitienti dare, hospitem colligere, nudum operire, infirmum visitare, ad inclusum carcere ire, diversarum orationum verba fundere, laudibus divinis os aperire, missas celebrare, quælibet sacramenta Dei tractare et eis communicare, et quælibet hujusmodi facere, si negligas vel contemnas mandatum dilectionis observare? Sunt qui multa pauperibus erogant, multa sanctorum loca, sub obtentu redimendæ propriæ pravitatis et promerendæ beatæ retributionis, peregrinando visitant et alia bona multa faciunt, sed semetipsos nihilominus male vivendo sceleribus involvunt. Isti frustra sua pro Deo tribuunt, quandiu Deo semetipsos auferunt. Nam si tua das Deo, teipsum diabolo, non est æqua partitio. Deus hominem fecit et redemit et idem debet totum hominem possidere, et ab ipso fructum bonæ cogitationis, locutionis, et actionis colligere, et propterea non debes dare diabolo quod debes Deo.

Quilibet ergo pravi, sicut temporalia bona Christo in suis membris student dare, sic semetipsos Christo, Christum super omnia, et proximum sicut seipsos diligendo debent offerre; et sic civitas eorum, duplici muro munietur: muro interiori per dilectionem, exteriori per operationem. Si vero interiorem, id est dilectionem contingat deesse, exterior, id est operatio hostium impetum non valet sustinere. *Domine, miserere nostri.* Miseretur Deus hominis, quando hominem a malo liberat, et in bono confirmat; et sic a malo liberando, et in bono confirmando justificat. *Miserere* igitur, *Domine, nostri* per justificationem. Non enim possumus habere justitiam, nisi nobis illam dones per gratiam. *Te enim exspectavimus.* Qui in Deum sperat, Deum per spem exspectat. Qui enim minime sperat, minime exspectat; sed per miseram conscientiam divinam fugit præsentiam. Nec Deo quærit præsentari, dum ab eo timet condemnari. *Domine, miserere nostri* per justificationem, *te enim exspectavimus* per spem. *Esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis.* Unum sensum habet quod præmittit brachium, et quod subjunxit salus: et unum sensum habet quod dicit in mane, et quod addit in tempore tribulationis. *Esto, Domine, brachium nostrum, et salus nostra*, ut nos liberes a malo, et confirmes in bono. Si tu fueris brachium nostrum, si salus nostra, ab hostibus nos impugnantibus liberabimur, et in conversatione bona sicut illi antiqui in urbe Jerosolymitana salvabimur. *In mane, in tempore tribulationis.* Possumus tribus modis distinguere quod dicit *mane*, sive tempus tribulationis. Primum *mane* sive tempus tribulationis est post discessum noctis hodiernæ solemnitatis; secundum post horam mortis; tertium post cursum sæculi præsentis. Sed mane hodiernæ festivitatis, mane Dominici natalis quomodo dici potest tempus tribulationis, cum omnibus videatur esse tempus exsultationis? Sed si subtiliter perspiciatur, est quibusdam tempus tribulationis, quia tempus tentationis, dum diabolus per spectacula vanitatis; et superfluitatem comestionis et potationis et multiplicis dissolutionis multis tendit laqueos præcipitationis. Quanto igitur diabolus in diebus solemnibus instantius quærit occasionem, et facilius invenit tentandi facultatem, tanto quisque ad resistendum debet semetipsum præparare cautiorem et fortiorem, ne eum filii Dei congregati fuerint in unum, superveniens Satan aliquem eorum per culpam corrumpat, et filium damnationis faciat. Quemadmodum ergo diximus, quando est tempus festivitatis, tunc est tempus tentationis, et quandiu est tentationis tempus, tandiu est tempus tribulationis. *Esto* igitur *brachium nostrum, Domine, et salus nostra in* die *tribulationis*, ne diabolus civitatem sanctam per tentationem frangat, fideles tuos per iniquitates captos abducat. Secundum *mane* sive tempus tribulationis est post horam sive etiam in ipsa hora mortis. Quandiu homo vivit quodammodo in nocte est, quia non cognoscit multa, quæ post mortem cogniturus est. Sicut namque dicit Salomon: *Sunt justi, atque sapientes, et opera eorum in manu Dei sunt. Et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo et injusto, bono et malo, immolanti victimas, et sacrificia contemnenti. Sicut bonus sic et peccator, ut perjurus, ita et ille, qui verum dejerat* (*Eccle.* IX). Et item: *Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, sic homines capiuntur in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit* (*ibid.*). Et apostolus Paulus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est* (*I Cor.* IV).

Tegitur ergo homo, nocte magnæ ignorantiæ omnibus diebus vitæ suæ. In morte vero dies illi cognitionis oritur, quia recedente anima de corpore et præmium et meritum suum simul et clare contemplatur. In istius diei matutino multum est timendum homini spiritui, ne a crudeli Sennacherib impetatur, et pro peccatis suis ad terram ultimam, ad infernum videlicet abducatur. In morte namque solet diabolus miseram animam cum suis satellitibus circumdare, et undique coangustare, et si licentia sibi detur, ad istam terram prosternere. *Domine, esto brachium nostrum in hoc mane, salus nostra in tempore tantæ tribulationis.* Tertium *mane* sive tempus tribulationis est dies universalis resurrectionis. Quandiu namque genus humanum in præsenti sæculo demoratur, magna nocte ignorantiæ tegitur. Nondum enim scire potest quandiu mundus subsistat, vel quando finem accipiat; nondum novit qui sint salvandi, qui damnandi; nec videt præmia bonorum,

nec pœnas malorum ; nec concio sanctæ Ecclesiæ contemplatur per speciem quod credit per fidem ; nec adhuc videt rem ad quam tendit per spem ; sed in generali resurrectione recedente nocte præsentis ignorantiæ illucescet dies cognitionis perfectæ, quando, congregatis omnibus creaturis rationalibus, Deum videbit omnis oculus, quando Deus illuminabit abscondita cordis nostri. Tunc veniente Domino cum omnibus sanctis suis erit lux magna, quia *erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua colligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit* (*Isa.* XXX). *Vox diei illius reprobis amara, tribulabitur ibi fortis* (*Soph.* I). Dies iræ damnandis erit dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris. In die illa interficiet et disperdet de civitate sancta David, Rex noster, Salvator noster omnes peccatores terræ, quando videlicet dicet eis : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Ab hac auditione mala, qua usque ad illam horam nulla unquam impiis pejor fuit, nec deinceps erit, ab hac, inquam, justi non timebunt quibus dicetur : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*ibid.*). In die illa Salvator noster, cujus nomen terribile est impiis, sanctum sanctis, misericordiam et judicium cantabit (*Psal.* C), misericordiam bonos salvando, judicium malos condemnando. Et honor regis, quo bonos salvabit, judicium diligit (*Psal.* XCVIII), quo malos condemnabit, et dum quæ Deus uno et æterno verbo locutus est semel complebuntur (*Psal.* LXI), quia potestas Dei erit ad reprobos puniendos, et tibi, Domine, misericordia (*ibid.*), ad justos glorificandos, quia tu reddes unicuique juxta opera sua (*Rom.* II). Tunc enim *tradiderit* Filius *regnum Patri* finis erit, id est consummatio omnium (*I Cor.* XV), *cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem* (*ibid.*), ut amplius non dominetur spiritus spiritui, angelus angelo, vel homo homini. *Esto, Domine, brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis.* In primo *mane*, id est in die solemnitatis hodiernæ nos libera a diabolica tentatione ; in secundo, id est in hora mortis, nos libera a diabolica infestatione ; in tertio, id est in die resurrectionis, nos libera a perpetua damnatione. *Esto* ubique *brachium nostrum, salus nostra*, ut nos a malo liberes, et in bono salves, et largiendo nobis gloriam, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II), quam præparasti diligentibus te, in qua vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXV.

In festivitate cujuslibet sancti, et præcipue Augustini.

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor (*Psal.* L). David rex et propheta tribus gravibus maculatus peccatis : adulterio, quando peccavit cum Bersabee ; traditione, quando Uriæ dedit litteras mortis suæ ; homicidio, quando Joab, prædictum Uriam secundum præceptum regis in loco ubi bellum erat fortissimum posuit, et ipse Urias percussus occubuit. Ipse, inquam, David postquam se peccasse intellexit, psalmum pœnitentialem in quo versiculus iste continetur composuit, et in ipso de transgressione se a Deo mundari suppliciter supplicavit : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor.* Herba hyssopus, de qua in testamento veteri aspersorium componebatur, quo res quælibet mundanda aspergebatur et mundabatur, quot in se habet proprietates, tot spiritualium rerum præ se fert significationes. Aliquot igitur ejus proprietates decrevimus secundum ordinem disponere, et sic mysticas earum significationes exponere. Scimus hyssopum in occulto terræ radicem figere, foras de terra exire, sursum crescere, ramos multiplicare, folia producere, virescere, calidum natura, parvum, et purgativum esse, grana seminis, et hyacinthini coloris flosculos, et ex ipsis flosculis redolentiam habere. Hæc omnia spiritualiter justo isti sancto, videlicet Augustino, cujus hodierna die solemnia celebramus conveniunt. Radix, quæ principium est rei crescentis, fidem significat cordis, quæ est origo cujuslibet virtutis, vel boni operis ex ipsa nascentis. Egressio germinis confessionem significat oris. Sic radix significat fidem cordis, exitus germinis confessionem oris. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). Quod vero hyssopus crescit sursum, figurat spem supernorum bonorum, per quam superna sapimus bona, et quærimus, et ad ea per desiderium properamus. Multiplicatio ramusculorum multiplicationem exprimit virtutum ex una fide quasi ex una radice prodeuntium. Folia quæ foris ipsam rem de qua crescunt vestiunt, bona opera designant, quæ justum extrinsecus honeste et decenter tegunt. Viror hyssopi perpetuam significat in justo justitiæ conservationem, sive cœlestis æternitatis amorem. Naturalis hyssopi calor dilectionem Dei et proximi, qua justus Deum super omnia et proximum sicut semetipsum diligit, figurat. Quasi quodam namque calore calet, dum utrsque fervet dilectione. Parvitas hyssopi humilitatem exprimit justi. Justus etenim humilitatem imitatur hyssopi, dum altiora se quærere non præsumit, sed humilibus consentit. Purgativam habet virtutem per prædicationem. Sicut enim hyssopus ipso otentium purgat pectora, sic prædicator adjuvante manu summi Medici audientium se mundificat corda. Habet etiam grana per sanæ doctrinæ verba, quæ in cordibus audientium seminata producunt, cooperante gratia germen justitiæ, et reddunt fructum gloriæ. Habet flosculos hyacintini coloris, dum exercet virtutes, et exhibet opera conversationis cœlestis vitæ. Spargit odorem, dum per bonam famam bonus odor est Christi in omni loco. Habet itaque justus noster, patronus noster, cujus hodie solemnia celebramus, admodum hyssopi radicem per fidem,

rabili et glorificata. Sed et si legem aliquando prævaricemur, constituti sunt per Ecclesias rectores et doctores, qui de malo nos castigent, et in bono reforment. Venit et ipse filius frequenter ad nos, ut ad suum ovile, si in aliquo deviamus reducat, et ibi sua protectione custodiat. Ecce quomodo consonant exemplaria veritatis. Ecce qualia bona illis Deus contulit, qualia nobis, illis magna, nobis majora.

Sed quid dicit de illis Scriptura divina? Multis modis enarrat prævaricationes eorum in Ægypto, in deserto, in terra promissionis, duritiam cordis eorum, et incredulitatem, contentiones et murmurationes eorum contra Dominum, et Moysen servum ejus, et alios multos qui post eum populum illum docuerunt. *Cum enim persequeretur eos Pharao, levaverunt filii Israel oculos suos, et viderunt Ægyptios post se, et dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos ut moreremur in solitudine. Quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto? Nonne iste est sermo quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes: Recede a nobis, ut serviamus Ægyptiis: Multo enim melius est servire eis quam mori in solitudine* (*Exod.* XIV). In deserto quoque Sin murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et Aaron, et dixerunt: *Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate. Cur induxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?* (*Exod.* XVI.) In Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum, jurgatus populus contra Moysen ait: *Da nobis aquam ut bibamus. Cur exire nos fecisti de Ægypto, ut occideres et nos, et liberos nostros, ac jumenta siti?* (*Exod.* XVII.) *In Horeb fecerunt vitulum, et adoraverunt sculptile, et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum; obliti sunt Deum qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro* (*Exod.* XXXII; *Psal.* CV). Postquam autem *profecti sunt de deserto Sinai, ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore contra Dominum. Vulgus quippe promiscuum, quod descenderat cum eis, flagravit desiderio carnium, sedensque ac flens, junctis sibi filiis Israel ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis. In mentem nobis veniunt cucumeres et pepones, porri quoque, et cæpæ, et allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man* (*Num.* XI).

Sed et decem exploratores ex illis duodecim, quos direxit Moyses ad explorandam terram promissionis, detraxerunt terræ apud filios Israel quam inspexerant, dicentes: *Terra quam lustravimus devorat habitatores suos. Populus quem aspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur. Fleverunt igitur filii Israel, et murmurati sunt contra Moysen et Aaron, dicentes: Utinam mortui essemus in Ægypto, et non in hac vasta solitudine! Utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, et uxores ac liberi nostri ducantur captivi. Nonne melius est reverti in Ægyptum? Constituamus nobis ducem et revertamur in Ægyptum* (*Num.* XIII, XIV). Core quoque, et concilium ejus irritaverunt Moysen in castris Aaron sanctum (*Num.* XVI). *Ad aquas contradictionis vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus* (*Psal.* CV). *In Setim fornicatus est populus cum filiabus Moab, et initiatus est Israel Beelphegor* (*Num.* XXV). Denique terram bonam ingressi contaminaverunt eam in idolis suis, et in cunctis abominationibus suis. *Incrassatus est enim dilectus, et recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo. Provocaverunt eum in diis alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt. Immolaverunt dæmoniis et non Deo; diis, quos ignorabant. Novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Dederunt Deo scapulam recedentes, et transgressi sunt leges ejus pessime (*Zach.* VII). Fornicata est super me Oolla, id est Samaria, et insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes, vestitos hyacintho. Principes et magistratos, juvenes cupidinis; et in immunditiis eorum polluta est. Quod cum vidisset soror ejus Oliba, quæ est Jerusalem, insanivit et ipsa in amatores suos, et denudavit fornicationem suam in tantum ut plus esset impia quam gentes (*Ezech.* XXIII). *Omnes itaque declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII), excepto semine sancto, quod perstitit in gente illa, quod non est excussum, quia benedictio Domini erat. Cumque mitteret Dominus servos suos prophetas, ut fructus istius vineæ acciperent, *agricolæ, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter. Novissime autem misit ad eos Filium suum dicens: Verebuntur Filium meum. Agricolæ autem videntes Filium dixerunt intra se: Hic est hæres. Venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt* (*Matth.* XXI). Et quomodo contra supradicta beneficia reddidit mala generatio prava et perversa, populus stultus et insipiens, videamus, fratres, et caveamus ne præcepta Salvatoris transgrediendo illis configuremur, assimilemur, conformemur. Sunt multi vocati in sancta Ecclesia, pauci electi; multi sunt, qui exemplum illorum male vivendo sequuntur, ambulantes in comessationibus et ebrietatibus, in cubilibus et impudicitiis, in contentione et æmulatione, *configurantur se*, sicut ait beatus Petrus apostolus, *prioribus ignorantiæ suæ desideriis* (*I Petr.* I), *qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes* (*II Petr.* II). Sed *væ illis*, ut ait Judas apostolus, *qui in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione*

Core perierunt. Hi sunt in epulis suis mane convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum reservata est in æternum (*Jud.* 11-13). *Isti sunt*, secundum beatum Petrum apostolum, *existimantes voluptatem diei delicias coinquinationis et maculæ, deliciis affluentes, in conviviis luxuriantes, oculos plenos habentes adulterio et incessabili delicto, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii* (*II Petr.* II). De quibus Paulus terribiliter intonat dicens: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque venturi sæculi, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes* (*Hebr.* VI). Per perpetrationem etenim culpæ amittunt donum gratiæ, et tales se faciunt, ut rursus quantum ad illos, non quantum ad misericordiam divinam atque potentiam, ut inquam illis necessarium videatur, rursus Filium Dei pro redemptione ipsorum crucifigi, et ostentui haberi. *Voluntarie enim nobis peccantibus post acceptam notitiæ veritatem jam non relinquitur pro peccatis hostia. Terribilis namque est quædam exspectatio judicii et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios* (*Hebr.* X). Non relinquitur, ait, hostia pro peccatis voluntarie nobis peccantibus post acceptam notitiam veritatis. Una est enim vera, et perfecta, et sola hostia, caro Christi semel in passione oblata pro peccato generis humani; quæ amplius pro nullius peccato crucifigetur, aut patietur, quia *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur* (*Rom.* VI).

Quicunque igitur criminaliter aut damnabiliter peccant post acceptam gratiam baptismatis, pretium amittunt humanæ redemptionis, nec habent quid offerant pro peccato redemptionis jam factæ, nec amplius faciendæ pretio amisso. Sicut nec genus humanum habuisset post peccatum parentis primi originale hostiam, quam pro ipso peccato originali vel pro suo actuali obtulisset, nisi illi Pater summæ pietatis dilecti Filii sui assumptam humanitatem ab omni peccati macula per divinam potentiam mundificata ad offerendum gratis dedisset. Quæ videlicet humanitas Christi in cruce semel oblata omnes tam præcedentes quam sequentes ad vitam æternam prædestinatos effusione sui sanguinis culpa lavit, et æterno Patri, Adæ debitum solvens, reconciliavit. Una est ergo redemptionis hostia, qua amissa non relinquitur nobis altera. Sed quamvis ista tam gravia et terribilia sunt peccantibus, *non est tamen impossibile apud Deum omne verbum* (*Luc.* I). Potest etenim misereri, et miseretur labentis, et ad eum pœnitendo revertentibus in hoc etiam tempore post amissam baptismi gratiam remittit culpam. Sed licet peccantibus pœnitentibus nunquam longinqua sit divina miseratio; omnibus tamen formidanda est post acceptam gratiam culpa, quia terribilis imminet sententia contemptoribus gratiæ, sicut ex ejusdem verbis Apostoli intelligi potest. Ait enim: *Irritam quis faciens legem Moysi sine miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quanto magis deteriora putatis mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* (*Hebr.* X.) *Si sermo Veteris Testamenti, qui per angelos dictus est, factus est firmus, et omnis prævaricatio accepit justam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?* (*Hebr.* II.) Non igitur nos configuremus illis in prævaricatione, ne similes illis efficiamur in damnatione, sicut quidam in hoc tempore pravitatem illorum imitantes, et correptionem Scripturarum contemnentes, tot et tantis sceleribus se involvunt, ut merito de ipsis dici possit, quod ipsi sint in quos non solum devenerunt fines sæculorum, sed etiam vitiorum, non quod post eos non erunt vitia, sed quod minime valeat unquam gravius aut deterius ebullire vitiositas humana. Nec intelligunt quam districte, quam diligenter servanda sit sanctimonia, cum scriptum sit quod etiam *in cogitatione impii erit interrogatio, nec sit allata pax in nativitate Salvatoris, nisi hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Non solum enim in conspectu Dei purificandus est rivulus operis vel sermonis, sed et fons intimæ cogitationis. Si autem neglexerimus secundum ea quæ propter nostri scripta sunt correptionem corrigi, timeamus cum illis antiquis contemptoribus condemnari. Scitis, fratres, multiplices pœnas illis propter iniquitatem eorum fuisse illatas. Alii gladiis sunt occisi, alii cœlesti igne combusti, alii terra glutiente absorpti, alii morsibus serpentum necati, alii Domino aliis modis percutiente mortui. In terra promissionis præcepta Dei transgredientes a gentibus sæpe sunt servituti subjecti. Denique de terra sua penitus evulsi, dispersi sunt per multas regiones, et continuæ servituti subditi, et (quod omnibus gravius est) a fide Salvatoris exclusi et perpetuæ damnationi deputati sunt. Non igitur efficiamur similes in culpa, ne simul cum illis cruciemur in pœna. Timeamus Dominum Deum nostrum, qui eduxit nos de Ægypto infidelitatis, et dedit nobis jucunditatem æternæ dulcedinis, et dedit nobis domos per bonam conservationem, hortos, vineta, oliveta per virtutum et bonorum operum fructificationem, et satiat nos per spiritalis gratiæ refectionem. Ipsi soli serviamus, ut per ipsius gratiam mereamur gloriam, in qua vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXVII.

In festivitate Paschali, et corporis Christi.

Isti sunt dies quos observare debetis. Quarta decima die ad vesperam Pascha Domini est, et in quinta decima solemnitatem celebrabitis Altissimo Domino (*Levit.* XXIII). Divina providentia, genus humanum ad amissam beatitudinem revocare dispo-

nens, multiplices sacræ legis institutiones proposuit hominibus Veteris Testamenti, quibus venturæ sacramenta redemptionis commisit; et qualiter quæque observare deberent patenter edocuit. Unde inter cætera sacramenta legalia quando Paschalem solemnitatem celebrarent, quæ speciale et præcipuum, quia redemptionis humanæ sacramentum erat, ostendit dicens: *Quarta decima die ad vesperam Pascha Domini est.* Nos igitur, fratres, quibus jam non sunt tenenda carnalia legis scripta, sed ea, quæ per illa sunt significata, nos, inquam, debemus altius fodere, et latentis boni fontem quærere, sub umbra veritatem, sub figura rem, sub duritia corticis medullæ teneritudinem, sub littera intelligentiam spiritualem, sub tegmine paleæ internum grani refectionem diligenter investigare. In agro namque legis divinæ thesaurus sapientiæ latet occultus, quem qui invenit, invenit vitam, et haurit salutem a Domino. *Quarta decima die ad vesperam Pascha Domini est.* Magnum et evidens sacramentum habet numerus iste, qui ex denario et quaternario constat. Denarius namque significat completionem et finem legis, quaternarius exhibitionem et perfectionem evangelicæ prædicationis. Lex etenim decem præceptis comprehenditur. Et Evangelium quatuor libris continetur. Christus itaque veniens in carne, qui est finis legis, denarium legis complevit, et per assumptam humanitatem lucem evangelicæ doctrinæ declarans quasi quatuor dies consummavit. Et in consummatione prædicationis quatuor Evangeliorum, quasi in fine vel in vespera quatuor dierum, ipsemet Christus Phase celebravit, quia per nostræ fragilitatis naturam pro nobis in cruce moriens de mundo ad Patrem transitum fecit.

Debemus, charissimi, hoc Phase, id est hunc transitum Domini, in quo Ægyptios, videlicet dæmones tenebrosos subegit, et nos de potestate eorum liberavit, hunc, inquam, debemus semper cogitare, et ea, quæ in Veteri Testamento secundum litteram de hac solemnitate scripta sunt, in Novo spiritualiter observare. Debemus carnes agni comedere, caput ejus cum pedibus in intestinis vorare (*Exod.* XII). Fit autem ibi mentio non solum agni, sed et hædi. Christus agnus est, Christus hædus; agnus justis, hædus peccatoribus, caput divinitas, pedes humanitas. Caput ejus voramus, quando cum sana fide et summa devotione cogitamus ejus divinitatem. Pedes voramus, quando eum eadem fide et devotione cogitamus ejus humanitatem. Caput ejus voramus, quando cogitamus ejus immensitatem sine dimensione, æternitatem sine tempore, simplicitatem sine diminutione. Caput voramus, quando eum cogitamus veraciter in omni essentia, in omni loco, in omni tempore: sed in omni essentia sine sui definitione; in omni loco sine comprehensione; in omni tempore sine mutabilitate. Caput voramus, quando cogitamus quod non potest loco mutari qui ubique est, nec tempore qui æternus est, nec sensu qui sapientissimus est, nec affectu qui optimus est, nec augeri qui immensus est, nec minui qui simplex est, nec dividi qui unus est. Caput voramus, quando cogitamus ejus potentiam, sapientiam ac bonitatem. Potentiam, qua cuncta creat; sapientiam, qua cuncta gubernat; bonitatem, qua creata et gubernata conservat. Caput voramus, quando cogitamus eum supra omnia, subter omnia, extra omnia, intra omnia. Supra non elatum, subter non substratum, extra non exclusum, intra non inclusum. Supra præsidendo, subter sustentando, extra continendo, intra penetrando. Caput voramus, quando de ubertate domus Dei inebriati, et de torrente voluptatis ejus potati, cogitamus eum fontem vitæ esse, a quo bona cuncta procedunt, et lumen verum, in lumine et de lumine vero, non tamen duo luminaria, sed unum lumen. Caput voramus, quando beatorum angelorum concentum, et sanctorum per primam stolam jam glorificatorum laudes summæ divinitati libatas cogitamus, et cœlestia bona, inquantum divina largiente bonitate possibile est, prægustamus. Pedes voramus, quando humanitatem ejus cogitamus. Pedes voramus, quando cogitamus Filium Dei pro nobis incarnatum, pannis involutum, in cunis vagientem, ubera lactentem, esurientem, sitientem, lassescentem, lacrymantem, captum, ligatum, colaphizatum, crucifixum, mortuum, sepultum, resurrexisse a mortuis, ascendisse in cœlum, sedere ad dexteram Patris, in die judicii venturum, et redditurum unicuique secundum opera sua. Intestina ejus voramus, quando ipsius occulta et profunda sacramenta fideliter et devote cogitamus, quibus videlicet sacramentis ipse Christus est ab initio præsignatus, sicut multis oraculis est prophetatus. Istius agni carnis nocte comedimus, quia modo in sacramento Dominicum corpus accipimus, quando adhuc invicem conscientias nostras non videmus. Sed non comedamus quidquam ex eo crudum, nec credamus esse hominem purum; sed coquamus eum per divinitatis intelligentiam, non tamen aqua, ne præsumamus ejus mysteria discutere per humanam sapientiam, sed assum per Spiritus sancti gratism. Si quid residui fuerit, quod vestram excedat intelligentiam, debet igni comburi, id est Spiritui sancto fideliter committi. Accingamus renes nostros per castitatem. Habeamus calceamenta in pedibus per defunctorum Patrum imitationem, baculos in manibus per vigilantiam pastoralem. Comedamus panes azymos per simplicem doctrinam, lactucas agrestes per amaram pœnitentiam. Comedamus festinanter ut mandata Dei, mysteria redemptionis, gaudia patriæ cœlestis cum festinatione engnoscamus, et præcepta vitæ impleamus, quia et si hodie quod licet nobis bene agere scimus, utrum cras liceat ignoramus. Festinanter ergo comedamus, id est ad solemnitatem patriæ cœlestis anhelemus. Nemo in hujus vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat.

Hæc de spirituali intelligentia breviter perstrinximus, ut de tanto sacramento, quantum possumus, colligamus. Comedamus, fratres, Phase, et nun so-

lum comedamus, sed et faciamus. Faciamus Phase, faciamus transitum. Transeamus de tenebris ad lucem, de mendacio ad veritatem, de vitio ad virtutem. Transeamus, in quantum possumus, de superbia ad humilitatem, de invidia ad charitatem, de ira ad tranquillitatem, de accidia ad exsultationem, de avaritia ad largitatem, de ebrietate ad sobrietatem, de luxuria ad castitatem. Transeamus de malo ad bonum, de mundo ad Deum, ut moriamur mundo, vivamus Deo. Imitemur servi Dominum, discipuli Magistrum, ut sicut Christus de mundo ad Patrem transivit, ita et nos de impietate transeamus ad pietatem. Et in quinta decima die solemnitatem celebrabitis altissimo Domino. Quinta decima dies totum tempus gratiæ, quod ab ascensione Domini Jesu Christi et missione Spiritus sancti protenditur, designat, in qua solemnitatem Domino celebramus, quia per gratiam ipsius debemus quinarium sensuum nostrorum per culpam corruptum, ad integritatem revocare, et denarium legis bene vivendo complere. Quindecim etiam per septem et octo dividuntur, quia nos debemus in hac solemnitate gratiæ taliter vivere, ut per septiformem gratiam Spiritus sancti mereamur adipisci octo beatitudines cœli. Isti sunt dies, dies videlicet humanæ redemptionis, dies gratiæ divinæ, quos observare debemus cessando ab opere servili, id est ab opere peccati, et non solum ab opere peccati, sed etiam a voluntate peccandi. Voluntas enim pro facto computatur. Quicunque autem dies istos voluerit observare (velle autem debemus omnes) semetipsum a malo studeat conservare, quia intantum quisque dies istos solemniter observat, inquantum a malo semetipsum conservat. Et tanto festiviores laudes divinitati immolat, quanto jucunditatem gratiæ defæcata mente tranquillius degustat.

Est et alius transitus in morte justi, quando anima, de ergastulo et vinculis carnis egrediens, liberata de tentationibus sæculi, transit ad gloriam libertatis filiorum Dei. Felix ille transitus, quo justus post actionem bonam recipit stolam primam; et evadens miseriam intrat gloriam; et post laborem invenit requiem. *Beati* namque *mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam, dicit Spiritus*, id est Deus, *ut requiescant a laboribus suis* (*Apoc.* XIV). Hoc etenim legis donario et Evangelii quaternario quasi quatuordecim dierum numero completo agunt ibi quintam decimam diem solemnem cum angelis curam Altissimo Domino. Ibi gaudentes cum beatis spiritibus in gaudio solemnitatis illius glorificationem suorum corporum feliciter exspectant. Ibi habitantes in excelso vident Regem in decore suo. Est et aliud Pascha sive transitus, quando in die judicii in resurrectione generali sancta universalis Ecclesia de ærumna mundi transibit ad beatitudinem cœli, de mutabilitate temporis ad statum æternitatis. In hoc transitu induet hoc corruptibile incorruptionem, et mortale hoc induet immortalitatem, et absorbebitur mors in victoriam, et auferetur mors et stimulus mortis (*I Cor.* XV). *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis* sanctorum suorum, *et non erit* amplius *neque luctus, neque clamor*, sed nec *ullus dolor*, quoniam *priora transierunt* (*Apoc.* XXI). Igitur quinque differentiis distinguere possumus Pascha, sive Phase, sive transitum dicamus. Primum fuit in percussione Ægypti, secundum in passione Domini, tertium in justificatione impii, quartum in morte justi, quintum in assumptione et glorificatione totius Ecclesiæ, quæ est corpus Christi mysticum. In primo liberati sunt filii Israel de servitute Pharaonis, in secundo liberati sunt electi de jugo diabolicæ potestatis, in tertio liberatur justificandus de dominio iniquitatis, in quarto liberatur justus de vinculo carnis, in quinto liberabitur sancta Ecclesia in omnibus filiis suis de corruptione mortalitatis. Tunc sancta mater Ecclesia prius in hoc sæculo lege per opera justitiæ consummata et Evangelio perfecto, veluti quatuordecim dierum circulo decurso, in quinta decima æternitatis celebrabit solemnitatem Altissimo Domino. Ibi enim sine termino Dei vacabit laudibus, et erit ei Deus omnia in omnibus. Nos autem, fratres, celebremus interim et observemus dies istos, dies redemptionis humanæ, dies gratiæ divinæ, secundum ea, quæ supradicta sunt, ut per præsens meritum veniamus ad futurum præmium, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXVIII.

In festo Omnium Sanctorum.

Videns Jesus turbas, ascendit in montem, etc. (*Matth.* V). Quod Dominus octonarium, per quam ad octo beatitudines pervenitur, discipulos docturus in montem ascendit, hoc nobis insinuat, quod qui sacræ doctrinæ verbum dispensat, non in valle pravi operis, non in campo effrenatæ dissolutionis consistere debeat, sed montem spiritualis conversationis per exercitia virtutum, et exhibitionem operum bonorum ascendat. Sicut etiam scriptum est: *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion* (*Isa.* XL). Ascensio ergo in montem, sublimem designat conversationem, sessio Domini auctoritatem magisterii, apertio oris effectum prædicationis. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Alii sunt spiritu divites, alii quodammodo de spiritu nihil habentes, alii spiritu pauperes. Spiritu divites sunt superbientes, de spiritu nihil habentes, nimis pusillanimes. Spiritu pauperes humiles. Superbientes faciunt non facienda per elationem, pusillanimes facienda prætermittunt, et humiles facienda faciunt per humilitatem. Paupertas itaque spiritus nihil habens defectionis, nihil superfluitatis per viam regiam ducit ad beatitudinem supernam. *Beati mites.* Mites sunt lenes et patientes, qui neminem lædunt, et improbis cedunt. Sunt autem quidam, qui ita volunt esse mites, ut nihil curent de vita aliena, neminem de bono admoneant, neminem de malo corripiant. Sed talis lenitas non est multum lau-

danda, quia patitur defectum, ubi deberet exercere virtutis effectum. Tales igitur debent esse mites, ut neminem lædant, mala illata patienter sustineant, et non solum suam, sed nec alienam negligant vitam, ut, si opus fuerit, et bonis ad meliora exhibeant exhortationem, et malis de malo correptionem. Est etenim modus in rebus, quia sicut homo non debet esse nimiæ asperitatis, sic nec debet esse nimiæ lenitatis, ut inter dexteram et sinistram per discretam mansuetudinem ad beatitudinis perveniat terram. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Luctus solet esse pro amissione charorum, sicut quando aliquis amittit charos suos, patrem, matrem, filium, aut aliquem propinquum. Heu! quam multi lugent charos suos, qui nequaquam lugent semetipsos! Quam multi lugent damna corporalia, qui lugere contemnunt damna spiritualia? Quando aliquis infirmatur aut moritur, lugent amici. Quando autem peccat damnabiliter, quando fornicatur, quando dicit fratri *fatue*, quando videt mulierem ad concupiscendum eam, nemo luget. O sanitas insana! o visio cæca! o vita mortua! De his quæ non lugenda sunt lugent, et quæ parum lugenda graviter lugent; et graviter lugenda spiritualia, scilicet damna, non lugent, vel etiam de ipsis rident. De istis, inquam, prophetavit Isaias dicens: *Væ qui dicitis bonum malum et malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amaram* (*Isa.* v).

Lugeamus, fratres, amissionem charorum, sed plus lugeamus amissionem bonorum operum, amissionem virtutum. Lugeat corruptus amissionem virginalis integritatis. Lugeat superbus amissionem humilitatis. Lugeat iracundus amissionem internæ tranquillitatis. Lugeat avarus amissionem largitatis. Lugeat ebriosus amissionem sobrietatis. Lugeat acediosus amissionem spiritualis exsultationis. Lugeat invidus amissionem charitatis. Beati, namque qui lugent modo per pœnitentiam, quia consolabuntur per indulgentiam, deinde per justitiam, postremo autem per gloriam. Possumus autem dicere tria esse genera spiritualiter et fructuose coram oculis Creatoris lugentium. Alii namque lugent pro indulgentia culpæ, alii lugent ex suavitate gratiæ divinitus sibi collatæ, alii ampliori fervore accensi lugent ex desiderio futuræ gloriæ. Et in his omnibus beati qui lugent, quia *qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent* (*Psal.* CXXV). *Absterget enim Deus omnem lacrymam ab oculis* sanctorum suorum, *et non erit* amplius *neque luctus, neque clamor,* sed nec *ullus dolor,* quoniam *priora transierunt* (*Apoc.* XXI).

Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Omnes homines esuriunt et sitiunt, sed alii esuriunt et sitiunt malum, alii esuriunt et sitiunt bonum. Alii etenim esuriunt et sitiunt aurum, argentum, vestes pretiosas, prædia, terras, vineas, domos, equos, et possessiones innumeras. Ista tamen omnia bona sunt in se; sed in hoc quodammodo mala esse dicuntur, quod a malis male esuriuntur et sitiuntur. Sic et Dominus iniquum dixit mammona, id est divitias, non quod res divitiarum essent iniquæ, sed per iniquitatem acquisitæ. Alii esuriunt et sitiunt potestates et honores, alii voluptates, alii salutationes in foro, primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et vocari ab hominibus Rabbi. Sed tales non possunt fieri beati, quia non possunt saturari. Totus enim mundus nequaquam homini sufficeret, qui est dominus mundi. Non enim impletur oculus visu, nec auris impletur auditu, nec in cæteris sensibus potest homo saturari ex eorum delectationibus. Quod rex David bene consideravit, qui quamvis haberet ad comedendum et bibendum non solum ad necessitatem, sed etiam si vellet ad superfluitatem, tamen dixit: *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI). Esuriamus et sitiamus non transitoria, non terrena, sed justitiam, quia per esuriem et sitim justitiæ perveniemus ad satietatem æternæ gloriæ. *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Si ergo vis misericordiam accipere, misericordiam exhibe: *Dimittite*, inquit, *et dimittemini. Secundum enim mensuram qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

Beati quoque *misericordes*, qui aliis in miseriis suis assistunt, et eos secundum possibilitatem suam protegunt et defendunt. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Mundo corde sunt illi, qui nec pulvere inutilis cogitationis, nec luto fedantur pravæ delectationis. Mundo corde sunt, quos non tegit nebula terræ ignorantiæ, nec corrumpit ardor concupiscentiæ. Mundemus igitur corda nostra ab omni ignorantia per inquisitionem veritatis, et ab omni perversa concupiscentia per amorem virtutis, ut mereamur Deum videre in gloria regni cœlestis. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Pacifici sunt, qui in semetipsis pacem facere et custodire volunt, qui vitia adversantia subigunt, virtutes erigunt, et quidquid in se perversæ cogitationis, locutionis, operisve deprehenderint, prudenter et potenter expellunt, nec aliquid perturbationis in regno suæ dominationis esse permittunt; et si quid eis adversitatis contigerit, pacem tamen suam servant, et cuncta cum cordis sui tranquillitate judicant. Pacifici qui non tantum in se pacem custodiunt, verum etiam alios discordantes ad unitatem pacis reducunt. Pacifici sunt, qui dum eis a malis mala inferuntur, mala minime retribuunt, sed cum his qui oderunt pacem, pacifici sunt (*Psal.* CXIX). *Isti filii Dei vocabuntur*, quia Deus summa pax est, et omnia cum tranquillitate judicat, filii Dei, fratres Christi. Isti filii per gratiam, Christus Filius per naturam. Hæredes Dei, cohæredes autem Christi.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Multi patiuntur persecutionem, sed alii patiuntur propter culpam, alii patiuntur propter justitiam et innocentiam. Sed dicet aliquis: Nemo potest modo per persecutionem attingere ad beatitudinem, quia nunc in pace consistunt omnia, et sancta Ecclesia fere de nulla

parte patitur adversa. Et ego dico quod ubique persecutiones sunt, quia quotidie in penetralibus sanctæ Ecclesiæ persequitur Cain Abel, Ismael Isaac, Esau Jacob, id est impius justum; et si quis persecutionem non patitur ab extraneis, patitur tamen a falsis fratribus. *Omnes enim, qui pie volunt in Christo vivere, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III). Quia igitur non cessant persecutiones, patientia nobis necessaria est, ut reportemus repromissiones (*Hebr.* X). Væ autem iis qui perdunt patientiam, quia perdunt et patientiæ coronam. Non ergo murmuremus si in paucis vexemur, quia in multis bene disponemur (*Sap.* III). Igitur per paupertatem spiritus pertingitur ad regnum cœlorum, per mansuetudinem sive lenitatem ad terram viventium, per luctum ad veram consolationem, per justitiæ sitim et esuriem ad supernæ jucunditatis satietatem, per misericordiam temporaliter factam ad misericordiam æternam, per cordis munditiam ad Dei visionem, per pacem ad Dei filiationem, per præsentem persecutionem ad æternam cœlestis regni tranquillitatem et requiem.

Beati namque *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint*, etc. Superius locutus est omnibus electis, modo apostropham facit ad apostolos, quamvis et hæc et aliis electis conveniant, ostendens apostolis in his verbis quanta pro ejus nomine passuri essent. O quam pauci sunt, qui his verbis Domini oculos cordis intendant, et per eorum admonitionem beatitudinem quærant. Quam multi sunt, qui, pro parva verborum injuria, reddunt si possunt verbera, et si id perficere non valent quod conantur, hoc tamen et majora conantur. Quam bene apostoli sancti verba ista suis cordibus impresserunt, qui *ibant a conspectu consilii gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V). Notandum autem quod ait *mentientes* et *propter me*. Si enim homines quando nobis maledicunt, juste nobis maledicunt, jam non habemus meritum. *Gaudete et exsultate*. In multis decipimur, fratres. Quando nobis arrident sæcularia, quando vulgus vanis laudibus nos attollit, gaudemus et exsultamus cum magis dolere magisque flere deberemus, quia magis periculum habent prospera quam adversa, laudes quam vituperationes. Sed audiamus quod apostolis salubre gaudium, quæ salubris exsultatio demonstretur, cum eis in contumeliis et persecutionibus gaudendum esse et exsultandum denuntiatur. Subjunxit autem causam dicens: Merces enim vestra multa est in cœlo. Merces ista, fratres, multa est, magna est, pretiosa est, diuturna est: Tam multa est, quod non potest numerari; tam magna est, quod non potest comprehendi; tam pretiosa est, quod non potest æstimari; tam diuturna, quod non potest finiri, Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXIX.

De homine a legione possesso.

Exeunti Jesu de navi occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis, etc. (*Marc.* V.) Dæmoniacus iste, quem legio possidebat, populum gentium ab universitate dæmonum diu possessum designat. Populus namque gentilis tandiu ab omnibus dæmonibus possessus tenebatur, quandiu per multiplicem idololatriæ cultum illis omnibus famulabatur. *Gentiles* etenim, sicut ait Apostolus, *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori qui est benedictus in sæcula. Amen* (*Rom.* I). Catenæ vel compedes, quibus ligabatur quasque frangebat, sunt naturalis legis præcepta, sive gentilium legum decreta quibus a malis refrenari debuerat, significant. Sed catenas et compedes dæmoniacus ligatus frangebat, quia gentilis populus quanto amplius his aut illis præceptis ligabatur per malorum prohibitionem, tanto furiosius ea rumpebat per transgressionem. Et habitabat in monumentis, quia conversabatur in fetidis et mortuis operibus. De hac ruptione catenarum et compedum hoc modo Paulus intulit dicens: *Feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis invicem masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem (quam oportuit) erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt. Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia* (*ibid.*).

Ecce quomodo legio hominem possidebat, quomodo catenas et compedes rumpebat, quomodo in monumentis habitabat. Qui bene nocte et die in monumentis, et in montibus clamasse, et lapidibus se concidisse dicitur, quia et in adversis et in prosperis populus gentium in fœda actione, et vana elatione impudenter se esse propalabat, et lapideorum idolorum cultura semetipsum lacerabat. Grex porcorum, qui juxta montem pascebat, et quem legio de homine pulsa intravit, et in mare præcipitavit, multitudinem infidelium et quorumlibet immundorum exprimit hominum. Qui recte juxta montem pascuntur, dum per superbiam elati, porcorum si-

militudine ad ima curvi, superna nesciunt, et solis transitoriis bestialiter immergunt. Et dum se inquinamento carnis aut spiritus polluunt, more porcorum in luto pastum quærunt. Heu quam multiplex est multitudo ista porcorum, hominum scilicet bestialiter et torpiter viventium, et porcos, qui in infimis taotum bonum suum quærunt, imitantium! Ut enim de paganis et Judæis taceamus, quis numerare posset multitudines falsorum Christianorum, qui, quamvis baptisma perceperint, spiritui gratiæ tamen contomeliam facientes, male vivendo de semetipsis eum expulerunt, et horrendis se sceleribus polluerunt? Qui tamen duo millia figuraliter esse dici possunt: duo, qoia divisi sunt a bono; millia, quia perfecti sunt in malo. Legio ergo ab homine pulsa porcos ingreditur, quia dæmones ab illis, qui ad vitam æternam prædestinati sunt, per gratiam Redemptoris fugati, malis male viventibus et terrenis intendentibus dominantur. Quod tamen non faciunt, nisi Jesus prius concedat, quia nec malos tentare præsumunt, nisi potentia divina permittat. Grex vero porcorum a legione in mare præcipitatur, dum per dæmones malorum universitas ad infernalem amaritudinem perducitur.

Viderunt homines civitatis illius a legione liberatum sedere ad pedes Jesu vestitum et sanæ mentis, et timuerunt. Sessio ad pedes Domini significat humilitatem, et bonorum operum imitationem, vestitus bonam actionem, sanitas mentis jusuificationem. *Et rogaverunt Jesum, ut discederet de finibus eorum.* Sicut Petrus memor fragilitatis suæ dixit: *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum* (*Luc.* v); sic et isti adhuc infirmi timuerunt, et eum ut de finibus eorum discederet rogaverunt. Ait Jesus liberato: *Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui.* Hoc exemplo docetur quisque, suis primum salutem sibi factam prædicare, et eos ad salutem percipiendam provocare, quia et ipse eis propter cognationem carnis magis debitor esse videtur, et ipsi forsitan illi citius credent quam alieno. Sed quam multi intra ambitum sanctæ Ecclesiæ continentur, qui hoc exemplum minime sequuntur? Quam multi sunt, qui de suis parentibus inquirunt utrum corpore sani sint, utrum habeant victum, utrum vestitum, domos, agros, equos, greges, armenta, aurum, argentum, pacem temporalem, utrum gratiam potentum et divitum possideant, et sic de iis quæ ad corpora pertinent circa amicos suos solliciti sunt; de iis vero, quæ ad salutem animarum necessaria sunt, sollicitudinem nullam gerunt! Timendum est autem, ne tales ad antiqua vitia relapsi sunt, et quod ipsi jam salute careant, quam nec suis prædicare curant. Qui namque spirituales sunt, et qui ea quæ sunt spiritus sentiunt, de suis diligenter inquirunt, an sint a vitiis puri, a peccatis liberi, virtutibus ditati, bonis operibus pleni, utrum pacem Dei habeant cum omnibus, utrum bonum operentur ad omnes, maxime ad domesticos fidei. Isti etenim liberatum istum imitantur qui ad vocem Domini salutem sibi factam aliis studuit nuntiare, et per Decapolim prædicare. Decapolis quæ est regio decem civitatum, sanctam Ecclesiam designat, quæ Decalogum legis servat. Et in Decapoli salutem sibi factam prædicat, qui sanctæ Ecclesiæ fidelibus a diabolo se liberatum esse verbis et operibus bonis demonstrat. Studeamus et nos, si nondum liberati sumus, a diabolo liberari, et si jam nos liberatos cognoscimus, salutem aliis prædicemus, quam nos obtinuisse gaudemus, memores ejus quod scriptum est: *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit* (*Matth.* xii; *Luc.* xi). Et item: *Qui audit, dicat: Veni* (*Apoc.* xxii). Nunc ergo sic audiamus, et sic dicamus in via, ut remunerari mereamur in patria. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula.

SERMO XXX.

In festivitate unius confessoris.

Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos, et dedit illis bona sua (*Matth.* xxv). Homo iste est Christus, servi Christiani, profectio ascensio, bona dona, quinque talenta exterior scientia quinque sensibus acquisita, duo talenta intellectus et operatio boni, unum talentum intellectus tantum, multiplicatio talentorum, exercitatio virtutum et exhibitio bonorum operum ad justificationem propriam et ad utilitatem alienam. Servus, qui pecuniam Domini in terram abscondit, significat falsos Christianos, qui acceptum ingenium in rebus terrenis et transitoriis expendunt, arctioris vitæ vias ingredi metuunt, acceptam divinitus scientiam aliis prædicando multiplicare parvipendunt, erubescunt et contemnunt. *Meto ubi non seminavi, congrego ubi non sparsi.* Quasi dicat: Non solum ab illis quibus gratiam operandi et prædicandi tribui fructum operis et prædicationis requiro, sed et illos, quibus nihil gratiæ tribui, pro infructuositate et sterilitate condemno. *Serve male, et piger. Serve*, quia mihi servire debuisses operando et prædicando, *male* malum faciendo, *piger* a bono cessando. *Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem quod meum est cum usura.* Nummularii sunt, qui audita prædicatione, facto et verbo, ea quæ audierunt multiplicare satagunt. Ac si diceret: Accepta gratia mea bonæ operationi et prædicationi intendere debuisses. Quod si fecisses, non solum te, sed et alios multos exemplo et verbo tuo mihi lucrifecisses. Sed quia per pigritiam tuam, qua a bono cessasti; et per malitiam tuam, qua malum fecisti, damnum mihi non solum justificationis tuæ, sed et alienæ intulisti; et ideo de malitia et pigritia tua juste te arguo et condemno. *Tollite ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur et abundabit, ei autem*, etc. Habenti meritum dabitur præmium. *Dabitur* quantum ad remunerationem, *abundabit* quantum ad beatitudinem. *Ei autem, qui non habet etiam id, quod habere videbatur auferetur ab eo;* quia falsus quisque Christia-

nus in damnatione nec nomen Christianitatis permittetur habere: et sicut nunc nudus est a sacramentorum interiori veritate, sic tunc foris nudabitur exteriori obumbratione. Provideat itaque sibi humana conscientia nunc in tempore, ut postmodum de præmio gaudeat in æternitate. Sic et talentum doni cœlestis expendat, ut non damnationem, sed salvationem in fine recipiat. Nemo dicat: Sufficit mihiipsi intendere, mihi soli providere. De me redditurus sum rationem, nolo salutem alterius quærens periclitari. Non sum eruditus in Scripturis, nec facundus in verbis, modicum scio, nunquam pro tantillo si non prædicetur, Deus quemquam accusabit aut damnabit. Quot etenim hominibus quisque quantum ad se pertinet prodesse potest verbo, de tot Deo damnum facit ex silentio, et de tot non injuste redditurus es rationem in judicio.

Qui igitur multa novit, multa dicat; qui pauca novit, pauca dicat, et quantum quisque novit, tantum dicat. Qui scit vel unum Evangelium vel unum virtutis exemplum, quidquid habet per cognitionem aliis tribuat per prædicationem. Non consideret sexum, ætatem, personam, tempus, locum, sed prædicet omnibus, semper, ubique, masculis, feminis, senibus, juvenibus, divitibus, pauperibus, in prosperitate, in adversitate, die, nocte, mane, meridie, vespere; in Ecclesia, in platea, in via, in agro, in terra, in mari, omnibus semper, ubique bonum quod novit dicat, si adsit qui audire possit. Sunt namque multi, qui in his omnibus spectabiliora semper considerant, et his oppositis prædicare recusant, quasi Deus superiora prospiceret, et inferiora non curaret, cum nonnunquam quæ hominibus videntur infima, apud Deum habeantur summa. Sunt etiam quidam, qui nunerosiori populo aliquando prædicant, paucis vero loqui nunquam curant. Et qui majori culpa apud Deum se obligant, quia verbum Dei sive præ pudore, sive præ superbia et pompa divitiarum penitus proferre recusant. Qui igitur talentum cogniti boni prædicando expendit, largitori talentum lucrifacit, etsi non in alio, tamen in semetipso, quis quamvis ille qui audit, malum non derelinquat, bonum non faciat, ille tamen, qui loquitur, in eo tamen quod loquitur, animam suam liberat, et audientem ignorantia non excusat, et ideo illum divina sententia justius damnat. Nemo autem est qui possit se ab hac talenti erogatione excusare, quia nemo est qui non valeat aliquem verbo suo ad melius provocare. Quod autem multi qui ad ministerium prædicationis signati sunt, et ejusdem ministerii sumptus sumunt, et de eis delicate et luxuriose vivunt, quod inquam divinas Scripturas nesciunt, de torpore et ignavia sive contemptu arguendi sunt, quia Ecclesiæ ubique bibliothecis, homiliariis, expositionibus, tractatibus repletæ sunt et ipsi lectioni et meditationi Scripturarum studium nullum impendunt. Erubescant ergo quamplurimi Ecclesiarum ministri inutiles, inscii et ignavi, torporem excutiant, libros legant, talentum expendant, tempus redimant, quoniam dies mali sunt. Omnibus denique modis quibus possumus nosmetipsos emendare vel alios adjuvare debemus, talentum Dominicum erogare, et erogando multiplicare, utpote de quo in districto judicio reddituri sumus rationem. Sic, fratres, talentum expendamus in mundo, ut in gaudio Domini gloriari mereamur in cœlo. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXI.

De tabernaculis filiorum Israel.

Legimus in pagina Veteris Testamenti (*Levit.* XXIII) Dominum per Moysen filiis Israel præcepisse, ut mense septimo solemnitatem Tabernaculorum septem diebus diligenter celebrarent, quatenus posteri per hanc observationem patres suos de Ægyptiaca servitute liberatos in deserto quadraginta annis in tabernaculis habitasse reminiscerentur, et Deo liberatori suo per hanc recordationem propensius gratias referrent. Quem videlicet sacræ solemnitatis ritum postmodum observantes, ob omni opere servili cessabant, in montem conscendebant, ramos arboris pulcherrimæ olivæ, myrti, spatulas palmarum, salices de torrente, et ramos ligni nemerosi ac densarum frondium cædebant, et in domatibus suis, id est tectis domorum, quæ videlicet tecta Palestini æqualia facere solebant, sive etiam in atriis mansionum suarum tabernacula erigebant, victimas Domino immolabant, tubis clangebant, magno ac diverso epularum apparatu reficiebantur, et coram Domino Deo suo lætabantur. Nos autem qui non figuras, sed veritatem tenere debemus, non litteram occidentem, sed spiritum vivificantem inquiramus; et quid nobis antiquorum exemplo non carnaliter, sed spiritualiter sit servandum, subtiliter attendamus. Quis est ergo iste mensis septimus, in quo in tabernaculis præcipimur habitare, nisi tempus gratiæ, in quo septiformis Spiritus per universum mundum tribuitur fidelibus? Qui sunt septem dies, nisi præsentis temporis, quod septem dierum circulo et curriculo volvitur, series? Quæ sunt tabernacula, nisi sanctæ et honestæ conversationis exempla diversis virtutibus et operibus bonis, quasi diversis ramis et ramorum frondibus constructa?

Mense itaque septimo septem diebus in tabernaculis debemus habitare, qui in hoc tempore gratiæ in dono septiformi Spiritus sancti, et in omni vita nostra, quæ septenario dierum agitur, debemus virtutes exercere, bona opera exhibere. Patres nostri, scilicet Apostoli, quorum sumus filii, in sanguine agni de Ægyptiaca servitute liberati, annis quadraginta per eremum in tabernaculis habitaverunt, quia in passione Christi de tenebrosa mundi dominatione redempti, in vita spirituali, quæ per eremum figuratur, ab omni illicita delectatione abstinendo, et Decalogum legis, et quaternarium Evangelii observando, quasi quadragenarium complendo, virtutes exercuerunt, bona opera exhibuerunt et in his omnibus se non hic manentem civitatem habere, sed futuram inquirere monstraverunt. Ipsis quoque de-

bemus assimilari, vitam ipsorum imitari, peregrinationis reminisci, et in spiritualibus habitando tabernaculis continuas grates agere Deo omnium suorum liberatori. Sed ut congrua et digna sacratissimæ solemnitati valeamus tabernacula construere, studeamus carnales affectiones, terrenas cupiditates, mundanas vanitates, sæculares actiones deserere; ac generalium cogitationum consuetudinem transcendentes, in montem, id est altiorem Scripturarum meditationem, et cœlestis boni sublimem speculationem aggrediamur, et virtutum et bonorum operum frondosos ramos decerpere, et tabernacula honestæ conversationis festinemus erigere, quibus in tantæ solemnitatis observatione contra æstum vitiorum, ventum tentationum, imbrem persecutionum muniamur. Præcipitur autem nobis ut cessemus ab omni opere servili, quia prohibetur nobis consensus et affectus peccati. *Qui enim facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). Nec solum foris in opere, sed intus in corde peccatum perpetratur, sicut scriptum est. Etenim *in corde iniquitates operamini in terra* (*Psal.* LVII). Et alibi: *In cogitationibus impii erit interrogatio* (*Sap.* I). Sed et pax non est annuntiata in nativitate Salvatoris *nisi hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). *Hinc* ergo perpendite quantum jubemur cessare ab opere servili, in quibus non tantum reprehenditur actus, sed etiam consensus peccati. Inter spiritales vero arbores, scilicet virtutes, est charitas pulcherrima, quæ et in cœlum erigitur per dilectionem Dei, et usque ad terminos terræ dilatatur per dilectionem proximi. De cujus laude et pulchritudine scriptum est: *Si linguis hominum loquar et angelorum, si habuero omnem fidem et omnem scientiam, et si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam*, et cætera quæ ibi continentur, *charitatem autem non habeam, nihil sum, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII). Hujus igitur pulcherrimi ligni ramos debemus habere, quia charitatis intimæ cogitationibus et affectibus nos debemus obumbrare. Oliva etiam fundit oleum quod cunctos excedit liquores, recte misericordiam exprimit, quæ multas alias virtutes transcendit. Myrtus bonum habet odorem, et significat bonam opinionem, longe lateque redolentem. Hanc habere debemus in constructione nostri tabernaculi, quia in omni loco debemus esse bonus odor Christi. Aliter: Myrtus temperativæ virtutis est, ita ut dissoluta membra temperando restringat et ideo temperantiam recte designat. Palma, quæ victorum manum adornat, victoriam non inconvenienter figurat. Hanc debemus habere, ostendentes nos carnem, mundum, diabolum vicisse. Habeamus quoque salices de torrente, ut in hac mortali vita, quæ modo torrentis decurrit, casto corde et corpore Domino valeamus deservire. Salices quippe, quæ sine fructu sunt et steriles, castas cogitationes et officia carnis ab illicita delectatione propter regnum cœlorum castrata figurare possunt. Salices ergo ex nomine habere præcipimur quia sine munditia solemnitatem Domini digne celebrare non valemus. Quæramus et ramos ligni nemorosi sive densarum frondium, ut videlicet habeamus aliarum multiplicationem virtutum, ex quibus omnibus scilicet virtutibus et foliis ex ipsis procedentibus, id est bonis operibus erigere debemus tabernacula, id est sanctæ conversationis exempla, quibus nos advenas in hoc mundo et peregrinos sicut omnes Patres nostros demonstremus, non hic habere manentem civitatem, sed futuram inquirere patenter ostendamus.

Quæ denique tabernacula in domatibus et in atriis nostris antiquorum exemplo debemus figere, et in ipsis manere, quia debemus omnem miseræ carnis hujus delectationem cœlestis boni desiderio transcendere, et ipsum quoque mundum, qui circa nos est, dilatatione cordis egredi, ut superna et immensa bona sublimius et perfectius possimus contemplari. Offeramus etiam sacrificium Domino, non sanguinem vitulorum, sed fructum labiorum confitentium nomini ejus. Sacrificium namque laudis honorificat eum, et illic iter quo ostendit salutare suum. Sed et hoc facientes implebimus quod psalmus ait: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ* (*Psal.* CXVIII). Clangamus tubis per officium prædicationis, ut et aliis recta prædicemus, et ad observantiam tantæ solemnitatis eos convocemus. Scriptum quippe est: *Qui audit, dicat: Veni* (*Apoc.* XXII). Et Psalmista: *Labia mea non prohibebo, Domine, tu scisti. Justitiam meam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuam dixi. Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam a concilio multo* (*Psal.* XXXIX). Epularum apparatu nos reficiamus, ut corporis et sanguinis Christi communione, et spiritualium charismatum participatione nosmetipsos dignos pro viribus efficiamus. Talibus enim epulis interior homo noster impinguatur, tali epulatione ejus Deus delectatur. Gaudeamus non in mundo, sed in Domino, quemadmodum Apostolos nos admonet, dicens: *Gaudete in Domino semper, iterum dico: Gaudete* (*Philipp.* IV). Si in Domino gaudemus, vox exsultationis et salutis erit in tabernaculis nostris, non vox exsultationis et perditionis, quæ est in tabernaculis impiorum, quorum præstolatio et exsultatio furor, *qui lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis* (*Prov.* II).

Si ergo solemnitatem tabernaculorum digne celebrare volumus, hæc omnia non carnaliter, sed spiritualiter observemus. Cessemus ab opere servili abrenuntiantes affectibus peccati. Ascendamus in montem per meditationem sacri eloquii, et speculationem boni superni. Colligamus ramos arboris pulcherrimæ per charitatem fraternam, olivæ per misericordiam, myrti per temperantiam, palmarum per victoriam, salicum per castitatem, ramos densarum frondium per aliarum virtutum multiplicem exercitationem. Et erigamus tabernacula per honestam conversationem, in domatibus nostris corruptionem carnis nostræ devotione mentis transcendende, et in atriis nostris ipsum mundum dilatatione cordis excundo. Immolemus, sed hostiam laudis;

clangamus, sed tuba prædicationis; epulemur, sed participatione sacramentorum Christi, et dulcedine gratiæ cœlestis; exsultemus, sed gaudio lætitiæ spiritualis. Quæ cuncta septem diebus facimus, si per omnem vitam nostram, quæ septem dierum circulo volvitur, hæc agere non cessamus. Istam denique solemnitatem secundum præceptum legis in die octavo consummabimus, quando in die resurrectionis absorpta morte in victoriam a corruptione ad incorruptionem, a mortalitate ad immortalitatem pertingemus, quia si nunc septem dies perficimus in itinere, octavum tunc celebrabimus in perventione, quando videlicet gaudium et lætitiam tenebimus, quando fugiet dolor et gemitus, quando absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum suorum, quando timentibus se multitudinem dulcedinis suæ revelabit, quam adhuc illis abscondit, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparavit Deus diligentibus se. Quam nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXII.

De apostolis, vel aliis prædicatoribus.

Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, et regnabunt in æternum (*Sap.* III). Magna, mirabilis, et pretiosa est, charissimi fratres, in his verbis laus sanctorum, magnum præclarum et sublime refulget in eis meritum, et præmium eorum. De quibus omnibus sermo propositus quatuor ponit verba, dicens quod *fulgebunt, discurrent, judicabunt*, et *regnabunt*. Fulgere pertinet ad virtutem, discurrere ad prædicationem, judicare ad resurrectionem, regnare ad beatitudinem. Fulgent ergo justi virtute, discurrunt prædicatione, judicabunt in resurrectione, regnabunt in beatitudine. Fulgebunt justi; diversos justos diversis virtutibus novimus fulsisse. Fulsit namque Abel per innocentiam, Noe per justitiam, Abraham per fidem, Isaac per longanimitatem, Jacob per toleraotiam laboris, Joseph per continentiam carnis, Moyses per mansuetudinem, Josue per fortitudinem, Samuel per charitatem, David per humilitatem, Elias per zelum justitiæ, Daniel per virtutem abstinentiæ, sanctus Joannes Baptista per sanctitatem eximiam, beata et intemerata virgo Maria per specialem humilitatis et integritatis gratiam. Alios denique sequentibus temporibus fulsisse similiter per fidem, alios per spem, alios per charitatem, alios per humilitatem, alios candore castitatis, alios effusione sanguinis, alios quarumlibet aliarum exercitatione virtutum, alios multorum bonorum exhibitione operum. Sed (unde graviter dolendum est, et quod sine magno gemitu dicendum non est), nos cernimus multos, in ordine et professione sanctitatis constitutos, habitu clericali vel religioso palliatos, a sancto proposito apostatare, et in exercendis operibus justitiæ torpere, ad honores sæculares anhelare, terrenarum rerum cupiditatibus inhiare, ad mundanæ curiositatis instabilitatem suspirare, et sanctæ quietis et internæ contemplationis penitus oblitos, exterioribus negotiis tractandis absque omni bona intentione impudenter ae turbulenter se inferre: et qui prædictarum virtutum deberent fulgore splendere, contingit nonnunquam vitiorum nigredine sordere, intantum ut prophetica admiratione cogamur proclamare: *Quomodo obscuratum est aurum? mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* (*Thren.* IV). Videmus Isaiæ prophetiam in quibusdam impleri, videlicet pueros deficere in labore, et juvenes in infirmitatem cadere, id est quosdam conversos, nuper tramitem boni propositi ingressos, qui quasi necdum viribus exhaustis alacriter deberent currere, viriliter agere, et portando pondus diei et æstus rubiginem peccatorum suorum studiose purgare, videmus, inquam, eos multiplices pigritandi et evagandi occasiones impudenter quærere, et concepti spiritus fervorem in fructu boni operis non ostendere, sed per teporem resolutos steriles permanere. Nec ista tam mordaciter dicentes, piam illorum sollicitudinem qui fraternæ necessitatis coris inserviunt imprudenter culpamus, sed quorumdam, qui in via suæ professionis non recte incedunt, pravitatem reprehendimus. Nec solum ad prædictarum virtutum fulgorem consequendum, debemus horrere, detestari, et cavere mala, sed etiam de bonis eligere meliora, ut qui necessitatibus proximi per charitatem ministrat, si se ad internæ contemplationis secretam sublimitatem pertingere posse conspicit, ut, secundum vocem propheticam, sedens solitarius et se levans super se fiat ex Jacob Israel, ex Lia fiat Rachel, ex Phenenna fiat Anna, ex Martha fiat Maria. Cujus rei hortamenta, ut videlicet actioni contemplationem præferamus, nobis præbet non tantum Jacob, qui magis Rachel dilexit quam Liam, sed et Elcana, qui plus amavit Annam quam Phenennam, et Maria, quæ optimam partem elegisse dicitur, et verus Caleb filium Jephone, de quo legitur quod nec senio fractus, nec labore fatigatus petierit sibi a Josue montem dari, ut gigantes illic habitantes expugnaret, et montem quem sibi Deus promiserat possideret (*Jos.* XIV). Qui etiam testatus est quod eadem fortitudo in se perseveraverit, quam habuerat in multis annis transactis, quando ad ipsam terram explorandam missus fuit.

Sed (quod sine magno mœrore proferendum non est) pauci sunt, qui istius viri exemplo in eodem virtutis vigore perseverent, et infirmis contemptis, expugnatisque dæmonibus ad sublimia conscendere tentent. Sed nos, fratres charissimi, eximia Patrum exempla spiritaliter mente colligamus, et meliora bonis præferentes potiora semper eligamus, ut ad prædictarum virtutum fulgorem quoquomodo pertingamus. Nemo contra consilium vel voluntatem sui prælati exteriora negotia tractare præsumat, ne laqueo diaboli deceptus, et hostili gladio cæsus

cadat. Sic enim quemadmodum in Machabæorum libro legitur : *In illa die sacerdotes ceciderunt in prælio, dum volunt fortiter agere, dum sine consilio exeunt in prælium* (*I Mach.* v). Sic et filii Israel, resistente Moyse, et ipso cum arca Domini in castris remanente, contenebrati per ignorantiam, ascenderunt in montem per superbiam; et Chananæus et Amalecites, per quos carnalia et spiritualia vitia figurantur, persecuti sunt eos usque in Horma, quod interpretatur *anathema*. In quibus omnibus manifeste designatur quod quisquis contra discretionem majorum terrena negotia tractare præsumit, hostilis suggestionis gladio trucidatur. Sed et ipsi prælati subjectorum possibilitatem diligenti consideratione librare debent, ne, si ultra scientiam vel vires suas agere tentent, oneri succumbant : quod ferre non valent. Utantur exemplo, et verbo Moysi, qui, Domino promittente quod ante filio Israel mitteret angelum suum, respondit, dicens : *Obsecro, Domine, si inveni gratiam coram te, ut gradiaris nobiscum* (*Exod.* xxxiv). Et item : *Si non veneris nobiscum, ne educas nos de loco hoc* (*Exod.* xxxiii). Moyses enim cum populo Israel ad terram promissionis tendit, cum quilibet prælatus sibi subjectos ad ministeria cujuspiam boni operis exsequendi provehit. Qui recte Dominum rogat, ut non tantum angelum præmittat, sed ipsemet gradiatur, dum non tam alicujus sapientis consilio, qui nonnunquam fallitur, quam divina providentia, quæ sola perfecte quæ sunt hominibus utilia novit, hoc fieri vel dimitti constanter precatur. Obsecro, inquit, ut non educas nos de loco isto, nisi tu gradiaris nobiscum. Melius est enim quemlibet in sua simplicitate vivere et mori, quam ad negotia, in quibus animæ suæ scandalum sumat tractanda sine Deo duce et cooperante, promoveri. Hæc omnia dico, fratres, ut videatis quomodo caute ambuletis, et non sitis vobismetipsis sapientes; et dum virtutum fulgorem non sapienter quæritis, obscenam vitiorum et peccatorum tenebrositatem incidatis. Sequitur :

Et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Scintilla in sua quantitate modica est, et habet splendorem et calorem. Scintillarum ergo nomine sancti apostoli et apostolorum successores prædicatores recte signantur, qui sunt parvi per virtutem humilitatis, splendidi per cognitionem veritatis, calidi per amorem virtutis. Ipsi vero tanquam scintillæ in arundineto discurrere recte dicuntur, quia ipsi per gentilitatem ad similitudinem arundinum ab omni veritate vacuam, omni vanitate repletam, ab omni bono opere sterilem et infructuosam, omni vento doctrinæ agitatam, per ipsam loquam discurrentes, eam sua prædicatione a superbia defecerunt, et ei quod einis et in cinerem reversura esset ostendentes, quodammodo ut in bonam segetem resurgeret, in favillam redegerunt. Hunc discursum fecit S. Thomas per Indiam majorem, Bartholomæus per Indiam minorem, Simon et Judas per Persidem, Joannes per Asiam, Andreas per Achaiam, Matthæus per Æthiopiam, Petrus per Cappadociam, Paulus per Illyricum et Italiam, et cæteri apostoli apostolorumque discipuli per cætera loca sibi divinitus delegata. Sic videmus pastores animalium in nemoribus aridas herbas impositis ignibus comburere, et illis combustis virides et in pastum animalium aptas alias surgere. Sed (quod sine mœrore dici non debet) ecce in locis, in quibus labore apostolorum et eorum successorum arundineto succenso fructiferæ segetes surrexerant, in eisdem, inquam, locis per desidiam nostram arundineta iterum succreverunt, et agrum Dominicum jam pene repleverunt. Quid sunt enim immundi, fornicarii, avari, fures, rapaces, et quicunque aliis quibuslibet pravitatibus a Deo sunt divisi, diabolo conjuncti? quid, quæso, sunt et ipsi nisi arundines steriles infructuosæ, dæmonum suggestionibus et quasi quibusdam ventis in omnem partem impietatis agitatæ? quid ergo otio torpemus? cur prædicando discurrimus? cur malos quoslibet nostra doctrina non succendimus, ut bonos efficiamus? Sed væ nobis miseris, quia multi sumus discursores, pauci prædicatores! Civitates, castella, vicos percurrimus, sed in arguendis peccatoribus et animabus convertendis parum laboramus. Mundus sacerdotibus plenus est, et si sit qui bonum audiat, non est qui dicat. Legimus in libro Dialogorum quemdam sanctum virum libros, in quibus sacra verba continebantur; semper secum detulisse. Qui quocunque pergebat ex eisdem libris rigabat prata mentium. Erubescamus, fratres, de nostra pigritia, sanctorum Patrum attendamus studia; quorum enim debemus esse filii, eorum debemus vitam imitari. Arundineta succendamus, malos a suis pravitatibus corrigamus. Et bene prius dixit. *Fulgebunt*, deinde *discurrent*, quia primum debemus virtutibus fulgere, deinde eas alios docere, sicut scriptum est : *Quia cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* i). Sequitur :

Judicabunt nationes. Quantum ad judicium sunt quatuor species hominum, videlicet judicati et salvati, judicandi et salvandi, judicati et damnati, judicandi et damnandi. Judicati et salvati sunt quorum salvatio jam certa est; judicandi et salvandi sunt quorum salvatio adhuc incerta est; judicati et damnati sunt quorum damnatio jam certa est; judicandi et damnandi quorum damnatio nondum certa est. Cum igitur in fine mundi, in die judicii, in resurrectione generali, istæ quatuor species hominum erunt, conatat tamen illos solummodo nationes judicaturos quorum salvatio propter eminentioris vitæ meritum tunc evidens et manifesta erit, quorum hic laus canitur cum dicitur : *Judicabunt nationes.* Quas nationes judicabunt? Illos utique judicabunt, quorum salvatio sive damnatio nondum certa erit, quorum judicio alii transferentur ad gloriam, alii transferentur ad pœnam. Nam diabolus et perfecte mali utpote jam judicati sine omni examinatione in tormenta detrudentur. Studeamus, charissimi, ut

simus in illa die saltem de judicandis et salvandis, tametsi de judicatis et salvatis, qui alios judicaturi sunt, esse nequeamus. Magna tamen et omnibus modis exoptanda et quærenda sanctorum est perfectorum in illa die gloria, qui cum ipso judice sedebunt, et mundum cum ipso judicabunt. Et laudabile quidem est virtute fulgere, prædicatione discurrere, in judicio judicare, sed ineffabiliter laudabilius, excellentius, atque sublimius est quod sequitur, quod scilicet *regnabunt in æternum*. In æternum regnabunt, quia regnanti divinitati æternaliter inhærebunt. Cujus regni gloriam, quam oculus non vidit, et auris non audivit, et quæ in cor hominis non ascendit, ideirco vos totis præcordiis desiderare, et promereri perpaucis suademus, quia eam verbis prolixioribus explanare, sicut vellemus, non valemus. Eam tamen promereri nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXIII.

In Annuntiatione Dominica.

Pauca sunt, fratres, et parva, quæ de Deo scimus; pauca et parva, quæ proferimus. Quæ etenim vel quanta possumus dicere de illo, quem nemo vidit, vel potest videre? Quando namque aliquis de Deo loquitur, tale est ac si cæcus natus de lumine loquatur: *Deum enim nemo vidit unquam* (*Joan.* I; *I Joan.* IV); et: *non videbit me homo et vivet* (*Exod.* XXXIII). Unde et Dominus ad ipsum Moysen, ad quem ista verba prolata sunt, ait. *Veniam ad te in caligine nubis* (*Exod.* XIX). Et deinceps: *Moyses accessit ad caliginem, in quo erat Deus* (*Exod.* XX). Et Salomon: *Dominus*, inquit, *dixit ut habitaret in nebula* (*III Reg.* VIII). Psalmista quoque ait: *Nubes et caligo in circuitu ejus* (*Psal.* XCVI). Et item. *Caligo sub pedibus ejus* (*Psal.* XVII). Pedes Dei sancti doctores et prædicatores sunt, qui eum ad auditorum corda circumquaque vehunt, qui nonnunquam cœlestia sacramenta nobis in suis scriptis tam obscure loquuntur, ut a nobis vix intelligantur. Unde bene in Psalmo scriptum est: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (*Psal.* XVII): quia *obscura est scientia in prophetis* (*Dan.* VII). Daniel etiam visionem divinam in visione noctis vidit, et Eliphaz quemdam coram se stantem, cujus non agnoscebat vultum, et horrorem visionis nocturnæ conspexit (*Job* IV). Sed et rex Balthasar non corpus, non brachium, non manum, sed articulos manus scribentis contemplatus est (*Dan.* V): quia minima sunt quæ nobis manifestantur de Sacramento invisibilis deitatis. *Deus* nimirum *lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* (*I Tim.* VI). Si quid etiam de cœlestibus videmus, *videmus*, sicut ait Salomon, *per formina* (*Eccles.* XII). Et sicut dicit Apostolus: *Per speculum, et in ænigmate, non facie ad faciem* (*I Cor.* XIII). Quia ergo minima sunt quæ cognoscimus, ideirco modica sunt quæ prædicamus: sicut exploratores terræ promissionis multa et magna bona contemplatæ terræ post tergum reliquerunt et unum tantummodo botrum et de malogranatis, et ficis, et de aliis bonis ejus ad filios Israel in desertum revertentes detulerunt. Sic et nos, fratres, stillam modicam de plenitudine boni spiritalis, de dulcedine scilicet divinæ laudis, quæ in sacra solemnitate Dominicæ Annuntiationis hac nocte decantata est, hausimus, quam vobis propinare disposuimus.

Audivimus itaque Psalmistam dicentem: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime* (*Psal.* XLIV). Vox ista vox est antiquorum justorum patriarcharum et prophetarum, et omnium recte viventium, et incarnationem Verbi, adventum Christi, expulsionem hostis antiqui, redemptionem generis humani, votis omnibus exoptantium, continuis precibus postulantium, et tandem impetrantium. Ipse nimirum eos exaudivit, et gladio suo super femur suum se accinxit, quando suæ divinitatis potentiam humanitatis nostræ fragilitati conjunxit. Et accinctus potentia suæ divinitatis super femur assumptæ humanitatis venit in mundum, ut expugnaret fortem armatum custodientem atrium suum (*Luc.* II). Fortis armatus diabolus, fortior superveniens Christus, atrium mundus, vasa cordis humana. Quæ Christus de manu diaboli rapuit, evacuavit et implevit; evacuavit culpa, implevit gratia. Hunc fortissimum bellatorem, videlicet generis humani Redemptorem, Samson, ille Israelitici populi princeps, in multis figuravit. Per angelum enim annuntiata est conceptio et nativitas Samsonis; et per angelum annuntiata est conceptio et nativitas Salvatoris. Samson fortitudinem habuit in capillis suis; Christus in donis gratiæ spiritalis. Samson vinum et omne quod inebriare potest non bibit; et calix Babylonis Christum non inebriavit. Novacula super caput Samsonis non ascendit; et in mentem Christi malitia non incidit. Samson leonem occidit et de fauce ejus favum mellis extraxit; et Christus diabolum vicit, et de ore ejus humanum genus eripuit. Samson accepit mulierem alienigenam; et Christus gentium Ecclesiam. Samson stravit Allophylos; et Christus spiritales et corporales inimicos. Samson fractis portis Gazæ ascendit montis supercilium; et Christus confractis portis inferni conscendit in cœlum. Samson multo plures de inimicis suis moriens quam vivens contrivit; et Christus diabolum et ejus satellites multo amplius moriens quam vivens devicit. Sic Redemptor noster non solum oraculis propheta.us, sed et figuris præsignatus, accinctus gladio divinæ potentiæ super femur humanitatis suæ in mundum venit, et fortem, id est hostem antiquum debellavit, et nobis exemplum debellandi monstravit, et officium injunxit, dicens: *Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente, et accipietis regnum æternum.*

Sumamus ergo armaturam Dei, ut possimus omnia tela nequissimi ignea exstinguere (*Ephes.* VI). Habentes scutum per fidem, galeam per spem, loricam et ocreas per charitatem. Quæ duo, lorica scilicet et ocreæ, sicut sunt unius texturæ, sic possunt esse unius figuræ. Quæ etiam in nexione multorum

annulorum complexionem multarum figurant virtutem. Habeamus quoque lanceam, quæ sursum ad Deum erigatur, et in hostem dirigatur per orationem, arcum et sagittas per prædicationem, gladium spiritus per divinum sermonem, qui est *vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor est cogitationum et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* IV). Gladius iste gladius est justitiæ. Istum gladium debet miles Christi habere, et evaginare, et ipso hostiles acies trucidare. Est et alius gladius militiæ, quem evaginant peccatores. *Exacuunt* enim *ut gladium linguas suas, et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LXIII). Isto gladio vivit Esau (*Gen.* XXVII). Isto sæviunt Simeon et Levi fratres, qui sunt *vasa iniquitatis bellantia; in quorum consilium non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea. Ipsi enim in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum quia pertinax, et indignatio eorum, quia dura : dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel* (*Gen.* XLIX). Gladius iste, fratres, non educatur, sed contineatur in vagina. *Omnes* enim, *qui gladium acceperint, gladio peribunt* (*Matth.* XXVI).

Iste igitur relinquatur, et supradictus assumatur. Ipse est enim, quem Dominus venit mittere in terram (*Luc.* XII). Istum in manu tenent sancti, qui habent *exaltationes Dei in gutture suo, ad faciendum justitiam in nationibus, increpationes in populis, ut faciant in eis judicium conscriptum; et hæc est gloria omnibus sanctis ejus* (*Psal.* CXLIX). De hoc gladio ait Moyses, cum populus Israeliticus faciendo vitulum aureum deliquisset, dicens : *Si quis*, inquit, *Domini est, jungatur mihi. Et congregatis ad eum omnibus filiis Levi ait. Hæc dicit Dominus Deus Israel. Ponat vir gladium super femur suum. Ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum. Fecerunt ita, et ceciderunt illo die quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moyses : Consecrastis manus vestras hodie Domino unusquisque in filio, et in fratre suo, ut detur vobis benedictio* (*Exod.* XXXII). Moyses significat quemlibet prælatum, cœtus Israel populum subjectum, vitulus peccatum. Moyses ascendit in montem, quando prælatus quivis relictis infimis ad internam cœlestium conscendit contemplationem. Sed populus Israel vitulum facit, quando subjectorum cuncos male vivendo delinquit. Moyses descendit, cum prælatus ad subditorum vitam considerandam a contemplatione cœlestium mentem ad inferiora reducit. Vitulum aureum comminuit, cum pravam actionem per prudentiam carnis vel sapientiam mundi perpetratam pro loco et tempore, causa, persona, et modo subtiliter discernit. In aquam projicit, cum ex auctoritate sacri eloquii ipsam actionem perversam fuisse reprehendit. Ex hac aqua potatus populus in barbis aurum habet, quando in eo quod sapienter se egisse gloriatus est, stulte eum agisse patenter liquet. Et prævaricator populus gladiis transverberatur, cum severissima increpatione a malo mortificatur et in bono vivificatur, ut mortuus mundo vivat Deo. *Si quis*, inquit Moyses, *est Domini jungatur mihi*. Sicut dicit beatus Gregorius: *Qui non jungitur Moysi in ulciscendo peccato populi, non est Domini. Ponat vir gladium super femur suum.* Et item : *Ite, et redite a porta usque ad portam*. Primum debemus gladium super femur nostrum ponere ; deinde ire et redire et reos occidere, quia primum debemus punire vitia propria, deinde aliena. A porta usque ad portam imus et redimus, quando a maximo usque ad minimum quid singuli deliquerint diligenter perscrutamur. Vel a porta usque ad portam pergimus, dum pondus pravæ actionis ab ipsa inchoatione usque ad exitum contemplamur. Per medium quoque incedimus, quando non solum alienos vel minus dilectos, sed amicos quoque et familiares justæ reprehensionis increpatione transverberamus. Et quasi viginti tria millia cædimus, dum reprobos legem sacram, vel in dilectione Dei vel proximi transgredientes, vel integram sanctæ Trinitatis fidem non habentes severissimæ animadversionis gladio punimus.

De hac divina et spiritali ultione in Ezechiele scriptum est quod Viro, qui habebat atramentarium scriptoris ad renes suos, per medium Jerusalem præcedente, et super frontem virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiebant in medio ejus, Thau signante, scriptum est, inquam, quod Dominus præcepit sex viris, quorum unusquisque habuit vas interfectionis in manu sua, dicens. *Transite per medium civitatis sequentes eum et percutite, non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, et virginem, et parvulum, et mulieres interficite usque ad internecionem. Omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis, et a sanctuario meo incipite* (*Ezech.* IX). Vir, qui atramentarium scriptoris habuit, Christus est, qui divinitatis suæ sapientiam humanitatis suæ naturæ conjunxit. Qui in Jerusalem viros gementes et dolentes super cunctis abominationibus, quæ in ea fiunt, *Thau* littera signat, quia suos electos intra sanctam Ecclesiam de falsorum Christianorum pravitate mœrentes fide suæ passionis ad veram salutem confirmat. Sex viri ipsum sequentes non signatos occidunt, quia perfecti quinque sanctæ civitatis prælati sui Redemptoris imitatores effecti, omnes reprobos acceptam fidem pravis operibus abnegantes, et in præsenti per culpam mortuos ostendunt, et in futuro æternæ damnationis pœna mortificandos esse prædicunt. Qui a sanctuario Domini incipiunt, dum etiam multos ex illis, qui in sancta Ecclesia gradum habent sanctiorem, damnabiliter peccare convincunt. *Senem*, inquit, *adolescentulum, et virginem, et parvulum, et mulieres interficite*. Senex est inveteratus dierum malorum, qui longa consuetudine pollutus,

et obvolutus est sordibus peccatorum suorum. Adolescens illum significat, qui malitiam pridem inchoatam diuturnis incrementis augmentat. Virgo est, qui a fecunditate virtutum et bonorum operum sterilis manet. Parvulus autem eum exprimit qui suam nequitiam recenter inchoavit. Mulierum vero nomine illi congrue figurantur qui mollioribus vitiis muliebriter deserviunt. Quos omnes sex viri vasis interfectionis jugulant, dum ipsis pœnam damnationis futuræ insinuant. Quorum nonnulli taliter percussi vivificantur, quia de suis pravitatibus conversi justificantur.

Jeremias quoque propheta ab hac percussione torpentes in sermone prophetico terribiliter maledicit, dicens : *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter et desidiose, et maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII). Ecce, fratres, quomodo maledicitur qui divinam injuriam pro posse suo non ulciscitur. Comedat ergo nos zelus domus Domini, nec prohibeamus gladium oris ablutione peccati. Et non ut nostris, sed egregii doctoris videlicet Bedæ presbyteri verbis utamur : « Zelemus domum Dei, et quantum possumus, ne quid in ea pravum agatur, insistamus. » Si viderimus fratrem, qui ad domum Dei pertinet, superbia tumidum, si detractionibus assuetum, si ebrietati servientem, si luxuria enervatum, si iracundia turbidum, si alio quovis vitio sustratum, studeamus inquantum facultas suppetit, castigare polluta, ac corrigere perversa. Et si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis sustinere dolore, et maxime in ipsa domo orationis, ubi corpus Domini consecratur, ubi angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid, quod nostram fraternam orationem impediat, totis viribus agamus. Hæc igitur sacrosancta verba auribus intentis audire curemus; et quæ vel in nobismetipsis, vel in aliis emendanda sunt, non negligenter emendemus. Hanc secandorum vitiorum solertiam se habuisse Psalmista gloriatur, dicens : *Feci judicium et justitiam; non tradas me calumniantibus me* (*Psal.* CXVIII). Calumniantur nos dæmones, quando de corpore eximus : sicut etiam legimus in vita sancti Martini quod diabolus in hora mortis ejus ad calumniandam animam ejus accessit. Si ergo hanc calumniam evadere volumus, judicium et justitiam faciamus. *Beati enim qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore* (*Psal.* CV). *Exitus aquarum deduxerunt oculi nostri* (*Psal.* CXVIII), dum videmus malos non custodire legem Domini. Tabescere nos faciat zelus noster, quoniam obliviscuntur inimici nostri verba illius (*ibid.*). Simus strenui in pugna, ut esse gloriosi mereamur in victoria, et beati in gloria. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXIV.

In nativitate, vel Assumptione beatæ Mariæ semper Virginis.

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? (*Cant.* VI.) Beata Virgo Maria, fratres charissimi, aurora fuit, quia et præcedentis temporis quod quasi nox fuerat, finis exstitit, et vera lucis gratiæ, solisque justitiæ, qui ex ipsa progenitus est, præventrix et antelucanum sidus fuit. Totum namque tempus, quod ab Adam usque ad ejus ortum præcessit, quasi nox exstitit, nox longa, obscura, frigida, otiosa, torpida, somniculosa, tacita, imo muta fuit. Nox absentiâ veræ lucis, longa diuturnitate temporis, obscura tenebrositate infidelitatis, frigida defectu charitatis, torpida ab exhibitione boni operis, somniculosa oblivione beatitudinis, tacita a voce veræ confessionis, muta a cantico divinæ laudis. Exceptis quippe paucis personis, quæ præcedenti tempore populum illum antiquum de suis pravitatibus castigabant, et mysteria futuri salvatoris Ecclesiæque, more gallorum diem nocte præcinentium prænuntiabant, totus pene mundus silentio somnoque premebatur. Sicut in Sapientiæ libro scriptum est : *Dum medium*, id est, *summum silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu iter ageret, omnipotens sermo tuus Domine a regalibus sedibus venit* (*Sap.* XVIII). Quædam tamen astra suis radiis tempus illud irradiabant, quia sancti patriarchæ et prophetæ suis virtutibus ignorantiam populi illius illustrabant. Quorum radii aurora apparente quodammodo offuscati sunt, quia in comparationem B. Mariæ præcedentes sancti parvam claritatem habuerunt. Quid enim fuit innocentia Abel, justitia Noe, fides Abrahæ, longanimitas Isaac, tolerantia Jacob, continentia Joseph, mansuetudo Moysi, fortitudo Josue, charitas Samuelis, humilitas David, zelus Eliæ, abstinentia Danielis, eximia sanctitas B. Joannis, aliorumque virtutes sanctorum in comparationem B. Mariæ? Beata igitur virgo Maria vere aurora clarissima fuit, quæ suo magnifico jubare præcedentium Patrum claritatem minoravit. Sane quæcunque in Scripturis vel in creaturis sunt laudabilia, ejus sunt laudi convenientia. Sicut ergo est aurora veræ lucis præventione; sic est flos pulchritudine, favus dulcedine, viola humilitate, rosa charitate vel compassione, suavitate lilium, vitis fructificatione, quodlibet aroma bona opinione, castrum securitate, murus vel turris fortitudine, clipeus aut propugnaculum defensione, columna rectitudine, sponsa fide, amica dilectione, mater fecunditate, virgo integritate, domina dignitate, regina majestate, ovis innocentia, agna munditia, columba simplicitate, turtur castitate, quodlibet mundum et domesticum animal, munda et mansueta conversatione, nubes protectione, stella cujuslibet virtutis aut boni operis inchoatione, luna ejusdem augmentatione, sol consummatione, cœlestis denique paradisus cœlestis boni plenitudine.

Sed ut ad id quod incœpimus revertamur, postquam ipsa beata Maria orta est, in mundo velut aurora splendiflua, statim post ejus ortum, ortus est ex ipsa sol justitiæ Christus Deus noster, qui pulsis tenebris totum mundum illuminavit, intantum ut populus gentium, qui ambulaverat in tenebris, vide-

ret lucem magnam (*Isa.* IX). Illuminavit enim Christus mundum sua nativitate, sua prædicatione, miraculorum suorum operatione, sua passione, resurrectione, apparitione, ascensione, Spiritus sancti missione, apostolorum per mundum divisione, et eorum prædicatione, et cœlestis gratiæ in sancta Ecclesia distributione. Quia ergo fratres charissimi *nox præteriit, et dies illuxit nobis, sicut in die honeste ambulemus* (*Rom.* XIII). *Non ambulemus sicut Patres nostri gentiles* (*Rom.* I). De quibus dicit apostolus: *Qui cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est Deus benedictus in sæcula. Propter quod tradidit illos in reprobum sensum, ut facerent quæ non conveniunt; repleti omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia* (*Rom.* I), cæterisque vitiis ac peccatis detestandis, quæ ibidem subscribuntur: Sed nos fratres abjicientes vitia et peccata, quæ sunt opera tenebrarum, induamur arma lucis, quæ sunt virtutes et bona opera, et sicut in die gratiæ honeste ambulemus (*Rom.* XIII). Omnia autem vitia et peccata vel carnalia, vel spiritualia sunt. Quæ cuncta nobis prohibet Apostolus aut re, aut significatione, ubi dicit: *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione* (*ibid.*). Universa namque carnalia peccata, vel ad gulam pertinent, et prohibentur nobis, ubi dicitur, *non in comessationibus et ebrietatibus*; aut pertinent ad luxuriam, et prohibentur, ubi additur, *in cubilibus et impudicitiis*. Spiritualia vero, aut exterius fiunt, et prohibentur, ubi dicitur, *non in contentione*. Aut interius committuntur, et prohibentur, ubi subjungitur, *non in æmulatione*. Contentio nempe foris est in ore, æmulatio intus in corde. Bona deinque sive spiritualia sive corporalia præcipiuntur, ubi subinfertur: *Induimini Dominum Jesum Christum* (*ibid.*). Christum quippe induere est in Christo sancte et honesto vivere. Ergo charissimi diabolum cum ejus operibus tenebrosis abjiciamus malum odio habendo; et induamur Christum bonum diligendo, virtutes exercendo, bona opera exhibendo; et sic velut in die gratiæ honeste ambulabimus, et ad supernæ patriæ gloriam perveniemus. Oremus autem pariter ut meritis et precibus sanctæ Mariæ virginis Sol justitiæ nobis semper illuceat, semper stet, nunquam occumbat, ut exemplo Josue, *cui sol stetit ad Gabaon donec ulcisceretur se de inimicis suis* (*Jos.* X), nobiscum sit, ut suis fidelibus promisit usque ad consummationem sæculi donec et nos, interfectis nostris hostibus, supernis donemur sedibus. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXV.

De quolibet confessore episcopo, aut alioqui populi rectore, et de ejus officia ac doctrina illi necessaria.

Salomon sapientissimus regum antiquorum, fratres charissimi, et filius David regis, quem elegit Dominus ecclesiasticum prælatum doctoremque, ut se de periculo, in quo ex animarum cura, quas erudiendas suscepit, quotidie versabatur, easdem vigilanter corripiendo et docendo liberare festinet, quodam in loco figurative sic admonet, dicens: *Fili, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi dammula de manu, et quasi avis de insidiis aucupis* (*Prov.* VI). Amicus noster proximus noster est, quem, secundum divinum præceptum, sicut nos diligere debemus. Extraneus iste, Christus est, qui extraneus nobis est et secundum humanitatem et secundum divinitatem. Secundum humanitatem nobis extraneus est, quia nos non vidimus eum in carne; secundum divinitatem vero, quia Deum nemo vidit unquam. Extraneus nobis est, quia ipse justus et beatus, nos autem peccatores et miseri. Extraneus omnibus est, quia, quamvis sint justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei sint, *tamen nescit homo utrum odio an amore dignus sit, sed omnia in futurum reservantur incerta* (*Eccles.* IX). Apud hunc ergo extraneum ille revera pro amico spondet, et velut fidejussor de reddendo debito responsurus manum defigit, verbis oris sui illaqueatur, et propriis sermonibus capitur, qui aliorum animas in curam suæ providentiæ suscipit. Discurrat ergo necesse est, et festinet, suscitet amicum suum. Discurrat et festinet exemplo, suscitet verbo. Discurrat a dextris et a sinistris, in prosperis et adversis, et benefaciat amicis et inimicis, bonis et malis, modestis et dyscolis. Suscitet amicum suum admonendo, ut malum caveat, bonum faciat. Non dormiat cavendo negligentiam majorem, non dormitet cavendo negligentiam minorem. Eruatur quasi dammula, et quasi avis. Dammula est animal mundum et acerrimum visu, et avis alta petit volatu. Eruatur prælatus sive doctor quasi dammula; ut sit mundus per honestam conversationem, et acer visu per discretionem. Eruatur quasi avis, ut alta petat per contemplationem. Non solum enim prælati bona actio, verum etiam contemplatio, subditis confert. Unde apostolus: *Sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis* (*II Cor.* V).

Aliquando ergo debet rector sumere sibi pennas milvi per rapacitatem, non corvi per laniationem, sed columbæ per simplicitatem, et volare per contemplationem, et requiescere per actionis intermissionem a pusillanimitate spiritus et tempestate; id est a curæ pastoralis anxietate: Sic Moyses minato grege ad interiora deserti, perrexit videre visionem magnam (*Exod.* III). Sed Dominus, fatigatis apostolis et occupatis accessu populi ita ut non haberent tempus manducandi, dixit: *Venite seorsum in desertum et requiescite pusillum* (*Marc.* VI). Et (ut ait beatus Gregorius): « Rector non debet propter curam proxi-

mi, postponere contemplationem Dei: nec propter contemplationem Dei negligere curam proximi. Ut igitur se liberet rector, discurrat oecesse est per bonam actionem, festinet per ejusdem actionis ospeditionem, suscitet amicum suum per exhortationem, eruatur ut damnula per munditiam honestæ conversationis et acumen discretionis, et ut avis per sublimitatem contemplationis. Sano duo sunt, per quæ præcipue debet prælatus semetipsum liberare, exemplum scilicet et verbum. Exemplum operis, verbum prædicationis. Primo exemplum, deinde verbum, ut Domini sit imitator, de quo scriptum est: *Cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Sed quia constans est do opere, quod videlicet bene operari necesse sit ei, etsi non proximo tamen pro semetipso, et quia cernimus multos pastores, qui, quamvis ut creditur ipsi bene vivant, a verbo tamen cessant, vel quia loqui nesciunt, vel quia negligunt, prætermittamus de exemplo operis, et dicamus de verbo prædicationis.

Quadripartitam doctrinam debet omnis prælatos animabus sibi commissis. Primo namque debet subjectus docere fidem sanctæ individuæ Trinitatis; secundo quomodo præsideant et imperent quinque sensibus corporis; tertio, ut sex opera misericordiæ exhibeant; quarto, ut septem virtutes principales exerceant. Singula singillatim prosequamur, primumque de fide dicamus. Tria quidem erant, corpus, et spiritus, et Deus; et corpus quidem mundus erat, anima spiritus, et ipsa anima quasi in medio quodam erat habens extra se mundum, intra se Deum; et acceperat oculum, quo extra se mundum videret, et ea, quæ in mundo erant, et hic erat oculus carnis. Alium oculum acceperat, quo seipsam videret et ea quæ in ipsa erant, hic est oculus rationis. Alium rursum oculum acceperat, quo intra se Deum videret, et ea, quæ in Deo erant, et hic est oculus contemplationis. Hos igitur oculos quandiu anima apertos et revelatos habebat, clare videbat et recte discernebat. Postquam autem tenebræ peccati intraverunt in illam, oculus contemplationis quidem in se exstinctus est ut nihil videret, oculus vero rationis lippos effectus ut dubie videret. Solus ille oculus, qui exterius fuit, in sua claritate permansit; qui, quandiu lumen clarum habet, judicium dubium non habet. Oculus vero rationis, quandiu lumen ejus nubilum est, judicium certum habere non potest; quia clare non videt, discernit ambigue. Hinc est quod corda hominum facilius sibi consentiunt in his quæ oculo carnis percipiunt quam in bis quæ acie mentis et sensu rationis attingunt, quia ubi in videndo non caligant, in judicando non discrepant. Homo ergo qui oculum carnis habet mundum videre potest et ea quæ in mundo sunt. Item quia oculum rationis ex parte habet, animum similiter ex parte videt et ea quæ in animo sunt. Quia vero oculum contemplationis non habet, Deum et quæ in Deo sunt videre non valet. Fides ergo necessaria est, qua creduntur quæ non videntur, et subsistant in nobis per fidem ea quæ nondum præsentia nobis sunt per speciem.

Sic itaque substantia illorum est fides, quia per solam fidem probantur a nobis. Non enim aliud majus argumentum de illis dubitantibus proferre possumus, quam quod illa creduntur fide quæ ratione non comprehenduntur. Fides origo est in nobis ac fundamentum virtutum et bonorum operum. Unde ut ait Apostolus: *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI). Fides si in sola cognitione sit non sufficit, nisi per dilectionem vivificetur et ex dilectione, si possit, operetur. Si non potest operari, si habeat dilectionem, ipsa dilectio ei est operatio. Sunt multi qui multa opera faciunt, sed quia dilectionem Dei et proximi non habent, regnum Dei ex suo opere non consequuntur. Sola ergo fides, illa fides dicenda est cui comes est dilectio, et quæ per dilectionem, si tamen potest, operatur. Duo itaque sunt in quibus constat fides, cognitio scilicet et affectus. Quorumdam fides cognitione magna est, affectu parva; quorumdam vero affectu magna, cognitione parva. Alii fidem et cognitione et affectu magnam, alii cognitione et affectu parvam habent. Verum affectum magnum in fide magis laudabilem esse quam cognitionem magnam Dominus manifeste ostendit, ubi fidem grano sinapis comparavit (*Matth.* XIII), quod quantitate quidem parvum est, sed non fervore. Hinc mulieri Chananææ parum quidem scienti adhuc, sed multum confidenti, dictum est: *Mulier, magna est fides tua* (*Matth.* XV). Illa namque fides apud Deum magna reputatur, quæ etsi minus vigeat scientia, per constantiam tamen fortis ostenditur. Cum ergo fides cognitione crescit, adjuvatur. Cum vero affectu fides crescit, promeretur. Igitur fides non de cognitione sola, sed de affectu et operatione laudatur et remuneratur. Hæc est enim quæ justificat, *quæ*, secundum Apostolum, *per dilectionem operatur* (*Gal.* V). Altera vero dæmonum est, de quibus scriptum est quod *dæmones credunt et contremiscunt* (*Isa.* II); sive cujuslibet impii fidem tantum secundum cognitionem, non etiam secundum dilectionem habentis. De quo scriptum est quia *quod timet impius veniet ei* (*Prov.* X).

Nos autem, fratres, per dilectionem operemur, ut pro dilectione remuneremur. Sensus corporis quinque sunt; visus, auditus, olfactus, gustus et tactus; per quos anima sicut intus per rationem et contemplationem ad invisibilia, ita foris ad visibilia suo modo progreditur, et quæ corpori sunt grata, commoda, utilia et necessaria operatur. Sicut enim homo ex duabus naturis, spirituali scilicet et corporea, est factus, et duobus bonis, id est spirituali et corporali est ditatus, ita duplici sensus virtute est munitus et ornatus, intus videlicet rationalitate ad invisibilia, foris sensualitate ad visibilia contemplanda. Habet autem rationalitas in bonis invisibilibus suum fructum ac jucunditatem, quemadmodum sensualitas in visibilibus. In invisibilibus quippe bonis species est virtus, forma, justitia, dulcedo, amor, canticum, gaudium, contactus amati, et quæ-

sili boni inventio. In sensualitate visus cæteris sensibus præcellentior est et efficacior, sed longe inferior discretiva et contemplativa virtute rationis. Corporalis namque visio, quia angusta est, maxima non comprehendit, et quia hebes est, minima non discernit; et quia pigra est, non attingit remota; et quia perspicax non est, non penetrat occulta. In rebus quoque visibilibus, in quibus semper quærere debet visus utilia, specie fallente corruptus nonnunquam capit noxia; et dum in eis inordinate delectatur, infelix animus intrinsecus innumerabilium delectationum et cogitationum pulvere fœdatur. Quia enim res mundanæ, quas extrinsecus appetimus, infinitæ sunt, cogitationes quas ex ipsarum rerum delectatione vel memoria intrinsecus trahimus, finitæ esse non possunt. Et sicut oculus pascitur ex specie, sic animus pascitur ex cogitatione. Verum quantum ad res pertinet, nulla res est, quæ cogitari non possit sine peccato; quantum autem ad pravos affectos, nulla res est in qua peccare non possumus cogitando. Quia igitur huic sensui, id est visui, tantus inest defectus ad bonum, tantus affectus ad malum, omnibus modis necesse est custodiatur, quia per ejus corruptionem animus maxime fœdatur. Custodiatur inquam oe, secundum Jeremiam, oculus noster deprædetur animas nostras in cunctis filiabus urbis nostræ (*Thren.* III), vel ut in Job legitur, oculus noster sequatur cor nostrum (*Job* XXXI), sed potius avertatur ne videat vanitatem (*Psal.* CXVIII). Auditus etiam diversis modis corrumpitur: quapropter oportet ut caute custodiatur. Aliquando corrumpitur vanis sermonibus, aliquando adulationibus, aliquando obscenis carminibus, aliquando detractionibus. Unde scriptum est: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala* (*I Cor.* XV). Olfactus vero corrumpitur, quoties variis odoribus inordinate delectatur. Iste sensus porior ac muodior allis sensibus esse videtur, unde et per illum anima minus corrumpi probatur. Hunc gustus sequitur, per quem infelix gula suos illicitos appetitus experitur. Iste postquam corrumpitur, variis ciborum ac potuum apparatibus insatiabiliter oblectatur. Inde est quod beatus Hieronymus sub persona sui quorumdam impudentem superfluitatem reprehendit, ita dicens: « Natus in paupere domo et in tugurio rusticano, qui vix milio et cibario pane rugientem satiare ventrem poteram, nunc similam et mella fastidio. Novi et nomina, et genera piscium, in qua littore concha lecta sit calleo. Saporibus avium discerno provincias, et ciborum me raritas ac novissime damna ipsa delectant. » Nobis autem, fratres, secundum eumdem doctorem sit pauper, vilis, et vespertinus cibus, olus et legumina, et interdum paucos pisciculos pro summis ducamus deliciis. Ultimus est tactus, qui diversarum vestium mollitie, et variarum obscenitatum immunditia multoties contaminatur.

Longum est, fratres, omnia assequi per quæ constat miseram animam ex suis sensibus infirmari. Isti sunt enim *quinque porticus piscinæ*, qui in Evangelio commemorantur, *in quibus jacebat multitudo magna languentium* (*Joan.* V) Unusquisque etenim sensus tot servat languentes, quot appetituum patitur corruptiones. Sed quoties Spiritus sanctus descendit in nos, et in nobis excitat gratiam compunctionis, toties sanatur noster sensus a quacunque detineatur infirmitate corruptionis. Custodiamus, charissimi, sensus nostros, ne forte (quod absit!) ingrediatur per fenestras nostras mors ad animas nostras. Quis sit autem fructus istius custodiæ, Isaias brevi sermone comprehendit, ubi dicit: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? (Isa.* XXXIII). *Aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in justitiis et loquitur veritatem; qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus. Panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe. Cor tuum meditabitur timorem* (*Isa.* XXXIII).

Sex sunt opera misericordiæ: primum est esurientem pascere, secundum sitientem potare, tertium hospitem colligere, quartum nudum vestire, quintum infirmum visitare, sextum ad incarceratum et inclusum venire. Qui his intendit in tempore, beatus erit in æternitate. *Beatus enim qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus* (*Psal.* XL). In die mala, id est in die judicii. Et animadverte (quod est mirabile dictu) quod in Evangelio non dicitur quod alia peccata damnandis commemorentur vel improperentur in die judicii, nisi hoc tantum quod misericordiæ opera neglexerunt; et econtrario salvandi non laudantur de quibuslibet virtutibus, nisi de hoc solum quod ea exhibuerunt. Unde Petrus Ravennas in libro Sermonum suorum, sermone 14: « In regno, inquit, cœli coram omnibus angelis in conventum resurgentium quod Abel passus sit, quod Abraham fidem incœpit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, et clamat solum quod comedit pauper (*Luc.* XI). » Demus ergo, fratres, eleemosynam, et omnia munda erunt nobis (*Luc.* VI). Demus ut detur nobis. Demus ut ii, quibus damus recipiant nos in æterna tabernacula (*Luc.* XVI). Demus gratis, quia nos maxime, qui de eleemosyna vivimus, gratis accepimus. Mittamus panem super transeuntes aquas (*Eccle.* XI), id est populos, quia post multa tempora inveniemus eum. Hæc dicimus, fratres, quia nos etiam, qui in religione vivimus, ad clamorem pauperis aures, imo viscera nostra nonnunquam inhumaniter claudimus. Sed *qui habuerit substantiam mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, etc., quomodo charitas Dei manet in eo?* (*I Joan.* III.) Animo autem, *quæ benedicit impinguabitur, et qui inebriat ipse quoque inebriabitur* (*Prov.* XI). Sacra volumina, charissimi, talibus plena sunt, nec ista dicimus, ut vos velut ignorantes

instruamus, sed hæc memorasse fortasse non erat inutile, sed quia bonorum operum exhibitio, sive virtutum exercitatio salutem confert æternam. Dicto de operibus, dicamus de virtutibus.

Virtutes in Scripturis plures numerantur, sed eas modo commemorabimus quæ in Evangelio sub septenario disponuntur. Prima est humilitas, secunda mansuetudo, tertia mentis compunctio, quarta desiderium justitiæ, quinta misericordia, sexta cordis munditia, septima pax mentis æterna. Humilitatem Abraham habuit quando dixit : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* XVIII). Sic et Jacob humilitatem habuit, quando Domino loquens dixit : *Minor sum cunctis miserationibus tuis* (*Gen.* XXXII). Beata quoque Maria hanc eamdem virtutem habuit, quæ cum ab angelo diceretur Mater Dei, se dixit ancillam Domini (*Luc.* I). Mansuetudinem David habuit, qui dixit : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam, et ex voluntate tua deduxisti me* (*Psal.* LXXII). Dicitur enim mansuetus quasi ad manum venire vel manu duci suetus, ut sunt domestica animalia. Talis homo velut jumentum non solum ad prospera, sed etiam ad adversa paratus est. Unde idem ait : *Ego in flagella paratus sum* (*Psal.* XXXVII). Tertia est mentis compunctio. Hanc quoque habuit sicut alibi ait : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI). Quarta est desiderium justitiæ. Istam etiam idem habuit sicut quodam in loco dixit : *Mei pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns* (*Psal.* LXXII). Et item : *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem* (*Psal.* C). Quinta est misericordia. Sed quia ad ipsam pertinent, quæ superius de operibus misericordiæ diximus, idcirco ea hic non replicamus. Hæc in beato Job excellenter enituit. Unde et ait : *Si comedi buccellam meam panis solus, et non comedit pupillus ex ea*, etc. (*Job* XXXI). Sexta est cordis munditia, quam et idem vir sanctus perfecte habuit. Unde et dixit : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nec cogitarem quidem de virgine* (*Job* XXXI). Septima est pax mentis æterna. Et istam David quasi specialiter habuit : Dixit enim : *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus* (*Psal.* CXIX).

Quampiurima sunt quæ de ternario fidei, de quinario sensuum, de senario operum, de septenario virtutum dicere possemus; sed leviter singula tangamus, ne verbis prolixioribus vos oneremus. Qui autem doctrinam fidei tantum sufficere putant, multum errant. Quos bene Eliseus typice reprehendit, ubi regi Israel loquens ait : *Percute jaculo terram. Cumque eam tribus vicibus percussisset, et stetisset, iratus est contra eum vir Dei, dicens : Quia si percussisses eam quinquies, aut sexies, aut septies, percussisses Syriam usque ad consummationem. Nunc autem tribus vicibus percuties eam* (*IV Reg.* XIII). Terram autem ter percutere et stare, est terrena corda tantum de fide sanctæ Trinitatis erudire, et nihil de sanctitate bonæ conversationis adducere. Ergo, charissimi, nos loquendo, vos audiendo, utrique faciendo, percutiamus terram, id est terrenitatem in nobis ter, in sanctam Trinitatem fideliter credendo. Percutiamus eam quinquies, nostris sensibus potenter præsidendo. Percutiamus eam sexies, sex supradicta opera misericorditer exhibendo. Percutiamus eam septies, septem prædictas virtutes viriliter exercendo. Quod si fecerimus percutiemus spirituales hostes usque ad internecionem, pacemque possidebimus in mundo per gratiam, in cœlo per gloriam. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen

SERMO XXXVI.

In Epiphania Domini.

Obtulerunt magi Domino aurum, thus, et myrrham (*Matth.* II). Aurum sacræ fidei significat claritatem, thus devotam orationem, mirrha carnalis affectus mortificationem. Aurum offerimus, dum divina sapientia per fidem intus elucemus. Cujus oblationis pretium, ut quantum sit quamve magnificum demonstremus, alienis verbis declarabimus. Sunt duo quædam, et hæc duo in uno sunt, et unum sunt duo hæc. Creator et Salvator; duo sunt nomina, et res una. Tamen aliud notat Creator, aliud Salvator. Creator, quia fecit nos; Redemptor et Salvator, quis redemit nos. Primum non eramus et facti sumus; postea perieramus et redempti sumus, et ab uno utrumquo factum est, ut bonum nostrum totum esset ab uno, et totum in uno et unum. Creatori debemus quod sumus, Salvatori quod reparati sumus. Hæc sunt ergo duo, quæ fidei proposita sunt credenda, Creator et Salvator, et quæ pertinent ad Creatorem, et quæ pertinent ad Salvatorem similiter. Creator, et quæ pertinent ad Creatorem, hæc est una pars fidei; Salvator, et quæ pertinent ad Salvatorem, hæc est altera. In prima parte discernit fides inter Creatorem et opera ejus. In secunda parte discernit fides inter Salvatorem et sacramenta ejus. Ad Creatorem pertinent opera conditionis quæ sex diebus facta sunt; ad Salvatorem pertinent opera restaurationis, quæ complentur sex ætatibus. In prima parte ad fidem pertinet confiteri Creatorem, et ab eo facta esse omnia quæ habent esse. In secunda parte ad fidem pertinet venerari Salvatorem unum, et ab eo reparata esse perdita quibus datum est vel daudum beatum esse. In prima parte recta fides in Creatorem et creaturam ita discernere debet, ut et unicuique horum quod suum est tribuat, et vicissim alterius proprietatem in alterum non transfundat, id est ut nec creaturæ attribuat Creatoris majestatem, nec Creatori ascribat creaturæ infirmitatem; nec Deum concludat tempore, nec creaturam extendat æternitate. Ita fides, si unicuique quod suum est tribuit, recte offert; si inter utrumque bene discernit, recte dividit, et non peccat. Si vero in quo-

libet horum delinquitur, fides sana necesse est detrimentum patiatur. Nam illi qui, creaturam pro Deo colentes gemino errore decepti, vel creaturam æternam vel Deum temporalem esse crediderunt, quid inde aliud fecisse dicendi sunt quam excellentiam Factoris operi, et infirmitatem facturæ seu creaturæ tribuisse Creatori? Rursus philosophi gentilium, quamvis inter Creatorem et opus suum recte discernerent, nequaquam fideles tamen appellantur, quia fidem de Salvatore non habuerunt.

Sequuntur ergo deinde ea quæ in secunda parte posuimus, ubi primum in Salvatore agnoscimus redemptionem, in sacramentis ejus redemptionis præparationem. Prima pars fidei spectat ad debitum naturæ. Secunda pars fidei spectat ad debitum gratiæ. Illa credere debemus, quia per naturam conditi sumus; ista credere debemus, quia per gratiam reparati sumus. Offeramus fratres, sacramenta, sanamque fidem; quia ipsa placet Deo super aurum et topazion. Thus devotam significat orationem. Sicut enim thus in thuribulo igne crematum odorifera fumositate sursum ascendit, ita devota oratio in corde flamma charitatis accensa intima suavitate ad aures Divinitatis pertingit. Thuribulum namque est cor, ignis charitas, thus oratio. Istius spiritalis thuris diversæ sunt species. Quot enim sunt animæ Christianæ, bonæ et devotæ vel modo qualibet utiles illi, et fructuosæ affectiones, tot non inconvenienter afferre probantur orationes. Aliquando nimirum oramus, pœnam quam pro peccatis nostris meruimus timendo. Aliquando oramus, eadem peccata deflendo. Aliquando oramus, ea confitendo. Aliquando oramus, de venia magna nimiter præsumendo. Aliquando oramus, judici nos humiliando. Aliquando oramus, ejus benevolentiam captando. Aliquando oramus ejus potentiam exaltando. Aliquando oramus, preces nostras exaggerando. Aliquando oramus, inimicis nostris mala imprecando. Aliquando oramus, nostram necessitatem insinuando. Aliquando oramus, nostram tribulationem pronuntiando. Aliquando oramus, malitiam hostium nostrorum accusando. Aliquando oramus, auxilium divinum instanter postulando Aliquando oramus, eleemosynas erogando.

Pœnam etenim timendo oramus, quando dicimus. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* (*Psal.* VI). Eadem flendo oramus, quando orantes. *Lavamus per singulas noctes lectum nostrum, et lacrymis nostris lectum nostrum rigamus* (*ibid.*). Ea quoque confitendo oramus. quando secundum eumdem Prophetam : *Iniquitatem nostram annuntiamus, et cogitamus pro peccato nostro* (*Psal.* XXXVII). De venia bene præsumendo oramus, secundum illud : *Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. Et in Domino sperans non infirmabor* (*Psal.* XXV). Et item : *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi* (*Psal.* XLII). Nos Deo humiliando oramus, ut est illud : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus* (*Matth.* VIII). Et alibi : *Peccavi super numerum arenæ maris, et non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ* (*II Par.* XXXVII). Ejus benevolentiam captando oramus, quando ejus misericordiam laudantes, mitem, benignum, longanimem prædicamus, ut est illud. *Misericors et miserator Dominus, longanimis et multum misericors. Non inperpetuum irascetur* (*Psal.* CII): Et cætera quæ sequuntur. Potentiam ejus exaltando oramus, cum dicimus : *Tua est potentia, tuum regnum, Domine. Da pacem, Domine, in diebus nostris* (*Off. Eccl.*). Aliquando oramus preces nostras in conspectu Dei exaggerando, secundum illud. *Exaudi, Domine, placare, Domine, attende et fac.* Mala inimicis nostris imprecando oramus, cum dicimus : *Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ* (*Psal.* LXX). Necessitatem nostram insinuando tantum oramus, secundum illud : *Domine, si hic fuisses, frater meus non fuisset mortuus* (*Joan.* XI). Et ut beata Maria in nuptiis Dominum orans dixit : *Vinum non habent* (*Joan.* II). Tribulationem nostram pronuntiando oramus quoties illud Davidicum dicimus : *Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio* (*Psal.* CLXI). Hostium nostrorum malitiam accusando oramus, ut est illud : *Respice inimicos nostros, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me* (*Psal.* XXIV). Divinum auxilium instanter postulando oramus, quando dicimus : *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina* (*Psal.* LXIX). Eleemosynam denique erogando oramus quando quod scriptum est adimplemus : *Abscondite eleemosynam in sinu pauperis et ipsa orabit pro vobis ad Dominum*, etc. (*Eccli.* XXIX).

Sunt et alii modi multi, quibus orare solemus, quos hic causa vitandæ prolixitatis describere nec volumus nec valemus. Est et alia species incensi, thymiama videlicet rusticanum, quod in pauperioribus ecclesiis circa corpora mortuorum, vel causa honoris, vel etiam causa reprimendi fetoris cremari solet, gravem et ingratum habens odorem. Hoc convenienter orationem peccatorum significat, de quibus scriptum est : *Deus peccatores non exaudit* (*Joan.* IX). Et David : *iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus* (*Psal.* LXV). Oratio enim quæ ad Deum funditur, debet esse munda ut sit accepta. Munda autem est illorum oratio qui vera compunctione et confessione a sordibus vitiorum mundati secure dicere possunt : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Myrrha, quæ amara est, carnis et carnalis affectionis designat mortificationem. Hujus quoque, ut in alio quodam sermone digessimus, diversæ sunt species. Alia est enim myrrha doloris, alia timoris, alia compunctionis, alia confessionis, alia satisfactionis, alia etiam myrrha compassionis. Alia est myrrha cujuslibet virtutis, alia boni operis alia est myrrha abstinentiæ, alia prælationis vel

potius administrationis. Omnis enim prælatus, qui præest in sollicitudine, multiplicis curæ amaritudine repletur. Unde et beatus Paulus, de seipso quodam in loco, sic ait : *Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor.* XI.) Et in Job legitur quod *gigantes gemunt sub aquis* (*Job* XXVI). Et Dominus in Evangelio : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima* (*Luc.* X). Quæ turbatio operante gratia Dei plus credenda est habere meriti quam detrimenti, dum secundum Salomonem *per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis* (*Eccle.* VII). Tam multiplex est ergo spiritalis thuris et myrrhæ diversitas, quam est diversa sanctæ orationis et fructuosæ amaritudinis utilitas. Itaque, fratres, quod magi pagani obtulerunt corporaliter, et nos offeramus spiritualiter, ut per hujus oblationis gratiam pervenire mereamur ad gloriam. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXVII.

De sacrificiis, et holocaustis et oblationibus, et eorum differentiis.

Anima mea in manibus meis semper (*Psal.* CXVIII). Omne quod pretiosum habemus, quod magis diligimus, quod magis amittere pertimescimus, semper vel sæpius in manibus habemus, vel præ manibus habere solemus. Nihil est autem quod homini debeat esse charius aut pretiosius anima sua. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?* (*Matth.* XVI.) *Pellem* ergo *pro pelle et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua* (*Job* II). Inde est, charissimi, quod Psalmista sanctus suam animam in manibus non sæpe, sed semper se habere dixit, velut oblationem sanctam dignam Deo continue offerendam, quam modis omnibus custodire, et super Christum, qui est altare nostrum, patri volebat offerre. Cujus exemplo informati nostras debemus animas in manibus tenere, easque semper Deo sacrificare et offerre. Sacrificium in Veteri Testamento dicebatur, quando de animalibus fiebat oblatio. Oblatio autem aliarum quarumlibet rerum vocabatur. Sacrificiorum autem secundum Veteris Testamenti consuetudinem tria sunt genera. Alia enim sunt holocausta, alia simplicia sacrificia, alia pacifica. Holocaustum vocabatur quod vel ex delicto vel sponte oblatum totum incendebatur. Sacrificium simplex vocabatur quod, pro debito institutionis oblatum, partim cremabatur, partim reservabatur. Pacifica dicebantur quæ sponte offerebantur, sive per gratiarum actionem, sive pro præcedentis voti adimpletione, sive pro voluntaria et spontanea devotione. Holocaustum aliquando fiebat de armentis, aliquando de pecoribus, aliquando de volatilibus. Oblatio aliquando fiebat de simila, quæ dicebatur sacrificium crudum, aliquando de clibano, aliquando de sartagine, aliquando de craticula, et dicebatur sacrificium coctum. Sacrificia alia erant pro peccato, alia pro delicto. Delictum est, quando non fit quod fieri debet. Peccatum, quando fit quod fieri non debet. In sacrificium autem vel holocaustum aliquando offerebatur taurus, aliquando vitula, aliquando hircus, aliquando capra, aliquando hædus, aliquando vitulus, aliquando vacca, aliquando bos, aliquando ovis, aliquando agnus, aliquando aries, aliquando turtur, aliquando columba, aliquando passer. Oblatio vero aliquando fiebat ex simila, aliquando ex oleo, aliquando ex aceto, aliquando ex vino, aliquando ex thure, aliquando ex thymiamate, aliquando ex calamo, qui aromaticus appellabatur. Unde Dominus per Isaiam ad populum Israel : *Non emisti mihi argento tuo calamum* (*Isa.* XLIII).

Videamus omne quid ista significent, ut ex eorum significationibus valeamus intelligere quod multis modis Deo nostras animas possimus offerre. Taurus significat superbiam. Unde in Ecclesiastico dicitur. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus* (*Eccli.* VI). Quoties ergo superbiam nostram deprimimus et conterimus, toties Deo taurum immolamus. Vitula significat luxuriam. Unde in libro Sapientiæ de luxuriosis et immunde viventibus dicitur. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt* (*Sap.* IV). Dum ergo nostram luxuriam pro Deo coercemus, Deo quasi vitulam sacrificamus. Hircus, capra, hædus, peccata vel peccatorum pœnitentium solent figurare. Peccata alia criminalia, alia venialia. Criminalia alia majora, alia minora. Majora, ut homicidium, incestus, adulterium, sacrilegium; minora, ut furtum, fornicatio; venialia, ut risus, ira levis et transitoria, verbum aliquando otiosum. Hircum itaque offerimus, dum de majoribus criminibus; capram, dum de minoribus; hædum, dum de venialibus peccatis pœnitemus. Sic in vitulo, propter suam teneritudinem, boni operis inchoationem; in vacca, quia in majus robur excrevit, ejusdem operis perfectionem; in bove, propter ejus perfectam fortitudinem, operis boni intelligimus perfectam, ac robustam consummationem; in ove quoque, quia innocens est animal, intelligimus bonæ actionis innocentiam; in agno, quia in principio vitæ mundissimam habet pellem, cordis munditiam ; in ariete, quia dux est gregis, rationalis intellectus, per quem adjuvante gratia omnia nostra bona debent regi, robustam accipiamus potentiam.

Immolemus igitur, fratres, animas nostras Deo : in tauro, nostram superbiam propter ipsum deprimendo; in vitula, nostram luxuriam coercendo; in hirco, capra, hædo, pœnitentiam de nostris peccatis agendo; in vitulo, bonum opus inchoando; in vacca, in eo proficiendo; in bove, ipsum perfecte consummando. Possumus quoque dicere quod quælibet hostia designat bonam conversationem. Pellis hostiæ ejusdem conversationis superficiem, caput initium, cauda finem intestina occultam virtutem, ablutio hostiæ

munditiam vitæ honestæ. Pellem hostiæ detrahimus, et hostiam membratim dividimus, cum derelicta conversationis nostræ exterius specie, interius ratione discernente singula opera nostra pro loco, tempore, modo, intentione, diligenter discutimus, ne nos vitium fallat sub specie virtutis, aut culpa sub specie rectæ operationis. Sacrificia autem nostræ bonæ conversationis imperfectionem designant. Et holocausta ejus perfectionem figurant. Voluntaria denique sacrificia vel holocausta, de quibus scriptum est: *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII), aut bonæ voluntatis significant devotionem, aut spontanei operis exhibitionem. Sed et quasi feminini generis est quod offerimus, quando in aliqua virtute vel leviter infirmamur. Masculum vero offerimus, quando viriliter agimus, quando confortatur cor nostrum, quando deficientibus pueris, et laborantibus, et juvenibus in infirmitatem cadentibus speramus in Domino, assumimus pennas sicut aquilæ, currimus et non laboramus, ambulamus et non deficimus. Turtur post primum parem, secundum fertur non requirere, et ideo castitatem debet significare. Columba quoque, quæ felle caret, et rostro non laniat, simplicitatem et concordiam designat. Passer, qui in tecto nidificat, cœlestem contemplationem figurat. Ille velut passer in tecto nidificaverat qui dicebat: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III). Offeramus, fratres, nostras animas in turture per castitatem, in columba per simplicitatem, in passere per contemplationem. Simila quoque, quæ absque fermento offerebatur, simplicem doctrinam significabat. Oleum exprimit misericordiam. Sicut enim oleum super omnes liquores quibus miscetur ascendit, sic opus misericordiæ omnium operum effectus transcendit. Unde quemadmodum alibi diximus, prætermissis aliis sola misericordiæ opera in die judicii commemorabuntur. Acetum et vinum duplicem exprimunt compunctionem, unam videlicet quæ nascitur ex dolore peccatorum et timore tormentorum, alteram quæ nascitur ex perceptione cœlestium donorum et prægustatione futurorum bonorum. Nam acetum significat primam, vinum secundam. Thus, ut sæpius diximus, significat orationem. Thymiama vero non illud rusticanum, de quo supradiximus, sed illud, quod est boni odoris propter suam fragrantiam, bonam significat opinionem. Unde Paulus: *Christi bonus odor sumus in omni loco* (*II Cor.* II). Calamus denique, eo quod calamo cantica soleant fieri, divinam laudem significat vel gratiarum actionem. Offeramus etiam in his animas nostras, in simila videlicet per simplicem doctrinam, in oleo per misericordiam, in aceto vel vino per compunctionem, in thure per orationem, in thymiamate bono per bonam opinionem, in calamo per divinæ laudis decantationem et gratiarum actionem.

Sciendum est autem quod quando aves, scilicet turtures, aut columbæ offerebantur, caput earum ad collum retorquebatur, et per vulneris locum sanguis effundebatur, vesicula gutturis extrahebatur, pluma detrahebatur, et sic earum caro cremabatur. Capitis retortio significat mentis humiliationem, sanguinis effusio peccati confessionem, extractio vesiculæ et detractio plumæ, inflatæ elationis et dissolutæ levitatis ablationem. Sic ergo nostram hostiam necesse est præparemus, si eam Deo placabilem fore desideramus. Fermentum et mel super altare Domini non offerebantur, quæ et nos spiritaliter vitare debemus. Fermentum enim significat hæreticam pravitatem, mel dulcedinem sæcularem. Hæresis corrumpit fidem, dulcedo sæculi corrumpit bonam operationem. Sal in omni oblatione offerebatur. Sic enim in Levitico scriptum est: *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo; in omni oblatione offeres sal* (*Levit.* II). Sal significat sapientiam. Quidquid ergo boni cogitamus, loquimur, aut operamur, totum sapienter agere debemus. Unde et in psalmo, qui specialiter de oblatione divinæ laudis canitur, scriptum est. *Psallite sapienter* (*Psal.* XLVI). Istud quoque sal in libro Sapientiæ commendatur, ubi dicitur: *Si quis erit consummatus inter filios hominum, si abfuerit ab illo sapientia tua, in nihilum computabitur* (*Sap.* IX). Ergo quia non omnia possumus omnes, et unusquisque habet suum donum a Deo, et in via Dei alius sic ambulat, alius autem sic, idcirco unusquisque nostrum in suo sensu abundet. Et sicut dicit B. Petrus: *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus* (*I Petr.* IV). Qui ergo non habet bovem perfectionis, non assistat ante Deum sine vitulo inchoationis; et qui non abundat simila doctrinæ, offerat oleum misericordiæ. Et quisque in dono sibi quasi singulariter dato excellenter præpolleat, et in eo non sibi singulariter, sed et aliis communiter vivat, ut per gratiam bene dispensatam in tempore, gloriam mereamur in æternitate. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula Amen.

SERMO XXXVIII.

De Babylone, id est sæculari conversatione per septem crimina, fugienda.

Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis (*Isa.* XLVIII). Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, quæ ab antiquo in solitudinem sempiternam ob civium suorum scelera redacta est, et nominis sui interpretatione, et principum suorum crudeli elatione, et habitatorum suorum perversa conversatione præsens sæculum significat. Quod videlicet sæculum, tum propter culpam, tum propter pœnam, tum propter utramque, perversæ, impiæque Babyloni rectissime comparatur. Habet enim ad modum civitatis alicujus secundum sensum tropologicum portas suas, murum suum, plateas suas, ædificia sua minora et majora. Porta per quam introitur est nativitas; via per quam transitur est mor-

talitas; porta per quam exitur est mors. Quidquid A nimirum nativitas misera subjicit, totum infelix mortalitas secum trahit, et quidquid mortalitas trahit, totum insatiabilis mors deglutit. Murus ejus est orbis istius ambitus, quem intramus quidem nascendo, sed exire non valemus nisi moriendo. Inter utramque vero portam, id est nativitatem per quam introimus, et mortem per quam eximus per viam, id est mortalitatem per quam transimus quotidie horis, et momentis, et in corruptione, et in pœnalitate versamur, et fluctuamus, donec secundum arbitrium judicis interni et æterni post meritum ad præmium veniamus. Plateæ istius spiritalis Babylonis septem vitia principalia sunt. Istæ plateæ longæ sunt et latæ. Longæ per consuetudinem diuturnam, latæ, per disso- B lutam licentiam. Prima est superbia, secunda invidia, tertia ira, quarta acedia, quinta avaritia, sexta gula, septima luxuria. Superbia ad unam partem, sive ad unam manum habet elationem cordis, ad alteram autem ostentationem operis. Intus enim superbia, foris jactantia. Superbia in elatione cordis, jactantia in ostentatione operis. Superbia magis in occulto coram Deo, jactantia magis in manifesto coram proximo. Ad hanc plateam instruendam primum posuit lapidem diabolus, quando sedem suam ponere voluit ad aquilonem, et similis esse Altissimo. (*Isa.* XIV). Ipse rex est hujus Babylonis, ipse tunc et hoc modo ipsam civitatem, plateamque primam ejus cœpit ædificare. Secundo loco primi parentes nostri plateam C eamdem urbis Babylonicæ ædificaverunt, quando pomum vetitum comedentes domum scientiæ superbe quæsierunt. In hac platea unusquisque elatus tanto altius sibi domum construit, quanto amplius præ cæteris inflatus superbit. Et sic de aliis vitiis intelligendum est, quod qui in vitiis inveniendis et exercendis primi exstiterunt, ipsi in ædificandis plateis Babylonis primum laboraverunt. Et quanto se quisque vitiosus quolibet vitio gravius corrumpit, tanto sublimiorem aulam sibi in Babylone componit. In hac platea prima, quæ est superbia, varii sunt apparatus, varii ornatus, et magis in ea quæruntur quæ pertinent ad laudem, quam quæ pertinent ad voluptatem. Plus in ea affectantur quæ spectant ad mundi gloriam, quam quæ ad carnis concupiscentiam. D Omnia enim sunt composita, circumornata ut similitudo templi. In ipsa purpura, et byssus, vestes holosericæ, et tapetia de Ægypto, ornamenta calceamentorum, et lunulæ, et torques, et monilia, et armillæ, et mitræ, et discriminalia, et periscelides, et murenulæ, et olfactoria, et inaures, et annuli, et gemmæ, et mutatoria, et pallia, et linteamina, et acus, et specula, et suidones, et theristra. Habitatores ejus ingrediuntur pompose, et extento collo, et nutibus oculorum plaudentes, pedibus suis composito gradu incedentes. Repleta est terra ejus equis, et innumerabiles sunt quadrigæ ejus.

Secunda Babylonis platea, quæ est invidia, altissima paupertate constringitur et arctatur. Nam et si qua quandoque possident bona, dum pompam divitias et gloriam, quæ in prima ei vicina platea superabundant, livido aspectu perpendit, se pauperrimam, et quasi omni felicitate destitutam credens, inconsolabiter gemit et tabescit. Habitatores ejus tortiones et dolores tenebunt, et quasi parturientes dolebunt. Hæc habet ex una parte proprium decrementum, ex altera alienum incrementum. Inter propriam quippe minorationem et alterius augmentationem, vel etiam inter propriam ignominiam et alterius gloriam omnis mundus, quasi per suæ plateæ medium, cruciatus agitur. In hac quoque platea diabolus princeps est; Quia *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.* II). Habet autem multos, sed omnes perditos cives, Cain, Scribas, et Pharisæos, et principes sacerdotum, quos sciebat Pilatus per invidiam tradidisse Christum.

Tertia platea urbis reprobæ ira est. Hæc ad unam manum habent iram levem et transitoriam, ad alteram odium, id est, iram gravem et continuam. Hic videbis festucam, illic trabem. In hanc miseram plateam concurrunt omnes impetus universarum tempestatum. In hac etenim se agitant turbines dissensionum, strepunt fragores comminationum, fremunt venti contentionum, ruunt imbres et grandines persecutionum, micant fulgura armorum, sonant tonitrua percussionum et interfectionum. Quarta platea urbis nefandæ est acedia. Hæc habet ex una parte tristitiam, ex altera desperationem. Hæc magis horrenda et amplius timenda præ cæteris videtur. Cum enim grave sit peccare, gravius est tamen irrationabiliter in trisitiam decidere; gravissimum autem per tristitiam in desperationem se præcipitare. In hac platea Cain infelix primus sibi domum erexit, cum dixit. *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (*Gen.* IV). Sed et Judas negotiator pessimus in hac eadem platea mansionem sibi constituit, dum de venia desperans laqueo se suspendit. Ab ejus se habitatione liberari petiit Psalmista cum ait. *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum* *Psal.* LXVIII).

Quinta autem platea est avaritia. Hanc ex una parte constituit cupiditas, ex altera tenacitas. Quæ, quamvis repleta sit argento et auro, et non sit finis thesaurorum ejus, satiari tamen non potest; quia *avarus* (quantum ad ardorem sitis ejus spectat) *non implebitur pecunia*, (*Eccles.* V). Sed quanto plus acquirit, tanto amplius habere concupiscit. Unde est illud.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
(JUVEN., *Sat.* XIV, vers. 138.)

In hac insignem habet arcem dives ille avarus sepultus in inferno (*Luc.* XVI).

Sexta platea est gula. Cujus unam partem facit edacitas, alteram ebrietas. Ab hujus plateæ mansione nos prohibuit Dominus ubi dixit. *Videte ne graventur corda vestra in crapula, et ebrietate* (*Luc.* XXI). Et

Apostolus. *Non in comessationibus et ebrietatibus* (*Rom.* XV). Et in ea quidem parte, quæ est edacitas, sunt omnia genera panum, quæ fiunt arte pistoria, et obsoniorum quæ fiunt arte coquinaria, genera diversa carnium quadrupedum et volucrum, piscium marinorum et fluvialium, piper et allium et cyminum ad conficiendos sapores et condimenta. In altera parte, quæ est ebrietas, sunt vina diversi coloris et saporis, et vigoris, et odoris confecta diversis herbis et aromatibus, ad opus eorum, *qui consurgunt mane ad ebrietatem sectandam et ad potandum usque ad vesperum* (*Isa.* V). Quorum impudentiam idem propheta, cujus hæc sunt verba, alibi redarguit, dicens: *Præ vino*, inquit, *nescierunt, et præ ebrietate erraverunt* (*Isa.* XXVIII). *Sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino. Erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium. Omnes enim mensæ eorum repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non sit ultra locus* (*Isa.* XXVIII). Et item alibi in persona eorum: *Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate, et erit hodie sicut et cras, et multo amplius* (*Isa.* LVI). Et si tales fuerunt propheta, et sacerdos, et speculatores populi, qui ab eodem propheta vocantur canes impudentissimi, nescientes saturitatem; quale putatis fuit vulgus promiscui sexus et ignobile? Sed et apostolus Paulus de gulosis loquens ait: *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus venter est, et gloria in confusionem eorum, qui terrena sapiunt* (*Philip.* III).

Septima platea est luxuria. Hæc ex una parte habet immunditiam cogitationis, ex altera immunditiam actionis. Hæc est ultima et infima omnium platearum Babylonis, et in ipsam confluere videntur immunditiæ totius civitatis, et tamen inquinationis suæ pro fluvio non potest saturari. *Os* etenim *vulvæ*, ut sacra Scriptura testatur *est insatiabile* (*Prov.* XXX). Multa sunt, fratres quæ de his omnibus possent dici, quæ nunc necesse est prætermitti. Nam tota die fere aliis rebus intendimus, et ob hoc ad nostrum libitum scribendi tempus non habemus. Quæ ergo nostram possibilitatem superant, vobis scrutanda relinquimus, vobis colligenda reservamus.

Et nunc charissimi, nobis, horreamus et abominemur plateas, et detestemur habitacula Babylonis, id est, omnia scelera vitæ sæcularis. *Egrediamur de Babylone, fugiamus de Chaldæis, revertamur Jerusalem.* Egrediamur mala nostra relinquendo, fugiamus pœnitendo, revertamur bene vivendo. In aversione vel descensione de Jerusalem in Babylonem primo loco fit tentatio; secundo delectatio; tertio consensus; quarto operatio; quinto consuetudo; sexto desperatio. Per tentationem namque movemur, per delectationem descendimus vel potius labimur, per consensum portas Babylonis ingredimur, per operationem habitaculum nobis construimus, per consuetudinem servituti adducimur, per desperationem in carcerem trudimur et vinculis ligamur. In reversione autem de Babylone in Jerusalem, prima est per divinam aspirationem peccati cognitio; secunda cordis compunctio; tertia oris confessio; quarta pœnitentiæ satisfactio; quinta virtutis exercitatio; sexta boni operis exibitio. Et notandum quod ait: *Fugiamus a Chaldeis*. Melius enim quædam peccata, maxime quæ dulcescunt nobis, fugiendo vincimus, quam resistendo. Unde Apostolus de fornicatione: *Fugite*, inquit, *fornicationem* (*I Cor.* VI). Hoc etiam exprimit quod nuntius, qui venit ad Heli, dixit. *Ego sum, qui veni de prælio, et ego, qui de acie fugi hodie* (*I Reg.* IV). Melius est enim fugere, vitamque salvare quam in bello occumbere. Egrediamur, fratres et fugiamus. Brevis autem est via et facilis, quæ est de Jerusalem in Babylonem, et e contrario (quod est mirabile dictu) grandis et difficilis est via, quæ est de Babylone in Jerusalem. Facile nimirum de bono in malum, de virtute in vitium, de spiritu in carnem labimur; sed non æque de inferioribus ad superiora, corpore quod corrumpitur et aggravat animam pressi, facile resurgimus. Inde est illud poeticum:

> . . . . . *Facilis descensus Averni,*
> *Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras*
> *Hoc opus, hic labor est.*
> (VIRGIL. *Æneid.*, lib. VI, vers. 126, 128, 129.)

Quia spiritus et caro magno sibi confinio vicina sunt, facile et cito per culpam labimur, sed quia post quam peccavimus peccati consuetudine premimur difficile per justiam relevamur. Unde et ista spiritualis reversio longum, arduum, et difficilem ascensum recte habere dicitur. Hinc est quod Salvator ait: « *Arcta et ardua est via, quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII). Si ergo sumus in hac reversionis via per pœnitentiam, vel in ipsa Jerusalem per bonam et perfectam conscientiam, teneamus quod habemus ne alius nostram accipiat coronam. Si stamus, videamus ne cadamus (*I Cor.* I), semper suspicantes de insidiis et incursibus hostium nostrorum, qui nos adduxerunt, et captivaverunt, et de canticis Sion interrogaverunt (*Psal.* CXXXVI). » Qui secundum sententiam Jeremiæ, velociores sunt aquilis cœli, super montes persequuntur nos, in deserto insidiantur nobis (*Thren.* IV). Aquilæ cœli facti sunt prælati, qui ad cœlestia bona sublimiter volant, et supernæ claritatis radios contemplantur. Montes designant altitudinem contemplationis. Desertum significat secretum vitæ spiritalis. Sed persecutores nostri velociores aquilis cœli sunt, quia crudeles spiritus acrius ad nos persequendum quam nostri prælati ad defendendum multoties insistunt. Et licet in alta supernæ contemplationis ascendamus, vel in abscondita conversationis intimæ recedamus, nunquam tamen desinunt nos persequi, nunquam nobis desistunt insidiari. Unde necesse est, charissimi, ut non solum fortiter, sed et sapienter gradiamur. Contra persecutionem etenim debemus esse fortes, contra insidias sapientes. Si ergo fortiter et sapienter ambulemus, hostes evademus, in Sion cum salute perveniemus, et lætitia sempiterna erit in Christo.

Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXIX.

De civitate sancta Jerusalem secundum sensum tropologicum.

Jerusalem civitas sancta (*Apoc.* XXI), et *civitas sancti* (*Isa.* LII). Secundum historiam civitas est terrena, secundum allegoriam sancta est Ecclesia; secundum tropologiam vita spiritalis, secundum anagogen patria cœlestis. Prætermissis igitur aliis de illa quæ tropologiam spectant dicamus; et ex ejus descriptione mores bonos ædificare satagamus. Quemadmodum ergo Babylon, id est vita sæcularis habet suas plateas, et cætera, quæ descripsimus superius, sic et sancta Jerusalem, id est vita spiritalis habet suæ ædificationis dispositionem in bona, scilicet, murum suum, plateas suas, ædificia sua, portas suas. Habet etenim murum extrinsecus in circuitu undique, quo circumdatur per bonorum morum districtam, continuam, et perfectam disciplinam. Habet et septem plateas contra septem plateas Babylonis per quasdam septem virtutes septem vitiis supra descriptis contrarias. Habet nimirum sancta et spiritalis vita humilitatem, quæ est contraria superbiæ, habet charitatem, quæ est contraria invidiæ, habet pacem quæ est contraria iræ, habet spiritualem lætitiam, quæ est contraria acediæ, habet largitatem, quæ est contraria avaritiæ, habet abstinentiam, quæ est contraria gulæ, habet continentiam, quæ est contraria luxuriæ. Quarum platearum partes, sive illas, quæ ad unam manum sunt, sive illas, quæ ad alteram describere fortasse non erit inutile. Prima platea civitatis sanctæ, quam humilitatem diximus, hinc habet humilitatem illam quam homo habet, et exhibet intus soli Deo in occulto; illinc habet humilitatem illam, quam habet et exhibet homo foris propter Deum proximo in manifesto. Cujus virtutis fructus vel plateæ bonum Dominus demonstrat, ubi dicit: *Omnis qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XIV). Quanto nimirum in præsenti quilibet se magis humiliat propter Deum, tanto in futuro sublimior erit apud Deum.

Secunda platea est charitas, quæ ex una parte habet dilectionem Dei, ex altera dilectionem proximi. Hinc enim jubemur diligere Deum ex toto corde, anima, viribus, et memoria; illinc jubemur proximum diligere sicut nosmetipsos. Charitatis fructus, atque bonum quantum sit, Dominus per semetipsum notificat ubi dicit, quod *in his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII). Sed inde est quod Apostolus ait: *Plenitudo legis est dilectio* (*Rom.* XIII).

Tertia platea hujus spiritualis Jerusalem pax est. Hujus unam partem facit intus concordia cum Deo, alteram facit foris concordia cum proximo. Istam hinc et inde nos habitare, eamque inter nos mediam esse Dominus præcepit, ubi ait: *Sal habete in vobis et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX). Cujus fructus quantus sit alibi ostendit, ubi ait: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). Magnus est hic fructus, magnum bonum. Nam *si filii et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII).

Quarta platea ejus spiritualis lætitia est. Cujus partem unam facit exsultatio illa quæ intus solum sentitur in affectione, alteram facit illa quæ etiam foris apparet in sensualitate. Aliquando quippe tanta lætitia cœlitus infunditur animæ, ut non solum intus sentiatur, sed et foris agnoscatur, in vultu, in voce, in gestu, in motu. Unde Psalmista: *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum* (*Psal.* LXXXIII). Hinc est quod sacra Scriptura refert, quod lætante populo Dei et laudante Deum vox audiebatur procul. Quid enim mirum, si intus lætante patre de filio, qui post prævaricationem rediit ad cor, symphonia lætitiæ, chorusque simul foris audiantur (*Luc.* XV). Inde est etiam quod in sacris solemnibus diebus prohibemur contristari, Scriptura testante, quæ dicit: *Dies sanctificatus est Domino Deo vestro. Nolite lugere, et nolite flere. Ite, et comedite pinguia; et bibite mulsum, et mittite partes eis, qui non præparaverunt sibi. Sanctus enim dies Domini est. Nolite contristari* (*II Esdr.* VIII). Gaudium etenim Domini est fortitudo nostra. Hinc est quod Salvator ait: *Nunquid possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum ipsis est sponsus?* (*Luc.* V.) Ipsa namque lætitia, quæ in sacris solemnibus diebus in victu vel in vestitu a credentibus habetur vel exhibetur, bona bene ea utentibus est, quia sicut eis ex dono Dei, sic ab eis fit ad honorem Dei. Hujus virtutis utilitas, quæ vel quanta sit Paulus declarat, ubi Corinthiis de collectis scribens dixit: *Unusquisque prout destinavit in corde suo non ex tristitia vel ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX).

Quinta platea civitatis sanctæ est largitas, quam ex una parte constituit justa acquisitio, ex altera discreta distributio. Ex una parte facit eam justa acquisitio, quia religiosa et honesta largitas dedignatur vivere vel dare ea rapto, ex turpi, ex fraude, ex furto, vel qualibet modo alio injusto acquisita substantia, dedignatur de fermentata sacrificare laudem. Ex parte altera construit eam discreta distributio. Si enim minus justo daret, jam fieret ipsamet avaritia; si plus justo, jam non esset largitas, sed prodigalitas. Quantus sit fructus largitatis Salvator in Evangelio ostendit dicens: *Date, et dabitur vobis. Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum* (*Luc.* VI).

Sexta platea istius Jerusalem abstinentia est, quæ ex una parte habet parcimoniam, ex altera sobrietatem. Parcimonia est contraria edacitati, sobrietas ebrietati. Jejuniorum et abstinentiæ exempla multa reperiuntur in Scripturis, ex quibus præcipua sunt jejunia Moysi et Eliæ et Domini Salvatoris. Jejunii et abstinentiæ fructus quantus sit in Ninivitis elucet, qui per triduanam abstinentiam divinam placave-

runt iracundiam, et de subversione sibi comminata meruerunt indulgentiam (*Jon.* III).

Septima platea sanctæ civitatis est continentia sive castitas. Hæc ex una parte habet munditiam cordis, ex altera munditiam corporis. Vel ex una parte habet munditiam cogitationis, ex altera munditiam actionis. Cujus virtutis quantus sit fructus atque bonum, in viduis et virginibus colligitur, ex quibus viduæ sexagesimum, virgines centesimum possident fructum. Has, charissimi, virtutes recte plateas nominamus, id est vias latas ad inhabitandum, spiritualiter ambulandum, et currendum et ad omne spirituale negotium habiles, quia omnis via, quæ ducit ad vitam licet inchoantibus vel etiam proficientibus arcta et ardua videatur, profectis tamen et perfectis lata et plana esse probatur. Unde Psalmista : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Psal.* CXVIII). Et item : *Omnis consummationis vidi finem . latum mandatum tuum nimis* (*Ibid.*). Nam quicunque perfectam habet charitatem, quæ foras mittit timorem (*I Joan.* IV), dulce habet, imo reputat quidquid sibi tentationum vel adversitatum occurrerit, dicens cum Apostolo : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futurum gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Hinc in Canticis canticorum de charitate scriptum est, quod *fortis est ut mors dilectio, dura ut infernus æmulatio. Lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non poterunt exstinguere charitatem, neque flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro dilectione, quasi nihil despiciet eum* (*Cant.* VIII). In hac civitate spirituali turris quoque fortissima est, de qua scriptum est : *Turris fortissima nomen Domini ; ad ipsum confluet justus et salvabitur* (*Prov.* XVIII).

Scitis, charissimi, quia hominibus quibuslibet suam urbem defendentibus non in equis, armis, portis, muris, aut etiam viribus suis tanta fiducia est, quanta in turri suæ civitatis. Fugatis enim et retroactis unicum refugium, solumque tutamen est turris. Sic, sic fidelibus contra spirituales hostes dimicantibus unica spes est, atque tutela non solum in adversis verum et in prosperis, invocatio divini nominis. Non enim ignorant quod *quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit* (*Joel.* II). Inde est etiam quod sancta universalis Ecclesia in suis habet institutionibus primum invocare nomen Domini in divinis obsequiis inchoandis, fideliter et fiducialiter proclamando : *Deus, in adjutorium meum intende* (*Psal.* LXIX). Habet quoque portas duas Jerusalem ista spiritualis, quarum prima et inferior est fides Catholica. Secunda et superior est contemplatio divina. De his duabus portis scriptum est : *Ingredietur et egredietur, et pascua inveniet* (*Joan.* X). In prima porta inveniet pascua gratiæ, in secunda pascua gloriæ. Ut autem diversis ex locis Scripturæ, et ex assertionibus quorumdam potest intelligi, ipsa terrena Jerusalem secundum antiquum situm in clivo posita fuit. Sic et in clivo posita est civitas ista, quæ est vita spiritualis et habet gradus suos a porta usque ad portam, per quos ascenditur ab inferioribus ad superiora, ut qui ascendunt per singulos gradus a terrenis elongentur, ut cœlestibus appropinquent. Sancte enim vivere volentibus primum intrandum est per fidem, deinde per incrementa justitiæ ad contemplationem cœlestium conscendendum. Est itaque primus gradus in prima porta, vel potius ipsa porta est primus gradus sive scala ascensionis. A terrenis enim elevati, primo loco pedem ponere debemus in primam scalam, id est fidem. Secundo ex fide debemus ascendere in spem. Tertio debemus ascendere ex spe in charitatem. Quarto ascendere debemus ex charitate in aliarum virtutum exercitationem, maxime in septenarium principalium virtutum quæ in Evangelio describuntur, qui septenarius incipit, ubi dicitur : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). Quinto debemus ascendere ex septenario principalium virtutum in senarium bonorum operum, qui incipit, ubi dicitur : *Esurivi, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV). Sexto ascendere debemus ex senario bonorum operum in prædicationem. Justum enim et idoneum probatur, ut qui bonum operatur, ipse hoc aliis loquatur, ut sit imitator Salvatoris, de quo scriptum est : *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Prædicatio autem duobus aliquando modis expletur, verbis scilicet et miraculis. Unde de primis et summis prædicatoribus scriptum est : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI). Septimo loco debemus ascendere ex prædicatione in contemplationem. De his scalis sive gradibus ascensionis scriptum est : *Illuc ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini* (*Psal.* CXXI). Et alibi : *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum in loco quem posuit* (*Psal.* LXXXIII). Qui autem per istos gradus usque in portam contemplationis, quæ in summo, et quasi in exitu civitatis hujus posita est, conscenderit, ipse semetipsum spiritualiter egreditur, et supergreditur, ut fiat ex Jacob Israel, ex Lia Rachel, ex Phenenna fiat Anna, et ex Martha fiat Maria. Et qui fuit boni operis exhibitor, fiat divinitatis contemplator. Hinc est quod Jeremias ait : *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua* (*Thren.* III). Sedebit solitarius, quia levabit se super se. Hinc in Canticis canticorum scriptum est : *Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis ejus, et in lætitia cordis illius* (*Cant.* III). Hinc Psalmographus ait : *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu* (*Psal.* LXVII). Festinemus, fratres, post labores operis ad quietem et libertatem contemplationis egredi, ut nos regem in decore suo, et terram nostram licet adhuc de longe valeamus intueri. Ascendamus in virtutem de virtute sicut decet pro salute, ut per

prædictum ascensionis septenarium pervenire valeamus ad octonarium beatitudinum. Quod nobis præstare dignetur, etc.

SERMO XL.

De custodibus Jerusalem civitatis sanctæ.

Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes; tota die et nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et donec ponat Jerusalem laudem in terra (*Isai.* LXII). Jerusalem civitas sancta et civitas sancti, sancta Ecclesia est, cujus rex ei peregre proficiens præposuit custodes ac speculatores, qui eam die ac nocte custodiant, et a malo defendant. Sunt ergo diversæ speculæ et diversi speculatores, imo speculatorum ordines, qui in diversis locis sanctæ civitatis præsideant, hostes arceant, cives custodiant. In prima specula residet dominus apostolicus, qui sicut omnibus præsidet, ita omnibus providere debet; in secunda specula sunt patriarchæ, in tertia archiepiscopi, in quarta episcopi, in quinta archidiaconi, in sexta archipresbyteri, sive, ut in quibusdam locis appellantur, decani, in septima presbyteri, et in his omnibus quicunque sunt dignitate sublimiores, ipsi sunt civitatem custodiendi magis debitores. Officium singulorum speculæ sunt eorum. Verbi gratia: Specula presbyterorum presbyteratus est eorum; specula archipresbyterorum archipresbyteratus est eorum; specula archidiaconorum archidiaconatus eorum. Et sic de cæteris. Verum, fratres, secundum sacri eloquii testimonium, exigentibus populi peccatis, nonnunquam hypocrita speculam sacri regiminis ascendit, populum premit, nec custodit. Unde graviter dolendum graviterque gemendum. Quæ enim, charissimi, pulchritudo vel quis est honor dicendus si simia pinnaculum templi Dei conscendat, et in ipso resideat? nonne ad tam menstruosum spectaculum tota civitas concurret, agens super hoc manibus plausum, et cachinnum? Simia, ea quod humanæ formæ quædam habeat similia, ut aiunt, dicta, animal est parvum et pilosum absque voce, agile, deforme, petulcum, et alta montium sive ædificiorum libenter conscendens. Quæ licet vilissimum et turpissimum et horrendum sit animal, tamen homines sæculares suis erroribus decepti, qui in avibus cœli ludunt, et in bestiis terræ, et heu maxime clerici in suis domibus hanc habere, et in suis fenestris ponere solent, ut apud stultos qui pertranseunt, per ejus aspectum gloriam suarum divitiarum jactitent. Per hanc autem monstruosam bestiolam hypocrita speculator rectissime figuratur. Ipse etenim est simia per simulationem, parvus per despectionem, pilosus per superfluitatem, absque voce per noxiam taciturnitatem, agilis per levitatem, deformis per turpem conversationem, petulans ac petulcus per luxuriam, alta petens per superbiam. Alta petit per superbiam, quia si in hoc honore est, ad illum, id est ad superiorem semper anhelat. Verbi gratia, si in presbyteratu residet, concupiscit archipresbyteratum; si in archipresbyteratu, archidiaconatum; si in archidiaconatu, episcopatum; si in archiepiscopatu, patriarchatum, quem honorem vocamus etiam primatum; si in patriarchatu est, apostolicatum mallet habere. Sed quia hoc honore in ecclesiasticis dignitatibus nihil est excellentius, hic posuit Deus terminum mari, id est humanæ cogitationi fluctuanti et tumenti, et hic confringit tumentes fluctus ejus. Impii enim quasi mare fervens quod quiescere non potest. Et de hujusmodi speculatores venerabilis et laudabilis Bernardus Claravallensis in libro De consideratione ita scribit, dicens: « Simia in tecto rex fatuus in solio. Monstruosa res, gradus summus et animus infimus, sedes prima et vita ima, lingua magniloqua et manus otiosa, sermo multus et fructus nullus, vultus gravis, actus levis, ingens auctoritas et nutans stabilitas. » Hinc est quod Dominus per Oseo dicit: *Isti regnaverunt et non ex me. Principes exstiterunt, et non cognovi* (*Ose.* VIII). Hinc per Isaiam de talibus conqueritur dicens: *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia. Et canes imprudentissimi nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. Omnes in viam suam declinaverunt unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate, et erit hodie sicut et cras et multo amplius* (*Isai.* LVI).

Nunc his dimissis quos nec misit, sed dimisit Dominus, vertamus nos ad eos qui bene præsunt, et videamus quales debeant esse, qualiter præesse vel prodesse. Sed quomodo inveniemus, fratres, speculatorem idoneum, cum ipse Dominus vix inveniat dicens: *Quem mittam, et quis ibit nobis?* (*Isa.* VI) Et item in Evangelio: *Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* (*Luc.* XII.) Sed ipse Dominus, in Apostolo loquens, per Apostolum docet nos qualis esse debeat speculator, dicens: *Oportet*, ait, *episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem suæ domui præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum*, id est novitium, *ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli* (*I Tim.* III). Quod autem ait *unius uxoris virum*, vel quod ait *filios habentem* illius temporis fuit, non istius est, nec esse debet. Si autem speculator, quem pastorem vel prælatum dicere possumus, si inquam est vitiosus, a suis subditis minime reprehendendus est. Unde Isidorus: « Sunt inquit qui præpositos suos perverse judicant, dum terrenis studiis eos plus viderint esse intentos, si vel parum jam ipsi de spiritualibus cognoverunt. » Rectores a Deo ergo judicandi sunt, a suis autem subditis judicandi non sunt, exemplo Domini qui per se vendentes columbas et nummulariorum mensas

proprio evertit flagello. Vel etiam sicut dicitur : *Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat* (*Psal.* LXXXI). Quod si a fide exorbitaverit rector, tunc erit arguendus a subditis. Pro moribus vero reprobis tolerandus magis quam distringendus a plebe est. Sciendum est etiam quod sicut pro moribus reprobis a subditis non est arguendus, sic in his quæ bene docet, et præcipit non est contemnendus. Hinc Dominus in Evangelio dicit : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : Quæ dicunt servate, quæ faciunt facere nolite* (*Matth.* XXIII). Sed jam, charissimi, quæ terrenarum, et mundanarum civitatum custodes in suis custodiis agere soleant videamus, et tunc forsitan quod spiritualibus sanctæ Ecclesiæ custodibus faciendum sit clarius videre valebimus. Solent autem civitatum custodes ac speculatores maxime tempore bellorum in alto sedere, vigilare, per totam civitatem præcipue noctibus circuire, tubis clangere, fistulas inflare, citharizare, et cantare.

Sic, sic, dilectissimi, facere debent speculatores civitatis nostræ. Debent in alto sedere, per spiritualem conversationem, ut eorum conversatio non sit in terra, sed in cœlo, non in carne, sed in spiritu, quatenus eorum anima in pulvere non humilietur, et venter eorum terræ non conglutinetur, sed super montem excelsum ascendant illi, qui Evangelizant Sion, et pedes sint speciosi super montes annuntiantium pacem, prædicantium salutem, dicentium : *Sion, regnabit Deus tuus* (*Isai.* LII). Debent vigilare per circumspectionem, ut intuitum vertant a dextris, ne prosperis fallantur; a sinistris, ne adversis frangantur, retro per præteritorum utilem memoriam, ante per futurorum providentiam. Debent vigilando circumspicere, ne ex improviso hostis adveniat, portas frangat, vel murum irrumpat, domos accendat, turres evertat, cives occidat, spolia detrahat, civitatem destruat, populum in Babyloniam abducat. Debent circuire totam civitatem, id est gentem sibi commissam, et scrutari ne lapide cujuslibet virtutis dilapso, murus disciplinæ vel ad modicum infirmetur, et, si id contigerit invenire, quanto citius fieri potest resarcire. Quod ille bene adimplevit qui ait : *Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum* (*II Cor.* II). Debent tubis clangere per terribilem prædicationem. Tubarum alia lignea, alia terrea, alia cornea, alia ænea. Tuba lignea apposito igne facile aduritur ; tuba cornea percussione facile frangitur; tuba cornea de carne procedit, sed carnem excedit; tuba ænea fortis est, et percussionibus non facile cedit. Propterea tuba lignea bene significat prædicationem illorum qui facile vincuntur tentationibus; terrea, illorum prædicationem qui franguntur adversitatibus; tuba cornea, illorum prædicationem qui tentationes superant; tuba ænea, prædicationem illorum qui in adversitatibus invincibiles perdurant. Fistulas debent inflare per blandam consolationem. Aptum est enim ut asperitatem et duritiam terroris, blandimentum consolationis sequatur, ut per sequentem suavitatem præcedens asperitas temperetur. Has fistulas habere jubentur prædicatores, ubi scriptum est : *Dicite pusillanimis : Confortamini* (*Isa.* XXXIII). Citharizare debent per bonam operationem. Cithara namque quæ digitis tangitur ut sonum reddat, bonam operationem recte figurat. Hæc cithara sex habet chordas, sex videlicet opera misericordiæ. *Esurivi, et dedistis mihi manducare*, etc. (*Matth.* XXV). Cantare debent per laudem, et gratiarum actionem. Semper enim gratias debent agere Domino bonorum omnium largitori.

Debent ergo sancti speculatores in alto sedere per spiritualem conversationem, vigilare per circumspectionem, circuire per sollicitudinem, tubis clangere per prædicationem, fistulas inflare per consolationem, citharizare per bonam operationem, cantare per gratiarum actionem. Et hæc omnia facere debent die et nocte, id est in prosperis et adversis. Unde et ipse Isaias, cujus hæc sunt verba quæ præposuimus, de seipso dixit : *Super speculam Domini ego sum stans jugiter per diem, et super custodiam meam ego sum stans totis noctibus. Donec*, inquit, *stabiliat et donec ponat Jerusalem laudem in terram* (*Isa.* XXI). Primum ponit Deus laudem Ecclesiæ sanctæ in mundo per gratiam, deinde ponit ei laudem in cœlo per gloriam. Sed Donec ponat ei laudem in cœlo necesse est sancti speculatores ejus ut ad custodiam vigilent in mundo. Sed quia nisi *Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (*Psal.* CVI), deprecemur Dominum, ut per semetipsum nos custodiat ut pupillam oculi, quatenus per gratiam nobis impensam in tempore, cum ipso regnare valeamus in æternitate. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus.

SERMO XLI.

In Purificatione beatæ Mariæ semper Virginis de purificatione mentis.

Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis: et Angelus testamenti, quem vos vultis (*Malac.* III). *Templum Dei, fratres, sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Ad hoc templum venit Dominus diversis modis. Venit etenim per creaturarum contemplationem, venit per Scripturarum lectionem, venit per miraculorum operationem, venit per præceptorum suorum prædicationem, venit per internam aspirationem, venit per adversitatem, venit per prosperitatem, venit comminando mala, venit promittendo bona, venit mala auferendo, venit bona conferendo, venit per cognitionem veritatis, venit per amorem virtutis. Et est quidem in templo suo per gratiam, sed venit ad idem templum per majorem gratiam, ut det gratiam pro gratia, ut justos justitiam faciat adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc. Quia *omni habenti dabitur, et abundabit* (*Luc.* XIX). Nobis autem post acceptam gratiam voluntarie peccantibus relinquitur, ut ipse Dominus ait judæis, domus non jam ejus, sed nostra deserta

(*Matth.* XXIII). Et, ut per Jeremiam ait, *Fit ei hereditas ejus sicut spelunca hyænæ* [*quasi leo in silva*] (*Jer.* XII), et domus ejus, quæ nos fuimus, quæ domus orationis esse debet, quia in cordibus nostris eum debemus adorare et timere, fit spelunca latronum (*Matth.* XXI), id est, habitatio dæmoniorum, qui per furtivas suggestiones nos profanant et pertrahunt ad illicitas delectationes. Cum autem Dominus iterum exsurgit ad miserandum Sion, *quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus* (*Psal.* CI), tunc mittit strenuum suæ clientelæ famulum, qui præparet viam ejus ante eum, ut, mundificato et sanctificato templo, quod fuerat contaminatum et profanatum, statim ad ipsum veniat Dominator, quem nos quærimus, et Angelus testamenti, quem nos volumus. Dominator potentia, Angelus gratia: Dominator in eo quod nos dignatus est creare, Angelus in eo quod dignatus est nos redimere.

Præmittitur ergo ex omnibus cœlestis curiæ servientibus et officialibus quasi custos et procuratrix et imperatrix prima atque mundatrix templi Dom... consideratio culpæ, ut illud a cunctis sordibus emundet, ac velut vere cœlestis regis thalamum per emundationem decenter adornet. Ingressa igitur consideratio, seu cognitio culpæ videt gentes ingressas in sanctuarium Dei, de quibus præceperat ut non intrarent Ecclesiam ejus. Videt templum et omnia utensilia ejus polluta et obvoluta, contaminata et profanata, tectum ejus de super cum trabibus, et tignis, et laquearis, telis aranearum undique palliatum, id est mentem cum suis sensibus, affectionibus, et virtutibus velatam per totum vanitate turgentis superbiæ; aream vero deorsum, id est carnem stratam luto luxuriæ, medios parietes, id est sermones et actiones vitiorum sordibus a summo usque ad imum stercoratus et fœdatos. *Ibi requiescunt bestiæ, habitant struthiones, et pilosi saltant ubi et respondebunt. Ibi ululæ in ædibus ejus, et Sirenæ in delubris voluptatis* (*Isai.* XIII). *Ortæ sunt spinæ et urticæ, et paliurus in munitionibus ejus. Et facta est domus Domini cubile draconum et pascua struthionum. Unicornes descendunt cum eis, et tauri cum potentibus. Non est transiens per eam, quia onocrotalus et ericius ibis, et corvus habitant ibi. Occurrunt dæmonia onocentauris, et pilosus clamat alter ad alterum. Ibi cubat lamia, et invenit sibi requiem, ibi habet foveam ericius, et enutrit catulos, et circumfodit, et fovet in umbra ejus. Illuc congregati sunt milvi alter ad alterum. Ibi corvus in superliminari, et lappa et tribulus super aras ejus* (*Isai.* XXXIV. *Soph.* II).

His omnibus nihil aliud innuitur, nisi peccatorem Christianum, sive crudelium suggestionibus dæmonum, sive reproborum consiliis hominum interius exteriusque corruptum et non jam Dominicæ, sed dæmoniacæ magis habitationi mancipatum. Hæc attendens cognitio, seu consideratio culpæ ingemiscit, et tabescit, non habens consolatorem, nec inveniens consolationem. Nec præsumit sola subire sarcinam tanti negotii reminiscens verborum Salomonis, ubi dicit: *Melius est duos esse simul quam unum, habent enim emolumentum societatis suæ; si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem se: Et si dormierint duo fovebuntur mutuo. Unus quomodo calescet? Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei* (*Eccle.* IV). Pro his omnibus ista prima virtus aliis præmissa, quam considerationem culpæ nominamus, omnium invocat rectorem Deum, ut sibi præstare dignetur auxilium ad tantum obsequium exsequendum. Mittitur ergo ei cœlitus quædam pedisequa ejus, quæ dum hujusmodi res bene geritur, eam semper solet comitari, consideratio videlicet pœnæ, et præcipitur ei, ut opus acceleret, et domum Domini circa ejus adventum præparare festinet. Quæ cor humanum cœlitus illapsa, videt peccatoris stipendium quod promeruit, jam jamque persolvendum (stipendium autem peccati est mors et mors æterna); videt crudelia tormenta, calores ignium, et frigora nivium, famem et sitim, terrores et tortores, tenebras, vermes, et si qua sunt similia. Dum ergo consideratio culpæ hinc, consideratio pœnæ inde rebus ubique agendis unaquæque pro suo officio solerter intendit, nequaquam vires suas ad hoc negotium rite peragendum solas sufficere prudenter attendunt. Mittuntur ergo eis duo satellites curiæ cœlestis strenui, et virtute pleni, dolor scilicet et timor, eas in hoc labore perficiendo non soluot sequi, sed etiam eis obsequi consueti, et indicit consideratio culpæ dolorem de peccato præterito, consideratio vero pœnæ timorem de tormento futuro. Qui gravem sibi laborem instare cognoscentes, perticis et scopis opus arripiunt, et tanta (si fas est dicere) vesania inter parietes debacchantur, ut nisi moderatrix et gubernatrix omnium quam ocissime accurrat temperata discretio, domum totam non jam solum evertant ad quærendum quod erat perditum, sed potius subvertant ad perdendum quod substiterat adhuc salvatum. Dum enim debent operari peccatoris emendationem, ipse eorum impetum ferre non prævalens, aliquando pene præcipitatur in desperationem. Mittitur ergo discretio, quæ dicto citius advolans freno sui moderaminis furentes cohibet, moderatur, dirigit, et gubernat.

His igitur omnibus simul laborantibus et sese vicissim adjuvantibus, tota domus Domini sparcitia quæ vel per cogitationem, vel per locutionem, aut per operationem facta fuerat, in unum coacta sterquilinium in medium cordis congeritur, ut adhuc accepto consilio et auxilio divino modo quolibet egeratur. Tunc renuante Deo antiqua miracula, percutitur petra cordis, et fluunt aquæ in abundantia. Mittitur enim sexta loco ad præsignificandam perfectionem operis in cor humanum compunctio. Quæ ab imo cordis exsurgens suo impetu detestabilem illam, et horrendam massam sublevat, et dissolvit; et aliis manum apponentibus totis omnium viribus ad ostium pelli-

tur ut expellatur. Tunc denique ut septiformis sancti Spiritus gratia adesse monstretur, septimo loco dirigitur ostiaria, id est confessio, qua veniente et us diu mutum, et per diabolum obseratum, aperiente, tota illa nefanda congeries eliminatur. His itaque peractis, id est vitiis et peccatis expulsis, jure hæreditario virtutes et bona opera succedunt. Quibus omnibus domus Domini adornatur, et contra ejus ingressum emundata, et ornata decentissime præparatur. Et statim venit ad templum sanctum suum Dominator, quem nos quærimus, et Angelus testamenti, quem desideramus. Celebratur ergo solemnitas sancta Purificationis tanto gaudio, ut *non solum hominibus, verum et angelis Dei gaudium sit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente plusquam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* XV). Eia, charissimi, emundemus nos ab omni iniquinamento carnis et spiritus, ut simus sine macula et sine ruga, quatenus per nostram bonam conversationem, et per meliorem conversionis conversationem ea geramus in tempore de quibus lætemur in æternitate. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLII.

In purificatione B. Mariæ, de purificatione Ecclesiæ.

Ipse est quasi ignis conflans, quasi herba fullonum. Et sedebit conflans, et emundans argentum; et purgabit filios Levi. Et colabit quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia (*Malac.* III). Salvator noster, dilectissimi nobis, ad templum suum veniens, id est sanctam Ecclesiam visitans per suæ dispensationem incarnationis, ut eam sibi exhiberet sine macula luxuriæ, et sine ruga malitiæ, emundavit eam ab omni inquinamento carnis et spiritus per gratiam redemptionis et affectum justificationis. Quæ gratia vel effectus hic manifestissime designatur, comprehenditur, exprimitur, ubi per Prophetam prædicitur: *Sedebit conflans et emundans filios Levi*. Ubi namque dicitur *sedebit*, dæmonstratur ejus diligens intentio nos salvandis. Ubi vero subditur conflans, angustia notatur tribulationis; ubi autem deinde infertur *purgabit filias Levi*, effectus nostræ justificationis. Ipse est quasi ignis conflans, quasi herba fullonum. Dominus quasi ignis est consumens lignum, fœnum, stipulam, quia gravia peccata graviter punit. Est etiam *quasi herba fullonum*, quia leviora levius puniens, lotis munditiam restituit. *Et purgabit filias Levi, et colabit eas quasi aurum et quasi argentum.* Per filios Levi sacerdotalis dignitas intelligitur. Et si sacerdotes colandi sunt et purgandi, quid de cæteris est dicendum, cum judicium incipiat a domo Dei, *et colabit eos?* Metallum postquam conflatum est in fornace, ut sæpe videmus, ad exemplar terreum quod lingua vulgari corlear dicere possumus, cui et per quod in vas vel in aliud quodlibet instrumentum infundendum est et informandum ab artifice vice colarii, quolibet instrumento, ne carbones simul transeant interposito, traducitur et transfertur. Quod totum in hac spirituali purgatione perfectus completur. De spirituali namque conflatione scriptum est: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem* (*Rom* V). Et Dominus in Evangelio: *In mundo pressuram habebitis* (*Joan.* XVI). Ad colationem autem pertinet quod ait: *Arcta est via quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII). Et item: *Contendite intrare per angustam portam* (*Luc.* XIII). Non enim ad modicum arctatur qui ex una parte audit: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris* (*Tob.* IV); et ex altera: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis* (*Matth.* VII). Per arctam autem viam ducitur, et per strictum foramen colatur, cui, omne quod delectat, nisi secundum Deum sit, etiam cogitare prohibetur. De informatione vel conformatione sic dicit Apostolus: *Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu* (*II Cor.* III). Per tribulationem quippe conflati, et per districtam disciplinam, quæ in præsenti non videtur esse gaudii sed mœroris, colati, integritatem et pulchritudinem, divinæ imaginis in nobis recipimus, qui eam in nobis prave vivendo miserabiliter corruperamus; et nostræ conditionis dignitas ex vase contumeliæ in vas transfertur gloriæ.

Colabit, inquit, *eas quasi aurum, et quasi argentum*. Quidquid in auro, id est sensu nostro et argento, id est eloquio, commistum est ære, stanno, plumbo, camino Dei excoquitur, et per districtionem disciplinæ colatur (*Psal.* XI), ut sit *igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum* (*Ezech.* XXVII). Contingit autem, charissimi, sæpenumero, ut qui in fornacem sanctæ purgationis mittuntur ut probentur, non probentur, sed reprobentur. Hinc Isaias populo Israel ait: *Argentum tuum versum est in scoriam* (*Isa.* I). Hinc Ezechiel ait: *Fili hominis, versa est mihi domus Israel in scoriam* (*Ezech.* XXII). Omnes isti, æs et stannum, et ferrum, plumbum, in medio fornacis scoria argenti facti sunt. Hinc Dominus ad Jeremiam ait: *Probatorem dedi te in populo meo robustum, et scies et probabis viam illorum. Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs, et ferrum, universi corrupti sunt. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator, malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos* (*Jer.* VI). Possunt tamen æs et ferrum et stannum et plumbum in bona aliquando significatione accipi. Æs etenim, quia sonorum est, apte significat sonum prædicationis. Ferrum autem, quia per illud justitia solet exerceri, virtutem significat severitatis. Stannum, etsi argentum non est, tamen quia a longe argenti suo colore vel fulgore præ se ferro videtur similitudinem, potest figuram cujuslibet virtutis, vel boni operis imitationem. Dum enim aliquis in altero videt alicujus virtutis fulgorem splendescere, etsi non potest illi in eadem

virtute coæquari, tamen quia studet illum in quantum potest, imitari, videtur velut stannum, quantumvis argenti longa similitudine, aliqua tamen ejus imitatione decorari. Plumbum, quia ponderosum est, significat gravitatem. Sed in hoc loco omnia ista non in bona, sed in mala significatione accipi possunt. Æs itaque propter tinnitus sui melodiam, placentem significare potest adulationem. Ferrum, quia ipso crudelia et injusta homicidia multoties fiunt, figurat crudelitatem. Plumbum per suam ponderositatem designat segnitiem. Stannum exprimit virtutis simulationem. Scoria, quæ est metalli purgamentum, quamlibet significat vitiositatem.

Fratres, ne simus æs per adulationem, nec ferrum per crudelitatem, nec plumbum per segnitiem, aut stannum per simulationem, sed nec scoria per quamlibet vitiositatem; formidabiliter timeamus quod dicitur: *Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator, malitiæ enim eorum* non *sunt consumptæ*. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos. Hæc omnia nobis terribiliter sunt formidanda. Nos etenim qui in religione sumus, nos maxime in conflatorio fornacis sumus. Conflatorium nempe claustrum nobis est, in quo velut aurum in fornace, tædio, silentio, lectione, meditatione, oratione, jejuniis, vigiliis, rigore disciplinæ, debemus a nostris peccatis purgari et probari. Conflator prælatus noster est, qui ad nos emendandos continue laborat. Sufflatorium, verbum ejus est et exemplum. Timeamus, charissimi, ejus in nobis laborem frustrari, dum incorrigibiles existentes per eum contemnimus emendari, timeamus argentum reprobum vocari. Timeamus a Domino projici. Hinc est quod de reprobo et superbo dicitur: *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ipse abutitur eo in superbiam* (*Job* XXIV). Timeamus ergo in loco humilitatis superbire, *quia initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* X). Ponamus ante mentis oculos verba hodiernæ propheticæ lectionis, quæ superius continentur, ubi de Domino dicitur: *Quis poterit cogitare diem adventus ejus. Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum* (*Malach.* III). Qui enim venit et conflat et purgat electos suos per misericordiam in tempore, in fine temporis veniet et conflabit minus purgatos per judicium. Unde scriptum est: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal* C): nunc misericordiam, tunc judicium. Nam electi imperfecti minus purgati ante judicium, in judicio perfecte purgabuntur. Hinc Apostolus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est* (*I Cor.* III). *Si quis autem superædificat super hoc fundamentum, aurum et argentum, lapides pretiosos*, ut videlicet cogitet ea tantum quæ Dei sunt, sicut faciunt perfecti, aut *lignum, fenum*, stipulam, dum divisus cogitat ea quæ sunt mundi, quibus sine dolore carere non potest, ut faciunt imperfecti, *unusquisque opus manifestum erit*. Quando? In die judicii. *Dies enim Domini*, id est dies judicii, *declarabit, quia in igne revelabitur et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus manserit* (subaudi integrum), *mercedem accipiet* perfectionis. *Si cujus opus arserit*, in eo videlicet quod in parte cogitavit quæ sunt mundi, *detrimentum patietur*, scilicet et imperfectionis et arduris. *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (*I Cor.* III). Studeamus, charissimi, et satagamus pro viribus nunc a Domino per misericordiam perfecte corrigi, ne judex venturus et sæculum per ignem judicaturus, sua judiciaria sententia, per quam etiam quidam electi sunt transituri et purgandi, et colandi, inveniat quod debeat cremari; sed ut pro perfecto merito, perfecto præmio ab ipso mereamur tunc coronari. Quod nobis præstare dignetur, etc.

SERMO XLIII.

In Septuagesimo, aut alio pœnitentiæ tempore, de plantandis in nobis virtutum seminariis, et ejiciendis vitiorum radicibus, sumpta parabola de paradisi deliciis.

Tulit Dominus Deus hominem, quem formaverat et posuit eum in paradisum voluptatis (*Gen.* II). Tropologice, id est moraliter hæc disserentes, charissimi, dicimus quod homo a Deo formatur quando justificatur, et in paradisum ponitur, dum in secura jucunditate, sive jucunda securitate bonæ conscientiæ collocatur. Quid enim melius intelligimus per paradisum plenum voluptate quam mentem humanam ex confidentia bonæ conscientiæ plenam securitate? *Secura enim mens quasi juge convivium* (*Prov.* XV). Nihil ergo rectius accipimus per illam terrestrem paradisi gloriam quam bonam justi conscientiam. De qua et Apostolus ait: *Gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I). Quid quoque aptius figurari dixerim per illius quietem optimam, quam tranquillitatem mentis, et pacem internam? De hac pace populo non in via Dei ambulanti, sed in invio diaboli erranti Baruch ait: *Si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace super terram* (*Baruch.* III). Nam si parentes primi in paradiso præceptum Creatoris tenuissent, in habitatione pacis ejus perpetuo quievissent. Ita et nunc quicunque mandata Dei corde perfecto custodiunt, in pacis intimæ securitate malorum timore sublato requiescunt. Non solum autem paradisus terrestris sua voluptate, securitate, pace, gloria, bonæ conscientiæ nostræ spiritalia bona significat, verum et fontis sui, fluviorumque manatione, atque natatilium, ambulatilium, et volatilium ad alta volantium, suave canentium multitudine, ac diversarum arborum multiplici fructificatione, omnium quoque florum vernantium pulchritudine convenienter illa figurat. Significat enim in nobis fons paradisi gratiam spiritualem, quatuor flumina quatuor principalium virtutum exercitationem; natatilia, eo quod pisces in aquis hinc inde fluctibus quassati natando laborant, laboriosam boni operis exhibitionem; ambulatilia

nostræ justitiæ incrementum et perfectionem; volatilia, per volatum divinum contemplationem, per cantum laudem et gratiarum actionem. Arbores quoque multiplici fructificatione, et flores varia pulchritudine virtutum in nobis figurant utilem decorem et opinionem. Olea misericordiam significat, ut ex diversis sacræ Scripturæ paginis potest intelligi. Est autem olea nomen ipsius arboris, cujus fructus oliva vocatur. Inde est distichon cujusdam versificatoris.

Arboris est olea, fructus est nomen oliva.
Hinc oleum liquor exprессus, fæx cujus amurca.

Vitis significat sapientiam. Christus etenim, qui est Dei sapientia, dixit: *Ego sum vitis vera* (*Joan.* XV). Sed et vinum modice sumptum acuit ingenium. Ficulnea propter dulcorem et suavitatem sui fructus, dulcorem et suavitatem designat internam. De qua scriptum est: *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus* (*Sap.* XII). Et Sapientia: *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum* (*Eccli.* XXIV). Et Psalmista de suavitate: *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt* (*Psal.* XLIV). Et de dulcedine: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo* (*Psal.* CXVIII). Lignum scientiæ boni et mali exprimit obedientiam. In ipsa nempe, si eam servamus, bonum experimur; si transgredimur, malum. Lignum vero vitæ charitas est. Lignum etenim vitæ vitam hominis sanam, incolumem et immortalem semper conservasset, si de ipso semper homo comedere potuisset. Inde etiam quod postquam peccavit Adam de eo scriptum est: *Ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum. Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis* (*Gen.* III). Quemadmodum ergo lignum vitæ ut supra dictum est, immortale conservasset corpus humanum, ita et charitas, dum possidetur, immunem a morte peccati humanum custodit spiritum. Palma manibus victorum ferri solebat, et ideo victoriam significat. Qualibet autem arbor aromata sua redolentia bonam famam designat. Sic et rosa per ruborem passionem vel compassionem. Lilium per candorem castitatem. Viola per deflexionem flosculi et capitis sui ad ima humilitatem figurat. Non mireris, si supradictæ arbores in paradiso terrestri, vel etiam qualibet animalia, aut volatilia esse dicantur. Nam de arboribus scriptum est: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem, quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo*, scilicet paradisi, *omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignum scientiæ boni et mali* (*Gen.* II). Ubi enim omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave in paradiso fuisse dicitur, nullum lignum defuisse videtur. Et de animalibus et volatilibus postquam Dominus Adam posuit in paradisum, ita scriptum est: *Formatis Dominus Deus cunctis animantibus terræ, et volatilibus cœli adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea* (*ibid.*). Nec enim credendum videtur ea Adam extra paradisum longe quæsiturum, si eorum uti ministerio voluisset, sed de prope accepturum. Mysticis ergo divitiis atque deliciis supra descriptis mens justorum conserta, conferta et redimita dignoscitur. Cui mens impiorum sine conscientia valde dissimilis est. Nam ut Paulus dicit: *Inquinatæ sunt eorum mens et conscientia* (*Tit.* I). Hinc Salomon ait: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti; et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat* (*Prov.* XXIV). Quasi diceret: Vitam negligentis hominis consideravi et mentem ejus, quam urticæ et spinæ repleont, quia in corde negligentis pruriens terrena desideria, et punctiones pullulant vitiorum, et munimina virtutum perdidit. Non solum autem in agro pigri, in vinea stulti urticæ et spinæ, quæ hic describuntur oriuntur, sed multæ inutiles arbusculæ, et herbæ noxiæ, videlicet tribuli, vepres, rubi, lappæ, cicutæ, et multa similia. Tribuli ergo, eo quod minus duros aculeos habeant, et non valde vulnerando lædant, cujuslibet amaritudinis pravæ tribulationem recte designant. Spinæ, quæ duriores habent stimulos et acrius pungunt, graviorem cordis rancorem congrue figurant. Vepres quoque, quia lacerando vulnerant, rixarum et contentionum exacerbationem scissionemque apte significant. Rubi etiam, qui durissimos habent aculeos ac gravissime vulnerant et cruentant, crudelitatis immanitatem exprimunt. Urtica, quia digitos tangentis sæpe perurit, significat libidinem. Lappa, quia dum vestibus aut capillis injicitur tenaciter eis inhæret, figurat tenacitem. Cicuta denique quia intus est inanis et vacua, et foris odore fœtida, inanem gloriam et malam exprimit opinionem. Per urticas autem et spinas, quas Salomon superius solas et nominatim posuit, omnia vitia carnis et cordis significantur. Nam libido, quæ per urticas exprimitur, significare potest omnia vitia carnis: rancor vero, qui per spinas intelligitur, omnia vitia cordis.

Non sint, charissimi, nobis in nostrarum horto deliciarum; non sint, inquam, tribuli per quamlibet vel levissimam pravæ amaritudinis tribulationem, non spinæ per rancorem, non vepres per exasperationem, non rubi, quos quidam etiam scorpiones vocant, per crudelitatem. Non sint urticæ per libidinem, non lappæ per tenacitatem, non cicutæ per fœtidam opinionem, non denique qualibet arbuscula inutilis, aut herba noxia per quamlibet vitiositatem. Enimvero sit in nostro paradiso olea per misericordiam, vitis per sapientiam, ficulnea per dulcedinem internam, lignum scientiæ boni et mali per obedientiam, lignum vitæ per charitatem fraternam, palma per victoriam, qualibet arbor aromatica per bonam famam. Sit in eo rosa per passionem vel certe compassionem, lilium per castitatem, viola per humilitatem, omnis denique arbor bona, flosque pulcherrimus per cujuslibet virtutis fructificationem, pulchritudinem et opinionem.

Hunc paradisum, charissimi, totis viribus exerceamus, omni diligentia custodiamus. Exerceamus operatione, custodiamus circumspectione, quia scriptum est: *Ut operaretur, et custodiret illum* (*Gen.* II). Timendum quippe est nobis ne serpens veniat, pomum protendat, Evam in nobis seducat, Adam corrumpat, et de paradiso ejici faciat. Hinc Apostolus ait: *Timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate quæ est in Christo* (*II Cor.* XI). Serpens diabolus, Eva caro, pomum delectatio terrenorum. Quemadmodum autem serpens Evam pomo decepit, sic diabolus insensatam carnem terrena delectatione illicit et seducit. Et sicut Eva Adam induxit ad esum pomi, sic nonnunquam caro spiritum trahit ad consensum peccati; et sic uterque de paradiso, id est de statu boni sui ejicitur, quia et spiritus affligitur per malam conscientiam, et caro punitur per pœnam. Mentem ergo nostram et conscientiam, dilectissimi, non solum exerceamus, sed et custodiamus. Non enim deerit tentator, non deerit tentatio. Operemur igitur, et custodiamus in tempore, unde glorieuur in æternitate. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLIV.

In medio Quadragesimæ, de Jerusalem pro sancta Ecclesia per allegoriam sumpta.

Lætare Jerusalem, et conventum facite omnes qui diligitis eam (*In introitu*). Jerusalem, charissimi, civitas sancta, et civitas sancti sancta Ecclesia est, quæ sponsa Dei est, sicut sacra Scriptura testatur, dicens in Apocalypsi angelo sancto Joanni loquente: *Veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei* (*Apoc.* XXI). Et Apostolus: *Viri diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua* (*Ephes.* V). Et post pauca: *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia* (*ibid.*). Sancta autem Ecclesia recte de cœlo descendere dicitur, quia *omne datum optimum et omne donum perfectum*, quo eam sponsus ipsius Christus ab omni macula et ruga sanctificando justificat, *desursum est descendens a Patre luminum* (*Jacob.* I). Quæ et claritatem Dei habere perhibetur, quia claritatem, quam habet sponsus ejus per naturam, dat ei habere per gratiam, non per plenitudinem, sed per plenitudinis participationem. Et ipsa quidem sancta Ecclesia est in cœlo, partim in mundo. Ibi velut in patria, hic ut in exilio. Ibi regnans, hic peregrinans. Et celebrantur nuptiæ utrobique; hic in fide, ibi in contemplatione. Hic in spe, ibi in re. *Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoscimus ex parte, tunc cognoscemus sicut et cogniti sumus; cum enim venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* XIII). Hic in nuptiis propinatur vinum gratiæ, ibi propinatur vinum gloriæ: vinum gratiæ ad justificationem, vinum gloriæ ad beatitudinem. Et licet sanctam Ecclesiam ita secundum status diversos, credulitatis scilicet et visionis, spei et rei, justificationis et beatitudinis, gratiæ et gloriæ, distinguamus, ut in exsilio sit filia, in regno mater, quemadmodum scriptum est: *Illa autem Jerusalem, quæ sursum est, libera* videlicet a tentationibus, tribulationibus, et mortalitate, *quæ est mater omnium nostrum* (*Gal.* VI); licet, inquam, sic distinguamus, una est tamen uxor Agni, sponsa Christi, sicut scriptum est: *Una est columba mea, perfecta mea* (*Cant.* VI). Una prædestinatione, nondum una glorificatione. Columba puritate simplicitatis, perfecta consummatione virtutis. Hæc igitur verba, quæ in principio posuimus, *lætare, Jerusalem, et conventum facite, omnes qui diligitis eam*, quæ sunt verba consolatoria, non illi dicta videntur, quæ sursum in regno cum sponso jam gloriatur, sed ei, quæ adhuc ab ejus visione in ærumna sæculi præsentis longe peregrinatur.

Lætare, Jerusalem. Quasi per consolationem peregrinanti diceretur: Jerusalem, quæ adhuc in mundo peregrinaris, tentationibus fatigaris, adversitatibus probaris, persecutionibus exerceris, mortalitate premeris, lætare in adversis quasi sciens, quia *licet is, qui foris est homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem* (*II Cor.* IV). *Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur* (*ibid.*). *Lætare*, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII). *Lætare* ergo pro diebus, quibus humiliaris, annis quibus vides mala, quia quanto gravior pugna, tanto major est corona. *Et conventum facite, omnes qui diligitis eam.* Conventus, fratres, quoties pro bono et bene fit, materia est exsultationis, occasio gaudii et incitamentum lætitiæ, maxime, hoc in loco sive negotio, quo filiis suadetur, ut conveniant, matri congaudeant, matri, inquam, quæ eos in baptismo genuit, ac divinorum testamentorum doctrina suavi velut oberum suorum lacte nutrivit. Ubi autem ad malum perpetrandum fit conventus, multorum multoties malorum causa fit effectus. Et de hujusmodi conventu Paulus sic dicit: *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum et alius quidem esurit, alius autem ebrius est* (*I Cor.* XI). Et post pauca: *Laudo vos in hoc? non laudo* (*ibid.*). Hinc Dominus per psalmistam de inique convenientibus dicit: *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus* (*Psal.* XV). Iniquorum est segregare se a conventu justorum, et facere de se

conventiculum, vel conventicula, ut bini, ut terni congregati nihil aliud studeant nisi dictis absentium rodere vitam, vel in alios, vel etiam in suimet perniciem aliqua prava machinari. Hujusmodi autem conventicula multis modis fiunt, vel potius multimoda sunt hujusmodi conventicula. Alia namque sunt vanitatis, ut conventicula ludentium; alia loquacitatis, ut verba otiosa, et superflua et scurrilia et turpia proferentium. Sunt etiam alia conventicula detractionis, alia contentionis, alia seditionis, alia commessationis et potationis, alia luxuriæ et turpitudinis, alia denique cujuslibet pravitatis; nos ergo, charissimi, nequaquam conventicula velut iniqui faciamus, quia si conventicula de sanguinibus, id est de peccatis perpetrandis facimus, a Domino sicut auditis non congregamur. Faciamus autem conventum, ut secundum Apostolum consideremus invicem *in provocationem charitatis et bonorum operum, non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam* (*Hebr.* x). Faciamus conventum, ut simus omnes pariter in una fide, in una dilectione, in una exercitatione virtutum, in una exhibitione bonorum operum. Sed quoniam hujusmodi conventus ab omnibus Christianis etiam laicis et conjugatis, generaliter exiguntur aliquo modo, nos qui in congregatione consistimus, conventum diligentius et specialius faciamus, unde eorum meritum (ut justum est) transcendamus et excellentius a Domino præmium percipiamus.

Sex itaque sunt loca, in quibus conventum debemus facere conventumque tenere, scilicet in refectorio, in labore, in claustro, in choro, in dormitorio, in capitulo. In refectorio, dum conventum facimus, duplicem fructum acquirimus, quia ibi reficitur corpus et spiritus; corpus cibo, spiritus divino eloquio. In labore triplicem fructum acquirimus. Ibi et enim fructum habemus honestæ occupationis, fructum exercitationis, fructum utilitatis: fructum occupationis habemus, quia dum labori intendimus ad nulla inutilia vagamur, fructum exercitationis ibidem percipimus, quo saniores efficiamur. Habemus fructum utilitatis, quia labor noster in Domino non est inanis. In claustro fructum accipimus pacis et silentii. De quo scriptum est: *Erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum: et sedebit populus meus in pulchritudine pacis; et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta* (*Isa.* xxxii). Habemus quoque in claustro fructum lectionis et meditationis, fructum devotionis et orationis, fructum contemplationis et compunctionis. Ibi præceptis majorum instruimur, exemplis informamur, incitamur monitis. In choro autem habemus per recitationem lectionum fructum eruditionis. In psalmis vero et hymnis, et canticis spiritualibus fructum divinæ laudationis. Sane fructu divinæ laudis sociamur angelis, dum officium, quod illi complent in cœlis, nos exercemus in terris, et impletur per illos pariter et nos quod scriptum est: *Confessio ejus super cœlum et terram* (*Psal.* cxlviii). In dormitorio vero fructum capimus quietis corporalis. Sunt quoque qui illic percipiunt non tantum quietem corporis, sed et gustum boni spiritualis. Aliquando quippe mens eorum dulcedinem internam ibi sentit dormiendo quam sentire non potest vigilando. Quidam etiam alios fructus et utilitatem ibidem accipiunt vigilando, orando, peccata sua plorando, et impletur in eis Davidicum illud: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* vi). In capitulo denique conventum facimus, ut nostras negligentias et transgressiones emendemus.

Capitulo igitur omnes debent interesse quicunque correctioni et emendationi volunt subesse. Sed sunt quidam in religione, qui in morem equorum emissariorum incrassatorum, lascivientium et manum stabularii fimum tergentis, et eos procurantis non sustinentium, vel de minimis leviter increpari non patiuntur; sed velut equi indomabiles in magistros qui eos castigare et emendare, vel a peccatis emundare debent, effrenate nimis insaniunt. Furoribus etenim impatientiæ arrepti, urinarum et contumeliarum morsibus in eos debacchantur. Quid autem de talibus agere debeat sanctus prælatus, qui stabularius Domini est, Psalmista declarat ubi dixit: *In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te* (*Psal.* xxxi). Per camum et frenum minora et majora Dei præcepta figurantur. Qui ergo rationabilibus castigationibus rationabiliter et voluntarie non acquiescunt, divinorum præceptorum auctoritatibus velut equi et muli camo et freno arctius constringendi sunt. *Omnis enim Scriptura divinitus inspirata utilis est*, ait Apostolus, *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (*II Tim.* iii). Sunt autem equi tantæ feritatis quidam et impatientiæ, ut dum ferrantur vel curantur, camo vel freno nequaquam possint teneri. Hujusmodi equorum labium broie, id est ferramento constrictorum inducitur, ut ejus districtione quieti teneantur. Quod bene in quibusdam typice geritur, quia propter nimiam eorum insolentiam cibus aut potus eis minuitur, vel silentium eis continuum imponitur. Superborum etenim contumacia et gravi sententia ferienda est, ne si misereamur impio, *non discat facere justitiam, et in terra sanctorum inique gerens non videat gloriam Domini* (*Isai.* xxvi), si non magis *tradatur Satanæ in interitum carnis* (*I Cor.* v), id est asperrimæ sententiæ ejus carnaliter adversanti et contrariæ, ut vel sola vexatione intellectum dante auditui, *spiritus salvus fiat in die Domini* (*ibid.*). Quam videlicet sententiam si ferre recusaverit, etiamsi non abscesserit, de societate projiciatur. Nec hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. Nec ista dicimus, fratres, ut minus perfectorum imbecillitatem tolerandam esse denegemus, sed in domo Dei sic exercendum est judicium, sic exercenda justitia, ne in-olentium superba modo quo

libet toleretur, neve imperfectorum imbecillitas illi modo prægravetur.

Sunt et alii per gratiam Dei in religione velut roncini aut asini oneriferi et laboriosi, qui ab aliis clamati vel etiam voluntarie prostrati de suis negligentiis sponte veniam postulant, et humiliter ac patienter eas emendant. Sunt et alii in domo Dei cœlesti gratio ditati, qui etiam injuste clamati lætanter se prosternunt, et injurias tacite pro Christo suscipiunt. Tam autem culpas sponte emendantibus, quam injurias patienter suscipientibus vox illa Psalmistæ convenit, ubi dicit : *Ego autem in flagello paratus* (*Psal.* XXXVII), et alibi : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me* (*Psal.* LXXII). Soli tamen apud Deum gloriam acquirunt qui injuste flagellati injurias tacite suscipiunt. Unde Petrus : *Hæc est*, inquit, *gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim gratia est, si peccantes, et colaphizati suffertis? sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem se judicanti injuste.* (*I Pet.* II). Primi ergo, quandiu incorrepti persistunt, pendent in cruce latronis blasphemantis; secundi, dum corriguntur, in cruce latronis veniam postulantis; tertii, qui propter Deum tantum sustinent, in cruce Christi innocenter patientis. Primis, si nolint corrigi, propter superbiam imputatur culpa: secundis propter humilitatem datur indulgentia; tertiis propter innocentiam augetur gratia. Igitur in capitulo, charissimi, conventum faciamus, ut culpas nostras corrigamus, imo injuriam accipiamus. Vitemus conventicula, faciamus conventum. Faciamus conventum ut simus unanimes in fide, charitate, operatione, recte credendo, sincere diligendo, sancte vivendo. Faciamus conventum in refectorio, simul comedendo, in laboro quæ ad ipsum pertinent simul exercendo, in claustro simul sedendo, in choro simul canendo, in dormitorio simul quiescendo, in capitulo nostras colpas corrigendo. Faciamus conventum in tempore, ut superno beatorum conventui jungi mereamur in æternitate. Quod nobis præstare dignetur, etc.

SERMO XLV.

De cello vinaria per allegoriam accepto pro Ecclesia.

Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem (*Cant.* II). Cella vinaria, charissimi, nobis sancta Ecclesia est, singulæ fideles animæ singula dolia. Cella a celando dici videtur. In ea quippe celantur quælibet necessaria sive utilia ab oculis et a tractu alienorum sive furum. Sancta igitur Ecclesia recte cella vocatur, quia in ipsa et per ipsam divinum arcanum et cœleste sacramentum ab immunda multitudine celatur, sicut scriptum est : *Nolite sanctum dare canibus, et nolite spargere margaritas ante porcos* (*Matth.* VII). Dolium quoque a dolando recte vocatur. Dolium ergo quælibet fidelis anima congrue nominatur, quæ tentationem et persecutionum dolationibus ad continendum gratiæ cœlestis liquorem paratur et aptatur. Sed et asseres aut tabulæ illæ, in quibus dolium construitur, bene virtutes nobis datas per naturam figurant; et circuli superadditi, quibus tabulæ constringuntur, virtutes nobis datas per gratiam apte significant. Quemadmodum enim illæ tabulæ, nisi circulis constringantur, vinum non continent, sic virtutes naturales, nisi virtutibus quæ per gratiam nobis superadduntur adjuvantur, cœlestia dona continere non valent. Duo etiam fundi anterior et posterior sensualitatem et rationalitatem designant. Anterior quippe, qui versus lumen est et patet, sensualitatem; posterior vero, qui versus parietem esse solet et latet, absconditam et latentem significat rationalitatem. Porro superior apertura, per quam vinum infunditur, convenienter intelligitur mentis intelligentia; vinum quod extrahitur, gratia. Deinque duciculus, id est foramen, per quod vinum educitur ut dispensetur et propinetur, est eloquentia vel operatio bona. Sicut autem sunt quædam dolia continentia vina dura et austera, quædam vero dulcia et suavia, sic quædam fideles et sanctæ animæ sunt in verbo et facto severiores et fortiores, quædam vero mitiores et remissiores.

Sane quatuor sunt, quæ specialiter in vino discerni possunt, videlicet sapor, odor, pulchritudo sive color, et vigor. Spiritualis itaque vini, de quo loquimur, sapor percipitur et cognoscitur in doctrina, odor in fama, pulchritudo in decore boni exempli, vigor in rigore recti judicii. Ad saporem pertinet quod Psalmista dicit : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!* (*Psal.* CXVIII.) Ad odorem, quod Paulus ait : *Christi bonus odor sumus in omni loco* (*II Cor.* II). Ad pulchritudinem spectat quod idem alibi dicit : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit; sicut in die honeste ambulemus* (*Rom.* XIII). Ad vigorem, quod Psalmista canit dicens : *Feci judicium et justitiam, non tradas me calumniantibus me* (*Psal.* CXVIII). Vinum autem nonnunquam quanto est fortius, tanto accessit facilius et melius. Sic et viri sancti quanto sunt in bonitate fortiores, tanto fiunt contra delinquentes mordaciores. Bonum itaque est vinum, sed carius est acetum, quia bona est lenitas mansuetudinis, sed salubrior est aliquoties vigor severitatis. Hinc per sapientiam dicitur : *Qui arguunt laudabuntur* (*Prov.* XXIV). Et alibi : *Verbo sapientium sicut stimuli et quasi clavi in altum defixi* (*Eccl.* XII). Hinc est quoque quod propheta postquam eum spiritus Dei in altum levavit, amatus (*sic*) indagatione spiritus sui abiit, quia quanto quisque per spiritum Dei sublimius attollitur, tanto amplius contra delinquentes indignatur. Hinc est denique quod in tabernaculo Domini fuisse describuntur acetabula (*Exod.* XXXIV), quia propter delinquentes, increpatio modis

omnibus est necessaria. Quæ si subtrahunt, tinea peccati totum corpus bonitatis paulatim corrumpit et demolitur. Per mustum autem, quod in dolio fervet, donec parcitur et purgetur, quid rectius accipimus quam gratiam vel vitam neophytorum ac pœnitentium, qui diversarum cogitationum et affectionum æstibus agitantur, donec conscientia purificata et clarificata, et pacificata quiescant? Quamvis enim gratia cœlestis velut dulce vinum dolio humanæ menti suaviter divinitus infundatur, et ab ipsa mente gratanter ac jucunde suscipiatur, mirabiliter tamen ipsam gratia suscepta gravat, dum eam vel per memoriam peccatorum amaricat, vel ad satisfaciendum et ad bene vivendum stimulat, orget et sollicitat, quemadmodum de beato Joanne legimus quod liber, quem ad comedendum cœlitus accepit, in ejus ore sicut mel dulcis fuit: sed ventrem ejus amaricavit (*Apoc.* x). Nam, ut ait Salomon: *In multa sapientia multa est indignatio, et qui addit scientiam addit et dolorem* (*Eccle.* i).

Recte ergo per fervorem musti bullientis designatur angor et fervor animæ pœnitentis, et ad emendationem totis viribus enitentis. Per dolia vero vel vasa ferrata, quid convenientius intelligimus, quam illorum vitam aut conversationem, qui post conversionem, claustralis disciplinæ vinculis mancipantur, ut ejus rigore constricti virtute et opere fortiores in posterum efficiantur? Qui inibi clausi velut mustum absque spiraculo constringuntur, quia ad ea quæ secundum carnem placere possunt, ne ad modicum quidem exire permittuntur. Quid enim habere potest spiraculi, cui etiam cogitare prohibetur quæ sunt mundi? Quorum quidam (quod sine dolore dicendum non est) suis peccatis exigentibus, vincula rumpunt et vinum effundunt, quia per suam impatientiam gratiam amittunt. Unde bene Dominus per prophetam Judaico populo dixit: *Excussisti jugum, rupisti vincula, dixisti: Non serviam* (*Jer.* ii). Alii vero non minori dementio vexati, tot et tantis jejuniis student atque vigiliis se macerare, ut inceptum propositum disciplinæ non valeant tenere, et confractis viribus tam animi quam corporis nulla bona opera, nullas virtutes queant exercere; et dum semetipsos indiscrete affligunt, gratiæ cœlestis jucunditatem et fructum omittunt. Audivimus et etiam vidimus quosdam post talem abstinentiam ad tantam ingluviem delapsos, ut non possent satiari. Qui autem inter utrumque volant, et per regiam viam ambulant; qui disciplinæ vincula non rumpunt, nec se irrationabiliter affligendo destruunt, ad summæ culmen perfectionis plerumque pertingunt. Unde et ex sua fortitudine nonnunquam verbo vel exemplo vigorem bonitatis conferunt.

Aliquando vina herbis pigmentariis aut aromatibus conficiuntur, ut gratiora potantibus efficiantur. Quod in electis veraciter tunc peragitur, dum eorum sanctitas donis quibusdam specialibus et excellentibus conditur et roboratur, ut calix eorum salutaris misto sit plenus (*Psal.* vii), et inebrians, et præclarus (*Psal.* xxii). Quædam etiam sunt dolia vina debilia continentia, quæ videlicet vina, quia ad vigorem fortium non consurgunt, recte vitam infirmorum minusque perfectorum significant. Talia quoque; vina quorumdam accidentium impulsibus facile deteriorantur, adeo ut multoties projiciantur, quia infirmi quique et imperfecti cito persecutionibus ac tentationibus franguntur et vincuntur, intantum nonnunquam ut non probentur, sed reprobentur. Et tamen illud imputandum non est gratiæ divinæ, sed malitiæ humanæ. Denique fæx, quæ sub vino in imo residet dolii, fomitem designat peccati, qui licet in hac mortalitate penitus nequeat exinaniri; debet tamen semper deorsum premi, ne sursum ascendat, animique virtutes sua fœditate corrumpat. Sane quemadmodum justi sunt dolia Dei gratiam Dei continentia, sic injusti sunt dolia diaboli in semetipsis culpam habentia. Et de his sic Scriptura clamat: *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile* (*Deut.* xxxii). Nonne tibi dolia diaboli fuisse videntur filii Jacob, Simeon et Levi? De quibus ipse Jacob testatur dicens: *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia; in concilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu eorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax; et indignatio eorum, quia dura. Dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel* (*Gen.* xlix). Quidam etenim sunt pestilentes, qui sibi quadam malitiæ germanitate conjuncti totam turbant aliquando civitatem Dei, et furore suæ iracundiæ fortiter arrepti virum occidunt, quia prælatum viriliter agentem, perfecte loquentem, inquantum valent, subvertunt. Vtro denique occiso, murum suffodiunt, quia malignitatis suæ gladiis prælato represso munimenta virtutum et bonorum operum in sancta congregatione funditus pro viribus destruunt.

Fratres, in consilium eorum non veniat anima nostra, et in cœtu eorum non sit gloria nostra. Sit maledictus furor eorum, quia pertinax, et indignatio eorum, quia dura. Quid autem de talibus sit agendum ad periculum evadendum ipse Jacob insinuat dicens: *Dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel.* Nihil enim melius de talibus agitur, ut periculum evadatur, quam ut separentur ab invicem, ne manus eorum implere possint conceptam et inceptam iniquitatem. Sed et diligenter attendendum est quod cædem, quam Simeon et Levi per audaciam compleverunt, per fraudulentiam inceperunt. Primum enim cum Hemor et Sichem filii Jacob in dolo de circumcisione locuti sunt, et circumcisione facta tertia die, quando gravissimus vulnerum dolor est, illis resistere non valentibus, Simeon et Levi cædem peregerunt (*Gen.* xxxiv). Sic, sic, charissimi nobis, quidam malignantes prælatis Ecclesiæ, vel etiam amicis et fratribus, fraudulenta consilia sæpe tribuunt, quibus eos

germinantibus enim de occulto sinu terræ prodeuntibus viror primum apparet. Quasi ergo novelli germinis virorem in nobis proferimus, dum nascentis in nobis et ex nobis virtutis vel boni operis nostra pulchritudine decoramus. Possumus etiam per virorem virtutum et honorum operum immarcessibilem intelligere perpetuitatem. Quasi enim semper in nobis virescunt, dum in nobis absque defectu subsistunt. Purpura autem regum est. Hinc est quod Alexander rex Syriæ misit Jonathæ purpuram et auream coronam, velut regio munere honorando. Sed et eum idem Jonathas præfato regi et Ptolomæo rege Ægypti apud Ptolomaidem occurrisset, jussit eum præfatus rex suis vestibus spoliari et purpura indui, volens eum regio ornamento glorificare. Bene ergo purpura regalem significat dignitatem. Beata itaque virgo Maria vere purpura fuit, quæ super omnes sanctos regali dignitate velut domina mundi, et regina cœli, effulsit ; quæ se præ omnibus regaliter egit et rexit, vitia depressit, virtutes erexit. Depressit enim in semetipsa superbiam, erexit humilitatem depressit iram, erexit pacem, depressit invidiam, erexit charitatem, depressit tristitiam sæculi, erexit exsultationem Dei, depressit tenacitatem, erexit largitatem, depressit gastrimargiam, erexit parcimoniam, depressit luxuriam, erexit castitatem, imo virginitatem eximiam. Quia ergo mala depressit, et bona erexit ; vel quia, secundum prophetæ sententiam, illa evellit et destruxit, ista ædificavit et plantavit (*Jer.* I), vere fuit purpura, vere regio dignitate decorata. Habet etiam viola bonum odorem, per quem bonam designat opinionem. Non solum enim bona conscientia, sed et bona opinio est necessaria. Hinc est quod chrisma duos in se habet liquores. Chrisma autem Græce, unctio dicitur Latine. Estque chrisma oleum cum balsamo mistum, quo unguntur capita regum et pontificum, quo etiam baptizatos sacerdos ungit in vertice, sicut eodem pontifex per impositionem manus confirmandos ungit in fronte. In chrismate vero principaliter Spiritus paracletus datur. Unde et per abundantiam gratiæ duos liquores mistus habet, oleum et balsamum; oleum conscientiæ, balsamum famæ : oleum quo intus conscientia perungitur, balsamum cujus odore foris proximi resperguntur, oleum intus ad pacem cum Deo, balsamum foris ad exemplum cum proximo. Habuit igitur beatissima Virgo non solum intus sanctitatem ad conscientiam, sed et foris sanctitatis opinionem ad famam. Novit enim quod quemadmodum quidam ait :

Criminis est formam componere, spernere famam.

Novit, quod *melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa* (*Eccle.* VII). Novit, quod *memoria justi cum laudibus, et nomen impiorum putrescet* (*Prov.* X). Novit secundum Apostolum quod *Christi bonus odor est in omni loco* (*II Cor.* II). Vere ergo et viola odorifera fuit, cujus odor non tantum homines respersit, sed et angelos in admirationem sui convertit. Vere odorifera fuit, cujus odor non solum terram, sed et cœlum implevit. Omnis denique viola naturaliter caput, id est flosculum suum ad ima deflectit, ac per hoc humilitatem convenienter exprimit. Quam virtutem in beata Maria excellenter fuisse quis dubitet ? Cum enim ab angelo pronuntiaretur mater Dei, et per hoc vere domina mundi et regina cœli, humiliter respondit : *Ecce ancilla Domini* (*Luc.* I). Vere ergo et in hac viola fuit, quod vere caput ad ima deflexit, dum in eo quod major exstitit semetipsam amplius humiliavit, eligens non alta de se sapere, sed magis humilibus consentire (*Rom.* XII). Habebat quippe jam scriptum in corde suo, quod *omnis, qui se humiliat, exaltabitur ; et qui se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* XIV), et illud : *Ante ruinam exaltatur spiritus, et ante gloriam humiliabitur* (*Prov.* XVI). Recte ergo beata Maria, secundum omnia quæ supra dicta sunt, viola fuit, dum omnia, quæ mystice sunt dicta, veraciter exercuit. Et nos, charissimi, nos inquam viola simus, nos beatam Virginem imitemur, quantum valemus. Simus quasi naturaliter frigidi per incendii carnalis exstinctionem, simus virides per justitiæ inchoationem, et per ipsius perpetuitatem, vel cœlestium bonorum spem immarcessibilem et exspectationem. Simus purpurei nosmetipsos bene regendo. Odoriferi apud omnes nomen bonum obtinendo, caput ad ima deponamus de nobis humillima semper sentiendo. Conformemur beatæ Virgini pro viribus in sanctitate, ut consortes illi fieri mereamur in beatitudine. Quod nobis præstare dignetur, etc.

SERMO XLVII.

In Assumptione beatæ Mariæ semper Virginis.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho (*Eccli.* XXIV). Ista verba, dilectissimi, quæ proposuimus vobis in Ecclesiastico in laudem sapientiæ velut ipsa loquentis describuntur, et in laudem et gloriam beatissimæ virginis Mariæ, cujus Assumptionis diem celebramus, in persona ipsius quasi ipsa se decenter commendante in Ecclesiis hodie rectissime recitantur. Ista quippe recte cedrus, cypressus, palma, etc. Quæ ibidem subsequuntur, exstitit, quæ cunctis quæ per ea figurantur virtutibus referta refulsit. Cedrus arbor est Libani alta et valde imputribilis. Per Libanum autem, qui *dealbatio* interpretatur, præsens sæculum, quod qualicunque candore temporaliter splendet, multoties significatur. Recte igitur beata Dei Genitrix arbor Libani fuit, quia de sæculo præsentis carnis originem habuit. Sed ipsius Libani altitudinem se ad alta subrigens excessit, quia cunctam mundi gloriam suarum sublimitate virtutum inæstimabiliter transcendit. Quæ imputribilis quoque fuit, dum virgo incorrupta permanens mater exstitit. Bene denique se sicut cedrum exaltatam dixit, dum inviolata semper existens, et primum per gratiam et postmodum per gloriam præ omnibus creaturis se sublimatam vidit. Et quasi cypressus in monte Sion. Cypressi lignum fortissimum cedro

opinionis optimæ redolentia inæstimabiliter adimplevit.

Et quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Myrrha propter suam amaritudinem significat mortificationem carnis. Quæ virtus in B. Maria singulariter enituit, eo quod singulariter casta fuit. Unde convenienter non odorem, sed odoris se dedisse pronuntiat suavitatem. Iis, dilectissimi, virtutibus beata Dei genitrix exaltata fuit in mundo per meritum, et nunc exaltata est in cœlo per præmium. Solemnitatem ergo sacratissimæ Virginis devotissimo celebrantes ut eam pro viribus imitemur, ut et nos qualicunque modulo simus, *quasi cedrus* per incorruptionem, *quasi cypressus* per fortitudinem, quasi palma per victoriam, *quasi plantatio rosæ* per compassionem fraternam, *quasi oliva* per misericordiam, *quasi platanus* per operationem bonam, *quasi cinnamomum* per laudem et gratiarum actionem, *quasi balsamum* per bonam opinionem, *quasi myrrha* per carnis nostræ mortificationem. Imitemur eam in bona conversatione, ut ejus meritis et precibus ei sociari mereamur in beatitudine. Quod nobis præstare dignetur, etc.

SERMO XLVIII.

In natali Domini.

In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII). Tabernaculorum vel in tabernaculis commorantium diversa genera sunt, sicut audiendo, videndo, legendo cognovimus. In tabernaculis enim solent commorari pastores, custodes, negotiatores, milites, exsules, peregrini, viatores, pauperes. Sunt etiam tabernacula impiorum, et sunt tabernacula justorum. Hæc omnia Christus exstitit, excepto solo quod impius non fuit. Quamvis enim secundum prophetam cum impiis reputatus sit (*Isai.* LIII), et secundum apostolum Paulum *maledictum pro nobis factus fuerit* (*Galat.* III), *peccatum tamen non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (*I Petr.* II). Christus itaque pastor, custos, negotiator, miles, exsul, peregrinus, viator, pauper, justus exstitit, imo justitia fuit semper et erit. Pastores autem in tabernaculis habitare Ezechiæ regis canticum nobis notificat ubi dicit : *Generatio mea ablata est, et convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum* (*Isa.* XXXVIII). Christus vero pastor fuit, sicut ipse primum per prophetam, deinde per seipsum de se dixit. Per prophetam etenim ait : *Pascam gregem meum sicut pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum* (*Ezech.* XXXIV); et post pauca : *In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum* (*ibid.*). Et Isaias de ipso dicit : *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fetus ipse portabit* (*Isa.* XL). Et ipse de seipso : *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* (*Joan.* X). Sed et custodum esse tabernacula Isaias nobis innuit, ubi dicit : *Derelinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario* (*Isa.* I). Et Christus custos exstitit, sicut Psalmista ait : *Non dormit neque dormitat, qui custodit Israel* (*Psal.* CXX), id est virum videntem Dominum, si tamen cum videat utroque oculo, scilicet oculo cognitionis, et oculo dilectionis. Sunt nempe quidam spiritualiter unoculi, qui Deum vident oculo tantum cognitionis, non etiam oculo dilectionis. Isti de genere non sunt Israel, nisi forte sic, ut dicantur privigni, et ad hæreditatem Israel non pertineant. Verus etenim Israelita, quamvis more paterno uno pede salubriter claudicet, utroque tamen oculo clare videt.

Tu ergo, si vis a Christo custodiri, esto Israel, ut utroque oculo Deum videas, oculo videlicet cognitionis et oculo dilectionis, oculo fidei et oculo operationis, oculo rationis et oculo bonæ voluntatis, oculo scientiæ et oculo sapientiæ, oculo judicii et oculo justitiæ, oculo intellectus, et oculo affectus. Istos duos oculos, oculum scilicet cognitionis, fidei, rationis, scientiæ, judicii, intellectus ; oculum quoque dilectionis, operationis, bonæ voluntatis, sapientiæ, justitiæ, affectus, Christus in te videat, si vis ut te custodiat. Istos duos oculos Psalmista exprimit, ubi dicit : *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum* (*Psal.* XIII). Nam ubi dicit *intelligens*, exprimit oculum primum, id est cognitionem, fidem, rationem, scientiam, judicium, intellectum, quæ omnia sub una significatione debent accipi. Ubi vero dixit *requirens*, designat alterum, id est dilectionem, operationem, bonam voluntatem, sapientiam, justitiam, affectum, quæ et ipsa cuncta sub una significatione debent comprehendi. Quæ enim primo loco descripsimus, cognitio et cætera, pertinent ad eam quæ in nobis est veritatem. Quæ vero loco secundo posuimus, dilectio, etc. spectant ad bonitatem. Per illa lucemus; per ista calemus. Per illa secundum magistrorum nostrorum assertionem in nobis divina reformatur imago; per ista divina similitudo. Christus itaque vere illius est custos qui, sicut dictum est, vere Israel est. Quidam autem habebant utrumque oculum, id est cognitionem et dilectionem quidam alterum tantum, id est cognitionem, quidam neutrum, quia neque cognitionem neque dilectionem. Primi sunt boni Christiani, secundi Christiani mali, tertii penitus infideles. Negotiatores in tabernaculis commorari in nundinis sæpe videmus. Christus autem negotiator fuit. Vis audire qualis negotiator? Dedit vitam suam, ut reciperet tuam. Dedit se Dominum, ut te liberaret servum. Dedit se naturalem filium, ut te faceret adoptivum. Dedit se ignominiæ, ut te reformaret gloriæ. Dedit se temporali pœnæ, ut te restauraret felicitati æternæ. Ad hujus negotiationem mercatoris spectat quod Paulus Corinthiis scribens dicit : *Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro* (*I Cor.* VI). Et B. Petrus : *Scientes*, inquit, *quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra con-*

versatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni incontaminati, et immaculati Jesu Christi (*I Petr.* I). Milites aut militantes in tabernaculis manere, officium militare compellit. Christus autem miles fuit, miles strenuus, miles fortis. Ipse est enim fortis, ille imo fortior, *qui fortem armatum atrium suum custodientem, et sua omnia in pace possidentem vicit, universa arma ejus, in quibus confidebat, abstulit et spolia ejus distribuit* (*Luc.* II). Hinc ipse dixit : *Nunc judicium est mundi. Nunc princeps mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII). Hujus fortitudo militis pugnatoris et victoris in Scriptura declaratur, ubi dicitur : *Cornua in manibus ejus. Ibi abscondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors* (*Habac.* III). Vere ergo fortis exstitit, qui per crucem diabolum et omnes aerias potestates debellavit, mundum, peccatum, mortemque superavit, et fractis portis inferi captivitatem nostram captivam eduxit (*Ephes.* IV), ac cœlestis portas patriæ Rex gloriæ et Dominus fortis et potens in prælio (*Psal.* XXIII). manifestatus victor intravit. Exsules, peregrinos, viatores, pauperes in tabernaculis habitare necessitas sæpe constringit. Christus autem exsul fuit, quia nostrum exsilium subiit, non tamen dignus, sed dignatus, non coactus, sed spontaneus, non amittendo propria, sed aliena colligendo. Exsul ergo exstitit in eo quod nostrum exsilium, tametsi liberis, intravit. Ambulavit, inquit, Verbum, et exivit in campum. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Exivit a Patre, et venit in mundum, non ut judicaret mundum, sed ut salvaretur mundus per ipsum (*Joan.* XVI). Peregrinus quoque fuit; de peregrinatione etenim ejus et actu peregrinationis ejus scriptum est : Ut faciat opus suum, alienum opus ejus, ut operetur opus suum, peregrinum est opus ab eo (*Isai.* XXVIII). Opus etenim Dei est animas, quas creavit colligere, et ad æternæ lucis gaudia revocare. Flagellari autem, atque sputis liniri, crucifigi, mori, ac sepeliri non hoc in sua substantia opus Dei est; sed opus hominis peccatoris, qui hæc omnia meruit per peccatum, sed peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : et qui in natura sua manet semper incomprehensibilis, in natura nostra comprehendi dignatus est ac flagellari, quia nisi ea, quæ infirmitatis nostræ sunt susciperet, nunquam nos ad suæ fortitudinis potentiam sublevaret.

Ut ergo faciat opus suum, alienum opus ejus, ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo, quia incarnatus Deus, ut nos ad suam justitiam colligeret, dignatus est pro nobis tanquam peccator homo vapulare. Et alienum opus fecit, ut faceret suum, quia per hoc quod infirmans mala nostra sustinuit; nos qui creatura illius sumus, ad fortitudinis suæ gloriam produxit. Itinerantes vel viatores in tabernaculis habitare sacra Scriptura declarat, ubi Jacob patriarcham, cum a Laban discessit, in monte Galaad sua tabernacula fixisse testatur; sed et filii Israel per desertum gradientes, et ad terram promissionis tendentes in tabernaculis habitasse leguntur. Christus autem viator fuit, David attestante, qui ait : *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput* (*Psal.* CIX). Et item : *Exsultabit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.* Hinc Salomon cursum ejus, imo saltum describens in persona sanctæ Ecclesiæ, sic ait : *Ecce hic venit saliens in montibus, transiliens colles* (*Cant.* II). Quosdam etenim saltus dedit, dum de cœlo in uterum, de utero in præsepe, de præsepe in crucem, de cruce in sepulcrum venit, de sepulcro in cœlum rediit. Quos saltus in montibus saliens et colles transiliens fecit, quia sanctorum omnium tam majorum quam minorum, altitudines solus et singulariter excessit. Pauper etiam fuit Christus. Cum enim dives esset, pauper fieri dignatus est pro nobis ut nos sua paupertate simul et humanitate divitiarum et divinitatis suæ donaret esse participes, et de sua paupertate ipse sic ait : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos. Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* (*Matth.* VI ; *Luc.* II). Ad hoc etiam pertinet quod beata mater ejus Virgo Maria non agnum, qui erat oblatio divitum mulierum, sed per turturem, aut duos pullos columbarum, id est oblationem pauperum, completis purgationis suæ diebus ad templum pro ipso venit offerre (*Luc.* II). Sed et malorum esse tabernacula sermo divinus sic testatur. *Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum* (*Job* XII). Justos denique tabernacula habere Psalmista canit, dicens : *Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum* (*Psal.* XI). Hinc est quod antiqui justi, Abraham scilicet, Isaac et Jacob in terris promissionis in casulis habitaverunt. Non enim hoc fecerunt causa paupertatis, sed typicæ significationis. Justi etenim erant, et in casulis habitando non hic manentem civitatem, sed futuram se desiderare et inquirere demonstrabant. Hinc est etiam, quod Jonadab filius Rechab ad augmentum et exemplum justitiæ præcepit filiis suis dicens : *Non bibetis vinum vos et filii vestri usque in sempiternum, et domum non ædificabitis, et sementem non seretis, et vineas non plantabitis nec habebitis, sed habitabitis in tabernaculis cunctis diebus vestris* (*Jer.* XXXV). Hæc præcepit Jonadab filiis suis, ut discerent rebus terrenis stabiliter non inhærere, nec calice Babylonis semetipsos inebriare, sed ad Jerusalem cœlestem passibus virtutum et bonorum operum tendere, ac toto desiderio justitiam dulcedinemque supernam sitire, ubi pro tanto merito exemploque justitiæ condignam mercedem reciperent gloriæ. Inde etiam figuram retributionis æternæ audire meruerunt : *Hæc dicit Dominus Deus Israel ; pro eo quod obedistis præcepta Jonadab patris vestri, et custodistis omnia mandata ejus, non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus* (*ibid*). Tale nobis exemplum sanctæ conversationis, fratres charissimi, patres antiqui

tradiderunt. Sed nos, tanto exemplo penitus oblito, non jam tabernacula, sed nec domos, verum palatia et aulas regias ædificamus. Quod tamen propter necessitatem, utilitatem, et quietem posterorum multis videtur esse tolerabile, si tamen propter hanc exteriorem et perituram ædificationem interior et permanens animarum structura non negligatur.

Christus autem vere justus fuit. Unde Deus Pater voce Esaiæ de ipso ait: *In scientia sua justificabit ipse justos servos meos multos, et iniquitates eorum ipse portabit* (*Isai.* LIII). Christus ergo pastor, custos, negociator, miles, exsul, peregrinus, viator, pauper. Justus in tabernaculo mansit, et in sole suum tabernaculum collocavit. Tabernaculum ejus, humana conversatio ejus. De hoc tabernaculo, id est conversatione ejus Baruch ait: *Hic est Deus noster, non æstimabitur alius adversus illum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III). *Posuit* autem *tabernaculum suum in sole* (*Psal.* XVIII), quia in manifesta hominum cognitione, in fervore persecutionis et afflictionis, famis et sitis, blasphemiæ et percussionis, passionis et mortis. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (*ibid.*). Sponsus est Christus, sponsa est Ecclesia, sex hydriæ, sex ætates, aqua littera, vinum spiritalis intelligentia. Citharœdi prophetæ, paranymphus Joannes Baptista vel ordo apostolicus, filii nuptiarum singuli quique fidelium, thalamus quidem nuptiarum incorruptæ Genitricis uterus fuit, in quo Deus humanæ naturæ conjunctus est, et ex quo ad sociandam sibi Ecclesiam tanquam sponsus processit. Primus nuptiarum locus in Judæa exstitit, in qua Filius Dei homo fieri, et Ecclesiam sui corporis participatione consecrare, sui Spiritus pignore confirmare dignatus est. Sed vocatis ad fidem gentibus usque ad fines orbis terræ earumdem nuptiarum votiva gaudia pervenerunt. *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Consuetudo sponsis est, dum primum de thalamo nuptiarum exeunt, vestibus candidatis et rubro vel alio colore coloratis procedere. Christus autem candidus fuit et rubicundus, candidatus virginitate, rubicundus passione. Unde et sponsa ejus sancta Ecclesia in Canticis canticorum de ipso dicit: *Dilectus meus candidus et rubicundus* (*Cant.* V). Candidus videlicet per munditiam virginitatis, rubicundus per effusionem sanguinis.

Fratres, imitemur discipuli magistrum, servi dominum, milites regem. Simus pastores, nosmetipsos et alios pascuis sacræ doctrinæ studiose pascendo. Simus custodes, nos et alios, in quantum possumus, vigilanter custodiendo. Simus negotiatores, terrena pro cœlestibus sagaciter commutando. Simus milites, spiritualia bona nostra viriliter defendendo. Simus exsules et peregrini, nos exsules et peregrinos esse veraciter cognoscendo. Simus viatores, ad supernam patriam virtutum et bonorum operum passibus de die in diem tendendo. Simus pauperes, victum et vestitum tantummodo possidendo. Simus denique justi, coram Deo et hominibus recte vivendo. Commoremur in tabernaculis, sed ex virtutum et bonorum operum ramis ac decenter compositis. Ponat unusquisque nostrum in sole cum Christo tabernaculum suum, ut exeamus cum Christo extra portam, improperium ejus cum ipso portantes (*Hebr.* XIII). Vel certe in sole, ut simus pro amore ejus sicut Apostolus de se ait: *In labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate* (*II Cor.* XI), et cæteris omnibus quæ supra vel infra dinumerat. Procedamus et nos pro modulo nostro velut sponsus de thalamo, ut simus etsi non virginitate, saltem castitate candidi, passione vel certe compassione rubicundi. In his omnibus, quæ dicta sunt, Christum pro viribus imitemur, si cum ipso regnare desideramus. Qui enim se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Sancte ergo vivendo Christum sequamur in tempore, ut ipsum sequamur in æternitate. Quod nobis præstare dignetur idem Jesus Christus, etc.

SERMO XLIX.

In Circumcisione Domini.

Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis (*Luc.* II). Fratres, nos et pastores, et filii pastorum esse debemus, filii scilicet Patrum antiquorum, qui pastores fuerunt, et nobis in fide Patres exstiterunt. Qui et ipsi ad videndum Dominum transierunt, quia in casulis habitando non hic manentem civitatem, sed futuram se inquirere monstraverunt, et nobis eam inquirendi formam et exemplum reliquerunt. Debemus ergo nosipsi pastores esse, greges nostros pascere et custodire. Sunt autem greges nostri cogitationes et affectiones nostræ, sensus et appetitus nostri, locutiones et actiones nostræ. Et habemus in gregibus istis agnos per munditiam, oves per innocentiam, verveces, id est castratos per continentiam. Habemus arietem, omnium gregum ducem, intellectum rationalem, habentem duo cornua sibi divinitus insita et eminentia, duo scilicet Testamenta. Istos greges debemus pascere pascuis divinæ paginæ, et custodire tota nocte sæculi præsentis ab insidiis fraudulenti furis, ab incursu lupi rapacis. Absit, fratres, a nostris gregibus porcus sordentis immunditiæ, hircus fetentis infamiæ! Si ergo filii pastorum et pastores sumus, et si Hebræi sumus, transeamus, et videamus Christum non solum natum, sed et circumcisum: et forte in die nativitatis ejus transivimus et natum vidimus; sed adhuc transeamus, et circumcisum videamus. Videamus, inquam, et diligamus. Videamus veritatem, et diligamus bonitatem. Duo sunt veritas et bonitas, quæ si utraque haberemus, nihil amplius quærere deberemus. *Quærite*, inquit, *primum regnum Dei, et justitiam ejus* (*Matth.* VI). Regnum Dei est veritas, justitia ejus bonitas. Si

moniis et non Deo, diis quos ignorant. Novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum (*Deut.* XXXII). Talia sunt præputia virorum Israel, longa, enormia, deformia, absque his, quæ intrinsecus latent. Nam *quæ occulto fiunt ab eis, turpe est etiam dicere* (*Ephes.* V). Sed quare sunt talia? Forsitan quia caligavit oculus Heli, nec potest videre lucernam Dei; peccant filii ejus, et non corripit, mortemque merentur (*I Reg.* III, IV). Tardat quoque Sephora mater circumcidere primogenitum suum, timendumque ne Dominus veniat, et eum interficiat (*Exod.* IV), Sephora Ecclesia, primogenitus ejus clerus, secundus natu populus, petra acutissima fides Christiana, sponsus sanguinum Christus, qui non venit pacem mittere in terram, sed gladium (*Matth.* X). Sed quoniam hæc ad episcopos presbyterosque qui curam habent animarum, pertinent, ad nosmetipsos verba vertamus, qui comparatione sæcularium viri Juda, et habitatores Jerusalem esse debemus, id est devotissimi Dei laudatores, ac perfectissimi summæ pacis inspectores.

Hominibus itaque sæcularibus et carnaliter viventibus dimissis, nostrorum enormitates præputiorum inspiciamus, abscindamus, projiciamus. In quibusdam etenim, qui religionem habitu prætendunt, præputia turpia, fœda, longaque nonnunquam succrescunt. Unde ad Jerusalem, per quam illi, qui in professione religionis vivunt, præcipue significantur, a Domino dictum est: *Quando natus es, in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus* (*Ezech.* XVI). Et item: *Fornicatu es super eis sicut non est factum neque futurum est* (*ibid.*). Et iterum: *Vicisti sorores tuas Sodomam et Samariam peccatis tuis, sceleratiora ugens ab eis. Justificatæ sunt enim a te* (*ibid.*). Et iterum de ipsa: *Contempsit judicia mea, ut plus esset impia quam gentes* (*Ezech.* V). Et item: *Justificavit animam suam, prævaricatrix Juda* (*Jer.* III). Huic sisimile est quod Isaias ait: *Erubesce Sidon, ait mare* (*Isa.* XXIII). Sed et *publicanus ascendit in domum suum justificatus a Pharisæo* (*Luc.* XVIII). Quod enim sine gravi mœrore dicendum non est, illi qui religionem Deo voverunt, nonnunquam tanta vesania etiam in ipso religionis habitu constituti ad suum vomitum relabuntur, ut eorum comparatione sæculares justi videantur. Denique quæ nequitia pejor nequitia Pharisæorum? Quæ iræ, quæ rixæ, quæ dissensiones acerbiores, periculosiores iis quæ hodie in congregationibus fratrum diabolo concitante desæviunt? Jam omnino delictum in quibusdam videtur esse, eo quod judicia habent inter se (*I Cor.* VI). Timendum, ne regina austri, quæ venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ne viri Ninivitæ, qui egerunt pœnitentiam in prædicatione Jonæ, surgant in judicio cum generatione hac, et condemnent eam (*Luc.* XI), quia dedit Deus eis locum pœnitentiæ, et ipsi abutuntur eo in superbiam. Timendum ne Tyro, et Sidoni, terræque Sodomorum remissius sit in die judicii quam istis, quia si tantam divinitatis ac divinorum præceptorum cognitionem habuissent, quantam isti, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent (*ibid.*). Nunc autem nequitiæ in habitaculis eorum in medio eorum. Quare non magis injuriam accipiunt, non magis fraudem patiuntur? Sed exercent judicia, non tantum inter se, vel apud religiosos, sed sicut Corinthii apud iniquos fideles, ita isti apud potestates sæculares. Nec ista dicimus, fratres, ut illos reprehendamus, qui pro Deo et eum Deo ultionem zelo justitiæ in congregationibus libere agunt, redduntque retributionem superbis; qui consurgunt adversus malignantes, et stant adversus operantes iniquitatem (*Psal.* XCIII); qui jubente Moysu amicis non parcunt in ore gladii, abscindentes idololatriam, qui cum Phinees fornicantes trucidant (*Num.* XXV), carnis punientes luxuriam, qui cum Samuele regem Amalec in frusta concidunt (*I Reg.* XV), omnem terrenam necantes concupiscentiam. Sed sunt carnales quidam in Ecclesia, quibus ista conveniunt; in quibus dum sua desideria pertinaciter perficere volunt, talia præputia facile succrescunt. Absint a nobis, charissimi, talia præputia, qualia commemoravimus! Absit a nobis, ut simus *in comessationibus et ebrietatibus, in cubilibus et impudicitiis, in contentione et æmulatione* (*Rom.* XIII).

Sunt præter alia eorum qui in ordine vivunt, præputia, prædictis minora, ut officialium aliquando extrinsecus ambulando vel equitatio superflua, claustralium intrinsecus excursus de claustro et discursus dissolutus, habitus et gestus uterque superbus, actio vel locutio inordinata, cogitatio sive affectio terrena. Videmus namque multoties non solum seniores ad negotia domus exire, sed et juniores per vicos et plateas circuire. Videmus claustrales de claustris ex levitate prosilire, et omnes officinas priusquam redeant perlustrare, qui videntur facere velut ursus ad stipitem ligatus, qui dum non potest longius gressum tendere, satagit circa ipsum stipitem gyrare. Videmus multos ex bis et illis parvas coronas, longos crines longasque vestes affectare, et in ipsis eorum vestibus manicas usque ad terram dependere, ipsos quidem pedibus velut homines ambulare, sed brachiis velut aves volare, scapulis impingere, digito loqui, oculis annuere, vultum in diversa vertere, cachinnos crispare. Videmus etiam multos hujusmodi multa inordinata agere, levia loqui, et non tantum levia, sed et turpia et perniciosa. De cogitationibus et affectionibus talium, quæ intrinsecus latent, nihil scire possumus, nisi quantum talibus indiciis deprehendimus. Scriptum quippe est: *Amictus hominis et ingressus ejus et risus dentium hæc enuntiant de illo* (*Eccli.* XIX). Tales omnes, quia nec frigidi, nec calidi videntur esse, timeant ne evomantur ex ore Dei (*Apoc.* III). Omnia, quæ præputia sunt, quæ supradicta sunt, abscindenda sunt, projicienda sunt, sive exterioris sive interioris hominis sunt. Sit autem perfecta nostra circumcisio, qualis decet viros Juda, et habitatores Jerusalem, non illius Juda, cujus peccatum scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino (*Jer.* XVII), sed illius,

cidentem, Græcia ad aquilonem, Africa ad meridiem. Recte igitur per istas quatuor, quatuor climata designantur, et apostolica prædicatio per mundum universum dilatanda figuratur. Aliter. Lydia, quæ est ad orientem, ubi jubar solis primum effulget, significat astutiam. Italia, quæ est ad occidentem, ubi solis claritas deficit, significat ignorantiam. Astutiam dico in malo, ignorantiam de bono. Et notandum quod cum dixisset *in Lydiam*, addit *tenentes sagittam*. Lydi etenim sapientes sagittarii sunt *Filii quoque sæculi hujus* in malo callidi *sapientiores filiis lucis in generatione sua sunt* (*Luc.* XVI.) Quorum cor machinans malum est pharetra, arcus os eorum et lingua, sermo sagitta, audientis assentatio prava, cordisque ejus delectatio, plaga. *Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala* (I Cor. XV). Græcia, quæ se ad aquilonem extendit, ubi solis calor tepescit, frigidam cordis humani malitiam exprimit. Hinc est quod propheta Jeremias de Jerusalem ait: *Sicut cisterna facit frigidam aquam suam, sic frigidam facit militiam suam* (*Jer.* VI). Africa quæ est ad meridiem, ubi sol fervet, libidinem luxuriamque significat.

Dominus itaque quasi ad omnia loca ista ad vocandos electos suos mittit, quoniam de vitiis, quæ per ea significari diximus, per prædicationem sanctam eos ad veritatis justitiæque viam educit. Alii ergo de mari, alii de insulis, alii de Lydia, alii de Italia, alii de Græcia, alii de Africa vocantur, quia alii de noxia vitiositatis fluctuatione, alii de pertinaci stabilitate, alii de calliditate sæculi præsentis, alii de cæcitate mentis, alii de malitia, alii de luxuria per gratiam Dei conversi justi fiantur. *Mittam* inquit, *ad eos, qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam et annuntiabunt gloriam meam gentibus.* Hinc est illud: *Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt* (*Isa.* LXVI). Jesus enim mortuus est pro gente, et non solum, scilicet pro gente Judæorum sed ut filios Dei, qui erant dispersi, id est prædestinatos ex gentibus ad vitam æternam congregaret in unum (*Joan.* XI), id est in unitatem fidei cum electis Judæis. *Et adducent fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino. Fratres vestros* semper prædestinatione, tunc etiam fide, interim autem inimicos cultura idololatriæ. *Donum Domino:* Apostoli qui prope gentium animas, quas suis prædicationibus acquisierunt, Domino velut fructum laborum suorum obtulerunt. *In equis, et in quadrigis et in lecticis, et in mulis, et in carrucis.* Equus animal est doctum freno, aptum bello, velox pedibus, utile ac necessarium oneribus portandis sive trahendis. In eo itaque quod infrenatur, vitiorum significat cohibitionem; in eo quod aptum est bello, dæmonum subactionem; in eo quod velox pedibus, expeditionem boni operis, in eo quod onera trahit vel portat, obedientiam ac tolerantiam cujuslibet fructuosi laboris. Quadrigæ propter quatuor Evangeliorum completionem, vel quatuor principalium virtutum, id est prudentiæ, fortitudinis, justitiæ, temperantiæ, exercitationem figurant. Lectica quoddam genus dicitur esse vehiculi, in quo qui portatur velut in lecto quiescit. Unde et apte contemplationis internæ quietem designat. Mulus infecundum est animal et ideo continentiam illorum, qui se castraverunt propter regnum cœlorum exprimit. Carruca duas habet rotas, et per hoc sapientiam et doctrinam significat. Qui ergo vitia sua fortiter refrenant, qui dæmones potenter superant, qui bona opera non segniter exhibent, qui injunctos sibi labores obedienter sustinent, adducuntur in equis. Qui præcepta quatuor Evangeliorum opere complent, qui quatuor principales virtutes viriliter exercent, adducuntur in quadrigis. Qui activæ vitæ negotia relinquunt, et in divinæ contemplationis pace quiescunt, adducuntur in lecticis. Qui, spretis illecebris carnalibus nuptiisque postpositis, munditiamque diligunt castitatis, adducuntur in mulis. Qui studio sapientiæ vacant, qui verbo doctrinæ invigilant, adducuntur in carrucis.

Ad montem sanctum meum Jerusalem. Mons sanctus Christus, Jerusalem Ecclesia. Jerusalem super montem ædificat, Ecclesia super Christum fundata. *Quomodo ei inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini.* Munus dilectio maxime intelligitur; sine qua cætera apud Deum vitam non merentur. Vas mundum, cor mundum, corpus mundum, opus mundum. *Et assumam ex eis sacerdotes et levitas.* Hoc, charissimi, specialiter ad nos pertinet, qui officio sacerdotali et Levitico in domo Dei fungimur, et in consecratione Dominici corporis et sanguinis altari ministramus. Hæc est enim nostra dignitas salutaris et præclara, si tamen eam condigne pro viribus humanæ fragilitatis serviendo conservemus. De hujus dignitatis ac ministerii sublimitate beatus Gregorius in libro Dialogorum sic scribens: Quis, inquit, fidelium dubium habere possit in ipsa immolationis horæ ad sacerdotis vocem cœlos aperiri in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unumque ex visibilibus et invisibilibus fieri? Sed necesse est ut cum hoc agimus nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus. Quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus Tunc ergo vera pro nobis hostia erit; cum nosmetipsos hostiam fecerimus. Ex his verbis, fratres, perpendere possumus, quales in nostro ministerio esse debeamus

Sed ut idem ministerium cum majori adhuc reverentia agatis, rem vobis recentem scribimus, quam abbate nostro nobis narrante, et scribente certissime scimus. Ait itaque presbyter quidam in Senonensi provincia, baptismalis Ecclesiæ curam gerens, parochialia ministrabat. Hic in desideria carnis pronus, membra quæ sacramentorum debebat usibus, femineo polluebat attactu. Turpes et illicitos amplexus sacris præponebat studiis, et continentiam, quam promiserat voto, non servabat officio. Unam præ cæteris mulierculam frequentare consueverat, cujus immundo contubernio corruperat intus conscientiam,

foris famam. Jam consueverat in sordibus suis, et tamen nequitia erat quæ non sinebat eum esse senem. Huic sæpenumero post fœda et illicita commercia turpitudinis suæ, cum imprudenter et impudenter accederet ad sacramenta Dominica, mirabilis ac miserabilis occurrebat visio qua vel corriperetur immeritus, vel arceretur indignus. Videbatur in ipso calice quasi venenosi bufonis imago reptans natansque per sacri liquoris latices, et horrore sui aspectus miseram fornicatoris presbyteri conscientiam flagellabat. Tanquam veris indiciis et ostensa illa clamabat ei Apostolus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* x). Sumebat tamen timens, et inter hæc supplicia perficiebat sacrificia. Id sibi plusquam centies accidisse archiepiscopo suo confessus est, et non nisi post noctem, qua membra Christi fecerat membra meretricis. Compunctus tandem, et patientiæ Dei, quæ eum ad pœnitentiam adducebat, memor, coram archiepiscopo suo cum magna lacrymarum effusione prostratus, rem ex ordine refert, pristinam immunditiam suam profitetur, et abdicat, modum correptionis suæ per ea, quæ supra diximus, exponit; curæ parochiali renuntiat, et ordinem Cisterciensium in monasterio suscipiens dignos (ut credo) pœnitentiæ fructus agit. Aderam ego ubi soli archiepiscopo solus ille quæ dicta sunt exposuit, et in timore dedi laudem Deo, *qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt* (*Rom.* iv). Talibus dictis vitam nostram discutiamus, et utrum in regionibus prædictorum vitiorum, vel vehiculis virtutum, aut in ordine sacerdotum ac levitarum simus consideremus. Si in malo sumus, a malo declinemus; si in bono, de bono in melius proficere studeamus, ut meritis et precibus apostolorum, quorum hodie solemnia celebramus adjuti, ad eorum gaudia pervenire mereamur. Quod nobis, etc.

SERMO LI.

In Septuagesima.

Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion (*Psal.* cxxxvi). Cives fuimus Jerusalem, et facti sumus cives Babylonis. Jerusalem paradisus, Babylon mundus. Translati sumus in primo parente, in quo peccavimus, de Jerusalem in Babylonem, de paradiso in mundum, de patria in exsilium, de Jubilo in luctum, de requie in laborem, de gaudio in mœrorem, de libertate in servitutem, de gloria in ignominiam, de voluptate in ærumnam, de felicitate in miseriam, de deliciis in esuriem, de integritate in corruptionem, de vita in mortem. Merito igitur sedemus, merito flemus super flumina Babylonis : flumina Babylonis decursus nostræ corruptionis, decursus nostræ mortalitatis. Merito sedemus, merito flemus, dum recordamur Sion, dum divinæ contemplationis, quam in Adam peccante perdidimus, reminiscimur. Merito sedemus, merito flemus, eo quod canticum Domini jucundum ac perfectum, illud scilicet merum ac verum alleluia quod Adam adhuc innocens ore mundissimo cantabat, et quod ipso peccante amisimus, in terra aliena digne cantare non valemus. *Non enim est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* xv). Quis enim omnium nostrum, imo quis mortalium, quantumlibet justus, sit illius innocentiæ, quam ante peccatum habuit, se comparare præsumat? Scriptura namque teste : *In multis offendimus omnes* (*Jac.* iii); *et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ* (*Isai.* lxiv); Et : *Infans unius diei non est sine peccato super terram* (*Job* xv, *juxt.* LXX). Et : *Non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens* (*Psal.* cxlii). In quantum ergo peccatores sumus, in tantum minus digni illud, qui tantum justus, non etiam vel in minimo peccator exstitit, canticum Domini cantamus. Sedeamus igitur et fleamus. Sedeamus nos humiliando, fleamus de nostro exsilio dolendo. Sedeamus, quia vanum est nobis, qui manducamus panem doloris ante lucem surgere (*ibid.*). Quando ergo surgemus? *Cum dederit Deus dilectis suis somnum et manifestata fuerit hæreditas Domini, filii merces fructus ventris* (*ibid.*), ventris scilicet Ecclesiæ filios suos per multas nunc tribulationes parientis. De hac sessione et resurrectione B. Petrus sic ait : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis* (*I Petr.* v). Fleamus quoque ut postea rideamus, quia secundum Salomonem : *Tempus est flendi, et tempus ridendi* (*Eccle.* iii) : tempus flendi in mundo, tempus ridendi in cœlo. Cum enim Dominus converterit captivitatem nostram, implebitur gaudio os nostrum, et erimus facti lætantes (*Psal.* cxxv), quia *cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem* (*I Cor.* xv), intrabimus supernam Jerusalem, quæ est mater omnium nostrum, alleluia cantantes, et gaudentes.

Sane Septuagesimæ tempus, quod nunc ingredimur, totum tempus sæculi præsentis quod septem diebus volvitur significat, in quo nostræ corruptibilitatis et mortalitatis ærumna detinemur. Unde congrue nunc, ob significandam miseriam gemitusque nostros, quibus in hac vita premimur, intermittimus *alleluia*, *et Gloria in excelsis Deo*, quæ sunt cœlica et angelica cantica, et cantamus longos Tractus, qui significant longos labores et dolores vitæ præsentis. Alleluia namque cœleste canticum esse Joannes in Apocalypsi testatur, ubi dicit : *Audivi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium Alleluia* (*Apoc.* xix). *Gloria in excelsis Deo* (*Luc.* ii), Canticum angelorum esse fidelium nullus ignorat. Septuagesima vero computatur secundum inscriptionem sacramentarii et antiphonarii novem hebdomadibus ante Pascha Domini, et finitur post Pascha Domini in septima die, id est, Sabbato. Die Dominica, qua canitur, *Circumdederunt me gemitus mortis*, habet initium, et in septima die Paschalis hebdomadæ, id est, in Sabbato habet finem. Habemus autem formam et exemplum institutionis et observationis hujus sanctæ, annos septuaginta, quibus antiquus populus Dei suis peccatis exigenti-

bus in Babylonem ductus in servitute fuit; super flumina Babylonis sedit et flevit, dum recordaretur Sion. Dictator itaque Septuagesimæ septuaginta dies istos annis septuaginta conformavit, ut et nos sedeamus in his diebus et lugeamus, quia priori populo in quibusdam peccatis communicamus. Illi tamen, quia servierant, afflictionem inviti sustinuerunt; nos autem, quia liberi sumus, voluntariam afflictionem sustinemus. Septuagenarius vero numerus non solum his diebus abstinendum nobis et lugendum significat, verum et omni tempore vitæ nostræ, quod septem diebus volvitur, et quo a cœlesti Jerusalem peregrinamur, nos in pœnitentia et luctu esse debere, et maxime si in criminalia post baptismum lapsi sumus, demonstrat.

Porro in propheta Zacharia legimus quod, imminente tempore quo captivitas populi Dei solvenda erat, angelus, qui in propheta ipso loquebatur, Dominum deprecatus, dixerat : *Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es? Iste septuagesimus annus est. Et respondet Dominus angelo verba bona et consolatoria* (*Zach.* I). Et nos, charissimi, habemus verba bona, verba consolatoria, resurrectionem, scilicet, primam, per quam exspectamus secundam. Habemus justificationem, per quam speramus immortalitatem. Ista duo, quorum unum habemus in re, alterum in spe, declarat Apostolus, ubi dixit : *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. Quod si spiritus ejus qui suscitavit Jesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum ejus in vobis* (*Rom.* VIII). Resurgimus, nunc catechumeni quidem per gratiam baptismi, et non per pœnitentiam; resurgimus, inquam, nunc ad justitiam, in die vero judicii resurgemus ad gloriam. Primam resurrectionem hanc significat nobis alleluia, quod in sex paschalibus feriis ad missam quotidie cantamus. Utramque simul nobis exprimunt duo alleluia, quæ in Sabbato Paschalis hebdomadæ concinimus, quod videlicet Sabbatum completionem nostræ Septuagesimæ, id est totius temporalitatis nostræ figurat. Nunc enim quasi unum simplex alleluia canimus quia adhuc sola fruimur justificatione, sed tunc duplex alleluia concinemus, dum fruemur et immortalitate. Sex autem dies paschales in populo antiquo significant de Babylone reversionem in Jerusalem, Sabbatum autem perventionem, in nobis vero senarium bonorum operum, quo tendere debemus ad supernam beatitudinem. Porro Sabbatum ejusdem ingressionem. Vel certe per unum alleluia, quod in sex feriis paschalibus quotidie cantamus, possumus intelligere sanctorum stolam primam; per duplex alleluia, quod in Sabbato canimus, possumus intelligere primam pariter et secundam. Habemus itaque verba bona, verba consolatoria. Bonum est quod habemus, melius quod exspectamus. *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII).

Excepto itaque quod his verbis bonis et consolatoriis semper in Domino gaudere debemus, quandiu vivimus, semper est nobis sedendum, semper flendum; Sion recordandum, ad Jerusalem supernam suspirandum et cum Psalmista dicendum : *Si oblitus fuero tui, Jerusalem*, etc. (*Psal.* CXXXVI). Quandiu enim vivimus, exsules, captivi, peregrini sumus. Miseri ergo si simus, et lugeamus et ploremus. Risus noster in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem. Memores simus semper illius sententiæ Salomonis, qua dicitur : *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii* (*Eccle.* VII). Et item : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat* (*Prov.* XIV). Sed, proh dolor! ad tantum detrimentum est devolutus rigor ordinis, et lapsa censura disciplinæ, religionis honestas, gravitas, maturitatis, et modestia sanctitatis redacta, ut apud plurimos ii qui abhorrent proferre faceta verba vel risum moventia, vel qui nolunt crispare cachinnum, hypocritæ judicentur, et quia non rident, derideantur. Verum apud eos quisquis in semetipso resolutus, risu, joco semetipsum effundit, is facetus, curialis, ac boni solatii frater nominatur. Sed nunquid Christum risum in orbem attulisse vel risisse uspiam legimus? Absit! Sed contristatum et plorasse comperimus. Unde et ait : *Væ vobis qui ridetis, quoniam plorabitis!* (*Luc.* VI.) Eligamus ergo, charissimi, nobis flere ut postea rideamus; et contristari ut lætemur. Quod enim risum ineptæ lætitiæ penitus exhorrere debemus, edocet nos perfecte paucis verbis quidam sanctorum Patrum, qui dum quemdam fratrem ridere vidisset, ait illi : « Coram cœlo et terra Deo rationem totius vitæ nostræ reddituri sumus, et tu rides? » Nos itaque, fratres, qui sanctitatem non solo verbo, verum et tonsura vesteque profitemur, nos, inquam, omittamus vocem inutilis gaudii vanæquæ lætitiæ, et renuntiantes verbis nugatoriis, risibus, jocis, mollitiei vitiorum, asperitatem virtutum præferamus, quia per amaritudinem et asperitatem virtutum et bonorum operum pervenienus ad regna cœlorum. Si enim seminemus in lacrymis, in gaudio metemus. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster.

SERMO LII.

Item in Septuagesima.

Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion (*Psal.* CXXXVI). Hostis antiquus, charissimi, qui sua calliditate de paradiso primos parentes nostros ejecit, et miseriæ vitæ præsentis obnoxios reddidit; ipse nobis in spirituali Jerusalem, id est in visione supernæ pacis constitutis incessanter insidiatur, ut de ejus nos amœnitatis gaudiis extrahat, et in Babylonem, id est confusionem vitiorum abductos, suæ servituti subjiciat. Jerusalem enim congrue vitam significat

spiritalem, Babylon vitum carnalem; Nabuchodonosor diabolum, captivitas peccatum. Habent autem viri spiritales, in spiritali Jerusalem conversantes, spiritales domos diversas, et in ipsis diversas spiritales divitias. Habent domos per bonam conversationem. Domus enim apte significant conversationem, quia in ipsis conversamur. Domus minores significant bonæ conversationis inchoationem, majores ejusdem conversationis perfectionem, maximæ consummationem. Domus autem spiritalis conversationis bene fundata est super firmam petram per fidem, alta est per spem, lata per charitatem, longa per futurorum bonorum longanimem exspectationem. Domus ista spiritalis justi, et maxime perfecti viri plena est bonis et donis, sicut scriptum est: *Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet*, etc. (*Psal.* CXI). Et sapientia, cum qua justus inhabitat, quodam loco dicit: *Mecum sunt divitiæ et gloria, opes supernæ* [*superbæ*] *et justitia* (*Prov.* VIII).

Habet itaque justus perfectus habitator Jerusalem, id est spiritalis, habet inquam, in domo conversationis suæ aurum sapientiæ, argentum eloquentiæ, frumentum doctrinæ, vinum sanctæ lætitiæ, oleum misericordiæ, lapides pretiosos per fulgorem virtutum, ornamenta diversarum vestium per exhibitionem bonorum operum. *Vasorum quoque diverso genera, omne vas parvulum a vasis craterorum usque ad omne vas musicorum* (*Isa.* XXII). Per crateras, quibus vinum quod lætificat cor hominis propinatur, recte designatur gratia conferendæ consolationis; per vasa musica gratia divinæ laudationis. Habet denique et aromata multa, per quæ figuratur gratia bonæ opinionis. Sed his omnibus divitiis explanandis propterea non immoramur, quia scientibus legem loquimur, et res hujusmodi in aliis sermonibus sæpius quid mystice significent exposuimus.

Igitur his ita compositis, id est justis in pulchritudine pacis et in requie opulenta constitutis, malignus udest cum exercitu dæmonum tentantium ac vitiorum blandientium, et urbem sanctam acriter impugnat, et in quibusdam sæpius expugnat, et subversis domibus bonæ conversationis eorum bonis spiritalibus eos privat et captivat. Qui si prudenter ac viriliter caput hostis antiqui, id est initium tentationis calcarent, non superarentur, sed superarent; nec esset illis pugna tentationis ad culpam, sed ad coronam. Unde et Jacobus dicit: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se* (*Jac.* I). Et in præcedentibus: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem perfectum opus habeat, ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes* (*ibid.*). Justos etenim, qui se cognoscit cum apostolo misericordiam Dei consecutum (*I Tim.* I), et in tentationibus et adversis lætatur et benedicit Deum in omni tempore, et scit quoniam. *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit* (*Matth.* X). Et gloriatur in labore et dolore, et cum Psalmista dicit: *Tribulationem et miseriam inveni, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXIV). Ut quando alius invocat Deum, sic sanctus vir et bellator invictus ad exercendum se et probandum tribulationem et miseriam venire desideret. Quod intelligens Psalmista dixit Domino: *Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum* (*Psal.* XXV). Non igitur obesse, sed prodesse videtur tentatio, nisi admittatur delectatio. Quod si delectatio admittitur, nisi citius repellatur, quasi jam accepto vulnere fortitudo militis Christi debilitatur, et quasi in exitu suæ civitatis stat, ut se hosti deforis impugnanti et jaculanti devictus reddat. Quod si consentit, jam se reddit, et solo consensu peccatum perpetravit, sicut scriptum est: *In corde iniquitates operamini in terra* (*Psal.* LVII). Voluntas enim pro facto computatur, et non est a Deo pax hominibus, nisi hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II).

Prima ergo videtur esse in hac transmigratione delectatio, secunda deliberatio, tertia operatio, quarta consuetudo. Quibus quatuor iter conficitur totius miseræ transmigrationis usque in urbem detestandæ confusionis. Per hæc enim quatuor humana mens a supernæ visione pacis tamen nonnunquam alienatur, ut universitate septem principalium vitiorum polluta et obvoluta, quasi septuagenario numero annorum in confusione captiva teneatur. Et miserabilis quidem est in nobis septuagenarius, id est universitatis præsentium laborum, sed multo miserabilior est, et omnino detestabilior est septuagenarius iste, id est universitas vitiorum. Per illum sumus miseri, per istum etiam iniqui. Denique divina dispensante gratia talis etiam anima postquam universis vitiis est fœdata, universorum dæmonum ludibrium facta, verbo vitæ munita convalescit, consurgit super flumina Babylonis, id est fluxum suæ vitiositatis sedet et deflet quod amisit gratiam, quod commisit culpam, et præcepto Christi regis potentissimi computrescit jugum a facie olei, solvitur captivitas, donatur libertas per compunctionem, confessionem, et satisfactionem; Jerusalem redditur, honestæ conversationis domus ex lapidibus et lignis virtutum et bonorum operum reædificatur, et spiritalibus bonis anima redempta a Domino mirabiliter locupletatur, et fiunt novissima ejus pejora prioribus: *Benedicitque Dominus novissimis ejus magis quam primis* (*Job* XLII). *Pro eo namque quod fuit derelicta et odio habita, ponitur in superbiam sæculorum gaudium in generatione et generationem* (*Isa.* LX). Gaudium et lætitiam tenet, fugit dolor et gemitus, pro confusione ejus duplici et rubore, laudabunt Patrem ejus. *Et fit gaudium angelis Dei in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, plusquam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* XV). Invento nimirum filio qui perierat, Pater lætatur, et prolata stola prima datur annulus in manu ejus, et calciamenta in pedibus, et occiso vitulo saginato, convivium celebratur. Symphonia et chorus foris auditur (*ibid.*),

et est deinceps *in voce exultationis et confessionis sonus epulantis* (*Psal.* XLI). Nunc ergo, charissimi, ubi simus attendamus, et si extra Jerusalem sumus, ad eam quamprimum revertamur. Si vero nos in ipsa consistere cernimus, quod habemus teneamus, ut de ipsa, in qua nunc vivimus, ad supernam transire mereamur. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LIII.

De confessione facienda, et votis reddendis.

Ecce super montes pedes evangelizantis, et annuntiantis pacem. Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua, quia non adjiciet ultra, ut transeat in te Belial, universus interiit (*Nahum* I). Legitur in libro Paralipomenon quod Sennacherib obsidente Jerusalem primo mense non potuit Pascha fieri, sed cæso exercitu et annuntiata morte Sennacherib, mense secundo Pascha celebratum est (*II Par.* XXXII). Unde propheta Nahum, populum Dei alloquens, consolando dicit: *Ecce super montes pedes evangelizantis, annuntiantis pacem*, etc. Quasi diceret: O Juda, ne sis sollicitus; occiso enim hoste tuo in templo Dei sui venit tibi nuntius transcurrens montes, et quasi de specula nuntians tibi, mortuo Sennacherib, urbem liberatam. Celebra ergo, Juda, festivitates tuas, et vota quæ pollicitus es, redde Deo pro nece inimici, quia Belial, id est prævaricator non transibit in te, quia totus interiit. Exercitus, rex et imperium Assyriorum penitus conciderunt. Ista, fratres charissimi, verba prophetica, secundum hoc quod dictum est, ad historiam pertinentia firma fide sunt credenda, omni devotione complectenda. Verum nos, qui non secundum litteram, sed secundum spiritum militamus, ea quæ sunt litteræ relinquamus, et quæ in eis spiritualis intelligentiæ lateant, ad nostram ædificationem requiramus. Possumus itaque congrue per Sennacherib intelligere diabolum; per exercitum ejus, universitatem dæmonum et pravorum hominum; per Jerusalem civitatem sanctam, universalem Ecclesiam; per obsidionem, tentationem, vel persecutionem; per regis et exercitus ejus interfectionem, spiritualium hostium subversionem; per montes, virtutes; per nuntium, doctores; per populum Judaicum, populum fidelium; per pacem divinitus collatam, quietem internam; per celebrationem Paschæ vel cujuslibet festivitatis, honestatem sanctæ conversationis et exhibitionem boni operis.

Sed nunc per singula recurrentes latius singula describamus. Sennacherib rex significat diabolum. Ipse est enim rex super omnes filios superbiæ, et rector tenebrarum harum, id est spiritualium nequitiarum in cœlestibus. Jerusalem, quæ est civitas sancta, et *visio pacis* interpretatur, sanctam Ecclesiam recte figurat, quæ ut civitas ædificatur, et internæ, supernæ æternæque pacis gaudia sublimiter contemplatur. Sennacherib ergo cum suo exercitu urbem Jerusalem cingit et oppugnat, dum hostis antiquus sanctam Ecclesiam cum suis complicibus, dæmonibus vel reprobis hominibus, per tentationes et persecutiones angit et fatigat. Sed per supernam gratiam velut amisso exercitu fugit et occiditur, dum ejus conatus universus annihilatur. Montes in sacra Scriptura virtutes exprimere possunt, quæ nos a terrenis elevatos ad cœlestia erigunt. Unus mons est prudentia, unus mons est fortitudo, unus mons est justitia, unus mons est temperantia. Vel certe secundum evangelicam descriptionem unus mons est humilitas, unus mons est mansuetudo, unus mons est mentis compunctio, unus mons est desiderium justitiæ, unus mons est misericordia, unus mons est cordis munditia, unus mons pax mentis interna. Nuntius vel evangelista pacis universalis ordo prædicatorum est. Nuntius iste prophetarum est numerus, apostolorum chorus, exercitus martyrum, cœtus confessorum. Pedes istius nuntii sunt principaliter intellectus et affectus. Per intellectum si bene ponitur, error vitatur. Per affectum corruptio cavetur. Intellectus procedit et incedit per cognitionem veritatis, affectus per amorem virtutis. De istis nuntiis, et istius nuntii pedibus super ipsos montes mundissime gradientis Isaias sic refert dicens: *Quam pulchri super montes pedes evangelizantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis: Sion, regnabit Deus tuus* (*Isa.* LII). *Regnabit Deus tuus*, non Sennacherib, non diabolus. Per populum Judaicum intelligimus populum fidelium Deum confitentium. Judas enim *confitens* interpretatur. Populus ergo ille per Judam bene intelligitur, qui Deum non tantum labiis, sed et opere et veritate confitetur. Qui autem labiis Deum honorant, sed cor eorum longe est ab eo (*Marc.* VII); et dum confitentur se nosse Deum, factis negant eum (*Tit.* I): semen sunt Chanaan, et non Juda.

Confessio alia criminis, alia laudis. Sane quam sit perniciosum, quam periculosum homini peccatori peccata sua celare; et quam sit fructuosum, imo necessarium ea confiteri multis auctoritatibus in sacra pagina declaratur. Unde est illud in psalmo: *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die. Die ac nocte gravata super me manus tua, conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina* (*Psal.* XXXI). Hoc pertinet ad perniciem taciturnitatis. *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*ibid.*). Hoc pertinet ad utilitatem confessionis. Et Salomon in Proverbiis dicit: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et dereliquerit ea, misericordiam consequetur* (*Prov.* XXVIII). Quod dicit *qui abscondit scelera sua, non dirigetur* demonstrat perniciem taciturnitatis; quod autem addit *qui confessus fuerit*, etc. utilitatem confessionis. Quam utilitatem etiam in Novo Testamento beatus Jacobus ostendit dicens: *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini* (*Jac.* III). Antiqua

quoque lex confiteri jubet, et homines ad sacerdotes mittit, ut confiteantur peccata sua ut indulgentiam accipiant. Si ergo tunc prævaricatio oblatione et confessione delebatur, quando adhuc umbra fuit, et confessio criminis pœnam potius timere debuit quam misericordiam exspectare, quanto magis nunc sub gratia facienda est confessio, quando non tam pœna timenda est quam venia speranda? Beatus denique Augustinus confessionem peccatori prorsus necessariam esse testatur dicens: « Non potest quis justificari a peccato, nisi confessus fuerit ante peccatum. » Item Beda in Epistolam Jacobi: « Sine confessione, inquit, nequeunt peccata dimitti. »

Talibus et tantis auctoritatibus erudimur, charissimi, non solum utilem, sed et necessariam esse peccatori confessionem. Quod si forte peccator vere pœniteat, sed intercurrentis necessitatis articulo ad confessionem venire non possit, firmiter est credendum quod in eo summus Sacerdos complet quod mortalis non potuit; et apud Deum jam factum constat quod homo quidem vere voluit, sed non valuit adimplere quia confessionem non contemptus exclusit, sed impedivit necessitas. Quacunque enim hora ingemuerit peccator salvus erit (*Ezech.* XXXIII). Et Psalmus ait: *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Et leprosi dum irent sacerdotibus se ostendere mundati sunt (*Luc.* XVII). Tunc enim salus peccatoris incipit, quando veraciter pro delictis suis ingemiscit. Quæ tamen salus tunc perficitur, quando id unde ingemuit ore confitetur. Quæ salutis perfectio et si, ut dictum est, necessitatis articulo impediatur, per summum tamen Sacerdotem, cui omnia possibilia sunt, adimpletur. In facienda autem confessione talis discretio esse debet, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, ut orationibus pro invicem factis salvemur. Porro gravioris lepræ immunditiam sacerdoti, id est nostro summo prælato, scilicet abbati, pandere debemus, ut ad ejus arbitrium justificari curemus. Est enim quædam communis in Ecclesia confessio et pœnitentia, quam quotidie ad invicem facimus, in qua oratione fusa pro invicem pro quotidianis et levibus peccatis indulgentiam et remissionem consequimur. Gravioris autem culpæ reatum singulari confessione sacerdoti aperimus, et secundum ejus consilium munere satisfactionis oblato indulgentiam peccati obtinemus. Sunt autem quædam, quæ levissima putarentur peccata, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, fatue! reum gehennæ putaret, nisi Veritas hoc diceret? (*Matth.* V.) Cui tamen vulneri subjecit continuo medicinam præceptum fraternæ reconciliationis dicens: *Si offers munus tuum ante altare, et recordatus fueris quia frater tuus aliquid habet adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*ibid.*). Aut quis existimaret quam magnum peccatum sit dies observare, et menses, et annos, sicut observant, qui certis diebus, sive mensibus, sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta, vel infausta existimant tempora, nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait: *Timeo vobis, ne forte sine causa laboraverim in vobis* (*Gal.* IV).

Sunt et alia quædam peccata, quæ quibusdam nulla viderentur, nisi sacræ Scripturæ testimoniis declararentur. Hominem enim misceri suæ conjugi non filiorum procreandorum causa, sed carnalis solum voluptatis atque libidinis posset putari non esse peccatum, nisi Apostolus de hoc officio loquens: *Nolite fraudari invicem, nisi forte ad tempus ex consensu, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*, adjunxisset: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Quis enim neget esse peccatum, cum dari veniam facientibus apostolica auctoritas fateatur? Posset etiam putari non esse peccatum, si frater cum fratre non extra Ecclesiam, sed intra, nec apud iniquos, quos Apostolus terribiliter reprehendit, sed apud fideles de negotio suo contenderet dicens se iniquitatem pati, quam a se vellet judicum sententia removeri: posset, inquam hoc putari non esse peccatum, nisi Apostolus adjungens diceret: *Jam omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos* (*I Cor.* VI). Et ne quis sibi blandiens justumque negotium se habere dicens se vellet super hoc excusare, occurrit continuo talibus cogitationibus dicens: *Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* (*ibid.*) Dicit autem Dominus in Evangelio: *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, et judicio tecum contendere, dimitte illi et pallium* (*Matth.* V). Et alio loco: *Qui abstulerit tuo, noli repetere* (*Luc.* VI). Prohibuit itaque suos de negotiis sæcularibus habere judicium cum aliis, et ex hac doctrina dicit Apostolus esse delictum inter contendentes. Tamen cum fieri sinat in Ecclesia inter fratres fratribus judicantibus, extra Ecclesiam vero terribiliter vetet, manifestum est quod secundum veniam concedatur infirmis. Hoc etiam infirmis concedi posse innuit, ubi superius per increpationem dixit: *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum, sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles?* (*I Cor.* VI.) Propter hæc et hujusmodi peccata et alia licet his minora, quæ fiunt, verborum et cogitationum offensionibus. Apostolo Jacobo confitente et dicente: *In multis enim offendimus omnes* (*Jac.* III), oportet ut quotidie crebroque oremus Dominum, et dicamus: *Dimitte nobis debita nostra*, etc. (*Matth.* VI), nec in eo quod sequitur mentiamur: *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Ibid.*). Quæ ergo sint levia, quæ gravia peccata non humano, sed divino pensanda sunt judicio.

De diligentia vero confessionis beatus Augustinus sic scribit dicens. « Consideret peccator qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, et quali hoc fecerit tentatione, et in ipsius vitii multiplici exsecutione. » Oportet enim pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui status, vel officii, vel secundum modum meretricis et modum operis sui, et qualiter turpitudinem egit, si in loco sacrato, si in tempore orationi constituto, ut sunt festivitates et tempora jejunii. Consideret quantum perseveravit, et defleat quod tam perseveranter peccavit, et in tanta perseverantia quanta victus fuerit impugnatione; sunt enim qui non solum non vincuntur, sed ultro se peccato offerunt, nec exspectant tentationem, sed præveniunt voluptatem. Et pertractet secum quam multiplici actione vitii delectabiliter peccavit. Omnis ista varietas confitenda est et deflenda, ut, cum cognoverit quod peccatum est, cito inveniat Deum propitium. In cognoscendo peccati augmentum inveniat cujus ætatis fuerit, cujus sapientiæ, et ordinis. Immoretur in singulis istis, et sentiat modum criminis purgans lacrymis omnem qualitatem vitii. Defleat virtutem, quia interim caruit. Dolendum est enim non solum quod peccavit, sed etiam quod se virtute privavit. Defleat etiam, quoniam offendens in uno factus sit omnium reus (*Jac.* II). Ingratus enim exstitit, qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit. In hoc enim peccator quisque fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideo enim Adam plus peccavit, quia omni bono abundavit. Alio enim modo offendens in uno factus est omnium reus, quia omnis virtus patitur detrimentum ab uno vitio. Ponat enim omnino in judicio et potestate sacerdotis, nihil sui reservans sibi, ut omnis eo jubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæ faceret pro evitanda corporis morte, et hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam. Cum gaudio enim facere debet immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus. Semper deprecetur Deum, offerat Deo mentem et cordis contritionem, deinde et quod potest de possessione sua securus offerat. *Respexit enim Deus ad Abel, et ad munera ejus* (*Gen.* IV). Prius dixit ad Abel, quam ad munera ejus. Idcirco igitur cordis conferenda est eleemosyna tribuentis. Nec consideranda est quantum, sed qua mente, qua affectione dat quod potest. Qui igitur sua peccata redimere vult temporalium oblatione, prius offerat mentem. Caveat ne ductus verecundia dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit sacerdotibus manifestare. Quidam enim uni occultant quæ alteri manifestanda conservant : quod est se laudare et ad hypocrisim tendere, et semper venia carere, ad quam frustra se putat pervenire. Caveat etiam, ne prius ad Dominicum corpus accedat, quam confortetur bona conscientia, et doleat, quod nondum audeat sumere, quem multum desiderat, cibum salutarem. Cohibeat etiam se a ludis, spectaculis sæculi qui perfectam vult consequi remissionis gratiam. Isti sunt digni fructus pœnitentiæ animam captivam elaqueantes, et in libertatem asserentes. Confiteamur, charissimi, secundum ea, quæ dicta sunt, cuncta, quæ in nobis sunt peccati et criminis, ut digne cantare valeamus in confessione quæ sunt divinæ laudis, quia *non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV). Qui enim vetera fatendo non delegit, novæ vitæ opera non producit. Qui nescit lugere quod gravat, non valet proferre quod sublevat.

Peccata igitur nostra, in quibus inveterati sumus, confiteamur et lugeamus, ut in confessione divinæ laudis proferre nova cantica valeamus. De hac confessione scriptum est : *Confessio ejus super cœlum et terram* (*Psal.* CXLVIII) : super cœlum videlicet per angelos, super terram per homines sanctos. Item Dominus per Psalmistam : *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei* (*Psal.* XLIX). Perpendat qui potest, quantum sit donum, quantum bonum digne laudare Deum. Ille pro humano modo digne Deum laudat qui ejus laudem mundo corde et ore decantat. Ille bene laudat qui quod profert ore, versat in corde. Ille bene laudat qui in corde habet rectitudinem et in ore laudationem. Rectos namque decet laudatio (*Psal.* XXXII). Ille ergo solus vere laudat qui quod ore clamat, vita demonstrat. Sunt qui Deum satis, imo nimis in ore laudant, quia incomposito gestu semetipsos agitantes ejus laudem inordinatis vocibus indecenter clamant, sed male vivendo per contemptum ejus præcepta blasphemant. Et dum sola voce Deum laudant, quem factis negant, vasa tamen cantici se habere putant, non animadvertentes quod in Malachia scriptum est: *Ecce projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum* (*Malach.* II). Sed nos, charissimi, emundemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, et sine macula et ruga existentes acceptabiliter laudem nostri Creatoris personemus, quia illic iter quo ostenditur et videtur salutare Dei. Est quidem *notus in Judæa Deus, sed in Israel magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV). Per Judæam intelligitur confessio; per Israel, contemplatio. Notus est ergo Deus in confessione criminis, sed notior in confessione laudis. Notissima autem et magnum nomen ejus in contemplatione suæ majestatis. Confessio criminis est inchoantium, confessio laudis proficientium, contemplatio divinitatis perfectorum. Populus igitur ille Judaicos jure nominatur qui non solum voce sed et moribus Deum confitetur. Sed et tali populo exstinctis hostibus pax donatur, dum, repressis dæmonum tentationibus et pravorum hominum persecutionibus, illi quies interna ad vacandum Deo divinitus conceditur. Ipse denique Dominicas festivitates celebrat, dum bene vivendo pro accepto pacis beneficio pro viribus Deum honorat.

Et redde, inquit, *vota tua*. Votum est attestatio quædam promissionis spontaneæ, quæ ad solum Deum, et ad ea, quæ Dei sunt, usgis proprie refertur. Vovere siquidem est testificatione promissionis

spontaneæ Deo se obligatum, ac debiturem statuere. Nam qui promittit simpliciter spondet se facturum aliquid; qui vero vovet contestatur promissioni suæ, et affirmat promissionem suam. Scriptura autem docente didicimus quod quædam vota sunt quæ tenenda non sunt. Scriptum est enim : *Vota stultorum frangenda sunt*. Vota stultorum intelligimus ea, quæ vel de malo fiunt, vel de bono male. Verbi gratia, si quis voveret quempiam interficere; sive quodlibet aliud, in quo constaret culpa, se facturum, votum de malo esset, et malum esset, et idcirco solvendum non esset : in quo prima culpa fuit vovere, secunda in opere, si compleretur. Similiter votum de bono factum, si bene non fiat, inter vota stultorum quæ frangenda sunt deputatur. Bene autem non fit, etiam si de bono fit, illud votum in quo vovetur quod non licet, vel quod non expedit. Non licet ut mulier, si non consentiente vel potius contradicente viro suo, continentiam voveat. Non expedit, ut si quispiam in jejunio vel quolibet alio opere supra vires et possibilitatem aliquid se facturum esse voto promittat. Hæc omnia inter vota stultorum deputantur quæ vel perversa et illicita, vel indiscreta sunt. Item quædam vota commutationem admittunt, quædam non. Vovisti aurum, argentum, reddere potes, quia quod pretio minus est, in pondere majus esse potest. Vovisti peregrinationem tuam Domino, commutationem admittit, si forte expediat magis (quod contingere potest) ut permaneas in patria tua, et in domo tua. Nam si illic persolvere potes aliud tantum valens, sive ad laborem operis, sive ad devotionem virtutis, sive ad utilitatem administrationis, commutationem admittit. Vovisti jejunium, et hic commutatio esse potest, si forte hoc non expediat (quod contingere potest). Aliud adhuc dico: Vovisti Deo servire in aliquo loco, vel in habitu, vel in societate aliqua, dico quod hoc totum commutationem habere potest, quia potest et locus dirui, et homines mori, et habitus mutari. Numquid, putas, ideo perdis animam tuam, si locus aliquis vastatur, aut si homines moriuntur? Tantum ex te non fiat quod in illis fit, nec in te remaneat quod in te fieri debuit. Non est periculum tuum, ubi non est culpa tua, fac quod potes tu, et quantum potes, et sufficit tibi. A bona voluntate non amplius exigitur, nisi quantum potest. Si autem horum aliquid voveris, vel aliquid similium, quæ vel invitis auferri possunt, vel a volentibus commutari, et implere quidem vales, quod vovisti, non est in tuo arbitrio commutatio voti tui, etsi majus aliquid videris, vel melius faciendum quod facias. Potest quidem dispensatio fieri in te, sed non debet fieri a te. Nam tu quidem, quantum in te est, hoc debes quod vovisti, ipsum et non aliud. Non tibi licet aliud pro alio commutare, sed dispensatori magistro tuo, si voluerit expedire noverit, licet aliud accipere. Si idem a te datur, debitum est. Si aliud ab alio accipitur, indulgentia est.

Item, vovisti Deo virginitatem tuam, et post votum perdidisti. Virginitas autem semel amissa reparari, aut recuperari non potest. Quid ergo reddes Deo pro eo quod vovisti et irrecuperabiliter perdidisti? Audi : Redde pœnitentiam tuam, redde contritionem, redde humilitatem. Pro virginitate carnis redde humilitatem cordis. Pro carne fracta frange cor. Humilitatem per se debueras, etiamsi virginitatem habueras; et tamen si virginitatem reddere non potes, redde pro illa humilitatem, et satisfaciet tam pro se quam pro illa. Vide quanta virtus est humilitatis. Socia est humilitatis virginitas, et socia est virginitatis humilitas; non tamen potest, si abest humilitas, satisfacere virginitas; potest autem, etsi abest virginitas, satisfacere, si habeatur, vera humilitas. Est autem aliquod votum quod nullam commutationem admittit. Audi Veritatem dicentem : *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* (*Matth.* XVI.) Quasi diceret nullam. Vides ergo, quod unum est, quod commutationem non recipit, neque dispensationem admittit. Hoc si voves, imo quia voves, non enim bonus esse potes si hoc non voveris, redde quod vovisti, et ipsum redde quod vovisti, quia si aliud reddere volueris pro isto, ille non accipit quodcunque fuerit illud. *Vovete*, inquit, *et reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera, terribili, et ei qui aufert spiritum principum terribili apud omnes reges terræ* (*Psal.* LXXV). Vove ergo, et redde Deo spiritum tuum. Si voves et reddis, accipiet. Si non voves, vel post votum reddere nolueris, tollet. Si spiritum principum aufert, auferre non poterit spiritum tuum? Si ergo reddis, pro dato remunerabit; si non reddis, pro non dato condemnabit. Si voves animam tuam, redde animam tuam. Noli putare quod possis reddere pecuniam tuam pro anima tua. Hoc enim esset plus vovere et minus reddere, et non esset æqua recompensatio. Si tua das Deo, teipsum zabulo, non est æqua partitio. Cum anima tua dare potes pecuniam tuam, pro anima non potes, nisi forte pro anima tua pecuniam tuam dare volueris, ut anima tua data pecunia acceptabilior fiat pro illa. Hoc ergo unum est scilicet anima, quod commutationem non accipit. Votorum denique aliud occultum est et coram Deo tantum, aliud manifestum etiam coram homine. Occultum votum fractum peccatum est; manifestum fractum peccatum et scandalum. In illo Deus offenditur, in isto in proximum peccatur. Melius est autem non vovere quam vovere et non reddere. Quemadmodum secundum sententiam beati Petri : *Melius est non cognoscere veritatem, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod traditum est, sancto mandato* (*II Petr.* II).

Celebra, inquit, *festivitates tuas, et redde vota tua, quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial; universus interiit*. Si per Belial, quod interpretatur *absque jugo*, diabolum convenienter accipimus, per universum Belial diabolum et universitatem dæmonum, et reproborum hominum non inconvenienter intelligimus. Universus ergo Belial nobis interiit,

quando diabolus cum universis malignis spiritibus, et reprobis hominibus potestatem nos persequendi ac tentandi divinitus refrenatus amittit. Et regnat Deus noster, quia dum in nobis concidit regnum diaboli, oritur et manet regnum Christi. Nunc itaque, charissimi nobis, si non semen Chanaan, sed Juda sumus, illius, inquam, Juda, de quo scriptum est: *Juda, te laudabunt fratres tui* (*Gen.* XLIX). Confiteamur primum peccata nostra, et sic immolemus sacrificium laudis Domino, et reddamus Altissimo vota nostra in tempore, ut cum ipso regnemus in æternitate. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LIV.

In Quadragesima.

Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem (*Psal.* XC). Hoc sacro maxime tempore, charissimi nobis, ut sacra consuetudo annuatim repræsentat, in castris Ecclesiæ tuba cœlestis auditur, exercitus Christianus convocatur, stipendium doctrinæ spiritalis tribuitur, Christi miles accingitur, campum sacræ abstinentiæ cum diabolo bellaturus ingreditur, et armis virtutum et bonorum operum munitus aggreditur, pugna committitur, victoria speratur, hostis vincitur, triumphus revehitur, corona donatur, pax bello quæsita securius possidetur. Non debet miles Christi, sonante buccina cœlestis exhortationis, ad occursum hostis validi trepidare, cum evangelica docente historia ducem suum fortem armatum cognoscit dudum superasse. Fortis armatus diabolus, atrium ejus mundus, arma doli spiritales et astutiæ, vasa homines, fortior superveniens Christus, direptio vasorum, redemptio hominum (*Luc.* XI). Venit itaque Christus in mundum, ut liberaret genus humanum, et ut in terram mitteret non pacem, sed gladium (*Matth.* X). *Maledictus* ergo *qui facit opus Dei negligenter, et qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII). Et, ut ait Salomon, *primo tempus belli, et postea tempus pacis* (*Eccle.* III). Tempus belli in mundo, tempus pacis in cœlo. Pro viribus ergo pugnemus, ut adepta victoria in pace lætemur. Quod si pugnare et superare negligimus, expugnabimur et superabimur. Hostis etenim noster non dormit neque dormitat (*Psal.* CXX), sed *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (*I Petr.* V). In hujus expositione sententiæ non nostra, verum beati Cypriani verba capiamus. « Circuit, inquit, ille nos singulos, et tanquam hostis clausos obsidens, muros explorat, et tentat an sit pars aliqua membrorum minus stabilis et minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. » Offert oculis formas illices, et faces voluptatis [faces voluntatis], ut visu destruat castitatem. Aures per canora musica tentat, ut soni dulcioris auditu, solvat et molliat Christianum vigorem. Linguam vitio provocat, manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cordis instigat. Ut fraudatorem faciat, lucra opponit injusta. Ut animam pecunia capiat, ingerit perniciosa compendia, honores terrenos promittit, ut cœlestes auferat. Ostentat falsa, ut vera subripiat. Et cum latenter non potest fallere, exserte atque aperte minatur. Terrorem turbidæ persecutionis intentat ad debellandos servos Dei, inquietus semper et semper infestus; in pace subdolus et in persecutione violentus. Quamobrem contra omnes diaboli, vel fallaces insidias, vel apertas minas stare debet instructus animus et armatus, tam paratus ad repugnandum, quam est semper ad impugnandum paratus inimicus.

Sane quatuor sunt, aspis, basiliscus, leo, draco, quæ in principio sermonis posuimus, per quæ universalem diaboli malitiam intelligere possumus et debemus. Ferunt de aspide quod cum cœperit pati incantatorem, qui eam quibusdam carminibus propriis provocat, ut eam de caverna educat, illa cum exire noluerit, unam aurem in terram premit, alteram cauda obturat et operit, sicque voces illas magicas non audiens non exit. Aspis igitur, quæ suas aures obturando contra vocem incantantis se pertinaciter servat, ne exeat, surdam et insensibilem contra nos diaboli pertinaciam recte figurat. Hinc est quod de illis quos vitio suæ malignitatis obduratos, in malo pertinaces facit, dicitur in psalmo: *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas; quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter* (*Psal.* LVII). Veneficus sapienter incantat, dum doctor eruditus sapienter prædicat, et totis viribus studet, ut peccatorem de suæ pravitatis abditis ad lucem veritatis adducat. Sed aspis terra caudaque suas aures obturat, ne vocem incantantis audiat et exeat, dum peccator hinc amore terrenorum victus, illinc de spe futuræ emendationis, quam circa vitæ finem vel in fine quidam consequi creduntur, sibi blandiens modis omnibus elaborat, ne justis monitis ad præsens obediat. Aspis itaque diabolum congrue figurat qui in sua malignitate contra nos velut surdus et insensibilis pertinaciter perseverat. Peccatorem quoque recte significat qui in pravam consuetudinem suam trusus pertinaciter renititur, ne justis monitis acquiescat.

Sed nos, charissimi, diabolum, quem hoc loco per aspidem principaliter designari diximus, toties et tandiu fusis ad Deum precibus et sacris monitis ad alterutrum factis, incantemus, donec illum de sua pertinacia qua contra nos sævit, et ejus pestiferum virus de nostris fraternisque cordibus potenter ejiciamus. Basiliscus Græce, Latine *regulus* interpretatur eo quod rex serpentium sit, adeo ut eum videntes fugiant, quia flatu suo serpentes necat, mustelis tamen vincitur. Mustela dicitur quasi mus longus. Nam telon [τῆλον] longum dicitur. Mustela itaque est animal longum, parvum et prudens. Per basiliscum ergo, quia inter sui generis animalia rex est, recte superbiam diaboli intelligimus. Ipse est enim rex super omnes filios superbiæ (*Job* XLI). Qui et suo flatu serpentes necat, dum multoties

nonnullos, qui deberent esse prudentes sicut serpentes, pravis suggestionibus aspirans per culpam mortificat. Qui tamen a mustela vincitur, dum ab illis qui sunt parvi humilitate cordis, et longi vel potius longanimes perseverantia boni operis, prudentes acumine discretionis, superatur. Leo, qui fortiter in alias bestias furit, recte per suam ferocitatem et sævitiam, sævam diaboli crudelitatem designat. Draco denique non in dentibus, sed in cauda suum virtutem habet, et magis insidiando, et delitescendo, quam aperte sæviendo nocet; ab eo nec elephas sui corporis magnitudine tutus est. Nam circa semitas, per quas solito gradiuntur, delitescens crura eorum nodis illigat, ac suffocatos perimit. Sicut ergo leo manifestam diaboli crudelitatem exprimit, ita draco congruo designat ejus occultam calliditatem. Diabolus itaque, sicut supra monstratum est, aspis est insensibili pertinacia, basiliscus elata superbia, leo manifesta sævitia, draco occulta malitia. Sed miles Christi aspidem, basiliscum, leonem, et draconem vincit et conculcat, dum universam ejus nequitiam, quæ per hæc quatuor figuratur, prudenter et potenter debellat.

Ad hujus vero victoriæ palmam obtinendam etiam ipsius Salvatoris verbis animamur, ubi apostolis loquens dicit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit* (*Luc.* x). Non enim solum apostolis, verum et universis fidelibus suis dedit potestatem adversarias potestates superandi, qui non tantum illis, sed et omnibus in se credentibus dare dignatus est exemplum contra eas dimicandi. Hinc est etiam quod recumbentibus undecim apostolis ait: *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient* (*Marc.* xvi). Et iterum post pauca: *Serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit* (*ibid.*). Sed nunquid, fratres, quia ista corporaliter et visibiliter non facimus, ideo minime credimus? Absit! Sancta nimirum Ecclesia, sicut dicit beatus Gregorius, nunc quotidie spiritaliter facit, quod tunc per apostolos corporaliter faciebat. Nam sacerdotes ejus, cum exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, et habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt quam quod dæmonia ejiciunt? Dumque bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt. Et dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocet. His omnibus edocemur, fratres, non tam corporalia signa, quæ cum reprobis possunt haberi communia, quam spiritualia, quæ diximus amare; quæ tanto securiora sunt, quanto occultiora, et de quibus apud Deum eo major retributio, quo apud homines minor est gloria. Hinc est quoque quod discipulis de eo quod eis immundi spiritus subjiciebantur gaudentibus Dominus ait: *Nolite gaudere quia spiritus subjiciuntur vobis. Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* x). Nos itaque, charissimi nobis, contra spiritualem hostem dimicaturi spiritualibus armis induamur, ut habeamus scutum per fidem, galeam per spem, loricam per charitatem, gladium spiritus quod est verbum Dei, per prædicationem, et lanceam longam, quæ ad Deum erigatur, et in hostem dirigatur, per devotam et imprætermissam orationem. Super nostrum jumentum sedeamus, ut lasciviam nostræ carnis deprimamus, frenum temperantiæ et discretionis illi imponamus, ut ab illicitis illud cohibeamus et per viam æquitatis dirigamus. Urgeamus illud calcaribus jejuniorum et vigiliarum, ne torpescat in exercitatione virtutum et exhibitione bonorum operum. Simus fortes in bello, et pugnemus cum antiquo serpente, ut regnum æternum percipiamus. Nemo nostrum in castris vitæ præsentis contra hostes dimicando torpeat, ne regnum æternum superatus amittat. Non enim segniter, sed viriliter et legitime certanti regni cœlestis corona reservatur. Unde pulchre quidam versificator ait:

Exeute torporem, qui cœli quæris honorem
Non dabitur segni cœlestis gloria regni.

Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LV.

In festo beatæ Mariæ.

Quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mistum odor meus. Et quasi Terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis (*Eccli.* xxiv). Hæc sacrosancta verba, charissimi, quæ per Jesum, filium Sirach, in Ecclesiastico de sapientiæ laudibus elegantissimo describuntur, beatæ et intemeratæ virginis Mariæ præconiis magnificisque virtutibus convenienter attribuuntur. Ipsa nimirum cœlesti sapientiæ præ cæteris mortalibus plenissime sibi donata per virtutes rebus hic descriptis figuratas vicit malitiam, obtinuit palmam, habet coronam. Cujus revera fortitudo et laus Dominus, et factus est ei in salutem, fortitudo in pugna, laus in victoria, salus in gloria. Unde rectissime beata virgo Maria per omnium ora fidelium laudibus sapientiæ suas potest virtutes attollere, et suæ dignitatis gloriam per universam Ecclesiam commendare. Dicat ergo, dicat, inquam, præ cunctis mortalibus singulariter, dicat excellenter: *Quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta: et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam. Et quasi balsamum non mistum odor meus*, etc. Storax, ut physicorum libri narrant, in potu sumptus raucitatem aufert, vocem clarificat. Unde congruo gratiam divinæ laudationis figurat. Quam gratiam beata Maria luculenter habuit, quia per Elizabeth de sua credulitate beatificata laudes Deo decantans ait: *Magnificat anima mea Dominum* (*Luc.* i). *Quasi sto-*

rax itaque fuit, quia voce a peccati raucitate per supernam gratiam clarificata laudem Dei dignissime decantavit. Galbani quoque fumigatio, sicut eorumdem libri attestantur, reptilia fugat. Reptilia vero turpium cogitationum in humanis cordibus irreptionem apte significant. *Quasi galbanus*, ergo beata Dei Genitrix veraciter exstitit, quia de sui cordis aditu, omnis immundæ cogitationis irreptionem propulsavit. Ungula, quemadmodum physici tradunt, herba quædam est sicut ungula caballi formata, et ab ipsis ungula caballina nominata. Quæ, quia frigidæ naturæ est, concupiscentiæ carnalis male blandientis exstinctionem designare potest. Quamobrem beata Maria fuisse velut ungula bene creditur, quæ concupiscentiæ carnalis incendium rore gratiæ cœlestis in se potenter exstinxisse non dubitatur. Gutta omnes inflaturas et tumores pellit, et ob hoc perfectæ humilitatis virtutem convenienter exprimit. Quam virtutem sancta Dei Genitrix excellenter habuit, quæ dum Dei mater ab angelo nominaretur humiliter respondit: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I). *Et quasi Libanus non incisus*. Libanus *dealbatio* interpretatur. Beata ergo Maria velut Libanus fuit per candorem castitatis, non incisus per integritatem virginitatis. Quidam dicunt non incensus, fuit etenim velut Libanus non incensus, quia flos castitatis ejus candidissimus incendio libidinis non est adustus.

Quasi storax, inquit, *et galbanus, et ungula, et gutta, quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam*. Talibus quippe aromatibus gloriosa, ut sæpe nominata, semperque nominanda, et nulla oblivione tacenda virgo Maria suam habitationem vaporavit, quia talibus virtutibus ad pellendum malitiæ frigus suam sanctam conversationem inflammavit. *Et quasi balsamum non mistum odor meus*. Arbor balsamus stipite similis est viti, foliis similis est rutæ albidioribus semperque manentibus. Arbor autem balsamus, lignum vero xylobalsamum dicitur, fructus sive semen carpobalsamum. Percussus autem cortex balsami ferreis uncinulis guttam eximii odoris emittit. Quam adulterant oleo cypressino admisto, vel melle. Quæ si pura fuerit, tantam habet vim, ut cum sol excanduerit, teneri in manu non possit. Odor autem beatæ Mariæ virginis quasi balsamum non mistum exstitit, quia ejus sanctam et sinceram opinionem, qua terram et cœlum adimplevit, nullius infamiæ fetor corrumpit. *Ego quasi terebinthus extendi ramos meos; et rami mei honoris et gratiæ*. Terebinthus est arbor habens resinam omnibus resinis præstantiorem. Unde congrue significat charitatem, de qua dicitur: *Adhuc vobis excellentiorem viam demonstro. Si linguis hominum loquar et angelorum*, etc. (*I Cor.* XII, XIII.) Et post pauca: *Nunc manent tria hæc, fides, spes, charitas. Major autem horum est charitas*. Terebinthus ista erigitur in cœlum per dilectionem Dei, et dilatat ramos suos in universum mundum per dilectionem proximi. Rami ejus sunt aliarum exercitatio virtutum, et exhibitio bonorum operum. Qui sunt honoris quia venerationis, et gratiæ quia pulchritudinis. In ... ris aliis, gratiæ in semetipsis; fructus ejus jucunditas bonæ conscientiæ intus coram Deo, folia decor boni exempli foris coram proximo. Beata itaque Maria quasi terebinthus ramos suos extendit, quia charitate plena fuit, Deum super omnia et proximum sicut semetipsam dilexit.

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Vitis florendo fructificat, et ejus fructus inebriat. Sic beata Maria per florem suæ virginitatis fructificavit Christum botrum nostræ redemptionis, qui suos electos inebriat in mundo vino gratiæ, in cœlo vino gloriæ. Hujus vitis fructum sive botrum, id est Christum, botrus ille quem duo viri exploratores filii Israel attolerunt in desertum in vecte bene significat. Ipse namque nobis est fructus vitæ, quo pascimur, et fundit nobis, sicut jam dictum est, primo vinum gratiæ, deinde gloriæ quo inebriamur. Duo autem viri exploratores prophetas et apostolos figurant, qui secreta patriæ cœlestis Spiritu sancto duce exploraverunt, et Christum nobis per Scripturas suas in hunc mundum attulerunt. Lignum autem vectis lignum designat crucis; et sicut illo qui præcedebat ex duobus viris botrum portantibus botrum post tergum pendentem non vidit in vecte, sic præcedens prophetarum cuneus Christum non vidit in cruce; ille autem qui sequebatur botrum vidit, quia chorus apostolorum, qui post ipsum in mundo remansit, et post ipsum de mundo recessit, et præsentem eum in carne patientem in cruce conspexit. Decem exploratores qui pravis sermonibus corda filiorum Israel ab ingressu terræ promissionis averterunt, infideles Judæos sub Decalogo legis positos designant, qui cœlestis promissa per fidem Christi quærere detrectant. Duo autem exploratores, qui populum ad ejusdem terræ introitum fideliter exhortati sunt, electos Christianos sub duobus præceptis charitatis positos exprimunt, qui cœlestis patriæ jucunditatem introire totis visceribus concupiscunt. Istius vitis fructus congrue suavitas odoris appellatur, quia per ejus aspirationem et prædicationem, quis suavis in cœlis est, a nobis e terra odoratur. Sed is qui nobis nunc est suavitas odoris in mundo, postmodum nobis erit suavitas saporis in cœlo, qui nunc est suavitas odoris in fide, tunc erit suavitas saporis in contemplatione; qui nunc est suavitas odoris in spe, tunc erit suavitas saporis in re. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem videbimus facie ad faciem* (*I Cor.* XIII).

Et flores, inquit, *mei fructus honoris et honestatis*. Flores beatæ Virginis, id est virtutes ejus, castitas, charitas, humilitas, immarcessibiliter florentes, flores sunt honoris et honestatis, quia Christus fructus ejus, qui de Virgine his floribus ornata processit, suis electis honorem et honestatem tribuit in terris, et eisdem se daturum spondet in cœlis. Beata itaque Dei Genitrix *quasi vitis* fructificavit, quia Christum verum botrum, qui nos vino gratiæ et gloriæ inebriare non desinit, generavit. Sed

(quod est mirabile dictu) hic fructus est solus, qui suæ matri florem non abstulit, sed conservavit et venustavit. Ergo beata et intemerata virgo Maria præ cæteris mortalibus sapientiæ cœlestis aromatibus referta fuit *quasi storax* per clarissimam, id est dignissimam divinæ laudis decantationem, *quasi galbanus* per cujuslibet immundæ cogitationis fugationem, *quasi ungula* per concupiscentiæ carnalis exstinctionem, *quasi gutta* per totius elationis depressionem, *quasi Libanus non incisus* per candidissimæ castitatis integritatem, *quasi balsamum non mistum* per sinceram opinionem, *quasi terebinthus* per veram charitatem, *quasi vitis* per singularem fecunditatem. Quam plurima sunt, fratres, quæ de his omnibus ad laudem sacræ virginis Mariæ dici possent, imo deberent, sed brevitas temporis, et prolixa celebritas divinæ laudis diutius his immorari nos prohibent. Sed nec debemus detinere sermone diem, quia sicut sermo opportunus est optimus, sic qui moderatur labia sua, prudentissimus est. Nunc igitur ad nosmetipsos redeamus, et in iis, quæ dicta sunt beatam Mariam pro viribus imitari studeamus, ut ejus meritis et precibus cum ipsa glorificari valeamus. Simus et nos *quasi storax*, clarificata voce cordium laudem Deo celebrando; *quasi galbanus*, reptilia cogitationum inutilium devotis orationibus effumigando; *quasi ungula*, libidinem carnis exstinguendo; *quasi gutta*, superbiam cordis subigendo; *quasi Libanus*, castitatem corporis custodiendo, *quasi balsamum*, bonam famam circumquaque diffundendo; *quasi terebinthus*, Deum super omnia, et proximum sicut nosipsos diligendo. In his omnibus imitemur beatam Mariam sub brevitate temporis, ut cum ipsa gloriari mereamur in diuturnitate æternitatis. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LVI.

De anima obediente.

Legimus in Veteris Testamenti pagina de Ruth Moabitide, quod Noemi suæ socrui adhærens, ejusque præceptis obediens, Booz viro potenti et diviti meruit conjugio copulari (*Ruth.* I). Noemi, quæ interpretatur *pulchra*, significat doctorem ac pastorem ecclesiasticum variis cœlestis gratiæ donis non solum exterius, sed et interius decoratum, occulta dedecoris, secundum Apostolum, abdicantem, non ambulantem in astutia, non verbum Dei adulterantem. Quem propterea femina figurat, quia spiritualem prolem Deo per suam prædicationem parare ac nutrire non cessat. Hinc est quod ad Galatas Apostolus scribens ait: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV). Ruth, quæ interpretatur *festinans*, designat animam sui prælati sanctis monitis festinanter obedientem, nec in ejus præceptis exsequendis moras ullas innectentem: scit quod *Dominus non tam holocausta vult vel victimas, quam ut obediatur voci ejus: et quod melior est obedientia quam victima, et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum est ariolandi repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* XV). Ruth ergo veraciter et bene festinat, dum obediens anima ad cuncta, quæ sibi imperantur, sive honorabilia videantur sive turpia, festinanter aurem inclinat. Sciendum est autem quod obedientia aliquando, si de suo aliquid habet, nulla est; aliquando vero minima, etiamsi suum aliquid non habet. Cum enim locus superior imperatur, obedientiæ sibi virtutem evacuat, qui ad hunc proprio desiderio anhelat. Cum autem propria contumeliæ imperantur, nisi hæc ex semetipso animus appetat, obedientia sibi meritum minuit, quia ad hæc invitus descendit. Hinc Moyses principatum populi humiliter recusat (*Exod.* III). Paulus audacter dicit: *Ego non solum alligari in Jerusalem, sed etiam mori paratus sum* (*Act.* XXI).

Ruth itaque propter Noemi terram denique suos reliquit, dum veraciter obediens anima doctoris ecclesiastici verbo vel exemplo provocata, cuncta terrena et oblectamenta per dæmones oblata penitus postponit. Et inseparabiliter illi adhæret, dum illius doctrinæ præceptis amicabiliter assensum præbet. Ipsaque per omnem viam, qua incedit sequitur, dum illum in vitiis declinandis, exercendisque virtutibus imitatur. Denique cum illo in Bethlehem commoratur, dum intra sanctam Ecclesiam sub ejus consilio vel regimine sancte et honeste conversatur. Booz, qui interpretatur *fortitudo Dei*, et erat vir potens, et magnarum opum, qui habebat messores, et cujus erat ager, in quo Ruth collegit spicas (*Ruth.* II), Christum significat. Christum enim credimus et confitemur cum Apostolo Dei virtutem, et Dei sapientiam (*I Cor.* I), qui est vir potens, quia *data est ei omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII). Qui est etiam magnarum opum, quia *in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II). Ager ejus sancta Scriptura est. Qui ager hinc habet hordeum per Vetus Testamentum, illic frumentum per Testamentum Novum. Messores sunt prædicatores, qui in hoc agro quotidie sententias metunt, unde fideles animas epulentur, et splendide pascantur. Imperfecti vero et infirmi non manipulos metunt, sed spicas colligunt, quia non maxima, sed minima capiunt. Qui bene a mane usque ad vesperam, quemadmodum Ruth, in agro stant, quia viriliter laborant, ut ab ipsa inchoatione ad perfectionem perveniant. Unde et Booz suis messoribus præcepit, ut, si vellet cum eis metere, id est majora investigare et capere, non prohibeant, imo et de suis manipulis ex industria tribuant, ut videlicet etiam de suis sententiis eos non negligenter instruant. Præcepit quoque suis messoribus, ut nemo Ruth colligenti spicas molestiam inferret, quia modis omnibus est cavendum ne quis animæ bonum incipienti, id est ad fidem, vel ad bonam conversationem recenter venienti, scandalum ponat. Hinc est enim quod Salvator ait: *Qui susceperit unum parvulum in nomine meo, me suscipit*

(*Matth.* XVIII). *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*ibid.*). Et post pauca: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico autem vobis quoniam angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Rom.* XIV). Pusillus est, qui bonum incipit, et qui necdum in robur virtutis aut altitudinem perfectionis ascendit. Beatus quoque Paulus de molestia scandali fratribus infirmis non inferenda sic dicit: *Hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratribus aut scandalum.* Et item: *Noli cibo tuo perdere illum, pro quo Christus mortuus est* (*ibid.*). Hinc iterum dicit: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum* (*I Cor.* VIII). Et deinceps: *Sine offensione estote Judæis, et gentibus, et Ecclesiæ Dei, sicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant* (*I Cor.* X). Concessit Booz Ruth, ut cum pueris suis panem comederet, buccellam suam in aceto intingeret, et de aqua quæ erat ad sarcinulas, dum sitiret, biberet; quia Christus, qui est clementissimus paterfamilias bene tribuit animæ recenter conversæ cum suis electis panem sanæ doctrinæ, ne deficiat in via virtutis et boni operis, et acetum timoris acriter pungentis, de quo scriptum est: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui* (*Psal.* CXVIII); ne dissolvatur in prosperis, et aquam refrigerantis consolationis, ne frangatur in adversis. Panis enim sustentat, acetum pungit, aqua refrigerat.

Si sitieris, inquit, *vade ad sarcinulas, et bibe aquas, de quibus pueri bibunt.* Notandum de aqua, quod ad sarcinulas requiri jubetur, quia qui sarcinæ virtutis exercendæ et boni operis exhibendi humerum libenter supponit, ipsæ divinæ consolationis refrigerium promeretur. Hinc est quod Psalmista dicit: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII). Et item: *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus. Renuit consolari anima mea*, consolatione scilicet terrena, *memor fui Dei et delectatus sum* (*Psal.* LXXVI), accepta videlicet consolatione divina. Quisquis autem a pio onere virtutis et boni operis se elongat, refrigerio supernæ consolationis se defraudat. Unde bene de Sapientia dicitur, quod *non invenitur in terra suaviter viventium* (*Job* XXVIII). Ad sarcinulas itaque, id est ad exercitium laboremque virtutis et boni operis, pergat quisquis aqua sapientiæ salutaris potari desiderat. Quod autem non sarcinas, sed sarcinulas Booz dicit, concordare videtur verbo Dominico, ubi ait: *Jugum meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI). Et beatus Joannes: *Mandata ejus gravia non sunt* (*I Joan.* V). Mandata namque divina, quæ a reprobis importabilia dicuntur, incipientibus quidem et infirmis aliquantulum gravia sunt, sed perfectis esse levia comprobantur. Perfecte nempe Deum diligentibus esse ea levia Psalmista demonstrat, dicens: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Psal* CXVIII). Habet itaque Ruth cum pueris Booz panem, acetum, et aquam, quia vere pœnitens animo habet cum puris et electis animabus in Christum credentibus panem in eruditione, acetum in increpatione, aquam in visitatione. Panis iste confert virtutem sustentationis, acetum salubritatem timoris, aqua refrigerium consolationis. Reliquiæ ciborum, quas Ruth colligebat, possunt intelligi quædam sacræ doctrinæ verba minora, quæ post se perfecti relinquunt, dum majora et in semetipsis exercent, et aliis distribuunt. Quæ minora Ruth libenter colligit quia animæ esurienti quælibet minima vel etiam amara, magna et dulcia videntur.

Ne vadas, inquit, *ad colligendum in alterum agrum, nec recedas ab hoc loco, sed jungere puellis meis, et ubi messuerint, sequere.* Ager alter et alienus est omnis liber hæreticorum, in quo Booz dissuadet Ruth spicas colligere, quia Christus admonet animam ad se conversam pravas hæreticorum assertiones non recipere. Quæ tunc vere puellis ejus jungitur, et eas in metendo sequitur, dum sanctis animabus fideliter adhærens eas in sacris lectionibus imitatur. Ruth igitur alienigena in agro Booz spicas colligit, dum, peccatrix, sed conversa, anima verba Dei studiose legit; et collecta virga cædit et excutit, dum quæ legit per subtilem meditationem, verum a falso, vel spiritualem intellectum a littera recte discernit. Collecta denique et excussa in domum portat, dum quæ legit et meditatur intra sanctam conversationem suam effectui boni operis mancipat. Domus enim, in qua quis conversatur, conversationem recte significat. Unde et per quemdam Sapientem dicitur: *Si non in timore Domini tenueris te, cito subvertetur domus tua* (*Eccli.* XXVII), id est bona conversatio tua. Vel certe collectam et excussam messem in domum ferre est lectione et meditatione cognita, probataque bona, per affectum et effectum virtutis et boni operis intra conscientiam collocare. His itaque peractis cernens Noemi nurum suam magnam apud Booz gratiam invenisse, dat consilium quo possit adhuc majorem invenire, quia unusquisque pastor bonus, dum in anima sibi credita convaluisse Christi gratiam animadvertit, ut majorem adhuc apud eum habere gratiam possit, studium impendit. Dicit ergo:

Filia mi, quæram tibi requiem, et providebo tibi, ut bene sit tibi. Booz iste cujus puellis in agro juncta es, propinquus noster est, etiam hac nocte aream hordei ventilat. Lavare igitur, et ungere, et indue te cultioribus indumentis, et descende in aream. Non te videat homo, donec escam, potumque finierit. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum, in quo dormiat veniesque, et discooperies pallium quo operitur a parte pedum, et projicies te, et ibi jacebis. Ipse autem dicet tibi quid debeas facere (*Ruth.* III). Noemi pastor ecclesiasticus, Ruth subjectus, Booz Christus, propinquitas bonitas. Hanc etenim propinquitatem non

facit cognatio sanguinis, sed affinitas sanctitatis. Hinc Salvator ait: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror, et mater est* (*Matth.* XII). Et beatus Joannes: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I). Nox est vita præsens, dum sub velamine sacramentorum percepimus cœlestium gratiam donorum. Nox est, dum nostras conscientias alter alterius non videmus, sed quid alter de altero cogitet ignoramus. Nox est, quia *videmus per speculum et in ænigmate, nondum facie ad faciem*, et *ambulamus per fidem, nondum per speciem* (*I Cor.* XIII). In hac nocte Booz suam aream ventilat, quia Christus non tantum Ecclesiam sanctam ab ipsius persecutoribus vel male viventibus hominibus, verum etiam unamquamque fidelem animam a pravis cogitationibus, et a falsa carnalique intelligentia in sacra Scriptura diligenter purgat. Sane anima fidelis et obediens lavatur, dum crebris fletibus a culpæ veteris sordibus emundatur. Hinc Jeremias admonet, dicens: *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem, non des tibi requiem, et non taceat pupilla oculi tui* (*Thren.* II). Unguenta sunt dona spiritalia, quia sicut unguentis vulnera sive dolores corporum, sic sacris donis sanantur ac mitigantur vulnera sive dolores animorum. De his donis Apostolus sic dicit: *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem* (*I Cor.* XII). *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum* (*Ibid.* II). Et Isaias: *Requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Hæc dona, fratres, vera sunt unguenta, et eorum perceptio vera est unctio. Sed et virtutes, quæ de ipsis donis oriuntur, unguenta non inconvenienter appellantur, quia eorum exercitatio perfecta est unctio, quæ et vermes in nobis vitiorum consumit, et affectiones peccatis vulneratas sanitati restituit. Vestimenta sunt opera. Vestimenta cultiora opera præcipua, ut sunt sex opera misericordiæ, dare panem esurienti, potum sitienti, etc. Et si quis istis circumdatur, quasi mundis vestibus et pretiosis ordonatur.

Ruth igitur post spicarum collectionem et excussionem, lavatur, ungitur, et vestitur, quia fidelis anima, post acceptam in Scripturis per lectionem et meditationem veritatis cognitionem, et lavatur per compunctionem, et ungitur per spiritualium charismatum æmulationem, et virtutum exercitationem, et vestitur per bonam actionem. His ita compositis in aream descendere, est intra cordis planitiem quemlibet, post accepta beneficia, semetipsum humiliare. Quasi enim supra se est homo per elationem, sed ad se redit, et in se descendit per humiliationem. Est et alia humiliatio, quæ præcedit istam, scilicet altera est ad beneficii perceptionem. Ista autem est ad beneficii augmentationem. A parte denique pedum pallium discooperire, et ibi se projicere sive jacere, est sacramentum nostræ redemptionis humiliter investigando considerare, et Christi perpetuam conjunctionem per ipsius incarnationis fidem humiliter et indesinenter postulare. Sed tantam accessionem et familiaritatem nullatenus anima præsumat, nisi eum cibo et potu exhilaratum, et in lectum pacis ac quietis collocatum videat. Cibus Christi sive potus est, ut fiat voluntas Patris ejus. Hinc est quod discipulis suis ait: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus* (*Joan.* IV). Non igitur anima quælibet Christi sacramentum discutere, tractare, percipere, vel ab ipso grandia postulare ullatenus audeat, nisi, prius exhibitis sanctis operibus, illum erga se lætificatum et pacatum agnoscat. *Quid enim communicabit cacabus ad olIam* (*Eccli.* XIII)? Quando enim se colligerint, confringetur. Et Apostolus: *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI). Hinc cum Moyses post mortem Nadab et Abiu argueret Eleazar et Ithamar de hirco, quem exustum reperit, quod eum non comedissent, respondit ei Aaron: *Oblata est hodie victima pro peccato, et holocaustum coram Domino. Mihi autem accidit quod vides. Quomodo potui comedere eam, aut quomodo placere Domino, vel sicut quidam legunt, placere Domino in extremo meis mente lugubri?* (*Levit.* X). Sed et de oratione scriptum est, quod qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis (*Prov.* XXVIII). Quisquis ergo quoquo modo vult ad Deum accedere, vel ab eo quidquam postulare, studeat prius necesse est suam conscientiam coram eo bene operando, et semetipsum humiliando serenare, et per hoc Christum quasi cibo reficere, ac potu exhilarare, et quietum erga se reddere. Cibus tamen et potus, quem Booz sumpsit, non Ruth dantis, sed facultatis ipsius Booz fuit, quia nostra actio Christi est donatio, nec est nostræ facultatis, sed gratiæ cœlestis; *non enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX). Ipse, inquit, *dicet tibi quid debeas facere.* Si enim quod noster prælatus præcipit nobis, obedienter facimus, unctio Christi de cætero docet nos de omnibus (*I Joan.* II). Laudat denique Booz Ruth quod non est secuta juvenes, et Christus laudat animam sibi fideliter appropinquantem, quod non sequitur dæmones, vel reprobos homines ad pravitatem agiles et leves.

Nunc itaque, charissimi nobis, ad nosmetipsos revertentes, ex his omnibus studeamus ad agnitionem veritatis erudiri, ad amorem bonitatis inflammari, ad exercitium virtutis incitari, ad effectum boni operis informari, ad promerendum salutis præmium provocari. Relinquamus terram deosque nostros, nostris antiquis pravitatibus dæmonumque suggestionibus abrenuntiando; sequamur pastorem nostrum, eum in iis quæ recte gerit imitando; adhæ

reamus ei, eum veraciter amando. Obediamus ei, cuncta quæ præcepit solerter operando. Habitemus cum ipso in Bethlehem, cum ipso in sancta Ecclesia honeste conversando. In agro Booz spicas colligamus et excutiamus, et in domum nostram feramus, nostri Salvatoris verba legendo, meditando, et in memoriam, vel nostram conscientiam, ut supra dictum est recondendo; nec in alieno colligamus agro, pravas hæreticorum assertiones respuendo. Lavemur deinde nostra crimina deplorando; ungamur dona spiritualia æmulando, virtutesque præsertim charitatem secundum Apostolum sectando; vestiamur, sex opera misericordiæ effectui mancipando. Descendamus denique in aream, nos intra cor nostrum humiliando; discooperiamus a parte pedum pallium quo operitur, sacramentum nostræ redemptionis humili consideratione investigando; et illic nos projiciamus et jaceamus, per finem passionis ejus, illi copulari humiliter et absque intermissione postulando. Talibus etenim insistentes promerebimur ab eo, velut Ruth a Booz, accipere primum quidem tres annonæ modios per fidem sanctæ et individuæ Trinitatis, deinde sex modios per perfectionem totius sanctitatis, tandemque illi copulari nuptiali thalamo in mundo per gustum internæ dulcedinis, et in cœlo per gloriam beatitudinis. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LVII.

De quolibet prælato, vel doctore.

Dixit Booz ad Ruth : Non me abnuo propinquum, sed est alius me propinquior. Si ille voluerit te jure propinquitatis retinere, bene res acta est. Sin autem ille noluerit, ego te absque dubitatione suscipiam (*Ruth.* III). Ruth, quæ interpretatur *festinans*, sanctam Ecclesiam recte figurat, quæ præcepta cœlitus sibi data tota devotione complere festinat. Cujus maritus non inconvenienter intelligitur Christus, de quo scriptum est : *Qui habet sponsam, sponsus est* (*Joan.* III). Et beatus Apostolus ait : *Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, sed ut sit sancta et immaculata* (*Ephes.* V). Cui sponsæ idem sponsus ex eo quodam modo quasi mortuus exstitit ex quo ut homo inter homines vivere et conversari desiit. Ex quo, ut ait Apostolus : *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II). Christus etenim, licet resurgens ex mortuis, jam non moriatur, et mors illi ultra non dominetur; quod enim vivit, vivit Deo (*Rom.* VI). In eo tamen quod in longinquam regionem accipere sibi regnum peregre profectus est, et corporaliter absens est, illi quodam modo mortuus est. Cujus propinquus, imo propinquior Ecclesiasticorum prælatorum cœtus est. Quamvis namque cuncti vere Christiani Christi propinqui recte dicantur, sicut ipse testatur, dicens : *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror, et mater est* (*Matth.* XXII), tamen ecclesiastici pastores, ad quorum ministerium pertinet docendo, baptizando, cæterisque sacramentis imbuendo, et confirmando credentes, spiritualesemen Christo generare, maximo propinquiores illi exsistunt. De hoc semine Christi Isaias sic ait : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur* (*Isa.* LIII). Quod semen ne quolibet tempore deficeret, Christi propinquus, id est sanctorum prælatorum chorus, modis omnibus debet prædicando præcavere. Dum autem sancti doctores prædicant, non sibi sed Domino generant, quia in eo quod docendo spiritalem prolem gignunt, non suam, sed Christi laudem quærunt. Et quoniam cuncta quæ agunt, in gloriam Dei faciunt, veraciter dicere possunt : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII). Qui videlicet prælati, sive doctores sancti, quasi intus duas habent caligas : per cognitionem veritatis et amorem virtutis et duo calceamenta foris apparentia : per verbum prædicationis et exemplum boni operis. Quorum calceamentorum, cui alterum vel utrumque deest, ad suscitandum Christo semen idoneus non est. Ut enim non nostris, sed sanctorum Patrum utamur verbis, tam vita quam doctrina clarere debet doctor ecclesiasticus. Nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit. Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est, ut quod docet verbo demonstret exemplo. Vera est enim illa doctrina quam vivendi sequitur forma. Nam nihil turpius est, quam si bonum quod quisquo prædicat, explere opere negligat. Tunc enim prædicatio utiliter profertur, quando efficaciter adimpletur.

Unusquisque ergo doctor et bonæ actionis et bonæ prædicationis habere debet studium; nam alterum sine altero non facit profectum. Nam sicut nec doctrina sine vita, sic nec vita sufficit absque doctrina. Sancto nimirum debet quisque prælatus vivere propter exemplum, et pie docere propter suæ administrationis officium, certus quod ipsi sua justitia non suffragetur, de cujus manu anima subditi penitus exigitur. Quid enim proderit non puniri de suo qui puniendus est de peccato alieno? Mentior, si hinc Dominus per prophetam sub cujusdam terroris denuntiatione non loquitur, dicens : *Fili hominis, si me dicente ad impium : Morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse in iniquitate sua morietur; sanguinem vero ejus de manu tua requiram. Sed et si conversus justus fecerit iniquitatem, morietur, quia non annuntiasti ei, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris justo, ut non peccet et ille non peccaverit, vivens vivet, quia annuntiasti ei et animam tuam liberasti* (*Ezech.* III). Liquet ergo quod nec doctrina sine vita, nec vita sine doctrina prælato sufficit, ut spiritualem Christo prolem gignere possit. Quod si alterum deesse contigerit,

melius est e duobus imperfectis rusticitatem habere sanctam quam eloquentiam peccatricem. Quod si utrumque defuerit, non solum ad suscitandum Christo semen inutilis, sed velut arbor infructuosa terram occupans, sibi quoque commissis noxius erit. Unde sancta Ecclesia talem pastorem qui solo nomine non etiam re, potestate non utilitate præest, merito propinquum Christo non agnoscit. Et enim Booz, id est quilibet ecclesiastico doctore verbo sapientiæ et scientiæ divite, et virtutum vigore potente, suscitationem spiritualis seminis ad conservandam perennitatem Christiani nominis humiliter requirit. Est enim doctor ecclesiasticus propinquus Christo gratia doctrinæ, sed pastor, cui animarum cura commissa est, propinquior est debito et obligatione pastoralis curæ. Quo coram senioribus Bethlehem, id est perfectioribus sanctæ Ecclesiæ viris, reverenter admonito, ut cura curam sibi injunctam satagat, dum ille id implere recusat, divina sæpe dispensante gratia, quasi utrumque calceamentum amittit, dum curam regiminis, per quam sanctam Ecclesiam spirituali prole fecundare debuerat, dimittit, et ecclesiasticus doctor utrumque calceamentum accipit, dum ejus loco subrogatus, verbo et exemplo sanctam Ecclesiam, ut ad honorem Christi spirituali semine fecundetur, incessanter instruit. Sic loco Judæ, Mathiam apostolorum senatus substituit, et loco Judæorum plenitudo gentium subintravit, sicut ipse Dominus Judæis ait : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* (*Matth.* XXI). Hinc est quod episcopo Philadelphiæ dicitur : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam* (*Apoc.* III). Hinc est etiam quod episcopo Ephesi dicitur : *Habeo adversum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac. Sin autem, veniam tibi cito et movebo candelabrum tuum de loco suo* (*Apoc.* II). Candelabrum namque cujuslibet reprobi pastoris de loco suo movetur, dum ecclesiastica dignitas illi collata, exigentibus peccatis ejus velut inutili et indigno aufertur, et ad alterum transfertur, et illi velut digno et fructuoso confertur. Quod crebro fieri videmus, ut videlicet, reprobis de sua statione propulsatis, alii loco eorum substituantur, per quos ecclesiastica jura secundum debitum exerceantur.

Talis denique pastor merito discalceatus vocatur, dum munimento verbi et exempli, quantum ad ecclesiasticum spectat ministerium, spoliatur, et utriusque merito præmioque denudatur. Qui dum suæ vitiositatis familiam generare et protelare diligit, calceamenta prædicationis et operationis, quibus suos in præparatione Evangelii pacis munire debuit, alteri relinquit. Sed, utinam! secundum imprecationem Psalmistæ : *Fiant nati ejus in interitum, in generatione una deleatur nomen ejus* (*Psal.* CVIII). Cuncta vero, quæ fuerunt defuncti, in possessionem privilegio ejus utentis transeunt, quia præsertim sancti et perfecti rectores animarum opera quæ Christus fecit, et ipsi faciunt, et majora horum faciunt. Quæ tamen omnia, secundum quod de parte agri Elimelech vendenda datur intelligi, emunt, dum suis rebus ac voluntatibus abrenuntiant, ut divinæ voluntati obediant. Hinc est quod beatus Petrus Domino dixit : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Sic et negotiator prudens *inventa uno pretiosa margarita, dedit omnia sua, et comparavit eam* (*Matth.* XIII). Dixerunt majores natu Bethlehem ad Booz : *Faciat Deus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel et Liam, quæ ædificaverunt domum Israel* (*Ruth.* IV). Seniores Bethlehem pro Ruth Booz orant, quia perfecti quique in sancta Ecclesia prælatum ecclesiasticum et totam congregationem illi commissam continuis orationibus adjuvant. Et quemadmodum Rachel et Lia ædificaverunt domum Israel, ita Ruth domum Booz ædificat, dum sancta congregatio fideli commissa prælato, et ejus ministerio spirituali semine fecundata, spiritalem illi sobolem, viros scilicet spiritales, alios in contemplatione quietos, alios in actione laboriosos, multiplicat. Et est in exemplum virtutis in Ephrata, dum ejus obedientia claret in universali Ecclesia. Et habet celebre nomen in Bethlehem, dum per universam Ecclesiam celebrem aspergit opinionem. Domus denique Booz de semine, quod illi Dominus ex ea dat, fit sicut domus Phares, quem Thamar peperit Judæ; dum plerique ex ea ejus prædicatione geniti, a peccatis pristinis amaritudine saluberrimæ confessionis purgati, ac deinde duo præcipuo scientiæ et virtutis a multis aliis divisi, culmine nonnunquam ecclesiastici regiminis merentur exaltari. Thamar enim interpretatur *amaritudo*, Judas *confitens*, Phares *divisio*. Et in hoc progenies Phares, quem Thamar peperit, inde longe ab aliis tribubus filiorum Israel divisa exstitit, quod ex ea regalis dignitas processit, sicut et in libro Ruth declaratur, ubi scriptum est : *Phares genuit Esron, Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Naasson, Naasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed*, scilicet *ex Ruth*, *Obed genuit Isai* [*Jesse*], *Isai* [*Jesse*] *genuit David regem.*

Nunc ergo, charissimi, ad nosmetipsos revertentes istum spiritualem Booz semper nobis præesse desideremus, et illum inutilem propinquum super nos regnare formidemus. Quando bonus pastor Ecclesiæ datur, ex dono Dei est. Quando autem reprobus præest, peccatis hominum exigentibus est, quia Deus super gentem et super omnes homines regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi (*Job* XXXIV). Non est ergo judicandus a plebe rector inordinatus, dum magis noverint populi sui fuisse meriti perversi regimen suscepisse pontificis. Nam pro meritis plebium disponitur a Deo vita rectorum, exemplo David peccantis, ad comparationem principum qui ex merito plebis prævaricantur. Quod si a fide exorbitaverit rector, tunc a subditis arguendus est. Pro moribus vero reprobis toleran-

dus, magis quam distringendus a plebe est. Nunc ergo, charissimi nobis, hujusmodi prælatos in his quæ inordinate gerunt, temere lacerare non præsumamus. Et secundum beati Gregorii sententiam, nemo nostrum, etiam injuste ligatus, sui pastoris sententiam temere reprehendat, ne, etsi injuste ligatus sit, tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat. Si autem verum Booz viderimus spiritale semen ad propagandum nomen Christi verbo prædicationis, et exemplo boni operis sollicite suscitare, gaudeamus. Et nos ipsi bene vivendo, et alter alterum admonendo, consortes illi esse in merito studeamus, ut illi consortes in præmio fieri mereamur. Quod nobis præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui est secundum omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LVIII.

Quod significent necessaria vitæ humanæ.

In Ecclesiastico legimus quod ejusdem libri auctor, de necessariis humanæ vitæ rebus faciens mentionem, dicit : *Initium necessariæ rei vitæ hominis, aqua, ignis, et ferrum, lac et panis similaginæ, et mel, et botrus uvæ, et oleum, et vestimentum* (*Eccli.* XXXIX), et sicut alibi, quibusdam ex his positis, addit, *domus protegens turpitudinem*; superius quippe quodam loco dixerat : *Initium vitæ hominis aqua, et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem* (*Eccli.* XXIX). Hic nunc addit plura alia, et quædam prioribus dulciora et suaviora, et gratiora, ut est lac, mel, botrus, oleum, quia multiplicata secundum incrementum temporis infirmitatis humanæ miseria, oportuit etiam ut multiplicarentur ejus necessaria. Et dum crevit infirmitas, crevit consequenter et necessitas. Est autem necessitas, sine qua quid esse non potest; sed quia hæc fecit, deinde secundum ea quæ carni sunt necessaria, nos ea tunc ad spiritum vertamus, et, ad nostræ mortalitatis informationem, quomodo spiritaliter intelligi possint requiramus. Aqua in sacra Scriptura gratiam compunctionis, fletumque quandoque significat. Sunt autem duo compunctionis genera, per aquam in deserto de petra bis productam figurata : unum, quod ex dolore culpæ et timore pœnæ nascitur; alterum, quod ex consideratione perceptorum cœlestium donorum et amore divino generatur. Quæ duo compunctionis genera per Isaiam prophetam manifeste distinguuntur, ubi ait : *Et erit omnis, qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, qui scriptus est in vita in Jerusalem : Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit spiritu judicii et spiritu ardoris* (*Isa.* IV). Per spiritum enim judicii designatur compunctio, quæ nascitur ex timore; per spiritum ardoris, compunctio, quæ nascitur ex amore. Divinum quippe judicium infert timorem, divinus autem ardor confert amorem. Sicut autem compunctionis, sic et peccati duo videntur esse genera : unum in carne, alterum in spiritu; id est unum carnale, alterum spirituale. In carne luxuria, in spiritu malitia. Luxuria est macula, malitia ruga. Per sordem exprimitur macula luxuriæ. Per sanguinem ruga malitiæ. Quod vero per sanguinem malitia cordis exprimitur, aperte monstratur, ubi dicitur de remedio ejus. Hinc Jeremias ait : *Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* (*Jer.* IV.) Sane spiritus judicii lavat sordem, dum homo in his quæ illi secundum luxuriam dulcia fuerant, timore divini percussus judicii sibimet amarescit. Et spiritus ardoris abluit sanguinem, dum in his, in quibus erga proximum amarus exstiterat, cœlestis amoris ardore tactus, intrinsecus erga eumdem suaviter odolescit. Gratia ergo compunctionis omnia peccata sive carnalia sive spiritualia lavat, quia spiritus judicii sordem, et spiritus ardoris sanguinem emundat.

Quamvis autem hæc ita distinguamus, ut spiritu judicii sordem, spiritu ardoris sanguinem lavari dicamus, utrumque tamen utrobique operari, id est sordem sanguinemque mundare intelligere debemus. Timor quippe et amor, qui justificandis peccatoribus per Spiritum sanctum infunduntur, ita sibi cooperantur, ut sive sint carnalia sive spiritalia peccata, timore præcedente, amore sequente efficaciter abluantur. Et quia veram compunctionem manifestum est comitari veram confessionem, congrue postquam aquam necessariam dixit, statim et ignem esse necessarium adjunxit. Ignis nempe confessionem significat, quia ignis rubet, et confessio verecundiæ ruborem habet. Unde Paulus ait : *Quem fructum habuistis tunc in his in quibus nunc erubescitis?* (*Rom.* VI.) Possumus quoque per ignem satisfactionis laborem, ut sunt jejunia et cætera talia, figurare. Cujus laboris ignis quosconque in præsenti sæculo perfecte cremando purgat, eos in sequenti sæculo infernalis vel purgatorius ignis minime cruciat. Hujus ignis et hujus aquæ Psalmista luculenter fructum exprimit, ubi dicit : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* (*Psal.* LXV). Per aquam enim et ignem transimus, et in refrigerium ducimur, cum, per compunctionem et confessionem sive etiam satisfactionem purgati, ab angustia doloris et timoris, quam pro peccatis nostris patiebamur, requiescimus. Cujus refrigerii jucunditatem ille solus veraciter novit, qui hanc experiri gratia largiente divina promeruit.

Et ferrum. Per ferrum, quando in bona significatione ponitur, recte virtus severitatis intelligitur. Post aquam ergo et ignem, ferrum nobis dicit necessarium, quia postquam flendo, confitendo, vel etiam satisfaciendo malis perpetratis abrenuntiamus, nisi magnæ severitatis gladio tentationum blandimentis per hostem antiquum gravius solito contra nos sævientibus resistamus, ad mala, quæ reliqueramus, vel certe ad graviora peccata, visco illecebrarum rapti, cito reducimur, *et fiunt tunc novissima nostra pejora prioribus* (*Luc.* XI), septem spiritibus illo, qui prius nos possederat, spiritu nequioribus in nos cum illo ingressis et inhabitantibus.

Unde necesse est ut magnæ severitatis animadversione caput hostis antiqui in his assultibus conteramus, et ad petram ejus parvulos allidamus. *Et lac et panis.* Sicut ex diversis Scripturarum locis intelligimus, per lac doctrinam inchoantibus, per panem doctrinam perfectis exhibenda convenienter accipimus. Unde de hoc lacte B. Petrus ad eos qui nuper crediderant ait : *Sicut modo geniti infantes rationabiles, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem* (*I Petr.* II). Et B. Paulus ad Corinthios : *Non potui vobis loqui tanquam spiritalibus, sed quasi carnalibus; tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III). Hinc Hebræus redargueus, ait : *Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis ut doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei, et facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim, qui lactis particeps, expers est sermonis justitiæ. Parvulus enim est* (*Hebr.* V). De pane autem statim subjunxit. *Perfectorum autem est solidus cibus, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali* (*ibid.*). Et idem ad Corinthios dicit : *Sapientiam autem loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II). Simplex ergo doctrina incipientibus velut lac parvulis, et profunda et multiplex necessaria est perfectis quasi panis adultis. Et notandum quod, cum dixisset *panis*, addidit *similagineus*, quia, ablato furfure litteræ, dispensatur perfectis simila spiritalis intelligentiæ. Post aquam ergo, ignem et ferrum, lac cum pane dicit esse necessarium, ut athletam Christi, quem aqua et ignis a culpa præterita exhibent mundum ac purgatum, quemque ferrum armat contra hostis antiqui mortiferum blandimentum, hunc lac cum pane ad exercitium virtutum, et bonorum effectum operum reddat robustum.

Et mel et botrus uvæ. Solet divina pietas de infidelitate ad fidem, sive de culpa ad pœnitentiam conversis, antequam, accepta veritatis cognitione, laboriosum virtutum et bonorum operum exercitium ingrediantur, aliquid internæ dulcedinis et consolationis dispensare, ac per hoc ad spiritale meritum meritique præmium eos efficaciter provocare. Hinc est quod B. Petrus, dum nuper conversos ad fidem ad salutem obtinendam crescere commoneret, ait : *Si tamen gustastis quoniam suavis est Dominus* (*I Petr.* II). Hinc per Job ad Dominum de homine per divinam gratiam magnificando dicitur : *Visitas eum diluculo, et subito probas illum* (*Job.* VII). Diluculo quippe Dominus hominem visitat, et subito illum probat, dum in principio conversionis vel conversationis ejus, quid sit internæ dulcedinis saper ac supernæ consolationis gustus misericorditer illi demonstrat; ac statim illum fornace perfectionis vitæ, velut figulus fictile vas, tentat, ut per hoc homini innotescat quantum proficiat. De hac tentatione sive probatione scriptum est : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII). Tribulatio autem justorum in excreendis virtutibus et exhibendis bonis operibus consistit De hac tentatione vel probatione justorum scriptum est : *Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit, et quasi holocausta hostiæ accepit eos* (*Sap.* III). Dominus ergo diluculo suum electum, sicut diximus, visitat per consolationem, sed subito probat per exercitationem. Et hinc item scriptum est : *Exitus matutini, et vespere delectabis* (*Psal.* LXIV). Exitus etenim matutini et vespere Dominus delectat, quia principium bonæ conversationis consolatione, et finem retributione lætificat. Medium autem diei, non tam delectationi quam fervido accommodat æstui, dum medium meriti non tam consolationi quam districtæ mancipat probationi. Quia ergo Dominus, ante districtionem probationis, nonnunquam infundit animæ suavitatem suæ consolationis, recte post illa quæ superius posuit, mel et botrum ad necessitatem pertinere dixit : Mel nimirum, quod dulcem saporem habet, et botrus, qui vinum, quod inebriat, continet, internam dulcedinem, spiritalemque consolationem figurare possunt. Sed diligenter est attendendum quod non ait favus, sed mel, et quod non dixit vinum, sed botrus et ipsum uvæ. Duo namque videntur esse consolationum genera : unum scilicet quod absque integumentis nobis infunditur, alterum quod quasi quibusdam involumentis atque felliculis, ut ita dicam, sacratarum rerum aut aliorum hujusmodi quodammodo mediantibus donatur. Primum ergo per mel, secundum per botrum figurari potest. Aliter : per mel possumus intelligere quamlibet etiam minimam spiritualem dulcedinem intrinsecus suaviter sapientem; per botrum majorem consolationem mentem fortiter inebriantem. Qui botrus apte dicitur uvæ, quæ ad bonos, non labruscæ, quæ ad malos pertinet, de quorum uva, sive botro, vel etiam vino scriptum est : *Uva eorum uva fellis, et botrus amarissimus. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile* (*Deut.* XXXII). Sicut ergo per aquam compunctionis, et ignem confessionis, vel etiam satisfactionis unusquisque conversus a culpa emundatur et purgatur, et sicut ferrum severitatis contra dæmonum per carnia desideria male blaudientium impetum armatur, et quemadmodum lacte et pane doctrinæ ad exercitium virtutum et bonorum operum enutritur et roboratur, sic melle et botro internæ dulcedinis et consolationis ad cœleste gaudium etiam per tristitiam et amaritudinem promerendum mirabiliter provocatur. Nec dubitat per amarum præsentis mali poculum ad superni jucunditatem boni pertransire, dum illi datum est ejusdem botri vel tenues guttas prægustare.

Et oleum, et vestimentum. Quid per oleum, nisi virtutem charitatis? et quid per vestimentum melius quam necessitatem boni operis intelligimus? Olei nempe natura cunctis, quibus immiscetur, solet supernatare liquoribus. Et Apostolus de charitate locuturus : *Adhuc*, inquit, *excellentiorem vobis viam demonstro. Si linguis hominum loquar et angelorum*, etc. (*I Cor.* XII, XIII). Per oleum ergo recte chari-

tas, et non tantum charitas verum et aliarum virtutum compreheoditur et significatur universitas. Lege verba Apostoli quæ sequuntur id quod supra posuimus, et invenies quod charitas alias virtotes continet, et quidquid sine charitate est, ad obtinendam æternam vitam minime valet. Bene igitur auctor iste hoc in loco de virtutibus locuturus posuit per oleum quod charitas significatur, quia per eam cæterarum virtutum universitas figuratur. Ipsa ergo vere est oleum, quia in aliis virtutibus, id est humilitate, patientia, abstinentia, continentia, aliquid nonnunquam per asperitatem nos terret, charitas vero per suam suavitatem nos demolcet; ipsa enim totum sua dulcedine mitigat, condit, et lenit. Per vestimentum designatur opus bonum, quia sicut necessarium est corpori vestimentum, sic necessarium est animæ opus bonum; et quemadmodum foris vestimentum nos circumdat, sic opus bonum coram proximo nos honestat. *Et domus*, inquit, *protegens turpitudinem*. Per domum, ut alibi diximus, conversatio designatur, eo quod in illa quisque conversatur. Domus autem turpitudinem protegit, dum bona conversatio culpam ab oculis divinis abscondit. Ad hujus constructionem domus pertinet omnis exercitatio virtutum, exhibitio bonorum operum, disciplina morum. Ad ultimum ergo domum posuit, postquam totum laboris nostri fructum perfecte comprehendit.

Necessarium nobis est itaque, charissimi, ut habeamus aquam per compunctionem, ignem per confessionem et satisfactionem ferrum per severitatem, lac et panem per sanam doctrinam, mel et botrum per consolationem divinam, oleum et vestimentum per virtutem et operationem, domum per bonam conversationem. Duo autem quædam sunt omnibus cum his necessaria, justitia et gloria. Justitia in mundo, gloria in cœlo; justitia in merito, gloria in præmio. Justitia spiritalis vitæ facit inchoationem, gloria consummationem. Qui ergo principium habere negligit, finem quomodo habebit? Per justitiam itur, per gloriam pervenitur. Laboremus igitur, fratres, justitiam habere, ut per ipsam mereamur gloriam possidere. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus Deus in sæcula. Amen.

SERMO LIX.

De Absalon significante Judæos, et de David significante Christum, hoc est de his quæ passus est Christus.

In libro Regum secundo legimus Absalon David, patrem suum, crudeliter persecutum esse, ipsumque David, trans Jordanem fugatum, a tribus viris regionis illius cibo potuque sustentatum ac muneribus honoratum (*II Reg.* XV *et seq.*) Significat autem Absalon pulcher et nobilis populum Judaicum, legalibus præceptis et cæremoniis decoratum, regno, sacerdotio, templo nobilitatum, et propter hoc per nimiam superbiam super semetipsum elevatum. David vero, qui erat rufus, pulcher, fortis, Christum significat, qui est rufus per passionem carnis, pulcher per gloriam divinitatis, fortis per potentiam majestatis. Quem propheta quoque jussu divino in regem quondam unxerat, quia Deus per hunc unguendum ab antiquo voce prophetica prænuntiaverat. David a grege pecorum translatus est ad regimen hominum, et Christus ab ovili Judæorum translatus ad regnum gentium. David interfecit Goliam Philisthæum, Christus diabolum. David persecutorem habuit Saul, regem reprobum; Christus diabolum. Absalon itaque significat populum Judaicum; David, Christum. Absalon persecutus est David patrem suum, populus Judaicus, Christum. Hinc est quod Isaias ait: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isai.* I). Semei David maledixit, sed David ei non respondit; et Christus, cum malediceretur, non commiuabatur. Siba, derelicto Miphiboseth domino suo claudo, David cum cibo et potu secutus est, ut ejus homines reficeret; et Paulus, universitate Pharisæorum, quæ a semitis justitiæ claudicabat, derelicta, cui in persecutione sanctorum servierat, Christum secutus est, ut ejus fideles doctrina et consolatione satiaret. *Tua sunt*, inquit David Sibæ, *omnia quæ fuerant Miphiboseth*; et Christus plenitudinem sapientiæ, quam perfidis Pharisæis abstulit, Paulo concessit. Absalon concubinas David ab ipso relictas violavit; et Judaicorum cœtus doctorum, qui regimen populi specialiter usurpavit, animas a Christo derelictas, legem carnaliter docendo, corrumpere non desinit. Jonathas et Achimaas, qui David, ut Jordanem transiret, nuntiaverunt, patriarchas et prophetas significant, qui figuris et oraculis Christum Judæam relicturum, et ad gentes transiturum prædixerunt. David, Absalone se persequente, Judæam deseruit et ad gentes trans Jordanem fugit; et Christus, Judæis ejus apostolos persequentibus, derelicta Judæa, in apostolis ad gentes transivit. Et hoc est quod Paulus ipsis Judæis ait: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII). David trans Jordanem plures ex filiis Israel secuti sunt; et postquam Evangelium cœpit prædicari gentibus, multi ex Judæis in Christum crediderunt. Achitophel, qui interpretatur *fratris ruina*, Judam exprimit, qui de ruina Christi egit, et Judæis adversus Christum consilium dedit, et uterque suspendio interiit. Absalon David trans Jordanem persequitur; et judaica perfidia non tantum in se, verum etiam in gentibus fidem Christi destruere conatur. David trans Jordanem a tribus viris honoratur diversis muneribus; et Christus in gentibus fidem sanctæ Trinitatis suscipientibus glorificatur diversis virtutibus et bonis operibus. David namque trans Jordanem muneribus honoratum libri Regum historia refert, dicens: *Cum venisset David in castra, Sobi filius Naas de Rabboth filiorum Ammon, et Machir filius Ammihel de Lodabar, et Berzellai Galaadites de Rogelim, obtulerunt ei stratoria, et tapetia, et vasa fictilia, frumentum, et hordeum, et farinam polentam, et fabam,*

et lentem, et frixum oleo cicer, et mel, et butyrum, oves et pingues vitulos; dederuntque David et populo qui cum eo erat ad vescendum.

In his omnibus operosa devotio conversæ gentilitatis declaratur. Verum in his, quæ ad cibum pertinent, sacræ doctrinæ pastus et consolatio præsertim exprimitur. In vasis autem fictilibus bona opera, et quædam virtutes figurantur, quæ in fine cum venerit quod perfectum est, et evacuabitur quod ex parte est, frangentur ac destruentur, Apostolo testante, qui ait : *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur* (*I Cor.* XIII). In cujus rei consideratione Psalmista admirando videtur exclamare, dicens : *Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram* (*Psal.* XLV), id est naturam humanam, quam constat esse terrenam. *Auferens bella usque ad finem terræ, arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni* (*ibid.*). Dominus etenim bella usque ad finem terræ auferet, quando in fine vitæ omnes tentationes usquequaque cessare faciet; arcum quoque conteret et confringet arma, et scuta comburet igni, quando prædicationem, sacramenta, opera, virtutes quasdam, scilicet fidem, spem, prophetiam, linguas, scientiam immediata claritate suæ visionis et plenissima perfectione charitatis evacuabit. In stratoriis vero et tapetibus, quæ ad ornatum pertinent, ecclesiastici ornatus decor congrue significatur. Illi itaque qui David trans Jordanem suis muneribus honoraverunt, designant eos qui ex gentibus, fidem Christi habentes, fidele servitium illi quotidie impendunt. Qui autem David ex Judæa sequi contempserunt, Judæos qui, fidem Christi spernentes, ab ejus semitis per infidelitatem exorbitaverunt, patenter exprimunt. Quorum typum Miphiboseth claudus solus tunc gessit, quem David a suo comitatu remansisse solum redarguit. Hinc est quod Christus ipse per Psalmistam cecinit, dicens : *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium. Populus, quem non cognovi, servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* XVII). Sane qui cum David exierunt, et cum eo Jordanem transierunt, apostolos et primitivæ Ecclesiæ ex Judæis conversæ fideles exprimunt, qui, judaica persecutione de Judæa pulsi, ad gentes transire sunt coacti.

Igitur considerato David populo suo constituit super eum tribunos, et centuriones, et dedit tertiam partem populi sub manu Joab, et tertiam partem sub manu Abisai, et tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth. David trans Jordanem populum suum consideravit, quia Christus suos fideles in mentibus multiplicari vidit. Tribunos autem et centuriones super eum constituit, quia *primum in Ecclesia posuit apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum* (*I Cor.* XII). Est diligenter attendendum quod nec plus, nec minus quam tres principes super populum Dei constituuntur. Et unaquæque pars populi tertia nominatur, ut quod prælati et subjecti sanctæ Trinitatis cultores esse debeant manifeste significetur. David in hoc bello suis in urbe est præsidio, nec cum eis exiens corporaliter pugnat, quia Christus nunc cum suis fidelibus ore proprio contra perfidos minime disputat, sed in urbe cœlesti residens Patrem pro suis interpellat. In hoc bello et Absalon et multi, qui cum eo sunt, moriuntur, quia et perfidus Judæorum populus, et quicunque cum illo regnum Christi expugnare conantur, nisi resipiscant, æterna morte puniuntur. Et id apertissime designatur, ubi Absalon interfectus in foveam grandem projectus memoratur : fovea quippe grandis infernus est. Absalon autem inter cœlum et terram in quercu pendet, quia populus Judaicus, contra Christum elevatus, nec terram antiquitus sibi concessam, nec cœlum habet. Quercus etenim, quæ est arbor ardua et inflexibilis, superbiam recte significat. Quæ quercus grandis ibidem et condensa fuisse dicitur, quia Judæorum superbia et grandis per sui æstimationem, et condensa per cæcitatem comprobatur. Mulus vero, cui Absalon insidebat, carnalem et infructuosam legis observantiam figurat. Qui vero pertransiit Absalon suspenso, quia, Judaico populo in sua superbia perseverante, lex per gratiam finem accepit. Cujus superflua cæsaries capitis superstitionem recte designat Judaicæ æstimationis. Tribus denique lanceis Absalon perimitur, quia ex fide sanctæ Trinitatis, quam odit et respuit populus ille, damnatur. Per Joab quilibet perfectus doctor designatur. Per decem juvenes armigeros ejus, qui post illum Absalon percusserunt, cœtus discipulorum ejus in scientia Decalogi robustus exprimitur. Omnes ergo Absalon ad mortem vulnerant, qui prædictum populum pro sua infidelitate morte perpetua feriendum denuntiant. Porro quicunque ex populo Israel evaserunt, et David regi suo postea reconciliati sunt, reliquias, quæ postquam plenitudino gentium intraverit, salvæ fient, patenter exprimunt. David mortem Absalon deploravit, et Christus super gentem illam, quam pro sua perfidia perituram agnovit, flevit, dicens : *Quia si cognovisses et tu*, etc. (*Luc.* XIX). David suum filium sibi reservari voluit; et Christus præsertim Judæos, ad quos primum specialiter missus est, ad agnitionem veritatis venire concupivit.

His itaque secundum allegoriam discussis, ad tropologiam redeamus, ut sicut quæ nos ad scientiam instruant diximus, ita deinceps quæ informent ad justitiam requiramus. Scientia quippe minime prodest, cui justitia comes non est. Modis igitur omnibus caveamus, ne cum perfidis vel non bene credendo vel male agendo pereamus, sed cum Sobi, Machir, Berzellai, id est, cum vere fidelibus Christo fidele servitium exhibeamus. Offeramus illi stratoria, tapetia, etc. Per stratoria, quæ Spiritus sanctus hoc

in loco primum posuit, quietem contemplationis internæ nobis significavit. Primum ergo posuit, quod præ cæteris diligit. Unde Psalmista : *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob* (*Psal.* LXXXVI). Dominus etenim portas Sion super omnia tabernacula Jacob diligit, quia etiam ipsum initium supernæ contemplationis omnibus operibus bonæ conversationis justi amando anteponit; per Sion, namque intelligitur superna contemplatio, per portas Sion ejusdem contemplationis inchoatio. Per Jacob effector boni operis ; per tabernacula, quælibet fabrica bonæ conversationis. Sic et tapetia, quia domum, in qua extenduntur ornatum reddunt, sanctæ conversationis honestatem figurare possunt. Vasa fictilia nostra fragilia significant corpora, quæ tunc Christo offerimus, cum ejus obsequiis ea mancipamus.

Frumentum, et hordeum, et farinam polentam, id est puram farinam. Per frumentum Testamentum Novum, per hordeum Vetus Testamentum intelligitur. Per farinam polentam, spiritalis utriusque intelligentia patenter exprimitur. Frumentum itaque, hordeum, farinam polentam Christo offerimus, dum utrumque Testamentum, et secundum litteram et secundum spiritalem intelligentiam legendo, meditando, loquendo, operando fideliter pro amore ejus, dispensamus.

Et fabam, et lentem, et frixum cicer. Quod in Evangelio post panes pisces, hoc in loco post frumentum, hordeum et farinam prædicta legumina possunt intelligi. Per frumentum nempe, hordeum, et farinam, sicut ibi per panes, sacræ Scripturæ præcepta; et per fabam, lentem, cicer in hoc loco, sicut ibi per pisces, sanctorum Patrum designari possunt exempla. Et apte, sive in Evangelio post panes pisces, sive in hoc loco post frumentum hordeum et farinam, legumina ponuntur, quia sicut illa utraque corporalia somimus ad sustentationem corporum, sic cum sacræ Scripturæ verbis etiam justorum exemplis utimur ad nostrarum justificationem animarum. Præceptis pascimur obedienter ea operando; exemplis pascimur ea humiliter imitando. Et fabam, inquit, et lentem, et frixum cicer. Fabam lente majorem, et lentem faba minorem non ignoramus. Per fabam ergo exempla majora. Per lentem vero exempla sanctorum minora convenienter intelliguntur. Per frixum autem cicer, sola sanctorum martyrum passio debere figurari videtur : humana quippe caro tunc frigitur, cum passionis angustia cruciatur. Frumentum ergo, hordeum, farinam Christo damus, cum præcepta ejus, quæ in Scripturis continentur operamur. Fabam, lentem, cicer frixum, illi damus, cum exempla sanctorum ejus imitamur.

Et mel, et butyrum, et oves, et pingues vitulos. Mel est dulce, butyrum pingue, ovis animal innocens, vitulus obediens. Vitulus enim quandiu vitulus est, agitur facile quamvis secundum notum minantis. Per mel itaque intelligimus dulcedinem cordis internam, per butyrum charitatem fraternam, per oves innocentiam, per vitulos pingues obedientiam affectuosam. Mel ergo, butyrum, oves, vitulos Christo damus, cum per virtutes his designatas illi veraciter servimus. Demus, charissimi nobis, munera mystica, quæ dicta sunt : demus, inquam, Christo, illi fideliter serviendo in mundo, ut ab ipso remunerari mereamur in cœlo. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LX.

De omnibus sanctis.

Christus Jesus Salvator noster, dilectissimi, sanctæ universalis Ecclesiæ sponsus, ejusdem sponsæ suæ varium multiplicemque fructum in Canticis canticorum eleganter laudat, ut eam ad potiora per laudem provocet et accendat. Dicit ergo quodam loco sic : *Hortus conclusus es, soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus. Emissiones tuæ, paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cyperi cum nardo, nardus cum croco, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani. Myrrha et aloe cum universis primis ungentis* (*Cant.* IV). In his enim omnibus per sponsum sponsæ bonum eleganter commendatur, et sponsæ sponsus congaudet et congratulatur. Ipsa vero sancta Ecclesia in ipsis Canticis canticorum diversis nominibus appellatur. Aliquando quippe vocatur sponsa, aliquando amica, aliquando soror, aliquando columba, aliquando pulchra sive formosa. Ipsa nimirum sponsa est fide, amica dilectione, soror cœlestis hæreditatis participatione, columba simplicitate, formosa decore justitiæ. *Hortus conclusus es, soror mea sponsa, hortus conclusus*. Per hortum sanctæ Ecclesiæ sanctam ejus conversationem intelligimus, ex qua virtutum et bonorum operum germina indesinenter oriri videmus. Qui hortus apte conclusus dicitur, quia forti munimine disciplinæ ondique munitur, ne fraudulentus hostis uspiam irrumpat, et justitiæ plantationem avellat, et auferat. Qui et aperte bis nominatur, ut per hoc duplex fructus ejus, fides scilicet et operatio, sive conjugium et continentia, aut etiam distinctio Dei et populi, vel certe vita activa et contemplativa patenter exprimatur. Dicitur ergo :

Hortus conclusus es, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Per fontem autem hujus horti sapientia cœlestis intelligitur. Qui fons velut ad irrigandum paradisum in quatuor flumina dividitur, dum divina sapientia quatuor Evangeliorum prædicatione per universam Ecclesiam derivatur. Qui etiam signatus esse congrue perhibetur, quia sapientia Dei multis ac diversis ænigmatibus in sacra Scriptura velatur. Hinc est, quod Paulus ait: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam Deus prædestinavit in gloriam nostram* (*I Cor.* II). Hic est liber ille signatus, de quo Isaias ait : *quem cum dederint scienti litteras dicent : lege. Et respondebit : Non possum : signatus est enim* (*Isa.* XXIX). Hic est idem liber vitæ, quem beatus Joannes in *dextera sedentis super thronum vidit signatum sigillis septem*,

quem nemo in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, quivit aperire, nisi solus leo de tribu Juda, qui vicit, qui est tanquam agnus occisus habens cornua septem, et oculos septem, qui sunt spiritus Dei missi in omnem terram (*Apoc.* V.). Unde quia solus potest fontem hunc sive librum aperire, jure potuit discipulis suis dicere : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei* (*Matth.* XIII). Hinc alibi de ipso et de ipsis discipulis scriptum est : *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* (*Luc.* XXIV). Nullus igitur potest hujus fontis salutarem gustum haurire, nisi cui Salvator, qui solus aperit et claudit, signaculum ejus dignatur aperire. Sed et germen hujus horti habere minime valet cui fons iste salutaris irrigationem non præbet. Quod autem Salvator fontis hujus rivulum aliis aperiat, aliis claudat, demonstrat ipse, ubi discipulis suis ait : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant* (*Matth.* XIII). Et alibi ad Patrem dicit : *Confiteor tibi, Pater Domine cœli et terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI). Hortus itaque est conclusus, et fons signatus. Hortus conclusus est per disciplinam, fons signatus per figuram. Hortus conclusus, ne fraudulentus hostis irrumpat ; fons signatus, ne alienus de illo bibat. Hortus est justitia, fons sapientia. Primum autem hortum germinantem, et fontem irrigantem sponsus ponit. Deinde fructum germinationis et irrigationis latius exprimit, dicens.

Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus, etc. Emissiones sanctæ matris Ecclesiæ sunt partus ejus spiritales, præsertim hoc in loco martyres, qui malorum punicorum nomine designantur, quos sancta Ecclesia de mundo emittit, et cœlo immittit, nec tamen amittit, quos Christo mittit et committit. Mala punica sunt intus succo aeria, granis rubentia, et per hoc martyres figurant, qui non solum exterius, sed etiam interius rubere dici recte possunt, quia cum sint duo martyrii genera, unum interius, alterum exterius, unum in corde, alterum in carne, nil valet id quod est exterius, si desit, quod esse debet interius, quia non prodest carnis passio cui deest cordis compassio. *Omnis denique gloria filiæ regis*, sicut scriptum est, *ab intus* (*Psal.* XLIV). Emissiones autem istæ malorum punicorum paradiso comparantur, quia, sicut paradisus diversis arboribus, sic sancta Ecclesia stipatur, densatur, et ornatur innumeris martyribus. Quis enim calculatorum peritissimus sola saltem centenaria vel millenaria martyrum numero queat comprehendere ? Quorum alii, ut quædam Scriptura clamat (*Hebr.* XI.), ferro perempti, alii flammis exusti, alii flagris verberati, alii pelagi demersi periculo, alii vivi decoriati, alii naribus perforati, alii cruciati patibulo, alii vinculis mancipati, alii linguis privati, alii lapidibus obruti, alii frigore afflicti, alii fame macerati, alii vero truncatis manibus sive cæteris cæsis membris, spectaculum contumeliæ in populis facti propter nomen Domini portantes. Sed potest videri mirum, quomodo martyrium paradiso comparetur, cum martyrium amaritudinem, paradisus autem habeat jucunditatem. Sed si subtilius rem perpenderimus, non videbitur mirum, quia sanctis martyribus omnia tormentorum genera jucunda fuerunt ; et totum eis dulce, imo parum fuit quidquid eis potestas adversa pro nomine Christianitatis inferre potuit. Unde et de apostolis scriptum est : *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* III). Et apostolus Paulus, pro magno reputans donum pati pro Christo, Philippensibus scribens, ait : *Vobis donatum pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro ipso patiamini* (*Philipp.* I).

Cum pomorum fructibus. Habent sancti martyres fructus in mundo, fructus in cœlo. In mundo fructus justitiæ, in cœlo fructus gloriæ. In mundo fructus meriti, in cœlo fructus præmii. *Cyperi cum nardo, nardus cum croco.* Cyperus dicitur esse herba aromatica in Ægypto semine candido et odoro, quod coquitur in oleo, et exprimitur. Inde unguentum paratur, quod regale dicitur. Cyperus ergo donum regiminis, id est discretionem, vel certe ipsos rectores animarum convenienter significat. Nardus herba humilis est. Unde et humiles subjectos significat. Crocus est aurei coloris, et propterea doctores cœlesti sapientia claros recte designat. Cyperi, ut arbitror, propterea plurali numero proferuntur, cum cætera quæ sequuntur singulariter scribantur, ut per hoc valeamus agnoscere quod quisque prælatus præ cæteris omnibus virtutibus et bonis operibus debeat abundare. Hinc est quod beatus Augustinus de prælato præcipit, dicens : « Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum, corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes ; disciplinam libens habeat, hanc metuendus imponat. Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus amari appetat, quam timeri. » Talibus verbis beati Augustini edoctus, quisque prælatus omni bonitate sibi commissos transcendere necesse est satagat ut his gravia, his fractus, aliarum plenitudine virtutum omnibus omnia factus omnes lucrifaciat. Cyperi autem cum nardo sunt, dum prælati cum sibi subjectis divinis se præceptis humiliter subdunt. Hinc etenim scriptum est : *Rectorem te constituerunt, noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis* (*Eccli.* XXXII). Cum enim sancti rectores recta, sicut debent, dicunt, et quæ dicunt cum sibi subjectis humiliter faciunt, vere cyperi cum nardo sunt. Nardus cum croco est, dum subjectorum humilium multitudines sanctorum doctorum, claritate cœlestis sapientiæ fulgentium pedibus appropinquantes, doctrinam salutarem ab ipsis libenter audiunt, et eorum verbis credendo et operando fideliter acquiescunt, implentes præceptum Jacobi, quo dicitur : *Sit omnis homo*

velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram (*Jac.* I). In talibus etiam impletur testimonium Moysi, quo dicit : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ejus* (*Deut.* XXXIII). Pedes enim Domini sancti doctores sunt, qui cum ad audientium corda sua prædicatione vehunt. Ad quos pedes qui humiliter accedunt, de doctrina ejus per ipsos accipiunt, quia sicut scriptum est : *Qui cum sapientibus graditur sapiens erit. Et amicus stultorum efficietur similis* (*Prov.* XIII). *Fistula et cinnamomum.* Fistula arbor aromatica est, parva, robusti corticis et purpurei, quæ ad curandas viscerum molestias utilis est, et per hoc omnes de peccatis suis timore Dei, qui est principium sapientiæ, compunctos, et viscera cordium spiritalia de turpium cogitationum molesta congerie vera confessione purgantes, significare potest. Quasi namque molestia viscerum fistula curatur, dum in universis vere pœnitentibus perfecta confessione occulta conscientiæ de sua pravitate purgantur. Fistula ergo sunt quicunque vel in se vel in aliis, peccatorum intrinsecus latentium molestias per gratiam compunctionis, confessionis, vel etiam efficacioris admonitionis expellunt. Cinnamomum est arbor brevis, odorifera, dulcis, cinerei coloris, ad usum medicinæ fistula duplo præstantior. Dictum est autem cinnamomum, quod cortex ejus in modum cannæ sit formatus. Et quia per cannam a pueris ad hoc incissam solet eorum ore sonus formari, potest per cinnamomum sanctorum sacerdotum, videlicet Hieronymi, Gregorii, Augustini, et Ambrosii, et universorum talium confessio designari. Dum enim non solum corde credunt ad justitiam, verum et ore confitentur ad salutem, pro soni salutaris prolatione, cinnamomo, cujus cortex in modum sonabilis cannæ circumflexus formatur, possunt sancti confessores significari. Sicut ergo per fistulam pœnitentes et vera confessione molestias peccatorum de suis cordibus egredientes, intelligimus; ita per cinnamomum sanctos confessores intelligamus.

Cum universis lignis Libani. Libanus interpretatur *dealbatio.* Ligna vero Libani in altum præ cæteris arboribus crescunt. Unde et in Ezechiele ad describendum sublimitatem, vel potius superbiam Assur dictum est : *Ecce Assur quasi cedrus in Libano pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensos frondes elevatum est cacumen ejus* (*Ezech.* XXXI). Per ligna itaque Libani congrue sanctarum chorum virginum accipimus, quæ de celsitudine suæ munditiæ in altum se elevant, et cœlestibus bonis donis suæ puritatis altius cæteris appropinquant. Perfectio namque virginalis non tam terrena quam cœlestis, non tam humana quam angelica vita est, quia semper est angelis cognata virginitas. Ligna igitur Libani sanctæ virgines sunt : Agnes, Cæcilia, Agatha, Lucia, et omnes aliæ, quarum nomina hic recenseri non possunt. Sancta itaque mater Ecclesia cum his, quæ præcelunt, etiam ligna Libani habet, quia cum prædictis sanctis sacras virgines per altam munditiam allicentes, et ad cœlestia bona se sublimiter erigentes possidet. *Myrrha et aloe. Istæ* duæ species amaritudinem habent, et propterea contra putredinem corporum si eis inungantur, valent. Habet autem myrrha, majorem vim quam aloe, propterea per myrrham continentiam, per aloen abstinentiam intelligamus. Grave est abstinere, gravius continere. Myrrha et aloe repellunt vermes et putredines corporum; continentia vero et abstinentia a corde et carne corruptiones vitiorum. Vel certe per myrrham et aloen hoc in loco intelligimus melius continentes et abstinentes per has virtutes semetipsos exercentes. *Cum universis primis unguentis.* Prima unguenta præcipua dona sunt, ut est charitas, prophetia. Unde Paulus, enumeratis donis spiritalibus, ait : *Et adhuc excellentiorem vobis viam demonstro. Si linguis hominum loquar et angelorum*, etc. (*I Cor.* XII, XIII). Et post pauca : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc : major autem horum est charitas* (*ibid.* XIII). Sectamini charitatem, æmulamini spiritalia, id est diligere dona divina. Magis autem ut prophetetis, id est prædicetis. Primum itaque commendavit charitatem, deinde prophetiam, id est prædicationem, quia prædicatio magis circa fructum charitatis versatur.

Habet ergo sancta mater Ecclesia hortum per conversationem bonam, clausum per disciplinam, fontem per sapientiam, signatum per figuram. Habet paradisum malorum punicorum in passis martyribus, cyperos in prælatis rectoribus, nardum in subjectis humilibus, crocum in eruditis doctoribus, fistulam in compunctis pœnitentibus. Habet cinnamomum in confessoribus, ligna Libani in virginibus, myrrham in continentibus, aloen in abstinentibus, universa prima unguenta in præcipuis donis spiritalibus. Et istæ sunt spiritales sanctæ matris Ecclesiæ divitiæ. Iste germinantis horti, et fontis irrigantis divitiæ. Matrem Ecclesiam, charissimi nobis, in his omnibus imitemur, ut cum ipsa sponsum in decore suo videre mereamur, et cum sponsa in cœlis gloriemur. Habeamus et nos paradisum malorum punicorum, adversa pro Christo sæpius patiendo, et oppressis quotidie compatiendo cyperos, discrete nos regendo; nardum, nostris prælatis humiliter nos subdendo; crocum, luce sapientiæ effulgendo; fistulam, peccata nostra de nostris cordibus confessione et luctu expellendo; cinnamomum, pro acceptis beneficiis gratias concinendo; ligna Libani, opera munditiæ exhibendo; myrrham, ab illecebris carnis continendo; aloen, ab escis etiam licitis abstinendo; omnia prima unguenta, dona præcipua possidendo. Hæc est via, per hanc eamus, ut ad gaudium quod sanctorum millia possident perveniamus. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXI.

De operibus sex dierum.

In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I). Prima die fecit lucem primariam, secunda die firmamentum, tertia die congregavit aquas inferiores in locum unum, quarta die fecit luminaria, quinta die volucres et pisces, sexta bestias. Mundo igitur creato, disposito et ornato, et omni quod esset humano corpori necessarium, commodum, gratum primum præparato, fecit Deus hominem eadem sexta die, dominum omnium, possessorem universorum; qui quamvis posterior tempore conditur, causa tamen prior dignitate superior cæteria invenitur. Causa quippe hominis fecit Deus hunc sensibilem mundum ut mundus humano corpori, corpus spiritui, spiritus subjectus esset Creatori. Nam quia homo ex duplici natura factus est, duo illi bona ipsius conditor præparavit: Unum visibile, alterum invisibile; unum corporale, alterum spirituale; unum transitorium, alterum æternum; utrumque plenum, et utrumque in suo genere perfectum; unum carni, alterum spiritui, ut in uno sensus carnis ad jucunditatem foveretur, in altero sensus mentis ad felicitatem repleretur. Carni visibilia, spiritui invisibilia; carni ad solatium, spiritui ad gaudium. Ex his bonis unum dedit, alterum promisit. Unum ut gratis possideretur, alterum per meritum quæreretur. Quod visibile erat bonum gratis dedit; quod autem invisibile erat merito quærendum proposuit, ut ex dono gratuito probaretur et excellentia promissionis et fides promittentis. Postquam autem homo, peccati caligine tenebratus, oculum contemplationis amisit, non solum illi universitas ista rerum visibilium præbet corporeæ suffragium sustentationis, verum et adminiculum percipiendæ divinæ cognitionis. Scriptum namque est: *Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I). Tria sunt invisibilia Dei: potentia, sapientia, benignitas. Ab his tribus procedunt omnia. Potentia creat, sapientia gubernat, benignitas conservat. Quæ tamen tria sicut in Deo ineffabiliter unum sunt, ita in operatione separari non possunt. Potentia per benignitatem sapienter creat, sapientia per potentiam benigne gubernat, benignitas per sapientiam potenter conservat. Potentiam manifestat creaturarum immensitas, sapientiam decor, bonitatem utilitas. Magnum est igitur donum Dei, et bonum hominis rerum visibilium conditio, dum per eas corpus humanum sustentatur, et mens earum contemplatione illuminata ad conditoris sui cognitionem, admirationem, et amorem mirabiliter sublimatur. Sane quatuor modis Deus occultus ad notitiam hominum venit, duobus modis intus, duobus modis foris. Intus per rationem et aspirationem, foris per creaturam et doctrinam. Ratio et creatura pertinent ad naturam, aspiratio et doctrina pertinent ad gratiam.

His itaque compositis, et de operibus sex dierum breviter prosecutis, quid in his doctrinæ moralis lateat videamus, et quæ nostræ ædificationi prosint diligenter inquiramus. *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Cœlum spiritus, terra corpus. Per cœlum enim convenienter intelligimus spiritum humanum ad imaginem et similitudinem Dei formatum, ad bona cœlestia cognoscenda, amanda, quærenda ac possidenda creatum. Per terram accipimus corpus humanum, quod est terreum, et in terram brevi reversurum. Sicut scriptum est: *Terra es, et in terram reverteris* (*Gen.* III). Cœlum spiritus, quia celat et occultat nobis ad libitum suum, quæ in ipso sunt, sicut scriptum est: *Quis enim scit hominum quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* (*I Cor.* II). Terra corpus, quia quotidie teritur, donec in terram revertatur. Cœlum itaque spiritus, terra corpus, quia sicut cœlum terra est sublimius atque solidius, sic est excellentior corpore spiritus. Mundus in prima confusione est homo in iniquitate sua. Sicut enim mundo primordiali adhuc confuso non inerat lux aut futurus ordo, sic homini iniquitati subjecto nec lux lucet per cognitionem veritatis, nec ordo inest per dispositionem æquitatis. Et Deus quasi in media confusione lucem primariam creat, quando peccatorem diversis sceleribus confusum lucis intimæ radiis illustrat, ut quid ait, quid esse debeat agnoscat, et ad normam recte vivendi semetipsum disponat. Significat itaque lux primaria peccati cognitionem. Firmamentum inter aquas superiores et aquas inferiores, discretio est inter vitia et virtutes. Aquæ namque inferiores designant vitia, aquæ superiores virtutes. Et quasi firmamentum inter utrasque aquas ponitur, quando per virtutem discretionis virtutes a vitiis, et vitia a virtutibus dirimuntur. Deinde congregatio aquarum quæ erant sub firmamento. Congregatio aquarum cohibitionem exprimit vitiorum. Vitia namque, quia penitus in hac vita de naturæ humanæ penetralibus evacuari vel eliminari non possunt propter eorum fomites naturaliter nobis insitos, debent, quantum per divinam gratiam possibile est, cohiberi, coarctari et in unum redigi, ne per totum effluant, totum occupent, et corrumpant, et sensus nostros ab inquisitione veritatis, affectus nostros ab exercitatione virtutis, membra nostra ab exhibitione boni operis impediant. Sicut enim terra aquis occupata non potest germinare, sic nos vitiis implicati nec sensibus veritatem inquirere, nec affectibus virtutes exercere, nec membris opera bona valemus exhibere. Aquis igitur in unum congregatis, aer clarescit et calefit, et terra germinat, quia, vitiis cohibitis, anima nostra lucet per cognitionem, et calet per dilectionem, et caro fructificat per bonam actionem. Conditio luminarium significat perfectam, nebulosa ignorantiæ cæcitate seposita, veritatis inspectionem. Et potest sol significare cognitionem eorum quæ pertinent ad sanctam Ecclesiam; stellæ cognitionem eorum quæ pertinent ad unamquamque creaturam, sive ad unamquamque fidelem animam. Pisces, qui laborant in imo, id est in aquis, sollicitudinem

actionis bonæ designant, quæ vitæ labentis fluctibus agitur. Volucres, quæ ad alta volant, significant contemplationem cœlestium, per quam ab infimis ad summa sublevamur. Animalia terrestria figurant sensus corporis nostri, eo quod ipsa participant cum sensibus humanis, quasi etenim animalia in nobis creantur, cum sensus corporis nostri per vanitatem prius corrupti, per divinam gratiam redintegrantur.

His ita compositis novissime fit homo ad imaginem et similitudinem Dei, quia taliter in nobis virtutibus et bonis operibus dispositis, fit peccator conformis et consimilis Deo per justitiam, qui prius fuit informis et dissimilis per culpam. Homo deinque formatus in paradisum voluptatis transfertur, quia peccator regeneratus in mundo per gratiam sublimatur in cœlum per gloriam. Cœlum itaque, spiritus; terra, corpus; lucis primariæ conditio, cognitio; firmamentum inter aquas inferiores et aquas superiores, discretio inter vitia et virtutes; aquarum inferiorum congregatio vitiorum est cohibitio; productio germinum, exhibitio bonorum operum; luminarium conditio, perfecta veritatis agnitio; pisces, bona actio; volucres, contemplatio; animalium creatio, sensuum corporalium redintegratio; Adæ formatio, justi perfectio; Adam in paradiso, justus in cœlo. Ecce, fratres, alius mundus. Mundus iste major, mundus iste sensibilis, ante omnem diem est creatus, in primis tribus diebus dispositus, in tribus sequentibus ornatus. Videamus, charissimi, utrum sicut habemus per creationem existentiam, sic etiam habeamus dispositionem per justitiam, et ornatum per conversationem bonam. Videamus, si in nobis sit lux primaria per nostrorum cognitionem peccatorum, firmamentum per discretionem vitiorum et virtutum, aquarum congregatio per vitiorum cohibitionem, germina arborum vel herbarum per virtutum exercitationem. Videamus an sint luminaria per cognitionem veritatis, pisces per exhibitionem boni operis, volucres per volatum contemplationis, animalia terrestria per incorruptionem sensualitatis. Videamus an sit in nobis humana dignitas reformata per justitiam, quæ fuit deformata per culpam, et an cuncta, quæ fecimus, esse videriinus valde bona, cum Deo et in Deo sabbatizemus nunc per bonam conscientiam, et tunc sabbatizabimus in ipsis per gloriam, ut impleatur in nobis, quod scriptum est: *Erit Sabbatum ex Sabbato* (*Isa.* LXVI). Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXII.

De arca Noe.

Omnis caro corruperat per illicitum conjugium *viam suam, et invenit Noe gratiam coram Domino. Et ait Dominus ad Noe: Fac tibi arcam de lignis lævigatis, et intrabis in eam tu, et tres filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum, et de cunctis animantibus et volucribus mundis septena et septena, de immundis vero bina et bina. Adducam enim aquas diluvii, et delebo hominem, et cuncta quæ feci propter hominem, in quibus est spiritus vitæ*, etc. (*Gen.* VI).

Quia scientibus legem loquor, fratres, visum est mihi sententiam de arca succincte transcurrere, vestræ manui latiora colligenda relinquere. Corruptio viæ perpetratio est culpæ; arca, Ecclesia; Noe, prælati; familiæ ejus, subjecti; inundatio diluvii, tentationes sæculi. Singula ligna, singulæ animæ; lævigatio lignorum, justificatio animarum; linitio interior, charitas in affectu cordium; exterior linitio, charitas in exhibitione operum; mansiunculæ et tristega, diversi ordines et diversa merita; bicameratio, bona actio et contemplatio; tricameratio, conjugium; continentia, castitas. Longitudo arcæ est cognitio perfecta per tria tempora sanctæ Trinitatis; latitudo, effectus in proximum boni operis; altitudo, excellentia trium principalium virtutum: fidei, spei, charitatis; animalia, sunt activi; volucres, contemplativi; esca, Scriptura; quadraginta dies, vita præsens; montes Armeniæ, sublimitas vitæ æternæ; recessus aquarum, ablatio tentationum et persecutionum.

Nunc igitur, fratres, quia per fidem et baptismum in arca sumus, videamus si sumus quales esse debemus; scilicet non de immundis, sed de mundis animantibus et volucribus simus. Quamvis etenim in Ecclesia præsenti secundum quorumdam effectum operum aut perceptionem sacramentorum utraque videantur esse permista, in cœlestem tamen patriam nihil intrabit immundum aut inquinatum. Nullus ergo in nobis in his, qui actioni bonæ deserviunt, imitetur lupum per rapacitatem, leporem per inutilem timiditatem, vulpem per calliditatem, ursum per murmurationem, canem per rixam, leonem per sævitiam, asinum per stultitiam, suem per immunditiam. Aquila cæteris avibus altius volat, et ideo elationem congrue significat. Vultur avis a tardo volatu nominata putatur, quia pro magnitudine corporis præpetes volatus non habet, pigritiam ergo recte figurat. Milvus quoque, quia rapax est, rapacitatem exprimit. Per corvum, quia rostro laniat, intelligimus detractionem. Ulula enim clamat, fletum aut gemitum imitatur, significat ergo tristitiam. Noctua dicitur eo quod nocte circumvolat, et per diem non possit videre. Unde et per eam accipitur ignorantia. Pica verba in discrimine vocis exprimit ut homo, quæ etsi linguam in sermone nequeat explicare, sonum tamen humanæ vocis imitatur. De hac quidam congrue dixit :

Pica loquax, certa dominum te voce saluto.
Si me non rideas, esse negabis avem.
(MARTIAL. *Epigram.* lib. XIV, 76.)

Pica itaque designat garrulitatem. Upupa avis spurcissima in stercore humano commorans, et fimo vescens immundo, carnis humanæ fœditatem vel malæ opinionis fetorem figurat. Nemo itaque in nobis ex his, qui contemplationi vacare proposuerunt, sit aquila per superbiam, vultur per pigritiam

milvus per rapacitatem, corvus per detractionem, ulula per noxiam tristitiam, noctua per ignorantiam, pica per garrulitatem, upupa per fœditatem, et sinistram opinionem. Et de hujusmodi hominibus, non quæ sanæ rationis, sed quæ corruptæ sensualitatis sunt, sequentibus, Boetius in libro De consolatione philosophiæ sic ait : « Evenit, ut quod transformatum vitiis videas, hominem existimare non possis. Avaritia fervet, alienarum violentus ereptor, lupi similem dices. Ferox atque inquies linguam litigiis exercet, cani comparabis. Insidiator occultus, subripuisse fraudibus gaudet, vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit, leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat, cervi similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet, asinum vivit. Levis atque inconstans studia permutat, nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur, sordide suis voluptatibus detinetur. Ita fit ut qui probitate deserta homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam. » Sed quia per animalia gressibilia activos, per volatilia contemplativos superius significari diximus, ad sententiam nostram redeamus, et videamus ne in nobis sint aliqui, qui immodum aliquid secum deferant, per quod ab ingressu patriæ cœlestis alieni fiant. Quamvis etenim in arca Noe, id est in universali Ecclesia Christi nunquam desiunt peccatores et immundi, semper tamen desiderare, et, inquantum valemus cavere debemus, ne in nostro tristego sive cœnaculo, id est domo nostra sint aliqui, qui per suam culpam cogitatione vel operatione, effectu aut affectu superna sanctorum societate sint indigni. In omni quippe conditione et gradu hujus vitæ optimis mista sunt pessima, et dum præsens currit sæculum, sunt zizania cum spicis triticeis, paleæ cum granis, colubri cum piscibus, hædi cum agnis. Sed licet peccatorum societas justis sit valde gravis et molesta, nimime tamen est infructuosa : quia quamvis ab eis bene vivendi non habeant exemplum, habent tamen per eos exercitium. Abel namque non est, quem Cain malitia non exercet.

Unde Dominus in Evangelio, ut scilicet malorum malitiam bonis utilem monstraret, dum de zizaniis et bono semine parabolam proferret, dominum agri dixisse retulit : *Sinite utraque crescere usque ad messem* (*Matth.* XIII). Hinc et per Psalmistam dicit : *Ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei* (*Psal.* LVIII). Hinc est etiam, quod per Salomonem dicitur : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filios* (*Cant.* II). Modis tamen omnibus, charissimi, laboremus fratres illos qui remissius agunt corripere, admonere, emendare, ne, cum venerit Judex mundos et immundos separare, contingat eos non cum mundis gloriam, sed cum immundis pœnam intrare. Magis autem pariter satagamus, ut omnes cum benedictis ad dexteram ejus constituendis patriam cœlestem ingredi, et regem in decore suo contemplari mereamur. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXIII.

De Gedeone in nativitate Domini.

Jugum oneris ejus et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti sicut in die Madian (*Isai.* IX). Ista verba prophetica principaliter ad Christum referuntur. Unde paucissimis interjectis idem propheta, Isaias scilicet, cujus hæc sunt verba manifeste de eo prophetat, dicens : *Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis, et factus est principatus ejus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia amodo et usque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc* (*ibid.*). *Jugum oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti*. Jugum culpa, virga pœna, sceptrum damnatio æterna. Jugo premebamur, virga cædebamur, sceptro damnabamur. Exactor diabolus, victor Christus. Christus etenim ut per nostræ carnis assumptionem mundum intravit : Fortem armatum custodientem atrium suum velut fortior superveniens exturbavit, et vasa ejus diripuit (*Luc.* II). Fortis armatus diabolus, atrium mundus, fortior superveniens Christus, vasa animæ, direptio vasorum redemptio animarum, propulsatio fortis armati relegatio diaboli. Exactore igitur nostro superato, et jugo ejus, virga ejus et sceptro ejus contritis, sumenda nobis est parabola prophetica, sicut prædictus propheta nobis mystice præcepit, dicens : *Et erit in die illa, cum requiem tibi dederit Dominus a labore tuo, et a concussione tui, et a servitute dura qua ante servisti, sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices : Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos, in indignatione plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. Conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exsultavit. Abietes quoque lætatæ sunt super te, et cedri Libani; ex quo dormisti, non ascendit qui succidat nos* (*Isai.* XIV). Quia igitur computruit jugum a facie olei, et comminuta est virga percussoris nostri, et sceptrum exactoris nostri confractum, merito victo debemus insultare, victorem laudare. Sed jam attendamus quomodo spiritale bellum gestum sit, quomodo victoria peracta.

Sicut in die Madian. Legimus in libro Judicum quod post mortem Debboræ peccaverunt filii Israel Domino qui tradidit eos in manum Madian septem annis, et oppressi sunt ab eis valde. Pugnavit autem Gedeon contra eos, jubente Domino, et superavit eos, et populum Israel liberavit, etc. (*Judic.* VI). Quia nota est historia, et scientibus legem loquor, longumque et superfluum videtur totam historiam

replicare; historiæ narratione prætermissa, iis quæ ad spiritalem intellectum pertinent intendamus, et qualiter Christus pugnator noster, Salvator noster, jugum oneris nostri, virgam humeri nostri, sceptrum exactoris nostri, sicut in die Madian superavit videamus. Madian interpretatur *iniquitas*. Significat ergo congrue populus Madian universitatem dæmonum, qui nunquam æquitatem, sed semper iniquitatem operantur. Quatuor principes Madian, Oreb, Zeb, Zebee, Salmana, universos dæmonum principes apte figurant. Qui propterea quaternario designari possunt, quia per quatuor partes mundi nobis incurrunt, et bellum nobis inferunt; vel certe quia ad quatuor vitia, quæ per quatuor partes mundi designantur, nos detrahunt. Oriens enim, ubi lux oritur, astutiam exprimit, quia *filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua* (*Luc.* XVI). Occidens, quia in ipso sol occidit, et pars terræ superior lucem amittit, figurat ignorantiam. Sic meridies, quia calescit, luxuriam; et septentrio, quia frigescit, significat malitiam. Principes ergo dæmonum generaliter quatuor sunt, dum per hæc quatuor vitia nos dissipantes, quasi in quatuor principales ventos distrahunt ac disperdunt.

Istos etiam arbitror esse quatuor angelos, qui in Apocalypsi nocere terræ, et mari, et arboribus prohibiti leguntur, ubi sic dicitur: *Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens: Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum* (*Apoc.* VII). Terra sunt qui in sanctæ vitæ conversatione stabiliter et firmiter habitant. Mare sunt qui in actionibus exterioribus necessitate vitæ præsentis moti fluctuant. Arbores sunt qui in alto divinæ contemplationis succrescentes fructificant. Quibus omnibus malignorum spirituum principes nocere prohibentur, dum a læsione ipsorum occulta divina dispositione coercentur. Quibus etiam mirabilem et miserabilem læsionem inferunt, quoties, exigentibus peccatis, eadem dispositione relaxati suis tentationibus, cum illis prævalere possunt. Unde et apte in libro Judicum dicitur quia oppressi sunt filii Israel a Madianitis valde: *Ipsi enim et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, et instar locustarum, universa complebant innumera multitudo hominum et camelorum, quidquid tetigerant devastantes* (*Jud.* VI). Qui, sicut locustæ, terram eorum operiunt, quia leves et circumvolantes sunt, et carnales eorum sensus et affectus suis pravitatibus opprimunt. Qui, sicut eadem historia refert, in valle jacent, per desperationis scilicet profunditatem, ad aquilonem per malitiæ frigiditatem, juxta montem per elationis societatem. Semper est enim dæmonibus conjuncta elatio. Quorum cameli, quibus invehuntur, sunt homines reprobi, ad terrena curvati, gibbo peccatorum enormes et onusti. Qui videlicet cameli sicut arena maris innumerabiles sunt, quia *stultorum* in bono opere sterilium *infinitus est numerus* (*Eccle.* I)

Et Madianitæ cum camelis omnia sata filiorum Israel, dum adhuc in herba sunt, vastant, dum dæmones per reprobos homines persecutionibus concitatis in his qui videbantur recte vivere, teneritudinem virtutum et bonorum operum dissipant. Qui denique *nihil ad vitam pertinens* eis relinquunt, dum in eis principales virtutes occidunt, *non boves, non oves, non asinos*, quia continentiam, innocentiam, patientiam eis auferunt. Madianitis itaque spiritalibus spiritales Israelitæ septem annis serviunt, id est toto tempore quo Deum deserunt, vitiis se subdunt, peccatis involvunt, virtutibus carent, opera bona non habent. Et quamvis secundum quod in historia illa scriptum est, faciant sibi antra, et speluncas in montibus, et munitissima ad pugnandum loca, nequaquam tamen possunt hostibus resistere, et manus hostiles evadere, quia ex quo Deum dereliquimus, et ab ipso derelinquimur, fiunt hostes nostri, secundum Jeremiam, velociores aquilis cœli; super montes persequuntur nos, in deserto insidiantur nobis (*Thren.* IV). Veniat necesse est purgator tritici strenuus, virorum fortissimus, ille, inquam Gedeon, qui in mundo destruat aram idololatriæ, succidat lucum ignorantiæ, qui taurum, id est vitulum saginatum, scilicet semetipsum Deo Patri offerat, nec in vellere, nec in rore signum quærat, sed quod per utrumque significatum est, patenter exhibeat, hostes superet, et populum suum liberet, et salvet eum. Quomodo? In sono tubarum, in fractione lagenarum, in accensione lampadum. Christus quippe tubam sonare fecit, dum Evangelium prædicavit. Lagenam fregit, dum passionem sustinuit, lampadem accendit, dum miracula fecit, tuba quoque sonuit, dum Patrem laudavit, dicens: *Confitebor tibi, Domine cœli et terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI). Nam sicut est tuba prædicationis, sic est et tuba laudationis, quemadmodum scriptum est: *Buccinate in neomenia tuba* (*Psal.* LXXX). Et item: *Laudate Dominum in sono tubæ* (*Psal.* CL). Lagunculam suam confregit, sicut hoc Propheta pronuntiaverat dicens: *Ecce Dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, et excelsi statura succindentur*. (*Isa.* X). Laguncula est caro humana. Dominus autem lagunculam confregit in terrore, quia in morte Christi territi sunt homines, territi sunt et dæmones. *Territi sunt homines, quia qui ad spectaculum illud convenerant, videntes terræ motum et cætera quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur* (*Luc.* XXIII). Dæmones quoque sunt territi, quia viderunt eum statim diabolum religare, barathri repagula confringere, mortis profunda penetrare, suos electos velut captivam captivitatem potenter educere. Et excelsi statura sunt succisi, quia superbi homines antiqua dominatione sunt privati. Sed et lampadem Christus accendit, dum in mundo bonum opus multipliciter exhibuit. Unde et

Judæis sit: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo* (*Joan.* x). Gedeon ad pugnam suam ad triginta millia hominum vocavit, sed in trecentis superavit (*Judic.* vii), et in exercitu Christi *multi sunt vocati, pauci electi* (*Matth.* xx). Significant autem illi trecenti viri omnes electos qui vere armati sunt fide sanctæ et individuæ Trinitatis, sive munimine trium principalium virtutum, fidei, spei, et charitatis. Qui nequaquam flexo poplite, vel ore fluminis aquis immerso bibunt, quia in rebus transeuntibus non superflua, sed necessaria tantum quærunt. Reprobi vero flexo poplite, et ore lymphis immerso torrentis aquas bibunt, quia fluxis rerum transeuntium delectationibus se totus immergunt. Gedeon non solum citra, sed et ultra Jordanem hostes superavit, Christus non tantum in Judæa, verum etiam in Gentibus dæmones expugnavit. Sic Gedeon, sic Christus pugnavit et superavit. Nos igitur, fratres, consideremus quomodo pugnemus, ut superemus. *Quod me videritis facere*, dixit Gedeon hominibus suis, *hoc facite; et concinnate Domino et Gedeoni* (*Judic.* vii). Sic vult Christus ut illi compugnemus, conclamemus et superemus. Exemplum enim dedit nobis: ut sicut ipse fecit, ita et nos faciamus. Ad hoc spectare videtur quod ait: *Qui in me credunt, opera quæ ego facio, ipsi facient, et majora horum facient* (*Joan.* xiv). Habemus autem non tantum Christum propugnatorem et Salvatorem, verum etiam prælatum nostrum, qui vice ejus fungitur, qui nos debet in bello præcedere, et nobis exemplum pugnandi monstrare. Qui utinam sit Gedeon, non Abimelech. Abimelech enim significat prælatum reprobum et iniquum, qui quæ sua sunt quærit, non quæ Jesu Christi. Abimelech fratres suos super unum lapidem trucidavit. Iniquus prælatus suos fratres per duritiam suam destruit. Abimelech urbis suæ homines occidit, et sal in ea dispersit, et reprobus prælatus in Ecclesia sua commissa sibi subjectos verbo et exemplo interimit, nec sapientiam nec sapientiam in ipsa inquantum ejus pravitati permittitur, derelinquit. Habeant ergo viri Sichem Abimelech, nos utinam habeamus Gedeonem.

Ierunt, inquit, *ligna silvarum ut constituerent super se regem, veneruntque ad oleam, vitem, ficum, quæ omnes renuerunt super eo regnare, et inter ea promoveri. Dixeruntque ligna ad rhamnum, impera tu nobis. Quæ respondit: Si vere me regem vobis constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite. Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani* (*Jud.* ix). Ligna silvarum secundum parabolam Jonathæ sunt viri Sichem, rhamnus Abimelech. Secundum mysticam autem significationem quid rectius per ligna silvarum accipimus, quam nationes vel congregationes quaslibet infructuosas, et homines in peccatis annosos et veternosos, et æternis incendiis aptos? Per oleum autem possumus intelligere fidelem aliquem virum excellentem virtute misericordiæ. Per vitem vero, eo quod Christus, qui est sapientia Dei, ait: *Ego sum vitis* (*Joan.* xv).

Et quia scriptum est: *Vinum modice sumptum acuit ingenium*, accipimus quemlibet justum eximium virtute sapientiæ. Per ficum denique accipimus alium præpollentem gratia dulcedinis internæ. Ficus enim dulcem habet fructum. Ligna enim silvestria ad oleam, vitem, ficum, ut ex eis regem accipiant, veniunt, cum quælibet infructuosæ cogitationes aliquem virum misericordem, aut sapientem, vel mitem, aut dulcem in prælatum requirunt. Sed olea, vitis, ficulnea, regnum tale respuunt, quia electi per pravorum malitiam, si eorum regimine constituantur, proprio fructu privari et illis nil prodesse pertimescunt. Deinde ligna rhamnum super se regem levant, cum iniqui alium iniquum spinis peccatorum obsitum in rectorem expostulant. Isti quoque igne æterno devorantur, dum perversi subjecti et perversus eorum prælatus alterutro furore et ita conturbantur. Et talibus hominibus de tali igne ac devorstinne propheta sic ait: *Spiritus vester ut ignis vorabit vos* (*Isa.* xxxiii). Cum enim invicem invident, invicem mordent, invicem consumuntur. Sed jam ad nostram materiam revertamur.

Christus itaque jugum oneris nostri et sceptrum exactoris nostri, sicut in die Madian superavit, quia tuba suæ prædicationis, et passione mortis, et exhibitione bonæ actionis dæmones debellavit, et nos ab eorum dominatione liberavit. Habemus autem et alium Gedeonem, id est Christi propugnatoris et salvatoris in hoc bello vicem gerentem, prælatum scilicet nostrum, illius auxilio hostes nostros quotidie debellantem. Hic offerat necesse est cum Gedeone panes azymos per simplicem videlicet doctrinam, hædum per pœnitentiam, et ipsum coctum per dilectionem, et desuper thus fundat per compunctionem. Offerat et taurum, scilicet semetipsum, ut licet mori pro populo suo non contingat opere, mori tamen pro ipso paratus sit semper voluntate. *Ingrediar*, inquit Gedeon, *partem castrorum, et quod fecero sectamini* (*Judic.* vii). Sic omnis prælatus sibi subjectis bene vivendi formam debet exhibere, ne de illorum esse numero comprobetur qui dicunt et non faciunt, et qui alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere (*Matth.* xxiii). Ingrediatur ergo castra hostilia, non solum ea quæ sunt utilia, necessaria, vel in malis cavendis aut in bonis exercendis providendo, disponendo, sed et faciendo. Ingrediatur partem castrorum, ministerium suum implendo. Ingrediatur castrorum partem; non enim omnia potest solus, quia manus Moysi graves sunt, et indigent aliorum auxilio sustentari. Clangat tuba sua prædicando et cantando, frangat lagenam jejunando et vigilando, accendat faculam virtutes exercendo, bona opera exhibendo. Et nos Domino et Gedeoni conclamemus, ipsum in his omnibus imitando. Sed sunt quidam carnales, etiam religionis habitu palliati, quorum locutio tota carnalis est. Nunquam enim de religione, nunquam de emendatione ordinis loquuntur, quia secundum apostolicam sententiam non quæ

sunt spiritus, sed quæ carnis sunt sapiunt (*Rom.* VIII). Parum, inquiunt, dormimus, parum comedimus, parcissime vivimus. Isti si non fuerint saturati, sæpius non tantum murmurant, sed et litigant. Qui utinam saturati pacem haberent. Nec tamen ista dicentes de necessariis corporis loqui reprehendimus. Sed quod isti semper de carnalibus, nunquam de spiritualibus loquuntur, mirabile est in oculis nostris. De necessariis quippe corporis humani, prout oportet, loqui laudabile est, quia nemo unquam odio carnem suam habuit, sed nutrit et fovet eam. Verum loqui de his quæ ad spiritum pertinent, est prorsus necessarium, cum spiritus humanus potior pars hominis, vel certe, ut quidam philosophus ait, ipse homo sit. « Mens, inquit, cujuscunque is est quisque. » Alii in refectorio buccam suam ad comedendum et bibendum satis aperiunt, in choro ad legendum et canendum sæpe vel semper claudunt. Alii non minori culpa, sed majori dementia confitentes Domino, parum in corde, nimis in ore, caput exagitant, voces falsificant, cantum effeminant, et tandem divinam spiritu vanæ gloriæ capti magis strident, sibilant quam cantant.

Nunc ergo, charissimi, de his omnibus nos invicem fraterne corripiamus et corrigamus, ut buccina nostra bene sonante hostium castra terreamus. Sane sermo divinus, quem sive prædicatum sive cantatum per tubam figurari dicimus, in hac eadem historia per panem vel gladium intelligitur. *Referens*, inquit, *aliquis somnium proximo suo dixit : Vidi somnium, et videbatur quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere ; cumque pervenisset ad tabernaculum percussit illud, et subvertit, et terræ funditus coæquavit. Respondit is cui loquebatur. Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis. Tradidit enim Deus in manus ejus Madian, et omnia castra ejus.* (*Judic.* VII.) Sermo itaque Dei tuba est, panis gladius est. Tuba est, quia auribus insonat. Panis est, quia esurientium justitiam mente sonat. Gladius est, quia cordium secreta penetrat. Unde Apostolus : *Vivus est*, inquit, *sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus* (*Hebr.* IV). Non solum autem oportet nos tuba clangere, sicut dictum est, prædicando, cantando vel canendo, verum et lagenam frangere, carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo. Sed sunt in ordine multi, qui religionem professi, salubrem ejus asperitatem abhorrent, semper in requie opulenta vivere cupientes, et quod Deus nullam ab escis carnis molestiam requirat asserentes. Nos vero, charissimi, frangamus hanc lagunculam in fame et siti, in frigore et nuditate, in labore et ærumna, et cæteris hujusmodi. Accendamus nostras lampades, ut virtutes exerceamus, opera bona exhibeamus. Talibus armis hostes superabimus, victoriam obtinebimus, palmam possidebimus, palmam, inquam, auream. Sic et Gedeon, de quo sermo est, palmam auream obtinuit, dum inaures aureas de præda hostium ab exercitu suo postulavit et accepit. Sic et nos, fratres, si legitime certemus, palmam auream, id est supernam gloriam possidebimus. Quam nobis præstare dignetur Jesus Christus. Amen.

SERMO LXIV.

De apostolis Petro et Paulo.

Fecit Deus duo magna luminaria : luminare majus ut præesset diei, et luminare minus ut præesset nocti, et stellas (*Gen.* I). Forsitan miramini, fratres, quod in solemnitate sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sermonem vobis facturi, de iis, quæ in operibus sex dierum continentur ejusdem sermonis fundamentum ponimus. Sed hoc sine ratione minime facimus, dum per creationem mundi regenerationem generis humani ; et per ornatum cœli et terræ, decorem et pulchritudinem universalis Ecclesiæ convenienter intelligimus. Cœlum significat ea quæ in sancta Ecclesia sunt summa, terra significat ima. Cœlum significat prælatos, perfectos, contemplativos ; terra, subjectos, imperfectos, activos. Prælati namque, perfecti, contemplativi, sive auctoritate nominis, sive differentia dignitatis, sive merito virtutis, subjectis, imperfectis, activis sunt superiores. Subjecti vero imperfecti, activi, prælatis perfectis contemplativis sunt inferiores. Ornatus cœlorum virtutes exprimit perfectorum, ornatus terræ virtutes imperfectorum. Illos velut cœlos excellenter elevatos ornat divina contemplatio, istos quasi terram adhuc in imo residentem decorat bona actio. Illi per continuas preces protegunt, isti proteguntur. Illis gratia cœlestis confertur, et per illos istis defertur. Unde et Dominus per prophetam ait : *Exaudiam cœlos, et ipsi exaudient terram* (*Ose.*, II). Et alibi scriptum est : *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut pluviam tribuat terræ tuæ in tempore suo* (*Deut.* XXVIII). Cum igitur per creationem mundi restaurationem generis humani, et per dispositionem et ornatum cœli et terræ ordinem et pulchritudinem universalis Ecclesiæ convenienter intelligamus, quid per duo magna luminaria, solem videlicet et lunam, rectius quam sanctos apostolos ; quorum solemnia celebramus, id est Petrum et Paulum accipere debemus, qui vere sunt luminaria per gratiam, magna per excellentiam ? Petrus enim cæteris eminet excellentia potestatis, Paulus excellentia prædicationis ; Petrus sol, Paulus luna ; Petrus sol per collatam sibi divinitus potentiam, Paulus luna per collatam sibi cœlitus sapientiam. Luminare majus fecit Deus, dum Petro dixit : *Caro et sanguis*, fidei sacramentum, *tibi non revelavit, sed Pater meus, qui est in cœlis* (*Matth.* XVI), et illum tunc lucere in cœlo præcepit, dum illi claves regni cœlorum contradidit. Luminare minus fecit, dum Saulum stravit, et Paulum erexit, et in illo corporale lumen ad tempus exstinxit, sed spirituale in perpetuum accendit.

Sed jam videamus, quomodo luminare majus jus-

sit præesse diei, et luminare minus præesse nocti. Per diem Judæa congrue significatur, quæ doctrina legis et prophetarum quasi claritate quadam luminis cœlestia illustrabatur. In hoc quippe non mediocriter gentibus prælucebat, quod non tantum naturalem, sed et scriptam legem habebat. Unde et Apostolus cum de Judæis et gentibus disputaret ait : *Quid ergo amplius est Judæo; aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei* (*Rom.* III). Per noctem gentilitas recte figuratur, quæ suæ cæcitatis tenebris antiquitus tegebatur. An non tenebrosa nox fuit gentilitas, cujus etiam sapientes, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum* (*Rom.* I). Cum enim cognovissent Deum, ipsum naturaliter intelligendo, non sicut Deum glorificaverunt, ipsum per justitiam colendo, aut gratias egerunt, eum pro accepto beneficio laudando, sed evanuerunt in cogitationibus suis, per superbiam. Et obscuratum est insipiens cor eorum, per ignorantiam. Superbia namque, dum mentem infumigat, proprii luminis claritate privatam obscurat. Dicentes enim per superbiam et jactantiam se esse sapientes per acceptam scientiam, stulti facti sunt operante superbia per cæcam et excæcantem ignorantiam. In quantam stultitiam corruerint ostenditur, cum de idololatria statim infertur : *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum, et quadrupedum, et serpentum.* Et post pauca : *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ; nam feminæ exarserunt in desideriis suis invicem, et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt; repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, sine fœdere, sine misericordia* (*Ibid.*). Quos sub unius persona hominis Paulus, cujus hæc sunt verba, acriter redarguens ait : *Secundum duritiam autem tuam, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom.* II). Sic abyssus abyssum invocat, dum culpa culpam generat. Culpa namque superbiæ genuit in eis cæcitatem ignorantiæ, et cæcitas ignorantiæ genuit impietatem idololatriæ, et impietas idololatriæ genuit maculam luxuriæ, et macula luxuriæ cooperantibus supradictis genuit enormitatem omnis injustitiæ, quæ tandem genuit contemptum et duritiam impœnitentiæ. Ecce quomodo gentilitas fuit nox tenebrosa. Luminare vero majus diei, et luminare minus nocti prælait, dum Petrus Judæis, Paulus gentibus prædicavit. Quod manifeste Paulus in Epistola ad Galatas declarans : *Cum vidissent* inquit *quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes*, etc. (*Gal.* II).

Dies itaque Judæa, non gentilitas, luminare majus Petrus, luminare minus Paulus. Quamvis autem Paulus prædicator fuerit gentium, quamvis electionis vas, quamvis omnibus plus laboraverit, quamvis nihil minus a magnis apostolis fecerit, quamvis ad tertium cœlum et in paradisum Dei raptus, arcana ibi verba, quæ non licet homini loqui, audierit, non me tamen arbitror sublimitati ejus in aliquo derogare, in eo quod ipsum minori luminari, id est lunæ, Petrum vero majori, id est soli comparo, cum Petro soli dictum esse constet : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI), et cum soli Petro, jubente Domino, eum super aquas maris ambulare concessum sit, Petroque soli inter cæteros, et præ cæteris a Domino cura pastoralis principaliter et specialiter injuncta sit, ubi dicit : *Pasce agnos meos* (*Joan.* XXI). Ambo tamen magni, ambo mirabiles, ambo laudabiles sunt et prædicabiles, ambo passione germani, ambo una die, uno loco, uolus sententiam toleravere tyranni. Unde licet eos ad commodum sententiæ nostræ secundum prædicta luminaria superius eos discernamus, uter tamen utri præponatur non est certum, quia possunt existimari meritis non dispares qui sunt in passione æquales. Et licet in Petro fides emineat, in Paulo doctrina præcellat, magisterium tamen Pauli fidei plenitudo est, et credulitas Petri doctrinæ est fundamentum. Isti sunt duæ principales in Ecclesia turres, duo propugnacula, duo duces, duo præcones, duæ columnæ, duæ olivæ, duo candelabra : Turres eminendo, propugnacula muniendo, duces pugnando, præcones prædicando, columnæ sustinendo, olivæ miserando, candelabra lucendo. Sane sciendum est quod potestas solvendi, et ligandi quamvis soli Petro data videatur a Domino, absque ulla tamen dubietate cæteris apostolis data est, ipso teste qui post passionis suæ, resurrectionisque suæ triumphum apparens eis, et insufflavit, et dixit omnibus : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX). Necnon etiam nunc in episcopis ac presbyteris omni Ecclesiæ idem officium committitur, ut videlicet agnitis peccantium causis quoscunque humiles, ac vere pœnitentes aspexerit, hos jam a timore perpetuæ mortis miserans absolvat. Sic quoque, licet Paulus specialis doctrinæ donum excellenter acceperit, noscendum tamen est alios apostolos ejus doctrinæ gratia perfecte donatos, ipso Domino docendi ministerium illis injungente, dum ait :

Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis (*Matth.* XXVIII).

Fecit itaque *Deus duo magna luminaria, ut luminare majus præesset diei, et luminare minus præesset nocti. Et sint*, inquit, *in signa et tempora, et dies, et annos, ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram* (*Genes.* I). Quantum ad sensum litteræ spectat, corporalia luminaria cœli esse scimus in signa tempestatis ac serenitatis, in signa navigandi, et ita de cæteris hujusmodi pluribus. Sunt et in tempora, quia eorum cursu, ascensu et descensu quatuor anni tempora determinantur et complentur. Sunt in dies et annos, quia eorum et præcipue solis ortu, cursu et occasu consummantur. Sic et spiritualia luminaria ista in signa nobis sunt, dum malum vitandi, bonumque faciendi nobis exempla tribuunt. In tempora quoque nobis sunt, dum in incerto divitiarum, quæ cum temporibus defluunt neminem sperare debere patenter nos erudiunt. Unde et beatus Paulus ait: *Reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt, tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi* (*I Cor.* VII). Et ad Timotheum: *Divitibus hujus sæculi præcipe, non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum* (*I Tim.* VI). In tempora nobis sunt, illum, ut in temporibus æterna quæramus, nos instruunt. Hinc et idem Paulus ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI). Per dies autem bonorum operum inchoationem, per annos vero eorum intelligimus consummationem. Sancta ergo hæc cœlestia luminaria dies et annos nobis ministrant, et determinant, dum ad bonorum operum inchoationem, et perfectionem rationabiliter et discrete suis præceptis nos illustrant, quemadmodum et præfatus apostolus admonet dicens: *Obsecro, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum* (*Rom.* XII). Hæc denique luminaria in firmamento cœli lucent, et terram illuminant, quia et perfectis in cœlesti conversatione firmatis mirabiliter coruscant, et inferioribus ac imperfectis eos verbis erudiendo, et exemplis accendendo lumen justitiæ præstant. Sancti quippe perfecti in cœlesti conversatione firmantur in via per gratiam, in patria per gloriam. Hic per justitiam, ibi per stolam primam, donec accipiant et secundam. Unde et prædictus Apostolus ait: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III). Imperfecti vero adhuc velut in terra habitant, dum terrenis laboribus sæpius insudant. Quapropter et illi nomine firmamenti, et isti nomine terræ congrue designantur. Hæc de sanctis apostolis Petro et Paulo diximus, et eorum magnam claritatem secundum duo majora cœli luminaria non sicut voluimus, sed sicut valuimus, declaravimus.

Et stellas. Sicut per duo majora cœli luminaria Petrum et Paulum secundum prædictam rationem accipimus, ita per stellas cæteros apostolos accipere debemus. Licet enim omnes apostoli sint magni, et omnes pariter et communiter gratia cœlesti sint donati, nescio tamen quo pacto Petrus et Paulus præ cæteris peculiari quadam in cœlo fidei virtute videntur præcellere, dum Petro quasi bono dispensatori claves regni cœlestis dedit, et Paulo tanquam idoneo doctori magisterium ecclesiasticæ institutionis injunxit. Unde ista duo maxima luminaria, velut sol et luna, uno in loco non videntur fixa, dum Petro universalis ecclesiæ cura injungitur, et Paulo omnium gentium doctrina committitur. Cæteri omnes velut stellæ in firmamento, uno singuli fixi videntur in loco, dum eorum unusquisque uno prædicavit in regno. Prædicavit enim Joannes in Asia, Andreas in Achaia, Matthæus in Æthiopia, Jacobus major et Jacobus minor in Judæa, Philippus in Scythia, Thomas in India majore, Bartholomæus in India minore, Simon et Judas in Perside. At non ita Petrus et Paulus, dum Petrus, cæteris in navi relictis, super maris aquas ambulans totius ecclesiasticæ dignitatis se principem fore signum accepit; et Paulus, qui ab Jerusalem, per circuitum, usque ad Illyricum implevit Evangelium Christi. Quamvis itaque simul omnes cœlitus nobis luceant, lumenque veritatis in tenebris vitæ præsentis præbeant, et qualiter de Babylone in Jerusalem supernam ascendere valeamus, nos doceant, beati tamen Petrus et Paulus quorum solemnia celebramus, speciali quodam fulgore cœlestis justitiæ nos irradiant. Nunc igitur charissimi nobis, tantorum luminarium splendore lustrati, omnes filii lucis, et filii diei sumus, non noctis, neque tenebrarum (*Thess.* V). *Abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis* (*Rom.* XIII). Sed non hoc tantum, sed et transformemur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu, id est non solum relictis malis acquiramus bona, sed etiam inter bona sectemur semper potiora, ut de virtute in virtutem conscendentes, meritis et precibus beatorum apostolorum, Deum deorum in Sion videre mereamur. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus, Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXV.

In nativitate beatæ Mariæ.

Sicut spina rosam genuit Judæa Mariam. Plebs antiqua, fratres, plebs Israelitica quasi arbor quædam fuit, quæ in Abraham radicem habuit, et in Isaac et Jacob stipitem produxit, et se erexit, ac in duodecim patriarchis et filiis eorum ramos ac ramusculos multiplicavit. Quæ quidem propter pinguedinem fidei, ac justitiæ Abrahæ, Isaac et Jacob, et quorumdam, qui ex ipsis sunt geniti, olea vel vitis in quibusdam Scripturæ locis meruit appellari; sed ob quorumdam, imo multorum, ex eis procedentium pravitatem spinæ potissimum potest comparari. Unde ad demonstrandam præcedentem ejus bonita-

tem et sequentem ejus pravitatem, Dominus per Jeremiam dicit: *Ego plantavi te vineam electam omne semen verum, quomodo conversa es in pravum vinea aliena?* (*Jer.* II.) Et post pauca Jeremias ipse: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum* (*Jer.* XI). Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea. Abraham quippe Isaac, et Jacob, et plerosque ex eorum stirpe progenitos Domino placuisse, et cum ipsis sive per ipsos Dominum locutum esse Scriptura teste didicimus, ac per hoc viti sive vineæ vel olivæ aut etiam ficulneæ gentem illam merito comparari agnoscimus. Sed et nunc videamus quomodo et quare spinæ, quæ stimulos acutos producit, et crudeliter pungit, eadem gens propter multorum filiorum suorum impietatem jure debeat comparari, et inveniemus quod multi crudelitatis ejus aculei e sacri eloquii testimoniis possint dinumerari. Primum itaque legimus de crudelitatis gentis illius stimulis Joseph a suis fratribus injuste odio habitum, tunica talari nudatum, in cisterna positum, ac tandem Ismaelitis negociatoribus crudeliter venditum, ad exteras et ignotas gentes ducendum. In Ægypto quoque a Pharaone afflicti, dum patientiam in adversis habere debuissent, adversus Moysen et Aaron turbati dixerunt: *Fetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuistis ei gladium ut interficeret nos* (*Exod.* V). Postquam autem egressi sunt de Ægypto ante transitum maris Rubri, dum Ægyptios se vidissent sequentes, sævientes contra Moysen dixerunt: *Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos ut moreremur in solitudine. Quid hoc facere voluisti, ut educeres nos de Ægypto? Nonne iste est sermo quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes: Recede a nobis ut serviamus Ægyptiis: multo enim melius est servire eis quam mori in solitudine?* (*Exod.* XIV.) Post transitum vero maris Rubri in deserto Sin furentes adversus Moysen et Aaron dixerunt: *Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate. Cur eduxistis nos in desertum istud, ut interficeretis omnem multitudinem fame?* (*Exod.* XVI.)

Sed cum Psalmographus propter multiplicem pravitatis eorum nequitiam non interrogando, sed admirando et stupendo proclamet dicens: *Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram converterunt Excelsum in inaquoso?* (*Psal.* CV.) Quid necesse est sigillatim eorum contentiones describendo laborare et varias eorum rixas dinumerare, quibus Dominum et Moysen irritaverunt in castris, Aaronque sanctum Domini? Sic et in terra promissionis positi immolaverunt dæmoniis et non Deo; diis, quos ignorabant; et Deum qui eos genuerat dereliquerunt, et obliti sunt Domini creatoris sui. Altaria ejus destruxerunt et prophetas occiderunt. Ad ultimum vero, ut cumulum damnationis suæ consummarent, auctorem vitæ cruci configentes interemerunt. His et hujusmodi perversitatibus velut crudelissimis spinarum stimulis gens illa perfida semper hispida fuit, et flores ex se procedentes, id est prophetas, et alios justos ex se natos lacerare, et cruentare non desiit. Ex quibus *alii ab eis secti sunt*, ut Isaias; *alii lapidati*, ut Jeremias in Ægypto, Ezechiel in Babylone; *alii in occisione gladii mortificati*, ut Urias, Josias; *alii minis eorum fugati circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*, ut Elias, *egentes, angustiati, afflicti, quorum dignus non erat mundus* (*Heb.* II). Sed et principes eorum viduam et advenam interfecerunt, et pupillos occiderunt et dixerunt, Non videbit Dominus (*Psal.* XCIII). Nam et de hujusmodi crudelissimis punctionibus Scribis et pharisæis Dominus exprobrans ait: *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, et ornatis monumenta justorum, et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. Itaque in testimonio estis vobismetipsis, quod filii estis eorum, qui prophetas occiderunt* (*Matth.* XXIII). Et post pauca: *Jerusalem Jerusalem, quæ occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt* (*ibid.*). Habuit etiam arbor ista folia non semper mansura, sed quandoque casura, carnales scilicet legis observantias, quarum defluentiam Paulus insinuat, dum ad eas dicit parabolam temporis instantis: *Juxta quam munera et hostias offerebant, quæ non valebant, juxta conscientiam, perfectum facere servientem, solummodo in cibis, et potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis* (*Hebr.* IX). Et alibi: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex* (*Hebr.* VII). Umbram enim habebat lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Intelligimus itaque in Abraham arboris nostræ radicem: in Isaac et Jacob stipitem; in duodecim patriarchis ramos; in filiis eorum, multiplices ramusculos; in carnalibus observantiis, folia; in justis antiquis, præcipue prophetis, flores; in pravitatibus ejusdem populi, spinales stimulos. Inter quos videlicet flores beata virgo Maria cæteris gloriosius rutilat, quæ non solum antiquos, verum et universos justos sua pulchritudine superat.

Sed quia diximus quomodo gens Judaica spinæ comparetur, dicamus quomodo beata Maria per rosam, id est ipsum florem significetur. In rosa quatuor discerni posse videntur, scilicet natura, forma, color et odor. Natura est rosa frigida, forma lata, colore alba aut rubra, odore grata. Per naturam ergo significat vitiorum extinctionem, per formam charitatem, per colorem puritatem et passionem, vel certe compassionem. Per odorem bonam opinionem. Quæ cuncta, excepta corporali passione, beatæ Mariæ, cujus hodie nativitatem celebramus, rectissime congruunt. Nam, ut cætera, quæ satis nota sunt, taceam, virtutem compassionis beata Maria habuit, quia *ejus animam*, sicut scriptum est, *doloris gladius pertransivit* (*Luc.* II). Igitur, sicut supra dictum est, Judæa est spina, Maria rosa. Et

sicut spina rosam, sic Judæa Mariam genuit, dum illa crudelis hanc misericordiam edidit. Quid enim crudelius gente Judaica? de qua scriptum est quod *lamiæ nudaverunt mammam. Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto?* (*Thren.* IV.) Et item: *Major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus.* Quid autem misericordius beata Maria, quæ a cunctis fidelibus misericordiæ mater appellatur, et a cunctis vera fide eam invocantibus misericordiæ esse mater comprobatur? Sed quia Judææ nequitiam, et beatæ Mariæ bonitatem semper laudandam describere non sufficimus, ad nosmetipsos stylum vertamus et qualiter ab illa declinare, et istam debeamus imitari diligenter videamus. Non ergo imitemur impiam Judæam, ut simus spinæ; spinæ inquam illæ, de quibus ait David: *Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi, quæ non tolluntur manibus: et si quis eas tangere voluerit, armabitur ferro et ligno lanceato igneque succensæ comburentur usque ad nihilum* (*II Reg.* XXIII). Crudeles sunt istæ spinæ, crudeles sunt, ac detestabiles. Quæ non tolluntur manibus, quia non possunt evelli de sua crudelitate virtute humana, sed sola potentia divina. Et si quis eas voluerit tangere, armabitur ferro et ligno lanceato, quia quorumdam ferina crudelitas nullo modo reprimitur, nisi durissimo et severissimo rigore justitiæ feriatur. Igne denique succensæ usque ad nihilum comburuntur, quia flammis gehennalibus condemnati, quantum ad hoc, quod in mundo fuerint, ad nihilum rediguntur. Non simus, fratres, tales spinæ, vel talibus similes, qui spinarum acerbus est fructus, punctio cruenta, et spinæ raro rei cuilibet adaptantur, nisi tantum igni et combustioni. Et quid amarius peccato, et quid gravius æternis incendiis, quibus peccatores concremantur? Imitemur beatam virginem Mariam, maxime secundum hoc quod de rosa superius diximus, ut vitiositatis nostræ flammas secundum ejus naturam frigidam extinguamus, corda nostra secundum formam ejus in dilectione Dei et proximi latius expandamus. Simus rubicundi, et si non pro Christo sanguinem effundendo, saltem infirmis ejus membris compatiendo, et odoriferi, bonam opinionem ubique dispergendo Judaicam vitemus nequitiam, a malo declinando, beatæ Mariæ virginis imitemur sanctimoniam bene faciendo, ut ejus meritis et precibus evadere damnationem, et consequi mereamur beatitudinem. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXVI.

De Deo laudando, in festo cujuslibet sancti.

Multis ex locis sacræ Scripturæ didicimus Deum in sanctis suis esse mirabilem, atque laudabilem, et tanto laudabiliorem, quanto mirabiliorem. Diversos autem modos laudationis divinæ sanctus Psalmographus in ultimo libri sui psalmo nobis proponit ubi dicit: *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio et cithara, in tympano et choro, in chordis et organo. In cymbalis bene sonantibus, in cymbalis jubilationis* (*Psal.* CL). Et ut hæc omnia non de corporalibus, sed de spiritualibus instrumentis intelligenda esse prædoceret, statim adjunxit: *Omnis spiritus laudet Dominum.* Omnis spiritus, angelicus scilicet et humanus. Videamus ergo quid hæc omnia spiritualiter significent. Tuba terribilem sonum habet, et per hoc prædicationem illam figurat, quæ vel de brevitate vitæ præsentis, sive de diuturnitate futuræ damnationis fortiter nos terret: de brevitate præsentis vitæ, ut ibi: *Jam securis ad radicem est posita arboris* (*Matth.* III); de diuturnitate futuræ damnationis ut ibi: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur* (*Isa.* LXVI). Et quia de differentia tubarum, id est modo prædicationum superius in quodam sermone sufficienter diximus, nunc eadem repetere non curamus. *Laudate eum in psalterio et cithara.* Psalterium divina contemplatio, cithara bona actio, quia psalterium a summo, cithara sonat ab imo. Quod psalterium videlicet bene decachordum in sacra pagina vocatur, quia in contemplatione divina tota legis series vere et perfecte consummatur. Sane cithara spiritualis ista sex habet chordas, id est sex opera misericordiæ, quæ sunt, dare cibum esurienti, potum sitienti, etc. Ad hanc citharam sonandam, et per eam laudem Deo decantandam ipse Christus nos hortatur, ubi dicit: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI). Et antiquos de contemptu culpans per prophetam dixit: *Reficite lassum et hoc est refrigerium meum, et noluistis audire* (*Isa.* XXVIII). *Laudate eum in tympano et choro.* Tympanum sit ex corio siccato super ligneum circum extenso, quo juvenculæ tympanistriæ ludere solent, quæ meliora instrumenta non habent. Significat autem congrue tympanum abstinentiam, per quam caro siccatur, attenuatur et extenditur. Et hoc tympanum Paulus exprimere videtur, ubi dicit: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* V).

Sed quia nil valet abstinentia, quam non comitatur concordia, recte postquam dixit: *Laudate eum in tympano,* addidit, *et choro.* Est enim chorus concorditer temperata collectio vocum, et propterea per chorum designatur concordia morum. Qui autem laudare Dominum in tympano abstinentiæ, non etiam in choro concordiæ ennantur, jure jejunia eorum reprobantur, sicut per prophetam dicitur: *Ecce ad lites et contentiones jejunatis et percutitis pugno impie. Nolite jejunare sicut usque ad diem hanc, ut audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam* (*Isa.* LVIII). Et post pauca: *Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi. Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes* (*ibid.*). Qui ergo Domino placere vult ipsum laudando in tympano abstinentiæ, studeat etiam placere illi eum laudando in choro concordiæ. *Laudate eum in chordis*

et organo. Chordæ designant virtutes. Chordæ, ut sonum reddant, extenduntur; virtutes, ut fructum conferant, exercentur. Chordarum igitur extensio virtutum est exercitatio, sonus chordarum utilitas virtutum. In chordis Deum laudant quicunque recte vivendo sanctis virtutibus eum honorant, et illorum chordæ concorditer sonant, quorum virtutes ad proferendam laudabilem justitiam uniformiter concordant. Illæ quoque virtutes clare sonum reddunt, quæ ab omni humiditate siccatæ sunt, quia virtutes illæ suaviter Deo sonant, quæ vitiorum fluxu non humectant. Chordæ denique minime sonant, nisi tangantur, quia virtutes nequaquam clarescunt, nisi prius adversantibus exerceantur. Sonus chordarum roboratur, et formatur ex propinqua sibi ligni concavitate; virtutum vero bonitas commendatur ex interna et latente operantis intentione. Organum est quasi turris fistulis diversis fabricata; quod flatu follium sonat. Quid itaque per folles, nisi perfectiores doctores spiritali doctrina repletos, quid etiam per organum rectius, quam audientium discipulorum cœtum intelligimus. Per folles organum impletur, ut per suas fistulas sonum reddat, et per doctores Spiritu sancto plenos discipulorum cuneus doctrina spiritali adimpletur, ut per suos sensus, et membra, vel certe virtutes, et opera laudem Deo dicat. In organo igitur a nobis Deus laudatur, dum in nostris auditoribus, et ex nostra spiritali doctrina per eorum bonam conversationem glorificatur. Et sic implemus quod scriptum est : *In doctrinis glorificate Dominum* (*Isa.* xxiv). Quod videlicet organum formam habet turris, quia discipulorum turba semper debet esse fortis, et sublimis ad resistendum inimicis. In chordis ergo Dominum laudamus, dum in nobismetipsis virtutes exercemus; in organo dum alios hoc vel illo modo ad laudem Dei promovemus. *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis.* Cymbala invicem se tangunt, et sic sonum reddunt; et significant vicarium honorem quo se invicem justi præveniunt ad alternam exhortationem qua se invicem admonent, ut semper melius operentur, et semper devotius Deum laudent. Et de his cymbalis, et de compercussione, sive consonantia eorum beatus Paulus sic dicit : *Charitatem fraternitatis invicem diligentes : honore invicem prævenientes* (*Rom.* xii). Et item : *Certus sum, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere* (*Rom.* xv). Et hæc sunt cymbala bene sonantia, sancta videlicet sanctorum ad meliorem provectionem alterna monita. Cymbala vero jubilationis recte labia nostra sunt, quæ dum se invicem in laudando Deum percutiunt, jubilationis ejus jucunda suaviter promunt. Est autem jubilus ineffabile gaudium, quod nec taceri potest, nec exprimi valet, quod Ecclesia in præcipuis festivitatibus repræsentat circa eamdem syllabam varias formando melodias, ut in Natali Domini cantatur tanquam sponsus quasi non valens mentis exprimere hilaritatem. Nunc igitur, charissimi nobis, laudemus Dominum *in sono tubæ*, ut dictum est, per prædicationem, *in psalterio* per contemplationem, *in cithara* per bonam operationem. Laudemus eum *in tympano* per abstinentiam, *in choro* per concordiam. Laudemus eum *in chordis*, virtutes in nobismetipsis exercendo, *in organo*, alios spiritali doctrina ad divinam laudem præmonendo et provocando. Laudemus eum in *cymbalis bene sonantibus*, invicem nos ad meliora commonendo. *In cymbalis jubilationis*, ejus semper laudem nostris labiis concinendo. Laudemus, inquam, Dominum, quia speciale nobis est canticum singularis lætitia, laus divina. Laudemus Dominum, quia si eum laudamus, sicut debemus, erimus populus ejus, de quo dicit : *Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit* (*Isa.* xliii). Laudemus Dominum, quia sacrificium laudis honorificat eum; et illic iter, quo ostendet nobis salutare suum (*Psal.* xlix). Laudemus Dominum, quem teste Scriptura cuncta sua laudant opera, non tantum sensata, sed et insensata et insensibilia. Et quoniam non omnia possumus omnes, et unusquisque suum donum habet a Deo, unusquisque nostrum in quo se velut specialem agnoscit habere gratiam, in eo excellenter operando laudem decantet divinam. Laudemus ergo Dominum universi, laudemus eum singuli. Laudemus eum moribus, laudemus eum super terram cum hominibus justis in tempore, laudemus cum vocibus, ut meritis et precibus sanctorum, quorum hodie solemnia celebramus, super cœlum eum laudare mereamur cum angelis in æternitate. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXVII.

De quatuor regum adversus quinque reges pugnantium allegoria.

Factum est ut Amraphel rex Sennaar, et Arioch rex Ponti, et Chodorlahomor rex Elamitarum, et Thadal rex Gentium, inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, et contra Bersa regem Comorrhæ, et contra Semeber regem Seboim; et contra Sennaab regem Adamæ, contraque regem Balæ, ipsa est Segor (*Gen.* xiv). Quatuor superius dicti reges sunt universi dæmones, qui idcirco quatuor esse dici possunt, quia a quatuor ventis nobis incurrunt, vel quia quatuor principales virtutes in nobis debellare contendunt. Ex quibus Chodorlahomor, qui inter alios quasi caput et princeps exstitit, et cujus belli causa principaliter fuit, diabolum singulariter exprimit, qui inter alios malignos spiritus impugnandis vel expugnandis credentibus principatum gerit. Chodorlahomor quasi generatio manipuli, vel quasi decorum manipulum interpretatur, quia diabolus malorum collationem quasi generat, dum eos in malo suis pravis suggestionibus procreat; et velut decorum manipulum manu vehit, dum illos fallaci mundi hujus pulchritudine decoratos ad tormenta portat. Ipse est rex Elamitarum. Elam interpretatur *sæculum* vel *orbis*, et significat universitatem hominum

sæculum amantium, et per circuitum suæ pravitatis ambulantium, sicut scriptum est: *In circuitu impii ambulant* (*Psal.* XI). Elamitæ quoque interpretantur *oppositi* vel *despecti*. Et diabolus est rex Elamitarum, id est omnium fidelibus adversantium, et ab ipsis merito despectorum. Cuncti denique reprobati spiritus reges sunt, quia secundum Apostolum, tenebrarum harum rectores existunt (*Ephes.* VI). Pentapolis regio, suis quinque civitatibus disposita, humanæ carnis sensualitas est, suis quinque proprietatibus discreta. Quinque vero sensus corporis, hujus regionis reges sunt, dum extrinseca negotia, secundum quinquifidam discretionem naturaliter et proprie sibi delegata et designata, regaliter disponunt. Quatuor autem prædicti reges quinque subjunctos reges vincunt, dum maligni spiritus sensus corporis pravis delectationibus corrumpunt. Et Pentapolis duodecim annis in suis quinque regibus Chodorlahomor servit, dum carnaliter viventium hominum universitas servitium, quod Deo secundum apostolicam doctrinam exhibere debuisset, in quinque sensibus corporis corruptis diabolo impendit, a quo anno tertio decimo recedit, dum secundum rectam sanctæ Trinitatis fidem, legis Decalogum decernit. Sed cum carnalium collectio per timorem Dei compuncta suis abrenuntiare pravitatibus disponit, tunc diabolus adversus eam acrius sævit. Unde et in hac historia scriptum est quod quinque regibus pentapoleos a Chodorlahomor recedentibus ipse congregatis regibus complicibus suis adversus eos bellum movit. Sed nequaquam in loco congruo ad commodum quinque regum bellum hoc gestum est. Nam scriptum est, quod *direxerunt aciem contra quatuor reges in valle silvestri. Vallis autem silvestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum, et rex Gomorrhæ terga verterunt, cecideruntque ibi; et qui remanserant, fugerunt ad montem. Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum et Gomorrhæ, et universa, quæ ad cibum pertinent, et abierunt: nec non et Lot, et substantiam ejus, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis: Et unus, qui evaserat nuntiavit Abram.*

Sic, sic, charissimi, multoties fieri cernimus quod sunt quidam dum Deo servire deliberant, nec tamen suis pravitatibus perfecte renuntiant, contingit non ut ipsi hostes vincant, sed ut ab hostibus cæsi cadant, et suam substantiam, id est virtutes et bona opera jam inchoata perdant. Quid enim per vallem silvestrem, nisi terrena et infructuosa actio? Quid per puteos bituminis, nisi profunditas amaræ tenacitatis, vel certe vorago viscosæ et perversæ consuetudinis figuratur? Si ergo contra hostes nostros spiritales dimicare disponimus, non in vallem vitiorum, descendamus, sed in montem virtutum ascendamus, ut vincamus, vel saltem effugiamus. *Tulerunt Lot filium fratris Abram.* Abram, qui interpretatur *pater excelsus*, intellectum significat, qui cæteris animæ sensibus videtur eminere et præsidere. Cujus frater Aran, qui interpretatur *excelsus*, affectum designat, qui homini datus est, non ut infimis incumbat, sed ut summis semper per ipsum inhæreat. Si ergo Abram secundum mysticam significationem est intellectus rationalis, Aran frater ejus affectus cordis, possumus non inconvenienter per Lot intelligere effectum boni operis. Ex affectu namque cordis nascitur effectus boni operis. Nec mirum quod, Aran mortuo et Abram absente, Lot capitur et abducitur. Dum enim cordis affectus per culpam moritur, et intellectus diligens custodia per negligentiam absentatur, statim effectus boni operis a rectitudine bonæ intentionis alienatur, suisque bonis funditus privatur. Cujus bona sex opera misericordiæ dici possunt. Nuntius autem, qui hæc nuntiat Abram, vermis est conscientiæ malæ, qui, cæteris omnibus abductis, solus solet remanere. Quibus cognitis pater excelsus adjunctis trecentis decem et octo vernaculis, id est aliis animæ potentiis hostes insequitur, et cædit, prædamque virtutum et honorum operum in trecentis decem et octo vernaculis superando reducit. Trecenta secundum doctorum assertionem thau littera, quæ formam crucis habet, significat. In sacramento igitur crucis, et in denario legis, et octonario, id est spe futuræ beatitudinis noster Abram dimicat, hostes superat, cives liberat, prædam reportat. Cui de cæde regum revertenti Melchisedech sacerdos Dei Altissimi et rex Salem, id est Christus, qui nostræ victoriæ semper congaudet et congratulatur, occurrit, et profert panem et vinum, sacramentum corporis et sanguinis sui illi participando, et benedicit ei in donis spiritalibus illum multiplicando: et Abram dat illi decimas omnium quæ acquisivit, perfectionem virtutum et bonorum operum non suæ virtuti superbe attribuendo, sed illi humiliter ascribendo, ac dicendo: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII). Et nunc, dilectissimi, turpe sit nobis cum Lot in Sodomis, id est in carnali delectatione, et circa Jordanem, id est descensum sæcularium negotiorum commorari. Timeamus ejus exemplo deprædari et captivari. Ad tutiora semper loca, hoc est ad secretiora virtutum cacumina conscendamus, ut de his periculis magis securi cœlestia bona facilius promereri valeamus. Quod nobis præstare dignetur Jesus, etc.

SERMO LXVIII.

De octo terris diversarum rerum plenis moraliter.

Misericordia Domini plena est terra (*Psal.* XXXII). Plures diversasque terras hic ad evidentiam propositi sermonis describere decrevimus, ut ex earum descriptione plures nobis sensuum spiritalium intellectus aperiamus. Est itaque terra, quæ plena est furore Domini, et est terra, quæ plena est correptione Domini. Terra, quæ plena est furore Domini, est infernus; terra, quæ plena est correptione Domini, est ignis purgatorius. Infernus enim congrue dici potest plenus furore Domini, quia in eo ad plenum furorem ejus sentiunt, qui se hic vel a peccatis damnabilibus penitus tenere, aut post lapsum emendare contempserunt. Hujus terræ, quæ est omnium

terrarum infima, et in hac parte ultima, Dominus ad Ezechielem mentionem facit, ubi de quorumdam principum gentilium, et gentium eorum damnatione locutus est dicens : *Fili hominis, cane carmen lugubre super multitudinem Ægypti, et detrahe eam ipsam, et filias gentium robustarum ad terram ultimam cum his qui descendunt in lacum* (*Ezech.* XXXII). Et deinceps : *Ibi Assur et omnis multitudo ejus ; in circuitu illius sepulcra ejus ; omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio, quorum data sunt sepulcra in novissimis laci. Et facta est multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus. Ibi Elam, et omnis multitudo ejus per gyrum sepulcri illius. Omnes hi interfecti gladio, qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam; qui posuerunt fortitudinem suam in terra viventium et portaverunt ignominiam suam cum his qui descenderunt in lacum* (*Ibid.*), et cætera similiter dicta de quibusdam aliis regibus et gentibus. Hæc itaque terra vere plena est furore Domini, in qua mors est sine morte, finis sine fine, defectio sine defectione. Ibi vermis semper edens, ibi tortor semper cædens :

Hic locus indignis, quo non exstinguitur ignis.
Nec qui torquetur, nec qui torquet morietur.

Et non negligenter attendendum quod principes damnati in medio suorum secumque damnatorum esse referuntur, quis justum est ut qui hic in medio fuerunt velut columns et firmamentum in peccato, ibi in medio sint in tormento. Quorum omnium singula sepulcra singularia singulorum sunt tormenta.

Terra vero plena correptione vel correctione Domini, apte dici valet ignis purgatorius. Hæc autem differentia inter correptionem et correctionem esse videtur, quod correptio est, quando quis arguitur, etsi non emendetur; correctio vero, quando etiam emendatur. Ignis itaque purgatorius recte terra plena correptione et correctione Domini dicitur, quis in eo plenarium correptionem Domini sentiunt, et correctionem accipiunt, qui in hoc mundo a perfectis peccatis recedentes, plenaria satisfactione se purgare neglexerunt, vel certe morte præventi non potuerunt. Cujus videlicet ignis cruciatio omnes præsentis satisfactionis dolores transcendere credenda est. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (*II Cor.* IV). Illic autem pro negligentia, vel longo contemptu gravioris flammæ cruciatus sicut ex plerisque sanctorum revelationibus, et locis Scripturarum comprobatur, debetur et adhibetur. Est etiam terra, quæ plena est voluptate Domini, et est terra, quæ plena est sustentatione Domini. Terra, quæ plena est voluptate Domini, est paradisus; terra vero, quæ plena est sustentatione Domini, est hic mundus. Paradisus est terra, quæ est plena voluptate Domini, non ea voluptate, quæ ipse est, vel quæ in ipso substantialiter et æternaliter est, sed ea quæ ab ipso, vel per ipsum temporalis et mutabilis creata est. Plenus est paradisus voluptate, quia in ipso ab initio facta creduntur, quæ plenarie humanis usibus essent necessaria, utilia, commoda, grata, sive jucunda. Ibi perpetuum aeris temperamentum humanæ naturæ gratissimum, lignumque vitæ ad conservandam vitam humanam incorruptibilem et immortalem sua virtute potentissimum. Ibi, si homo in justitia perstitisset, semper mulceret, et delectaret visum diversorum varietas colorum, auditum cantus avium, olfactum redolentis florum, gustum sapor fructuum, tactum suavitas quarumlibet rerum. Terra quoque plena sustentatione Domini non incongrue dicitur hic mundus. In hoc enim mundo accedentium vel recedentium planetarum operatione, et pluviæ temporaneæ et serotinæ cooperante virtute, rebus generantibus et germinantibus, plenarie providet, et administrat Deus, nisi peccatis aliquando præpediatur, cuncta quæ sunt necessaria sustentationi vitæ humanæ. Et si nonnumquam ab iis, qui secundum carnem ambulant in deliciis sive divitiis mundi hujus, voluptas quæratur vel haberi credatur, nunquam tamen ab iis, qui sanum habent intellectum vera voluptas esse credenda est in iis, quæ secundum dominicam sententiam spinis comparantur.

Est quoque terra, quæ plena est ira Domini, et est terra, quam scilicet in principio sermonis posuimus, quæ plena est misericordia Domini. Terra igitur, quæ plena est ira Domini, universitas peccantium; terra autem, quæ plena est misericordia Domini, convenienter accipitur universitas pœnitentium. Terra, quæ plena est ira Domini est universitas peccantium, quia revera plenarie Dominus iratus esse creditur in eos, quos secundum desideria cordis eorum iræ permittit in adinventionibus suis. Nunquid enim illis non erat iratus, *quos*, ut ait Apostolus, et superius in quodam sermone posuimus, *tradidit in reprobum sensum, ut facerent, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione* (*Rom.* I), et cæteris horrendis detestabilisque vitiis et peccatis, quæ ibidem consequenter describuntur? In æruminas hujus terræ miserabilis populum antiquum collapsurum significavit, ubi per Moysen comminando dixit : *Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum* (*Deut.* XXXII). Super hujus terræ inhabitatione Isaias lacrymabilem querimoniam protulit ad Dominum dicens : *Ecce tu iratus es, et peccavimus* (*Isai.* LXIV). Ab hac denique terra Psalmographus nos coercet, ubi dicit : *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (*Psal.* II). Terra vero, quæ plena est misericordia Domini, manifeste universitas est vere pœnitentium, cum ipse Dominus per Ezechielem prophetam dicit : *Quod si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit universa præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. In justitia sua, quam operatus es, vivet* (*Ezech.* XVIII). Hæc est terra, in qua solemniter et singulariter quotidie, imo continue cantatur laus

illa lætabunda Psalmistæ, qui dicit: *Miserator, et misericors Dominus, longanimis et multum misericors. Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis* (*Psal.* CII), et cætera, quæ sequuntur.

Est denique terra, quæ plena est gratia Domini, et est terra, quæ plena est gloria Domini. Terra, quæ plena est gratia Domini, sancta est Ecclesia. Unde Paulus, Corinthiorum Ecclesiæ scribens, ait: *In omnibus divites facti estis in Christo, in omni verbo, et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia* (*I Cor.* I). Et item in eadem Epistola de multiplicitate multiformis gratiæ Dei, quæ est in Ecclesia, dicit: *Alii per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII). Sanctæ igitur Ecclesiæ gratia cœlestis infunditur, quæ dum singulis membris sufficienter dividitur, in toto corpore plenaria et perfecta demonstratur. Sane terra, quæ plena est gloria Domini, cœlestis patria est. Licet enim pleni sunt cœli et terra gloria ejus, illa tamen patria singulariter plena gloria ejus non incongrue dicitur, in qua ejus gloria non per speculum, et in ænigmate, vel ex parte, sed manifeste atque plenarie videtur. Cujus terræ gloriam, nec manu scribere, nec lingua promere, nec sensu sufficimus cogitare, quia ipse Deus, qui ipsa gloria est, incomprehensibilis cogitatu est. Non enim potest cogitari Deus quid est, etiam si credi potest quia est, non qualis est comprehendi. Unde Apostolus: *Quod oculus*, inquit, *non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II). Et Psalmista: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* (*Psal.* XXX.)

Ergo quemadmodum supra monstratum est, furore Domini plenus est infernus, correptione ignis purgatorius, voluptate paradisus, sustentatione mundus, ira universitas peccantium, misericordia universitas pœnitentium, gratia sancta Ecclesia, gloria patria superna. Et quidem superna patria finis est omnium in summo, infernus finis omnium in infimo. Ad finem, qui est in summo, via est justitia. Ad finem, qui est in infimo, via est culpa. Ad finem, qui est in summo, tendunt et perveniunt electi. Ad finem, qui est in infimo, tendunt et perveniunt reprobi. Et sapientia divina, quæ est creatrix et gubernatrix omnium, *attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII). Attingit a fine, qui est in summo, usque ad finem, qui est in infimo. A fine beatitudinis ad finem damnationis. Hic bonis præmia vitæ reddens, illic malis stipendia mortis rependens. *Attingit a fine usque ad finem fortiter*, quia infra metas utriusque retributionis nihil deficit, *et disponit omnia suaviter*, quia modum æquitatis in aliquo non excedit. Hæc, fratres, sub brevitate perstrinximus, vobisque majora scrutanda reservamus. Et nunc, charissimi, ad nosmetipsos quam primum redeamus, singuli propriam conscientiam intento discutiamus, et ubi simus, quo tendamus diligenter attendamus. Donec autem nobis Dominus, ut in terra, quæ plena est misericordia Domini, dum vivimus, commaneamus, ut per terram, quæ plena est gratia Domini, tendentes ad terram quæ plena est gloria Domini, perveniamos. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXIX.

In Ascensione Domini, de laudando Deo per omnem creaturam.

Laudate Dominum de terra, dracones, et omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus, etc. (*Psal.* CXLVIII). Superius, fratres, in psalmo, cujus hæc sunt verba, cœlestia quædam, angelos scilicet, solem, lunam, stellas ad laudem Creatoris sanctus Psalmographus invitavit, nunc ad hæc, quæ proposuimus et cætera quæ sequuntur, invitanda ad ipsius laudem descendit. *Laudate*, inquit, *Dominum de terra, dracones, et omnes abyssi*. Non solum autem quæ hoc in loco scripta sunt, verum et universa corporalia, quæ subsistunt, dum ad decorem universitatis habent et tenent locum suum, laudant Deum. Sed et in hoc universa visibilia semper et sublimiter Deum laudant, quod mirabiliter a Deo condita et decenter disposita ex contemplatione sui ad admirandum, laudandumque Deum jugiter nos incitant, et invitant. Sed quia non tam quid littera foris sonat, quam quid dulcedinis intelligentia spiritualis intus contineat, disserere debemus, ad discutiendos sensus tropologicos ingrediamur, et quid in his, quæ secundum litteram hic describuntur, moralis ædificationis lateat videamus. *Laudate Dominum de terra, dracones, et omnes abyssi*. Draconibus, ut beatus Augustinus dicit, non sunt majora animantia super terram. Qui quamvis perniciosa valde animantia sint, habent tamen aliquid, unde in bona significatione poni possint. Nam quia nihil eorum quæ sunt est universaliter boni participatione privatum, quia teste Scriptura, *vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I), possunt etiam quælibet infima et minima, et quæ respectu aliorum videntur deformia, boni aliquid figurare. Dracones itaque eo quod magnitudine corporum animantia cætera superant, illos qui magno justitiæ merito, vel boni nominis opinione et auctoritate cæteros transcendunt, significant. Sic admiramur et imitamur Abraham inter patriarchas, Isaiam inter prophetas, Joannem inter evangelistas, Petrum inter apostolos, Stephanum inter martyres, Nicolaum inter confessores, beatam Mariam inter virgines. Abyssi magnæ profunditatis sunt et humano visu penetrari non possunt. Illos ergo recte designant, qui occulta et mystica cœlestis sapientiæ et

scientiæ profunditate præ cæteris abundant. De qua profunditate Paulus admirans, et exclamans, dicit : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Rom.* XI.) Et Psalmista : *Judicia tua abyssus multa* (*Psal.* XXXV). Et Salomon : *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei sunt : et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit* (*Eccle.* IX). Illos igitur congrue possunt abyssi exprimere, quibus præ cæteris datum est vel in sacramentis occulta cognoscere, vel in divinis judiciis secreta profundios investigare. Ignis etiam illos specialiter insinuat, quorum mens per charitatem accensa ferventius flagrat. Charitas enim ignis est perpetuus, qui B nunquam debet deficere in altari Domini (*Levit.* VI), id est in secreto cordis humani. Hic est ignis de quo ipse Dominus dicit : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur* (*Luc.* XII). Grando eademlo verberat et per hoc illos aperte figurat, quorum sermo severus est et dissolutos ac inquietos aspero castigat. Sunt vero nonnulli, qui innocenter se vivere credunt, dum delinquentes non reprehendunt. Quos beatus Augustinus redarguens dicit : Magis innocentes non estis, si fratres vestros, quos judicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Et beatus Gregorius in libro Pastorali : Qui ioquit, proximorum mala conspiciunt, et tamen in silentio linguam premunt, quasi conspectis vulneribus usum medicaminis subtrahunt, C et eo mortis auctores fiunt, quo virus quod poterant, curare noluerunt.

Audiant hoc illi, qui propter timorem, aut amorem, aut muneris acceptionem, aliorum letalia peccata detegere fugiunt, quod nisi ea correctionis et salutis causa prodiderint, similes peccantibus fiant, et uno peccante, et cæteris tacentibus et non corripientibus, omnibus periculum immineat. Qui enim malum videt et tacet, non solum in illud Psalmistæ labitur dicentis : *Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas* (*Psal.* XLIX); verum etiam cum Isaia necesse est clamet, et dicat : *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum* (*Isa.* VI). Quisquis ergo mala videt et tacet, D vir pollutus labiis existit, et peccantis faciens in semetipsum retorquet. Nix albescit, et per hoc illorum, qui per munditiam candent, typum recte gerit. Aqua vi frigoris constringitur, et in glaciem redigitur. Glacies ergo vere sunt, qui fluxa mentis et carnis suæ rigore disciplinæ constringunt. Spiritus procellarum, id est ventus, qui procellas nunc erigit nunc deprimit, Spiritum sanctum significat, qui humanæ mentis cogitationes nunc elevat, nunc humiliat. Spiritus itaque non incongruo dici possunt, qui Deo qui spiritus est per amorem adhærescunt. *Qui enim adhæret Deo, unus spiritus est* (*I Cor.* VI). Qui autem per hæc, quæ dicta sunt, malos accipere voluerit, poterit intelligere per dracones malitiosos, per abyssos subdolos, per ignem cupidos, per grandinem persecutores, per nivem hypocritas, per glaciem obduratos, per spiritum turbantes ac turbidos. Quos omnes ad laudem Dei Psalmista vocat, dum in his verbis, ut ad bonum de malo convertantur, eos subtiliter invitat. Sed melius videtur ut bonos significare dracones cætera dicantur (*sic*) propter id quod additur : *Quæ faciunt verbum ejus.* Boni etenim absque dubio verbum Dei faciunt, quia præceptis Dominicis obediunt. Sequitur :

Montes, et omnes colles, ligna fructifera, et omnes cedri, bestiæ, et universa pecora, serpentes, et volucres pennatæ. Montes exprimunt provectos et perfectos, colles incipientes et imperfectos. Non solum itaque montes Deum laudant, sed et colles inter eos computantur, qui laudem Dei cantant. Non ergo diffidant colles, id est illi qui bonum inceperunt, etsi nondum perfecerunt. Scriptum quippe est : *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur* (*Psal.* CXXXVIII). Si omnes, ergo et parvi et magni. Quid est *oculi tui viderunt?* Approbaverunt. Quid est *in libro scribentur?* Salvabuntur. Ergo imperfecti quoque salvabuntur. Qui enim imperfecti sunt, aliquid sunt, et aliqui sunt, et in numero ponuntur, et scribuntur. Qui autem nihil sunt, nulli sunt, nec scribi nec numerari possunt, qui nihil habent. Ergo *omni habenti dabitur et abundabit* (*Matth.* XXV). Omni habenti meritum dabitur præmium. Non dixit habenti magnum meritum præmium dabitur, et parvum præmium habenti non dabitur, sed *omni habenti dabitur, et abundabit.* Ergo etiam ille, qui parvum meritum habet, cum præmium acceperit, satis habebit : quamvis non tantum habebit quantum ille qui magnum meritum habebit. Solus ille excluditur a percipiendo præmio qui nihil habet de merito. Omnes ergo qui in Domino moriuntur, beati sunt (*Apoc.* XIV), quia post meritum virtutis ad præmium beatitudinis perveniunt. In Domino moriuntur, qui in carne quidem morientes in Domino viventes inveniuntur. Quomodo viventes? In fide, et spe, et charitate existentes. *Ligna fructifera* sunt, qui cæteris fructum doctrinæ vitalis conferunt. Cedri vero sunt qui contemptis terrenis, ad cœlestia sperando se sublimiter erigunt. Per bestias autem omnia silvestria et indomita animalia, quæ per solitaria loca vagantur, et humanum aspectum fugiunt, accipimus. Per pecora vero domestica et mansueta intelligimus. Bestiæ igitur illos recte significant qui vitam solitariam agunt; pecora illos qui socialiter cum aliis vivunt, serpentes per terram repunt, et prudentes sunt. Volucres ad alta volant et cœlestibus appropinquant. Per serpentes itaque convenienter exprimi possunt cuncti qui ea quæ ad activam vitam pertinent administrant; per volucres cuncti qui ad cœlestia contemplanda pennis virtutum se sublevant. Sequitur :

Reges terræ, et omnes populi principes, et omnes ju-

dices terræ. Juvenes, et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius. Per reges intelligimus omnes qui aliis recte præsunt. Per populus intelligimus omnes qui suis prælatis humiliter obediunt. Principes dici videntur, quasi primi incipientes. Principes ergo illos recte significant, qui exemplo boni operis alios præcedentes ad justitiam eos informant. Unde et de ipso Domino scriptum est: *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Et beatus Petrus prælatis ait: *Non ut dominantes in clericis, sed forma facti gregi* (*I Petr.* V). Judices vero sunt, qui verum a falso, bonum a malo veraciter discernunt. In juvenibus autem viget fortitudo. Juvenes ergo illos apte designant qui in bello fortes sunt et malignum vincunt. Et tales beatus Joannes per Epistolam suam alloquens dicit: *Scribo vobis, juvenes, quia fortes estis et verbum Dei in vobis manet, et vicistis malignum* (*I Joan.* II). Per virgines intelligimus omnes qui virginalem corporis integritatem habent, vel certe illos, qui integritatem fidei ac mentis possident, qui adhærent sponso Christo, nec consentiunt corruptori diabolo. Per senes denique accipere possumus omnes gravitate maturos. Per juniores omnes velocitate boni operis expeditos. Omnes igitur isti, qui supra dicti sunt, laudem Dei concinunt, dum juste vivunt. Felix autem, qui vel unum aliquod ex his, quæ dicta sunt, habere se veraciter cognoscit, et miser ac miserabilis, qui se bonis omnibus, quæ supra designata sunt vacuum cernit. Et nunc, fratres, ad nosmetipsos respiciamus, et an in numero istorum omnium quos supra descripsimus, per aliquam gratiam simus, attendamos. Videamus, an dracones sumus aliquos saltem magnitudine cujuslibet virtutis vel opinionis transcendendo: an abyssi, occultam sapientiæ et scientiæ divinæ profunditatem, prout nostra fragilitas pati potest, continendo. Sed hæc magna valde sunt, et nostram parvitatem forsitan penitus excedunt, nec omnibus sunt communia, quæ paucis sunt singularia. Si igitur ista, dracones scilicet et abyssi, excellenter esse non possumus, saltem simus ignis spiritu fervendo, grando inquietos corripiendo, nix per munditiam candendo glacies quæ in nobis male sunt fluida coercendo, spiritus spiritui Deo per amorem adhærendo. Simus montes per perfectionem, vel certe colles per boni inchoationem, ligna fructifera fructum cæteris doctrinæ conferendo, cedri ad cœlestia speranda sublimiter nos erigendo. Et si bestiæ esse non possumus vitam solitariam agendo, simus pecora mansuete cum cæteris vivendo; serpentes activæ vitæ negotia prudenter tractando, volucres ad cœlestia contemplanda evolando. Simus etsi non de numero regum cæteris præsidendo, saltem de numero populi nostri prælatis humiliter obediendo. Principes simus, aliis exemplum justitiæ præbendo. Judices simus, quæ recta sunt discernendo. Juvenes simus, malignum vincendo, virgines integritatem, et si non corporis, saltem fidei et mentis possidendo. Simus denique senes gravitate maturitatis, juniores velocitate boni operis. Unusquisque laudet Dominum secundum donum sibi specialiter collatum. Non enim omnia possumus omnes. Et quis hæc singulis anni mensibus canimus, dum ea ore promimus, attendamus si ea corde teneamus. Nostrum est enim specialiter ministerium laudare Dominum. Cujus laus tunc acceptabiliter canitur, dum quod ore profertur, in corde versatur.

Quia exaltatum est nomen ejus solius. Sicut ipse solus est, quia vere est et immutabiliter est, ita vere nomen ejus solius exaltatum est. Et licet creatura suum habeat esse et altum esse, nullam tamen habet ejus existentia comparationem ad Creatoris essentiam, ejus altitudo ad illius excellentiam. Quia *omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihil et inane reputatæ sunt ei* (*Isai* XL); *et anni mille ante oculos ejus tanquam dies hesterna, quæ præteriit* (*Psal.* LXXXIX). Hinc est quod sancti omnes, quando in visione Dei proficiunt, quanto magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legitur quod Abraham se cinerem esse professus est, nisi cum Domini habere meruit collocutionem. Esse enim se forsitan aliquid crederet, si veracem essentiam, quæ supra ipsum est, minime sensisset. At ubi ad immutabilem contemplandum supra se raptus est, impletus tantæ contemplationis potentia, dum videret illum, nihil se esse nisi pulverem vidit. Solus quippe veraciter est, quia solus incommutabiliter permanet. Nam omne quod modo sic, modo aliter est, juxta non esse est. Permanere enim in suo statu non potest, atque aliquo modo ad non esse itur, dum ad aliud per temporum vicem ducitur. Et beatus Dionysius nullam essentiam, lumen, sive vitam, ad incomprehensibilem divinitatis infinalitatem, comparationem habere posse talibus verbis testatur dicens: « Aliquando, inquit, divinitatis beatitudinem manifestativorum eloquiorum traditiones, ut rationem, et intellectum, et essentiam laudent divinam rationalitatem, et sapientiam ejus declarantes, et vere existentem subsistentiam, et eorum quæ sunt subsistentiæ causam veram, et quasi lumen eam, formam, et vitam vocant. » Et quamvis hæc, scilicet ratio, intellectus lumen et cætera visibilia, per quæ nonnunquam, invisibilia Dei intelliguntur, superent, et altiora videantur ad ea, quæ divinitatis sunt significanda, deficiunt tamen ad divinam veritatem similitudines. Est enim super omnem essentiam, et vitam, nullo eam lumine characterizante, omnique ratione et intellectu a similitudine ipsius incomparabiliter derelictis.

Quia ergo Deus solus vere est, quia et immutabiliter est, recte nomen ejus solius exaltatum est, et exaltandum est. In hac sacra præsertim solemnitate, qua unigenitus Dei Filius æterno Patri coæternus in substantia carnis nostræ cœlos ascendit, et in dextera majestatis in excelsis resedit. Hodie, inquam, nomen ejus singulariter et solemniter exaltatum

est, et exaltandum est, quia hodie *dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis* (*Psal.* CIX). Hodie ille, *qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra, formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ* (*Isai.* LXIII), principibus cœli portas suas, quas humanæ naturæ diu clauserant aperientibus, et portis æternalibus se levantibus, cœlorum regna gloriosus intravit. (*Psal.* XXIII). Hodie *filius hominis ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, et tribus, et linguæ servient ei. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur* (*Dan.* VII). Hodie *præcursor noster usque ad interiora velaminis in ipsum cœlum, in tabernaculum non manufactum, neque per sanguinem hircorum, et vitulorum sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventa ; secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis et interpellet pro nobis* (*Hebr.* VI, VII, IX). Et nunc charissimi nobis, a terrenis verbum incepimus, sed etiam per illud ad interiora cœlorum ascendamus. Utinam autem sicut ascendimus verbo, sic ascendamus animo ; sicut ascendimus loquendo, sic ascendamus digne laudando. Laudemus ergo Dominum corde, laudemus cum 'ore in tempore, ut eum laudare mereamur in æternitate. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est, etc.

SERMO LXX.

In die Pentecostes

Gratiam et gloriam dabit Dominus (*Psal.* LXXXIII). Homo, charissimi nobis, ad hoc factus est ad imaginem et similitudinem Dei, ut illius boni, quod Deus est per naturam, particeps esse posset per gratiam. Ad imaginem Dei factus est secundum rationem, ad similitudinem Dei secundum dilectionem. Ad imaginem secundum cognitionem veritatis, ad similitudinem secundum amorem virtutis. Ad imaginem secundum intellectum, ad similitudinem secundum affectum. Sic opifex Deus fecit creaturam humanam ad imaginem et similitudinem suam, ut per hoc, quod facta esset ad similitudinem Dei, Deum diligeret, et cognoscendo et diligendo Deum possideret, et possidendo beata esset. Sicut enim in uno elemento, scilicet igne, duo sunt inter se diversa, et a se remota, splendor videlicet et calor ; nec splendor est calor, nec calor est splendor, quia splendor lucet et videtur, calor ardet et sentitur ; nec splendor ardet aut sentitur, nec calor lucet aut videtur. Sed in humana creatura imago Dei et similitudo Dei inter se diversa videntur, et a se quodammodo remota. Nam secundum illud bonum, quo facta est ad imaginem Dei ipsa creatura humana, elucet ad cognitionem ; et secundum illud bonum, quo facta est ad similitudinem Dei, calet ad dilectionem. Quod autem imago et similitudo Dei secundum præcedentes distinctiones possint accipi, doctores in verbis Psalmistæ declarant, ubi dicit : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo* (*Psal.* IV). Per lumen enim quod super nos sive in nobis signatum est, distinguunt in nobis divinam imaginem, quam assignant in discretione rationis ; per lætitiam vero divinam similitudinem, quam determinant in jucunditate dilectionis.

Homine igitur ad imaginem et similitudinem Dei condito, et ipso velut domino mundi in loco deliciarum quasi in parte potiori Dei providentia constituto, et ad conservanda bona quæ habebat eadem Dei providentia rationi humanæ adjuncta monito, atque ad illa bona quæ habiturus erat quærenda et obtinenda præcepto obedientiæ cum gratia operante instructo, vidit diabolus et invidit quod homo illuc per obedientiam ascenderet, unde ipse per superbiam corruisset. Quia vero illi per violentiam nocere non potuit, ad fraudem se convertit, ut dolo hominem supplantaret, quem virtute superare non posset. Decipiens itaque diabolus hominem, duo illi principalia mala contra duo supradicta principalia bona inflixit, duabus lethalibus plagis vulneravit. In eo namque quod factus erat ad imaginem Dei secundum rationem, vulneravit eum per ignorantiam boni. In eo vero quod factus erat ad similitudinem Dei secundum dilectionem, vulneravit eum per concupiscentiam mali. Et hæc duo principalia mala sunt, ex quibus cætera hominis mala cuncta procedunt. Ex ignorantia procedit delictum, ex concupiscentia procedit peccatum. Delictum est, quando non fit quod fieri debet. Peccatum est, quando fit quod fieri non debet. Homo igitur spoliatus et vulneratus, spoliatus bonis, vulneratus malis, semivivus est relictus, quia etsi in humana natura possit divina similitudo, quæ in dilectione est, penitus corrumpi, divina tamen imago, quæ est in ratione, non potest penitus deleri. Quamvis enim tanta malitia possit affici, ut nihil diligat boni, non tamen tanta potest ignorantia cæcari, ut nihil noscat veri. Quod in ipso principe mali diabolo liquet, qui, quamvis in tantum corruptus sit, ut nihil boni diligat, non tamen in tantum excæcari potest, ut nihil veri cognoscat. Recte igitur homo semivivus relictus esse dicitur, quia etsi per primordialia mala ex parte corruptus fuerit, non est tamen penitus excæcatus. In eo nimirum etiam post vulnera vixit, quo sibi qualiscunque sensus scintilla remansit. Hostilis ergo gladius penitus hominem non exstinxit, dum in eo naturalis boni dignitatem omnino delere non potuit. Et huic sensui Psalmographus concinit, ubi dicit : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*Psal.* L), per cor enim mundum divinam in se designans similitudinem, et per spiritum rectum divinam imaginem. Dum cor mundum in se creari, spiritum vero rectum petiit renovari, convenienter insinuavit et divinam similitudinem in toto posse corrumpi, et divinam imaginem nequaquam prorsus posse deleri. Ibi namque, ubi nihil boni remansit, bonum, si tamen restaure-

tur, ereatur; et ibi, nbi aliquid boni adhuc superest, renovatur. Est autem cordis munditia in perfecta Dei dilectione; rectitudo vero spiritus in sana ratione. Huic quoque sensui concordat illud iterum in psalmo: *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (*Psal.* CIII).

Homo igitur per supradicta duo principalia bona in honore positus fuit, sed quod in honore positus esset non intellexit, et diabolo consentiendo, per duo quæ jam diximus mala duo in se bona corrupit. Sed quia per se nec mala depellere, nec bona valuit reformare, contulit illa divina providentia duo principalia remedia, per quæ et illata sibi mala curaret, et amissa bona recuperaret, consilium scilicet et auxilium. Sed, ut agnosceret homo morbum suum, dimissus est primum totus sibi, ne forte gratiam superfluam judicaret, si prius infirmitatis suæ defectum non agnosceret; positum est ergo tempus naturalis legis, ut natura per se operaretur, non quod per se quidquam posset, sed ut se non posse agnosceret. Illa igitur relicta sibi errare cœpit a veritate per ignorantiam, et convicta est de cæcitate postmodum etiam convincenda de infirmitate. Data est lex scripta, ut ignorantiam illuminaret, sed infirmitatem non corroboraret, ut in ea parte, qua defectum suum homo agnovit, juvaretur, ubi autem per se stare putavit, relinqueretur. Accepta ergo scientia veritatis per legem conari cœpit, ut proficeret, sed pressus concupiscentia, quia gratiam adjuvantem non habuit, ab opere virtutis defecit. Huic sensui bene concordat apostolica sententia, quæ dicit: *Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo* (*Rom.* III). Et item: *Nihil ad perfectum perduxit lex* (*Hebr.* VII). Quare? Quid per legem? Cognitio peccati subaudis tantum. Per legem sola peccati cognitio, non etiam consummatio. Lex docendo præcipiebat, sed homo per legem habens consilium non etiam auxilium, in faciendo deficiebat. Lex enim scientiam dabat faciendi, non vires perficiendi. Pauper infirmus in languore perseverat, nisi medicus, qui dat consilium evadendi morbum, etiam medicinæ præstet antidotum. Sic non potest per peccatum languidus a peccato per solam legem justificari, nisi gratia detur, quæ est medicina peccati. Convictus igitur est homo in utroque, quia videlicet per se, nec verum potest cognoscere, nec bonum perficere. In tempore quippe naturalis legis convictus est de cæcitate: in tempore scriptæ legis de infirmitate. David ergo propheta videns nec naturam, nec legem ad liberandum hominem posse sufficere, et intelligens gratiam esse necessariam, et animadvertens in lege erga genus humanum benevolentiam divinam, consolans se, et omnes, qui in gratia Dei non in operibus legis haberent fiduciam, ait: *Gratiam et gloriam dabit Dominus* (*Psal.* LXXXIII). Postquam itaque homo cognovit cæcitatem et infirmitatem suam, convenienter data est lex, quæ et illuminaret cæcum, et sanaret infirmum; illuminaret ignorantiam, refrigeraret concupiscentiam; illuminaret ad cognitionem veritatis, inflammaret ad amorem virtutis. Propterea spiritus datus est in igne, ut lumen haberet et flammam. Lumen ad cognitionem, flammam ad dilectionem.

Hujus autem dationis optimæ et perfectæ, *quæ desursum est descendens a Patre luminum* (*Jac.* I), sacra solemnitas non est nova, ignota, subita, sed antiqua, celebris, et authentica, quondam per Moysen, et filios Israel in monte Sina typice celebrata. *Lex etenim per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I). Lex data est in monte excelso, gratia data est sursum in cœnaculo. Lex data est in fulgoribus igneis, gratia data est in igneis linguis. Lex data est duodecim tribubus, gratia data primum duodecim apostolis. Lex scripta est in duabus tabulis, gratia consummatur in duobus præceptis charitatis. Lex scripta est digito Dei in tabulis lapideis, gratia scribitur per Spiritum sanctum in cordibus humanis. Lex data est die quinquagesima postquam celebratum est Pascha in terra Ægypti, gratia data est die quinquagesima post resurrectionem Domini. *Cum enim complerentur dies Pentecostes, erant discipuli pariter in eodem loco, et factus repente de cœlo sonus spiritus vehementis*, etc. (*Act.* II). Cujus spiritus plenitudo est in capite, participatio in membris. Caput Christus, membrum Christianus. Caput unum, membra multa; et constat unum corpus ex capite et membris, et in uno corpore spiritus unus. Si ergo corpus unum est, et spiritus unus qui in corpore ipso non est, a spiritu vivificari non potest, sicut scriptum est: *Qui non habet spiritum Christi, hic non est ejus* (*Rom.* VIII). Qui enim non habet spiritum Christi, non est membrum Christi. In corpore uno spiritus unus. Nihil in corpore mortuum, nihil extra corpus vivum. Hæc est unctio in *capite*, quæ *descendit in barbam Aaron*, et usque in *oram vestimenti ejus* (*Psal.* CXXXII). Caput, sicut dictum est, significat Christum, qui est caput omnium fidelium. Barba, quæ capiti inhæret et est signum virilitatis, apostolos designat, qui Christo, dum in mundo conversatus est, adhæserunt, et adhærendo eum eo comederunt et biberunt, et ejus salutiferam doctrinam audierunt, et miracula viderunt, et post ascensionem ejus accepto plenius Spiritu sancto confortati viriliter egerunt, quia fidem ipsius per regna mundi prædicaverunt, propter nomen ejus in conciliis traditi, in synagogis flagellati, ante reges et præsides ducti: et in his omnibus vicerunt. Unctio itaque Spiritus sancti, quæ est in capite secundum plenitudinem, *in barbam*, id est apostolos, *descendit* secundum participationem, quando eis ait: *Accipite Spiritum sanctum*; et, quando post ascensionem suam illis eumdem Spiritum misit, et gratiam linguarum distribuit. Descendit *in oram vestimenti* quia idem Spiritus tribuitur illis sanctis qui futuri sunt etiam in fine mundi. Et nunc, charissimi ad nosmetipsos respiciamus, et utrum ab omni inquinamento carnis et spiritus emundati simus videa-

mus, ut Spiritum sanctum in hac ejus sacra solemnitate habere vel accipere digne valeamus. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate* (*Sap.* I). Imitemur denique Patres nostros, sanctos videlicet apostolos, ex quorum actibus ordo noster sumptus est. Valde enim commendabile est et imitatione dignum quod de eis scriptum est: quod *erant pariter in eodem loco*. Simus et nos, fratres, pariter non solum unius loci mansione, sed et una fide, spe, charitate, devotione, oratione, Spiritus sancti invocatione, et exspectatione, ut pariter esse mereamur ejus acceptione et participatione quatenus per ipsum justificati in tempore, pariter gloriemur in æternitate. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXI.

De apostolis et aliis prædicatoribus.

Arca clangentibus tubis septem dierum circulo circum Jericho ducitur, et Jericho subvertitur, et Raab funiculo coccineo in fenestra posito salvatur et Achan pro furto regulæ et pallii lapidatur (*Josue* VI, VII). Jerichus, quæ interpretatur *luna*, significat præsens sæculum, quod quasi *luna* ad perfectionem et defectionem ducitur, dum modo prosperis crescit et elevatur, modo adversis decrescit et humiliatur. Videmus annorum circulos, per quos sæculum volvitur, sole tempore verno terræ poros aperiente, ad similitudinem lunæ primæ lucem primariam exponentis, germina parturire. Deinde sicut per diurnas successiones cernimus lunam ad plenitudinem venire, sic conspicimus de terra quæque prodeuntia per caloris vivificationem et humoris vegetationem, maturitatem et perfectionem suam in æstate consummare. Postea vero, quasi luna decrescens, minuuntur, dum in autumno deficiente naturali calore et humore moriuntur. Ad ultimum autem in hieme, quasi ad quoddam interlunium, redeunt dum frigoris asperitatibus attrita ad occultum iterum naturæ sinum recurrunt, et se nostris aspectibus subducunt. Sic et in hominibus, bestiis, avibus piscibusque videmus, quod postquam ad esse prodeunt, prius ad perfectionem venire laborant, deinde per defectum ad non esse festinant. Sic sic, cernimus gloriam præsentis sæculi nunc oriri, nunc crescere, nunc exaltari, nunc minui, nunc ad nihilum reverti. Arca significat Christum. Arca septem diebus circa Jericho portatur, dum Christus usque ad finem sæculi quod septem dierum circulo volvitur in mundo prædicatur. Hujus arcæ vectores sunt sancti apostoli et prædicatores, de quibus scriptum est: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fine orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Tubæ æneæ fortem et invincibilem prædicationis designant auctoritatem, quas clangentes manibus tenent, dum sancti prædicatores quod clangunt voce, complent opere. Muri Jericho philosophica figurant argumenta, sive culturam idolorum per circuitum mundi roboratam et exaltatam. Quæ per circumductionem arcæ, et clangorem tubarum corruerunt, quia per Christi prædicationem per orbem terrarum sonantem perierunt. Viri Jericho interficiuntur, dum homines sæculo et sæcularibus negotiis dediti in perpetuum condemnantur. Raab meretrix electam ex gentibus Ecclesiam significat, quæ quondam fuit serviens, et subjecta multis amatoribus, id est multis dæmonibus. Raab ut salvaretur funiculum coccineum in fenestra foris posuit, quem domi habuit: et sancta Ecclesia, ut salvetur, passionem Christi ore confitetur, quam corde credit. Achan regulam auream et pallium furatur, et in valle Achor lapidatur: et falsus quilibet Christianus, vel hæreticus philosophicam sapientiam, quæ per regulam auream figuratur, et sæcularem cultum, qui per pallium designatur in Ecclesiam inducens in inferno condemnatur. Sed et cuncta quæ illius sunt igne consumuntur, dum corpus ejus, et anima, et quidquid in utroque possidet, gehennali conflagratione comburuntur. Aurum et argentum, et quælibet metalla, sive Jericho, sive civitatum aliarum per ignem purgata in opus Domini assumuntur, quia philosophica sapientia, vel eloquentia, sive quælibet eorum doctrina, sacræ Scripturæ examinatione ab omni erroris sorde purificata in divinæ prædicationis ministerio nostro non reprobatur. Maledicitur qui Jericho ædificat, et maledictus est qui malitiam sæcularem in baptizatis destructam verbo pravo vel exemplo reducit et restaurat.

Ædificavit Hiel de Bethel Jericho. In Abiram primitivo suo fundavit eam et Segub novissimo suo posuit portas ejus (*III Reg.* XVI). Hiel *vivens Deo*, Bethel *domus Dei* interpretatur. Hiel igitur de Bethel destructa a Josue atque anathematizata. Jericho mœnia restaurant, cum quis eorum, qui in Ecclesia habitum religionis assumpserant, ad agenda scelera, quæ ei Dominus Jesus in die baptismatis remiserat, redit; quasque ipse anathematizaverat diaboli pompas, luxuriose vivendo repetit. Cumque errorum dogmata, vel gentilium fabulas veritatis ecclesiasticæ, qua imbutus erat, præfert, quasi de Bethel egrediens ruinas Jericho resuscitat. Is et fundamenta fidei, a quibus bona ædificia inchoare et claustra bonæ actionis, quibus perfici debuerat, perdit. Aliter. In primogenito suo punit fundamentum, et in novissimo liberorum portas ejus, quia per hanc culpam amittit, et quod primum acceperat donum naturæ, et quod ad ultimum accepit donum gratiæ, ut jam ad salvationem nihil valeat utrumque. Detestemur, charissimi nobis, Hiel de Bethel, nec ejus actus improbos imitemur, ne si post baptismum, aut conversionis habitum opera diaboli, sive pompis ejus, quibus abrenuntiavimus in nobis, vel in aliis reædificare præsumimus, nos cum prole virtutum, ac bonorum operum nostrorum æternæ

maledictioni subjiciamus. Sed etsi Achan spiritualem prævaricationem spirituali anathemate contaminatum inter nos animadvertimus, statim eum ad vallem humiliationis perducamus, lapidibus, id est duris verbis obruamus, ut, quantum ad nos pertinet, mortificetur diabolo, vivat Deo, ne, si ejus culpam sustinemus, apud justum judicem de consensu peccati convicti, participes contaminationis ejus existamus. Consentire est tacere, cum possis arguere. Semper itaque memores simus quod per Achan hominem tota Israel turbatus est. Ad hoc quoque spectare videtur quod Paulus Corinthiis scribens de illo uno fornicatore dixit: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi* (*I Cor.* v). Non autem solum maxima, sed et minima quæque peccata debemus inter nos corrigere, ne si succrescant et roborentur, difficile vel mullatenus valeant emendari. *Beatus enim, qui tenet et allidit parvulos suos ad petram* (*Psal.* cxxxvi). Et illud: *Qui minima contemnit, paulatim defluet* (*Eccl.* xix). Nec in celandis, dissimulandis, tolerandisque vitiis alienis misericordes cupiamus existimari: quia sicut *melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier* (*Eccl.* xlii), sic magis laudabilis videtur filia Juda, quæ non sustinet iniquitatem, quam reges Israel, qui inepte clementes sunt. Ad hanc quoque rationem respicere videtur illud sancti Augustini: « Si frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari dum timet secari, nonne crudeliter abs te sileretur, et misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifestare spirituale vulnus, ne deterius putrescat in corde? Satagamus denique arcam sapientiæ ad diversos auditores prædicando circumducere, et in ipsis vociferatione prædicationis nostræ munimenta diaboli circumquaque subvertere. Incitamentum nobis sunt ad hoc negotium sancti prophetæ, qui verbum Dei prædicando, tyrannos increpando, *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus* (*Hebr.* xi). Exemplum nobis sunt ad hoc idem sancti apostoli, quorum hodie solemnia celebramus; qui per regna, regiones, urbes, castra, domos, vicos circuierunt, et impietatem idololatriæ cum pravitate mundanæ concupiscentiæ sono prædicationis eorum undique personante potenter destruxerunt. Et nos igitur, charissimi, eorum vestigia pro modulo nostro subsequentes militemus in his omnibus Deo sub Jesu nostro, principe nostro novo, primo duce Moyse jam defuncto. Moyses, qui dedit legem, significat legem. Moyse mortuo, id est lege secundum carnales et veteres observantias mortua, consummata sive finita statim, Jesus Salvator noster, qui populum suum salvat a peccatis eorum (*Matth.* i). Jesus, inquam, Filius Dei manifestatus est esse princeps super populum Dei, ut expugnatis hostibus Dei dividat populo dona (*I Cor.* xii). Jesus namque filius Nave, sicut ait Hieronymus, in typum Domini non solum in gestis verum et in nomine trans Jordanem hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia Ecclesiæ, cœlestisque Hierusalem spiritualia regna describit. » Sic Jesus noster, ejecto principe mundi et militibus ejus foras, in electis operatur, dum *modo unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, et alii quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum* (*I Cor.* xii), et postmodum unicuique secundum differentiam donorum tribuetur differentia cœlestium bonorum, et secundum merita retribuetur præmia. Non igitur, fratres, marceamus in pugna, sicut filii Israel, quibus ait Josue: *Usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* (*Josue* xviii.) Pugnemus itaque viriliter in tempore, ut sublimiter coronemur in æternitate. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus, etc.

SERMO LXXII.

In anno novo, vel in festo sancti Joannis Baptistæ.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate. Pinguescent speciosa deserti, et exsultatione colles accingentur, etc. (*Psal.* lxiv). Quemadmodum Deus admirabilis et laudabilis est in creaturis, sic admirabilis et laudabilis est in Scripturis, quia sicut nos ad cognoscendum et amandum se instruit et incitat per creaturas, ita nos ad utrumque docet et admonet per Scripturas. Unde et in his paucis verbis, quæ proposuimus, diversas diversorum diverso modo typice nobis describit virtutes, quibus erudiamur et provocemur alio et alio modo, declinare a malo, et facere bonum; ingredi sine macula, et operari justitiam: evadere pœnam, et acquirere gloriam. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Annus benignitatis divinæ est universale tempus gratiæ, quod est ab incarnatione Domini usque ad finem mundi. Duo namque præcedent a tempora, tempus videlicet naturalis legis, quod fuit ab Adam usque Moysen, et tempus scriptæ legis, quod fuit a Moyse usque ad Christum, velut duo anni iracundiæ divinæ fuerunt, quia homines, quamlibet justi, sive propheta sive plusquam propheta, necdum pretio redemptionis oblato, pacem perfectam cum Deo nequaquam habuerunt, quia quotquot moriebantur ab ingressu patriæ cœlestis interim excludebantur. Postquam autem Christus in carne venit, Patremque nobis sua passione placavit, annus benignitatis divinæ exstitit, quia, sicut Apostolus ait: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei* (*Tit.* iii). Cujus anni coronæ Dominus benedicit, dum toto cursu ejus tempore dona suæ gratiæ nobis incessanter infundit, ut irrigati rore gratiæ fructum faciamus, unde manipulos justi in horrea cœlestia perferamus. Ex hujus anni benedictione plenaria, campi nostri replentur ubertate, speciosa deserti pinguedine, colles accinguntur ex-

saltu bono, arietes induuntur vestimento, valles abundant frumento. Campi propter suam latitudinem atque planitiem conjugatos significant, qui, secundum legem conjugalem se suisque rebus utentes, quasi per latiora quædam ac planiora licenter ambulant, non valentes illos imitari qui per arctam et arduam continentiæ viam gradiuntur, et voluntatibus et rebus propriis abrenuntiantes nudi nudam crucem sequuntur. Per speciosa deserti convenienter intelligimus sanctos viros solitarios, qui a mundi strepitu remoti in saltibus nemorum et locis desertis habitant, et eadem loca sua sancta conversatione decorant et adornant. Ex his speciosis deserti Elias exstitit, dum ad torrentem Carith solus pluribus diebus sedit, et dum in deserto Bersabee sub junipero quievit, dumque in monte Sina in spelunca mansit. Ex speciosis imo speciosissimum deserti beatus Joannes Baptista fuit, qui pilis camelorum indutus, locustas et mel silvestre in deserto comedit, et aquam bibit. Speciosa quoque deserti fuerunt innumerabiles Ægyptiorum monachorum multitudines, ex quibus aliis in aliis locis deserti habitabant centeni ac milleni. Speciosa deserti sunt multa millia monachorum seu canonicorum in saltibus nemorum, aut locis solitariis hodie degentium, ut sunt Carthusienses, Cistercienses, Præmonstratenses, et illi qui dicuntur de Magno Monte, et alii plures eremitæ, vel anachoretæ, plures pariter, aut pauciores, solive, locis desertis commorantes, et ipsum desertum suæ sanctitatis perfectione decorantes. Tales etenim universi desertum speciositate suæ justitiæ adornant in eo conversantes religiose, exemplo, verbo, silentio, abstinentia, labore, continentia, labore manuum, asperitate vestium, duritia lectorum, continuatione vigiliarum, spiritualium melodia cantuum, instantia orationum, eleemosynæ largitate, hospitalitatis humanitate, cunctarum denique exercitatione virtutum ac bonorum exhibitione operum.

Ista ergo revera speciosa deserti sunt, et in his, quæ dicta sunt, non in carne, sed in spiritu mirabiliter quotidie pinguescunt. Dum enim carnem macerant, spiritum impinguant, dum carnem debilitant, spiritum roborant; dum carni foris parum auferunt, intus spiritui multum conferunt. Id enim *quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis eorum, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in eis, non contemplantibus eis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt* (*II Cor.* IV). Colles autem illos apte figurant, qui se de terrenis in hac vita ad contemplanda cœlestia sublevant. Qui autem in mundo omne cœlestis contemplandu colles sunt, in cœlo postmodum in æterna contemplatione montes fiunt. Imperfectum enim est quod nunc de contemplatione percipiunt, perfectum autem erit quod tunc possidebunt. Ad hoc spectare videtur quod ait Apostolus: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sic-ut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII); et superius: *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*ibid.*). Modicum vero nosse quod nunc sanctis de cognitione divina datur ad id quod illis in futuro dandum reservatur, innuit illud, quod Salomon de molentibus in minuto numero dicit eos videre per foramina, et quod Dominus, dum prophetam prophetare præciperet ait: *Fili, hominis, stilla* (*Eccle.* XII); quodque in Daniele digiti visi sunt scribere (*Ezech.* XX); quod etiam in mensura spiritualis ædificii post sex cubitos qui significant bonam operationem palmus (*Dan.* V), qui præsentem exprimit contemplationem, adjicitur. Quod enim est imago, quæ videtur in speculo ad corporis veritatem, quod intuitus per foramen ad plenariam visionem, quod stilla ad oceanum, quod digitus ad corpus totum, quod palmus ad cubitum, quod parvitas collis ad magnitudinem montis, hoc videtur esse contemplatio, quæ datur sanctis in tempore, ad illam, quæ danda reservatur in æternitate (*Ezech.* XL).

Colles itaque sunt contemplativi, a terrenis elevati, sole justitiæ præ cæteris illustrati. De quibus apte dicitur, quod *accingentur exsultatione* (*Psal.* LXIV), quia illorum est vere exsultatio, quorum est contemplatio, illi debent merito gaudere, quibus jam datum est boni cœlestis gaudia vel tenuiter videre. *Mihi autem quale gaudium potest esse, quia in tenebris sedeo, et lumen cœli non video?* (*Job* V.) Et notandum quod ait *accingentur*. Præcingimur ad ministrandum, succingimur ad ambulandum, accingimur ad pugnandum. Quia enim præcingimur ad ministrandum, recte de Domino dum discipulis suis lavando pedes eorum ministrare voluit, scriptum est quod, *cum accepisset linteum, præcinxit se* (*Joan.* XIII). Succingimur autem ad ambulandum, *ne pedes nostri impediantur per fluxum vestium*. Accingimur ad pugnandum, quemadmodum in Psalmo dictum est: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime* (*Psal.* XLIV). Colles itaque exsultatione accinguntur, quia sancti contemplativi quanto perspicacius cœlestia gaudia contemplantur, tanto contra hostem antiquum robustius armantur. Et sic accipientibus illis gratiam pro gratia, impletur in eis quod scriptum est: *Justus justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* (*Apoc.* XXII). *Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento.* Per arietes, qui duces gregis sunt, intelligimus sanctos prælatos, qui gregem Dominicum ad pascua spiritalia quotidie ducunt et illum contra spiritualium luporum incursum vigilanter custodiunt. Qui habent duo cornua, unum per exemplum boni operis, alterum per verbum prædicationis, quibus debent arcere rapaces hostes de finibus suis. Qui habent etiam suæ lanæ vellus, id est vestimentum, hoc est bonorum honestatem morum. Per valles denique intelligimus humiles subjectos. Quemadmodum autem in sacra Scriptura per hordeum significatur doctrina Veteris Testamenti, ita per frumentum accipitur

doctrina Novi Valles itaque abundant frumento, A dum subjecti quivis et humiles replentur scientia quæ continetur in sacro Evangelio. Per campos igitur convenienter intelligimus conjugatos propter rerum temporalium usum licentiorem, per speciosa deserti solitarios propter vitam remotiorem, per colles contemplativos propter gratiam eminentiorem, per arietes prælatos propter auctoritatem præstantiorem, per valles subditos propter subjectionem humiliorem. Intelligimus etiam per ubertatem camporum effectum bonorum operum in conjugatis; per pinguedinem speciosorum deserti, plenitudinem charitatis, cæterarumque virtutum consummationem in solitariis; per exsultationem collium, gustum cœlestium gaudiorum in contemplativis; per indumentum arietum honestatem morum in prælatis; per frumentum vallium, sacram scientiam in subjectis.

Nunc charissimi, ad nosmetipsos respicientes videamus si aliqui ex his quos superius descripsimus sumus, si aliquid de eorum plenitudine possidemus. Certe campi non sumus, nec esse debemus. Transcendit namque nostra professio, habitusque nostri, ac tonsuræ testatio camporum istorum planitiem, id est conjugatorum conversationem licentiorem; et propterea conscendendum est nobis ad vitæ gradum altiorem. Absit enim ut de collegio conjugatorum simus, ut solliciti simus quæ mundi sunt, ut divisi simus, ut cogitemus quomodo placeamus uxori. Cogitare namque debemus quæ sunt Dei, ut placeamus Deo, ut simus sancti corpore et mente. Sed quamvis esse campi non debemus, per hujusmodi vitam inferiorem, et licentiam latiorem, debemus tamen habere ubertatem eorum per sex operum misericordiæ perfectam exhibitionem. Quibus enim melius convenit exercere misericordiæ opera quam iis qui religionem habitu tonsuraque profitentur? Sed timendum est nobis, fratres, ne hæc opera non secundum intuitum misericordiæ, sed secundum acceptionem personæ faciamus. Venit aliquando abbas aliquis dives vicinus noster, qui nobis in domo sua diversis ferculis appositis honorifice ministrari fecit, statim discurrimus, familiam sollicitamus, diversa fercula parari jubemus, illum honorifice serviri debere protestamur. Quod certe verum est. Meruit hoc enim, et adhuc occasione se præbente merebitur. Venit autem quandoque monachus pauper, peregrinus, jejunus, lassus æstu vel gelu, imbribus aut ventis per totum diem afflictus, et scitante ministro quid comedet, tepide respondetur: Et satis habebit, inquiunt; de ovis habebit. Hæc concordare non videntur verbis Christi, quibus de largiendo convivio loquitur, dicens: *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos et beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione justorum* (*Luc.* XIV).

Ex his verbis perpendere potest, qui vult, quia, dum illis qui nobis honorifice in hujusmodi ministraverunt tam operosa cora reservimus, retributio videtur esse humani meriti; dum autem iis, qui nobis nunquam servierunt, solo charitatis intuitu omnem humanitatem exhibemus, præceptum implemus Christi. Non ergo pauperioribus hospitibus negligenter ministremus, quia sæpius qui pauperiores sunt in re, ditiores sunt in fide. Jacet etiam forte frater aliquis dives, id est ex divitibus natus, vel potens in domo aliqua molestia detentus. Statim ab omnibus visitatur, et confortatur, et tota sollicitudine ejus servitium agitur. Jacet quandoque frater alius pauper, id est ex pauperibus natus, nihilque potens in domo, morbo fortiori prægravatus, forte negligitur, contemnitur, molestiam ab iis, qui illi B minus ministrant patitur, in tantum ut Psalmistæ verbis conqueri juste possit, dicens: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt* (*Psal.* LXVIII). Et de hujusmodi cura sive negligentia quidam versificatur pulchre dixit:

> *Si dives jaceat vel febricula maceratus,*
> *Irrumpens tholomos monachalis adest equitatus;*
> *Si pauper jaceat morbo vel morte gravatus*
> *Quo spes nulla vocat, transit nihil appretiatus,*
> *Claudus* [clavus] *ut in Domini pistrinum præcipitatus.*

Hæc omnia, fratres, dicimus, ut opera misericordiæ non secundum personarum acceptionem, sed secundum charitatis intuitum, necessitatemque singulorum faciamus. Nec ista dicentes ut hominibus honore C dignis honorem non exhibeatis suademus, quia scriptum est: Cui *honorem, honorem;* sed ne cæteris de debito charitatis quidquam minuatis exhortamur (*Rom.* XIII). Campi igitur non sumus, nec esse debemus, sed utinam eorum ubertate non careamus. Quemadmodum autem campi non sumus, quia campi esse non debemus, sic speciosa deserti non sumus, quoniam hæc esse non possumus. Quomodo etenim esse de speciosis deserti possumus, qui pinguia comedimus, mulsum bibimus, qui ad comparationem illorum mollibus vestimur? Quomodo esse de speciosis deserti possumus, qui longe a deserto sumus remoti, et pene seculo juncti? Habitamus enim, ut timeo, cum Ruben inter terminos, ut audiamus sibi- D los gregum. Habitamus enim, ut ita dixerim, inter terminum vitæ spiritalis, et terminum vitæ sæcularis. Audimus sibilos gregum, id est ludos, clamores, cantus, tumultusque hominum per diversa crimina gregatim ad damnationem currentium. Speciosa igitur deserti esse non possumus; sed utinam pinguedinis eorum, id est charitatis aliarumque virtutum participes simus! Colles autem esse debemus, quod utinam simus!

Idcirco namque in quiete, silentio, lectione, meditatione, oratione, divinæ laudis decantatione sumus, ut supernæ contemplationi facilius, et perfectius inhæreamus. Sano inter omnia bona spiritalia, quæ in præsenti vita possunt acquiri vel possideri, contemplatio optima est. *Maria* namque *optimam par-*

tem elegit, quæ non auferetur ab ea (*Luc.* x). Sunt autem tria quædam, in quibus se humana mens nunc exorcet, scilicet cogitatio, meditatio, contemplatio. Major autem horum est contemplatio. Cogitatio est cum mens notione rerum transitorie tangitur, cum res ipsa sua imagine animo subito præsentatur, vel per sensum ingrediens, vel a memoria exsurgens. Meditatio est assidua ac sagax retractatio cogitationis, aliquid vel involutum explicare nitens, vel scrutans penetrare occultum. Contemplatio est perspicax et liber animi contuitus in res perspiciendas usquequaque diffusus. Inter contemplationem et meditationem hoc intereat quod meditatio circa unum rimandum occupatur, contemplatio ad multa vel ad diversa comprehendenda diffunditur. Contemplatio igitur est perspicax et liber animi contuitus, in res perspiciendas usquequaque diffusus. Perspicax, ut penetret profunda; liber, ne deprimatur et impediatur per terrena desideria; diffusus, ut comprehendat multa vel universa. Videamus itaque si hunc animi contuitum habeamus, ut merito colles per contemplationem esse dicique valeamus, de qua contemplatione plura loqui præsumo, quia quid sit quantum ad experimentum prorsus ignoro. Arietes quoque non sumus, quia Domini gregem non ducimus. Sed licet arietes ducatu gregis non sumus, utinam tamen istorum arietum cornua per exemplum boni operis, et verbum prædicationis, et cornum indumentum per bonorum honestatem morum habeamus! Quamvis denique speciosa deserti, colles et arietes esse perfecte nequeamus, valles saltem esse per humilem subjectionem studeamus, ut cum illis pro nostro modulo clamare, et hymnum dicere valeamus: clamare in tempore, hymnum dicere in æternitate. Quare clamare in tempore, hymnum dicere in æternitate? Quia qui longe est clamat, qui prope est dicit. Longe sumus in tempore, quia quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino (*II Cor.* v). Prope erimus in æternitate, quia videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III). Sicut ergo oculo ad oculum tunc videbimus, ita ore ad os loquemur. Clamare igitur est Deum laudare in tempore. Hymnum dicere est Deum laudare in æternitate. Quæ autem, et quanta, qualisve sit istius hymni suavitas, jucunditas atque felicitas, scire non possumus donec ad fontem vitæ veniamus, et inebriemur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis suæ potet nos (*Psal.* xxxv), et videamus lumen in lumine, Patrem in Filio, Filium in Patre, Spiritum sanctum in utroque. *Cum enim Filius tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et erit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* xv), tunc hymnum hunc cum angelis et sanctis universis dicentes quæ sit ejus inæstimabilis melodia perfecte cognoscemus. Quod nobis præstare dignetur, etc.

SERMO LXXIII.

In festo sancti Joannis Baptistæ.

Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur (*Psal.* xci). Vita beati Joannis Baptistæ, charissimi, cujus hodie nativitatem celebramus, tota nobis loquitur, tota nobis sermo est, tota nos a malo revocat et ad bonum exhortatur. Nec solum illa quæ in illius sanctissima vita continentur, verum et illa quæ vitam ejus præcedunt vel subsequuntur subtiliter considerata nos a culpa revocant, ad justitiam informant. Ante conceptionem etenim ejus nobis loquitur ejus annuntiatio, post mortem ejus virtutum ipsius opinio, in vita ipsius tota ejus sancta conversatio. Quemadmodum namque varia diversitas lapidum pretiosorum in vestimento, sic in beato Joanne nobis emicat diversarum virtutum multitudo, et ejusdem multitudinis pulchritudo, scilicet contemptus sæculi, amor Dei, abstinentia cibi, asperitas vestimenti, quies solitudinis, verbum prædicationis, virginitas corporis, humilitas cordis, rigor severitatis, confessio veritatis, virtus patientiæ, odor bonæ famæ. Ipse est aurora veri solis, præcursor Redemptoris, miles superni regis, præco judicis, vox clamantis. Ipse est propheta venturi, minister Domini, index agni, Baptista Christi, amicus sponsi. Ipse prædicator pœnitentiæ, amator castimoniæ, persecutor luxuriæ, testificator justitiæ, defensor innocentiæ. Ipse sanctorum parentum filius, cœlestium secretorum conscius, propinquorum gaudium, vicinorum gratulatio, universorum admiratio. Ipse cum apostolis, imo præ apostolis nuntius Christi, lux mundi, sal terræ, lucerna super candelabrum, civitas super montem posita. Ipse est annuntiatus ab angelo, sanctificatus in utero, clarificatus in mundo, coronatus martyrio, glorificatus in cœlo. Ipse igitur merito per orbem terrarum fidelium vocibus attollitur, verbis prædicatur, laudibus honoratur, solemnitatibus recensetur.

•Palmæ cedroque comparatur. Ipse nimirum vere est palma, vere cedrus. Palma per justitiam, cedrus per gloriam. Palmæ siquidem, ut beatus Gregorius dicit in Moralibus, justorum vita merito comparatur, quia scilicet palma inferius tactu aspera est, et quasi aridis corticibus obvoluta, superius vero et visu, et fructibus pulchra. Inferius corticum suorum involutionibus angustatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur. Habet aliud palma, quo cunctis arborum generibus differt. Omnis namque arbor in suo robore juxta terram vasta subsistit, sed crescendo superius angustatur; et quanto paulisper superior, tanto in altum subtilior redditur. Palma vero minoris amplitudinis ab imis inchoat, et juxta ramus ac fructus ampliore roboro exsurgit; et quæ tenuis ab imis proficit, vastior robore ad summa succrescit. Quibus itaque alia arbusta nisi terrenis mentibus inveniuntur similia; inferius vasta, superius angusta. Quia nimirum omnes sæculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cœlestibus debiles. Nam pro temporali gloria usque ad mortem desudare appetunt, et pro spe perpetua nec parum quidem in labore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet injurias tolerant, et pro cœlesti mercede

vel tenuissimas verbi ferre contumelias recusant. Terreno judici toto etiam die assistere fortes sunt, in oratione vero coram Domino unius horæ momento lassantur. Sunt quoque nonnulli qui, cum cœlestia appetunt, atque hujus mundi noxia facta derelinquunt, ab inclinatione sua quotidie inconstantiæ pusillanimitate deficiunt. Quibus etiam hos nisi arbustis reliquis similes dixero, quæ nequaquam tales surgunt, quales inferius oriuntur? Illi quippe, in conversationem venientes, non tales quales esse cœperunt perseverant. Et quasi more arborum in inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt, quia paulisper per augmenta temporum patiuntur detrimenta virtutum. Sensim namque in eis desideria superna languescunt, et qui robusta ac fortia proposuerant, debilia atque infirma consummant, dumque ætatis augmento proficiunt, quasi flexiles crescunt. Palma vero, sicut dictum est, vastior in summitate est quam esse cœpit ex radice, quia sæpe electorum conversatio plus finiendo peragit, quam proponit inchoando, quia sæpe tepidius prima inchoat, ferventius extrema consummat, videlicet quia semper inchoare se existimat, idcirco infatigabilis in novitate perdurat. Quasi de cæteris arboribus loquitur Isaias, ubi dicit : *Deficient pueri, et laborabunt et juvenes in infirmitate cadent* (*Isa.* XL). De palma autem subjungit, ubi addit : *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient* (*ibid.*). Sunt autem quidam, qui cum fortia inceperunt, non solum in iis quæ inceperunt tepescunt, verum etiam ad vitia turpiter labuntur; et cum spiritu cœperint, carne consummantur (*Gal.* III). Quibus apte convenit poetica illa sententia, ubi dicitur:

> *Humano capiti cervicem pictor equinam*
> *Jungere si velit, ac varias inducere plumas*
> *Undique collatis membris; ut turpiter atrum,*
> *Desinat in piscem mulier formosa superne:*
> *Spectatum admissi, risum teneatis, amici.*
> (HORAT. *De art. poet.* v. 1-5.)

Humanum etenim, rationabile et pulchrum valde opus est spirituale, quod incipiunt; sed bestiale penitus est, turpe et atrum vitium in quo desinunt. Illi igitur soli palmæ videntur comparandi qui licet parva, pauca et acta sunt, quæ incipiunt, magna tamen, multa et ampla perficiunt. Cedrus cæteris arboribus altitudine præstantior esse perhibetur, et ideo per cedrum cœlestis gloria, qua nihil est sublimius, convenienter exprimitur. Habet et palma suam altitudinem, per quam significatur altitudo justitiæ; sed cedro nullatenus adæquatur, per quam figuratur altitudo gloriæ. Et diligenter attendendum quod ait : *Ut palma florebit, sicut cedrus multiplicabitur*. In præsenti quippe per justitiam florem, id est spem percipiendi futuri fructus habemus, in futuro autem ejusdem floris fructum per gloriam accipiemus. Qui fructus recte multiplex esse dicitur, quia in extremis judiciis Domini retributio multa. Beatus itaque Joannes præ cæteris sanctis palma et cedrus est : palma per justitiam, cedrus per gloriam; palma in mundo, cedrus in cœlo; palma in merito, cedrus in præmio; palma quia justos, cedrus quia beatus. Qui quanto justior, tanto beatior. Justior in via, beatior in patria. Totis igitur viribus, charissimi, ut cum beato Joanne palma simus, elaboremus, ut eum illo postmodum esse cedri valeamus. Nemo nostrum prave vivendo cæteras arbores in imo vastas in summo graciles imitetur, nemo reliquis arbustis assimiletur, nemo circa spiritalia sit debilis, circa carnalia fortis. Omnes pariter fluxa carnis gaudia perstringamus, animorum penetralia dilatemus, ut velut palma florere per justitiam possimus in tempore, et quasi cedrus multiplicari per gloriam in æternitate. Quod nobis præstare dignetur Dominus, etc.

SERMO LXXIV.

In festo ejusdem sancti Joannis Baptistæ.

Joannes est nomen ejus, et in nativitate ejus multi gaudebunt (*Luc.* I). [Joannes] interpretatur *Dei gratia*. Hoc nomen sanctissimum, charissimi, viro sanctissimo datum, a Gabriele venerabiliter annuntiatum, ab Elisabeth Spiritu sancto repleta prolatum, a Zacharia litteris insinuatum, absque dubio credendum est divinitus fuisse præordinatum. Non enim sine re tale nomen habuit, qui præ natis mulierum in gratia claruit, quem in utero gratia sanctificavit, qui ad vocem beatæ Mariæ de præsentia Christi per gratiam exsultavit, qui adhuc puer per gratiam confortatus sæculo abrenuntiavit, et desertum ingressus usque in diem ostensionis suæ ad Israel soli Deo vacavit, vestimento de pilis camelorum se induens, zona pellicea se stringens, locustas et mel silvestre comedens et aquam bibens. Merito Joannes dici debuit qui supernæ gratiæ prænuntiator et prædicator exstitit, cujus Christus lator et dator statim fuit. Unde et ipse Joannes ait : *Ego quidem baptizo vos in aqua*, id est in pœnitentia, *qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni* (*Luc.* III). *Gratia enim et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I). Quia igitur, fratres, tanti viri nativitatem in universo mundo venerabilem celebramus, totis præcordiis gaudeamus, ut et nos sermonis, qui scriptus est, quia in *nativitate ejus multi gaudebunt*, consortes existamus. In nativitate ejus quemadmodum plus oculis cernitur quam in codicibus legitur, gaudent multi, quia gaudent Christiani; et, ut fama testatur, gaudent pagani. In nativitate ejus multi gaudent, quia gaudent pauperes, gaudent servientes, gaudent boni, gaudent mali. Gaudent pauperes, quia vident imminere maturitatem messium. Gaudent servientes, quia cernunt adesse laboris sui, et percipiendæ mercedis terminum. Gaudent boni gaudio, quod est in Spiritu sancto. Gaudent mali gaudio, quod est in mundo. Est autem gaudium mundi concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum et superbia vitæ. In concupiscentia carnis est gaudium fœditatis, in

concupiscentia oculorum gaudium curiositatis, in superbia vitæ gaudium vanitatis. Omnis enim qui superbit, inanescit. Ista autem species gaudii, quæ est in mundo tantum solummodo reproborum est, *qui lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis* (*Prov.* II), qui gaudent in vanitatibus et insaniis falsis, in superstitione indorum, in exercitatione vitiorum, perpetratione peccatorum, *qui vino pretioso, et unguentis se implent, nec præterit eos flos temporis* (*Sap.* II), qui coronant se rosis antequam marcescant, et ubique signa lætitiæ relinquere volunt. In his gaudent, de quibus damnati in inferno dolent, dicentes: *Erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, et perditionis nostræ, viam autem Domini ignoravimus. Quid profuit nobis superbia, aut quid divitiarum jactantia contulit nobis?* (*Sap.* V.) Igitur, charissimi, quia mundana lætitia via est ad æternam tristitiam; *risus enim dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat* (*Prov.* XIV), reputemus risum errorem, et gaudio dicamus: *Quid frustra deciperis?* (*Eccle.* II.) *Melius est ire in domum luctus quam in domum convivii: in illa enim finis cunctorum hominum admonetur, et vivens cogitat quid futurum sit. Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Cor sapientium ubi tristitia est* (*Eccle.* VII), quia norunt quod tristitia, quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Habet autem et miseram tristitiam suam, quemadmodum et ineptam lætitiam, utramque malam. Nam *sæculi tristitia mortem operatur* (*II Cor.* VII). Sunt itaque duo, ex quibus unus misere tristatur, alter inepte lætatur.

Alter amat fletus, alter crispare cachinnum.
Diversisque modis par est vesania cunctis.
Tu vero, fili, medio tutissimus ibis.
Inter utrumque vola, placent discretio sola.
Virtus est medium vitiorum utrinque reductum.

Quemadmodum enim inter vitium viscosæ tenacitatis, et vitium lubricæ prodigalitatis medium est virtus largitas, quæ fit cum discretione, ita inter amaram sæculi tristitiam, et inanem ejus lætitiam medium est spiritalis exsultatio, quæ fit cum timore. Exsultatio nempe sine timore mater nonnunquam est deliciorum, et timor sive tristitia sine exsultatione quædam amaritudo vivendi. Nec dicat quis tristitiam, quæ secundum Deum est, ab hujus vel cujuslibet solemnitatis diserepare gaudio, cum ipsam plerumque constet veram esse viam ad gaudium, quod est in Spiritu sancto. Cum autem gaudemus in Domino, jam aliquid nos confidamus percepisse de præmio: cum ipsum gaudium, quod a Domino et in Domino percipitur, sit creaturæ rationalis beatitudo. Gaudeamus ergo, charissimi, in hac sacra nativitate beati Joannis Baptistæ magno gaudio. Sed exsultationes Dei non modi sint in gutture nostro, ut mereamur per hanc sanctam lætitiam ad supernam pervenire gloriam. Quod nobis præstare dignetur, etc.

SERMO LXXV.

De Balaam, et filiis Israel in festo quorumlibet sanctorum homilia, seu sermo.

Legimus in Numeris quod egressis de Ægypto filiis Israel, et per desertum ad terram promissionis tendentibus Balac obsistere disposuerit, et conduxerit Balaam, ut malediceret illis. Vertit autem Deus maledictionem ejus in benedictionem. Cujus historiæ verba secundum spiritalem intelligentiam vobis transcurremus, ut ex eis, pro posse nostro, vestrorum sanctitatem morum ædificemus. Populus ille, qui nunc Jacob, nunc Israel nomine censetur, populum significat vere fidelium, qui vere Jacob sunt, dum adversum vitia fortiter luctantur; Israel, dum in virtutum bonitate suaviter delectantur. Jacob sunt, dum circa terrena negotia causa corporeæ necessitatis fatigantur, Israel, dum cœlestia bona sublimiter speculantur. Unde recte per Balaam prophetico spiritu dictum est: *Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nosse numerum stirpis Israel?* (*Num.* XXIII.) ut per pulverem Jacob activos terrena tractantes, per stirpem Israel speculativos intelligamus cœlestia contemplantes. Balac, qui interpretatur *lingens*, vel *elidens*, sive *involvens*, diabolum significat, qui quos potest pravæ tentationis blandimento lingit, et consensu vel effectu peccati elidit, ac retinaculo multæ consuetudinis involvit. Balaam, qui interpretatur *populus vanus*, universitatem falsorum Christianorum exprimit, qui spernunt veritatem, sequuntur vanitatem, præsertim illos qui inter eos sive prudentia carnis, sive scientia sæculi, vel philosophiæ vana gloria, cæteris auctoritate quadam præstare videntur. Isti nempe apud diabolum, et omnes dæmones, universosque mundi dilectores velut arioli sunt, dum inanem mundi sapientiam, imo per ipsam dæmoniacam impietatem male vivendo colunt. Qui dum quotidie vitia vitiis aggregant, vel vitia pro vitiis mutant, quasi novorum dæmoniorum culturum innovant. Quippe apte convenit quod scriptum est: *Novi, recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum* (*Deut.* XXXII). Qui cum Balaam obturatum habent oculum, quia, licet quod Deus sit per scientiam videant, quid sit tamen quantum ad dilectionem ignorant. Et dum Deus de cœlo super eos prospicit, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum (*Psal.* XIII), si est inter eos qui intelligat per cognitionem, non est tamen qui requirat per amorem.

Quamvis igitur in eis unus oculus sit apertus, dum recte credunt, alter tamen est obturatus, dum male vivunt. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt* (*Psal.* LII). Declinaverunt a bono, inutiles facti sunt in malo. Qui cum Balaam auditores sermonum Dei sunt, sed factores esse nolunt. Qui omnipotentis visiones vident per cognitionem, sed eas videre detrectant per operationem. Qui cadunt, et sic aperiuntur oculi eorum, cadunt per damnu-

tionem, et sic aperiuntur oculi eorum per perfectam præteritæ pravitatis agnitionem. Non enim suam impietatem perfecte cognoscunt, donec pœnam sentiant, quam per ipsam meruerunt. Aliter. Cadunt, dum quidam ex illis aliquando compuncti a sua elatione humiliantur, et sic aperiuntur oculi eorum, dum perfecte divinitus illuminantur. Sic enim *Deus superbis resistit, sic et humilibus dat gratiam* (*Jac.* IV). Vel certe quemadmodum ipse Balaam inferius de se dicit, quia cadens apertos habet oculos, superbi sapientes sæculi cadunt apertos habentes oculos, quoniam et quæ vera sunt cognoscunt, et prava tamen agere non desinunt. Misit Balac ad Balaam principes primum nobiles, deinde nobiliores, quia diabolus mittit dæmones ad tentandum strenuos, et si illi non prævalent, mittit deinde fortiores, ut astutos, et linguatos sæculi viros suis suggestionibus flectant, quatenus justorum conversationi maledicant, id est suis oblocutionibus detrahant, ac per hoc bonam eorum famam minuant, et sic vel simplices quoslibet, ac minus cautos ad bene operandum desides, negligentes et pusillanimes reddant. Ipsa detractio, ipsa maledictio, et commendatio ipsa est benedictio. Non enim in tota hac benedictione Balaam legimus uspiam filiis Israel bona orasse, sed de illis tantum benedixisse, vel prædixisse. Et quoniam sapientes mundi apud diabolum undique dilectiores, vel etiam quosdam simplices justos, ad laudandum, vel blasphemandum magnam videntur habere auctoritatem, existimaturque eorum derogationibus istos deprimi, illos eorum laudibus sustolli, apte a Balac per nuntios ipsi Balaam mandatur.

Novi quod benedictus sit, cui benedixeris, et maledictus, in quem maledicta congesseris (*Num.* XXII). Populus autem Domini superficiem terræ operuisse dicitur, quia *multi sunt vocati, licet pauci sunt electi* (*Matth.* XX), et diabolus etiam quoslibet falsos Christianos aliquando converti, et sibi obsistere eum cæteris timet, dum necdum eus per fidei negationem secum esse videt. Justi vero populum Balac quasi bos herbam usque ad radicem delent, quia justi non solum malorum opera, sed et consilia radicitus investigare, et refellere solent. *Spiritalis enim judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (*I Cor.* II). Pretium divinationis ac maledictionis, quod nuntii Balac habebant in manu, aurum sive argentum, vel etiam utrumque fuisse credi potest. Unde et Balaam eis respondisse videtur: *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Dei mei* (*Num.* XXII). Quos scilicet nuntios apud se nocte remanere fecit, ut sciscitaretur utrum cum eis ire posset, an non? quia malorum est in tenebris, non in luce consilia quærere, quomodo valeant opera tenebrarum perpetrare. Quos redarguens Isaias ait: *Cum dixerint ad vos: Quærite a pythonibus, et a divinis qui strident in incantationibus suis. Nunquid non populus a Deo suo requiret visionem? pro vivis ac mortuis? ad legem magis, et ad testimonium?* (*Isa.* VIII.) Aurum et argentum, quod maledictionis eredimus fuisse pretium, sapientiam et eloquentiam significat mundanam, cujus pecuniæ perniciosam copiam cunctis, qui inter vanos sunt vanissimi, totis præcordiis amant. Unde et diabolicis suggestionibus inclinantur, ut sapientes et eloquentes apud amatores vanitatis præ cæteris habeantur. Qui etiam de montibus orientis ad maledicendum adducuntur, quia ex superbia et calliditate procedit quod ad detrahendum bonis flectuntur. Per montes enim superbia, per orientem, in quo mundana lux oritur, calliditas figuratur. Asina, in qua Balaam sedit, stultorum subjectorum cœtum congrue significat: in quo ipsi magistri erroris sedent, dum in eis auctoritate doctrinæ suæ principatum tenent. Sed utrisque in itinere pravæ intentionis resistit angelus eum evaginatione gladii, id est ordo angelicus cum terrore divini judicii. Quem angelum, sive gladium asina prius animadvertit, et ab itinere pravitatis desistit, deinde Balaam, cum cerneret, expavescit, quia facilius, et citius simpliciores, et minus callidi terrore divini judicii percelluntur, et ab inceptæ perversitatis intentione refrenantur, quam qui majoris superbiæ, et impiæ calliditatis tenebris offuscantur. Interim autem Balaam suam asinam calcaribus cædit, quia vanitatem diligentium magistratus, dum adhuc minus territus divinum judicium nondum intelligit, sibi subjectum populum verbis asperrimis affligit, et ut secum iniquitatis iter teneat, in quantum valet, cogit.

Vineæ sunt diversæ congregationis Ecclesiæ. Muri, quibus vineæ cinguntur, sunt doctores, quibus justorum congregationes muniuntur. Angustæ viæ præceptum justitiæ, vel diligens censura, et subtilis intelligentia Ecclesiasticæ doctrinæ. In hanc angustiam Balaam ducitur, et ejus pes eliditur, quia perversus intentionis ejus conatus Deo contrarius esse comprobatur. Ibi asina loquitur, quia subjectos cœtus auctoritate sanctorum doctorum adjutus de asperitate justitiæ dominationis ejus adversus eum rationabiliter conqueritur. Ipse denique cognito quod contra Deum graditur, dum ejus maledicere populo conatur, timore corripitur, et si non a malignitate pravæ voluntatis, a malignitate tamen detractionis refrenatur. Et ejus maledictio in benedictionem vertitur, dum timore divini judicii correptus et malum compellitur tacere, et bona de justis satagit, licet invitus, prædicare. Balaam quoque gladio filiorum Israel perimitur, dum vana sequentium principatus in fine judicio justorum condemnatur. Populus igitur Israel est electorum cœtus, Balac diabolus, Balaam vana diligentium magistratus, asina discipulatus ejus, profectio viæ promotio intentionis pravæ, angelus, qui ei obsistit, ordo angelicus, qui eorum iniquis conatibus contradicit, evaginatio gladii interminatio judicii, muri vinearum doctores Ecclesiarum, angustia viæ censura sacræ doctrinæ, læsio pedis redargutio pravi operis, maledictio derogatio,

benedictio laus justorum et commendatio. Hæc, fratres, superficie tenus transcurrimus, vobisque profundiora scrutanda relinquimus. Sane quia prolixa sunt, quæ de hac historia declaranda sequuntur, visum est nobis ex his quæ dicta sunt sermonem hunc terminare, et quæ restant in posterum describenda reservare. Nunc ergo, charissimi, quia de Ægypto spiritali per fidem egressi sumus, et per desertum ire, et ad terram promissionis tendere debemus, videamus utrum veri Israelitæ simus. Ægyptus est vita sæcularis, desertum vita spiritalis, terra promissionis vita cœlestis. Ægyptus caro, desertum animus, terra promissionis Deus. Veri autem Israelitæ sumus, si Deum non tantum oculo cognitionis, sed etiam oculo dilectionis videmus. Quos videlicet oculos si sanos habemus, viam rectam tenebimus, per quam terram supernæ promissionis ingrediemur. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXVI.

Ex verbis ejusdem Balaam in festo quorumlibet sanctorum.

In superiori sermone de filiis Israel, de Balac, de Balaam, de benedictione qua benedixit filiis Israel, quædam diximus; nunc ad ejusdem benedictionis verba veniamus, et quid moralis instructionis intus habeant, videamus. Si quis autem quærat quid significationis habeat holocaustum Balac, qui diabolum significat, respondemus quod non omnia, quæ in littera continentur ad spiritalem intelligentiam flectenda sunt. Sed nec parabola currit per omnia. Balaam autem filiis Israel ter benedixit, ut ipsa benedictio licet per hominem, non tamen ab homine, sed a sancta et individua Trinitate data noscatur. Primæ quidem benedictionis verba sunt hæc: *De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum de montibus orientis. Veni*, inquit, *et maledic Jacob; propera et detestare Israel. Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? qua ratione detester quem non detestatur? de summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo eum. Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte justorum et fiant novissima mea horum similia* (*Num.* XXIII). Aram interpretatur *excelsus*, et significat superbiam. Bene ergo de Aram sive de montibus Balaam ad maledicendum populum Dei rex impius adduxit, quia quod mali bonis cooperante diabolo detrahunt, totum de superbia procedit. Moab interpretatur *de patre*, et significat omnes reprobos, ex quibus illi fuerunt quibus specialiter dictum est: *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII). Balac itaque Moabitarum rex Balaam ad maledicendum Israel vocat, quia diabolus rector tenebrarum harum, id est dæmonum per superbiam contenebratorum et hominum impiorum, ex ipso per culpam progenitorum, ex ipsis impiis hominibus impiissimos per impietatem cultui ejus deditos, ad blasphemandum justos cupiditate vanæ laudis et gloriæ inanis acriter sollicitat. Qui nisi divinæ potentiæ timore refrenentur, tantum apud homines de suæ sapientiæ atque potentiæ gloria sustollantur, ut ad perpetrandum detractionis ac blasphemiæ facinus levitor inclinentur. Quam maledictionem justis sæpius, diversisque modis obfuisse multoties expertum est.

Sed cum justus divina protectione muniri considerant, divino timore perculsi, eis suæ derogationis maledictionem inferri graviter formidant. Quod tamen libenter facerent, nisi ultionem sibi desuper imminere pertimescerent. Unde et Balaam Dei timore cohibitus maledictionem, quam populo Dei inferre decreverat, si licuisset, conticuit dicens: *Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? qua ratione detester quem Dominus non detestatur? De summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo illum.* De summis silicibus sive collibus perfecti vanitatis hujus amatores, et magistri populum Dei considerant, cum formidine divina territi mentem in contemplationem ejus sublimiter levant, quam ab aliis gentibus merito distet, subtiliter pensant. Vident quod in Ecclesia *alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum* (*I Cor.* XII). Vident alios bonis operibus insudare, alios virtutibus vernare, alios miraculis coruscare, alios humiliter subesse, alios excellenter præesse, omnes omnibus velle prodesse. Cumque populum justorum cœlestis gratiæ benedictione repletum conspiciunt, suæ blasphemiæ derogationisque maledictionem inferre superno territi judicio nulla ratione præsumunt, sed e diverso illi benedicunt dum de illo id quod bonum in eo vident, licet inviti, dicunt. Non enim eorum arbitrio, sed ex divino procedit judicio quod bonorum justitiam admirando prædicant, quam nec sequuntur, nec amant. Unde et recte Balaam in sequentibus dicit: *Benedictionem prohibere non valeo.* Cujus benedictionis, id est prædicationis verba subduntur cum dicitur: *Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur.*

Magna laus, fratres, quod dicitur populus solus habitabit. Utinam hæc vox laudis sit in cordibus præsertim monachorum et illorum qui vitam solitariam hoc vel illo modo lingua prædicant, habitu demonstrant. Erubescant et pertimescant ex his verbis, qui relictis claustris curias solius causa curiositatis non necessitatis frequenter adeunt: qui ad spectacula, fabulasque vanitatis libenter procedunt, qui salutationes in foro, primas cathedras in synagogis, primos recubitus in cœnis diligunt, et vocari ab hominibus rabbi (*Matth.* XXIII). Nec ista dicentes authenticas, et honestas, religiosasque virorum personas vituperare dici debemus, qui sanctæ matris Ecclesiæ necessitatibus exterioribus pro loco, pro tempore, pro causa suffragantur. Aliud est enim curiositate suadente, aliud ratione dictante quid

agere. Hujus itaque laudis expers est *Ephraim vitula docta diligere triturom. Populus autem justorum solus habitat, nec inter gentes reputatur* (*Ose.* x). quia cæteræ gentes universæ carnis desideria, et mundi gloriam sequuntur; soli vero electi justitiam, ac spiritalia bona sectantur. Nec solum contemplativi, verum et activi soli habitant, dum reproborum operibus non communicant. Cum igitur universis fidelibus conveniat ut non tam mansione corporum quam unanimitate cordium habitent soli, illos maxime decet, ut habitent soli, non tantum bonorum singularitate operum, verum etiam, quantum est possibile, mansione corporum, qui religionis habitu sunt circumdati religionemque professi. Hoc eorum professio, hoc habitus, hoc exigit ordo, ut a cæteris non solum malis, sed et bene agentibus longe separentur, qui sanctitatem habitu præ cæteris profitentur. Nec debent inter gentes alias reputari corporali conversatione qui ab aliis dividuntur singulari religionis professione. *Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nosse numerum filiarum Israel?* In præcedenti sermone diximus per pulverem Jacob intelligi debere activas, per numerum stirpis Israel contemplativos. Quantum ad litteram etiam pertinet populum Israel non numerari præ multitudine, posse verum esse creditur, sicut plur.bus ex locis veteris paginæ colligitur, sicut ubi dicitur quod Israel innumerabilis erat sicut stellæ cœli, et arena, quæ in littore maris (*Hebr.* xi). Quantum vero ad spiritalem intelligentiam spectat multo innumerabilior justorum populus credendus est. Unde et David ait : *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos,* id est si dinumerare voluero eos, *super arenam multiplicabuntur* (*Psal.* cxxxviii). De multiplicatione carnalis Israel, dictum est, *sicut arena multiplicabuntur;* de multiplicatione spiritalis Israel, id est amicorum Dei dicitur *super arenam.* Sed et hac innumerabilitate justorum beatus Joannes in Apocalypsi postquam duodecim millia signatos ex omni tribu filiorum Israel vidisset, adjunxit : *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus; et populis, et linguis stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum* (*Apoc.* vii). Quemadmodum namque scriptura teste *dies Israel innumerabiles sunt* (*Eccli.*xxxvii), ita et Israel innumerabilis est. Non solum autem activi, qui multo plures sunt contemplativis, verum et contemplativi, qui pauciores sunt activis, innumerabiles sunt. Quod demonstratur, ubi cum præmisisset *quis dinumerare possit pulverem Jacob,* addidit, *aut nosse numerum stirpis Israel?* Quasi diceret, nemo. Sequitur.

Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. Profani præsentis sæculi sapientes, qui adversus justos, in quantum possunt, malignantur, dum quandoque timore stimulati elevata mente justorum vitam contemplantur, eorum morte mori desiderant, quorum tamen vitam imitari recusant. Carnis concupiscentiam, mundi gloriam tota corde diligunt, et hæc virtutibus et bonis operibus anteponunt; sed nescio qua fronte cum justis mori, et percipere præmia volunt. Sed qui eorum typum gerit, quia vita justorum vivere noluit, eorum morte mori non meruit. Qui procul dubio in oratione, qua bene mori petiit, auditus fuisset, si post orationem bene vivere studuisset.

Ex his quæ dicta sunt, fratres, colligamus unde in via Dei proficiamus. Studeamus habitare soli, nec inter gentes aliqua dissolutionis inquietudine reputari. Studeamus enim Jeremia soli sedere, et secundum ejus verba nos super nos levare (*Thren.* iii). Studeamus cum justis juste vivere, ut cum ipsis bene mori, et ad supernam gloriam mereamur eorum meritis et precibus pervenire. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus. Amen.

SERMO LXXVII.

In festo quorumlibet sanctorum de ejusdem Balaam verbis.

Quoniam in sermone præcedenti quæ in prima benedictione, qua Balaam filiis Israel benedixit, continentur, pro posse nostro, digessimus : nunc ad ea, quæ in secunda continentur digerenda succedenter transeamus. Dolens graviter, et conquerens Balac quod Balaam filiis Israel benediceret, quem speraverat eis maledicturum, *ait ad Balaam : Veni mecum in alterum locum, unde partem Israelis videas, et totum videre non possis, inde maledicito ei* (*Num.* xxiii). Et duxit eum in locum sublimem super verticem montis Phasga. Qui cum divertisset et accepto consilio Dei reversus fuisset, ait : *Sta, Balac, et ausculta. Audi, filii Sephor. Non est Deus quasi homo ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet : locutus est et non implebit? Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israel; Dominus Deus ejus in eo est, et clamor victoriæ regis in illa. Deus eduxit eum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Jacob et Israeli quod operatus sit Deus. Ecce populus ut leo consurget, et quasi leæna erigetur. Non accubabit donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat. Dixit Balac ad Balaam : Non maledicas ei, nec benedicas. Et ille ait : Nonne dixi tibi quod quidquid Dominus imperaret mihi, hoc facerem?* Multiplex est calliditas diaboli, qua justos aggreditur, et eos quotidie subvertere conatur. Unde Balac Balaam de loco ad locum vocat, ut populo Dei maledicat : quia diabolus, dum uno modo adversus justos non prævalet, alio modo nititur, ut vincat. Vanissimos vaul populi sullicitat, ut bonorum laudem detractionis et blasphemiæ maledictione vel ex parte corrumpat, ut dum in toto sanctorum opinionem destruere non potest, eam saltem in aliqua parte lædat. Hoc etenim et in parte videre, et in parte maledicere. Balaam divertit, et ultima

maledicere populo Dei queat, voluntatem Dei requirit, quia vanus populus in hujusmodi tentationibus plerumque se intra se, ut Dei voluntatem super hoc sciscitaretur, colligit, et dum ejus benevolentiam erga electos illius agnoscit, in eos jacula suæ maledictionis jacere non præsumit. Cumque mentem in eorum contemplationem sublimius elevant, statim ad proferenda benedictionis verba separant: unde et Balaam post acceptum Dei consilium ad Balac ait: *Sta, Balac, et ausculta, audi, fili Sephor. Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit? Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. Sta, Balac.* Quasi dicatur: Desine, diabole, me ad blasphemandum justos incitare, quia si hoc facere præsumo, mihi damnationem acquiro, et illorum salutem non impedio. Deus, qui nec mutatur corde, nec mentitur ore, non mutatur proposito, non mentitur verbo, ipse proposuit et promisit in semine Abrahæ se benedicturum omnes gentes. Quæ ergo proposuit, non faciet? et quod dixit, non implebit? Absit! *Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax* (*Rom.* III). Unde quia Deus verax est in promissis, ejus sermo quotidie cernitur adimpleri. Nam electorum justificatio et salvatio ejus est benedictio.

Dicat itaque vanus populus: Quod ergo Deus statuit adimplere, nunquid ego possum meis maledictionibus evacuare? Quin imo ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. Reprobi quippe, dum ad contemplandam justorum vitam eriguntur, et ipsa admiratione eorum, justitiam eorum quam non diligunt prædicare compelluntur. Quæ benedicendi laus non tam ex eorum voluntate quam ex divina procedit dispositione. Unde et Balaam ait: *Benedictionem prohibere non valeo.* Cujus benedictionis verba sunt hæc: *Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriæ regis in illo.* Removet autem spirituali populo mala, prædicat bona. Mala scilicet idolum et simulacrum removet a populo spirituali, quæ in carnali populo antiquitus fere continue constat exstitisse. Prædicat bona, quæ in populo spirituali vere et perfecte reperiuntur. Unde sponsus sponsam laudans ait: *Una est columba mea, perfecta mea* (*Cant.* VI). Removet a populo spirituali omnem idololatriam et infidelitatem, ubi dicit: *Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israel.* Prædicat perfectam liberationem ejus ac libertatem, ubi addit: *Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriæ regis in illo.* In eo quod Dominus Deus ejus cum eo est, jam non servit spirituali Pharaoni in Ægypto, in eo quod clangor victoriæ regis est in illo, jam cantat canticum gratiarum actionis cum Moyse in deserto. Et diligenter attendendum quod non ait clangor pugnæ, sed clangor victoriæ. In præcedentis quippe populi liberatione clangor pugnæ non fuit, quia Dominus pro eo pugnavit, et ipse tacuit. In sequentis quoque populi liberatione clangor pugnæ non exstitit, quia Christus, qui coram tondente se os non aperuit, peccata ejus portando eum liberavit. *Torcular calcavi solus et de gentibus non erat vir cum eo* (*Isa.* LXIII). Primus igitur, sive primæ clangor victoriæ fuit canticum, quod cecinit Moyses, et filii Israel liberati de servitute Pharaonis regis Ægypti, dicentes: *Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem projecit in mare* (*Exod.* XV). Secundus autem, sive secundæ clangor victoriæ est gratiarum actio, quam canit spiritalis Israel liberatus de servitute diaboli. De hoc clangore victoriæ Dominus per Isaiam sub nomine Sion ait: *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis* (*Isa.* LI). Non ergo est idolum in spirituali Jacob, nec videtur simulacrum in Israel: quia de servitute dæmonum liberatus est, et de tenebris infidelitatis eductus est, dum *Dominus Deus ejus est cum eo, et clangor victoriæ regis in illo.* Ad quam etiam sententiam roborandam subdit: *Deus eduxit eum de Ægypto, cujus fortitudo similis rhinocerotis.* Rhinoceros indomabilis naturæ est: et Deus omnino incomprehensibilis, et invincibilis est. Rhinoceros Latine sonat in nare cornu. Et quia nare odores fetoresque discernimus, recte per narem discretionis temperantiam intelligimus · per cornu autem potentiam accipimus. Fortitudo ergo Dei quasi rhinocerotis est, quia Deus fortitudinis suæ potentiam miræ discretionis moderamine semper exercet. Unde scriptum est: *Tu Domine Sabbaoth, omnia cum tranquillitate judicas* (*Jer.* XI). Et de Sapientia legitur: *Quod attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII). Ad hunc etiam sensum pertinet illud Psalmistæ. *Misit tenebras, et obscuravit, et non exacerbavit sermones suos* (*Psal.* CIV).

Quia ergo Deus eduxit spiritualem Israel de Ægypto antiquæ infidelitatis, merito in eo non videtur simulacrum antiqui erroris. Sed quia sunt multi, qui Christianitatis nomine censentur, nec simulacris colla submittunt, qui tamen variis sortilegiis sacrilego more et divinationibus intendunt, recte de vero Israel prædicat dicens: *Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel.* Ex falsis enim Israelitis sunt, qui in hujusmodi vanitatibus fidem suam et spem ponunt. Unde et Apostolus Galatas redarguens dicit: *Dies observatis, et menses, et tempora et annos; timeo vos, ne frustra laboraverim in vobis* (*Galat.* IV). In vero autem Israel, sicut non est idolum sive simulacrum, sic non est augurium, divinatio, incantatio, sive aliqua superstitiosa observatio, vel quidquid sacræ fidei probatur contrarium. Cujus videlicet populi bona spiritalia adhuc eleganter prædicat, ut eum non maledictione, sed benedictione dignum ostendat. *Temporibus*, inquit, *suis dicetur Jacob et Israeli, quid operatus sit Deus.* Quomodo? Ipse eis revelabit qui annuntiat verbum suum Jacob, *justitias et judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis* (*Psal.* CXLVII). Manifestantur autem judicia, sive opera Dei fidelibus di-

versis temporibus, diversis modis. Manifestantur per naturam, per creaturam, per legem, per prophetiam, per gratiam. Manifestantur post mortem plenius in perceptione stolæ primæ, manifestabuntur post finem sæculi plenissime, in perceptione stolæ secundæ et possessione gloriæ. Interim autem dum sumus in via nondum in patria, multa latent, pauca patent. Licet enim homini multa incerta et occulta divinæ sapientiæ manifestentur (*Psal.* L) : *nescit tamen utrum odio an amare dignus sit*, eo quod talia *omnia in futurum* reserventur *incerta* (*Eccles.* IX), et occulta *Dei judicia* super nos sint *abyssus multa* (*Psal.* XXXV). *Nunc enim cognoscimus ex parte, tunc autem cognoscemus sicut et cogniti sumus* (*I Cor.* XIII). Et sic *temporibus suis dicetur Jacob et Israeli quid operatus sit Deus. Ecce populus ut leo consurget, et quasi leæna erigetur.* Nobilissimis bestiis justorum vitam comparat, ut hac comparatione quæ sit nobilitas morum in eis luculenter ostendat. Leo sunt viri robusti et perfecti, leæna imperfecti et infirmi; leo contemplativi, leæna activi; leo Israel, leæna Jacob. Fertur quod dum leo esurit, rugitum emittit, cujus terrore bestias audientes sistit et figit, et sic captans sanguinem earum ebibit, carnes comedit. Qui in hoc etiam cæteras bestias superat, quod nullius bestiæ ferocitatem formidat. *Leo namque fortissimus bestiorum ad nullius pavebit occursum.* Sic, sic justorum populus præsertim prædicatorum cœtus, dum male viventium conversionem esurit, terrorem prædicationis emittit, et homines et bestialiter viventes ne de cætero per diversa currant vitia, stringit; et velut ore captos sanguinem eorum ebibit, dum crudelitatem penitus consumit. Quos etiam, ut moriantur mundo, vivant Deo, perimit, et eos sibi incorporando comedit, dum per fidem sibi conjungit et unit. Qui in hoc quoque sicut leo bestios ferocitate, sic homines virtuta superat : quod ut se emendatione delinquentium reficiat nullius crudelitatis occursum formidat. Qui nequaquam accubat, donec prædam devoret, et occisorum sanguinem bibat, dum ab animabus salvandorum capiendis, sibique uniendis, crudelitatibus eorum consumendis nullatenus cessat, donec in fine temporum eligendorum numerum impletum esse cognoscat. Hoc justorum præconium Balaam, id est vanus populus sæpe clamat; et per hoc Balac, id est, diabolum, qui verba blasphemiæ et maledictionis suggesserat, ad iram irritat. Unde et *Balac ad Balaam ait : Non maledicas ei, nec benedicas.* Mallet namque diabolus vanitatis amatores prorsus obmutescere, quam de bonis quidquam boni proferre. Sed Deus ad laudem sui nominis ordinat, ut etiam per malorum ora laus bonorum nonnunquam crescat. Donet Dominus, charissimi nobis, ut gratiæ laudisque justorum participes semper existamus, quatenus cum justis eorum adjuti precibus ac meritis supernæ promissionis patriam ingredi mereamur. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXVIII.

In festo quorumlibet sanctorum, de tertia benedictione Balaam.

Quoniam quæ in duabus primis benedictionibus, quibus Balaam filiis Israel benedixit, scripta sunt diximus, jam ad ea quæ in tertia vice continentur declaranda transeamus. *Ait Balac ad Balaam : Veni, et ducam te ad alium locum si forte placeat Deo, ut inde maledicas eis. Et duxit eum super verticem montis Phegor. Cumque vidisset Balaam, quod placeret Domino, ut benediceret Israeli, nequaquam abiit, ut ante perrexerat ut augurium quæreret, sed dirigens contra desertum vultum suum, et elevans oculos suos vidit Israel in tentoriis commorantem per tribus suas, et irruente in eum Spiritu Dei ait : Quam pulchra tabernacula tua Jacob, et tentoria tua Israel, ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas!* (*Num.* XXIII, XXIV.) Balac Balaam de loco ad locum vocat, ut populo Dei maledicat, quia diabolus diversis modis homines vanos ad blasphemandum justos inflammat, ut dum uno modo non potest, olim tandem eorum imminuat. Quos etiam ad excelsa duxit, dum eos adversus justos, in quantum potest, in superbiam erigit. Sed vanus populus quanto crebrius, et acrius de justorum maledictione tentatur, tanto plerumque de benevolentia quam Deus erga eos habet plenius edocetur, et non ad maledicendum, sed ad benedicendum promptior efficitur. *Unde Balaam, cum hac tertia vice vidisset quod placeret Domino, ut benediceret Israeli, nequaquam abiit, ut ante perrexerat, ut augurium quæreret, sed dirigens contra desertum vultum suum, et elevans oculos suos vidit Israel in tentoriis suis commorantem per tribus suas, et irruente in se Spiritu Dei, ait : Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel!* Vanus populus vultum suum ad desertum dirigit, dum occulta cogitatione quid in conversatione spiritualiter viventium agatur diligenter attendit. Oculos levat, ut Israel videat, dum in illorum contemplationem mentem exaltat. Qui hinc timore cohibitus ne mala proferat, inde justorum admiratione compulsus ne bona taceat, in vocem benedictionis prorumpit, dicens : *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel!* tabernacula melius dici possunt, quæ ex frondibus et ramis constituuntur; tentoria vero, quæ ex materia pellium et telarum consuta tenduntur. Tabernacula ergo, quæ ex minus cara materia sunt, bonorum effectum operum; tentoria vero quæ ex meliori ac magis pretiosa fiunt materia exercitationem rectius designant virtutum. Excedit enim opera bonitas virtutum, quia sine operibus salvari potest, qui non habet quod tribuat; sine virtutibus, præsertim charitate, et quibusdam aliis non potest. Sunt etiam multi, qui exhibent opera bona, sed quia sine charitate sunt, gloriam supernam ex his consequi non possunt.

Materia itaque tabernaculorum videtur esse maxi-

me senarius operum misericordiæ, materia tentationum ternarius, sive septenarius virtutum. Senarius operum est dare cibum esurienti, potum sitienti, etc. (*Matth.* XXV). Ternarius virtutum, fides, spes, charitas. Septenarius virtutum est septem virtutum descriptio, quæ in Evangelio continentur (*Matth.* V). Quarum prima est humilitas, secunda mansuetudo, tertia mentis compunctio, quarta desiderium justitiæ, quinta misericordia, sexta cordis munditia, septima pax mentis interna. Sunt et aliæ virtutes plurimæ, quas sacra Scriptura commemorat, quæ dum bene exercentur, in spiritualium tentoriorum opus tenduntur. Ipsa quippe exercitatio ipsa est tensio. Bonorum igitur operum exhibitio, ipsa est spiritualium tabernaculorum erectio; virtutum exercitatio, tentoriorum sive papilionum tensio. Quæ sit autem istorum tabernaculorum sive papilionum pulchritudo, vel certe quam pulchrum sit in ipsis commanere, per quatuor pulchre describitur, cum subjungitur : *Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.* Justorum tabernacula atque tentoria quæ actio et virtus constituunt, quasi valles nemorosæ sunt, quasi valles per humilitatem, nemorosæ per protectionem. Ex humilitate quippe, quæ est virtutum et bonorum operum stabile fundamentum, surgunt virtutes et bona opera, et quemadmodum ex pinguibus vallibus condensa et sublimia oriuntur nemora, et sicut emittuntur fontes in convallibus, et eorum confluentia gignuntur sublimes arbores, sic humilibus dantur dona gratiæ, de quibus conferuntur opera atque virtutes. Sicut quoque quilibet sumit refrigerium in vallibus sub umbra densarum et sublimium arborum, ne gravetur ardore solis, sic justus quisque in humilitate sua refrigeratur sub protectione virtutum et bonorum operum, ne aduratur æstu concupiscentiæ carnalis, vel certe animadversione iræ cœlestis. *Ut horti juxta fluvios irrigui.* Horti diversis areolis distinguuntur, dum diversis areolis diversa semina jaciuntur, et diversa germina differenter in eis oriuntur. Alibi cepe, alibi porri, alibi caules locum accipiunt, et nutrimentu terræ germina sua proferunt, et ad perfectionem crescunt. Sic et in hortis aromatum alibi istæ, alibi illæ species locum tenent, et nutrimentum ut crescant habent. Sicut autem superius per tabernacula opera, ita hic per aromata virtutes convenienter intelligimus, ut pulchritudo et utilitas olerum pulchritudini et utilitati operum, et pulchritudo et utilitas aromatum pulchritudini consignetur virtutum. Fluvii vero, qui istos duos hortos irrigant duo convenienter intelliguntur compunctionis genera, quæ corda humana perfluunt, ut utrobique fructum ferant. Dum enim hinc inde timor et amor corda stimulant, statim fluvii compunctionis emanant, qui dum eorumdem cordium areolas irrigant, statim eas ad proferenda virtutum et bonorum operum germina uberius fecundant. Tabernacula igitur Jacob, id est opera activorum, et tentoria Israel, id est virtutes contemplativorum, ut valles nemorosæ sunt, quia protegunt, ut horti juxta fluvios irrigui sunt, quia pascunt. Quamvis autem hæc ita distinguamus, ut activis opera, virtutes contemplativis attribuamus; sciendum est tamen quod activi virtutes exercent, et contemplativi bona opera exhibeut, licet ad activos magis pertinere videatur operum exhibitio, et ad contemplativos specialiter quarumdam virtutum exercitatio.

Ut tabernacula quæ fixit Dominus. Tabernacula justorum et semper figuntur et semper moventur: semper sunt fixa per firmum, continuumque justitiæ stabilimentum; semper moventur per continuum ejusdem justitiæ incrementum. Fixa sunt, ut a justitia non deficiant, moventur ut in ipsa semper crescant. Semper fixa sunt quia *jucundus homo, qui miseretur, et commodat, disponit sermones suos in judicio, in æternum non commovebitur* (*Psal.* CXI). Semper moventur ut ait Saul ad David: *Faciens facies et potens poteris* (*I Reg.* XVI). Et in sequentibus de David scriptum est : *David proficiens, et semper seipso robustior* (*II Reg.* III). Tabernacula justorum, quæ fixit Dominus, semper manent, *quia descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat supra firmam petram* (*Matth.* VII). Semper moventur, dum eorum actiones, ac virtutes fructu justitiæ semper augentur. Unde et Paulus Corinthiis scribens ait : *Qui administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ* (*II Cor.* IX).

Quasi cedri prope aquas. Cedri arbores sublimissimæ sunt, quæ quando juxta aquas crescunt, ut ex his verbis perpendi potest, sublimius solito se sustollunt. Per aquas septem dona sancti Spiritus convenienter intelligimus, scilicet spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ et pietatis et spiritum timoris Domini (*Isa.* XI). Per aquam quippe Spiritum sanctum significari posse, Dominus in Evangelio demonstrat, ubi dicit : *Qui sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me sicut dicit Scriptura flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixi de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII). Tabernacula ergo sive tentoria justorum, id est actiones et virtutes eorum quasi cedri juxta aquas sunt, quia dum ex donis Sancti spiritus nutrimentum accipiunt, non solum opus et fortitudinem humanam transcendunt, verum etiam in cœlum usque pertingunt. Unde Paulus ait : *Conversatio nostra in cœlis est* (*Philip.* III). Tabernacula igitur sive tentoria justorum, quæ sunt ut dictum est actiones ac virtutes eorum, *quasi valles* nemorosæ sunt, quia protegunt, *quasi horti irrigui*, quia pascunt, *quasi tabernacula quæ fixit Dominus*, quia stabiles, *quasi cedri juxta aquas*, quia sublimes. Æmulemur, fratres, habitare in tabernaculis ac tentoriis justorum. Æmulemur imitari opera, et virtutes eorum. Æmu-

leuntur cum justis requiescere in vallibus nemorosis in hortis irriguis, in tabernaculis quæ fixit Dominus, sub cedris juxta aquas. Et multa quidem de his omnibus dici possunt, sed nos summatenos percurrimus, vobis profundiora rimanda relinquentes. Sed et quia plurima sunt verba, quæ adhuc de hac tertia benedictione sequuntur, statuimus ex his quæ supra dicta sunt hunc sermonem finire, et quæ dicenda restant, in posterum exponenda reservare no, dum diutius sermonem tendimus, fastidium vobis generemus. Satagamus itaque, charissimi, ex his quæ diximus sancte et honeste conversari, ut obmutescere faciamus imprudentium hominum ignorantiam, ut si qui sint, qui Balaam imitantes detrahere nobis velint tanquam malefactoribus, confundantur; magisque quæ recta sunt, de nobis prædicare cogantur, considerantes nostram bonam in Christo conversationem. Satagamus denique cum justis de virtute in virtutem progredi, ut eum eis eorum meritis et precibus adjuti supernæ promissionis patriam aliquando mereamur ingredi. Quod nobis præstare, etc.

SERMO LXXIX

In festo quorumlibet sanctorum. De eadem tertia benedictione.

Fluet aqua de situla ejus et semen illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag rex ejus, et auferetur regnum illius. Deus eduxit eum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Devorabunt gentes hostes illius ossaque eorum confringent, et perforabunt sagittis. Accubans dormivit ut leo, et quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus; et qui maledixerit tibi in maledictione reputabitur. Pulchre superius pulcherrima justorum conversatione descripta, adhuc laudem eorum idem ariolus Balaam, qui vani populi typum gerit, magnifice prædicat, dicens: Fluet aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas multas. Aquæ in sacra Scriptura aliquando Spiritum sanctum, aliquando scientiam sacram, aliquando scientiam pravam, aliquando tribulationem, aliquando defluentes populos, aliquando mentes bonorum fidei prædicamenta sequentium designare solent. Per aquam sancti Spiritus infusio designatur, sicut in Evangelio dicitur: *Qui credit in me flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Per aquam sancta scientia significatur, sicut scriptum est: *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum* (*Eccli.* XV). Per aquam scientia prava figuratur, sicut mulier prava per Salomonem describitur. Aquarum nomine solent tribulationes intelligi, sicut per psalmum dicitur: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam* (*Psal.* LXVIII). Per aquas defluentes populi exprimuntur, de quibus scriptum est: *Mitte panem tuum super aquas transeuntes* (*Eccles.* XI), id est populos defluentes, quia post longa tempora invenies illum. Per quas quoque populos designari, Joannes testatur, ubi ait: *Aquæ tuæ sunt populi* (*Apoc.* VII). Aquæ istæ transeunt, quia per mortalitatem ad mortem defluunt. Super quas etiam panem nostrum mittimus, dum quando nostro ministerio indigent, nostrum eis beneficium per charitatem impendimus. Quod et post longa tempora invenimus, quia post hanc vitam illud in præmio recipimus. Per aquam denique bonorum mentes fidei prædicamenta sequentium designantur. Unde et Ezechiel ait: *Audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum* (*Ezech.* I). Sonus quippe sacræ fidei, qui primum in paucis sanctis est factus postmodum ex aquis multis, id est ex innumerabilibus populis est multiplicatus. Spiritualis autem Israel, situla Christus est. Ipso antiquo populo petra, ipse nobis est situla: petra, quia in se firmiter subsistit; situla, quia omnia in mensura fecit. Ipse antiquis aquam fudit, ipse situla nobis gratiam infundit.

Ex hac itaque situla fluit nobis aqua gratiæ spiritalis, aqua sapientiæ salutaris: aqua gratiæ ad justitiam, aqua sapientiæ ad scientiam. Hæc aqua, quam continet ipsa situla, per plenitudinem fluit, et influit nobis per plenitudinis participationem. Nam *de plenitudine ejus nos omnes accepimus* (*Joan.* I). *Et semen illius erit in aquas multas.* Quemadmodum autem populi situla est Christus, sic semen ejus debet intelligi Christus. Nam Christus ex illo populo secundum carnem natus est. Situla est, quia spiritalem nostram sitim per suam gratiam refrigerat. Semen est, quia per eamdem gratiam nos regenerat. Ipse est semen, de quo ad Abraham dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). Et ad David: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et per Isaiam. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus; et quasi Gomorrha similes essemus* (*Isa.* I). Et de quo David ait: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII), id est Christum. Licet enim evangelicus ille paterfamilias diversis temporibus ab exordio illucescentis sæculi diversos justos cultores vineæ suæ habuerit, et cultor bonus; et cultus bonus, id est prælatus et subjectus justus exstiterit, nemo tamen a se habuit quod fuit, vel quod fecit; sed ab isto uno, qui ab omnibus fideliter semper exspectatus, omnibus tam misericorditer exhibitus, patiendo fecit ut bonum, quod in fide ipsius fecerant, ipsis esset ad justitiam, per quam redirent in patriam amissam. Unde, quia ipse solus omnium bonum exstitit, nemo justus ante ejus passionem ipsam patriam introivit, donec ipse veniret, et cunctos redimeret, ac redemptis ejusdem patriæ aditum reseraret. Quia etiam justitia omnium ad ipsum solum erat referenda, ipsi soli ascribenda, unus eorum pro omnibus ait: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII). Tibi gloria quia tua gratia, ex qua nobis est justitia, non ex virtute nostra. Nam secundum propheticum sermonem: *Omnia opera nostra nobis operatus es, Domine* (*Isa.* XXVI). *Apud quem*, sicut ait Moyses, *per se nullus innocens est*

det, perhibetur, quia dum forti perfectorum virorum custodia munitur a portis etiam inferorum non inquietatur. *Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus; et qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur.* Ut, jam ulterius Balac a sua stultitia quiescat, Balaam firmiter in hujus ultimæ benedictionis fine pronuntiat: quod illius rei quisque particeps erit, quam in justos Dei benedicendo vel maledicendo protulerit. *Qui benedixerit*, inquit, *tibi, erit et ipse benedictus.* De illa benedictione certissime Spiritus sanctus hic agit, quæ non solum ore fit, sed ex corde benedicto atque benevolo procedit. Balaam quippe filiis Israel benedixit, sed quoniam hoc solum ore et invitus, et non ex bona voluntate fecit, nequaquam ejusdem benedictionis particeps fuit. Quem potius crediderim maledictionis impiæ, quam impio corde gessit, participem exstitisse: et idcirco in culpam pravi consilii adversus filios Israel damni corruisse, ac tandem eorum gladio interiisse. Quod autem qui populo Dei maledixerit, ejusdem maledictionis particeps sit, manifeste probatur sacra auctoritate, qua dicitur: *Maledici regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* vi). Maledici namque æterna maledictione cum cæteris malefactoribus plectentur, cum eis in fine dicetur: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv). Et nunc, charissimi nobis, elaboremus ex his quæ dicta sunt, benedictionis justorum participes esse, ut eorum meritis, et precibus adjuti et in mundo, et in cœlo, benedictionem hereditario jure mereamur possidere. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus.

SERMO LXXX.

De eodem historia, et benedictione Balaam. In festo quorumlibet sanctorum homilia.

Iratus Balac contra Balaam complosis manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus econtrario tertio benedixisti. Revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te, sed Dominus privavit te honore disposito (*Num.* xxiv). Diabolus, ut ex his verbis manifeste cognoscitur, tanto acrius irascitur, quanto crebrius suæ malitiæ conatus non solum inefficaces esse, verum et in bonum justis cooperari, et eis eum tentatione proventum divinitus dari patenter experitur. Dum enim justorum gloriosam vitam et profectum, vani et profani populi blasphemiis destruere nititur, et sententia per divinam providentiam in contrarium vertitur, graviter dolet et conqueritur. Tertio autem justorum vita a vano populo benedicitur, dum ab ipso illorum cogitatio, sermo, actio benedicta prædicatur. Vanus quoque populus honore a diabolo disposito privatur, dum favore vanæ laudis, quam ex oppressione et diminutione gloriæ justorum detrahendo meruisset, penitus defraudatur. Qui ad locum suum infecto negotio revertitur dum a consideratione et laude justorum decidens in consueta vitia relabitur. *Sed et Balac per viam qua venit ad suum locum redit*, dum diabolus frustrato pravæ intentionis effectu in occultum suæ malitiæ ad alia deceptionis machinamenta cogitanda se retrahit. Vanus denique populus dum verbis nequissimis adversum justos manifeste servire non præsumit, occultis consiliis erga eum invidia adhuc stimulante nonnunquam sævit. Hinc est quod Balaam ad populum suum pergens ait: Verumtamen pergens ad populum meum dabo consilium, quid populus tuus huic populo faciat extremo tempore, id est ad ultimum antequam separetur ab eo. Hoc est autem consilium quod dedit ei, scilicet ut virgines, quarum specie castitas illudi posset, circa tentoria eorum mitterentur; quæ juvenes ad se declinantes interior allicere sibi laborarent, ut eos transgredi legea patrias facerent, et deos colerent alienos; ut Deo suo eis irato, vel ad modicum tempus humiliarentur. Quod et factum est. Sane Balaam adhuc quarto sublevatus prophetiæ spiritu assumpta parabola sua quædam de Christo, quædam iterum de spiritali populo, quæ in posterum et in longinquum erant futura, locutus ait: *Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga ex Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth; et erit Idumæa possessio ejus. Hæreditas Seir cedet inimicis suis; Israel vero fortiter aget; de Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis.* Post hæc prædictis quarumdam gentium ruinis, reversus est in locum suum. Nisi autem pluribus sacræ Scripturæ testimoniis notum esset, et malos donum prophetiæ, quemadmodum et alia quædam dona spiritalia posse habere, vehementer esset mirandum, ariolum istum spiritu prophetico sublevatum tam sublimia de Christo, populoque justorum prophetare potuisse.

Videbo, inquit, *eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope.* Quasi diceret: Consilium quidem, quod vobis dedi, cum filii Israel per terram vestram transibunt, poterit impleri: sed quæ subjungo, in tempus longum implebuntur. *Orietur stella ex Jacob, et consurget virga ex Israel.* Christus stella, Christus virga. Stella, quia illuminat; virga quia castigat. Illuminat in bono, castigat de malo. Illuminat ignorantes, castigat delinquentes. *Et percutiet duces Moab*, etc. Per istos omnes, quos hæc virga percussura dicitur, conversio gentium manifeste significatur. Christus quippe gentes percussit, dum eas per fidem suam mortificavit mundo, ut viverent Deo. Hoc autem, quod Balaam de Christo dixit, *percutiet duces Moab*, etc. videtur et David postmodum in persona Christi cecinisse, dicens: *Moab olla spei meæ, in Idumeam extendam calceamentum meum*, id est fidem incarnationis meæ. *Mihi alienigenæ subditi sunt* (*Psal.* LIX). Moab etenim olla Christi est, dum gentilitas per dilectionem a sua cruditate bene cocta, ejus desiderium quo nostram salutem esurit, sanete vivendo reficit. In Idumæam quoque suum calceamentum tendit, dum eidem gentilitati humanitatis suæ fidem dedit. Et alienigenæ illi subditi sunt, dum et illi, qui non sunt ex Israel, in eum

credunt. Primitiva nempe Ecclesia est, quæ significatur, ubi dicitur : *Meus est Galaad, et meus est Manasses, et Ephraim fortitudo capitis mei Juda, et rex meus* (*ibid.*). Deinde conversio gentium quæ figuratur, ubi dicitur: *Moab olla spei meæ*, etc. (*ibid.*). Istos omnes Christus percutit, dum mundo mortificans sibi viventes reddit. Hæreditas etiam Seir inimicis suis cedit, et Israel fortiter agit, dum gentilitas prædicantium verbis colla submittit, et cœtus prædicantium eam in bona operatione strenue disponit. Hæc fortitudo spiritualis Israel in apostolis primum effulsit, deinde in aliis justis subsequenter enituit. Apostolis nimirum dictum est : *Estote* fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente. Quod non solis apostolis dictum esse constat, secundum illud : *Quod vobis dico, omnibus dico* (*Marc.* XIII). *De Jacob erit qui dominetur*, scilicet Christus, *et perdat reliquias civitatis* Babylonicæ spiritualis. Illos enim perdit, quos ad damnationem relinquit. Quorum damnatio per ruinas gentium subjectarum designatur dum subditur : *Cumque vidisset Amalec, ait : principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur. Vidit quoque Cinæum*, et ait : *Robustum est quidem habitaculum tuum, sed si in petra posueris nidum tuum, et fueris electus stirpe Cain, quandiu poteris permanere? Assur enim capiet te. Venient in triremibus de Italia, superabunt Assyrios, vastabunt Hebræos; et ad extremum etiam ipsi peribunt.* Per istarum igitur gentium subversionem universorum malorum intelligimus damnationem.

Morabatur autem Israel eo tempore in Setim, et fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, et adoraverunt deos earum; initiatusque est Israel Beelphegor. Et iratus Dominus ait ad Moysen : Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis (*Num.* XXV). Propterea videntur principes puniri, quod debuissent prævaricatores punire. *Dixitque Moyses ad cunctos judices Israel : Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor; et perierunt illa die viginti quatuor millia hominum.* Setim interpretatur *spinæ*. Bene ergo dicitur de filiis Israel quod in Setim, id est spinis morabantur, dum peccaverunt, quia credibile prorsus est quod præcedentium spinæ peccatorum exigebant, ut in tam gravia scelera laberentur. *Abyssus enim Abyssum invocat* (*Psal.* XLI), quia culpa culpam generat. Et alibi de peccatoribus dicitur : *Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum* (*Deut.* XXXII). Per hoc autem quod idolo sacrificaverunt, intelligimus omnem infidelitatem, per hoc vero quod fornicati sunt, omnem pravam actionem. Utroque igitur pede, fidei scilicet et actionis, a semita recta claudicaverunt, quando in prædicta scelera corruerunt. Sed in ultione fornicationis mirabilis et laudabilis Phinees exstitit, qui Zambri ducem tribus Juda, et Cozbi Madianitidem feminam concumbentes justitiæ zelo accensus in locis genitalibus perfodit, et iram Dei in populo sævientem placavit. Unde et Dominus illi statuit testamentum pacis et principem fecit illum, ut sit illi sacerdotii dignitas in æternum (*Eccli.* XLV). Et nunc, charissimi, nobismet ipsis ex his quæ dicta sunt, attendentes; et si non nostræ detrimentum gloriæ maledictionibus vani populi patimur, caveamus tamen, ne pravis eorum consiliis in peccatum collabamur. Et si aliquos ex nobis deceptioni diaboli ac vani populi in culpam corruisse cernimus, statim malum ex nobis auferamus, ut exemplo Phinees justitiæ zelo accensi, illud nostræ discretionis gladio puniamus, ut eum justis, justorum meritis et precibus adjuti, terram lacte et melle manantem ingredi mereamur. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster.

SERMO LXXXI.

In festo S. Gregorii de candelabro, de quo Exod. XXV.

Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant (*Luc.* XI). Candelabrum, fratres, est Ecclesia; beatus Gregorius, cujus hodie solemnia colimus, est lucerna. Candelabrum est Ecclesia : quia candelabrum malleis extenditur, et instrumentum luminis efficitur, et sancta Ecclesia, tentationibus probata, tunsionibus persecutionum attenuata, ardet igne sapientiæ cœlestis, et lucet opere charitatis. Candelabrum super tres pedes stabilitur, et sancta Ecclesia super fidem sanctæ Trinitatis fundatur. Legimus in Exodo quod Dominus Moysi de candelabro faciendo præcipiens ait : *Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile ejus, et calamos, et scyphos, et sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, et tres ex altero. Tres scyphi erunt quasi in modum nucis per singulos calamos, sphærulæque ac lilia. Hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili. In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos, et lilia. Sphæræ igitur et calami ex ipso erunt, universa ductilia de auro purissimo. Facies et lucernas septem, et pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso. Emunctoria quoque, et ubi ea quæ emuncta sunt exstinguantur, fient de auro purissimo. Omne pondus candelabri universis suis habebit talentum auri mundissimi* (*Exod.* XXV). Sancta igitur Ecclesia candelabrum ductile et aureum est. Candelabrum, quia super fidem sanctæ et individuæ Trinitatis fundata, et ad continendum verum divinumque lumen instituta. Ductile, quia variis persecutionum tunsionibus secundum successionem et prolixitatem temporum ad incrementa virtutum, augmentumque fidelium suorum producta. Aureum, quia charitatis intimæ fulgore præclara. Candelabrum, et quæ de ipso procedebant erant ductilia, quia *quicunque volunt pie in Christo vivere, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III). Erant aurea, quia cuncta sanctorum justitia, sive flamma charitatis perfectæ, sive luce sapientiæ probatur esse præfulgida.

Per hastile candelabri, quod in ipso constat esse

fortissimum, maximum et iotimum, nec solum rectum, sed et erectum convenienter iotelligimus viros in sancta Ecclesia in operibus fortissimos, in virtutibus præcipuos in interioribus deditos, ad superna contemplanda sublimiter erectus et elevatos, nec ad exteriora negotia tractanda dextra levaque deflexos. Isti etenim sunt coram divinis aspectibus præcipui et optimi, qui optimam partem elegerunt, quæ non auferetur ab eis (*Luc.* x). Unde et in hastili candelabri quatuor scyphi, sphærulæ, et lilia fieri præcipiuntur, cum in calamis ex ipso procedentibus non nisi tres scyphi, sphærulæ, et lilia fuisse describantur, ut per hoc contemplativorum merita activorum vitam transcendere demonstrentur. Aliter. Possumus per hastile, quod est in candelabro fortissimum, principale et medium, et ex quo cætera procedunt, et in quo habent fundamentum, Christum intelligere, qui sanctorum omnium est fortitudo, principium, et fundamentum, et *in* quorum medio est, sicut ipse testatur, dicens : *Ubi fuerint duo congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Ex quo veraciter procedunt, quis quidquid boni faciunt, ex ipso percipiunt. Hinc est enim quod ipse dicit : *Ego sum vitis, et vos palmites* (*Joan.* xv). Quasi dicat : Ego sum hastile, et vos calami. Sicut non potest palmes fructificare, nisi manserit in vite, et sicut calamus non potest se erigere ad supportandum lucernam, nisi manserit in candelabri stipite, sic et vos nisi in me manseritis, non potestis lucem veritatis et fidei ferre. Hastile igitur Christus, cætera quæ ab hastili procedunt cuncti fideles sunt. In hastili quaternarius scyphorum et aliorum quæ sequuntur describitur, cum in calamis non nisi ternarius reperiatur, ut per hoc manifeste pateat quod bonum, quod in Christo est per plenitudinem in ejus fidelibus non esse nisi per solam plenitudinis participationem. Calami procedentes de hastili, et qui in candelabro post hastile fuere præcipui, sancti apostoli et universi prædicatores sunt. Qui recte dicuntur calami, quia spiritu divino repleti. Qui dum nobis sacram fidem prædicant, quasi canticum novum suaviter sonant. De quo ipsorum sono Psalmista cecinit, dicens : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Qui etiam sex esse describuntur, ut per senarium eorum perfectio designetur. Senarius enim perfectus numerus est, sive quod Deus sex diebus hunc mundum perfecit, sive quod idem senarius ex partibus suis constat. Quemadmodum autem calami significant prædicatores, ita et scyphi designant auditores. Quia namque scyphis vina infunduntur, recte per scyphos auditores verbi figurantur. Et sicut scyphis aliis plus, aliis minus liquoris infunditur, sic auditoribus aliis plus, aliis minus gratiæ cœlestis in prædicatione confertur. Unicuique secundum mensuram fidei, et mensuram donationis Christi.

Scyphi denique, id est auditores, dum vino spiritali replentur, et inebriantur, ad effectum boni operis fortiter animantur. Unde et de sphærulis statim additur. Sphærulæ namque, quæ volubiles sunt, jussos in bono opere veloces exprimunt. Sphærula omni parte volvitur, et perfecta justorum actio, nec adversitate tardatur, nec prosperitate elevatur; quæ inter adversa fortis, inter prospera humilis, nec timoris habet angulum, nec elationis. Lilia autem designant supernam retributionem. Per virorem quippe figurant immarcessibilitatem æternitatis. Per candorem decorem immortalitatis. Calami ergo, scyphi, et sphærulæ pertinent ad laborem, lilia ad retributionem. Calami de hastili procedebant, tres hinc et tres inde, quia et ante incarnationem Christi tempore naturalis legis, tempore scriptæ legis, et tempore prophetarum fuerunt sancti, qui fidem sanctæ Trinitatis mystice designarent; et post incarnationem ejus existunt, tempore primitivæ Ecclesiæ, tempore electionis nostræ de gentibus, tempore ultimo quando reliquiæ Israel convertentur, quæ eamdem fidem prædicens. Per singulos calamos describuntur scyphi, sphærulæ, lilia, quia et sub antiquis, et sub modernis prædicatoribus singulis prædictis temporibus inveniuntur fideles potum gratiæ sitire, in via Dei bene operando currere, immarcessibilem virorem æternitatis, et incorruptibilem candorem immortalitatis exspectare. Per singulos autem calamos erant tres scyphi, sphærulæ, lilia, ut designetur omnibus temporibus exstitisse rectores, continentes conjugatos, qui in Ezechiele per Noe, Daniel et Job figurantur. Scyphi in modum nucis, quæ testam duram, nucleum dulcem habet, jussi sunt fieri, ut per hoc demonstretur, quod dulcedo difficile nonnunquam acquiritur, sed cum habetur multum sapit, multum amatur. Si quis autem quærit quomodo mystice hastile, quod Christum significat, scyphos, et sphærulas, et lilia continebat, prudenter animadvertat, quod Christus non solum electis suis virtutum scientiam, operationem, et remunerationem tribuit; sed etiam in seipso scyphi figuram ostendit, cum se plenum Spiritu sancto declaravit, et sphærulæ, cum *exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII). Lilii quoque, cum apud Patrem glorificatus est. Ultimus autem, id est supremus scyphus, sphærula, lilium in hastili altiora calamis eminent, quia dona, quæ Christo Deus contulit, omnem transcendunt modum humanæ capacitatis. *Unicuique enim nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* (*Ephes.* IV). *In ipso autem habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* II). Septem lucernæ, quæ super candelabrum ponebantur, ut lucerent ex adverso, universi prælati sunt, qui sanctæ Ecclesiæ præpositi ex adverso lucent, dum verbo et exemplo peccatoribus justitiæ lumen præbent, dum medentur contritis corde, dum prædicant captivis indulgentiam. Septenario autem universitatem significari sæpe diximus. *Emunctoria quoque et ubi quæ emuncta sunt exstinguantur fient de auro purissimo.* Sunt quædam in Scripturis præcepta et in hac vita, et in futuro observanda

perpetuo, ut est illud : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc. (*Matth.* XXII). Sunt alia, quæ tempore vitæ hujus jubentur observari, ut in futuro merces retribuatur, ut est illud : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI). Sunt et alia, quæ in Veteri Testamento Domino jubente servata, jam coruscante Evangelio non secundum litteram, sed juxta sensum mysticum observantur, ut ritus hostiarum, et alia hujusmodi. Quæ dum ab apostolis prædicabantur esse finita, et spiritualiter tantum esse servanda, emungebantur ellychnia candelabri, ut reparata melius lucerent, quia sublimius intellecta lucem doctrinæ plenius præberent. Ad hanc reparationem pertinet quod scriptum est : *Vetera novis supervenientibus projicietis* (*Levit.* XXVI). Et alibi : *Ecce nova facio omnia* (*Apoc.* XXI).

Constat enim Apostolos ante passionem Sabbatum solvisse, et post ascensionem Domini, et adventum Spiritus sancti eosdem penitus legalibus hostiis imposuisse. Item finita mortali vita, et succedente immortali cessabunt maxima ex parte opera vel dona lucis, quibus nunc utimur, ut sequantur præmia æterna in præsentia divinæ visionis. *Sive enim prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur* (*I Cor.* XIII). Verba vero sacræ Scripturæ, quæ hæc ita fieri testantur, emunctoria sunt aurea, quia spe futuræ claritatis eximia. Vasa, in quibus quæ emuncta sunt exstinguuntur, corda sanctorum sunt, in quibus istæ mutationes fiunt, quæ et ipsa sunt aurea, quia luce sapientiæ, et flamma charitatis clara. *Omne denique pondus candelabri cum universis vasis suis habebat talentum auri mundissimi.* Omne nempe quod Deus facit, in *numero, et pondere et mensura* facit (*Sap.* XI). Quæ tria secundum spiritalem intelligentiam eamdem possunt habere significationem. Ad hoc pondus sive mensuram pertinet quod supra dictum est : *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* (*Ephes.* IV). Ab hac mensura solus Christus excipitur, ad quem solum pertinet quod scriptum est : *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum* (*Joan.* III). Christus enim, ut et supra monstratum est, habet gratiam plenariam, quæ cæteris dividitur ad mensuram.

Intelligimus igitur per candelabrum Ecclesiam ; per hastile, Christum ; per calamos, prædicatores ; per scyphos, auditores ; per sphærulas, operatores ; per lilia, retributiones ; per lucernas, prælatos ; per emunctoria sacræ Scripturæ verba, quædam opera et virtutes quandoque evacuari contestantia ; per vasa in quibus emuncta exstinguebantur, corda sanctorum in quibus hæc evacuantur ; per pondus candelabri, mensuram doni, meriti, sive præmii. Talentum, quod est maximum in ponderibus, perfectionem significat. Hæc igitur lucerna beatus, videlicet Gregorius, cujus hodie solemnia celebramus, super candelabrum non in quolibet loco, sed in summo posita, tanto longius et latius suos radios diffundit, quanto sublimius posita fuit. Lucet itaque nobis lucerna radiis diversis, radiis eximiis, radiis præclaris. Lucet enim nobis virtutibus, lucet operibus, lucet verbis, lucet miraculis, lucet asperrima religione, lucet fragrantissima opinione, lucet merito, lucet præmio. Et nunc, charissimi nobis, ad hujus lucernæ radios incedamus, ut devia quæque devitantes, et per semitam justitiæ gradientes, ad superna gaudia venimus. Quod nobis præstare, etc.

SERMO LXXXII.

In festo Omnium Sanctorum. — Expositio tropologica psalmi CXLIX.

Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. In his et in sequentibus verbis, charissimi, quæ sit sanctorum dignitas declaratur, et sub paucorum brevitate verborum quæ sit eorum gloria designatur. *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Gloria sanctorum est bona conscientia eorum, Paulo attestante, qui ait : *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I). Sancti ergo non inconvenienter exsultare dicuntur in gloria, dum exsultant in sua bona conscientia. Ad hoc quoque spectat quod prædictus Apostolus ait : *Opus suum unusquisque probet, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero* (*Gal.* VI). Gloriam autem conscientiæ cæteris justorum virtutibus sanctus Psalmographus, imo Spiritus sanctus anteponit narratione, non quia præcedit ordine, sed quia supereminet dignitate. Præcedit enim virtus, et bona actio, et per has itur, et ad bonam conscientiam pervenitur. Quis siquidem bonam habet conscientiam, nisi qui ex virtute, et actione se cognoscit habere justitiam? Illorum ergo tantum est exsultare in gloria, in quibus est bona conscientia, quam sola constituit justitia. *Lætabuntur* in *cubilibus suis.* Sancti suis in cubilibus lætantur, dum a carnis desideriis remoti, a curis sæcularibus elongati, et in pace interna positi, cœlestia bona quiete contemplantur. Per cubilia nempe, in quibus dormitur, interna quies accipitur ; quam tunc vere mens adipiscitur, cum ab exterioribus perfecte quiescit, et solis internis intendit. Horum cubilium, et quietis in Canticis canticorum sponsa meminit, ubi dicit : *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* V). Ille nimirum bene dormit, et cor ejus vigilat, qui sopitis ad exteriora sensibus, intrinsecus ad interna contemplanda devote vacat. Hanc cubilium quietem cuncti carnales odio habent, quibus exteriora sola placent. Quos sub Ephraim nomine propheta subtiliter redarguens dicit : *Ephraim vitula docta diligere trituram* (*Ose.* X). Vitula namque trituram amat, quia comedit de spicis, quas triturat. Sic carnales omnes exteriora negotia totis præcordiis amant, non ut Ecclesiæ necessitatibus vel utilitatibus inserviant, sed ut largiori et lautiori cibo, potuque inanibus etiam verbis et vanitatibus mundanis ad libitum suum se reficiant. Denique grave sibi damnum fieri conqueruntur, quoties eis exteriora custodienda, vel dispo-

nendis non injunguntur. At non ita sancti, præsertim perfecti, qui interna magis diligunt, ex quibos potiora gaudia sumont. Unde et subditur : *Exsultationes Dei in gutture eorum.* Exsultotiones Dei in gutture sanctorum sunt, dum pro acceptis beneficiis exsultanter Deo gratias agunt. Hinc est quod prophets de Jerusalem, imo de universitate justorum dicit : *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiorum actio, et vox laudis* (*Isa.* LI). Sed quia non sufficit ut cuiquam tantummodo bonum faciat, nisi et in aliis malum pro viribus destruat, apte subditur :

Et gladii ancipites sive bis scuti, id est ex utraque parte acuti, *in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in ejus judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Unde Apostolus, cum de spiritali armatura loqueretur, de gladio dicit : *Et gladium spiritus,* id est gladium spiritalem, *quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI). Et alibi : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis* (*Hebr.* IV). Pluraliter autem hic dicuntur gladii, quia duo sunt Testamenta verbi Dei. Ad quod forsitan spectat illud Evangelicum : *Domine, ecce duo gladii hic* (*Luc.* XXII). Qui recte his acuti sunt, quia foris in nobis amputant luxuriam carnis, et intus resecant malitiam cordis. Bis acuti sunt, quia bonos a malis, et malos a bonis discernont. Gladios autem sancti tenent in manibus, quia verba sacra quæ prædicant exercent operibus. Ad quid etiam teneant eos declaratur, cum subditur : *Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Possumus autem per nationes hoc in loco convenienter intelligere malos per populos bonos, infirmos tamen et imperfectus. Sancti itaque in nationibus gladiis Dei vindicant, dum secundum præcepta sacræ Scripturæ malos excommunicant, vel certe in eos vindictam quandoque venturam prædicant. Increpationes in populis faciunt, dum bonorum perfectorum et infirmorum qualibet transgressiones veniales et leves sacris verbis redarguunt. Mali ex industria malæ voluntatis, et elatione culpam incurrunt; boni ex ignorantia, vel infirmitate delinquunt. Et quantum distat nequitia malorum ab imperfectorum infirmitate, tantum vindicta videtur differre ob increpatione. Nequitia quippe, et vindicta sunt graviores; infirmitas autem et increpatio leviores. *Ad alligandos reges eorum in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis.* Reges hoc in loco dici possunt, quorum est ex officio virtute discretionis alios regere. Nobiles, qui eujuslibet fulgore dignitatis cæteris videntur præpollere. Qui quanto sublimiores sunt, tanto facilius ad citios in culpam nonnunquam esduut. Quos sancti in compedibus et manicis ferreis ligant, quoties eorum pravitatem auctoritate suæ sanctitatis refrenant. Nec solum sancti prælati istos prælatos, et nobiles ignobiliter viventes a suis pravitatibus cohibent; verum et subjecti eorumdem malorum ipsos cohibere debent, ne possint manus eorum, quod cœperant, implere, vel si incœperint, non possint consuescere, vel diutius tenere. Nisi enim subditi cum auctoritate mala eorum reprobent et eis contradicant, seductionis eorum se reos sciant. Si enim asina Balaam sessorem suum usque ad gladium angeli subvexisset, nonne uterque eorum sententiam aubiisset? Nunc autem ei restitit, calces allisit, verbis contra naturam increpavit, sicque se et illum solvavit. Sic et Paulus restitit in faciem Petro, *quia reprehensibilis erat* (*Gal.* II).

Quod autem prælatus subditorum correptionem libenter amplecti debeat, beatus Gregorius in Pastoralibus demonstrat, dicens : « Prælatus, qui prava studet agere, et tamen ad hæc videt cæteros tacere, ipse sibimet testis est quod plus veritate se appetit diligi, quam contra se non vult defendi. Hinc Petrus increpationem Pauli libenter accepit. » Hinc David correptionem subditi humiliter audivit, quia et rectores boni, dum privato amore se diligi nesciunt, liberæ puritatis verbum a subditis, obsequium humilitatis credunt. Sed inter hæc necesse est quatenus subditorum mens, cum quædam recte sentire potuerit, sic in vocem libertatis prodeat, ut tamen libertas in superbiam non erumpat, ne dum forte immoderatius eis linguæ libertas conceditur, vitæ ab his humilitas amittatur. *Ut faciant in eis judicium conscriptum.* Judicium conscriptum dici potest divinum decretum auctore Deo in mundo sancitum a Patribus litteris commendatum. Quod videlicet judicium sancti in nationibus, populis, regibus, et nobilibus eorum faciunt, dum alios pro contumacia puniunt, alios de suis transgressionibus corripiunt, et integritati virtutum restituunt in quantum possunt. *Et hæc est gloria omnibus sanctis ejus,* ut videlicet ipsi boni per justitiam existant, et in aliis puniendis vel corripiendis secundum rationem prædictam gratiam sibi datam exerceant. *Omnibus sanctis ejus,* id est non solum majoribus, sed et minoribus. Inferiores enim licet in aliis puniendis vel corripiendis potestative non agant, potestative tamen agentibus cooperantur, et si non facto vel verbo, tamen voto. Unde est illud : *Lætabitur justus, cum viderit vindictam* (*Psal.* LVII). Et si gaudet justus, eum videt iniquis vindictam illatam, multo plus goodere, credendus est, dum videt peccatoribus per correptionem et emendationem veniam concessam, sanctitatem restitutam, quemadmodum *gaudium est in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente, magis quam super nonaginta novem justis, qui non egent pœnitentia* (*Luc.* XV). Sancti itaque, ut supra dictum est, exsultabont in gloria per bonæ conscientiæ glorintionem : lætantur in cubilibus suis per internam quietem; exsultationes Dei sunt in gutture eorum per gratiarum actionem; gladii ancipites in

manibus per sacri verni operationem; faciunt vindictam in nationibus malos puniendo; increpationes in populis, delinquentes corripiendo; alligant reges et nobiles etiam superiores, sed cum reverentia a pravitate cohibendo; faciunt in his omnibus judicium conscriptum, hoc quod Deus per Scripturam faciendum judicat exsequendo. Laboremus, charissimi nobis, bonorum quæ de sanctis dicta sunt esse participes, ut eorum gloriæ mereamur esse consortes. Quod nobis præstare dignetur, etc.

SERMO LXXXIII.

In festo Omnium Sanctorum. — Expositio anagogica psalmi CXLIX.

Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Hæc superius secundum sensum tropologicum exposita sunt, sed adhuc secundum anagogicum sensum, ad quem etiam magis pertinere videntur, exponi possunt. *Exsultabunt* itaque *sancti in gloria*, quia non solum nunc exsultant in gloris, ut supra dictum est, per bonam conscientiam in tempore, verum etiam post tempus exsultabunt in gloria per retributionem in æternitate. Quæ gloria, quanto magis nunc est incognita nostro sensui, inexperta affectui tanto difficilior est locutioni. Gloria namque hæc ipse Deus est, quem nemo vidit unquam (*I Joan.* IV), qui est incomprehensibilis cogitatu, qui dum suos sanctos in cœlo luce suæ claritatis illustrat, suæ gloriæ beatitudinem illis perfecte participat. De qua gloria, ut quoque modo nobis significetur, scriptum est : *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* XIII). Quis ergo putas fulgor erit, dum innumerabilia millia justorum sociabuntur innumerabilibus millibus angelorum? Et si tam inæstimabilis claritas erit in his creaturis, quis, quæso, æstimet fulgorem summæ majestatis, non solum illum qui est divinitatis, verum etiam illum qui est glorificatæ in Christo humanitatis, quem omnis creaturæ claritatem incomparabiliter transcendere certissimum est? Nam de ipso etiam ante passionem, et ante resurrectionis ascensionisque ejus gloriam, in ejus transfiguratione scriptum est quod *resplenduit facies ejus sicut sol* (*Matth.* XVII). Legimus in *Apocalypsi* de angelo, qui in similitudinem Filii hominis beato Joanni apparuit, scriptum quod *facies ejus erat sicut sol quando lucet in virtute sua* (*Apoc.* I). Clarissimam in rebus visibilibus creaturam ad exprimendam claritatis ejus gloriam posuit, dum faciem ejus sicut solem in virtute sua lucere, id est in meridie, dixit. Perpendat igitur qui potest qualis sit æterna et immensa claritas incomprehensibilis et ineffabilis divinitatis, si tam mirabilis fuit apparens similitudo glorificatæ in Christo humanitatis. Beata autem gloria justorum, sive gloriosa beatitudo eorum erit summæ Divinitatis, et glorificatæ in Christo humanitatis claritate perlustrari, et eam sine fine contemplari. Unde et in Apocalypsi iterum scriptum est quod *civitas superna, scilicet Jerusalem, non eget sole neque luna, ut luceat in ea; nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus Agnus est* (*Apoc.* XXI). Perpendat enim qui potest (sed non est, ut credo, qui possit) quanta erit sanctorum gloria, quando bonus servus et fidelis intrabit in gaudium Domini sui (*Matth.* XXV), quando bonus operarius post laborem operis sui percipiet lucrum denarii (*Matth.* XX); quando sapientes virgines cum sponsa et sponso intrantes lætabuntur in æternum in cœlesti thalamo (*Matth.* XXV); quando recipientes eos in æterna tabernacula mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinum eorum (*Luc.* VI); quando absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum suorum, et jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor; quoniam priora transierunt (*Apoc.* XXI); quando gaudium et lætitiam tenebunt, quando fugiet dolor et gemitus, quando replebimur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potabit nos et quando in lumine ejus videbimus lumen (*Psal.* XXXV); quando nostrum esse non habebit mortem, nostrum nosse non habebit errorem, nostrum amare non habebit offensionem; quando vacabimus et videbimus, videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus nostri magnificentiam Creatoris, qui Deus super omnia benedictus in sæcula. Magna est igitur gloria, ut in præcedenti sermone diximus, habere bonam conscientiam, sed longe amplior est gloria habere vitam æternam. Magnum quippe est si sis justus et incomparabiliter est amplius, si sis et beatus.

Lætabuntur in cubilibus suis. Possumus hic per cubilia sanctorum intelligere supernas mansiones eorum, de quibus Salvator ait : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV). Quam etiam domum propheta commendans ait : *O Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis ejus; magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus* (*Baruch.* III). De hoc quoque loco, Salvator ait : *Vado parare vobis locum* (*Joan.* XIV). In cujus domus sive loci mansionibus, dum sancti secure pacifice, et quiete vivunt, velut in cubilibus suaviter requiescunt. *In cubilibus*, ait, *non in cubili*, quia secundum differentiam meritorum erit et differentia præmiorum. *Stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum* (*I Cor.* XV). Et alibi : *Unusquisque proprium mercedem accipiet secundum suum laborem* (*I Cor.* III). *Exsultationes Dei in gutture eorum.* Exsultationes Dei tunc in gutture eorum erunt, quia sine fine Deum laudabunt, eo quod mala evaserunt bona perceperunt, et hæc in perpetuum absque detrimento possidebunt. De hac æterna laude sanctorum est illud Psalmistæ : *Misericordias Domini in æternum cantabo* (*Psal.* LXXXVIII). Qualis autem sit exsultatio sanctorum in cœlesti gloria, et lætitia in cubilibus istis, exsultationes quoque in gutture eorum, illorum solummodo est cognoscere quibus datum est et habere. Unde quidam rythmico carmine supernam affatus Jerusalem pulchre dixit :

Quantum tui gratulentur,
Quam festive conviventur,

Quis affectus eos stringat,
Aut quæ gemmæ muros pingat,
Chalcedon an hyacinthus,
Norunt illi qui sunt intus.

Quia ergo non est qui possit cognoscere quæ sanctorum erit gloria, quam possidebunt cum videndo, quæ eorum requies, quam habebunt superuis in cubilibus quiescendo: quales exsultationes, quæ in eorum personabunt gutture Deo canendo, scrutemur interim, et sanemus infirmitatem nostram, ut ad illa bona mereamur quandoque pertingere, quæ nondum valemus videre. Laboremus totis viribus ad illam lucem pervenire, quæ in tenebris lucet, et quam tenebræ non valent comprehendere. *Et gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis,* etc. Insinuatis bonis cœlestibus, quæ sancti in futuro possidebunt, redit ad insinuandam eorum potentiam, quam in die judicii cum Judice in damnandos exercebunt. Apostoli quippe, et perfectissimi quique cum Christo judicaturi mundum credendi sunt. In quorum manibus gladii ancipites ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis erunt, quia secundum verba Scripturæ, quæ ipsi tenuerunt, et illi contempserunt, eos in anima et corpore æternaliter puniri debere judicabunt. *Tunc enim stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores illorum* (*Sap.* v). Tunc stabit beatus Benedictus pro suis monachis; beatus Augustinus pro suis clericis; beatus Petrus, et omnes apostoli, et ecclesiastici prælati pro sibi commissis adversus impios, injustos et raptores, qui eos cruciaverunt, et possessiones Ecclesiæ, et substantias fidelium injuste diripuerunt; et januas cœli ingredi non sinentes projicient eos in tenebras exteriores. Possumus autem per vindictam in nationibus graviorem pœnam his qui graviora scelera perpetraverunt inferendam accipere. Per increpationes in populis, minorem in inferno cruciationem his qui minora commiserunt crimina imponenda intelligere. Gravius enim adulteri quam fornicatores cruciabuntur. Post hoc autem quod post generalem majorum pœnam, specialiter regibus, et nobilibus eorum singularis quædam cruciatio attribuitur, patenter ostenditur quod ut scriptum est *judicium durissimum in his qui præsunt, fiet* (*Sap.* vi), et quod *potentes potenter tormenta patientur* (*ibid.*). Et item: *Fortioribus autem fortior instat cruciatio* (*ibid.*). Justum est enim ut qui cæteris prælati ex concessa sibi potestate cæteris pejus operantur, cæteris gravioribus pœnis in damnatione et strictius arceantur. Et hoc est quod additur, *ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.* Judicium autem, quod in die judicii per sanctos in reprobos exercebitur, judicium esse conscriptum dicitur, quia per sanctos Patres in divina pagina scriptum est et sancitum. *Gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Gloria hæc, ut scilicet in semetipsis æternaliter gloriose fulgeant, et impios suo judicio æterno supplicio puniandos decernant. Æstimemus, charissimi, in quantum possumus, quæ vel qualis sit sanctorum gloria, et laboremus, ut consortes eorum esse mereamur in patria. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXXIV.

In festo sancti Augustini. De perfectione et gaudiis Ecclesiæ militantis et triumphantis.

Anima mea, benedic Dominum, quoniam liberavit Jerusalem civitatem suam. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndum claritatem Jerusalem. Portæ Jerusalem ex sapphiro, et smaragdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus. Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur, et per vicos ejus alleluia cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, ut sit regnum ejus in sæcula sæculorum super eam. Amen (*Tob.* XIII). Ista quæ proposuimus, ex verbis Tobiæ, quibus Dominum post receptum lumen oculorum suorum laudavit, accepimus. Tobias interpretatur *bonus Domini.* Tobias ergo sanctorum doctorum prælatorumque cœtum rectissime significat, qui vere bonus Domini excellenter est, et vocatur, non solum eo quod sancte vivendo, præcepta Dominica effectui mancipat, verum et idcirco quod sibi creditas animas ad fidem erudit, et ad recte vivendum informat. Ex quorum videlicet prælatorum, ac doctorum numero beatus Augustinus, cujus hodie solemnia celebramus, eminenter exstitit, qui suum discipulatum, gregemque perfectissime docuit, et ad serviendum Deo nihilominus instituit. Qui etiam merito suam animam ad benedicendum Dominum provocavit, quia lumen supernæ cognitionis sibi collatum non ignoravit. Per Jerusalem autem sanctam Ecclesiam intelligimus, quæ partim in terra peregrinatur, partim in cœlo gloriatur. Hic exsultat, ibi regnat; hic filia, ibi mater. Una est tamen civitas, una Ecclesia, una columba, una amica, una sponsa. Civitas civium cohabitatione, Ecclesia fidelium collectione, columba simplicitate, amica dilectione, sponsa fide. Et celebrantur nuptiæ utrobique, in mundo scilicet et in cœlo; sed hic in fide, ibi in specie; hic in spe, ibi in re. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII). Hic in nuptiis propinatur vinum gratiæ, ibi propinatur vinum gloriæ. De qua etiam civitate in principio verbi quod proposuimus intimatur, quod eam Deus liberavit; et in fine quod eam exaltavit. Ait enim:

Benedic anima mea Dominum, quoniam liberavit Jerusalem civitatem suam. Et in fine: *Benedictus Dominus, qui exaltavit eam.* Primum enim eam liberat, deinde exaltat. Liberat a malo, exaltat in bono; liberat in via, exaltat in patria. Liberat per gratiam, exaltat per gloriam. *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem.* Perpendat, qui potest, quanta sit charitas spiritalium patrum erga filios, qui filiorum salutem, ut ex his

(*Psal.* CLXVIII). Et licet ista, quæ dicta sunt, secundum utrumque sanctæ Ecclesiæ statum exponamus, ad futuram tamen melius referuntur. Unde et subditur: *Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, ut sit regnum ejus super eam in sæcula sæculorum. Amen.* Quamvis enim regnum Dei super Ecclesiam etiam in præsenti sit, in futuro tamen multo amplius fore videtur, cum videlicet omnis calumnia peccati defecerit, cum nec mors nec mortalitas ultra dominabitur nobis, sed *corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem: cum Filius tradiderit regnum Deo et Patri, et erit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV). Et nunc, charissimi, videamus, an de semine beati Patris Augustini, id est imitatores ejus simus sicut esse debemus. Attendamus, an verbum Dei, ejus exemplo legendo, meditando, tractando, prædicando, secundum gratiam nobis datam diligimus; an ejus honestissimam religionem sancte vivendo totis viribus imitamur. Si enim hæc facimus, vere semen ejus sumus, vere claritatem cœlestis Jerusalem cum ipso contemplabimur. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster. Amen.

SERMO LXXXV.

In festo sancti Michaelis primus. — Ex historia libri Judith.

Nota est historia de Judith, quomodo Holofernem principem exercitus regis Assyriorum, qui in eadem historia Nabuchodonosor appellatur, et in Ninivo regnasse perhibetur, interfecit. Qua peracta victoria et spoliis hostium collectis, dederunt filii Israel Judith in auro, et argento, et vestibus, et gemmis, et omni supellectili universa, quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt; et omnes populi gaudebant cum mulieribus, et virginibus, et juvenibus in organis, et citharis. Tunc cecinit Judith canticum hoc Domino, dicens: *Incipite Domino in tympanis: Cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum novum, exsultate, et invocate nomen ejus. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi. Qui posuit castra sua in medio populi sui, ut eriperet nos de manu inimicorum nostrorum* (*Judith.* XVI). Judith significat Ecclesiam, Nabuchodonosor diabolum, Ninive mundum, Holofernes aliquem robustissimum principem dæmonum, sive principatum gentium adversus Ecclesiam malignantium. Judith gladio Holofernis caput ejus abscidit; quia sancta Ecclesia cujuslibet hostis adversus malignantis superbiam per propriam malitiam confundit. Dum enim adversus Ecclesiam, vel quamlibet sanctam animam callidus hostis malignatur, et ipsa adjuvante gratia ejus malitiam evadit, in ipsum eadem malitia retorquetur, per quam et occiditur. Unde et impio presbytero adversus justam Susannam malignitati dictum est: *Recte mentitus es in caput tuum* (*Dan.* XIII). Et item scriptum est: *Mentita est iniquitas sibi* (*Psal.* XXVI). Justum est enim ut quod impius quisque adversus justum conatur, ipse sustinere cogatur. Omnes enim, *qui acceperint gladium, gladio peribunt* (*Matth.* XXVI). Spolia Assyriorum significant sapientiam, eloquentiam, opera quædam et virtutes, et bonorum disciplinam morum gentilium. In quibus omnibus nonnulla probantur imitatione utilia. Aurum significat sapientiam; argentum, eloquentiam; vestes bona opera; gemmæ, virtutes; varia supellex, bonorum ornamenta morum. Quæ filii Israel hostibus auferunt, Judith tribuunt, dum fideles omnes hæc exercentes ea ad laudem, et studium Ecclesiæ referunt. Sic populus Dei ab Ægypto recedens ipsam spoliavit, unde tabernaculum construxit. Sic justi sub Testamento Veteri, quæ hostibus abstulerunt, in ministerium templi consecraverunt. Omnes populi gaudebant cum mulieribus, et virginibus, et juvenibus in organis, et citharis. Mulieres sunt, qui materno affectu erga alios agunt, qui eos verbo doctrinæ pariunt, et nutriunt. Mulier sive mater fuit Paulus, quando ait: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV). Et item: *Lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* XIII). Nam virgines sunt, qui a negotio doctrinæ quiescunt; qui cum tantum, quæ Dei, non etiam quæ per officium doctrinæ proximi sunt, cogitant, et quomodo mente et corpore sancti Deo placeant solum elaborant. Juvenes sunt, qui per nullum boni operis effectum senescunt, sed renovatur ut aquilæ juventus eorum (*Psal.* CII), et si exterior eorum homo corrumpitur, interior tamen revocatur de die in diem (*II Cor.* IV). Cum his omnibus fideles populi exsultant, et quid intrinsecus gaudii de spirituali victoria habeant, extrinsecus demonstrant in organis, id est canticis spiritualibus et citharis, id est bonis operibus. Organa namque, ut sonum reddant, implentur vento, et per hoc significant cantica plena Spiritu sancto. Citharæ vero, ut sonent, manu tanguntur, et propterea per citharas opera bona figurantur.

Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum novum. Sancta Ecclesia in hoc cantico et pro adepta victoria gratias agit, et fideles suos quando ei concinant instruit. *Incipite Domino in tympanis.* Intendite, fratres. Ut enim ex his verbis perpendi potest; *non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV), qui carnis suæ voluntati servit. Qui enim commessationibus, et ebrietatibus, cubilibus et impudicitiis deservit, carnemque suam per abstinentiam, et continentiam castigare negligit, congrue Deo gratias agere nequit. Tympanum, quod pelle siccata et extensa fit, afflictionem carnis exprimit. Incipite ergo in tympanis, et postea cantate in cymbalis. Cymbala, quæ invicem percussa sonant, labia nostra figurant, quæ dum invicem cantando percutimus, sonum laudis divinæ reddimus. Præcedant ergo tympana, ut bene sonent cymbala, id est nosmetipsos primum per afflictionem perfecte mundemus, ut postea laudem Dei congrue et accepte decantemus. Psalmus sive a psallendo sive ψάλλειν psallo in Græco, quod est tangere, dicatur, effectum significat boni operis. Incipite

ergo carnem castigando, cantare in cymbalis Deum labiis laudando, modulamini psalmum novum bene operando. *Exsultate, et invocate nomen ejus.* Exsultate de beneficiis acceptis, invocate pro accipiendis. *Dominus conterens bella, Dominus nomen illi.—Dominus conterens bella*, quia de cœlo fortitudo est, quia ipse vicit mundum; *Dominus nomen illi* subaudi soli, quia etsi) sint domini multi, ipse tamen Dominus solus est, quia excellenter, quia immutabiliter. *Qui posuit castra sua in medio populi sui, ut nos eriperet de manu inimicorum nostrorum.* Hæc est causa victoriæ, hæc est causa laudis divinæ, quod Deus posuit castra sua in medio populi sui. Sed quæ sunt hæc castra, nisi exercitus angelorum, de quibus Jacob, cum eos obviam haberet, ait: *Castra Dei sunt hæc* (*Gen.* XXXII). Quæ castra Deus in medio populi posuit, quia quemadmodum Paulus ait: *Omnes administratorii spiritus in ministerium sunt missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* I). Unde et beatus Michael, cujus hodie solemnitatem celebramus contra draconem cum suis angelis pugnasse et vicisse in Apocalypsi perhibetur, ubi dicitur: *Factum est prælium magnum in cœlo. Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus, et non valuerunt, neque inventus est locus eorum amplius in cœlo* (*Apoc.* XII). Cum enim omnes administratorii spiritus, id est angeli, in ministerium missi credantur propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, Michael tamen ex nomine in prælio designatur, et aliorum princeps esse describitur, quemadmodum et in Veteri Testamento populi Israelitici, id est videntis Deum princeps memoratur.

Et factum est prælium magnum in cœlo. Quasi diceretur: Ne timeatis, fideles, tametsi sæviunt adversum vos dæmones inferendo tentationes, concitando persecutiones; quia sancta Ecclesia contra omnia eorum molimina magna habet auxilia, non solum sanctorum documenta doctorum et prædicatorum, sed et suffragia angelorum. *Et factum est prælium magnum*, quia robustum, et longum in cœlo, id est in sancta Ecclesia, dum detinetur in mundo. *Michael, et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus:* sed illi Ecclesiam adjuvando, isti eam impugnando; illi salubria suggerendo, isti noxia consulendo: draco, et Angeli ejus bonorum exercitum impetendo: Michael, et angeli eorum impetum coercendo. *Et non valuerunt*, draco videlicet, et angeli ejus sanctorum spirituum removere suffragia, *neque inventus est locus eorum amplius in cœlo*, id est in sancta Ecclesia, ut ei vel auferre justitiam, vel eam possent pertrahere ad culpam. Nam et si aliquis de fidelibus Ecclesiæ (de his dicimus, qui secundum propositum vocati sunt sancti), permittente divina providentia, et diabolica suggerente malitia, aliquando in culpam labitur, nequaquam tamen in hoc diabolus vincit, sed vincitur, quia prædestinatis ad vitam etiam malum in bonum cooperatur, nec hoc tam sævientes adversarii viribus agitur, quam permittentis Dei provida dispositione ad resurgentis lapsi cautelam ordinatur. Nullatenus ergo diabolus, vel angeli ejus locum amplius habent in cœlo, id est talium Ecclesia, quia nequaquam illos expugnare valet, qui cœlestia bona vero corde sciunt, et ad illa consequenda prædestinati sunt, ut eos pro libito suo in peccatum trahant, vel quandiu velint in ipso detineant. Magis autem, cum et hoc divina permissione fiat, locus eorum in terra reperitur, id est in iis qui terrena diligunt, et cœlestia bona mereri contemnunt. Unde bene sequitur: *Et projectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem; et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt.* Draco per ardorem invidiæ, magnus per excellentiam superbiæ, serpens per astutiæ calliditatem, antiquus per peccandi veternam consuetudinem. Nunc ergo, charissimi nobis, quia sanctus Michael et angeli ejus pro nobis nobiscum pugnant, quia *plures sunt nobiscum, quam cum illis; non enim est numerus militum Dei; nam millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei* (*Dan.* VII); contra draconem hunc, qui per regem Assyriorum figuratur, viriliter agamus, et superbiam ejus elidendo caput ejus abscindamus, ut peracta victoria cum nostra Judith supernam Jerusalem ingredi cum gaudio mereamur. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus. Amen.

SERMO LXXXVI.

In festo sancti Michaelis secundus. — Item ex libro Judith.

Venit Assur ex montibus, et montibus ab aquilone in multitudine fortitudinis suæ. Cujus multitudo obturavit torrentes, et equi eorum cooperuerunt valles. Dixit se incensurum fines meos, et juvenes meos occisurum gladio, infantes meos dare in prædam, et virgines in captivitatem. Dominus autem omnipotens nocuit eum, et tradidit eum in manus feminæ, et confudit [*confodit*] *eum* (*Judith.* XVI). In his verbis superba fortitudo, et contumax comminatio diaboli describitur, ut dum sancta Ecclesia illum superat, ejus virtus gloriosior ostendatur. Verum ex principio sermonis declaratur, quod ex mira [mera] superbia procedit, quod diabolus adversus Ecclesiam sævit. Nam dicitur, *venit Assur ex montibus*, id est superbiæ suæ tumoribus, quibus in principio Deo voluit parificari, et nunc homini vult donari. Nam cum montes aliquando in bona significatione soleant poni, ut ibi: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi* (*Psal.* CXX); et ubi de habitatore Jerusalem dicitur, quod sint *montes in circuitu ejus* (*Psal.* CXXIV), quod hic non nisi in malo debeant accipi, manifestatur per repetitionem qua subjungitur: *Et montibus ab Aquilone* quippe dicente Domino, *pandetur omne malum* (*Jer.* I). Quod autem malum per aquilonem, qui frigidus est, rectius accipimus quam malitiam? Hinc de Jerusalem dictum est quod *frigidam fecit suam malitiam, sicut cisterna*

frigidam facit aquam suam (*Jer.* VI). *Assur ergo ex montibus ab aquilone venit*, dum diabolus ex superba malitia, vel malitiosa superbia ad persequendum justos prorumpit. Qui *in multitudine fortitudinis suæ venit*, quia ad perficiendam suam nequitiam universitatem dæmonum, ac malignorum hominum colligit. *Cujus*, inquit, *multitudo obturavit torrentes, et equi eorum cooperuerunt valles*. Multitudo diaboli sunt dæmones, equi, quibus invehuntur, sunt persecutores. Torrentes docentes sunt prædicatores, valles humiles auditores. Istos torrentes dæmones, ne aquam fidelibus fundant, obturant, dum eos quibuslibet impedimentis ab officio prædicationis retardant. Equi quoque eorum valles operiunt, dum persecutores humiles opprimunt. Magnum itaque flagellum est, dum diabolicis tentationibus fluenta prædicationis auferuntur, et persecutionibus impiorum humiles auditores opprimuntur. Sed quod diabolus intentat ad detrimentum, hoc electis, ut exitus probat, redit ad profectum, sicut scriptum est: *Deus non patietur vos tentari ultra id quod potestis; sed dabit cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (*I Cor.* X).

Dixit se incensurum fines meos, et juvenes meos occisurum gladio, infantes meos dare in prædam, et virgines in captivitatem. Per fines Ecclesiæ intelligimus eos qui sunt infirmiores, per juvenes fortiores, per infantes incipientes, per virgines perfectos in continentia vel virginitate viventes, et quæ Dei sunt, quomodo placeant Deo altius cogitantes. Fines ergo, id est extremos et infirmos velut facili congressione minatur diabolus se incensurum igne per libidinem carnis. Juvenes, id est fortiores, quos sine fortiori assultu novit superari non posse, occisurum gladio per malitiam cordis. Porro infantes, id est inchoantes minatur dare in prædam, ne amplius in bono crescant. Virgines, id est perfectos, in captivitatem, ut illaqueet vinculis peccati, et amplius ad culmen perfectionis non ascendant. Diabolus grandia minatur, sed largiente gratia Dei, suffragantibus spiritibus angelicis turpiter a suo desiderio fraudatur. Nam sequitur: *Dominus omnipotens nocuit eum, et tradidit eum in manus feminæ, et confudit eum*. Dominus omnipotens diabolum nocet, quia præsentiæ suæ potentia, vel alio quolibet modo ejus pravam voluntatem coercet, vel certe malum, quod ille mala voluntate Deo permittente peragere parat, Deus ad suam justam voluntatem intorquet. Quod angelorum ministerio sæpius peragi multis sacræ Scripturæ locis declarantibus certissimum est. In cujus rei negotio beatus Michael, cujus hodie solemnia celebramus, cum suis angelis pro populo Dei, velut princeps populi Dei, Deo disponente fortiter pugnat, et hostem antiquum de finibus Ecclesiæ potenter fugat. Sed quoniam quidquid Deus per se, sive per angelos, sive alioquolibet modo in hoc spirituali bello debellando diabolum agit, totum Ecclesiæ laudibus per suam gratiam attribuit, recte postquam dictum est, *Deus nocuit eum*, statim additum est, *et tradidit eum in manus feminæ*. Feminam se sancta Ecclesia nominat, quia Deo spirituales filios parit, vel certe quia in hoc bello, et in omnibus quæ agit, sine Deo se invalidam et inutilem cognoscit. Et confudit eum. Magna nimirum confusio diabolo est, quod quotidie nunc ab infirmis animabus superatur, qui parentes primos in innocentia positos se vicisse gloriabatur. Sic victus est a beato Job rebus omnibus spoliato, filiis et filiabus orbato, ulcere pessimo percusso, ab uxore nequiter suaso, ab amicis graviter afflicto, in stercore humiliter posito. Hæc igitur victoria, diabolo magna est confusio, Ecclesiæ magna gloriatio. Unde et subditur.

Non enim cecidit potens eorum a juvenibus, nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes imposuerunt se illi, sed Judith filia Merari in specie faciei suæ dissolvit eum. Per juvenes intelligimus fortes et temerarios; per filios Titan, id est solis, nobiles et præclaros; per gigantes, potentes et elatos. Tales hostem antiquum non puniunt, sed potius per ipsum occumbunt. Sed nec Dominus ad bellum tales elegit. Nunquid enim Alexandrum magnum, aut Cæsarem Augustum elegit, ut per eos superbiam diaboli destrueret, ac gloriam mundi sterneret? Absit! Quales ergo? Infirmos, ignobiles, idiotas, qui recte per feminam figurantur. Unde Paulus Corinthiis ait: *Videte vocationem vestram, fratres*, id est apostolos, per quos vos, et alii ad fidem vocati estis, *quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret* (*I Cor.* I). Ecce Judith femina. Sed quomodo filia Merari, id est amaritudinis? Audi: *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus. Persecutionem patimur, et sustinemus. Blasphemamur, et obsecramus. Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc* (*I Cor.* IV). Et licet hæc de cæteris etiam fidelibus possint intelligi; de apostolis tamen specialiter et excellenter intelligenda videntur. Quorum videlicet apostolorum, et apostolicorum virorum maxime species, id est virtutum, et bonorum operum ac miraculorum gloria diabolum in electis dissolvit et occidit. Itaque, charissimi, imitemur Judith, castitatem amando, carnem jejuniis domando, Deum devote orando, misericordiam ejus præstolando, nostras animas illi humiliando, ut ejus imitatores esse mereamur, hostem perimendo, victoriam obtinendo. Et habentes sanctum Michaelem cum suis angelis in adjutorium, multa fiducia utamur. Nam, ut in hac ejus solemnitate canimus, mare concutitur, terra contremiscit, ubi archangelus Michael de cœlo descendit. Mare sunt dæmones, terra reprobi homines. Mare sunt dæmones, quia amari, quia tumidi, quia inquieti

Terra sunt homines reprobi, non tam quia de terra sumpti et in terram reversuri, quam quod contemptis cœlestibus solis terrenis sunt intenti. Verum Michaelo de cœlo descendente, mare concutitur, et terra contremiscit, quia et dæmones a tentatione, et pravi homines a persecutione territi refrenantur, et fideles liberantur. Agamus ergo fiducialiter in pugna, ut adepta victoria ditemur corona. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus. Amen.

SERMO LXXXVII.

In festo sancti Michaelis tertius. — Ex eodem libro Judith.

Exuit vestimenta viduitatis suæ, et induit se vestimento lætitiæ in exsultatione filiorum Israel. Unxit faciem suam unguento. Colligavit cincinnos mitra ad decipiendum illum. Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus; pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus, amputavit pugione cervicem ejus. Horruerunt Persæ constantiam ejus, et Medi audaciam ejus. Tunc ululaverunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei, arescentes in siti. Filii puellarum compunxerunt eos, et sicut pueros fugientes occiderunt eos. Perierunt in prælio a facie Domini mei. Hymnum cantemus Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro (*Judith.* XVI). In fine sermonis præcedentis dictum est quod Judith hostem suum dissolvit, et occidit in specie faciei suæ, nunc in his verbis per partes ornamenta speciositatis suæ describit, per quæ cor illius subvertit. *Exuit vestimenta viduitatis suæ, et induit se vestimento lætitiæ.* Vidua fuit sancta Ecclesia, ex quo parens primus peccavit usque dum Christus in mundum venit. Quo tempore toto fuit induta vestibus viduitatis, id est luctu et spiritu mœroris. Veniente autem Christo in carne induta est vestimentis lætitiæ, id est oleo gaudii et pallio laudis. Unde ipse Christus per Isaiam prænuntians ait: *Spiritus Domini super me, eo quod Dominus unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem; ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro; ut consolarer omnes lugentes et ponerem lugentibus Sion fortitudinem, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris* (*Isa.* LXI). Induit ergo se sancta Ecclesia vestimentis suis, ut hic dicitur vestimento lætitiæ, ut de veste nuptiali, id est charitate intelligatur, quando tempore gratiæ novis actibus renovatur. Et hoc in exaltatione filiorum Israel, id est omnium Deum videntium non solum oculo credulitatis, sed et oculo dilectionis. Ungit faciem suam unguento in susceptione sacri chrismatis, colligat cincinnos suos mitra, id est cogitationes suas districtione divini timoris ad decipiendum illum. In hoc enim diabolus mire fallitur, quod, dum fideles cernit divina judicia formidare, tunc se magis existimat illus per pusillanimitatem a bono opere retardare, vel certe in desperationem præcipitare. *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus.* Sandalia indumenta sunt pedum, quibus sanctam Ecclesiam calceatur in præparatione Evangelii pacis. Sandalia vero ejus oculos hostis antiqui rapiunt, quia sacræ prædicationis verba præsertim ejus animum ad corripiendam sanctam Ecclesiam accendunt. Quanto nimirum amplius videt numerum credentium crescere, tanto plus inardescit, et laborat eum corrumpendo, si potest, minuere et minuendo corrumpere. *Pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus.* Per pulchritudinem id est per universalem sanctæ Ecclesiæ compositionem, anima diaboli captivatur, quia conspectis ejus virtutibus, et bonis operibus ita prava voluntas ejus in suo proposito stringitur et ligatur, ut a pravitatibus suggerendis cessare nequeat, donec ab ipsa victus occumbat. Unde et sequitur:

Amputavit pugione ejus cervicem ejus. Diabolus, ut etiam supra dictum est, proprio gladio perimitur, dum suæ malitiæ, qua adversus Ecclesiam corrumpendam sævit, conscientia condemnatur. Sicut in Esther legitur, Aman Mardochæo lignum, in quo eum suspenderet, paravit; sed Mardochæus liberatus est, et ipse Aman in eodem ligno suspensus interiit. *Horruerunt Persæ constantiam ejus, et Medi audaciam ejus.* Persæ interpretatur *tentantes*; Medi, *mentientes*. Tentantes sunt spiritus maligni, mentientes falsi Christiani. Persæ itaque et Medi sanctæ Ecclesiæ constantiam horrent, quia dæmones, et reprobi homines mirum in stuporem vortuntur, dum sanctæ Ecclesiæ virtutem, et victoriam vident. *Tunc ululaverunt castra Assyriorum, quoniam apparuerunt humiles mei, arescentes in siti.* Assyrii *dirigentes* interpretantur, et significant hæreticos, qui se, et sui sequaces se rectissime in suo pravo dogmate dirigere arbitrantur. Qui et castra habent, in quibus habitant, quia pravis disputationibus adversus Ecclesiam dimicant. Quæ castra in victoria sanctæ Ecclesiæ ululant, dum hæretici suam sententiam dolentes falsatam clamant. Humiles sanctæ Ecclesiæ gravem sitim patiuntur, dum eam dæmones, et pravi homines, et præsertim hæretici persequuntur. Qui etiam interim quasi absconditi sunt, quia hæreticorum pravitate corrumpi timentes extra sinum Ecclesiæ se monstrare non præsumunt. Et fluenta doctrinæ securi non hauriunt, dum illorum absynthium in ipsis gustare pertimescunt. Qui peracta victoria se patenter ostendunt, dum sacram Scripturam absque suspicione pravitatis inquirunt et inveniunt. Qui dum apparent, hæretici graviter dolent, quia se victos, illos victores videant. Filii puellarum, id est Ecclesiarum eum compungunt, quia sagittis prædicationis pravas eorum assertiones perfodiunt. Et quasi pueros fugientes occidunt, quia velut debiles, timidos, et inertes perimunt fugientes. Ante conspectum enim bonitatis standi locum non habet malitia. *Resistite namque diabolo, et fugiet a vobis* (*Jac.* IV). *Perierunt in prælio a facie Domini mei. Hymnum cantemus Deo nostro.* Hoc jam tertio victoriam Domino attribuit, et per hoc cultricem se sanctæ Trinitatis ostendit. Primo quippe loco victo-

riam hanc ascribit Domino, ubi dicit, *quod posuit castra sua in medio populi sui*. Secundo, ubi ait: *Dominus omnipotens docuit eum*. Tertio hic, ubi dicit: *Perierunt in prælio a facie Domini mei*. Quia igitur, charissimi nobis, in hoc spirituali bello castra Dei, id est angelica suffragia in medio populi ejus sunt, et beatus Michael cum angelis suis pro nobis pugnat, fiducialiter agamus, et non timeamus. *Non enim accepimus spiritum servitutis iterum in timore, sed accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater* (Rom. VIII). *Non accessimus ad tractabilem et accessibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam, et tubæ sonum, et vocem verborum, quam qui audierunt excusaverunt se, ne eis fieret sermo: sed accessimus ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis; et judicem omnium Deum, et spiritum justorum perfectorum, et Testamenti Novi Mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel* (Hebr. XII). Fortiter ergo stemus in pugna præsumentes de victoria. Qua adepta hymnum enim Judith nostra cantemus, Domino hymnum novum cantemus Deo nostro. Hymnum novum, quia peracta victoria transierunt vetera, *et ecce nova facta sunt omnia* (Apoc. XXI). Cantemus, quia a malo liberati. Cantemus, quia beneficio ditati. Cantemus, quia percepimus gratiam. Cantemus, quia speramus gloriam. Quam nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXXVIII.

De mandato dilectionis.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc. (Deut. VI). Postquam homo Creatorem per culpam primordialem deseruit, et in hujus mundi miseriam devenit, multis subjicitur curis, occupatur actionibus, et fatigatur laboribus, et ex his omnibus in quibus homo sub sole distenditur, unum est optimum, et quod permanet, scilicet Deo servire (Eccle. I); quia cætera sunt transitoria, cætera sunt vana! Quisquis ergo Deo non servit, vanus est, et pro nihilo debet æstimari vita ejus, et melius esset illi non esse quam malum esse, et non vivere quam male vivere. Et si talis homo in præsenti vita posset habere fortitudinem Samsonis, pulchritudinem Absalonis, sapientiam Salomonis, velocitatem Azahelis, divitias Crœsi, probitatem Alexandri, potestatem Octaviani qui totum mundum in potestate habuit, et longævitatem Enoch qui in principio sæculi natus usque in finem non morietur: si, inquam, tanta et talia possidere posset in præsenti, nihil ipsi cuncta prodessent; si quidem Deo minime serviret. His etenim omnibus demum exactis, cum moreretur, caro miseris vermibus et spiritus daretur dæmonibus, et tormentis gehennalibus, donec in die resurrectionis omnis caro in suam redigatur originem, et tunc, resumpta carne, per quam, et in qua peccavit, æternam iterum subiret damnationem. Optimum est itaque servire Deo, quia quamvis homo in omni vita sua temporalibus et corporalibus destituatur auxiliis, si serviat Deo, de miseria præsentis vitæ ad beatitudinem transit æternæ. Cum igitur inter omnia bona sæculi præsentis, quæ genus humanum sequitur, aut consequitur, optimum sit solum, et permanens bonum Deo servire, quærendum est omnibus modis quid sit Deo servire, et cum quæsitum et inventum fuerit, indeficienter in eo perseverandum. Solus enim qui in eo perseveraverit, beatus erit. Fratres, brevi sermone, dulci atque jucundo comprehenditur, et declaratur quid sit servire Deo. Deo namque servire, Deum diligere est. Qui non diligit, non servit; et qui diligit, servit; et qui parum diligit, parum servit; et qui multum diligit, multum servit; et qui perfecte diligit, perfecte servit. Qui res possidet temporales, terras, vineas, greges, armenta, vestes pretiosas, domos, argentum, aurum, aut uxorem, quam multum diligit, si se viderit unum ex his omnibus aut hæc omnia simul contra Dei dilectionem habere, debet omnia derelinquere, et omnia divinæ dilectioni postponere, et eam cunctis præponere; sed et vitam suam debet homo pro Dei dilectione dare, si contigerit, quod eam non possit cum ipsa pariter conservare. Sic fecit Petrus, sic Paulus, sic fecerunt cæteri Apostoli, et martyres Christi, quia non solum sua, sed et semetipsos pro amore Dei tradiderunt; qui et ipsi homines fuerunt, et nobis exemplum taliter faciendi reliquerunt.

Debemus itaque Deum diligere, quia ipse prior dilexit nos, dona sua multimoda alia nobis dando, alia promittendo, et in his omnibus, ut ita dixerim, meruit a nobis, ut diligatur. Minimum donum, quod Deus dedit homini, ut diligatur ab homine, totus est mundus iste. Causa namque hominis fecit Deus mundum, cœlum, terram, mare, solem, lunam, stellas, volucres, pisces, bestias terræ, herbas, arbores, et quæcunque visibiliter subsistunt. Cum igitur inter dona Dei minimum donum sit mundus iste, quantum putas est maximum? Secundum donum Dei est quod dedit homini, quod eum fecit ad imaginem et similitudinem suam. Magnum et admirabile prorsus donum factura Factori fieri similem et conformem. Tertium donum est gratia, quam nobis contulit in redemptione, quia *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. VIII). Quartum donum nobis servat, et promittit, donum, scilicet futuræ gloriæ, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (I Cor. II). Primum ergo donum possumus dicere bonum creaturæ, secundum donum bonum naturæ, tertium donum bonum gratiæ, quartum donum bonum gloriæ. Pro his omnibus debemus diligere Deum. Sed quantum debemus eum diligere? *Ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, ex tota mente.* Ex toto corde, id est sapienter; ex tota anima, id est dulciter; ex

tota viribus, id est fortiter; ex tota mente, id est memoriter, et quibuscunque modis aliis dici potest; quia non potest nimis dici, quod non potest nimis amari. *Et proximum tuum sicut teipsum (Matth.* XXII). Debemus diligere proximum sicut nosmetipsos beneficio, verbo, voto. In beneficio est opus bonum, in verbo sanum consilium, in voto desiderium. In his omnibus diligamus proximum in via, quem consortem habituri sumus in patria. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, etc.

SERMO LXXXIX.

In primo Dominica Quadragesimæ.

Timens Elias minas Jezabel, relicto puero suo perrexit in desertum viam unius diei, et resedit sub junipero (III Reg. XIX). Sancti viri sublevante spiritu ad summa rapiuntur. Quamdiu vero in hac vita sunt, ne superbiant, tentationibus reprimuntur. Hinc est quod Elias, cum tot virtutibus profecisset, Jezabel postmodum quamvis reginam tamen mulierculam fugit; et qui mortuos suscitabat ventura prævidebat, alia quoque præclara faciebat, timore percussus de manu mulieris mortem fugit, et manu Dei mortem petiit, nec accepit. In virtutibus Eliæ potentia Dei pollebat; in infirmitatibus suis quid de se poterat agnoscebat. Ibi ostendebat quid acceperat, hic quod acceperat custodiebat. In miraculis monstrabatur, in infirmitatibus servabatur. Elias propheta Domini, vita, et miraculis clarus, quemlibet designat fidelem. Achab rex impius, Domini, et præceptorum ejus adversarius, diabolum significat, *qui rex est super omnes filios superbiæ (Job* XLI), et eis principatur in operibus culpæ. Jezabel, mulier impudica et Eliæ semper inimica, immunditiam exprimit carnis, quæ semper justum persequitur et ejus actibus inimicatur. Cujus minis, id est tentationibus Elias, id est fidelis nonnunquam perterritus, quamvis virtutibus et multis bonis operibus prius claruerit, prophetas Baal deleverit, id est omnem infidelitatem, et hæreticam pravitatem de corde suo propulerit, et pluviam, id est gratiam cœlitus sibi dari meruerit, timens tamen, ne occasio veniat, et eum Jezabel, id est luxuria occidat, obediens apostolico consilio, quod dicit: *Fugite fornicationem (I Cor.* VI). Fornicationem fugit, qui sæcularem habitum, et conversationem derelinquit, et in desertum vadit, qui habitum et vitam religionis assumit. Desertum est vita spiritualis, atque religio, quia a multis deseritur, et a paucis incolitur. Dimisit autem Elias puerum suum, et solus desertum introivit, quia justum est ut fidelis quilibet spiritualem conversationem ingrediens, puerilia cuncta, et vana, et frivola deserat; nec in comedendo, bibendo, loquendo, vel aliis actibus suis quidquam pueriliter faciat. Possumus vero per juniperum, sub qua Elias resedit, alicujus ordinis asperitatem, sicut est monachorum, et canonicorum regularium, vel alterius cujuslibet professionis significare. Videtur namque qualibet professio ordinis sicut juniperus quosdam asperitatis aculeos, qui videlicet sunt cultus claustri, tædium silentii, timor prælati, disciplina capituli, abstinentia cibi, et si qua sunt similia, quæ suæ adversitatis asperitate pungere possint. Sunt et alii juniperi hujus aculei, acerrimæ scilicet et importunæ tentationes, quæ more spinarum pungunt teneritudinem animorum.

Quatuor sunt autem tentationum modi. Alia est tentatio levis et occulta, alia levis et manifesta, alia gravis et occulta, alia gravis et manifesta. Tentatio levis et occulta est, quando aliquis leviter tentatur; et tamen nondum intelligit an malum sibi sit illud de quo tentatur. Verbi gratia: quando aliquis de aliquo officio sive prælatione leviter tentatur; levis est tentatio, quia leviter tentatur et occulta, quia nescit utrum sibi expediat id quod desiderat. Tentatio levis et manifesta est, quando aliquando leviter tentatur, et manifeste de malo tentatur. Verbi gratia: quando aliquis de fornicatione leviter tentatur, tentatio levis est, quia leviter tentatur; et manifesta est, quia manifeste de malo est. Tentatio gravis et occulta est, quando aliquis graviter tentatur, et tamen non novit utrum noxium sit sibi illud de quo tentatur. Verbi gratia: quando aliquis de prælatione vel aliquo ministerio graviter tentatur, gravis tentatio est, quia graviter tentatur; et occulta, dum nescit quod ibi lateat diaboli fraudulentia. Ad hoc namque diabolus hominem de exsultatione tentat, ut per exaltationem magis corruat ad damnationem. Tentatio gravis et manifesta est, quando aliquis graviter tentatur, et manifeste de malo tentatur. Verbi gratia: quando aliquis de fornicatione graviter tentatur, tentatio gravis est, quia graviter tentatur; et manifesta est, quia manifeste de malo est. Quos quatuor tentationum modos Psalmista bene designat, ubi dicit: *Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu dæmonio meridiano (Psal.* XC). Tentatio namque levis et occulta timor nocturnus est; timor enim, quia levis; nocturnus quia occulta. Tentatio vero levis et manifesta, sagitta volans in die est; sagitta volans, quia levis; in die, quia manifesta. Tentatio gravis et manifesta, negotium perambulans in tenebris est; negotium, quia tentatio gravis, perambulans in tenebris, quia occulta. Tentatio autem gravis et manifesta, incursus et dæmon meridianus est: incursus et dæmon, quia gravis; meridianus, quia manifesta. Isti itaque tentationum modi sunt istius juniperi, scilicet ordinis aculei, quia more aculeorum teneritudinem pungunt, et nonnunquam lacerant, animorum. Non quod ordo malus sit, sed quod diabolus tanto acrius justum per tentationes pungit, quanto eum ad sublimiora et secretiora per habitum et vitam ordinis transire cernit.

Recte igitur secundum supra dicta ordo junipero comparatur, dum variis asperitatibus et tentationibus pungere comprobatur. Ad hanc denique juniperum Elias venit, quando justus aliquis sæcularia fugiens, ordinis alicujus asperitati

bus se submittit; animæ vero suæ ut moriatur petit, quando mori penitus mundo, et vivere Deo concupiscit. Qui tamen non mortem quam petit, sed dormitionem quam non petit, invenit, quia plerumque religiosus diversis in spirituali conversatione fatigatus tentationibus et adversitatibus, in provectu virtutum et bonorum operum torpescit. Angelus autem custos et excitator Eliæ prælatus est custos et exhortator fidelis animæ sibi subjectæ. Qui dum Eliam, id est animam sibi creditam conspicit sub junipero dormire, id est sub ordine torpescere, statim cum excitat, pascit et potat; dum eum ad meliora admonet, et de sacra Scriptura difficiliora quæ designantur per pastum, et faciliora, quæ figurantur per potum, docet. Elias quoque excitatus comedit et bibit, dum admonitus subjectus verbis loquentis patienter acquiescit, nec his quæ dicuntur contradicit. Rursum vero obdormit, quia nonnunquam subjectus multis tædiis affectus, post primam admonitionem et eruditionem iterum tepescit. Sed Elias per angelum secundo excitatur et pascitur, dum subjectus per prudentem et fidelem prælatum iterum admonetur et instruitur. *Surge*, dicente, *comede*, *grandis tibi restat via*. Quasi dicat : Si contidis in solo ordine, scias tibi nihil prodesse sæculum corporaliter reliquisse, coram aspectibus humanis solummodo habitu religionis palliatum existere. Stude per virtutes ultra proficere, per opera misericordiæ proximis subvenire, lege, meditare, psalle, ora, operare. *Grandis tibi restat via*, quia parum adhuc profecisti, et multum habes proficere. Comedit denique Elias et bibit, et vadit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb, dum subjectus, per eruditionem iterum factam bene confortatus, in prosperitatibus quasi in diebus, et in adversitatibus quasi in noctibus per virtutum exercitationem, et bonorum operum exhibitionem proficiens, et quaternarium Evangelii et denarium legis perficiens, ad culmen spiritualis sublimitatis venit. Ubi recte in otio speluncæ dicitur stare, dum paratus est, quandocunque eum Dominus vocaverit, de carne exire. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus, etc.

SERMO XC.

In purificatione beatæ Mariæ.

Dixit Sunamitis ad virum suum de Eliseo : Animadverto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, et ponamus ei in eo lectulum, et mensam, et sellam, et candelabrum, ut, cum venerit ad nos, maneat ibi (*IV Reg.* IV). Eliseus, qui interpretatur *salus Dei*, et nominis interpretatione, et miraculorum operatione, et virtutum exercitatione, et bonorum operum exhibitione, et honestæ conversationis sanctitate, et post mortem mortui resuscitatione, Christum significat. Sunamitis, quæ interpretatur *captiva sive coccinea*, animam exprimit, quam Christus de captivitate diaboli sanguine suo redemit. Eliseus sæpe venit ad Sunamitidem feminam, quia Christus sæpe, et multis modis venit ad animam. Venit per creaturarum contemplationem, venit per Scripturarum lectionem, venit per miraculorum operationem, venit per præceptorum suorum prædicationem, venit per internam aspirationem, venit per adversitatem, venit per prosperitatem, venit mala comminando, venit bona promittendo, venit mala auferendo, venit bona conferendo, venit per cognitionem veritatis, venit per amorem virtutis. Venit Christus ad animam spiritualiter eam visitando, hospitatur apud eam illam justificando, transit aliquando illi gratiam subtrahendo. Aliquando enim ex parte gratiam subtrahit, ut humilietur mens, quæ de se nimis sublimia sentit. Sed iterum redit, dum iterum infundit. Vir mulieris hujus, id est animæ rationalis intellectus est, qui viribus et sensu, insitis per naturam, vel collatis per gratiam, animæ debet præesse, consulere, providere, eam regere, ducere, et ex ea progeniem virtutum et bonorum operum procreare. Cum hoc viro accepit anima consilium, dicens : *Animadverto quod vir iste Dei sanctus sit, qui frequenter transit per nos*. Vere sanctus est quia Sanctus sanctorum est et nemo nisi per ipsum sanctus est.

Faciamus ei, inquit, *cœnaculum parvum, et ponamus in ea lectulum, et mensam, et sellam, et candelabrum, ut, cum venerit ad nos, maneat ibi*. Cœnaculum, eo quod sursum elevatur, spiritalem significat conversationem. Quam bene fecerat cœnaculum istud huic Eliseo Paulus, qui de se suisque similibus ait : *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III). Quod dicit parvum, humilitatem insinuat. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV). Et ideo fidelis anima, si aliquando facit magna in conspectu Conditoris, æstimat parva. In lectulo vero solemus a laboribus quiescere, et dormiendo visibilia ignorare. Recte ergo per lectulum contemplatio figuratur. In ea qui consistit, ab incursu tentationum, et afflictione laborem quiescit, et internis et æternis intentus quid foris agatur, non attendit. Per mensam significatur Scriptura. Sicut enim mensa repletur cibis, sic sacra Scriptura repleta est sententiis, et aliam nobis refectionem tribuit per historiam, aliam per allegoriam, aliam per tropologiam, aliam per Vetus Testamentum, aliam per Novum. Sella designat eruditionem. Sedere namque solent doctores qui alios erudiunt. Et bene mensam sella sequitur, quia justum est ut qui Scripturam audiendo vel legendo didicit, aliis per doctrinam tribuat bonum quod agnovit. Candelabrum instrumentum est luminis. Habet autem candelabrum inferius pedem, et super pedem hastam erectam, et super hastam sphærulam per circuitum, et super sphærulam acumen, cui imponitur luminare. Pes vero candelabri habet tria brachia, æqualis longitudinis, æqualis magnitudinis, unius formæ, unius inter se distantiæ. Significat ergo fidem Trinitatis. Qualis enim Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus, etc. Hasta candelabri, in eo quod recta est, rectitudinem exprimit æquitatis. In eo vero

quod erecta est, erectionem bonæ intentionis. Sphærula designat circumspectionem mentis. Quasi namque sphærula candelabro impanitur, dum mens de se bene sollicita per circumspectionem sibi circumfertur. Superius acumen sanæ rationis significat subtilitatem. Luminare superpositum exprimit Christum. Cera est humanitas, lumen divinitas. Facit igitur mulier Sunamitis consulens virum, id est anima fidelis docta per intellectum, Eliseo, id est Christo, cœnaculum per spiritualem conversationem, parvum per humilitatem, et ponit lectulum per contemplationem, et mensam per Scripturarum lectionem, et sellam per minorum eruditionem. Ponit quoque in eo candelabrum veri luminis instrumentum, cujus facit pedem per fidem sanctæ Trinitatis, hastam per rectitudinem æquitatis, et erectionem bonæ intentionis, sphærulam per circumspectionem mentis, acumen per subtilitatem rationis. Quæ debet luminari inesse, quia semper debet Christo inhærere. Anima, quæ sic Christo novit hospitium præparare, Christum hospitem meretur habere, et per ipsum, ipsum Dei Filium possidere. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus, etc.

SERMO XCI.

De spirituali Christi convivio primus.—Ex libro Esther.

Anno tertio imperii sui fecit rex Assuerus grande convivium cunctis principibus, et pueris suis, fortissimis Persarum, et Medorum inclytis, et præfectis provinciarum coram se, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet et octoginta diebus (*Esther.* I). Cujus regni exordium Susa fuerunt. Susa sunt metropolis in Persi le, quam urbem dicunt a Susi fluvio nomen accepisse. Ibi est regia Cyri lapide candido, et vario, columnis aureis, et lacunaribus, gemmisque distincta, cœli continens simulacrum, stellis micantibus insignitum. Ibi Assuerus convivium maximis divitiis, et deliciis copiosum celebravit. Cujus convivii pompam et regiam lusum historia narrat; sed Christi spirituales divitias, quas unicuique dispensat allegorice significat. Quarum deliciarum convivium fecit anno tertio imperii sui, id est tempore præsentis sæculi. Unde et ipse Christus in ipso tertio tempore prædicavit, dicens: *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo* (*Matth.* XXII). Tertio namque tempore sæculi incarnationis suæ sacramentum Christus patefecit, et spirituales epulas sacræ prædicationis, corporis quoque et sanguinis sui abundantissime ministravit. Primum tempus fuit ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Assuerus autem interpretatur *ostium*, et per hoc significat Christum, qui ait: *Ego sum ostium ovium* (*Joan.* X). Cunctis principibus, et pueris suis. Per principes intelligimus prælatos; per pueros, subjectos. Principes enim sunt, qui cæteris exemplo, et verbo præsunt. Pueri sunt qui suis prælatis fideliter obediunt. Qui dum sibi præsidentibus in omnibus parent, per obedientiam ab omni inquinamento carnis et spiritus purificati de impuritate peccati velut pueri nihil habent.

Fortissimis Persarum, et Medorum inclytis. Per Persas, qui dignitate et potentia Medis noscuntur fuisse superiores, Judæos; per Medos, qui Persis fuerunt inferiores, gentiles intelligimus. Persæ Medis in descriptionem præponuntur, quia Judæi gentibus propter patrum prærogativam, et alia multa præferuntur. Unde Dominus in Evangelio: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV). Et ad Apostolos: *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne introieritis* (*Matth.* X). Et Apostolus ad Romanos: *Quid ergo plus est Judæo, aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum: Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei* (*Rom.* III). Et in fine ejusdem Epistolæ: *Dico Christum Jesum fuisse ministrum circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum; gentes autem super misericordia honorare Deum* (*Rom.* XV). Fortissimi sunt, qui a charitate Dei nec verbis, nec verberibus, nec vita, nec morte separari possunt. Unde Apostolus: *Quis nos separabit a charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est: Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII). Inclyti vero sunt, qui non solum in opere, verum in cogitatione peccati delectatione ignobilitari contemnunt. *Abdicantes* secundum Apostolum *occulta decoris et commendantes semetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo* (*II Cor.* IV). *Et præfectis provinciarum*, id est prælatis Ecclesiarum. His igitur omnibus Assuerus convivium celebravit; et Christus omnibus, qui per istos figurantur, delicias gratiæ suæ participavit. *Coram se*, quia et quantum pertinet ad divinitatem, qua ubique præsens est, et quantum ad humanitatem, qua mundo manifestatus est. *Coram se*, quia oculo ad oculum viderunt, et manus eorum contrectaverunt. Vel certe *coram se*, id est beneplacito suo. Quæ enim ei placent, quasi coram se habet; quæ vero displicent, velut de longe videt. Unde scriptum est: *Quia humilia respicit, et alta a longe prospicit* (*Psal.* CXXXVII), id est superbia. *Ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ suæ.*

Hæc omnia in mundo Christus ostendit, quando discipulis suis, ut Scripturas intelligerent, sensum aperuit, et primum insufflando, postea de cœlo mittendo Spiritum eis sanctum donavit. De hac ostensione Paulus Ephesiis scribens ait: *In mysterio Christi, quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis apostolis ejus et prophetis* (*Ephes* III). Et ad Timotheum:

Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria (*I Tim.* III). Christi vero divitiis per manifestationem sacramenti cognitis, statim sæculi præsentis divitiæ viluerunt; justi, quibus gloria cœlestis est revelata et oblata, non solum sua, verum et semetipsos pro hac consequenda reliquerunt. Postquam autem ejus cognitione sunt illuminati, et gustaverunt donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi (*Hebr.* VI), ejus amore succensi. Petrus est suspensus, Paulus decollatus, Stephanus lapidatus, Laurentius assatus, et alii aliis suppliciis interempti, ut hujus participes essent convivii : sicut in mundo per gratiam, sic in cœlo per gloriam. Spirituale namque convivium inchoatur in via, consummatur in patria. Et modicum quidem est quod ex eo nunc prægustatur; magnum autem et inæstimabile quod in posterum gustandum reservatur. Unde Psalmista : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te !* (*Psal.* XXX.) *Multo tempore, centum videlicet et octoginta diebus.* Nota quod etiam determinatio temporis deservit mysterio intelligentiæ spiritalis. Centenarius est perfectus numerus, et significat humanæ justitiæ perfectionem. Octogenarius, qui ab octonario denominatur, exprimit futuram resurrectionem et beatitudinem. In his totum bonum hominis constat : in justitia, cujus perfectionem centenarius designat; et in resurrectione ac beatitudine, cujus gloriam octogenarius figurat. Centenarius præmittitur, octogenarius subjungitur, quia per culmen sanctificationis pertingitur ad octonarium resurrectionis et beatitudinis.

Cumque implerentur dies convivii invitavit omnem populum qui inventus est Susis a maximo usque ad minimum. Videntur impleri dies convivii, quando Christus in cruce dixit : *Consummatum est* (*Joan.* XIX); vel certe quando discipulis in unum congregatis Spiritus sanctus plenarie missus est. Tunc impleti sunt dies spiritalis convivii, non quod tunc esse desinerent, sed quod tunc et ex tunc plenarie celebrari deberent. Susa civitas est gentium, per quam vocatio gentium designatur. *Invitavit*, inquit, *omnem populum a maximo usque ad minimum.* Hoc est quod Dominus in Evangelio dicit : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI).—*A minimo usque ad maximum populum invitavit*, quia Dominus pusillis cum majoribus benedixit. Infelix anima, fratres, quæ huic convivio deest; et infelix vel forte infelicior, quæ aliter quam decet, id est absque veste nuptiali adest. Idcirco namque videtur infelicior, quia, ut Petrus ait : *Melius illi erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti a sancto mandato* (*II Petr.* II). Felix autem illa anima, quæ non solum Christianitatis nomine, sed et veritate convivio Christi nunc interest, quia et cœlesti et æterno convivio admittatur, sperare potest. Et nunc, charissimi nobis, quemadmodum huic convivio nunc interesumus professione, sic interesse studeamus et virtute, quatenus interesse mereamur in beatitudine. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus, etc.

SERMO XCII.

De spiritali Christi convivio secundus. — Ex eodem libro Esther.

Et septem diebus jussit convivium præparari in vestibulo horti, et nemoris, quod regio cultu et manu consitum erat. Et pendebant ex omni parte tentoria aerii coloris et carbasini, et hyacinthini sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant et columnis marmoreis fulciebantur (*Esther* I). Magna in his omnibus, charissimi, latet intelligentiæ spiritalis fructus, non solum verborum foliis contectus, verum etiam variis rerum visibilium figuris velatus, velut nucleus suo cortice et testula firmiter clausus. Per septem dies, ut sæpe diximus, universum tempus hoc exprimitur, quia septem dierum numero volvitur. Quo tempore toto Christus suis fidelibus convivium spiritualium deliciarum parari præcepit, ne unquam eis spiritalis cibus et potus desit. Quantum autem quisque spiritalia cibi interius capiat, bonæ conversationis ostensio foris probat. Quantum nimirum unusquisque intrinsecus gratia saginatur, tantum forinsecus in virtute et actione roboratur. *Diebus*, inquit. Mali nimirum noctibus sua convivia faciunt, quippe quorum sunt in tenebris opera; *lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis* (*Prov.* II). *In vestibulo horti et nemoris, quod regio cultu et manu consitum erat.* Supercœlestis ille paradisus omnibus bonis præferendus hortus est et nemus : hortus est, quia sua dulcedine satagit; nemus est, quia sua pulchritudine delectat. Hortus est sanctorum affectuum suæ jucunditatis sapore mulcendo; nemus est, intellectum suæ pulchritudinis admiratione tenendo. Hortus est, quia pascit; nemus est, quia protegit. Pascit bonis, protegit a malis. Hujus horti et nemoris vestibulum quasi nestibulum, *v* pro *n* posita, quod videlicet ibi minime stetur, sed transeatur et ad interiora intretur. Et ubicunque fideli in præsenti Ecclesia non est standum, sed magis de virtute in virtutem transeundum, donec intret in gaudium Domini sui, et videat Deum deorum in Sion. In hoc autem vestibulo spirituale convivium datur, et præparatur. Datur per gratiam, præparatur ad gloriam. Datur in via, præparatur accipiendum in patria. Quod autem dicitur quod regio cultu et manu consitum erat, sive ad præsentem celebritatis hujus statum, sive ad futurum referatur, nihil interest. Quidquid enim in sancta Ecclesia agitur, quidquid in cœlesti patria postea recipitur, totum cultu regio, et manu perficitur : manu quantum ad actum, cultu quantum ad ornatum. Magis tamen quæ vario ornatu, hic de spiritali convivio scribuntur ad vestibulum quam ad hortum, et nemus, id est ad præsentem

Ecclesiæ statum quam ad futurum pertinere videntur.

Et pendebant ex omni parte tentoria. Ea, quæ pendent, a terra quidem elevata sunt, sed cœlum necdum tangunt. Tentoria itaque ista virtutes justorum sunt, et bona opera, quæ a terra elevantur per devotionem, sed cœlum necdum attingunt per retributionem. Quæ etiam ex omni parte pendent, dum imperfectionis, nihil habent. Sed quoniam apud Deum parvipenditur quidquid in mundo boni agitur, nisi gratiæ divinæ bonitate coloretur, apte subditur: *Aerii coloris, et hyacinthini, et carbasini.* Per hos tres colores, aerium, hyacinthinum, carbasinum tria maxima, quæ nunc manent, id est fidem, spem, charitatem intelligi possecredimus. Per aerium, nempe colorem, pro eo quod scriptum est: *Deus spiritus est* (*Joan.* IV), accipitur recte fides supernæ divinitatis. Per hyacinthinum, quia colori cœli similis est, exprimitur spes cœlestis retributionis. Per carbasinum, quia fulgorem imitatur auri, splendor designatur charitatis. Quæ tres virtutes tota tentoria virtutum aliarum, et bonorum operum colorant, dum cuncta, quæ geruntur in his vel in illis decorant, commendant, consummant. Quasi namque color sunt omnium, dum species et pulchritudo sunt eorum. *Sustentata funibus byssinis et purpureis.* Funis habet longitudinem, byssus candorem, purpura ruborem. Per istas itaque duas species funium intelligimus duas species virtutum: quarum una maxima est foris, quæ est castitas corporalis; altera maxima intus, quæ est compassio cordis. Funis byssinus castitas carnis; funis purpureus compassio cordis. Quæ duæ virtutes, dum ad similitudinem tensorum funium in nobis continuo et longanimiter perseverant, utrumque parietem tentoriorum nostrorum immobilem sustentant. Castitas enim foris sustentat virtutes manifestas; compassio sustentat intus virtutes occultas. Nec lapsum virtutis, vel boni operis timet quisquis eas in se bene tensas habet, dum totius ejus justitiæ fabrica in eis pendet. Quis enim aliarum detrimentum virtutum timeat, si castitatem corporis perpetuam, et compassionem cordis veram perfecte possideat? Quarum virtutum, scilicet castitatis et compassionis perfectio designatur, dum de funibus, quia easdem virtutes exprimunt subinfertur quod *eburneis circulis inserti erant.* Funes byssini, et purpurei circulis erant inserti, quia castitas, quæ per byssum, et compassio, quæ per purpuram exprimitur, mundissimæ semper debent inesse perfectioni. Cui perfectioni, quandiu machina nostræ justitiæ firmiter inhæret, tandiu firma et inconcussa manet. De quibus funibus sive virtutibus adhuc subditur, *et columnis marmoreis fulciebantur.* Per columnas marmoreas intelligimus sanctorum doctorum firmam rectitudinem et rectam firmitatem. Columnæ namque marmoreæ sunt doctores. Columnæ quia justitia recti; marmoreæ, quia fide firmi. Columnis igitur marmoreis funes byssini, et purpurei fulciuntur, quia ad hoc solertia doctorum mirabiliter laborat, ut in electis castitas in carne, et compassio in corde perpetuo consistat. Per columnas igitur funes byssini et purpurei, et per funes cætera sustentantur, quia per doctores in omnibus castitas et compassio, et per istas virtutes cæteræ roborantur. Itaque primo loco erigunt tentoria per virtutum et bonorum operum exercitationem et exhibitionem. Secundo colorantur et decorantur per fidem, spem et charitatem. Tertio sustentantur per funes byssinos et purpureos, id est per castitatem, et compassionem. Quarto fulciuntur ipsi funes, id est virtutes columnis marmoreis, id est per doctorum rectam et firmam eruditionem. Et nunc, charissimi, diligenter attendamus, ut ita nunc in hoc vestibulo tantis tentoriis redimito simus per gratiam, quatenus hortum et nemus ingredi postmodum mereamur per gloriam. Quod nobis præstare, etc.

SERMO XCIII.

De spirituali Christi convivio tertius. — Ex eodem libro Esther.

Lectuli quoque aurei et argentei super pavimentum smaragdino, et pario stratum lapide dispositi erant: quod miro varietate pictura decorabat. Bibebant autem qui invitati erant aureis poculis, et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans, et præcipuum ponebatur. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum; sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet (*Esther.* I). Superius dicta sunt de spirituali vestibuli spiritualis ornatu, nunc adjiciuntur prioribus potiora. Quis enim ignoret contemplationem operibus et virtutibus omnibus potiorem? Et de hac infertur cum dicitur: Lectuli quoque aurei et argentei super pavimentum erant dispositi. Per lectulos enim quies internæ contemplationis accipitur. In qua quieto tanto mens humana solertius ad interna vigilat, quanto magis ad exteriora dormitat. Unde sponsa: *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* V). *Lectuli* inquit non *lecti.* Modicum namque est, quod nunc de contemplatione percipimus, ad id quod percipiendum exspectamus. Sed et apte dictum est non singulariter lectulus dispositus, sed pluraliter *lectuli dispositi,* quia varius est contemplationis modus, et aliis plus, aliis minus in dono contemplationis confertur. Quemadmodum enim secundum mensuram donationis Christi gratia differenter datur in actione, sic etiam secundum capacitatem percipientium distribuitur in contemplatione. Plures ergo sunt lectuli, et differenter positi et propter differentiam donorum, et propter distantiam contemplativorum. *Super pavimentum smaragdino, et pario lapide stratum.* Pavimentum inferius, et æqualiter stratum omnium utensilium, verbi gratia, lectorum, sedilium, vasorum est sustentamentum. Significat ergo prælatorum æquanimitatem, humilitatem, et laborem; quia licet cæteris potestate sint prælati, ministerio tamen sunt subjecti, sicut ipse Dominus, qui omnibus prælatis est prælatus, *non venit ministrari, sed ministrare, et*

dare animam suam pro multis (*Matth.* xx). Hinc et discipulis ait: *Qui major est in vobis, fiat sicut junior; et qui prædecessor est, sicut ministrator* (*ibid.*). Hinc Paulus servum illorum, quibus scribebat, se esse dicebat per Jesum. Hinc B. Augustinus de prælato dicit: « Honore coram vobis prælatus sit vobis, timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. »

Prælati itaque pavimentum sunt coram Deo se humiliando, sibi commissos æquanimiter tolerando, et ipsis laboriose ministrando; dum enim eis cum labore ministrant quasi super se positos portant. Sed magna laus prælatorum promitur, dum pavimentum smaragdino, et pario lapidem stratum dicitur, et per picturam mira varietate decoratum perhibetur. Smaragdus viret, parius candet. Smaragdus fidem, parius castitatem et mundam significat actionem. Pavimentum itaque smaragdino et pario sternitur, dum prælatus fide, castitate, et actione mundissima perornatur Qui et picturæ mira varietate decoratur, dum diversorum justorum varias virtutes non solum ad utilitatem propriam, verum et ad exemplum aliorum imitatur. Pingitur in hoc pavimento Abel per innocentiam, Noe per justitiam, Abraham per fidem, Isaac per longanimitatem, Jacob per tolerantiam, Joseph per continentiam, Moyses per mansuetudinem, Josue per fortitudinem, Samuel per charitatem, David per humilitatem, Elias per zelum justitiæ, Daniel per virtutem abstinentiæ, et quorumlibet sanctorum forma in ipso depingitur, dum eorum virtutes, in quantum potest, operatur. Et licet de universali sancta Ecclesia dictum sit: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (*Psal.* XLIV); in sancto tamen prælato excellenter, et velut specialiter debet hæc pulchritudo varietatis apparere, ut omnium fulgore virtutum omnibus omnia factus omnes lucrifaciat (*I Cor.* IX). Huic quoque sensui concinit illud Augustini de prælato: « Circa omnes » inquit « seipsum bonorum operum præbeat exemplum, corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metuendus imponat. » Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus a vobis amari appetat quam timeri. Super pavimentum itaque lectuli erant, quia prælati sua providentia, et labore contemplativos sustentant. Vel certe super pavimentum lectuli erant, dum contemplativi in quiete positi suis prælatis, qui sollicitudine fatigantur, et turbantur nonnunquam amplius proficiunt.

Videamus, fratres, quomodo super hoc venerabile pavimentum consistimus, utrum inquiete positi cœlestia sublimiter contemplamur. Sunt enim quidam, qui suos prælatos multis molestiis premunt, et in contemplatione, ad quam in loco quietis positi sunt, minime proficiunt. Quos Paulus in Epistola ad Hebræos castigans ait: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis* (*Hebr.* XIII). Et paulo superius prælatos aliis in exemplum ponens ait: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem* (*ibid.*). Et ad Thessalonicenses, de charitate et pace habenda cum prælatis: *Rogamus*, inquit, *fratres ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum; pacem habete cum illis* (*I Thess.* V). Unde Augustinus ad subjectos de prælatis: « Obediendo non solum vestri, sed etiam ipsius misereminí, qui quanto in loco superiore tanto in periculo majore versatur.

Bibebant autem qui invitati erant aureis poculis, et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Aurea pocula sunt verba Evangelica, cæteris omnibus pretiosiora, sapientia Dei, quæ Christus est, velut auro fulgentia. Quæ videlicet verba recte dicuntur pocula, quia facile intelliguntur. Cibi etenim sunt ea Scripturæ verba quæ difficile et cum labore capiuntur, ut sunt pleraque in locis verba prophetarum. Qui scilicet cibi aliis et aliis vasis inferuntur, dum gratia, quæ in ipsis continetur, nunc apertione figurarum, nunc administratione sacramentorum nobis confertur. Quasi enim quædam sunt vasa sacræ Scripturæ ænigmata, et sacra sacramentorum velamina. Quæ dum aperiuntur mentes fidelium reficiuntur. Vinum quoque ut magnificentia regia dignum erat, abundans, et præcipuum ponebatur. Quid per spiritale vinum rectius accipitur, quam sancti Spiritus consolatio, qua mens fidelis sæpius inebriatur? De hac inebriatione scriptum est: *Calix meus inebrians quam præclarus est!* (*Psal.* XXII.) Et item: *Secundum multitudinem dolorum meorum corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII). *Ut*, inquit, *magnificentia regia dignum erat.* In largiendo namque gratiam suam attendit Deus bonitatem suam, non meritum humanum. *Abundans, et præcipuum ponebatur. Abundans*, quia *Deus abundanter dat, et non improperat* (*Jac.* I). *Præcipuum*, quia nihil dulcedine Spiritus sancti in vita suavius. Unde quidam Sapiens admirando dixit. *Quam suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus* (*Sap.* XII). *Præcipuum*, quoniam hoc est vinum, de quo architriclinus dixit sponso: *Tu autem servasti vinum bonum usque adhuc* (*Joan.* II). Hujus convivii sententiæ concordare videtur illud in Canticis: *Comedite et bibite, amici, et inebriamini, charissimi* (*Cant.* V). Comedite cibum, bibite poculum inebriamini per vinum. *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut rex statuerat, præponens mensis suis singulos de principibus, ut sumeret quisque quod vellet.* Ut ex his verbis perpendi potest Deus non vult habere coacta servitia. *Nec erat*, ait, *qui nolentes cogeret ad bibendum.* Nemo namque cogitur spirituale donum accipere: filios vult Deus, non servos; secundum voluntatem, non secundum necessitatem. *Sicut rex statuerat, præponens mensis suis singulos de principibus suis.* Mensæ sunt Scri-

pturæ, principes doctores et prælati. Singulos præponit, quia *alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* (*I Cor.* XII) ut unusquisque dispenset cæteris quod excellenter accepit, at *sumeret quisque quid vellet*. Secundum voluntatem, capacitatem, et utilitatem singulorum temperanda est prædicatio, ut omnibus utilis fiat, nulli noceat, et inter omnia vitia quasi gladius anceps transeat; sic superbiam recidens auferat, ut non augeat timiditatem; sic otiosis et torpentibus sollicitudinem operis imponat, ut inquietis et curiosis non augeat importunam actionem: et sic de cæteris. Epulemur, fratres, nunc in *vestibulo horti* et *nemoris* per gratiam sic, quatenus in horto et nemore postmodum epulari mereamur per gloriam. Quod præstare dignetur, etc.

SERMO XCIV.

In die sancto Paschæ.

Hodie, charissimi, paschalis solemnitas est, quæ propter sui excellentiam dici potest solemnitas solemnitatum, quemadmodum dicitur Canticum canticorum, Deus deorum, Rex regum, Dominus dominantium. Ipsa quippe non solum aliarum more solemnitatum annuatim, ut est hodie celebratur, verum et singulis diebus Dominicis continue et singulariter commemoratur, *et in die judicii*, quando *corruptibilis hoc induet incorruptionem; et mortale hoc induet immortalitatem* (*I Cor.* XV), generaliter et perfectè consummabitur. Quæ solemnitas quanto est celebrior, tanto ciborum hodie debet apparatus esse copiosor, lautior et delicatior. Et quoniam in hac hodierna solemnitate more Christiano omnes Christiani pusilli cum majoribus, laici cum clericis, ad mensam magnam, ad mensam divitis, potentis, sapientisque Salomonis consedemus, quæ nobis apponuntur diligenter attendamus (*Prov.* XXIII). Noster etenim Salomon *dives est in omnes*, scilicet *qui invocant illum* (*Ephes.* II). Potens est quia *data est* illi *omnis potestas* in *cœlo, et in terra* (*Matth.* XXVIII). Sapiens, quia in *ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II). Cujus mensæ regales divitiæ, atque deliciæ in libro Regum tertio typice, et aperte declarantur, ubi dicitur: *Erat autem cibus Salomonis per dies singulos triginta cori similæ et sexaginta cori farinæ, decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, atque bubalorum, et avium altilium* (*III Reg.* IV). Hæc autem omnia in nostri mensa Salomonis spiritaliter inveniuntur. In mensa nompe Christi inveniuntur triginta cori similæ per sanctæ Trinitatis fidem, sexaginta cori farinæ per bonam actionem. Simila namque, quæ sine furfure est, recte significat fidem, propter fidei sinceritatem. Farina, quæ sine aliquo furfure non est, bonam actionem propter actionis turbationem. De hoc furfure scriptum est: *Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima* (*Luc.* X). Decem boves pingues decem præcepta legis sunt; boves, quia bonam præcipiunt continentiam; pingues, quia continent charitatem geminam. Nunquid enim pinguedo charitatis non est, ubi dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc., et proximum tuum sicut teipsum?* (*Matth.* XXII.) Nunquid continentiam non exprimit, ubi dicitur: *Non concupisces uxorem proximi tui, non cuncta quæ illius sunt?* (*Deut.* V.)

Et viginti boves pascuales: boves pascuales cætera cuncta præcepta legalia sunt, quæ in hoc ut boves pascuales pinguibus macilentiora sunt quod prædictas maximas virtutes, charitatem scilicet et continentiam a malo, tam expresse, tamque authentico ut Decalogus non describunt. Præcepta quippe Decalogi digito Dei, præcepta vero cætera digito hominis scripta sunt. Boves autem significant continentiam, eo quod genitalibus careant, quemadmodum tauri luxuriam, eo quod ipsa habeant. Inferiora quoque mandata Decalogum sequentia, recte ut jam monstratum est, boves propter charitatem et continentiam, quam et ipsa docent, narrantur; et viginti dum secundum Decalogum dupliciter, hinc scilicet amicis, illinc scilicet inimicis, per obsequium pietatis dispensantur. Arietes denique, quia cæteris ovibus in hoc differunt, quod cornuti sunt, et durissimo capite adversarium durissimo quatiunt, eminentissimos Scripturæ sensus convenienter exprimunt, qui prolati hostem suum diabolum, hominem pravum vicinum gravissime feriunt et conterunt. Qui bene per centenarium describuntur, ut eorum perfectio designetur. In mensa igitur Christi triginta cori similæ, sexaginta cori farinæ, decem boves pingues, viginti boves pascuales, centum arietes apponuntur, dum doctrina fidei, et boni operis Decalogi, et quorumlibet aliorum præceptorum legalium, et excellentissimorum sacræ Scripturæ sensuum mentes fidelium per solertiam doctorum plenissime reficiuntur, *excepta venatione cervorum, caprearum, bubalorum, et avium altilium*. Venationem mensæ nostri Salomonis inferimus, dum sensus aliquos velut novos et rarius auditos lectione, meditatione, discurrendo ex diversis libris quasi diversis silvis venamur, et nostris auditoribus novo quodam et inusitato dicendi modo dispensamus. Qua sensuum verborumque nova, salubrique dulcedine illi, qui delectius in Scripturis sunt enutriti, avidissime se reficiunt, quemadmodum illi, qui in regum curiis, et regalibus quotidie ferculis vescuntur, recentem et opimam venationem delectabiliter comedunt. In cervis autem est timiditas, in capreis velocitas, in bubalis fortitudo, in avibus volatus elevatio.

Ad mensam itaque Christi cervos deferimus, dum loquimur de timore; capreas, dum loquimur de boni operis velocitate; bubalos, dum loquimur de ejusdem operis fortitudine; aves, dum loquimur de contemplatione. Et notandum quod cum dixisset *avium* addidit *altilium*. Illa namque contemplatio coram Deo laudabilis est, quam non solum cognitio veritatis sursum levat, sed etiam amor virtutis impinguat. Possumus totam hanc sententiam in alium sensum vertere, ut intelligamos per similam et fa-

rinam doctrinam, quæ est in præceptis duum Testamentorum; per animalia domestica exempla sanctorum ex gentibus pro Christo peremptorum, ut sic habeamus duplicem escam, unam in præceptis, alteram in exemplis. Per boves autem intelligere possumus illus qui in Veteri Testamento bonis operibus exercendis fortiter insistebant; per arietes illos, qui suæ fortitudinis cornibus hostes fortiter quatientes de suis finibus propellabant; per silvestria animalia accipere possumus illos, qui ex gentibus fideles sunt activi; per aves, illos qui sunt contemplativi. Nec solum sancti martyres exemplis suis nobis in escs salutis sunt, verum et sancti confessores, et quilibet sancti suis exemplis vitæ cibum nobis conferunt, qui, licet ferro non occubuerint, jejuniis tamen, vigiliis et variis laboribus carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt. Non tantum autem escam babemus in præceptis et in exemplis, sed etiam in sacramentis, ex quibus quammaximum est sacramentum corporis et sanguinis Domini: ad quod venerabiliter, et salubriter sumendum hodie convenire debemus universi. In cujus laudem beatus Gregorius in libro IV Dialogorum (*cap.* LVIII) ita loquitur, dicens: « Quis fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri: in illo Jesu Christi mysterio angelorum choro adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unumque ex visibilibus et invisibilibus fieri? Sed necesse est ut, cum hoc agimus, nosmetipsos in cordis contritione mactemus. » Quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Quam autem sit salubre, quam necessarium, quam beatum corpus et sanguinem Christi sancte sumere, ipse per semetipsum dignatus est aperire, dicens: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam* (*Joan.* VI). Quam sit vero noxium indigne sumentibus Paulus demonstrat, ubi dicit: *Quicunque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit non dijudicans corpus Domini* (*I Cor.* XI). *Non dijudicans*, id est non discernens per venerationem a cæteris cibis. Debuisset enim se probasse, et per pœnitentiam purgasse, vel certe abstinuisse. Hinc Paschasius in libro De corpore Domini dicit: « Quisquis vel membrum meritricis fit, vel per aliquod grave delictum membrum diaboli, hic utique elapsus de corpore Christi est, et idcirco non licet ei corpus Christi contingere. Quid ergo manducat et bibit peccator? Non utique sibi utiliter carnem et sanguinem, sed judicium. Quare? Quia non se probat prius. »

Si quis ergo, lapsus de corpore Christi, factus membrum meretricis vel diaboli, præsumpserit hoc sacrosanctum corpus contingere, non dubium quin ob id judicium excipiat, et cum Juda culpæ societur oboxius, tam qoia corruit, quam quia, in conscientia damnatus, ausus est, sine pœnitentis et correptionis venia, sancta mysteria temerare. Alius ad communionem accessurus, dum altitudinem sacramenti non cogitat, joco, ira, indignatione communionem non honorat, sed dedecorat. Alius eum reverentia quidem se communicat, scilicet recedens diuturno cachinno, multiloquio, vaniloquio, turpiloquio, detractione, et cæteris vitiis sacram communionem inhonestat. De talibus dictum videtur: *Gratiæ fatuorum effundentur* (*Eccles.* XX). Tales enim quidqeid, legendo, psallendo, orando, vel alio quolibet modo boni hauriunt a mane usque ad vesperam, non solum otio, sed et illicitis delectationibus vacando negligenter effundunt. Unde hoc sacrosanctum mysterium angelis etiam venerandum, nostris temporibus tam magnum in contemptum venisse cernitur, tanquam non sit Pater qui honorem Jesu Christi quærat et judicet. Et ita veritas prostrata est ut, sicut in Daniele legitur: *Abominationem in templo Dei fieri videamus* (*Dan.* IX). Valde itaque contemptoribus tanti sacramenti divina vindicta timenda est. Unde prædictus Paschasius in prædicto libro dicit quod ab angelis, qui ad hoc positi sunt, etiam nunc perimerentur quicunque vel semel indigne communicant, nisi bonitas Christi, cujus judicio pendent omnia, gladium suspenderet, et temporalem mortem quibusdam, ut pœniteant, removeret. Verum nos non solum auditu auris audivimus, sed et oculis diversis in codicibus legimus gravissimas et horrendas ultiones talibus præsumptoribus sine dilatione divinitus illatas. Dicit sanctus Gregorius Turonensis de quodam presbytero, « cui in Dominica solemnitate propter suam personam concessum fuerat ut missam celebraret: qund statim ut ad horam communicandi venit, mox ἐπιληψία [epilepsia] comprehensus, corruit, spumans, sacramque particulam ab ore projiciens; qui ipsa nocte, sicut plerique testati sunt, ebrius fuerat. » Item de quodam infami diacono dicit: quod « dum capsam cum corpore Domini deferret, de manibus ejus elapsa est, et per aerem soper altare reversa. » Sanctus vero Hieronymus, in Vitis Patrum, dicit de beato Eulegio: quod « cum videret ex monachis quosdam immundos accedere ad communionem, retinuit eos, dicens: Tu hac nocte habuisti fornicationis desiderium. Tu vero dixisti in corde tuo: Nihil interest sive justus sive peccator ad sacramentum accedit. Et alius dubitationem habuit in corde suo, dicens: Quid me sanctificare potest communio? Hos omnes removebat a communione sacramenti, donec per pœnitentiam et lacrymas purificarentur. » Talia quoque scribit de sancto Machario, de sancto Piamone, et monachis eorum.

Hæc, fratres, exempla diximus, quia in sancta Ecclesia *sunt multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi* (*I Cor.* XI). Propterea ista scripsimus, quia

forsitan aliquis eorum hæc lecturus est, qui se, auditis, de sua negligentia corriget. Absint autem a vobis hæc pericula, absit et periculorum causa. Vos enim non estis in tenebris, fratres, ut vos pericola ista comprehendant (*Joan.* XII). *Omnes enim filii lucis estis, et filii Dei. Non estis filii noctie, neque tenebrarum* (*I Thess.* V). Sed et nos *speramus de vobis meliora, et viciniora saluti, tametsi ita loquimur* (*Hebr.* VI). Unde, charissimi nobis, istud mysterium eum humilitate et reverentia frequentate, ad ejus gloriam frequenter accedite, ejus participes semper fieri diligite. Hoc est enim mysterium, quod specialiter in viventibus dolores internos mitigat, vulnera sanat, hostem expugnat, a malis liberat, in bonis adjuvat, confert gratiam, auget justitiam, et in defunctis culpam diluit, pœnam remittit, cœlum aperit, vitam tribuit. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XCV.

De mensa propositionis ex libro Exodi od laudem sacræ Scripturæ.

Loquens Dominus Moysi, de facienda mensa propositionis oit; *Facies mensam de lignis setim, habentem duos cubitos longitudinis, et in latitudine cubitum, et in altitudine cubitum ac semissem, et inaurabis eam auro purissimo. Faciesque illi labium per circuitum: et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis, et super illam alteram coronam aureolam. Quatuor quoque circulos aureos præparabis, et pones eos in quatuor angulis ejusdem mensæ per singulos pedes. Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, et possit mensa portari. Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, et circumdabis auro ad subvehendam mensam. Parabis et acetabula ac phialae, thuribula, et cyathos in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper* (*Exod.* XXV). Quæ est hæc mensa, nisi sacra Scriptura. Quæ quoties ad bene vivendum nos admonet, toties nobis vitæ panem præbet? Mensa de lignis setim facta legitur, ut veritas Scripturæ sacræ nulla vetustate corrumpitur. Ad similitudinem quoque mensæ Scriptura sacra duos cubitos longitudinis habet, dum nos utramque partem fidei, et illam scilicet qua in Creatorem, et illam qua in Redemptorem credimus docet. Habet cubitum ac semissem altitudinis, dum nos erudit quæ sit altitudo spei et initium contemplationis. Habet denique cubitum latitudinis, dum nos instruit quæ sit latitudo charitatis. Sic sacra Scriptura admodum mensæ habet longitudinem, altitudinem, latitudinem, dum nos perfecte docet fidem, et spem cum initio contemplationis, et charitatem. Spiritualis autem hæc mensa per totum deaurata est, quia non solum miraculorum, verum et sapientiæ cœlestis claritate tota refulget. Quæ habet labium, sanctorum videlicet ora doctorum. Quod labium per circuitum ducitur, dum a sanctis doctoribus nihil uspiam inemendatum relinquitur. Quasi namque labium per circuitum mensæ sancti doctores sunt, dum auctoritate Scripturæ undique malos a malo redarguunt, et ad meliora bonos erudiunt.

Duæ coronæ, quæ sequuntur, quarum una dicitur interrasilis, altera aureola, duo justorum significant bona, unum in mundo, alterum in cœlo. Prima significat justitiam, secunda remunerationem supernam; prima meritum, secunda præmium; prima bonam conscientiam, secunda sequentem gloriam. Et utraque bona recte coronæ comparantur, tum quia perfecta sunt, tum quia coronam conferunt. Prima fore præcipitur interrasilis, quia multiplex et varius nunc est effectus bonæ operationis. Quæ est etiam quatuor digitorum, quia sanctorum justitia, operante Spiritus sancti gratia, sustollitur exercitatione quatuor principalium virtutum. In digitis enim dona sancti Spiritus, in quaternario virtutes quatuor, prudentia, fortitudo, justitia, temperantia figurantur. Quæ denique corona labio mensæ fuit juncta, quia secundum doctorum hortamenta sanctorum consummatur justitia. Super illam fuit corona aureola, quia justitiam sequitur et excellit gloria superna. Quæ et aureola dicitur, ut per aurum fulgor contemplationis significetur. Et diligenter attendendum quod non aurea, sed aureola fuisse perhibetur, ut per diminutivum modicum esse ad plenitudinem sequentis boni quidquid nune de eodem bono per contemplationem percipitur, insinuetur. Magnum tamen est et inæstimabile, quia, Scriptura teste, *quæ sub ipso erant replebant templum* (*Isai.* VI). Et si quæ sub ipso sunt replent templum, quis æstimare queat qualia, quantave sunt, quæ in ipso sunt, et quæ ipsæ sunt? Unde de illa mercede superna, quæ hic corona superior et aureola dicitur, scriptum est: *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum* (*Luc.* VI). Hujus mensæ, vel coronæ aureolæ principium a quibusdam in præsenti jam per contemplationem cernitur et percipitur, et in futura perficietur, cum non per speculum et in ænigmate ipse Deus, qui est justorum merces et corona, sed facie ad faciem videbitur. Primo itaque loco ponitur mensa, secundo labium, tertio corona interrasilis, quarto corona aureola. Mensa, Scriptura; labium, doctorum hortamenta; corona interrasilis, sanctorum justitia; corona aureola, retributio superna.

Quatuor circuli sunt quatuor libri evangelici, qui bene vocantur circuli, quia perfecti: perfectam namque tradunt doctrinam de fide et operatione, de merito et præmio. Qui et in quatuor angulis mensæ per singulos pedes ponuntur, dum eorum auctoritate et perfectione quatuor sensus Scripturæ roborantur, et ipsa Scriptura aptatur, ut per quatuor partes mundi in suis quatuor sensibus per prædicationem evangelicam deferatur. Mensa quatuor pedes habet, quia verba cœlestis oraculi vel historice, vel allegorice, vel tropologice, vel anagogice accipiuntur. Historia est, cum quomodo res secundum litteram vel facta vel dicta sit plano sermone refertur, sicut

populus ex Ægypto exiens salvatus dicitur per sanguinem agni, vel tabernaculum in deserto factum. Allegoria est, cum verbis vel rebus mysticis præsentia Christi et Ecclesiæ sacramenta signantur: verbis, ita: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa.* XI). Quod est dicere Nascetur virgo Maria de stirpe David, et Christus de stirpe ejus. Rebus, ut populus de Ægypto per sanguinem Agni salvatus, Ecclesiam significat Christi passione a damnatione diaboli liberatam. Tropologia, id est moralis locutio, ad correptionem et institutionem morum, apertis vel figuratis verbis, respicit. Apertis, ita: *Filioli, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate* (*I Joan.* III). Figuratis, ita: *Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat* (*Eccl.* IX). Anagoge, id est ad superiora ducens, locutio est quæ de præmiis futuris et de vita quæ est in cœlis, mysticis vel apertis verbis, disputat. Apertis, sic: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V); mysticis, sic: *Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas illis in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem*, scilicet cœlestem (*Apoc.* XXII). Quatuor ergo pedibus mensæ quatuor circuli apponuntur, ut inductis vectibus per eos mensa portetur, quia quatuor sensibus Scripturæ libri evangelici junguntur, ut eorum auctoritate ipsa Scriptura circumquaque per doctores prædicetur. Ipsi vero circuli sunt aurei; quia libri evangelici sapientia Dei, quæ Christus est, sunt præclari. Qui etiam circuli subter coronam sive primam sive secundam sunt, quia ordine præcedit doctrina evangelica, doctrinam sequitur justitia, justitiam gloria. Vectes, quibus mensa portabatur, sunt prædicatores, per quos sacra Scriptura prædicatur. Qui de lignis setim sunt, quia justum est, ut qui sanctitatem aliis prædicant, ipsi sine corruptione vitiorum vivant. Qui etiam deaurati, quia divina sapientia fulgent.

Parabis et acetabula ac phialas, thuribula et cyathos. Varia vasa, quæ fiunt ad offerenda libamina, variæ verbi distinctiones sunt pro capacitate auditorum, quia non omnibus omnia conveniunt: aliter sapientes, aliter insipientes; aliter divites, aliter pauperes; aliter sani, aliter infirmi; aliter senes, aliter juvenes; aliter viri, aliter feminæ; aliter cœlibes, aliter conjugati; aliter prælati, aliter subditi docendi sunt. Acetabula significant doctrinam mordacem, phialæ doctrinam uberem, thuribula orationem devotam, cyathi scientiam angustam. Quæ vasa omnia ad mensam tabernaculi, et ad offerenda libamina pertinent. Quæcunque enim diversa pro diversitate audientium dicuntur, in regula sacræ Scripturæ inveniuntur, et ad offerenda Domino vota bonorum operum excitant corda audientium. *Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* Panes propositionis sunt verba sapientiæ cœlestis. Quæ bene panes propositionis vocantur, quia semper debet patere cunctis fidelibus sermo salutis, nec unquam deesse oportet in Ecclesia verbum solatii, quod Dominus per prædicatores veritatis in mundo proponens in conspectu suo apparere, et usque in finem his qui esuriunt et sitiunt justitiam, incessanter abundare voluit. Mensa igitur Scriptura est; labium, doctorum ora; corona interrasilis, sanctorum justitia; corona aureola superior, remuneratio superna; pedes mensæ, sensus Scripturæ; quatuor circuli, libri evangelici; vectes, prædicatores; diversitates vasorum, distinctiones verborum, panes propositionis, verba sapientiæ cœlestis. Hæc mensa, fratres, omnibus est divitiis cumulata, cunctis referta deliciis. Si vultis panes et pisces, accipite in ea panes quinque et pisces duos (*Matth.* XIV), vel certe panes septem et pisciculos paucos (*Matth.* XV). Ex illis saturati sunt quinque millia hominum, et de fragmentis eorum impleti duodecim cophini; ex istis saturati sunt quatuor hominum millia, et de reliquiis eorum impletæ septem sportæ. Accipite itaque panes hos et illos, et pisces licet paucos, et scitote quod abundabit cibus et supererit. Si vultis carnes, accipite vitulum saginatum (*Luc.* XV), tauros et altilia quæ vobis sunt occisa (*Matth.* XXII). Si vultis saporem accipite granum sinapis, quod quidem minimum est, sed jactum in terram crescit, et majus omnibus oleribus fit (*Matth.* XIII). Si vultis butyrum et mel, cum Emmanuele utrumque comedite, ut sciatis cum ipso malum reprobare, bonum eligere (*Isai* VII). Si vultis fructus diversi generis, accipite omnia poma nova et vetera, quæ sponso sponsa servavit, et de horto nucum comedite nuces (*Cant.* VII). Si vultis potum, accipite vinum electum, de quo scriptum est: *Tu autem servasti vinum bonum usque adhuc* (*Joan* II). Si vultis potum ampliorem, emittite absque ulla commutatione vinum et lac (*Isai* LV), et cum sponsa bibite vinum vestrum cum lacte vestro (*Cant.* V). Si vultis pigmenta nectarea, accipite consolationes Dei, quæ secundum multitudinem dolorum vestrorum in corde vestro lætificabunt animas vestras (*Psal.* XCIII). Si vultis aromata, accipite cyprum cum nardo, cum croco, fistulam et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrham et aloen cum universis primis unguentis (*Cant.* IV) Et quia periculosum est et turpe, si juxta talem tantamque mensam fame moribundi marceamus, et marcidi moriamur, comedamus, et bibamus, et inebriemur ex his quæ nunc apponuntur in hac mensa nobis per gratiam, ut hæc postmodum perfectius possideamus per gloriam. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus. Amen.

SERMO XCVI.

De quolibet sancto.

Myrrha, et gutta et casia a vestimentis tuis a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Astitit regina a dextris in vestitu deaurato, circumdata varietate (*Psal.* XLIV). In his verbis et singulorum fidelium sanctitatis exprimitur, et universalis Ecclesiæ justitia figuratur. In primo namque versu virtutes quorumlibet fidelium describuntur; in secundo totius Ecclesiæ justitia declara-

tur. *Myrrha, et gutta, et casia.* Myrrha valde amara est, et per hoc significat mortificationem carnis, non quantum ad naturam, sed quantum ad culpam. Natura namque semper est nutrienda, culpa perimenda. Hæc myrrha omnium electorum est : *Qui enim Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* v). Verum quia superius in hoc libello quodam in sermone de myrrha hac, et ejus speciebus plurima diximus, ideirco paucioribus nunc contenti ad sequentia pertransimus. Gutta herba est, quæ inflaturas comprimit, et per hoc virtutem humilitatis exprimit. Hæc quam sit necessaria Dominus in Evangelio demonstrat, ubi dicit : *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur, et qui se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* xiv). Et item. *Qui non susceperit regnum Dei sicut parvulus, non intrabit in illud* (*Matth.* xviii). Hanc Abraham vere habuit, cum ait : *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* xviii). Hanc et Jacob veraciter habuit, dum ad Dominum loquens, dicit : *Minor sum cunctis miserationibus tuis* (*Gen.* xxxii). Hanc angelus apostata, dum habere noluit, sicut fulgur de cœlo irrecuperabiliter cecidit. Hac progenies Adæ quando in ædificanda turre Babylonis caruit, confusionem labii meruit. Et sic in cæteris semper evenit, ut *ante ruinam exaltetur spiritus, et ante gloriam humilietur* (*Prov.* xvi). Casia, quæ et fistula dicitur, ventrem purgat et naturam de suis superfluis alleviat et per hoc virtutem confessionis significat, quæ dum culpam mentis per oris ostium eliminat, ipsam mentem peccati pondere exonerat. Per myrrham igitur intelligimus carnis mortificationem, per guttam mentis humiliationem, per casiam peccati confessionem. *A vestimentis tuis.* Vestimenta corporis Christi, quod est Ecclesia, perfectiores sancti sunt, quibus sancta Ecclesia, ut homo vestibus, sic circumdatur et ornatur. Ex quibus vestibus sive sanctis, alii sunt coloris rubri, scilicet martyres suo sanguine rubricati ; alii coloris hyacinthini et cœlestis, videlicet confessores ad cœlestia contemplanda sublimiter elevati ; alii nivei, ut sunt virgines ; alii nigri, ut sunt humiles ex memoria peccatorum suorum sibi semper nigrescentes, alii varii mistique coloris, ut illi qui sunt diversarum virtutum et bonorum operum participes. *A domibus eburneis.* Per domos eburneas accipimus congregationes continentes et castas. Elephantes enim, quorum ossa ebur vocantur, animalia castissima sunt, aversi coeunt, non nisi semel pariunt, terræ non accumbunt, trecentis annis vivunt. Quæ cuncta justis et castis animabus, si ea perspicere velis, conveniunt. A domibus igitur eburneis sunt Christi vestimenta, et a vestimentis sunt myrrha, et gutta et casia, quia ex castis et continentibus congregationibus sunt quilibet fideles, et ex ipsis fidelibus sunt sanctæ virtutes et virtutum opiniones.

Ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Reges prælati sunt sancti, qui alios virtute discretionis regunt. Quorum filiæ sanctorum subjectorum sunt animæ, doctrina eorum enutritæ et eorum exemplis adornatæ. Quæ propterea non filiorum, sed filiarum nomine designantur, ut earum magna fiat devotio significetur. Femineus namque sexus valde devotus est, et quo se ad amandum intorquet, mirabiliter fervet. Vel certe filiarum, non filiorum nomine describuntur, ut, dum (quod etiam infirmæ et imperfectæ animæ, quæ per filias significantur, Christum sua sanctitate delectant) ostenditur quantum illi perfectorum mirabilis justitia placeat, melius exprimatur. Regem itaque filiæ Christum in honore delectant, dum subjectorum devotæ multitudines eum sua bonitate delectabiliter honorant. Et hic delectabilis honor, sive hæc honorabilis delectatio ex prædictis virtutibus procedit, et eum suaviter reficit, dum ipsos subjectos per has virtutes juste vivere, et aliis exempla justitiæ præbere cernit. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Sicut in præcedenti versu quorumlibet fidelium virtutes et virtutum opiniones insinuantur, sic in isto universalis Ecclesiæ justitia, et ejusdem justitiæ varia multiplicitas et multiplex varietas designantur. Quæ videlicet sancta Ecclesia reginæ rectissime comparatur, quia et cœlesti regi copulatur, et ab ipso sublimiter coronatur. Quæ stat per fidem, et astat per bonam intentionem. Falsi fideles, etsi stent ea quæ vera sunt recte credendo, non tamen astant bona quæ operantur recta intentione faciendo. De numero stantium et astantium Elias exstitit, qui ait : *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* (*III Reg.* xvii). Dum enim dixit *sto*, stare se perhibuit ; dum vero dixit *in cujus conspectu*, divinæ præsentiæ per intentionem se non deesse declaravit. Astat autem sancta Ecclesia Deo nunc a dextris per justitiam, ut in futuro a dextris assistere mereatur ad gloriam. Sic et reprobi nunc a sinistris sunt per culpam, a sinistris in fine statuendi ad pœnam.

In vestitu deaurato. Per vestitum intelligenda est justitia, per deaurationem sapientia. Quidquid enim sancta Ecclesia vel in exercendis virtutibus, vel exhibendis operibus bonis operatur, totum sapientiæ cœlestis fulgore decoratur. Imitatur etenim suum Creatorem secundum posse suum, qui omnia in sapientia fecit, et in universitatis dispositione primam lucem condidit, ac deinde cætera disposuit, et omnibus dispositis, *vidit cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* i). *Circumdata varietate.* Non est contenta sancta Ecclesia una virtute, vel opere uno, sed multiplicitate virtutum vult circumdari, varietate bonorum operum vult ornari, secundum dispensationem multiformis gratiæ Dei (*I Petr.* iv). Ad hanc varietatem pertinet illud beati Petri : *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem* (*II Petr.* i). Et illud beati Pauli : *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa*

patientia, etc. (*II Cor.* VI). Intelligimus igitur per myrrham, guttam et casiam, fidelium virtutes, per vestimenta ipsos fideles, per domus eburneas eorum castas congregationes, per reginam sanctam Ecclesiam, per vestitum deauratum ejus justitiam, per varietatem ejusdem justitiæ multiplicem differentiam. Virtutes itaque, et opera bona totis viribus exerceamus, ut cum fidelibus omnibus, et sancta matre Ecclesia in cœlesti patria coronari mereamur. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus, etc.

SERMO XCVII.

In festo sancti Joannis Baptistæ.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri (*Psal.* LXVII). Sanctus Psalmographus in his sacris paucisque verbis, quæ nobis per Spiritum sanctum canit, sanctorum meritum et universalis Ecclesiæ scientiam præmiumque spirituali significatione describit. Meritum namque designat ubi dicit : *Si dormiatis inter medios cleros ;* scientiam sanctæ Ecclesiæ, ubi addit : *pennæ columbæ deargentatæ.* Præmium, ubi concludit : *Posteriora dorsi ejus in pallore auri. Si dormiatis inter medios cleros.* Duo cleri prophetæ et apostoli. In quorum medio dormiunt qui, sacris eorum dictis hinc inde docti, in pace bonæ conversationis ab inquietudine dæmonum liberi feliciter quiescunt. Inter medios enim cleros sunt quicunque inter prophetarum præconia, et apostolorum prædicamenta sancte vivunt. Qui et dormiunt, dum, bonis operibus occupati, ab infestatione tentationum quieti sunt. De hoc felici sanctorum somno per Jacob sub Isachar nomine dicitur : *Isachar asinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona et terram quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens* (*Gen.* XLIX). Populus nempe justorum asinus fortis est, quia pondus cujuslibet tribulationis pacifice et fortiter sustinet. Inter terminos accubat, dum, per prophetas et apostolos eruditus, ex utrorumque doctrina bene operando pausat. Qui videt requiem, internæ scilicet contemplationis quod bona est, et terram supernæ beatitudinis quod optima, et utriusque captus amore, supponit humerum ad portandum quodlibet onus impositum. Qui et tributis servit, quia non solum sua, verum et semetipsum pro bonis spiritalibus libenter tribuit.

Electorum itaque cœtus inter medios cleros sicut dictum est dormit, et hac dormitatione cœleste præmium acquirit. Dormit et, ut ait Salomon, *suavis est somnus ejus* (*Prov.* III). — *Pennæ columbæ deargentatæ.* Columba, ut sæpe dictum est, sancta Ecclesia est. Sancta nimirum Ecclesia, quemadmodum felle caret per charitatem, non vivit de cadavere per mortuorum operum vitiationem, meliora grana eligit per majorum præceptorum Dei exsecutionem, gemitum pro cantu habet per pœnitentiam, alienos sæpe nutrit pullos per misericordiam, super aquas sedet ut umbram venientis accipitris, id est diaboli, prævideat sacram Scripturam legendo, in petris nidificat in secreta Christi sublimiter contemplatione quiescendo. Quæ duas alas habet per dilectionem Dei et proximi, a dextris dilectionem Dei, a sinistris dilectionem proximi. Alæ vero dextræ pennæ sunt distinctiones illæ, quibus dicitur : *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis, et ex tota mente tua* (*Matth.* XXII). Sinistræ vero alæ pennæ sunt votum, consilium, beneficium, quibus proximum diligere debemus sicut nosmetipsos. Pennæ autem istæ deargentatæ sunt, quia in dilectione Dei et proximi *tota lex pendet et prophetæ* (*ibid.*). Sane per argentum sacrum eloquium designatur, ut Psalmista testatur, dicens : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum septuplum* (*Psal.* XI). Quando ergo sancti inter medios cleros dormiunt, pennæ columbæ deargentatæ sunt, quia tunc sacra scientia in sanctæ Ecclesiæ virtutibus adimpletur, dum sanctorum universitas prophetica et apostolica præcepta in fide et opere quiescendo pro viribus exsequitur. *Et posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Posteriora dorsi sequentia præmii. Quæ auro rectissime comparantur, quia sicut aurum cætera metalla transcendit, sic cœleste præmium omnia bona post se sui comparatione longe derelinquit. Beatus autem Joannes Baptista, cujus hodie solemnia celebramus, inter medios cleros, non solum virtute, verum et tempore dormivit, quia non tantum sanctitate conversationis, sed etiam distinctione temporis, inter prophetas et apostolos exstitit. *Lex enim et prophetæ usque ad Joannem* (*Matth.* XI). Cujus sanctitatem, prout superna gratia donare dignabitur, imitemur, ut ejus meritis et precibus ad superna gaudia pervenire mereamur. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XCVIII.

In Ascensione Domini.

Confessio ejus super cœlum et terram : et exaltavit cornu populi sui (*Psal.* CXLVIII). Confessionum alia criminis, alia laudis. In hoc autem loco de sola laude intelligitur. Confessio namque Dei, id est laus Dei, super cœlum est per spiritus beatos, super terram per homines justos, et ita super cœlum et terram. Omne nimirum, quod creatum est, infra ipsum est. Sane quia superius tam de confessione criminis, quam de confessione laudis multa diximus, his relictis, ad cætera transimus. *Et exaltavit cornu populi sui.* Cornu populi Dominici Christus est. Cornu de carne procedit, sed carnem excedit. Sic Christus de carne virginea processit, sed, culpam non habendo, carnem excessit. Huic sententiæ concinit illud Apostoli : *Quod impossibile*, inquit, *erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem, sed secundum spi-*

rituum ambulamus (*Rom.* VIII). In hoc enim cornu, quemadmodum carnem quodammodo transcendit, quod non in carne peccati, sed *in similitudinem* tantum *carnis peccati* venit, cornu omni supereminet corpori, et Christus membrorum suorum universitati. Unde et Zacharias, pater beati Joannis Baptistæ, de ipso patre ait: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebi* [*plebis*] *suæ; et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui* (*Luc.* I). Cornu Christus, quis salutem mundo prædicavit. Unde Apostolus: *Veniens*, inquit, *evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, et pacem iis qui prope: quia per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem* (*Ephes.* II). Cornu populi Dei Christus, quoniam ipso absterret et fugat hostes de finibus suis. Non dixit cornua, sed cornu, quia unus est magister noster Christus. De quo et Psalmista ait: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII), id est Christum. Sic Deus Abrahæ per promissionem loquens, non ait in seminibus tuis, quasi in multis benedicentur omnes gentes, sed in semine tuo, velut in uno, quod est Christus (*Gal.* III). Hoc cornu nostrum unicum et singulare hodierna die præsertim exaltatum est, eum secundum hominem assumptum unigenitus Dei Filius cœlos omnes penetravit, et summos cœlestium spirituum ordines transcendens, ad dexteram Patris consedit. Unde Apostolus: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit eum, et dedit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II). Hodie denique adimpleta est visio Danielis, qua dicitur: *Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur* (*Dan.* VII).

Habentes igitur *Pontificem magnum, qui penetravit cœlum, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem* (*Hebr.* IV). Illam, inquam, confessionem, quæ est super cœlum et terram, quæ fit ad salutem, sicut scriptum est: *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei* (*Psal.* XLIX). Confiteamur super terram, cui super cœlum confitentur angeli, quia *Deus, qui dives est in misericordia propter charitatem, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu* (*Ephes.* II). *Spe* enim *salvi facti sumus* (*Rom.* VIII). Verum donec transeat spes et sequatur res, ascensiones in cordibus nostris disponamus in valle lacrymarum, in loco quem posuimus (*Psal.* LXXXIII). Ascensiones sunt virtutes, vallis lacrymarum mundus. Locus quem posuimus modus vivendi, quem eligimus. Alii eligunt esse in agro, alii in molendino, alii in lecto. Nos ergo in loco quem posuimus, ascensiones in cordibus nostris disponamus, vel, secundum beatum Petrum, *ministremus in fide nostra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem* (*II Petr.* I). Istæ sunt enim ascensiones, quibus ascendunt tribus, *tribus Domini ad confitendum nomini Domini* (*Psal.* CXXI). Qui autem gradum ascensionis hujus ultimum, id est charitatem tenet, Deum possidet. *Deus enim charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV). Primum vero ascensionis hujus gradum fidem ipsam beatus Petrus posuit, quia ipsa omnium prima est virtutum, dum *sine ipsa impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI). Ultimum autem gradum posuit charitatem, quæ major omnibus est. Unde Paulus, descriptis donis sive virtutibus spiritalibus, de charitate subjunxit: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar et angelorum* (*I Cor.* XII), etc. Et post pauca: *Nunc autem manent tria hæc: fides, spes, charitas. Major autem horum est charitas* (*ibid.*).

Merito igitur beatus Petrus in scala virtutum fidem primam, charitatem ultimam posuit, quia bonum in nobis fides inchoat, charitas consummat. In cæteris autem scalæ virtutibus quascunque videris superiores, si bene perpendis, videbis potiores. Quis enim dubitet amorem fraternitatis fortitudine meliorem? Quis ignoret pietatem scientia utiliorem? Quis nesciat patientiam abstinentia laudabiliorem? Aliter. Quemadmodum charitas amorem fraternitatis et alias omnes virtutes bonitate transcendit, sic amor fraternitatis pietatem et reliquas sub se positas virtutes excedit. Et sic de cæteris intelligendum est. Quemadmodum enim prior virtus sequentem præcedit ordine, sic quælibet sequens priorem in hac scala superat dignitate. Unde quanto quisque superius conscenderit, tanto firmius pedem ponit, quia tanto securius stat, quanto sublimiores virtutes attingendo cœlestibus appropinquat. *Ministrate in fide virtutem*, etc. Fides enim sine virtute est impotens et otiosa; virtus sine scientia, indiscreta; scientia sine abstinentia, inflata; abstinentia sine patientia, iracunda; patientia sine pietate, inhumana; pietas sine amore fraternitatis, imperfecta. amor fraternitatis sine charitate, carnalis. Hæc denique ascensionis scala octo virtutibus distinguitur quia per ipsam ad octonarium beatitudinum pertingitur. Quarum unaquæque alii inseritur, ut per hoc earum concordia demonstretur, et ex ipsis unam et perfectam constare justitiam, et ad unam perveniri posse gloriam ostendatur. Quam gloriam in hac mortali vita sicut est, nemo vidit unquam. Sicut enim beatus Gregorius dicit: « Quantalibet intentione mens humana tetenderit, etiam si jam phantasias imaginum corporalium a cogitatione compe-

scat, etsi jam omnes circumscriptos spiritus ab oculis cordis amoveat, adhuc tamen in carne mortali posita, videre gloriam Dei non valet, sicut est. Et quidquid de illa est, quod in mente resplendet, similitudo, et non ipsa est.» Unde propheta Ezechiel hoc, quod in spiritu viderat describens, non ait: Hæc visio gloriæ Domini, *sed hæc visio similitudinis gloriæ Domini* (*Ezech.* VIII). Mirabiliter tamen ipsa similitudinis visio mentem lætificat, quia quæ sub ipso sunt, repient templum. Quæ sub ipso namque sunt, templum replent, quia etiam ea quæ in similitudine gloriæ ejus videntur, humanæ menti mira gaudia præbent. Quam gloriam nobis præstare dignetur Jesus Christus. Amen.

SERMO XCIX.

In festo sancti Augustini.

Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis (*Psal.* XLIV). Hæc verba, dilectissimi, quæ proposita sunt, prophetis, apostolis et omnibus ecclesiasticis doctoribus conveniunt, et universis qui, Spiritu sancto regente, verbum Dei proferunt. Quod dum veraciter constet beato Augustino, cujus hodie solemnis colimus, hæc convenire non dubitamus. Ejus enim revera cor verbum bonum eructavit, qui verbum Dei usque ad ultimam ægritudinem suam in sancta Ecclesia prædicavit. Ipse opera sua regi dixit, quia non sibi, sed Christo ascripsit quod sancte vixit. Lingua ejus calamus scribæ velociter scribentis exstitit, quia, Spiritu sancto docente et ducente, verbum Dei elegantissime dispensavit. Unde et de ipso in hac ejus solemnitate canimus, quod prophetarum et apostolorum plenus spiritu, quæ prædixerunt mystica, fecit nobis pervia, post quos secunda dispensandi verbi Dei primes refulsit gratia. Encaustum seu atramentum gratia est, cornu vero seu atramentarium Christus, pergamenum audientium corda. Quemadmodum autem scriptor calamo de atramento, quod est in cornu impleto, in pergameno quod vult scribit: sic Spiritus sancti gratia est, quæ in Christo, lingua doctoris adimpleta, corda nostra instruit. Et hoc esse videtur quod Christus in Evangelio discipulis suis ait: *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI). Spiritus enim sanctus sicut a seipso non est, sic a seipso non loquitur, sed a Patre et Filio, a quibus procedit. Et loquendo dividit nobis gratiam, quæ in Christo est, prout vult. Nam *de plenitudine Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ abscanditi nos omnes accepimus* (*Joan.* I; *Col.* II). Corda quoque nostra, quæ pergameno figurari diximus, et in quibus spiritualis hæc scriptura spiritualiter scribitur, ad modum materialis pergameni conficiuntur per amaram pœnitentium, extenduntur per districtam abstinentiam, raduntur per totius carnalitatis abstractionem, et in quaternionem formantur per firmam stabilitatem. Sicut enim omne rotundum volubile est, sic omne quadratum stabile et firmum est. Puncta significant numerum, plumbum pondus, regula mensuram. *Omnia namque fecit Deus in numero, pondere et mensura.* Quæ scilicet numerus, pondus, et mensura licet a nobis nequeant comprehendi, Deo tamen incomprehensibilia non sunt. Huic autem spirituali numero ponderi et mensuræ, quæ spirituali pergameno consignamus, concordare videtur illud Evangelii: *Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique autem secundum propriam virtutem* (*Matth.* XXV). Et item: *Cui plus donatum est, plus exigetur ab eo* (*Luc.* XII). Et Apostolus: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* (*Ephes.* IV). Scriptura vero, quæ nostris cordibus inscribitur, veritas est. De hac inscriptione Dominus per prophetam ait: *Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos dicit Dominus* (*Jer.* XXXI). *Dabo leges meas in cordibus eorum, et in mente eorum superscribam eas* (*Hebr.* X). Denique scriptoriom, quod huic spirituali pergameno supponitur, ut in ipso pergameno veritas scribatur, videntur terrena subsidia. Unde sponsa in Canticis canticorum dicit: *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* VIII). Per lævam bona corporalia, per dexteram bona spiritualia volens intelligi. Ad hoc enim corpori apponuntur terrena, ut spiritus facilius sustineat suscipere et peragere divina. Spiritus sanctus ergo est scriba, calamus doctoris lingua, atramentum gratia, cornu Christus, pergamentum corda, veritas Scriptura, scriptorium subsidium terrenu. Videamus, dilectissimi, an corda nostra sint apta veritati, ut in ipsis veritas scribatur, an sint confecta amara compunctione, an tensu abstinentiæ rigore, an rasa totius carnalitatis abstractione, an in quaternionem formata firma stabilitate. Nam Dei tantum esse videntur puncta, plumbum, regula, id est numerus, pondus, et mensura. Videamus itaque ae sacra verba, Spiritu sancto scriba, atramento gratia, calamo sancti Augustini lingua, nobis administrata, in nostris cordibus capiunt. Dicit autem sanctus Augustinus in Regola nostra, imo Spiritus sanctus ejus lingua gratia repleta: «Ante omnia diligatur Deus, deinde proximus.» Et in sequentibus de continentia, de obedientia, de communione, quæ in nostra professione specialiter continentur, plurima præcepit. Videamus si hæc verba beati viri in nobis convaluerunt. Quod si constiterit, Spiritum sanctum per linguam ejus in nobis non dubitemus operatum. Non solum autem quæ in regula ejus continentur, verum et cætera quæ sacram Scripturam exponendo, tractando, exhortando scripsit; credendo, amando, operando teneamus, ut superna præmia consequamur. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus, qui est, etc.

SERMO C.

In festo sanctæ Crucis.

Cum accepisset Jesus acetum dixit, Consummatum est: et inclinato capite emisit spiritum (*Joan.* XIX). Hæc verba, charissimi, quæ proposuimus, brevia quidem, sed excellentissima sunt: quippe quæ nobis redemptionis nostræ consummationem describunt. In morte itaque Christi consummata sunt omnia veterum figurarum ænigmata ipsam designantia, omnia prophetarum vaticinia ipsam prophetantia. Unde ipse Dominus ad Apostolos: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis* (*Matth.* XX). *Consummatum est.* In morte namque Christi secundum typicam significationem consummatum est quod Deus de latere Adæ dormientis formavit Evam, quoniam hoc significavit sanguine de latere Christi mortui fluente sanctam Ecclesiam redimendam. Consummatum est quod Cain Abel fratrem suum per invidiam interfecit, quoniam hoc signum fuit quod populus Judaicus Christum per invidiam Pilato ad crucifigendum tradidit. Consummatum est secundum mysticam significationem quod Abraham Isaac filium suum super aram, strue lignorum supposita, ad offerendum Deo posuit, quoniam hoc figuravit: quod genus humanum Christum secundum carnem de se natum in cruce obtulit. Consummatum est secundum eamdem significationem quod Deus in agni paschalis occisione filios Israel de servitute Ægyptiorum liberavit, quoniam hoc quod spiritales Israelitæ morte Christi de jugo dæmonum eriperentur insinuavit. Consummatum est, quod Moyses aquas amaras ligno dulcoravit, et aquas de petra produxit, quoniam hoc prætendit, quod Christus amaritudine suæ mortis legis austeritatem in dulcedinem nobis convertit, et de se, qui vera petra est, fluenta spiritalia nobis emanare fecit. Consummatum est quod hircus emissarius peccata populi in desertum portavit, quoniam hoc, quod Christus peccata nostra tolleret, typus exstitit. Consummatum est, quod mulier Sareptana duo ligna collegit, quoniam expressit quod gentilitas fidem passionis Christi postmodum recepit. Consummatum est quod Raphael angelus in nuptiis Tobiæ dæmonem felle piscis extricatum ligavit, quoniam hoc innuit quod Christus, felle potatus et morte amaricatus, diabolum superavit. Consummata sunt et vaticinia prophetarum. Consummatum est quod Moyses ait: *Maledictus qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI). Hinc et Apostolus dicit: *Quod Christus pro nobis factus est maledictum* (*Gal.* III). Consummatum est quod David ait: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII). Consummatum est et vaticinium Isaiæ, quod dicit: *Propter scelus populi mei percussi eum* (*Isai.* LIII). Et item: *Oblatus est quia ipse voluit* (*ibid.*). Multa sunt consummata, fratres, figurarum ænigmata, et prophetarum præconia mortem Christi figurantia et præcinentia. Verum cuncta quis dinumeret et expediat? Consummatum igitur est. Quidquid enim ante mortem Christi oportebat fieri, in morte Christi consummatum est.

Mors itaque Christi perfecta nobis est vitæ restauratio, mors Christi divina nobis reconciliatio, mors Christi ablatio culpæ, mors Christi collatio justitiæ, mors Christi nobis obseratio inferni, mors Christi reseratio cœli, mors Christi destructio pœnæ, mors Christi recuperatio gloriæ. Ergo *consummatum est.* Consummatum est quidquid pertinet ad consumptionem mali. Consummatum est quidquid pertinet ad consummationem boni. Consummatum quod Simeon justus prædixit. Consummatum est, quod Caiphas, licet reprobus, prophetavit. Consummatum est quod detestandus Judas Pharisæis spopondit. Consummatum est quod Pilatus, injustus judex, injuste fieri judicavit. Consummatum est quod Judæus infelix optavit ad suam perniciem. Consummatum est quod Deus providit ad nostram utilitatem. Consummata est lex. Consummata est prophetia. Consummata est annuntiatio angelica. Consummatum est quod justi speraverunt in mundo. Consummatum est quod postea præstolati sunt in inferno. Consummatum est quod sancte vivendo meruerunt possidere cœlum. Ergo *consummatum est.* Consummata autem per gratiam in nobis justitia, per justitiam consummanda est gloria. Justitia consummata est effectu, gloria in nobis consummanda est causa. Omnes enim in Christum vere credentes effectu jam sunt justi, causa beati, effectu tandem beatificandi. De qua causa beatitudinis Paulus sic de Christo loquens: *Consummatus*, inquit, *factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ* (*Hebr.* V). *Si enim*, sicut alibi dicit, *spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificavit et mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum ejus in nobis* (*Rom.* VIII).

Bene ergo dicitur quod *Jesus, cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est, et inclinato capite, emisit spiritum.* Gustus aceti significat acerbitatem mortis, inclinatio capitis dignationem humilitatis, emissio vero spiritus consummatio est humanæ redemptionis. In morte igitur Christi consummata sunt omnia, dum in præsenti consummatur justitia, et in futuro consummabitur gloria. Quando? *Cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem* (*I Cor.* XV). Cum enim *Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III). Verum, charissimi, quoniam passionem Christi redemptionem generis humani sufficienter describere ac digne laudare non possumus, ad nosmetipsos stylum vertamus, et utrum Christi vestigia pro nostro modulo mala tolerando, sequamur videamus. Et quoniam hodierna die solemnia sanctæ crucis celebramus, et Dominicæ passionis reminiscimur, justum videtur, ut de patientia nos invicem moneamus. *Si enim compatimur, et conregnabimus; et si socii passionum*

fuerimus, erimus simul et consolationum (*Rom.* VIII). Quod sponsa diligenter attendens, dicit: *Fasciculus, myrrhæ dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur* (*Cant.* I). Contendamus igitur per angustam portam intrare, per arctam et arduam viam conscendere, quia non est alibi aditus ad justitiam, nec conscensus ad gloriam. Hoc jam centesimo, charissimi, nobis sermone in hoc libello consummato, libellum ipsum hoc sermone consummandum censemus. Studeamus itaque, quæ in hoc sermone vel libello scripta sunt, credendo, sperando, amando consummare, ut ad supernam gloriam mereamur pervenire. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui est Deus benedictus in sæculorum sæcula. Amen.

DE ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ

SERMO

In quo fere exponuntur quæ ex Canticis canticorum deprompta, in ejusdem Assumptionis decantari solent officio.

PROLOGUS.

Accipe, charissime frater, munusculum sponsionis meæ, et in eo quidquid præterquam decet inveneris, tuum puta, qui me coegisti. Illud eulogium: « Tota pulchra es, amica mea (*Cant.* IV), » quod in laudem matris et virginis de Canticis canticorum sumptum canit Ecclesia, compendiosa tibi expositione reserari flagitasti: illa vel maxime, ut tuipse mihi confessus es, causa adductus, quod monasterium tuum in honorem ejusdem virginis consecratum est; et idcirco omnino decens est eos qui speciali titulo illius insignes sunt, singulari quoque devotione charissimos inveniri. His quidem verbis ego acquiescens expositionem, idcirco non indignam puto, quod exposita (licet eo modo, quo scripta continentur in serie libri, sumpta non sint) a pristina tamen auctoritate non recedant; et charitas ejus in cujus laudem dicuntur, nos urgeat, maximum esse debere quidquid ei fuerit acceptum. Et hoc ipsum prius a me factum est in alio quodam cantico, quod similiter compulsus sum a quodam fratre secundum eumdem modum compilatum explanare. In quo tametsi nostra expositio verba primæ auctoritatis et ordinem verborum aliquoties mutaverit, a sensu tamen auctoritatis primæ non recessit. In ejusmodi autem expositionibus, fraternæ charitati libenter obtemperans, licet forte minus gravitatis habere videantur, nequaquam tamen arguendum me puto, cum non multum interesse existimem quacunque occasione, salva duntaxat veritate, fraternæ ædificationi consulam.

SERMO DE ASSUMPTIONE B. VIRGINIS.

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (*Cant.* IV). Verba ista, charissimi, nobis omnibus nota sunt, et magna cum dulcedine omnibus notificata sunt: quæ et propriam habent qua delectant dulcedinem, et ex ejus cui cantantur dulcedine ampliorem capiunt suavitatem. Ipsa enim tota dulcis est et tota suavis, unice pulchra et singulariter speciosa. Propter hoc tam speciosæ virginis præconium pulchrum esse necesse est, in quo laudatur dilectæ pulchritudo, et commendatur pulchræ dilectio. Ipse sponsus virginis, ipse præconium dicit virginitatis, a quo laudari tanto majus est, quanto eum in laude cujusquam falli minus quam possibile est. Auctor pulchritudinis, at judex veritatis, ipse speciem commendat et approbat charitatem. Ipse se amare fatetur, quam fecit amabilem, et amari se gloriatur ab ea cui dedit dilectionem. O res mira! Ipse filius matris et sponsus virginis, integritatis auctor et fructus fecunditatis. Ipse dilectam laudat, speciosam commendat, amicam invitat. *Tota pulchra es, amica mea.* O admirabilis amator! o singularis doctor! Quid dicis? Ipsa est genitrix tua, ipsa amica tua. Et quomodo amica tua? Num genitricem ipsam credimus tuam amicam?

aut quomodo? Certe amica est tua, et genitrix tua. Amica tua quod intacta, genitrix tua quod fecunda. Tu siquidem integritatis filius, et fecunditatis amicus, matrem habes virginem, et amicam prole lætantem. Prius te genuit amica tua, mater et virgo Maria. Postea de te genita est amica tua, mater et virgo Ecclesia. In carnem veniens factus es filius sponsæ tuæ matris et virginis corpore. In carne moriens factus es genitor sponsæ tuæ, virginis fide. Nascendo de sponsa tua accepisti substantiam infirmitatis, moriendo sponsæ tuæ dedisti sacramenta incorruptionis : utrobique dilector mirabilis, utrobique amatur singularis. Sponsam tuam dilexisti, ut in ea nascereris, et sponsam tuam dilexisti, ut pro ea morereris. Et una est sponsa tua, una est amica tua, una est columba tua, perfecta tua; una est matri suæ, una electa genitrici suæ (*Cant.* VI). Voca ergo sponsam tuam, invita amicam tuam. Voca formosus pulchram, speciosus decoram, dilectus unicam. Lauda pulchritudinem ejus, ne pertimescat ad pulchrum accedere; dic formositatem ejus, ne se trepidet formosissimo sociare; dic qualiter prior ad eam venisti, diligens et dilectionem quærens, ut ipsa ad te venire properet diligens et dilectionem reddens. Dic ergo, dilector, dic dilectæ tuæ speciem suam, dic dilectionem tuam, ut dilecta diligentem diligat, ut concupiscat amplius diligi, et properet citius sociari. Dic ergo, dic : *Tota pulchra es, amica mea.* Quid ergo speciosa dubitas? Quid cunctaris?

Ostende faciem tuam (*Cant.* II). Egredere, ut speciosum videas, et videaris speciosa. Quid moras nectis? desideras pulchrum videre; sed forte pavescis vel in modico non pulchra videri, et ideo forte exire metuis, manifestari trepidas, præsentari erubescis. Tolle timorem, aufer formidinem. Ego, inquit dilectus, te video, qui voco te : præsentem habeo, qui te invitum venias. Non enim te voco, ut incipiam videre te, sed ut me tibi manifeste videndum præbeam. Ergo ne timeas, vel mihi vocanti crede de te, quia nequaquam vocarem, si præparatam non cernerem, si minus dignam viderem. Mundam voco, sinceram invito, totam pulchram desidero : *Tota pulchra es, amica mea!* O qualis societas. Totus pulcher totam pulchram sibi sociat. *Tota pulchra es, amica mea.* Ego totus pulcher, et tu tota pulchra. Ego per naturam, et tu per gratiam. Ego totus pulcher, quia omne quod pulchrum est in me est. Tu tota pulchra, quia nihil, quod turpe est, in te est. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Tota pulchra es. Pulchra in corpore, pulchra in mente. In corpore pulchram te facit integritas virginitatis, in mente pulchram exhibet virtus humilitatis. Tota ergo pulchra es, corpore nivea, mente sincera. Tota pulchra es : nihil enim in te pulchritudo reliquit quod non possideat; totum decor obtinet, formositas tenet, regit honestas. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* O virginitas humilis et humilitas virginalis! quomodo in unum convenistis? quomodo in una societate estis, ut tale ac tantum miraculum efficeretis? Quid fecistis? Sic sublimastis humilem, sic fecundastis virginem, ut virgo pariat Dei Filium, et humilis habeat sponsum Deum. Nec alia talem decebat, nec alius talis tali inveniri poterat. O digna digni, formosa pulchri, munda incorrupti, excelsa Altissimi, mater Dei, sponsa Regis æterni! Quam pulchra es, et quam suavis es, quam scrutator renum probat, quam inspector cordium laudat, quam diligit auctor pulchritudinis, cui testimonium perhibet magister veritatis. Ausculta ergo vocem ejus, inclina aurem tuam ad verba illius. Ipse est qui loquitur, ipse est qui auditor, ipse te invitat, ipse te audire desiderat, ipse dicit : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Exalta et jucundare, gaude incomparabiliter, lætare singulariter. Responde gratulabunda vocanti, propera venire, festina occurrere, accipere regnum sponsi, possidere hæreditatem filii. Ne ultra desiderium amantis differas, ne dilatione exspectantem et cupientem affligas. Attende qua suavitate invitat te, et intelliges qua charitate exspectat te.

Tunc postquam dixerat nullam in ea maculam inveniri, mundam et sinceram et ab omni, quod displicere poterat, alienam, ne forte adhuc ista laus minus animaret timidam, minus accenderet verecundam, adjecit insuper et prosecutus est, ostendens non solum immunem et liberam esse a malo, sed ineffabilibus bonis plenam, et omnium perfectione virtutum refertam, dicens : O formosa mea! o dilecta mea! o columba mea! Amica mea gratanter amplector, jucunde intueor, quod nullam in te maculam video, quod totam te pulchram aspicio, sed multo amplius ineffabiliter me delectat, quod totam te dulcedine plenam invenio. *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata* (*Cant.* IV). Labia tua, lingua tua, unguenta tua, omnia dulcia, omnia suavia, omnia laude digna. Labia tua, lingua tua, unguenta tua. Tria commendantur, labia, lingua, unguenta. In labiis osculum, in lingua alloquium, in unguentis odor atque fragantia. Tota ergo Trinitas venit ad Virginem. Susceperat enim in labiis ab ore Patris osculum. Susceperat in lingua Patris verbum. Susceperat in unguentis, Patris et verbi Spiritum. Inde labia tua, lingua tua, unguenta tua. *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua.* Et plenitudinem, et suavitatem habent labia tua. Ideo favus distillans labia tua : nam pressa emittunt dulcedinem. Propterea ergo favus distillans labia tua. Omnia ad similitudinem dicta sunt : *favus distillans labia tua.* Favus mel et ceram habet. Mel divinitas est, cera humanitas. Favus Verbum caro factum est in Virgine : ergo favus distillans labia tua. In te divina et humana natura soluta veteri discordia ad perfectam plenitudinem, et æternam unionem pacis osculo,

conjunctæ. In te divinitas humanitati se infudit. Unde vera humanitate, et perfecta divinitate a te Deus et homo Christus exivit. Ergo, *favus distillans labia tua*. Ego, inquit, novi quod prædico : expertus sum, quod laudo. *Favus distillans labia tua*. Ego devinctus tibi charitate osculo oris mei labia tua pressi, simulque dulcedinem infudi, et a dulci dulcedinem expressi. Valde enim expressi, et valde impressi, quia plene infudi, et perfecte sociavi. Valde ergo impressi dulcedinem, et vere expressi suavitatem, quando meum tuo in te sociavi, et per unum a te cum meo pariter et tuo exivi. Mea divinitas mel erat, et tua humanitas cera erat, et inde meipsum favum feci, et factus sum. Et ecce favus distillans labia tua. Quod enim impressum est in te, assumptum est de te, et ipsum factura est dulcedine plenum in me. Modo ergo sum quod sum, et sum quod factus sum. Quod factus sum, modo sum : quod autem sum, semper sum, tamen utrumque vere sum, et quod factus sum, et quod sum ; alterum ex te, alterum ante te. *Favus distillans labia tua*. O quam dulcis et suavis es ! quæ sola digna eras, ut supernæ dulcedinis osculum, in tuo conceptu susciperes, et totius mundi suavitatem in partu stillares.

Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua. Quid est *mel et lac sub lingua tua?* Hoc est Verbum Patris sub carne tua. Quare ergo *sub lingua tua?* Quia Verbum, ideo sub lingua. *Mel et lac sub lingua tua*. Non supra linguam, sed sub lingua, quia Verbum absconditum est, et ideo mel et lac sub lingua tua. *Mel et lac sub lingua tua*. Sub lingua tua, sub carne tua. Sub lingua tua, quia verbum : sub lingua tua, quia absconditum. Mel et lac, Deus et homo. Mel divinitas, lac humanitas. Mel de rore cœli venit, quia divina natura supra omnia est. Lac de carne exprimitur, quia humanitas deorsum assumpta est. De carne caro. Ideo lac, non caro sub lingua tua, quia lac de carne, non caro; sed de carne caro, et tantum caro : non prima caro, sed de prima carne secunda caro : de carne veteri nova caro, de carne purganda hostia caro. Ideo mel et lac sub lingua tua, quia in tuo carne Deus homo, et sub tua carne Deus et homo unus Jesus Christus. *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua. Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Nam ipse dicit : *Spiritus meus super mel dulcis* (*Eccli*. XXIV). Ipse in te singulariter requievit, quæ præ cæteris omnibus gratia plena mater facta est Filii, et templum Spiritus sancti. Propterea unguentorum tuorum odor super omnia aromata, quia omnem gratiam vincit tua sublimitas, omnem perfectionem superat tua dignitas. Tu singulariter electa, tu ineffabiliter sublimata, nulla tibi in gratia similis esse potuit, per quam gratia venit super omnes filios hominum. *Ave*, inquit, *gratia plena*. *Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc*. I). Ergo super omnem gratiam, gratia tua; super omne meritum, excellentia tua, eminentior cunctis, sanctior universis. Nemo ut tu gratia plenus fuit, quæ sola sine exemplo mater virgo genuisti, castitatis lilium servasti cum fructu fecunditatis. Ergo Spiritus sanctus in tua humilitate singulariter requievit, qui in tua virginitate miraculum nulli comparabile fecit. Idcirco odor unguentorum tuorum super omnia aromata. *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua, odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Tu ad jucunditatem unguenta accepisti, unguenta ad speciem, unguenta ad odorem. Antiqua illa Maria nominis tantum, non lepræ te reliquit hæredem, quæ nec maculam, nec rugam habuisti, quam unguenta tergerent : sed unguenta accepisti, ut speciem et formam tuam gratius commendarent. Ergo odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Alii unguntur ad curationem, alii unguntur ad stabilitatem, omnes unguenta ad necessitatem accipimus. Tu, filia delicata, et omni gratia plena, charissima in deliciis tuis uncta es ad gloriam decoris tui, et in signum dilectionis. Unctam paritura, et tu quoque uncta es, ut ipsum in te unguentum prius excellenter effunderet, quod postmodum in utero tuo, singulariter acciperet. Ipse etiam supra te, præ cunctis participibus suis accepit plenitudinem, ut post ipsum præ cunctis suavitatem. Propterea igitur odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, vineæ florentes odorem dederunt, et vox turturis audita est in terra nostra (*Cant*. II). O mira decentia ! tali talia præparantur. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua, odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Si talis est, et in tantum laudata est, cui hoc uum poterat satis esse od commendationem ; sed restabat edicere et hoc, ut sciret ad quam patriam vocaretur, et a quo exsilio educeretur. Propterea utrumque commemoratum est, et totum ordine factum est dilectæ pulchritudo, triste exsilium, et dulcis patria. Solida laus est quæ a semetipsa initium capit. Sua etenim quemque verius commendant. Ideo primum laudatur ipsa, deinde laudantur, et quæ ejus sunt, et totum hoc ad incitamentum amoris fit. Adversa quoque commemorantur, ut ardentis desiderium ad effectum festinet, et properet inde exire, ubi tristitia sedet, ubi luctus commoratur, et miseria regnat. Hoc totum exsilium est. Deinde patriam suam laudat, et dicit quæ gaudia, quæ deliciæ, quantæ jucunditates et amœnitates ibi sunt. Et in his omnibus, flores apparuerunt, vineæ florentes odorem dederunt, vox turturis audita est in terra nostra. Amoris plena sunt omnia, et omnia amorem resonant : flores, odor, canticum. Nihil hic est quod animum non subeat, quod cor non penetret, et quod affectum non transitgat. In ipso auditu inardescit mens, flagrat desiderium, et concupiscentias suas animus ipse non capit. Neque enim sine delectatione audiri potest quod

tanta dulcedine plenum est. Et qui id sibi non audit sibi non diligit. Multos enim ad se convertit, quos non trahit post se, et qui omnes ad habendum diligunt, non omnes diligunt ad sequendum. Dilecta autem vocatur ut veniat, quoniam qui non venit, non pervenit. Et ideo narratur ut audiat, invitatur ut veniat, et veniens perveniat et apprehendat. *Hiems*, inquit, *transiit; imber abiit et recessit*. Hoc de exsilio est. De patria autem : *Flores apparuerunt in terra nostra, vineæ florentes odorem dederunt, vox turturis audita est in terra nostra*. O anima misera, quæ hoc diligis, et hoc non diligis! Quæcunque es, misera es, quæ hoc diligis quod tam fugiendum est, quod et si non fugiatur, ipsum tamen permansurum non est. Si vero hoc non diligis quod tam diligendum est, vivens in temetipsa, mortua es, quia non vivit in te, sine quo tu vivere non potes. Ergo *hiems transiit, imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, vineæ florentes odorem dederunt. Vox turturis audita est in terra*. Nota sunt, quæ referuntur, sed propter quæ referuntur, nota non sunt. Rerum visibilium species, quas sensus hominis novit, et ipsæ jucundæ sunt, et suaves hominibus; ipsæ ad similitudinem proponuntur, ut ex eis cogitet homo quæ non novit, et omnia: quæ in similitudine curruut, *hiems transiit, imber abiit, et recessit*.

En, anima, age quod vis; sive diligis, sive non diligis, mundus transit, et concupiscentia ejus. Transeunt omnia quæ temporaliter diligis : ante te transit quod diligis, novissime transis quoque tu, ac pertransis ipsa quæ diligis. Cur ergo diligatur quod transit, quod diligendum non erat, etiamsi transitorium non erat? Nam cum staret nocuit, cum pertransiret decepit. In altero crudele, in altero fallax. Audi ergo potius unde gaudeas, quia hiems transiit, imber abiit et recessit. Quid est hiems? Nonne vita mortalis hiems est, quam corruptionis suæ torpor astringit, et ignorantiæ caligo obnubilat? Ad agendum enim bonum pigra est, et ad perspiciendum nubila. Et ubi est imber? Nam gelu interius astringit, imber extrinsecus irruens dissolvit. Ergo imber est in iis, quæ præter ingenitam occupationem quotidie molesta ingruunt, quibus foris vita mortalis atteritur, cum dira intus mortalitatis necessitate astricta teneatur. Hiems ergo transiit, imber abiit, et recessit. O felix illa anima, quæ audire habet: *hiems transiit!* Nam hiems semper quidem transit, sed non omnes digni sunt hoc audire, nisi quibus transit priusquam transeat, id est a quibus contemnitur, priusquam superetur. Istis enim hiems gravis est, et æstas in desiderio. Isti ergo merentur soli audire. *hiems transiit*, ut in ejus transitu, consolatione accepta, gaudeant, quia in ejus statu prius afflicti suspirabant. O felix hora, et tempus præ cunctis desiderabile! quando ille sponsus cœlestis dilectam suam post longa desideria de mundi carcere egredientem obvius exripit, et blanda eharam consolatione ad se invitat, dicens : Egredere cum jucunditate, electa inter filias, nec tibi durum videatur carnis corruptibilis indumentum morte deponere, quæ et vivens sciris carnis corruptionem non amasse. Nihil trepides vel expavescas, evadis exsilium, de ærumna liberaris. Non erunt ultra dolor et gemitus, quoniam hæc priora transierunt. *Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit*. Deinceps ergo corpus, quod corrumpitur, non aggravabit animam : nec terrena inhabitatio sensum deprimet multa cogitantem (*Sap.* IX). Hæc est enim hiems, quæ transit, cujus torpor gravis et gelu, triste austro spirante jam solvitur, et caligo tenebrosa, orto sole justitiæ, dissipatur. Jam ergo hiems transiit, imber abiit et recessit. Propterea enim, quia transiit hiems, ideo imber abiit et recessit. Nam post carnis ergastulum, mundi evadis exsilium, nec mala adversitatis ultra jam metuis, quæ lege mortalitatis soluta carnis corruptione non teneris. Ergo hiems transiit, imber abiit et recessit. Nisi in te fuisset mortalitas, nihil contra te valuisset adversitas, et idcirco eum morte carnis mortalitatis corruptionem exuis, totum deinceps mundum, et mundi mala adversantia securs contemnis. Et ideo quia *hiems transiit, imber abiit et recessit*. (Jamjam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.)

Flores apparuerunt, vineæ autem florentes odorem dederunt, et vox turturis audita est in terra nostra Quid vult dicere, *Flores apparuerunt in terra nostra?* Qui sunt flores isti, et quæ sunt vineæ? et vox turturis, quæ est? et terra ejus, ubi est? Ne forte contingat nobis sicut Judæis, qui dixerunt : *Hunc nescimus unde sit* (*Joan.* IX). Nam si scimus unde sit, novimus terram ejus, et scimus qui sunt flores isti et quæ sunt vineæ, et qualis sit odor vinearum florentium. Postremo et turturem novimus, et vocem ejus qualis sit. Omnia scimus, si scimus unde sit. Et utinam non auditu solo scismus unde sit. ne forte famam tantum audierimus, et non sciamus veritatem. Hoc enim parum est famam audisse de illo Hoc perditio potuit et mors, et de hoc solo gloriantur. Non enim ultra eis conceditur. Ergo oportet ut non solum fama, sed experientia de illo nos doceat, ut gustemus, et videamus quoniam suavis est Dominus, et unctio ejus doceat nos de omnibus. Si ergo unctio ejus in nobis est, scimus eum unde est, et scimus terram ejus, et nunc poterimus prudenter solutionem reddere de floribus, et de odore vinearum, et de voce turturis. *Jam enim hiems transiit, et imber abiit et recessit. Flores apparuerunt, vineæ florentes odarem dederunt, et vox turturis, audita in terra nostra*. Post tristia læta succedunt. Ubi transit quod doluit, succedit quod delectat, flores apparuerunt in terra nostra. Magna causa nobis imminet loqui de floribus et de vineis, et de voce turturis. Nam de hieme, et imbribus, et tempestatibus, et ventis multa novimus et satis evidenter dicta, nec opus est, ut modo dicantur plura, quoniam in præsenti satis dicta sunt. Tamen interim quantum ad contextum attinet lectionis, videntur hæc dicta ad superiora referri, ut hoc quod dicit *flores apparuerunt*,

respondeat ad hoc quod dixerat *hiems transiit*; hoc vero quod dicit *vineæ florentes odorem dederunt*, ad id quod dixerat *imber abiit et recessit*. Quia igitur hiems transiit, flores apparuerunt; et quia imber abiit et recessit, vineæ florentes odorem dederunt. Hiems transiit, flores apparuerunt. Nam ubi gelu brumæ verno calore liquatum solvitur, continuo terra, radiis tepentibus tacta, se ad partum aperit. Tunc et germina et flores prodeunt, et induitur rursum tellus decore suo. Ergo hiems transiit, et flores apparuerunt in terra. Nam quia imber abiit et recessit, continuo vineæ florentes odorem dederunt. Nam imbres inimici sunt floribus, et vehementissimi imbres flores vinearum excutiunt, et ideo quia imber abiit et recessit, vineæ florentes odorem dederunt.

Mox ergo floribus vernantibus et vineis odorem suum spargentibus, turtur dedit vocem suam, et impletum est gaudium, et ait : *Vox turturis audita est in terra nostra, flores apparuerunt in terra nostra, vineæ florentes odorem dederunt. Vox turturis audita est in terra nostra*. Terra, loquit, nostra, non mea, sed *nostra*, ut eam communicaret nobiscum. Si ergo terra nostra est, ubi flores apparuerunt, et ubi vineæ florentes odorem dederunt, et ubi audita est vox turturis, exsilium hic est, ubi in terra deserta, invia et inaquosa, in terra aliena cantare non possumus canticum Domini sed : *Super flumina Babylonis sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. In salicibus in media ejus suspendimus organa nostra* (*Psal.* CXXXVI). Nusquam hic flores sunt, vel vineæ florentes, sed salices steriles habentes folia, et fructum non habentes. Neque hic vox turturis auditur, sed suspendimus organa nostra, et non valemus cantare canticum Domini in terra aliena. Ergo ibi terra nostra est, hic exsilium nostrum. Ad illam fuimus creati, ad hanc expulsi. Illic peregrinamur, illuc redituri. Illinc exeuntes, huc venimus. Hinc exeuntes, illuc redimus. Propter hoc postquam hiems transiit, imber abiit et recessit, statim flores apparuerunt in terra nostra, vineæ florentes odorem dederunt, et vox turturis audita est in terra nostra. Ubi ista subtracta sunt, continuo sine mora illa apparere cœperunt. Postquam horum concussio a nobis transiit, statim odor illorum ad nos pervenit. Cum horum gemitus conticuit, continuo illorum concentus auribus nostris insonuit, et vox turturis audita est. Et videtur magna quædam gaudia hic commendare in floribus, et odore et cantico. Nam hæc tria solum commemorata sunt : flores, et odor et canticum. Et scimus quod flores ad speciem pertinent, odor ad fragrantiam, canticum ad jucunditatem. Species autem ad visum refertur, fragrantia ad olfactum, melos ad auditum. Quare ergo hi soli præ cunctis sensibus electi sunt, et nominati ? Nam habent singuli voluptates suas, et poterant interna gaudia etiam gustu designari, sicut scriptum est : *Gustate, et videte quoniam suavis Dominus* (*Psal.* XXXIII). Et iterum : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI). Et : *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, Domine* (*Psal.* XXXV). Sed qui jam gustat, fruitur, et pervenit ad finem desideriorum suorum; hic autem oportuit quædam primordia vitæ perennis significari, quando adhuc non sunt consummata omnia. Siquidem adhuc sponsa in exitu est, et invitatur ut veniat. Et ipsa jam egrediebatur tabernaculum carnis suæ, et se converterat ut veniret. Ibi revelati sunt oculi ejus. Et ecce de longe quasi terram, quasi patriam, quasi regionem amœnam usque adhuc invisibilem, sed usque adhuc visis omnibus pulchriorem, plenam decore, et jucunditate refertam, cujus aspectus desideria æterna. Illic omnia, quæ in hoc sæculo pulchra visa sunt, sive quæ jam præterierunt, sive quæ nunc sunt, sive quæ futura sunt, incorrupta fulgent, et multo ampliori decore quam credita fuerint inæstimabiliter ostenduntur. In hunc ergo sponsa intuitum toto desiderio defixa, et se colligens ad se, concupivit plenius scire unde tam mira subito fulsisset pulchritudo.

Cumque in hanc tota intentione ferveret, et jam se non caperet præ gaudio, ecce odor suavissimus illapsus est, et cantica quædam dulcia sunt audita, et cuncta mira præter solitum. Ideo flores commemorantur, et odor, et canticum, et in omnibus dulcedo illa bonorum invisibilium et jucunditas designatur, et dicitur : *Flores apparuerunt, et vineæ odorem dederunt, et vox turturis audita est*. Et omnia hæc in uno sunt, et omnia unum sunt, flores, odor, et canticum. Flores etenim sunt, quia monstrant speciem; odor est, quia fundit suavitatem; canticum est, quia sonat dulcedinem. Totum est, et hoc totum est, sed adhuc de longe. Quidquid ibi videtur, pulchrum est, suave est, jucundum est; sed quasi adhuc de longe est. Ideo adhuc gustu non percipitur, neque tactu attrectatur, sed tanquam eminus constitutum auditur, odoratur, et cernitur. Et tamen mire etiam sic reficit, et trahit post se animam in concupiscentias sempiternas. Ideo ait : *Trahe me; post te curremus in odorem unguentorum tuorum* (*Cant.* I). *Et vox dilecti mei. Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est* (*Cant.* V). Pulcher es, dilecte mi, et decorus, et totus desiderabilis : caput tuum, capilli tui, oculi tui, labia tua. *Fuge, dilecte mi, fuge, similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum* (*Cant.* VIII). Flores ergo apparuerunt in terra nostra. Vineæ florentes odorem dederunt, et vox turturis audita est in terra nostra. Æterna itaque gaudia floribus, et odore, et cantico designantur. Et diximus, quod idcirco de gustu tacitum est, quoniam voluit demonstrare, quod de longe adhuc erant, et necdum ad ea sponsa pervenerat, sed invitabatur ut veniret, et demonstrata sunt ei ut videret et concupisceret et properaret. Ideo convenienter designata sunt gaudia illa floribus, odore et cantico. Omnia enim hæc de longe reficiunt, et delectant eminus constituta.

Multa autem sunt, quæ super his adhuc dici habuissent. Sed nos inopes sumus, et eos retaurur

scientia et sermone, nec sufficere possumus rebus tam immensis, et a nostra virtute tam sublimibus. Tamen non est tacendum illud quod se adhuc suggerit et offert manifestationi. Cum enim sint quinque sensus corporei, duo, id est tactus et gustus, magis sordibus appropinquant, et subjacent atramini, unde nec sinceram refectionem habere valent, sed quæ purgatione egeat et defæcatione. Tres vero reliqui meram trahunt dulcedinem, et suas delicias magis ad jucunditatem animi convertunt, non enim ad necessitatem reficiunt, sed ad delectationem. Magna itaque rerum similitudo est, nec poterant invisibilia signis evidentioribus declarari. Sicut enim oculus rerum specie sine coinquinatione pascitur, et sicut auris vocum suavitate sine corruptione delectatur, sic, gaudia illa æterna suavitatem infundunt, et corruptionem non adducunt. Semper reficiunt, et nunquam deficiunt. Pascunt, et perseverant integra, ad fovendum se exhibent, et permanent incorrupta. Propterea flores apparuerunt, in terra nostra, vineæ florentes odorem dederunt, et vox turturis audita est in terra nostra. *Flores apparuerunt.* Quales flores? Sicut lilia, sicut rosæ, sicut violæ: et non est flos, qui non habeat propriam speciem et pulchritudinem singularem. Omnis pulchritudo ibi est, ubi summa pulchritudo est, Unum bonum est, et omne bonum in illo bono est. Si flores nominas, si fructus nominas, totum ibi est. Nam et arbor est, et lignum vitæ est, quoniam de ipsa Sapientia dictum est: *Lignum vitæ est iis qui apprehenderint eam; et qui possederint eam, beati* (*Prov.* III). Lignum autem vitæ *plantatum est secus decursus aquarum*, et fructum suum dabit in *tempore suo*; *folium ejus non defluet unquam* (*Psal.* I). Vide quod nihil ibi deest. Omnia ibi sunt. Florem habet, folia habet, fructum habet, nec folia deesse poterunt, quia et umbra ibi est, non tamen ad obscuritatem, sed ad refrigerium. Ipsa sponsa umbram ibi esse testatur: *Sub umbra illius, quem desideraveram sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo* (*Cant.* II). Quid ergo illic quærere possis, quod non invenias? Solum quod non est, ibi non est. *Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Et quod factum est, in ipso vita erat* (*Joan.* I). Quoniam *ex ipsa, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (*Rom.* II). Et cum quid in eo videri incipit, non in eo esse incipit, quando videri incipit, quia quod ibi est, semper est, et semper totum ibi. Audi adhuc Sapientiam enumerantem jucunditates et delicias suas; *Ego*, inquit, *quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et pulchritudinis* [*honestatis*]. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, quasi cypressus in monte Sion, quasi palma in Cades, quasi oliva in campis, et quasi platanus juxta aquam in plateis* (*Eccl.* XXIV).

Sed ne forte affluentia ista oblivionem nobis inducat, et, relictis floribus, arbores numeremus. Arboribus enim aliquid rigoris et duritiei inesse videtur. Nos vero incipientes et teneri, mollibus blandisque opus habemus; idcirco rursum ad flores convertimur. *Flores*, inquit, *apparuerunt in terra nostra* (*Cant.* II). Contemplatione ergo æternæ sapientiæ agitur, cujus aspectus desiderabilis omni jucunditate, et decore plenus trahit concupiscentias sempiternas. Ideo flores apparuerunt in terra nostra. *Qui per me introierit*, dixit Sapientia, *ingredietur et egredietur, et pascua inveniet* (*Joan.* X). Ergo intus pascua est, et ipsa est terra, in qua flores apparuerunt, cujus viror perpetuus nunquam marcescit, de quo dictum est: Super omne pulchrum viride (*Isa.* II). Quanta enim putas pulchritudo in contemplatione æternæ Sapientiæ est, ubi rerum omnium species sine defectu vigent, sine transitu permanent, sine corruptione consistunt, sine mutabilitate æternæ sunt? Si tam pulchrum est quod vere pulchrum non est, quid est quod vere pulchrum est? Ergo flores apparuerunt in terra nostra. Necdum fructus apparuerunt, qui reservantur in posterum; sed nunc interim flores apparuerunt, ut aspectum demulceant et desiderium accendant, quia hoc opus modo est, dum nondum pervenit quo invitatur ut veniat. Propterea flores apparuerunt in terra nostra. In qua terra est? Ubi est terra ista? Nec in cœlo, nec in terra est terra ista? quia et cœlum et terra est terra ista. Terra est quia nutrit et portat; cœlum est, quia protegit et illuminat. Terra ista in nobis est, et continet intus mundum. Tamen intus est, et non videtur nisi ab iis qui intus sunt. Invisibilis est enim terra ista, sed iis tantum qui tantum visibilia vident. Ista est terra, ubi lumen lucet quod impiorum oculi videre non possunt. Ipsa est terra, in qua flores apparuerunt, quia flores apparuerunt in terra nostra, vineæ florentes odorem dederunt. *Ecce appropinquavit regnum cœlorum* (*Matth.* III). *Vineæ florentes odorem dederunt.* Prius apparuit modo, jam ecce sentitur. Ecce odor ad nos usque pervenit. Vineæ florentes odorem dederunt. Primum flores vidimus, et non ibi erant flores vinearum; sed tamen flores apparuerunt in terra nostra. Nunc autem vineæ flores odorem dederunt. Illic jucunditas, hic utilitas. Illic delectatio, hic refectio. Illic species ad jucunditatem apparuit; nunc autem et ipse odor et ipsa dulcedo ad suavitatem et sanitatem sese infundit. Paulatim appropinquat, et magis semper ac magis crescit, et in perceptione dulcedo, et in clarificatione cognitio: et tamen nondum ad gustum perventum est. Nondum poculum illud inebrians ab ubertate domus ejus de torrente voluptatis propinatur. Nam et sponsa adhuc foris stat, et habet adhuc introduci in cellam vinariam, et idcirco de his in hujusmodi adhuc omnino tacetur tantummodo vineæ florentes odorem dederunt. Adhuc ergo flos, nondum botrus. Nusquam adhuc torcularia nominantur, nec musta fervent in ollis, ut vinum novum mittatur in utres novos, quia magna sunt ista, et sequentis epuli deliciis reservata. Modo tantum vineæ florentes odorem dederunt. Tantum vineas audivimus, et sensimus odorem.

Et vineæ inquit *florentes odorem dederunt* (*Cant.* II). Non ergo omnimodo relicti sumus, et nos spem habemus, et currimus donec perveniamus. Vineæ enim florentes odorem dederunt. Spes nobis data est futuræ ebrietatis, et ipsa spes suam interim habet refectionem, ut possimus sustinere, ne deficiamus in via. Nam vineæ florentes odorem dederunt. In flore spes, in odore refectio, et ideo vineæ florentes odorem dederunt. Et currimus, et sequimur, et festinamus inebriari, et cum pervenerimus, jam vineæ maturæ erunt et vina torculata, et introibimus in cellam vinariam, et tunc deinceps de odore vinearum florentium nulla fiet retardatio. Nam hæc omnia interim nunc ad inchoationem sunt et ad promissionem, et *cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* XIII). Modo ergo vineæ florentes odorem dederunt. Res mira, ibi maturæ sunt, et incipiunt hic pro modo nostro velut flores habere nondum maturos botros. Nec nobis ideo tardandum est si modo floreat vineæ, quasi tempus vindemiarum præveniamus, si curramus et ideo sensim ambulare velimus, quoniam multum adhuc supersit a flore usque ad botros maturos. Non sunt vineæ illæ sicut quas novimus, cæteræ vineæ istæ. In te enim est quando maturescant. Nam tibi florere incipiunt, et tibi maturescunt. Sibi enim semper maturæ sunt; et tibi maturæ esse incipiunt, cum tu eis cœperis esse maturus. Si tardant, propter te tardant. Nam sibi festinant quantum vis. Idcirco ne timeas, sed festina tu. Et si jam odorem percepisti florentium, propera fructum carpere maturum. Audisti enim quid sponsæ dictum est. Quod enim illi dictum est, tibi dictum est; si tamen tu fueris ut unus de sponsi amicis, vel una de sponsæ adolescentulis. Omnes enim isti ad unum invitantur convivium: nec poterit vel ut sponsus sine amicis convivari, vel ut sponsa sine adolescentulis suis. Audi ergo tibi quod dictum est illi, quia quod dictum est illi, cum illa dictum est itidem tibi: *Surge*, inquit, *propera, amica mea, quia hiems transiit, imber abiit et recessit: et jam flores apparuerunt in terra nostra. Vineæ florentes odorem dederunt.*

Et novissime adjunxit, quasi unicum aliquid et singulare commendans: *Vox turturis audita est in terra nostra* (*Cant.* II). Quid nunc dicere poterimus nos de voce turturis? Et tamen ne forte in mentem veniat, vel super cor ascendat, quia turtur gemitum habet pro cantu, planctum hic significari, non canticum: non ista modo recipimus in nostris gaudiis. Nam vox turturis amori canit et dilectioni, et habet singularem dilectionem turtur cui canit, vel præsenti gaudium, vel absenti affectum. Igitur vox turturis tota de amore, et non novit aliud præter amorem turtur. Et illi singularis amor est qui soli non adjungit alterum; et æternus, qui nec primo secundum. Ergo vox turturis amori cantat, et amoris canticum est vox turturis. Et ardent corda ad vocem turturis, et vox turturi audita est. Quæ est ergo vox turturis, de qua dicitur: *Et vox turturis audita est?* Et quid sonat vox turturis? Significationem habet vox turturis? quid dicit? Unum est, quod sonat vox turturis; et semper illud sonat, et resonat, et non fastidit unquam. Nunquam turtur vocem suam variat, nunquam canticum suum mutat; semper idem canit, quia semper idem diligit. Ergo vox turturis audita est in terra nostra. O vox turturis, quam dulcis es! Et quis dignus erit audire vocem turturis? In solitudine canit turtur, et semper turtur solitudinem diligit, quia singularem dilectionem quærit. Non audietur in plateis vox ejus, neque foris clamorem suum proferet. Intus resonat, intrinsecus canit; et non possunt audire turturem, nisi qui intus sunt. Qui elongant in solitudine, qui secretum inhabitant, qui in silentio requiescunt, isti sunt, qui vocem turturis audiunt. In horrore visionis nocturnæ, quando sopor solet occupare homines, tunc aperit corda virorum, et vocem ejus audiunt. Ibi verbum absconditum et secretum revelat amicis, et ipsi venas susurri ejus percipiunt, et secretum suum custodiunt, et ipse ablactat et educit in solitudine sponsam, et dulcibus alloquiis vocat, et monet, ut egrediatur, ut ibi loquatur ad cor ejus, et det illi intelligere charitatem.

O speciosa inter filias! audisti vocem turturis, audisti et intellexisti! Intus loquebatur, et tu intus eras, et ideo audisti, et intellexisti, et dixisti: *vox dilecti mei* (*Cant.* II). Intellexisti enim, quia vox dilecti erat, et de dilectione erat, quia et audisti et intellexisti, ideo et tu dilexisti et dixisti: *Vox dilecti mei*. Intellexisti, et dixisti. Non enim intellexisses, nisi dilexisses, quia dilectionis verbum erat, et non poterat nisi a diligente intelligi. Dilectus loquebatur, et dilectæ loquebatur, et dilectio commendabatur. Quia ergo vocem dilecti audisti, et dilectionem intellexisti, ne differas ultra, ne amplius moram facias. Surge velociter, aperi pessulum ostii tui, et egredere ad illum, ut videas faciem ejus; et si fugerit, tu sequere super montes aromatum (*Cant.* V). Secura enim curris, quia venis de Libano, quia candida venis et munda. Venis casta et immaculata, ideo secura curris de Libano super montes aromatum (*Cant.* VIII). De merito castitatis ad præmium beatitudinis, ideo de Libano super montes aromatum. Ibi exspectat te, qui natus est ex te, illuc præcessit te. Illic est filius tuus ille, et dilectus tuus; ille, qui vocat te, qui invitat te, qui venientem de Libano præcedit te, et exspectat te super montes aromatum. *Ibi flores apparuerunt, vineæ florentes odorem dederunt. Ibi vox turturis audita est in terra nostra: surge, propera amica mea, et veni de Libano, veni, coronaberis* (*Cant.* IV).

INDEX RERUM ANALYTICUS.

A

Absalon significans Judæos, et David significans Christum patientem, 1077 *et seqq*. Absalonis cæsaries, 714.
Abscondens frumenta maledicitur, 686.
Absimarus seu Tiberius imperator, 272.
Abstinentiæ gradus tres, 548.
Accessus episcopi triplex ad ostium in dedicatione basilicæ, 384.
Accingi, præcingi, succingi quid sit, 781 *et seqq*.
Accipitris natura et species, 21. Domestici curatio, in læva gestatio, 22. Pertica super quam stat, 22. Lorum pedum ejus, 23.
Adamas et ejus virtus, et quid moraliter referat, 78, 79 *et seq*.
Adhærere Deo et ponere spem in eo semper bonum esse, 622.
Adorare in atrio Domini quid sit, 722.
Adulatio perniciosa, 686.
Adventus Christi triplex, 633 *et seq*. Adventus Dei triplex, 849, 852. Adventus Domini sermo, 911.
Adversitati tria opponenda, 862.
Ædificantes tres super fundamentum fidei, et tria ædificata, 758.
Ægypti regnum et reges, 252, 233. Item post Alexandrum Magnum, 234
Ælius Adrianus imperator, et ea quæ gessit, 247, 248. Ælius Pertinax, 249
Ænygma Samsonis, 713.
Ætates hominis sex; earum vocabula et descriptio, 132, 133 *et seqq*.
Africa et partes ejus, 212.
Agones fidelium quatuor, 681.
Agricultura et partes ejus, 201.
Agricultura spiritualis et ejus instrumenta, 930, 931.
Alæ columbæ et corvi, 788. Alæ Dei sub quibus protegamur quæ sint, 600.
Alba sacerdotis quid sit; et quæ per eam signantur, 403.
Alexander Mammea imperator, 250.
Alleluia cur non cantetur ad missam in diebus jejunii, 451, 453. *Alleluia* cur in Septuagesima omittatur, 877, 878. *Alleluia* et Pneumatum in missa significatio, 422.
Alphabetum in pavimento duplex scriptum in consecratione Ecclesiæ quid significet, 385.
Altare æneum et super ipsum oblata, 645. Altare ex lapidibus, et in eis Deuteronomium scriptum, 636. Altaris consecratio, et quæ in ea fiunt, 386, 387, *et seq*. Altari exterioris significatio, 427, 428. Interioris, 428, 429.
Ambulantes, stantes et declinantes in viis Domini qui sint, 628.
Amictus sacerdotalis, id est superhumerale, 403.
Amor Dei vita cordis, 563 *et seqq*. Amor duplex et superædificatio, 493. Amorem in Deum profiteri, ut augeatur, et ejus causæ, 176, 177.
Anastasius Arthemius imperator, 273. Anastasius imperator, 265.
Anima cur sit similitudine Dei prædita, et quantam ex ea fiduciam capere valeat, et de amoris ejus in Deum meritis et præmiis, 179, 180 *et seq* Anima excitatur ad amandum Christum et ad se confirmandam illi per amorem; 182, 183. Anima fidelis, et de ea sermo, 956. Anima obediens et sermo de ea, 1063 *et seqq*. Anima rationalis qualiter Deum esse trinum deprehendit, et quomodo præ se Trinitatem ferat, 377, 378 *et seqq*. Anima sponsa Christi, 819. Animæ contemplativæ silentium, 812. Animæ essentia et forma, 561. Animæ fidelis desponsatio moraliter, 919. Animæ in cœlum receptæ felicitas, 174 *et seq*. Animæ ratio et sensualitas, 572 *et seq*. Animæ refectio trina, 587. Animæ sensus duplex, intelligentia et sapientia, 559. Animæ status triplex, 798. Animarum status triplex, 811, 812. Animale quod fuit in Christo, an rationale, 311. Animalium nomina, species et proprietates in genere, 88.
Animus bonus hortus voluptatis, 506.
Anno novo sermo, 926. Item, 1126. Annus benignitatis Dei quid sit, 1126 *et seqq*.
Annuntiatio et Incarnatio Verbi, 699, 700 *et seqq*.
Anseris natura moraliter, 46.
Antiphonarum usus unde initium duxerit, 412.
Antonius Pius imperator et ab eo gesta, 248 *et seq*.
Antula et ejus natura, 57, 58.
Apes et earum natura, et ab eis moralitas, 97, 98 *et seq*
Apostolis de quibusdam sermo, 1039 *et seqq*. Apostolorum candor, 915, 916. Apostolorum in festivitate sermo, 914 *et seqq*.
Apparitio Christi duobus discipulis in via Emmaus, 532
Apparitiones Christi variæ, 899, 900.
Aqua, sal et cinis commista in dedicatione ecclesiæ quid significent, 386.
Aqua triplex de Christo profluens, 893.
Aquarum divisio mystica, 743.
Aquilæ natura et ejus significatio, 53 *et seqq*.
Aquilo et auster quid, 20.
Arbor paradisi, 785 *et seqq*. Arboris Indicæ natura, 99, 100. Arborum diversa genera et naturæ, 111, 112 *et seqq*.
Arca Noe et de ea sermo, moraliter, 1089 *et seqq*.
Arcadius et Honorius principes, et sub eorum imperio gesta, 261, 262.
Ardeæ natura, et quid repræsentet, 47.
Argivorum regnum et reges, 235.
Arithmetica quid sit, 198.
Arma fidelium tria, 805, 863. Arma sapientiæ et scutum patientiæ, 608.
Armatura quid sit, 200.
Artes quomodo legendæ, et artium inventores, 202 *et seq*.
Ascensiones cordis ad Deum, 669 *et seq*. Ascensionis in festo sermo, 1200 *et seqq*.
Asia et partes ejus, 209 *et seqq*. Asiæ regnum et reges, 232.
Aspidochelone, bellua aquatica, ejus natura et significatio moralis, 82, 83.
Aspirationum origo duplex, 491.
Aspis et ejus natura, 76.
Assyriorum regnum et reges, 227.
Astronomia et astrologia, 199.
Atheniensium regnum et reges, 235.
Auditor verbi divini triplex, 842.
Augustini S. in festo sermo, 949 *et seqq*., 1203 *et seqq*
Aurelius Antoninus Bassianus, 250.
Aurelius Commodus et ejus gesta, 249.
Aurelius, vel Aurelianus, Tacitus et Florianus imperatores, et ab eis gesta, 252.
Aurum, thus et myrrha oblata, 659, 660.
Avium in genere natura, 94.

B

Babylon, id est sæcularis conversatio et septem peccata fugienda, 994 *et seqq*. Babyloniæ reges, 237.
Baptisma triplex, 804. Baptismatis sacramentum consequentia, 633. Baptismi sacramentum et illud concernentis, quare sit primum, quare et quando institutum, 388. Quando ad illud cœperunt obligari homines, quid distet inter Joannis et Christi baptisma, quæ forma utriusque; utrum post datum præceptum de baptismo aliquis possit salvari sine eo, 389. An valeat verbis rustice prolatis; cur in aqua tantum fiat, 390. Baptismus cur celebretur in vigilia Pentecostes, 455.
Basis triplex in Scriptura, 713.
Beatitudines octo describuntur, 960 *et seqq*.
Bellum et pax triplex, 661.
Benedictio ante lectionem petenda, 873. Benedictio triplex, 678, 679. Benedictionis quam fecit Balaam in populum Israel sermones sex, quorum primus incipit, 1136; secundus, 1139; tertius, 1142; quartus, 1146; quintus, 1149; sextus, 1153.
Beneficium Dei in nos quadruplex, 732.
Bestiæ quæ culpam non habent, quare crucientur, 550, 551.
Bona hominis hic tria, 662. Bona quatuor quibus consolatur homo, 625. Bona tria primordialia et duo externa homini data, 194. Bonum et jucundum simul quod sit, 632.

Bonum hominis in sensu non est, 481. Bonum quadrupliciter dici, 804. Bonum summum hominis, 582.
Bonasi natura, 84.
Bonis cœlestibus perfrui quid sit, et quæ ea sint bona, 517, 176.
Bos et asinus, scilicet stolidus et rusticus, eum eeciderint sublevandi, 673. Bos, juvencus et taurus, 89, 90.
Bubonis natura moraliter, 45.
Butyrum et mel comedet, 673.

C

Cæcitas iniquorum, 705.
Caius Caligula imperator, et ejus gesta, 242, 243.
Caladrius avis et ejus significatio, 48.
Cameli natura, 90.
Campanarum significatio, 873.
Candelabrum quod sit ecclesia, et ejus lucerna Gregorius, 1156 *et seqq.*
Canes et eorum natura moraliter, 65, 66, 86, 87.
Canonis totius sententiæ summa, 425 *et seqq.* Canonis missæ expositio, in tres actiones dividitur, 430. Prima actio et ejus oratio, 430, 431. Actio secunda et ejus oratio, 431, 432. Actio tertia et oratio pro defunctis, 432, 433. Canonis ordo primus, 459, 460, 461. Secundus, 461 *et seq.* Tertius, 462. Quartus, 463, 464. Quintus, 465. Sextus, 465, 466 Septimus, 467, 468. Et tres Sanctorum ordines positorum in canone, 469, 470.
Cantica fidelium quatuor, 740. Cantica lætitiæ cur in adventu Domini taceantur, 441. Cur in festo innocentium, 442. Canticum novum et canticum vetus cantare quid sit, 926, 927.
Capri natura moraliter, 63.
Caro et sanguis Christi utrum tantum animator, an totus Christus, 363. Quid post sumptionem de iis fiat, 364, 365.
Carolus Magnus Francorum rex, fit Romanorum imperator, ejus imperium, opera insignia, religio, liberi, obitus, 280, 281, 282.
Caroli Simplicis Francorum regis successores, 284.
Carus Narbonensis et Numerianus, 252.
Castelli etymologia, 767.
Castor, ejus natura et significatio moralis, 61.
Castra tria, 847.
Casula vel planeta, et ejus significatio, 404.
Cathedræ pestilentiæ fabrica, et ea quæ eam concernunt, 589.
Cedri Libani confractæ in bono religioso moraliter, 722.
Cella triplex in quam introducimur, 674. Cella vinaria per allegoriam accepta pro Ecclesia, 1019 *et seqq.*
Cereus et quæ in eo sunt mystice, 873. Cereus in nocte paschali, et novus ignis in eo quid significet, 451, 452.
Cervæ natura mystice, 574 *et seq.*
Cervi et eorum natura et significatio, 64. Cervi proprietates imitandæ, 724, 725.
Chananeorum status triplex, 636, 637.
Charadrii natura, 77.
Charitas, fides et spes, 488. Charitatis libertas et servitus, 560. Charitatis laus et latitudo, 184. Charitatis perfectio duplex, 556.
Chirothecæ episcopales et earum significatio, 406.
Christi attributa, 803. Christum quæ ad nos traxerint, 631. Christus a variis varie quæritur, 481. Christus aliquid est in eo quod homo, 295 *et seq.* Christus an dici possit creatura, 302, 303 *et seq.* Christus cur candelabro comparatur, 704. Christus et Henoch an sint homines, 309. Christus et ros et pluvia, 718. Christus ovis et pastor bonus, 532 *et seq.* Christus per David in Goliæ cæde et strage figuratus, 694, 695. Christus quomodo jejunavit, comedit, flevit, si non est aliquid constans ex corpore et anima. Et quomodo sensibilis fuit, 308, 309 Christus quomodo dixit *Pater meus*, 519. Christus se hominibus in humanitate exhibuit quia in divinitate comprehendi non poterat, 519.
Christiano tria agenda, 803.
Cibus triplex Israelitis datus, 634.
Ciconiæ natura moraliter, 43.
Cinctoria hominum tria, 761, 762. Cinctoria tria qua nos stringunt et cohibent, 847.
Cinerum dies in capite jejunii, 880; et cur in ea pœnitendum, 881.
Cingulum et subcingulum quid, 403, 404.
Circumcisio duplex necessaria canticum novum Domino cantare volentibus, 643, 644. Circumcisio totius mali, 634. Circumcisionis Dominicæ sermo, 1034 *et seqq.*
Cithara spiritualis, 626 *et seq.*
Civitas perfecta et ei necessaria, 645, 646. Civitates duæ, duo populi et reges duo, 495, 497. Civitates et urbes in orbe terrarum insignes, 214, 215 *et seq.* Civitates quinque Ægypti loquentes lingua Chananæa, 675.
Classis Salomonis et Josaphat, 51.
Claudius Tiberius imperator, ejus et eo imperante facta, 241, 242.
Claudius Caligulæ patruus imperator eligitur, 243.
Claudius et Quintilius imperatores, 251.
Claustri ager et ejus fructus, 685.
Claves cœlorum duæ, 755.
Clericorum ordines vel gradus septem explicantur, 349 *et seqq.*, 399, 400 *et seq.*
Clodoveus Francorum rex et ejus gesta, 277. Clodovei filii reges et ab eis facta, 278.
Clotarius et ejus filii, et ab filiis gesta, 278, 279 *et seq.*
Cogitationum malarum et peccatorum ortus et defensio, 698.
Cognitio et visio Dei triplex, 755. Cognitio veri quam sit naturalis, 507 *et seq.* Cognitionis progressiones, 485. Impedimentum, 489. Instrumenta, 490.
Collecta in missa cur sic dicta, 421. Columbæ ad Ecclesiam, ad animam fidelem, et ad prælatos comparatio, 16, 17, 18 Columbæ natura, columbæ tres, Noe, David, Christi, 15. Columbæ pennæ et colores, 18. Ejus oculi crocei et cantio ab accipitre cum Ecclesia comparantur, 19. Ejusdem variæ proprietates, 19.
Comedi a canibus et avibus quid sit, 690.
Compassio triplex, 577 *et seqq.*
Completorium, 412, 413.
Compositionis plura esse genera, 303
Compunctio duplex, 847, 848.
Concha margaritifera et ejus moralis significatio, 64.
Concupiscentiæ mundanæ partes, 547.
Confessio duplex, et quod Deus sit mitis et suavis, 026. Confessio triplex, 653. Confessionis de necessitate sermo, et de votis reddendis, 1019 *et seqq.* Confessionis gradus septem, 836 *et seqq.*
Confessore de quolibet sermo, ubi de negligentia in Dei servitio, 966, 967.
Confirmationis sacramentum quid sit, et quid conferat, 393.
Conformitas Christi induenda, 507.
Conjugium seu matrimonium quid sit, 396. Ejus exordium, 397, quæ sint ejus bona, quid ipsum faciat, 398; quæ illud impediunt, 399.
Conscientia et fama, 521, 739. Conscientiæ culcitra, 747. Conscientiæ hominum quare velatæ, 506.
Consideranda nobis quatuor, 816, 817.
Consilium impiorum et piorum in quatuor consistit, 837.
Consolationis mundanæ falsitas, 500 et 501.
Constantinus Magnus Cæsar, ejus lepra, visio, baptizatio, curatio, donationes, sanctiones, studia, obitus et ejus filii, 253, 254 *et seqq.*
Constantius, Constantinus et Constans imperatores, 256. Constans Heraclii Constantini filius imperator, 270, 271. Constantinus Constantis filius, 271. Constantinus impius imperator, 274. Constantinus imperator et ejus mater Irenes, 275, 276.
Contemplatio Dei multiplex, 545, 546.
Contemplativorum ordines tres, 619.
Contemptus mundi inductio, 587, 588.
Conversio bonorum fit tripliciter, 754.
Convivium spirituale Christi alludens ad convivium Assueri tres sermones, quorum primus, 1183, secundus, 1186, tertius, 1188.
Cordis apertio triplex, 661. Cordis humani directio, 628. Cordis nostri domus quid, et munditia ejus, 911 *et seq.*
Corinthiorum regnum et reges, 256.
Corporis Christi sacramentum, 492. Corporis humani gloria et pœna, 492. Corpus Christi in Eucharistia sumentes corpus Christi efficimur. Qua fide et reverentia sumendum; non consumitur, sed peracto officio pro quo sumitur, in cœlum transfertur; licet a multis sumatur, integrum manet; cur sub speciebus panis et vini potiusquam aliis consecretur; animæ confert vitam, incorporat sibi se sumentem; si quæ speciebus inferantur indigna, nihil in ipsum corpus aut sanguinem agunt, nec debent ideo fidem imminuere nostram, a 166 ad 170.
Cortinæ variæ, virtutes diversæ, 912.
Corvi natura et ejus pulli, quid referant, 31, 32, 96.
Coturnix et ejus natura moraliter, 49, 50.
Creatio et conditio mundi et sex dierum opera, 207, 208.
Creaturarum status quadruplex, 810, 811. Creatura nequit bene esse sine Deo, 493. Creaturæ rationalis conditio, 193.
Crocodili natura, 60, 61.
Crucis Dominicæ virtus, 455, 456 *et seqq.* Crucis sanctæ in festo sermo, 1205 *et seqq.* Cruces tres, 499, 652, 653 Crux quadruplex, et crucifixionis causa et finis, 744.
Curiosi et suspiciosi hominis mala, 613, 614
Currus in Scripturis tres, 740. Currus quadruplex, 984

Custodes civitatis sanctæ Jerusalem qui sint, et eorum officia, 1003 *et seqq*. Custodia mentis per custodiam Isboseth figurata, 706. Custodia viæ hominis in locutione, et de non divulgandis mysteriis, 674.

D

Dæmones a sacrificio pellendi, 716
Dalmatica quid sit, 404, 405.
Damnentur quare qui non peccaverunt, 553, 554 *et seq*.
Damnum infertur homini tribus modis, 851, 852.
David significans Christum patientem, 1078 *et seqq*.
Debitores quatuor, 488 *et seq*. Debitores quomodo non sumus carni, 544, 545.
Debitum multiplex, 805.
Decius imperator Romanus, et ejus gesta, 250 *et seq*.
Dedicatio ecclesiæ episcopo reservata, et quare; et variæ ceremoniæ, 385. Dedicatio Ecclesiæ historice, 901, 902. Tropologice, 905, 904. Anagogice, 905, 906. Dedicatio templi triplex, 893. Et quinque in quibus consistit, 894.
Dei erga peccatorem benignitas et severitas, 662. Dei ira, facies et præsentia, 682 *et seq*. Dei omnia sunt incomparabilia, 552. Dei pia invocatio, et non invocantis miseria, 172, 173. Dei respectus duplex, 848. Dei servitus et timor, 506. Dei tria invisibilia per tria mundi visibilia demonstrantur, 203, 204. Deus cor emollit tribus modis, 559, 560. Deus et homo cur unus et idem, 519. Deus et sua et aliena ordinat, 552. Deus homo factus quid invenerit in mundo quod non suum esset; et quid diaboli; et quomodo uterque pro jure suo certaverit, 596, 597. Deus immotus dat cuncta moveri, et cuncta agit aut coagit, 171, 172. Deus in Scripturis homini loquitur quatuor modis, 484. Cum homine quatuor modis est, et dissimili modo operatur, 485 *et seq*. Deus non transmutatur, nec aliquid est illi inordinatum, 491. Deus quod sit laudandus per omnem creaturam, sermo, 1114 *et seqq*. Deus quomodo cibus et potus, 552. Deus quomodo exaltetur in nobis, 681. Deus quomodo loquatur ad cor, 678. Deus quomodo sit liberator noster, refugium, firmamentum, etc., 601. Deus septem modis suscipit homines, 553.
Delectationes spirituales et vanæ, 605.
Denarii duo stabulario dati, 584.
Descendere in infernum cum armis quid sit, 689
Descriptio triplex, scilicet ad conjugium, ad continentiam, ad virginitatem, 823.
Desertum quod est cor hominis, 539. Desertum triplex, 800.
Desponsata quæ tria recipiat, 844.
Dexter et sinister oculi Dei, 592, 593. Dextri et sinistri, sive a dextris et a sinistris, quibus sint Deus et diabolus, 597.
Dextera et sinistra Dei, 598, 602. Dextera Dei quæ sit, qui ei resistant et qui ab ea custodiri volunt, 599, 600.
Diaconi missio ad cantandum evangelium in missæ celebratione, 423.
Dies tres vivificationis, 634.
Dilectio Petri et Joannis, 852. Dilectio quadruplex, 856. Dilectionis Dei mandatum, et ejus causa, 1177, 1178.
Dilector et dilectus duplex, 549.
Diligere ex toto corde, ex tota anima, quid sit, et quæ tria hoc gradu diligi possint, 766. Diligentes et timentes Deum, 673.
Diocletianus et Maximianus imperatores et ab eis gesta, 253, 254.
Disciplina triplex, 681.
Discipuli duo currentes ad monumentum Domini, 525 *et seqq*.
Dispensatio quomodo fiat, 553.
Disputare a cedro ad hyssopum, 689.
Dissolutiones hominis tres, 761.
Divisio fit per iniquitatem, et unio per charitatem, 493.
Divitiarum contemptus, 687.
Doctor vel prælatus quis esse debeat, et illi necessaria, 1069 *et seqq*.
Doctores Ecclesiæ per vectes signati, 706, 707.
Dolores et laquei mortis et inferni, 601.
Dominicæ dies adventus, et earum officia in generali, 875. Primæ et secundæ officium, 876, 877.
Domitianus imperator et ejus gesta, 248.
Domus quatuor, et rerum dispositio moralis, 737, 738.
Dona Dei tria in homine, 779. Dona tria corpori et spiritui humano collata, 856.
Dotes animarum et florum, 855.
Draco et ejus natura, 71, 72.
Dulcedo hominis vermes, 685.

E

Ecclesia quid sit, 236. Ejus significatio mystica, 237. Quare terribilis, 238 *et seq*. Ecclesiæ ad vitem comparatio, 694.
Ecclesiæ dedicatio, variæ dedicationis ceremoniæ, et quid mystice significent, 238, 259. Ecclesiæ militantis et triumphantis perfectio et gaudia, 1166 *et seqq*. Ecclesiæ sive templi spiritualis ædificatio, 867, 868.
Electionis Apostolorum insignia, 775 *et seqq*. Electiones Domini duæ. Quomodo in electis suis ponat Deus thronum suum, 764.
Elementa mundi quatuor propriis qualitatibus distincta, 286. Elementum dupliciter accipitur, 483.
Elephas et ejus natura moraliter, 72 *et seq*.
Elevatio Eucharistiæ in missa quid significet, 438
Eliæ absconsio in Carith. Spiritus ejus duplex Eliseo datus, 690. Elias altare Domino ædificat. Quæ hic moraliter signentur, 691.
Eliseus filium viduæ suscitat. Quid moraliter indicetur, 691.
Eloquia Dei quomodo sint abscondenda, 629, 630. Eloquia Dei quomodo sint dulcia faucibus, utrum ea manducando, si sic, cibus sunt; qualis ergo cibus, 631, 632. Eloquium per citharam signatum, 707.
Emmanuelis cibus, et ejus interpretatio, 477 *et seqq*.
Epiphaniæ Domini sermo, 931 *et seqq*. 988 *et seqq*.
Episcopi, archiepiscopi, patriarchæ, et eorum consecratio, cur die Dominica fiat, 401, 402.
Epistola in missa quid et cur sic dicta, 421
Epithetæ et proprietates rerum, 136, *et per totum librum IV*.
Equus et ejus natura, 91, 92. Equi boni conditiones, 815.
Eruditio spiritus triplex, et operatio duplex, 493, 494.
Esse ex Deo, a Deo et de Deo, 809.
Eucharistiæ acceptio multiplex, 824.
Europa et partes ejus, 212, 213.
Exaltatio Dei in nobis, 808.
¶ Excommunicatus injuste utrum legatus sit, et quæ in excommunicatione pensanda, 394, 395.
Exempla tria Dei ad vitam, tria diaboli ad mortem, 759.
Exercitationum tria genera, 483.
Exeundi modi quatuor per operationem et per cogitationem, 733.
Exi de terra et de cognatione tua, explicatur, 521 *et seqq*.
Exitus Christi a Patre et reditus ad Patrem, et Sapientiæ a corde ad cor, 773.
Exordiendi sermonis forma, 819.
Exquirere Deum ex toto corde, et qui sint eum sic exquirentes, 629.
Extremum terræ unde nubes, fulgura et pluviæ, 726.
Ezechiæ regis ægrotatio et curatio moraliter, 640, 641.

F

Favus distillans labia, quid sit, 543.
Ferculum Salomonis, 696.
Fermentum vetus, 785 *et seqq*.
Festa Sanctorum recolenda, 540, 541. Festa virginum, confessorum et martyrum, 540.
Fides quid sit, 295. Fides quid et quæ ad eam spectent, 486 *et seq*. Fides quos et per quæ salvet, 766. Fides et ejus intelligentia, 803. Fidei gradus tres, 505, 506. Fidei præconia, 908, 909. Commendatio, 983, 984.
Filiarum Dei et diaboli nomina, et egressus earum ad regem suum, 671 *et seq*. Filiæ Job tres quid figurent, 734 *et seq*.
Filius Dei quomodo rogat Patrem, 508. Filius et Spiritus sanctus ad quid missi, 765, 766. Filius prodigus, 768, 769. Filii Dei generatio æterna, 558.
Finis bonus et malus, et disciplina Domini in finem corrigens, 602, 603. Finis consumens et consummans, 677. Finis Legis Christus, et bonum finis, 541, 542
Flagella Dei tria, et eorum causæ quatuor, 662.
Flumina in toto orbe clara, 214. Flumina septem Ægypti moraliter, 719, 720.
Fluvii duo quibus lavantur peccatores, 807.
Fons patens et occultus Deus, 683, 684. Fontes paradisi quatuor, 739. Fontium nomine summum bonum signari, 614 *et seqq*.
Forma mundi triplex, 779.
Formica et ejus natura moraliter, 75, 76.
Fornicatio triplex et ejus remedium, 764, 765.
Framea est Christi anima, 601. Francorum origo, duces, et unde sint dicti, 275. Francorum gens et reges, 276.
Fructus Jejunii, laboris et orationis duplex, 553
Fuga a vitiis et eorum occasionibus, 513 *et seqq*. Fuga Eliæ a facie Jezabel, 538. Fuga quam suadet Scriptura, et pacis quem ministrat, 712, 713. Fuga in Ægyptum et Innocentium persecutio moraliter, 827 *et seqq*

Fulica et ejus significatio moralis, 56.
Fumi in peccatore conditiones, 805.
Funiculus triplex, 728. Funiculi quibus trahimur, 746. Funiculi significationes, 805.

G

Galba imperator, 214.
Galli avis natura et ejus moralis significatio, 33, 34, 35. Galli et prædicatoris officium consimile, 816.
Gallus Hostilianus et Volusianus filius ejus; necnon et Æmilianus tyrannus, et sub eorum imperio pestilentia insignis, 251.
Gaudia beatorum in cœlo, 186, 187 *et seqq.* Gaudii animæ materia triplex, 834. Gaudium triplex, 808.
Gedeon pœnitentis typum gessit, 705. Gedeon typus Christi, 1092 *et seqq.*
Genera hominum tria circa conflictum cum vitiis, 585. Genera hominum quatuor quantum ad vulnera et cicatrices, 610 *et seqq.*
Generatio Christi æterna, 500. Generatio spiritualis, vel generare Christum quid sit, 933, 934.
Geometria et partes ejus, 199.
Gestatores Christi tres, 844.
Gloria veri Salomonis (Christi) duplex, scilicet a Patre et matre, 543. Gloriæ cœlestis excellentia, contemplatio et obtinendæ modus, 178, 179.
Gordianus imperator et ejus gesta, 250.
Graculi natura moraliter, 45.
Gradientium ad Deum inæqualitas, 801.
Graduale sive responsorium in missa, et utriusque nominis causa, 422.
Gradus superbiæ et humilitatis tres, 846, 847. Gradus virtutum duodecim, 753, 754.
Gratianus et Valentinianus imperatores, 259, 260.
Gratiarum actio ad Deum, 727, 728. Gratiæ benefaciendi tres, 752.
Gratitudo erga Dei beneficia, 529 *et seq.*
Grues ordine litterato volantes, quid moraliter referant, 40, 41.
Gryphs, animal pennatum et quadrupes, 84.
Gulæ vitium quinque partitum, 850.

H

Habitatio Dei triplex, 688.
Habitus quis prædicetur de Verbo secundum hæreticos cum dicitur : Deus est homo, 309 *et seqq.*
Heraclius imperator, et ab eo gesta, 269, 270.
Heraclonas imperator et ejus mater Martina, 270.
Herinacei natura, 58.
Herodes et ejus genus, 225, 226.
Hinnuli capreæ qui sint, 658.
Hirundinis natura, moraliter animæ pœnitenti addicta, 42.
Historia ab Adam usque ad Moysen per compendium tradita, 216, 217. A Moyse usque ad Josue, 217, 218. Ab Josue ad Saulem, 218, 219. A Saule usque ad Ezechiam, 219, 220. Ab Ezechia usque ad reditum de Babylonia, 221, 222. A Cyro usque ad Judam Machabæum, 222, 223. A Juda Machabæo usque ad Christum, 224, 225.
Hodie dicitur tripliciter, 858.
Homo quid, et unde dictus, et ejus natura, 119, 120. Hominis membra et partes variæ describuntur, 121, 122 *et seqq.* Hominis interioris custodia habenda per virtutes cardinales, 185 *et seqq.* Homo quis sit cui dixit Hilarius : *acquisitum ut Deus esset*, 298, 299. Homo cruciatur et exercetur in hac vita, 546. Homo quid vere sit, 548 *et seq.* Homo malus quomodo vivat, 550. Homo quomodo a Deo et a se recessit, et quomodo rediit; se et sua male diligit, 551. Hominum exercitationes et profectus, 553. Hominum quantum ad judicium Dei, quatuor sunt genera, 590. Homo ad imaginem Dei creatus ex natura, ex sola gratia lætatur in Domino, 590. Hominem Deus perdit dupliciter, 590. Hominum status quadruplex, 666, 667. Triplex, 858. Hominum quibus mare hujus mundi pervium est tria genera, 859 *et seqq.* Hominum quantum ad judicium species quatuor, 974. Homo cur ad imaginem Dei factus, 1119, 1120.
Honorius et Theodosius Junior imperatores, 262.
Horarum canonicarum officia, eorum ordo et explicatio 340, 341 *et seqq.* Horæ canonicæ Prima, 407, 408. Tertia, Sexta, Nona, 410. Horæ canonicæ Prima, Tertia, Nona, 873. Vespertina et matutina, et hora Completorii, 874.
Hortus animarum triplex, 866. Hortus Ecclesiæ moraliter, 1082 *et seqq.*
Humana substantia an sit in Christo adoranda, 297, 298.
Humilitas multipliciter impugnatur, 563 *et seqq.* Humilitas Christi septuplex, 639, 640. Humilitatis status septem, 859. Tria ei necessaria, 859. Humilitas duplex, 548.
Hyæna et ejus natura, 61, 62.
Hydriæ in Cana Galilææ quid figurent, 517, 518. Hydriæ vacuæ et plenæ, 825. Hydriæ in purificatione, 895.
Hydrus et hydra, 61.
Hymnus angelicus, seu *Gloria in excelsis* in celebratione missæ, 420.
Hypocrisis et ejus mala, 755.
Hyssopus herba quid significet, 950, 951

I

Ibex et ejus natura, 64.
Ibis avis et ejus moralis significatio, 53.
Ignis naturæ et species, 567 *et seqq.* Ignis semper ardens in altari, 688. Ignis duplex et puritas ejus, 724. Ignis exstincti recuperatio mystica per noctes tres ante pascha, 889.
Imaginatio quid sit, et quomodo operatur, 287, 288.
Immersio et unctio chrismatis in baptismo, 892.
Impetus duplex, spiritus et carnis, 734.
Incarnatio Verbi per vas novum in quod Eliseus misit salem figurata, 692. Incarnationis Verbi mysterium respectu angeli et Virginis. Quare sit facta, 320, 321 *et seqq.*
Infirmus, causa morbi, medicus et remedium, 815.
Ingressus Dei in multa, 793.
Inimici spirituales qui sint, et quomodo eos persequamur, 604. Inimicos justorum occultos in judicium reservari; manifestos hic puniri, 608. Inimici animæ fidelis tres, 756.
Insidiæ diaboli duplices, 608.
Insulæ in mundo insignes, 214.
Introitus et processio ministrorum in celebratione missæ, 419, 420. Introitus cur non cantetur ad missam Sabbato sancto, nec *alleluia*, nec agnus Dei, et cur ad evangelium non ferantur cerei, 453, 454.
Invocare Deum quid sit, et quam sit nobis necessarium, 171.
Iter trium dierum et noctium. Accessus ad Deum et recessus ab eo, 551 552.

J

Jacob luctari cum angelo quid sit moraliter, 697, 698.
Januæ disciplinæ adversario claudendæ, 745, 746.
Jephthe votum quale fuerit, 323, 324. Quod non speraverit pecudem occursuram, 325. Inter sanctos numeratur, 326, 327 *et seq.* Quid ejus votum et factum præsignet, 329 *et seqq.*
Jerosolymorum eversio, 245, 246 *et seq.*
Jerusalem obsidio et expugnatio quadruplex moraliter, 645. Jerusalem tria nomina, 653, 654. Jerusalem nominis interpretatio secundum quadruplicem sensum, 670, 671, 674. Jerusalem civitas sancta et sancti secundum sensum tropologicum, 999 *et seqq.* Jerusalem pro sancta Ecclesia per allegoriam sumpta, 1015 *et seqq.*
Joannis Baptistæ præconia viro perseveranti applicanda, 762, 763. Joannis Baptistæ in festo sermo; ejus virtutes et præconia, 1151. Ipse est palma et cedrus, 1152 *et seq.* 1154 *et seqq.*, 1199 *et seqq.*
Job quomodo pœnitentem figuret, 705.
Jovianus imperator, 257.
Judices in Israel qui fuerint, 214.
Judicium de se et proximo, 531, 532. Judicium secundum causam et retributionem, 618, 619. Judicium suum cur in finem servaverit Deus, 653. Judicium Dei inevitabile quam sit tremendum nisi ad misericordiam confugerimus, 773, 774.
Judith ex historia sermones tres in festo S. Michaelis, quorum primus incipit, 1169, secundus, 1172, tertius, 1175.
Juga quinque, 491. Jugum suave et onus leve, 8.5.
Julianus imperator, 249.
Julianus apostata et ejus gesta, 256, 257.
Julius Cæsar consul, mox dictator, Pompeii copias fugat, et Romanorum primus imperator efficitur, 238 *et seqq.*
Justificationes fieri propter opera, 630.
Justinianus Magnus et ab eo gesta, 266, 267.
Justinianus imperator, ejus depositio, illius restituti sævitia et cædes, 271 *et seqq.*
Justinus Senior imperator, et eo imperante gesta, 265, 266.
Justinus Junior et sub ejus imperio facta, 267, 268.
Justitia activa et passiva, 502, 503. Justitiæ fructus et desiderium, 492.
Justus ut palma florebit, 688

L

Labor et laborans triplex, 652. Labor De. et sæculi triplex, 677. Labor hominis triplex, et ejus triplex remedium, 760.
Labrum æneum quod fecit Moyses ex speculis mulierum, 789, 790.
Lacedæmoniorum regnum et reges, 237.
Lacertus, Stellio, Lacerta et eorum natura, 74, 75
Lætitia impleri ubi detur, 598.
Languor quadruplex unde nos liberavit Christus, 665, 666.
Lanificium quid, 200.
Lapides igniferi, 66, 67. Pretiosi, numero duodecim, 113 *et seqq.* Lapidis tres proprietates, 780.
Laquei mundi et diaboli, 790, 791.
Latinorum regnum et reges, 237.
Latrones rerum nostrarum quatuor, 807.
Laudes Matutinæ, 415, 416.
Laus Dei et quod Deus laudandus, sermo, 1105 *et seqq.*
Lazari e sepulcro evocatio, 825, 826.
Lectiones cur duæ ad missam feria quarta; una tantum feria sexta; quatuor vero in sabbato, quatuor temporum legantur, 439, 440.
Lectionis fructus duplex, 533.
Lectulus et ferculum Salomonis, 503, 504.
Lectus animæ triplex, 806, 865.
Legem in corde non cur in lege habentes qui sint, 590.
Lex et gratia quomodo datæ, 1122.
Leo et ejus natura, et quid moraliter repræsentet, 56, 57.
Leo Magnus imperator et ab eo gesta, 263, 264.
Leo secundus, Basilicus et Zeno imperatores, 264.
Leo imperio potitur et ejus gesta, 274.
Leontius imperator et ejus facta, 272.
Lepra septuplex superbiæ humanæ, 639.
Leucrocuta, 85.
Levitarum purificatio et officia in typum cleri Christiani, 672, 673.
Libanus et cedrus mystyce. Passeres in eorum ramis nidificantes, 26.
Licita et prohibita tria, 858.
Ligna regem frustra postulantia, 716. Lignum plantatum secus decursus aquarum est quilibet justus, 913, 914.
Lilii proprietates et folia, moraliter, 910 *et seqq.*
Linguæ hominum tres, 655.
Linx et ejus natura, 84.
Lis inter Deum et hominem, necnon et diabolum, et ejus litis causa, 591, 592.
Litania septiformis quid, et quare sic dicta, 268.
Loca tria filiorum Israel, Ægyptus, desertum et terra promissionis, 524, 525. Locus Dei triplex, 683.
Locutio in voce et opere, 593. Locutio Dei quadruplex; ad eam quadrupliciter respondendum, 654, 655. Locutio Dei triplex, 669.
Logica et ejus partes, 201. Logici et Theologici differentia, 803.
Longanimitas triplex, 751.
Loquendi impedimenta, 630.
Lotionis pedum mysterium, 888, 894.
Lucerna quomodo sit nobis Christus, 632.
Lucta quadruplex et supplantatio Jacob moraliter, 641, 642.
Luctatio fidelium in hoc mundo multiplex, 792.
Ludovicus Pius Francorum rex, ejus gesta, filii et obitus, 285.
Lumina divina, 490, 491. Luminum Pater cur Deus dictus, 584, 585.
Luminaria magna duo, Petrus scilicet et Paulus, 1098 *et seqq.*
Luporum natura, et eorum significatio moralis, 67, 68
Lusciniæ natura, 96.
Lydorum regnum et reges, 237.

M

Macedonum regnum et reges, 229, 230.
Macer Macrinus imperator, 250.
Madianitarum expugnatio, 637, 638.
Magica et partes ejus variæ, 203, 204.
Mala tria principalia, et eorum remedia, 194. Mala tria quibus homo affligitur, 623. Malum hominis multiplex, 583. Malum vel bonum malefaciens et postea pœnitentiam agens, 584.
Mala punica quomodo martyres designent, 1083, 1084.
Mandatum duplex perficiendum, 888, 889.
Mane triplex, 947, 948.
Manes hæreticus, 252
Manipulum quid sit, 404.
Mansiones hominum tres, 843. Mansiones tres Ægypti, 667, 668.
Manticora, 83.
Marcus Aurelius imperator Romanus, 249.
Marcus Aurelius Antoninus imperator, 150.
Margaritarum inventio et natura, 115.
Maria cur virga et Christus cur flos ejus dicatur, 826, 827. Maria matris Domini præconia, 770 *et seqq.* Mariæ assumptio et decem præconia, 807, 808. Mariæ in natali sermo, 907 *et seqq.*, 1102 *et seqq.* In Conceptione, 918. In Annuntiatione, 953 *et seqq.*, 975 *et seqq.* In Assumptione, 979 *et seqq.*, 1024, 1025. In Purificatione, 1006 *et seqq.*, 1009 *et seqq.* Mariæ beatæ Virginis in festo quocunque sermo, de laudibus ejus, 1060 *et seqq.* Mariæ in Assumptione sermo ultimus in quo plurima ex Cantico canticorum exponuntur, 1207 *et seqq.*
Martianus et Valentinianus imperatores, 263.
Materia divinæ Scripturæ, 376 *et seqq.*
Mathematica et partes ejus, 197, 198.
Matrimonio tria insunt, 764.
Mauritius primus ex Græcis Romanus imperator, 268, 269.
Maximus Julius imperator, 250
Mechanica et partes ejus, 200.
Medicina et ejus partes, 201.
Medium quod sit inter extrema cum dicitur quod Christus est mediator inter Deum et hominem, 305, 306
Medorum regnum et reges, 227, 228.
Melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier, quomodo intelligatur, 536, 711.
Membra humana et eorum significatio moraliter, 937, 938.
Mensa propositionis ex libro Exodi ad laudem Scripturæ sacræ adducta, 1193 *et seqq.*
Mentem bonam quomodo et quando adjuvat Deus per pacem, 620.
Merulæ natura moraliter, 44.
Milvi natura ad vitiosos applicata, 41.
Mirabilis est Deus in sanctis suis, plus intus quam foris, 622. Mirabilium Dei multitudo et profunditas, 613.
Misericordia et veritas obviam sibi venientes quomodo discrepaverint, 623 *et seqq.* Misericordia et fides purgantes peccata, 775. Misericordia et veritas Dei pœnitentibus necessaria, 606.
Missa unde initium sumpsit, 416, 417. Quod tribus linguis fit cantando, 418. Missæ celebratio et omnium ejus partium explicatio, 356 *et seqq.* Missæ tres cur celebrentur in Natali Domini, 441, 877. Et cur duæ in festo beati Joannis Baptistæ, 442. Missa pro mortuis, 456.
Missio ad Sehon, id est diabolum, moraliter, 641.
Mitra pontificalis, 403.
Modus et finis faciendi triplex, 746.
Monoceros, ejus natura et significatio, 60, 61.
Mons Oliveti cur dictus mons trium luminum, 743. Montes in toto orbe illustres, 213. Montes quatuor, 736. Montes tres in quos ascendit Dominus, 755. Montes et arbores spirituales quæ sint, 924, 925.
Mortificationis tria genera, et ejus præmia, 679 *et seqq.*
Mors meditanda adhuc fortibus, 660. Mors pretiosa tripliciter, 716. Mora triplex, 784.
Motus tres in homine, scilicet mentis, corporis et sensualitatis, 489.
Moyses fuit typus Christi, 493. Moysi, Aaron et Samuelis officia in monachis servanda, 718, 719.
Mundi tres partes, Asia, Africa et Europa, 209 *et seqq.*
Mundus iste contemnendus, 790.
Murmur vitandum et concordia servanda in claustris, 694.
Musica et partes ejus, 198.
Mustela et aspis, 66.
Mutatio turpis in homine, 684, 685. Mutatio quadruplex, 805.
Myrrha multiplex 932, 1197.

N

Natali in die Domini sermo, 948 *et seqq.*, 1029 *et seqq.*
Nativitas duplex, 777, 778.
Naturæ triplex acceptatio, 561.
Navigatio quid sit, 200, 201.
Navis et quæ ad eam pertinent moraliter, 908 *et seqq.*
Necessaria vitæ humanæ quæ sint, et quid significent moraliter, 1073 *et seqq.*
Negotiator claustralium, 795, 796.
Nero tyrannus, ejus facinora et cædes, 243, 244.
Nerva imperator et ejus gesta. 248.
Noe et Christus a suis irrisi, 694. Noe arca et Ecclesia, 704.

Northmannorum gens et eorum duces, 284.
Notitiæ Dei modi quatuor, 504, 505.
Novissima et antiqua in Verbi incarnatione comperta, 675, 676.
Nubes multiplex, 789. Nubium proprietates ad apostolos comparatæ, 915.
Numeri procedentium ad pugnam cum Gedeono mysterium, 579.
Numidiæ regnum et reges, 236.
Nuntii duo ad nos missi a Deo, servus et Filius, 539.
Nuptiæ in Cana Galilææ, 517. Nuptiæ triplices, 805, 863.
Nycticoracis natura, 30.

O

Obedientia quibus præstanda, 581, 582. Obedientia quintuplex, 841.
Occulta in utroque sacramento, 374 *et seqq.* Occulta et manifesta hominis et homini, 499, 500. Occultam nunc esse bonorum justitiam, 809.
Octavius Romanorum imperator. Eo regnante nascitur Christus, 239, 240.
Oculi bonorum quomodo ad Dominum sint, 632. Oculi sapientis in capite ejus, 686. Oculus lucerna corporis moraliter, scilicet prælatus, 774, 775.
Offerenda quæ Deo sint a servis, mercenariis et a filiis, 721. Offerendæ vel offertorii et versuum ejus in missa significatio, 421.
Officia vel servitia totius anni ordinantur et explicantur, 317, 318, etc. Officium nocturnale, 413. Cur tres habeat distinctiones, 414, 415. Officium Sabbati cui titulus: « Sabbato vacat, » 447. Officium missæ in quarta feria post Dominicam Palmarum, 448. Item in feria quinta ante Parasceven, 449. Item in Parasceve, et cur dicatur Parasceve, et quare altaria nudentur et laventur hac die, 450. Officium sancti Paschatis, 454. Officium in Dominica secunda Quadragesimæ, 881. In tertia, 881. In quarta, vel *Lætare*, 882. In Dominica Passionis, 883. In ramis Palmarum, 884. In feria tertia et quarta post ramos Palmarum, 885. In Cœna Domini, 886, 887. Officium trium noctium, scilicet in Cœna Domini, in Parasceve et sabbato sequenti, 889. Officium pastoris boni, 810.
Oleum Dei et oleum hominis, 499, 500. Oleum de capite non deficere quid sit, 686. Oleum triplex, fides et charitas, 749, 750. Oleum duplex, scilicet Dei et mundi, 757.
Oloris vel cygni natura et significatio, 51.
Omnium sanctorum in festo sermo, 960 *et seqq.*
Onager et ejus natura moraliter, 62.
Onocentaurus, 58, 78.
Opera Dei quatuor, 208. Opera Dei nobis videnda quæ sint, 620. Opera misericordiæ sex, 986. Opera sex dierum, et de eis sermo, 1087 *et seqq.*
Operandi modi sex, 512, 513.
Opprobrium et contemptus, 726.
Orandum quomodo pro remissione peccatorum, 621, 622.
Orantium tria genera, 598.
Oratio secreta in missa et patena ferenda, 425. Oratio Dominica in missa, 435, 436. Oratio funebris de morte amici, 728, 729. Oratio fit quatuor modis, 760. Et duabus impeditur ne exaudiatur, 761. Oratio ante lectiones, 874. Orationis modus multiplex, 751. Orationis puritati necessaria, 799.
Ordines hominum quatuor et triplex mundi locus, 648, 649.
Ornatus ecclesiarum spiritualis, 867.
Osculum triplex, 699, 742.
Otho imperator, 244.
Ovis, vervex, agnus et hircus, 88, 89. Ovium genera quatuor, caulæ, et canis custodia, 730.

Pallium archiepiscopale, 406.
Palmæ natura et ejus cum justo, anima et Ecclesia comparatio, 23, 24.
Panes Salomonis tres, 730. Panes tres quibus reficiendus est amicus superveniens, 760. Panis subcinericius, 688.
Pantheræ natura, 69 *et seqq.*
Paradisus spiritualis et quæ in eo, 700, 701.
Parasceves mysteria et preces, 890, 891, 892.
Pardus et leopardus, 83.
Pars optima eligenda, 781.
Parthorum regnum et reges, 236.
Paschali in solemnitate sermo, 1191 *et seqq.* Paschalis sermo de corpore Domini et agno paschali, 956 *et seqq.*
Passer quem mystice significet, 27. Ejus domus quam ipse invenit, et mansuefacti mores. Ejus vigiliæ, id est monachi nuper conversi, 27, 28. Passer quomodo similetur animæ vitando laqueos, 28. Passerum duorum et quinque in Evangelio pastorum pretia, 28. Passeres duo ex lege immolandi pro mundatione lepræ, 29.
Passionis Dominicæ voluntaria susceptio et crucis fructus, 897. Variæ Passionis circumstantiæ, 897, 898.
Pastorali de officio sermo, 819 *et seqq*
Pastores et eorum officia, 657. Pastores per boves figurati, 706. Pastor, ovis et lupus, 758. Pastor bonus et pastor malus, 780, 781.
Pater quomodo non judicat quemquam, 561 *et seqq.* Patres hominis tres, 756,
Patientia in tolerando malo, 536, 537. Patientiæ virtus sinapi comparata, 693.
Patriarchæ enumerantur, 215.
Patrinorum responsio pro puero, 390.
Paulus hæreticus, 251, 252.
Paupertas triplex, 784.
Pavonis natura, 52, 53.
Pax quare datur ante communionem, 437, 438. Pax triplex, 482. Pax duplex, 693. Pax et bellum triplex, 757. Pax claustralis quadruplex. Ejus quadruplices differentiæ, 766, 767.
Peccandi modi quatuor, 848, 849.
Peccatoris respiratio magna, 509, 510. Peccatoris captio et excæcatio, 693.
Peccatum expellendum confessione, 590, 591
Pelicani natura, 29, 74.
Pentecostes in die sermo, 1098 *et seqq*
Perdicis natura moraliter, 49.
Perfectionis Christianæ status, 796.
Persarum regnum et reges, 228, 229.
Persecutio fit tribus de causis, et quatuor gladiis, 765.
Petri et Pauli in festo sermo, 1098 *et seqq.* Petro secundum etymon trium nominum ejus similis, liberabitur ab hostibus, 769, 770.
Pharisæorum jactantia, 821, 822.
Phase seu Paschata quinque, 960.
Philippicus Bardavius imperator, 275.
Philippus qui et Marcus Julius dicitur, et filius ejus, primus Romanorum imperatorum Christianus exstitit, 250.
Philosophia et partes ejus, 196. Philosophiæ operatio duplex, 495.
Phocas imperator et cædes ejus, 269.
Phœnix avis, ejus natura et ejus significatio moraliter, 48, 49.
Piger, inctans et vincens, 823.
Piscinæ tres, diaboli, mundi, Dei, et earum porticus, 853, 854.
Piscium diversorum naturæ et varia genera; eorum in fetus suos amor; castitas eorum et victus; cur sint dentati, 105, 106 *et seqq.* Piscium captura duplex, 795.
Plateæ Jerusalem moraliter, 999 *et seqq.* Plateæ Babylonis moraliter, 995 *et seqq.*
Plenus gratiæ et veritatis quis sit, 752.
Pœnitentia velut sacramentum quid sit, 393. Qualiter sacerdos in ea dimittit peccata, 394. Pœnitentia solemnis quare non iteratur, 394. Pœnitentia Dei et ejus in creaturas amor varius, 520. Pœnitentiæ sacramentum, virtus, 535. Tria quæ sunt in ea, 536. Pœnitentiam agere in cinere quid sit, 693. Pœnitentiæ insunt tria, 757, 838. Pœnitentiæ faciendæ forma, 798. Pœnitentiæ species et partes, 806, 863.
Pontifices summi in Israel qui fuerint, 216. Pontifex summus, et ejus officium, 402.
Populus Domini et terra quid, 938 *et seqq.* Populus vetus et novus justus describitur et comparatur per totum sermonem, 951 *et seqq.*
Portæ mortis duæ, 549, 550. Portæ diversæ, 802, 830. Portæ mundi, cœli et inferni, 861. Portæ triplices, 862.
Potestas quadruplex Christo data, 811, 812.
Potus et cibus Scripturarum duplex, 558, 559.
Practica et partes ejus, 199, 200.
Prædicatio generalis Deum, particularis homines decet, 543, 544. Prædicatori tria necessaria, 845. Prædicatorum et apostolorum commendatio, 971 *et seqq.*
Præfatio in missa quid sit, 425.
Prælatorum officium et potestas, 497, 498. Prælati et sacerdotes, et eorum triplex officium, 650. Prælatorum officium in perimendis vitiis, 692, 693. Prælatorum constantia et duritia, 748, 749. Prælato tria necessaria, 806.
Prælium nobis angelorum auxilio adversus diabolicas potestates gerendum, 772, 775. Prælia quinque adversus peccatum, 801.
Præparare se in cibum Deo, 537.
Præsidum et quibus præsunt doctrinæ, 747, 748.
Prævenire et supplantare quid sit, 600.

Preces quales, et ad quid fiant, 489. Quando dicantur ad horas, quando taceantur et quare, 410, 411.
Prima, media, novissima, 709, 710.
Primogenita Ægypti moraliter, 726. Primogenita sunt Dei et sacerdotum diversis modis, 672.
Probus imperator et ejus facta, 252
Promotio hominis triplex, 809.
Propitiatorium mystice quid sit, 429.
Prosperitas malorum temporalis, est electis testimonium æternæ felicitatis, 609.
Providere Dominum in conspectu suo semper quid sit, 507.
Psalmi CXLIX expositio tropologica, 1160 *et seqq*. Anagogica, 1163 *et seqq*.
Psalmodiæ laus et utilitas, 700.
Psittacus et ejus natura, 94.
Publicani justificatio, 836.
Puer de quo Salomon judicat, moraliter, 714, 715.
Pulvis cogitationum et desideriorum inutilium, 619.
Purificatio mentis, 1006 *et seq*. Ecclesiæ, 1009 *et seqq*.
Purificationis Mariæ digne celebrandæ quæ sint præparamenta, 824.
Pusillanimes fovendi per consolationem, confirmandi per increpationem, 494

Q

Quadragesimali tempore cur oratio in missa super populum fiat, 440. Quadragesima et Quadragesimalis Jejunii caput, 445, 446. Quadragesimæ officium, 879. Quadragesimæ tempore habendus sermo, 1057 *et seqq*., 1179.
Quærentium Deum et sapientiam triplex genus, 758.
Quæstionum per Ranulphum a Mauriaco propositarum solutio, 588
Quatuor Temporum officia, 438, 439. Quatuor ab anima superanda, 750. Quatuor regum adversus reges quinque pugnantium allegoria, 1108 *et seq*.
Quies et inquietudo duplex, 542.
Quievisse terram quadraginta annis post peccatum Gedeonis quid sit, 580.
Quinquagesimæ officium, 879, 880

R

Recordatio malorum præteritorum quadruplex, 501.
Rectoris erga subditos cura, 816. Rectoris cujuslibet vel prælati officium et doctrina illi necessaria, 981 *et seqq*.
Redeuntes ad Deum diversi, 717.
Refectio animæ trina, 552. Refectio animæ spiritualis, 785 *et seqq*.
Reges qui fuerint in Israel, 216.
Reginæ, concubinæ et adolescentulæ veri Salomonis, 697.
Regna mundi usque ad regnum Romanorum, 225 et per totum librum V. Regni triplicis acquisitio, 797.
Religiosorum concors cohabitatio quam sit diabolo formidolosa, 665.
Reparatio hominis per duplicem Trinitatem, 751, 752.
Reprobatio luxuriæ, avaritiæ et superbiæ, 607.
Requies tuta in visceribus Christi, quæ ab omnibus protegunt malis, 181, 182.
Rerum temporalium vanitas, 607.
Responsorium cur a Pascha ad Pentecosten non cantetur in missa, 434.
Responsum a triplici spiritu, 845.
Retia lavanda et plicanda, 795.
Rivi septem peccatorum ab Adam, 663, 664. Rivi tres e corpore Domini, 738.
Rogationes aut supplicationes, vel processiones tres principales, 817 *et seqq*.
Rosa quatuor habet animadvertenda, quæ in Maria, 1104, 1105.
Rubus ardens quem vidit Moyses, 695.
Ruth historia moraliter, 1063 *et seqq*.

S

Sabbata quæ derideantur, 670.
Sacculus pertusus et integer, 686.
Sacerdotium Christi laudatur, 294.
Sacerdotum Domini Dominus pars est; Sacerdotum Pharaonis possessio terrena, 643. Sacerdotum officium quadruplex, 839. Sacerdotes in synodo adhortantur ut Verbum Dei annuntient, 941 *et seqq*.
Sacramenta ecclesiastica quæ sint, 588. Sacramentorum diversitas, 830
Sacrificia, holocausta, oblationes, et eorum differentiæ 931 *et seqq*.
Sagittæ tres expetendæ, 733. Sagittæ quibus utitur Deus, 801.
Salomonis templum allegorice, 868 *et seqq*.
Salus divina et humana quomodo homini impertiatur, 602. Salus consistit in tribus, 851.
Salutationes in Evangelio tres, 837.
Sancta tria: Deus, homo, locus. Sanctificatio triplex, 651.
Sandalia pontificalia, 405.
Sanitas spiritualis, 922. Et duodecim eam concernentia, 923, 924.
Sanorum et ægrotorum differentia quadruplex, 575, 576.
Sapientiæ conceptus et partus, 491, 585. Sapientia quomodo vincit malitiam, 511, 553. Sapientia in faciendo bono, 536, 537. Sapientia Dei et hominis, et sapientia superior et inferior 580, 581. Sapientiæ egressus et regressus, 584. Sapientia Dei et mundi, 586.
Scandalum duplex et ejus instrumentum, 755.
Scelera septem, tria in anima, quatuor in corpore, 647
Schisma in Ecclesia vitandum, 708.
Scholæ duæ, virtutis et veritatis, et duplex genus discentium, 627.
Scientiæ tres, 195, 196.
Scintillæ in arundineto, 973.
Scriptura sacra est cathedra, 510, 511. Scripturæ statura, altitudo et aspectus horribilis, 703. Scripturæ mundanæ et divinæ materia, 203. Scripturæ sacræ triplex modos tractandi, 205. Ei servit mundana, 203. Scripturæ sacræ qualis expositio, 672.
Scrutinium cur quarta hebdomada Quadragesimæ et feria quarta celebretur, 446, 447.
Scytharum regnum, 226.
Semen triplex, 861. Seminis in terram jacti incrementa, fides et virtutes aliæ, 822, 823.
Seminans in spiritu et carne, 793.
Semitæ quas declinavit Dominus, 619.
Sensus duo in homine, carnalis et spiritalis, 490. Sensus corporis quinque, 984, 985.
Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima quid, 443, 444. Septuagesimæ ratio, et paschalis lætitiæ, 878. Septuagesimæ aut alterius temporis de pœnitentia sermo, 1043 *et seqq*. Alius, 1046 *et seqq*.
Sermo Dei vivus, vivus, efficax, penetrabilis, anceps, 289. Quomodo dividit inter spiritum et animam, 290, 291. Sermo Dei tria continet, 538. Sermonum centum prologus, 900.
Serpentum genera, 100. Eorum diversa natura, 102.
Serra, bellua marina, quid significet, 69.
Severus imperator et ab eo gesta, 249.
Sexagesimæ officium, 878, 879.
Sexus quomodo sit a Christo assumptus, 299 300.
Sicyoniorum regnum et reges, 234.
Signaculum Dei nobis impressum, 662.
Significatio vocum et rerum, 205, 206.
Silentium triplex; et quo in silentio venit Verbum, 315. De quo dictum: *Dum medium silentium tenerent omnia*, 316, 317. Silentia tria ante gratiam et alia tria, 845, 846.
Simiarum natura, 62, 63.
Similitudo triplex, 804.
Sirenarum natura, et quid moraliter, 78.
Sitis quadruplex restringenda per totidem paradisi flumina, 750.
Sobrie, pie et juste vivere quid, 763.
Speculum Ecclesiæ, 336 *et seqq*.
Spei et fiduciæ suæ, quo constantiores fiant, memorat causas, 177, 178.
Spiritalis dijudicat omnia, 469 *et seqq*.
Spiritus Dei et spiritus mundi per quem consummata sunt omnia, 533. Spiritus tres, 549.
Stantes a dextris et a sinistris Dei, 723.
Status hominum quinque, 510, 511. Status triplex in corpore animæ diligentis Deum, 677, 678. Status animæ fidelis triplex, 736.
Stellio vel Salamandra, 63.
Stola vel orarium et ejus significatio, 404.
Struthio et ejus pennæ quibus notantur hypocritæ, 35, 36 *et seqq*.
Stultus ut luna movetur, 481.
Subjectio erga Deum utilis, 609, 610.
Subtus et supra nos quid sit, 603.
Sumptio corporis Christi duplex, scilicet sacramentalis et spiritalis, 366.
Superbia et humilitas, 505. Superbia duplex 548.
Surditas triplex, 784.
Symbolum apostolorum quando et quare in missa cantandum, 424.
Syriæ regnum et reges. — Romanis subditur, 231, 232.

T

Tabernacula filierum Israel, et eorum festa, quid figurant, et quid inde nobis servandum, 968 *et seqq.*

Tabernacula tria de quibus Petrus in Transfiguratione, 896.

Tabula pœnitentiæ, 789.

Tentationes quatuor conversi, 733, 734. Tentationum modi quatuor, 1180.

Terræ octo plenæ diversarum rerum moraliter, 1110 *et seqq.*

Testamenta duo, 209. Testamentum unde et quare dictum, 210.

Testimonia tria sanctorum in confirmatione fidei, 643. Testimonia in cœlo et in terra tria, 778, 858.

Theatrica et partes ejus variæ, 197.

Thebæa legio patitur, 252, 253.

Theodosius Magnus imperator et ab eo gesta, 260, 261. Theodosius Junior et Valentinianus principes, 262, 263. Theodosius imperator deponitur, et clerus factus in pace vivit, 273.

Theophania multiplex, 518.

Theorica et partes ejus, 197.

Tiberius Romanorum quinquagesimus imperator, 268.

Tigris et ejus natura, 83.

Timores quatuor, 585, 830. Timorem Dei habentes qui sint, 593. Timor servilis et custodia legis divinæ, 604, 605. Timor Domini quis sit, 920. Duplex est, 921. Octo anni quæ excitant illum, 921, 922.

Titillationum carnis causæ, 800.

Titus Vespasiani filius imperator, 247.

Trajanus imperator et ab eo gesta, 247.

Transmigratio triplex, 788.

Trecenti qui bibentes non curvaverunt genua, 658.

Trinitas universitatis, 483. Trinitatis attributa, 794.

Tristitia et gaudium triplex, 785. Quadruplex, 797. Tristitiæ Ecclesiæ incrementa, imminente Dominica passione, 890.

Tubæ Scripturæ sacræ, 634, 633. Tubæ argenteæ ad Petrum et Paulum applicatæ, et earum usus, 676.

Turturis natura, nidus, vox, viduitas, 23, 24, 25.

Tyranni tres qui contra nos pugnant, 585.

U

Uber maternæ affectionis, 812.

Ubera sponsi quæ sint, 727.

Umbræ tres et tres dies moraliter, 658, 659.

Unctio infirmorum, 596.

Unguentum bonorum triplex, 731. Unguentum quadruplex in cujus odore currit sponsa, 732.

Unio corporis et spiritus, 285 *et seqq.*

Unus quis et quis plures, 647, 648.

Upupæ natura, 50, 51.

Ursus et ejus natura, 85.

V

Vaccæ immolatio pœnitentiam figurat, 705.

Valentinianus Magnus imperator et Valens, et ab eis gesta, 257, 258.

Valerianus et Galienus imperatores et eorum gesta, 251.

Vanitas hominum duplex, 613.

Venatio et partes ejus, 201. Venatores animarum, 729.

Verbum naturam assumpsit non personam, dum caro factum est, et quod una persona est, assumens et assumptum, 318, 319. Verbum caro factum nobis remedium præstat et exemplum, 516, 517. Verbum Dei solum animæ bonum est, 546, 547. Verborum superfluitas vitanda, 708. Verbum Dei missum in varia, 794. Verbi divini efficacia, 820, 821. Verbi Dei ingressus, 835.

Vermes et eorum natura, 103 *et seqq.*

Vespasianus imperator et ab eo gesta, inter quæ Jerosolymorum eversio, 245, 246.

Vesperæ seu vespertinum officium, 411. 412.

Vestes sacerdotales sub Veteri et sub Novo Testamento, 352, 403. Vestes episcopales, 354, 404. Vestis non mutanda, nec mores simulandi, 643. Vestes sacræ et earum significationes, et vestes sacerdotum, 927, 928.

Vetustas duplex, 524. Vetustas triplex et ejus remedia, 780.

Viæ hominis variæ, 501, 502. Duæ in Evangelio, 502. Viæ duræ hujus vitæ, et quis eas custodit propter verba labiorum Dei, 599. Viæ et semitæ Dei, 599. Viæ tres quæ sint, 628. Via ad mortem, et via arcta ad vitam triplex, 838. Via carnis et via spiritus, 852.

Vigiliæ et somni; quando et a quibus surgendum, 814. Vigiliæ vitæ humanæ quatuor, 846. Vigiliæ nocturnæ canonicæ, 874.

Vincula quatuor Pharaonis, et vestimenta quatuor noxia, 736, 737

Vindictæ Domini instrumenta, 806

Vinea Dominica et ejus cultura et ad culturam pertinentia et fructus, 929, 930.

Vinum ebrietatis, 801.

Viperæ natura, 68, 69.

Virga et flos moraliter, 656.

Virginitas triplex, 843, 844. Virgines quatuor ducendæ, 865.

Viror calami et junci, 685.

Virtus et veritas simul esse volunt, 494. Virtus et justitia, 502. Virtus quibus conservetur, 750. Virtutes animæ, 794. Virtutes septem per beatitudines signatæ, 987. Virtutes in nobis plantandæ, et vitia ejicienda; parabola sumpta de paradisi deliciis, 1012 *et seqq.*

Visio multiplex, 646.

Vita et mors, gaudium et dolor, 495. Vita animæ duplex, 523. Vita hominis triplex, 843.

Vitellius imperator et ejus gesta, 244, 245.

Vitiorum religionem suffocantium descriptio, inter quæ sunt ebrietas, crapula, fornicatio, otiositas, etc., 189, 190. Vitium unde originem trahat, 501. Vitium, peccatum, et ejus triplex remedium, 831 *et seqq.* Vitia sacerdotum tria, 850, 851.

Vitulus Libani duplex, moraliter, 726, 727. Vituli tres immolandi Domino, 860.

Vocationes Domini quatuor, 764.

Voluntates tres in Christo, 518. Voluntates hominis quatuor, 799.

Vulfida episcopus hæreticus, Gotharum litterarum inventor, 239.

Vulpes et ejus natura, 60.

Vulturis natura Christo applicata, 39, 40.

Vultus divini lumen, 794.

Vulva absque liberis moraliter, 726, 727.

Z

Zeno imperator Romanus et ab eo gesta, 263.

Ziphæi David prodere volentes quos significent, 644, 645

Zonæ duæ in Veteri Testamento quid mysterii habeant, 736.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

HUGO DE S. VICTORE

APPENDIX AD HUGONIS OPERA DOGMATICA. — DE BESTIIS ET ALIIS REBUS LIBRI QUATUOR.

Index alphabeticus trium librorum de historia naturali. 9
Prologus. 3
Prologus alter. 13
LIBER PRIMUS
Cap. I. — De tribus columbis, quarum Scriptura meminit. 13
Cap. II. — De columbæ ad Ecclesiam collatione. 16
Cap. III. — De columbæ ad fidelem animam comparatione. 16
Cap. IV. — De columbæ ad prælatum comparatione. 17
Cap. V. — De columbæ habentis pedes rubros ad Ecclesiam comparatione. 18
Cap. VI. — De pennis deargentatis columbæ, ad prædicatores collatis. 18
Cap. VII. — De sapphirino colore alarum columbæ ad contemplativos collato. 18
Cap. VIII. — De coloribus columbæ ad mores collatis. 18
Cap. IX. — De oculis croceis et cautione columbæ ad Ecclesiæ cautionem comparatis. 19
Cap. X. — De colore reliquo columbæ mutabili ad mare turbatum, et De mari ad carnem comparato. 19
Cap. XI. — De diversis columbæ proprietatibus. 19
Cap. XII. — De aquilone et austro ventis. 20
Cap. XIII. — De accipitre quomodo plumescat expandens alas suas ad austrum. 20
Cap. XIV. — De duabus accipitrum speciebus. 21
Cap. XV. — De domesticorum accipitrum curatione. 22
Cap. XVI. — De accipitris in læva gestatione. 22
Cap. XVII. — De pertica, super quam stat aut sedet accipiter. 22
Cap. XVIII. — De accipitrum pedicis seu compedibus. 23
Cap. XIX. — De loro seu corrigia, et ligamine accipitris. 23
Cap. XX. — De turture et passere. 23
Cap. XXI. — De palma, quomodo ei comparatur justus. 23
Cap. XXII. — Quomodo ei comparentur Ecclesia et anima fidelis. 23
Cap. XXIII. — De nido turturis, id est fidelis animæ in palma, id est arbore crucis per fidem passionis. Et quomodo palma portetur in manu victoris. 24
Cap. XXIV. — De voce turturis ad animam comparata, et de terra nostra et aliena. 24
Cap. XXV. — De turture Ecclesiæ et fideli animæ comparata, et de nido ejus, et de Christo marito talis turturis. 25
Cap. XXVI. — De Libano et cedro mysticis, et de passeribus in ramis cedri nidificantibus. 26
Cap. XXVII. — Quis per passerem sit mystice intelligendus. 27
Cap. XXVIII. — De domo quam passer invenit et de passeris mansuefacti moribus. 27
Cap. XXIX. — De vigilia passeris, id est monachi nuper conversi. 28
Cap. XXX. — Quomodo passer assimiletur animæ vitando laqueos. 28
Cap. XXXI. — De passerum duorum et quinque juxta Evangelium pretio mystice explicando. 28
Cap. XXXII. — De duobus passeribus ex lege immolandis pro mundatione a lepra 29
Cap. XXXIII. — De pelicani natura. 29
Cap. XXXIV. — De nycticorace, id est noctua. 30
Cap. XXXV. — De corvo. 31
Cap. XXXVI. — De galli gallinacei natura moraliter. 33
Cap. XXXVII. — De struthione et ejus pennis, quibus notantur hypocritæ, et accipitris et herodii, quibus significantur electi. 35
Cap. XXXVIII. — De vulture, et ejus natura Christo applicata. 39
Cap. XXXIX. — De gruibus ordine litterato unam prævolantem sequentibus. 40
Cap. XL. — De natura milvi ad vitiosos applicata. 41
Cap. XLI. — De hirundinis natura, moraliter animæ pœnitenti addicta. 42
Cap. XLII. — De ciconiæ natura. 43
Cap. XLIII. — De merulæ natura moraliter 44
Cap. XLIV. — De bubonis natura moraliter 45
Cap. XLV. — De graculi natura moraliter 45
Cap. XLVI. — De anseris natura moraliter 46
Cap. XLVII. De natura ardeæ. 47
Cap. XLVIII — De caladrio ave. 48
Cap. XLIX. — De phœnice. 48
Cap. L. — De perdicis natura. 49
Cap. LI. — De coturnice. 50
Cap. LII. — De upupæ natura. 50
Cap. LIII. — De olore vel cygno. 51
Cap. LIV. — De classe Salomonis et Josaphat. 51
Cap. LV. — De pavonis natura. 52
Cap. LVI. — De natura aquilæ. 53
Cap. LVII. — De ibide ave. 55
Cap. LVIII. — De fulica. 56
LIBER SECUNDUS. — *De naturis animalium.*
Prologus. 55
Cap. I. — De leone. 56
Cap. II. — De antula seu anto aut antelope animali. 57
Cap. III. — De onocentauro. 58
Cap. IV. — De herinaceo, seu hericio. 58
Cap. V. — De vulpe et ejus natura. 59
Cap. VI. — De monocerote sive unicorni animali. 59
Cap. VII. — De hydro et hydra. 60
Cap. VIII. — De crocodili natura. 60
Cap. IX. — De castoris natura. 61
Cap. X. — De hyæna. 61
Cap. XI. — De onagro. 62
Cap. XII. — De simiis. 62
Cap. XIII. — De capri natura. 63
Cap. XIV. — De cervorum natura. 64
Cap. XV. — De ibice. 64
Cap. XVI. — De stellione et salamandra. 65
Cap. XVII. — De cambus et eorum naturis. 65
Cap. XVIII. — De mustela et aspide 66
Cap. XIX. — De lapidibus igniferis. 66
Cap. XX. — De luporum natura. 67
Cap. XXI. — De viperæ natura. 68
Cap. XXII. —De serræ belluæ natura. 69
Cap. XXIII. — De pantheræ natura. 69
Cap. XXIV. — De dra one animantium maximo. 71
Cap. XXV. — De elephantis natura. 72
Cap. XXVI. — De elephantis natura iterum. 73
Cap. XXVII. — De pelicani natura. 74
Cap. XXVIII. — De lacerto, stellione et la erta. 74
Cap. XXIX. — De formicæ natura. 75
Cap. XXX. — De aspidis natura. 76
Cap. XXXI. — De charadrio seu charadro ave maritima. 77
Cap. XXXII. — De syrenarum seu syr num natura. 78
Cap. XXXIII. — De onoceotauro rursus. 78
Cap. XXXIV. — De adamantis virtute. 78
Cap. XXXV. — De coucha, seu concha margaritifera. 80
Cap. XXXVI. — De aspidochelone, bellua aquatica. 82
LIBER TERTIUS. 83
Cap. I. — De tigride. 83
Cap. II. — De pardo, et leopardo. 84
Cap. III. — De lynce. 84
Cap. IV. — De gryphe. 84
Cap. V. — De bonaso.

Cap. VI. — De urso. 85
Cap. VII. — De leucrocuta 85
Cap. VIII. — De manticora. 85
Cap. IX. — De tharaudo. 86
Cap. X. — De eale animali. 86
Cap. XI. — De cane et ejus natura. 86
Cap. XII. — De animalium in genere nominibus speciebus et proprietatibus. 88
Cap. XIII. — De ove. 88
Cap. XIV. — De vervece. 89
Cap. XV. — De agno. 89
Cap. XVI. — De hirco et hædo. 89
Cap. XVII. — De apro 89
Cap. XVIII. — De juvenco et tauro. 89
Cap. XIX. — De bove et uro, et similibus 90
Cap. XX. — De cameli natura. 90
Cap. XXI. — De dromedario. 91
Cap. XXII. — De asino et asello. 91
Cap. XXIII. — De equo et ejus natura. 91
Cap. XXIV. — De cato, seu musione. 93
Cap. XXV. — De mure et sorice. 93
Cap. XXVI. — De talpa. 94
Cap. XXVII. — De avibus in genere. 94
Cap. XXVIII. — De psittaco. 94
Cap. XXIX. — De halcyone. 95
Cap. XXX. — De cinnamulgo. 95
Cap. XXXI. — De hercinus avibus. 95
Cap. XXXII. — De pica et pico. 95
Cap. XXXIII. — De luscinia. 96
Cap. XXXIV. — De vespertilione. 96
Cap. XXXV. — De cornice et corvo iterum. 96
Cap. XXXVI. — De anate. 97
Cap. XXXVII. — De ovis et ex eis natis. 97
Cap. XXXVIII. — De apibus. 97
Cap. XXXIX. — De arbore quadam in India. 99
Cap. XL. — De serpentum generibus. 100
Cap. XLI. — De basilisco et sibilo. 100
Cap. XLII. — De ceraste. 100
Cap. XLIII. — De scitale. 101
Cap. XLIV. — De amphysibæna. 101
Cap. XLV. — De boa serpente iterum. 101
Cap. XLVI. — De Jaculo serpente. 101
Cap. XLVII. — De syrenis serpentibus. 101
Cap. XLVIII. — De sepe serpente. 101
Cap. XLIX. — De lacerto iterum et batracha. 101
Cap. L. — De dypsade serpente. 101
Cap. LI. — De saura. 102
Cap. LII. — De stellione iterum, et aliis serpentibus. 102
Cap. LIII. — De serpentum varia natura. 102
Cap. LIV. — De vermibus. 105
Cap. LV. — De piscium diversorum naturis 105
Cap. LVI. — De arboribus. 111
Cap. LVII. — De margaritarum inventione et procreatione. 115
Cap. LVIII. — De duodecim lapidibus pretiosis. 115
Cap. LIX. — De natura in communi, et de natura hominis rerum naturalium principis ultimo loco creati. 119
Cap. LX. — De hominis membris et partibus. 131
Cap. LXI. — De ætatibus hominis, et vocabulis earum, etiam usque ad mortem, et mortuos. 132
LIBER QUARTUS. — *De proprietatibus et epithetis rerum serie litteraria in ordinem redactis.*
Cap. I. — De his quibus prima littera est A. 135
Cap. II. — De his quibus B est prima littera. 138
Cap. III. — De his quibus C est prima littera. 139
Cap. IV. — De his quibus prima littera est D. 143
Cap. V. — De his quibus prima littera est E. 143
Cap. VI. — De his quibus prima littera est F. 145
Cap. VII. — De his quibus prima littera est G. 147
Cap. VIII. — De his quibus prima littera est H. 148
Cap. IX. — De his quibus prima littera est J. 149
Cap. X. — De his quibus prima littera est L. 150
Cap. XI. — De his quibus prima littera est M. 152
Cap. XII. — De his quibus prima littera est N. 153
Cap. XIII. — De his quibus prima littera est O. 154
Cap. XIV. — De his quibus prima littera est P. 155
Cap. XV. — De his quibus prima littera est Q. 158
Cap. XVI. — De his quibus prima littera est R. 158
Cap. XVII. — De his quibus prima littera est S. 159
Cap. XVIII. — De his quibus prima littera est T. 161
Cap. XIX. — De his quibus prima littera est V 163

DE ANIMA LIBRI QUATUOR.

LIBER PRIMUS. (Vide Patrologiæ tom. CLXXXIV, col. 485.)
LIBER SECUNDUS. (Vide Patrologiæ tom. XL, col. 779.)
LIBER TERTIUS. (Vide Patrologiæ tom. CLXXXIV, col. 507.) Ad quem addendum :
Cap. L. — Contemplatio super illud : « *Verbum caro factum est,* » quæ non habetur in aliis, et videtur novum opusculum. 165
LIBER QUARTUS. — *De erectione mentis ad Deum.*
Cap. I. — Quod sit nobis necessarium invocare Deum, et quid sit invocare illum. 171
Cap. II. — Quomodo Deus immotus in se manens det cuncta moveri ; cunctaque agat, aut coagat. 171
Cap. III. — De pia rursum Dei invocatione, et mentis per eam tranquillitate et gaudio, et de animæ Deum non quærentis miseria. 172
Cap. IV. — Orat quo Deum pro modulo mentis suæ capere possit, ut dilatetur domus animæ suæ e ectis desideriis pravis, et receptis bonis, meminitque quanta sit felicitas animæ in cœlum receptæ. 174
Cap. V. — Cœlestibus bonis perfrui, et terrenis malis erui desideranter orat, eaque commemorat. 175
Cap. VI — Amorem suum in Deum profitetur, ut eum crescere faciat, et causas amoris addit. 176
Cap. VII. — Spei et fiduciæ suæ, quo constantiores fiant, memorat causas et argumenta. 177
Cap. VIII. — De cœlestis gloriæ excellentia, et ejus contemplatione, et modo obtinendi eam. 178
Cap. IX. — Anima cur sit similitudine Dei prædita, et ad quantam ex ea re spem et fiduciam assurgere valeat, et de amoris animæ in Deum meritis. 179
Cap. X. — De requie tuta et firma in vulneribus, visceribus et morte Christi, quæ ab omnibus protegunt malis et insidiis. 181
Cap. XI. — Excitatur anima ad amandum Christum et se illi conformandum per amorem. 182
Cap. XII. — De vitæ nostræ reparatione per mortem Christi, et de laude charitatis ac de latitudine ejus. 183
Cap. XIII. — De interioris hominis custodia habenda per virtutes cardinales. 185
Cap. XIV. — De secundo nuntio qui est amor et desiderium æternæ vitæ, et de gaudiis et incolis cœli per eum enuntiatis. 186
Cap. XV. — De civium cœlestium communicatione, et exsultatione prima. 187
Cap. XVI. — De beatitudinibus animæ et ferculis vitæ æternæ, descriptioque virtutum per quas ad eas pervenitur. 189
Cap. XVII. — Descriptio quorumdam vitiorum religionem suffocantium, ut sunt crapula, ebrietas, etc. 189

EXCERPTIONUM ALLEGORICARUM LIBRI XXIV.

LIBER PRIMUS.

Prologus. Cap. I. — De conditione creaturæ rationalis. 193
Cap. II. — De tribus bonis primordialibus et duobus externis homini datis. 194
Cap. III. — De tribus malis principalibus. 193
Cap. IV. — De tribus remediis contra dicta tria mala. 195
Cap. V. — De tribus scientiis. 195
Cap. VI. — De philosophia et partibus ejus. 196
Cap. VII. — De theorica et partibus ejus. 197
Cap. VIII. — De mathematica et partibus ejus. 197
Cap. IX. — De arithmetica. 198
Cap. X. — De musica et partibus ejus. 198
Cap. XI. — De geometria et partibus ejus. 199
Cap. XII. — De astronomia et astrologia. 199
Cap. XIII. — De practica et partibus ejus. 199
Cap. XIV. — De mechanica et partibus ejus 200
Cap. XV. — De lanificio. 200
Cap. XVI. — De armatura. 200
Cap. XVII. — De navigatione. 200
Cap. XVIII. — De agricultura. 201
Cap. XIX. — De venatione. 201
Cap. XX. — De medicina. 201
Cap. XXI. — De theatrica. 201
Cap. XXII. — De logica et partibus ejus. 201
Cap. XXIII. — Quomodo legendæ sint artes. 202
Cap. XXIV. — De inventoribus artium. 202
Cap. XXV. — De magica et partibus ejus. 203
LIBER SECUNDUS.
Cap. I. — De materia mundanæ Scripturæ et divinæ. 203
Cap. II. — Quare tria visibilia mundi, tria invisibilia Dei demonstranda. 203
Cap. III. — De Scripturæ divinæ triplicimodo tractandi. 205
Cap. IV. — Quod scriptura mundana subserviat divinæ. 203
Cap. V. — De significatione vocum et rerum. 205
Cap. VI. — Quare Scriptura primum ponat opera conditionis. 206

Cap. VII. — De creatione mundi, et operibus sex dierum. 207
Cap. VIII. — De quatuor operibus Dei. 208
Cap. IX. — De duobus Testamentis. 208
Cap. X. — Unde dicatur Testamentum. 210
LIBER TERTIUS.
Cap. I. — De tribus partibus mundi. 209
Cap. II. — De Asia et partibus ejus. 209
Cap. III. — De Africa et partibus ejus. 212
Cap. IV. — De Europa et partibus ejus. 212
Cap. V. — De montibus in toto orbe insignibus. 213
Cap. VI. — De fluminibus in toto orbe insignibus. 214
Cap. VII. — De insulis mundi. 214
Cap. VIII. — De civitatibus et urbibus insignibus. 214
LIBER QUARTUS.
Cap. I. — Per quæ sequens currat narratio. 215
Cap. II. — Patriarcharum nomina. 215
Cap. III. — Judicum nomina. 215
Cap. IV. — Reges Jerusalem et Juda recensentur. 216
Cap. V. — Nomina pontificum. 216
Cap. VI. — Historia ab Adam usque ad Moysen. 216
Cap. VII. — Historia a Moyse usque ad Josue. 217
Cap. VIII. — Historia a Josue usque ad Saulem regem. 218
Cap. IX. — Historia a Saule usque ad Ezechiam. 219
Cap. X. — Historia ab Ezechia usque ad reditum de Babylonia. 221
Cap. XI. — Historia a Cyro usque ad Judam Machabæum. 222
Cap. XII. — Historia a Juda Machabæo usque ad Christum. 224
Cap. XIII. — De Herode et genere ejus. 225
LIBER QUINTUS.
Cap. I. — De regnis mundi. 225
Cap. II. — De regno Scytharum. 22.
Cap. III. — De regno Assyriorum. 227
Cap. IV. — De regno Medorum. 227
Cap. V. — De regno Persarum. 228
Cap. VI. — De regno Macedonum. 229
Cap. VII. — De regnis Syriæ. 231
Cap. VIII. — De regno Asiæ. 232
Cap. IX. — De regno Ægypti. 232
Cap. X. — De regno Ægyptiorum post Alexandrum magnum. 234
Cap. XI. — De regno Sycionorum. 234
Cap. XII. — De regno Argivorum. 235
Cap. XIII. — De regno Atheniensium. 235
Cap. XIV. — De regno Lacedæmoniorum. 235
Cap. XV. — De regno Corinthiorum. 236
Cap. XVI. — De regno Lydorum. 236
Cap. XVII. — De regno Parthorum. 236
Cap. XVIII. — De regno Numidiæ. 236
Cap. XIX. — De regno Babyloniæ. 237
Cap. XX. — De regno Latinorum. 237
Cap. XXI. — De Julio Cæsare primo imperatore Romano, et Pompeio Magno. 238
LIBER SEXTUS.
Cap. I. — De concordia præcedentium et sequentium. 239
Cap. II. — De Octaviano secundo monarcha et de nativitate Christi. 239
Cap. III. — De Claudio Tiberio Cæsare. 241
Cap. IV. — De Caio Caligula. 242
Cap. V. — De Claudio Caligulæ patruo. 243
Cap. VI. — De Nerone. 243
Cap. VII. — De Galba Cæsare 244
Cap. VIII. — De Othone. 244
Cap. IX. — De Vitellio. 244
Cap. X. — De Vespasiano et destructione Jerosolymorum. 245
Cap. XI. — De Tito Vespasiani filio. 247
Cap. XII. — De Domitiano. 248
Cap. XIII. — De Nerva. 248
LIBER SEPTIMUS.
Cap. I. — De Trajano Cæsare 247
Cap. II. — De Ælio Adriano. 247
Cap. III. — De Antonio Pio. 248
Cap. IV. — De Marco Aurelio, et Aurelio Commodo. 249
Cap. V. — De L. Aurelio Commodo 249
Cap. VI. — De Ælio Pertinace. 249
Cap. VII. — De Juliano. 249
Cap. VIII. — De Severo Cæsare. 249
Cap. IX. — De Aurelio Antonino Bassiano 250
Cap. X. — De Macro Macrino. 250
Cap. XI. — De Marco Aurelio Antonino. 250
Cap. XII. — De Alexandro Mammæa. 250
Cap. XIII. — De Maximo Julio. 250
Cap. XIV. — De Gordiano. 250
Cap. XV. — De Philippo qui et M. Julius, et ejus filio. 250
Cap. XVI. — De Decio. 250
Cap. XVII. — De Gallo Hostiliano, et Volusiano filio ejus, et Æmiliano tyranno. 251
Cap. XVIII. — De Valeriano, et Galieno. 251
Cap. XIX. — De Claudio et Quintilio. 251
Cap. XX. — De Aurelio, seu Aureliano, et Tacito, et Floriano imperatoribus. 252
Cap. XXI. — De Probo. 252
Cap. XXII. — De Caro Narbonensi, et Numeriano. 252
Cap. XXIII. — De Diocletiano et Maximiano imperatoribus. 254
LIBER OCTAVUS.
Cap. I. — De Constantino Magno. 255
Cap. II. — De Constantio, Constantino et Constante fratribus. 256
Cap. III. — De Juliano Apostata. 256
Cap. IV. — De Joviano. 257
Cap. V. — De Valentiniano Magno. 257
Cap. VI. — De Valente. 258
Cap. VII. — De Gratiano et Valentiniano. 259
Cap. VIII. — De Theodosio Magno. 260
Cap. IX. — De Arcadio et Honorio principibus. 261
Cap. X. — De Honorio et Theodosio juniori imperatoribus. 262
Cap. XI. — De Theodosio juniore et Valentiniano principibus. 252
Cap. XII. — De Martiano et Valentiniano imperatoribus. 263
Cap. XIII. — De Leone Magno. 263
Cap. XIV. — De Leone secundo, Basilico et Zenone. 264
LIBER NONUS.
Cap. I. — De Zenone. 263
Cap. II. — De Anastasio. 265
Cap. III. — De Justino Seniore. 265
Cap. IV. — De Justiniano Magno. 266
Cap. V. — De Justino Juniore. 267
Cap. VI. — De Tiberio imperatore. 268
Cap. VII. — De Mauritio imperatore ex Græcis primo apud Romanos. 268
Cap. VIII. — De Phoca. 269
Cap. IX. — De Heraclio. 269
Cap. X. — De Heracleona. 270
Cap. XI. — De Constante Constantini Heraclii filio. 270
Cap. XII. — De Constantino Constantis filio. 271
Cap. XIII. — De Justiniano. 271
Cap. XIV. — De Leontio imperatore. 272
Cap. XV. — De Absimaro seu Tiberio. 272
Cap. XVI. — Item de Justiniano restituto, et ejus sævitia. 272
Cap. XVII. — De Philippico Bardanio. 273
Cap. XVIII. — De Anastasio Arthemio. 273
Cap. XIX. — De Theodosio. 273
Cap. XX. — De Leone. 274
Cap. XXI. — De Constantino imperatore. 274
Cap. XXII. — De Leone. 275
Cap. XXIII. — De Constantino imperatore, et Irene matre ejus. 273
LIBER DECIMUS.
Cap. I. — De origine Francorum 275
Cap. II. — De gente Francorum, et de regibus eorum. 276
Cap. III. — De Clodoveo rege. 277
Cap. IV. — De filiis Clodovei. 278
Cap. V. — De filiis Clotarii, et quibusdam aliis regibus. 278
Cap. VI. — De regno Caroli Magni. 280
Cap. VII. — Quomodo Carolus Magnus factus est imperator. 282
Cap. VIII. — De imperio Caroli Magni. 282
Cap. IX. — De Ludovico pio, et quibusdam aliis regibus. 285
Cap. X. — De gente Northmannorum, et successoribus Caroli Simplicis. 284
(*De aliis libris vide notam ad calcem libri* x.) 285

DE UNIONE CORPORIS ET ANIMÆ.

Tractatus parvus. 285

APOLOGIA DE VERBO INCARNATO.

Auctore, ut videtur, Joanne Cornubiensi.

Objectiones variæ contra eos qui dicunt Christum non esse aliquid secundum quod est homo. 295

DE VERBO INCARNATO COLLATIONES TRES.

Col. I. — De triplici silentio, in quorum secundo agitur de incarnatione Verbi. 315
Col. II. — Quod Verbum, dum caro factum est, naturam

assumpsit, non personam, et quod una persona est assumens et assumptum. 318
Col. III. — De incarnatione Verbi, et mysterio ejus respectu nuntii et Virginis. 320

DE FILIA JEPHTHE.

Dissertatio. 323

SPECULUM DE MYSTERIIS ECCLESIÆ.

Prologus. 335
Cap. I. — De Ecclesia. 335
Cap. II. — De dedicatione Ecclesiæ. 338
Cap. III. — De officiis Horarum canonicarum. 340
Cap. IV. — De servitio totius anni. 347
Cap. V. — De ordinibus clericorum. 349
Cap. VI. — De vestimentis sacris. 352
Cap. VII. — De celebratione missæ. 356
Cap. VIII. — De occultis scripturarum Veteris et Novi Testamenti. 374
Cap. IX. — De materia divinæ Scripturæ. 376

DE CÆREMONIIS, ECCLESIASTICIS.

Auctore, ut videtur, Roberto Paululo.

Præfatio. 381
LIBER PRIMUS. — *De consecratione ecclesiæ et de sacramentis ecclesiasticis.*
Cap. I. — De trina circuitione episcopi cum aqua benedicta. 383
Cap. II. — De trino accessu episcopi ad ostium basilicæ. 384
Cap. III. — De scriptura duplicis alphabeti in pavimento. 385
Cap. IV. — Quid ingressus basilicam episcopus primo dicat et faciat. 385
Cap. V. — De aqua et sale et cinere permistis. 386
Cap. VI. — De crucibus aquæ in altari. 386
Cap. VII. — De septenaria circuitione episcopi circa altare. 386
Cap. VIII. — De residuo moltæ ad basim altaris recondendo. 387
Cap. IX. — De extersione altaris cum lineo panno. 387
Cap. X. — Quid significetur in unctione altaris. 387
Cap. XI. — Quid sit quod altare velaminibus albis cooperitur. 388
Cap. XII. — De sacramentis ecclesiasticis. 388
Cap. XIII. — De baptismo. 388
Cap. XIV. — De verbis rustice prolatis, et quare in aqua tantum fiat baptismus. 390
Cap. XV. — De responsione patrinorum pro puero.
Cap. XVI. — Quid in baptismo dimittatur. 390
Cap. XVII. — De die scrutinii. 391
Cap. XVIII. — De antecedentibus ante baptismum. 391
Cap. XIX. — De trina immersione et unctione Chrismatis. 392
Cap. XX. — De veste alba et communione parvulorum. 392
Cap. XXI. — Quod parvuli in ætate congrua patrinorum promissione tenentur. 393
Cap. XXII. — De confirmatione. 393
Cap. XXIII. — De pœnitentia. 393
Cap. XXIV. — Quare pœnitentia solemnis non iteretur. 394
Cap. XXV. — Qualiter sacerdos peccata dimittit. 394
Cap. XXVI. — De injuste communicato, utrum ligatus sit. 394
Cap. XXVII. — De unctione infirmorum. 396
Cap. XXVIII. — De conjugio. 396
Cap. XXIX. — De bonis conjugii. 397
Cap. XXX. — Quid faciat matrimonium. 397
Cap. XXXI. — Quæ impediant conjugium. 398
Cap. XXXII. — De ordinibus. 399
Cap. XXXIII. — De ostiariis. 400
Cap. XXXIV. — De lectoribus. 400
Cap. XXXV. — De exorcistis. 400
Cap. XXXVI. — De acolythis. 400
Cap. XXXVII. — De subdiaconibus. 400
Cap. XXXVIII. — De diaconibus. 400
Cap. XXXIX. — De presbyteris. 401
Cap. XL. — De episcopis. 401
Cap. XLI. — De archiepiscopis. 401
Cap. XLII. — De patriarchis et eorum locis. 402
Cap. XLIII. — De summo pontifice et officio ejus. 402
Cap. XLIV. — Quare episcopi die Dominica consecrentur. 403
Cap. XLV. — De veste sacerdotali, et primo de humerali seu amictu. 403
Cap. XLVI. — De alba. 403
Cap. XLVII. — De cingulo. 403
Cap. XLVIII. — De stola. 404
Cap. XLIX. — De subcingulo. 404
Cap. L. — De casula 404
Cap. LI. — De fanone. 404
Cap. LII. — De veste episcopali. 404
Cap. LIII. — De dalmatica. 404
Cap. LIV. — De sandaliis. 405
Cap. LV. — De mitra. 405
Cap. LVI. — De chirothecis 406
Cap. LVII. — De pallio archiepiscopali. 406
LIBER SECUNDUS. — *De ecclesiasticis officiis.*
Cap. I. — De Hora prima. 407
Cap. II. — Qualiter et ad quid preces fiant. 409
Cap. III. — De Tertia, Sexta et Nona. 410
Cap. IV. — Quando preces dicantur ad horas, quando taceantur, et quare. 410
Cap. V. — De officio vespertino. 411
Cap. VI. — Unde cœpit Antiphonarum usus. 412
Cap. VII. — De Completorio. 412
Cap. VIII. — De officio nocturnali 413
Cap. IX. — Quare hoc officium tres habeat distinctiones. 414
Cap. X. — De laudibus Matutinis. 415
Cap. XI. — De missa unde initium sumpsit et unde augmentum. 416
Cap. XII. — Quod missa tribus linguis celebratur et quare. 418
Cap. XIII. — Quæ ratio cantandi in celebratione missæ. 418
Cap. XIV. — De introitu et processione ministrorum. 419
Cap. XV. — De hymno Angelico. 420
Cap. XVI. — De Collecta et causa nominis hujus. 421
Cap. XVII. — De Epistola et causa hujus nominis. 421
Cap. XVIII. — De Graduali sive Responsorio, et causa utriusque nominis. 422
Cap. XIX. — De Alleluia et Pneumatum significatione. 422
Cap. XX. — De missione diaconi ad legendum Evangelium. 423
Cap. XXI. — De symbolo apostolorum, quando et quare cantandum sit. 424
Cap. XXII. — De offerenda et significatione Versuum ejus. 424
Cap. XXIII. — De oratione Secreta, et patena ferenda. 425
Cap. XXIV. — De præfatione. 425
Cap. XXV. — Summa sententiæ totius Canonis. 425
Cap. XXVI. — De significatione altaris exterioris. 427
Cap. XXVII. — De significatione altaris interioris. 428
Cap. XXVIII. — De propitiatorio mystice. 429
Cap. XXIX. — Canonis expositio. 430
Cap. XXX. — De mystico rationali. 430
Cap. XXXI. — Quod petat Actionis primæ oratio. 430
Cap. XXXII. — De Actione secunda. 431
Cap. XXXIII. — Quid petat oratio Actionis secundæ. 432
Cap. XXXIV. — De Actione tertia. 432
Cap. XXXV. — De oratione pro defunctis. 433
Cap. XXXVI. — De mystico superhumerali. 433
Cap. XXXVII. — De signis ultimis quid a reliquis differunt in causa. 434
Cap. XXXVIII. — De elevatione Sacramenti, quid significet. 435
Cap. XXXIX. — De oratione Dominica; quæ est oratio Actionis tertiæ. 435
Cap. XL. — Quare pax datur ante communionem. 437
Cap. XLI. — De communione. 437
LIBER TERTIUS. — *De specialibus missarum observationibus juxta temporum varietatem et causarum.*
Cap. I. — De officio missæ in jejuniis quatuor Temporum. 438
Cap. II. — Quare duæ lectiones legantur ad missam feria quarta; una, feria sexta; et quatuor in sabbato quatuor Temporum. 439
Cap. III. — De oratione super populum in quadragesimali tempore. 440
Cap. IV. — Quare in Adventu Domini cantica lætitiæ taceantur. 441
Cap. V. — Quare in Natali Domini ternæ missæ celebrentur. 441
Cap. VI. — Quare in festo beati Joannis Baptistæ missæ duæ in quibusdam Ecclesiis celebrentur. 442
Cap. VII. — De repetitione verborum in Versibus Offerendæ, « Vir erat. » 442
Cap. VIII. — Quare in festo Innocentium cantus lætitiæ taceatur. 442
Cap. IX. — Quare in Adventu et Quadragesima ministri altaris utantur casulis. 442
Cap. X. — De Septuagesima 443
Cap. XI. — De Sexagesima. 444

Cap. XII. — De Quinquagesima. 444
Cap. XIII. — De Quadragesima 445
Cap. XIV. — De Capite jejunii quadragesimalis. 445
Cap. XV. — Quare scrutinium quarta hebdomada celebretur et feria quarta. 446
Cap. XVI. — De officio Sabbati cui titulus : « Sabbato vacat. » 447
Cap. XVII. — De officio missæ in quarta feria post Dominicam Palmarum. 448
Cap. XVIII. — De officio feriæ quintæ ante Parasceven. 449
Cap. XIX. — Quare eadem die altaria denudentur. 450
Cap. XX. — De officio feriæ sextæ, et quare dicatur Parasceve, et quare altaria hac die aqua et vino laventur. 450
Cap. XXI. — Quid significet cereus nocte paschali ante baptismum erectus. 451
Cap. XXII. — De officio missæ in nocte paschali. 452
Cap. XXIII. — Quid significet novus ignis in cereo. 452
Cap. XXIV. — Quare tituli Lectionum hac die taceantur. 452
Cap. XXV. — Quare tripliciter litaniæ fiant. 452
Cap. XXVI. — Quod parvuli in fide Ecclesiæ salvantur. 453
Cap. XXVII. — Quare paschalis hebdomada in albis celebretur. 453
Cap. XXVIII. — Quare Introitus non cantatur ad missam Sabbato sancto. 453
XXIX. — Quare post Alleluia cantetur Tractus. 453
Cap. XXX — Quare ante Evangelium cerei non ferantur. 453
Cap. XXXI. — Quare in eadem missa « Agnus Dei » non cantetur. 454
Cap. XXXII. — De officio sancti Paschæ. 454
Cap. XXXIII. — Quare a Pascha usque ad Pentecosten non cantatur Responsorium. 454
Cap. XXXIV. — Quare in diebus jejunii « Alleluia » non cantetur ad missam. 454
Cap. XXXV. — Quare in Vigilia Pentecostes baptismus celebretur. 455
Cap. XXXVI. — De officio missarum infra hebdomadam Pentecostes. 456
Cap. XXXVII. — De officio missæ pro mortuis. 456

DE CANONE MYSTICI LIBAMINIS.

Auctore, ut videtur, Joanne Cornubiensi.

Cap. I. — De crucis Dominicæ virtute. 455
Cap. II. — De primo ordine Canonis. 459
Cap. III. — De tribus pro quibus oramus, et quæ petimus. 460
Cap. IV. — De secundo ordine Canonis. 461
Cap. V. — De tertio ordine Canonis. 462
Cap. VI. — De quarto ordine Canonis. 465
Cap. VII. — De quinto ordine Canonis. 465
Cap. VIII. — De sexto ordine Canonis. 465
Cap. IX. — De septimo ordine Canonis. 467
Cap. X. — De tribus ordinibus sanctorum in Canone positorum. 469

MISCELLANEA.

LIBER PRIMUS. — *Elucidationes variæ in Scripturam moraliter.*

Titulus I. — De eo quod spiritualis dijudicat omnia, et de judicio veri et boni. 469
Tit. II. — De cibo Emmanuelis, de quo scriptum est : « Butyrum et mel comedet, » etc. 477
Tit. III. — Apologus probans omne cor pronum esse ad commendationem sui et suorum. 481
Tit. IV. — De stulto qui ut « luna mutatur, » et de justo qui « vir unus » est. 481
Tit. V. — Quod in sensu bonum hominis non est. 481
Tit. VI. — De triplici pace. 482
Tit. VII. — De dignitate et libertate rationalis creaturæ. 482
Tit. VIII. — De triplici exercitatione; et quibus activa et contemplativa vitæ figurantur nominibus. 483
Tit. IX. — Quod elementum duobus modis dicitur. 483
Tit. X. — De trinitate universitatis. 483
Tit. XI. — Quod in originali peccato vitia tria, inobedientiæ duæ et peccatum unum fuerunt. 483
Tit. XII. — Quod Christus et sapientia a diversis variis quærantur modis. 484
Tit. XIII — Quod Deus in Scriptura homini foris loquitur per præceptiones, prohibitiones, promissiones et minationes. 484
Tit. XIV. — Quod Deus cum homine sit quatuor modis. 485
Tit. XV. — De progressionibus cognitionis. 485
Tit. XVI. — Quod animus quatuor modis agenda tractat. 485
Tit. XVII. — De dissimili operatione Dei. 486
Tit. XVIII. — De fide, quid sit, et quæ ad eam spectent. 486
Tit. XIX. — De charitate, fide et spe 488
Tit. XX. — De quatuor debitoribus. 488
Tit. XXI. — De impedimento cognitionis. 489
Tit. XXII — De tribus motibus in homine. 489
Tit. XXIII. — De instrumentis cognitionis. 490
Tit. XXIV. — De sensu hominis, carnali et spiritali. 490
Tit. XXV. — De divinis luminibus. 490
Tit. XXVI. — De conceptu et partu Sapientiæ. 491
Tit. XXVII. — De triplici genere aspirationum. 491
Tit. XXVIII. — De quinque jugis. 491
Tit. XXIX. — Quod Deo nihil inordinatum esse potest. 491
Tit. XXX. — Quod Deus non transmutatur. 491
Tit. XXXI. — De mysterio in forma cœli et terræ. 491
Tit. XXXII. — De serie temporum, et annorum ratione. 492
Tit. XXXIII. — De fructu et desiderio justitiæ. 492
Tit. XXXIV. — De sacramento corporis Christi. 492
Tit. XXXV. — De gloria et pœna corporis humani. 492
Tit. XXXVI. — Quod Moyses typus fuit Christi. 493
Tit. XXXVII. — Quod creatura non potest bene esse sine Creatore. 493
Tit. XXXVIII. — De divisione per iniquitatem, et unione per charitatem. 493
Tit. XXXIX. — De triplici operatione philosophiæ. 493
Tit. XL. — De triplici eruditione et duplici operatione spiritus. 493
Tit. XLI. — Quod prius pusillanimes fovendi sunt per consolationem ut surgant; postea terrore confirmandi per increpationem ne recidant. 494
Tit. XLII. — Quod pro temporalium abundantia non debet fraternitatis frangi concordia. 494
Tit. XLIII. — Quod virtus et veritas simul esse volunt. 494
Tit. XLIV. — De duplici amore et superædificatione. 495
Tit. XLV. — De carne jumento et spiritu sessore. 495
Tit. XLVI. — De occultis et manifestis hominis et homini. 495
Tit. XLVII. — De vita et morte, gaudio et dolore duplicibus. 495
Tit. XLVIII. — De duabus civitatibus et duobus populis et regibus. 496
Tit. XLIX. — De officio et potestate prælatorum. 497
Tit. L. — De tribus crucibus. 499
Tit. LI. — De duplici oleo, scilicet Dei et mundi. 500
Tit. LII. — De falsitate consolationis mundanæ. 500
Tit. LIII. — De quadruplici recordatione præteritorum malorum. 501
Tit. LIV. — Unde vitium originem trahat. 501
Tit. LV. — De variis viis hominis. 501
Tit. LVI. — De duabus viis in Evangelio. 502
Tit. LVII — De virtute et justitia. 502
Tit. LVIII. — De activa et passiva justitia. 502
Tit. LIX. — De lectulo et ferculo Salomonis. 503
Tit. LX. — De eisdem. 503
Tit. LXI. — De ferculo Salomonis et de curru Pharaonis. 503
Tit. LXII. — De ferculo et lectulo Salomonis. 504
Tit. LXIII. — De quatuor modis quibus notitia Dei manifestatur homini, seu de natura, gratia et Deo. 504
Tit. LXIV. — De superbia et humilitate. 505
Tit. LXV. — De triplici contemplatione et eruditione. 505
Tit. LXVI. — De tribus gradibus fidei. 505
Tit. LXVII. — Quod charitas nunquam excidit. 506
Tit. LXVIII. — Quare conscientiæ hominum velatæ sint. 506
Tit. LXIX. — De servitute et timore Dei. 506
Tit. LXX. — Quod bonus animus sit hortus voluptatis. 506
Tit. LXXI. — De conformitate Christi induenda. 507
Tit. LXXII. — De cognitione veri, quam sit naturalis. 507
Tit. LXXIII. — Cur Filius Dei rogat Patrem. 508
Tit. LXXIV. — De magna peccatoris respiratione, et dubiorum circa conscientiam decisione. 509
Tit. LXXV. — Quod sacra Scriptura sit cathedra. 510
Tit. LXXVI. — Quomodo sapientia vicit malitiam. 511
Tit. LXXVII. — De quinque statibus humanis. 511
Tit. LXXVIII. — De sex modis operandi. 512

Tit. LXXIX. — De fuga a vitiis et eorum occasionibus. 513
Tit. LXXX. — Quod non solum corde tenenda, sed et ore confitenda sit fides christiana. 516
Tit. LXXXI. — De eo quod scriptum est : « Cum esset Jesus annorum duodecim » quomodo Verbum caro factum nobis remedium præstat et exemplum. De Jerusalem quæ descendit de cœlo; de confessione et veritate, quæ de terra oritur, et quomodo prosit. 516
Tit. LXXXII. — De nuptiis factis in Cana Galilææ, et de hydriarum typo. 517
Tit. LXXXIII. — De theophania multiplici, et in quibus est præcipua divina apparitio. 518
Tit. LXXXIV. — De tribus voluntatibus in Christo. 518
Tit. LXXXV. — Quod Christus se hominibus in humanitate exhibuit, qui ab eis in divinitate non poterat comprehendi. 519
Tit. LXXXVI. — Quomodo Christus dixit : « Pater meus. » 519
Tit. LXXXVII. — Quare idem Deus, et homo. 519
Tit. LXXXVIII. — Mysterium de purificatione Mariæ. 520
Tit. LXXXIX. — De Dei, mulieris et diaboli de morte incurrenda, assertione. 520
Tit. XC. — De pœnitentia Dei et amore ejus in creaturas vario. 520
Tit. XCI. — « Exi de terra tua et de cognatione tua. » Sermo ad fratres. 521
Tit. XCII. — De duplici vita animæ. 523
Tit. XCIII. — De conscientia et fama. 524
Tit. XCIV. — De duplici vetustate. 524
Tit. XCV. — De tribus locis filiorum Israel, Ægypto, deserto, et terra promissionis. 524
Tit. XCVI. — De duobus discipulis currentibus ad monumentum Domini responsio epistolaris. 525
Tit. XCVII. — De duobus discipulis currentibus ad monumentum alia epistola. 527
Tit. XCVIII. — De Petri et Joannis dilectione. 528
Tit. XCIX. — De gratitudine beneficiorum Dei, et de judicio de se et de proximo faciendo. 529
Tit. C. — De apparitione Christi duobus discipulis euntibus in castellum quod dicitur Emmaus. 532
Tit. CI. — De Christo ove, et pastore bono. 532
Tit. CII. — De eo quod scriptum est : *Nisi ego abiero Paracletus non veniet ad vos.* 533
Tit. CIII. — De Spiritu Dei et spiritu mundi per quem consummata sunt omnia. 533
Tit. CIV. — De sacramento et re sacramenti pœnitentiæ. 533
Tit. CV. — De virtute pœnitentiæ. 535
Tit. CVI. — De tribus quæ sunt in pœnitentia. 536
Tit. CVII. — De sapientia in faciendo bono, et de patientia in tolerando malo. 536
Tit. CVIII. — Quomodo se debeat quisque Deo in cibum præparare. 537
Tit. CIX. — De fuga Eliæ a facie Jezabel. 538
Tit. CX. — De duobus nuntiis ad nos missis. 539
Tit. CXI. — De deserto quod est cor hominis; de virgula fumi, et de pigmentario et aromatibus. 539
Tit. CXII. — De tribus festis, virginum, confessorum et martyrum, et de bono confessionis. 540
Tit. CXIII. — De festis sanctorum recolendis. 540
Tit. CXIV. — Quod finis legis Christus est, et de bono finis. 541
Tit. CXV. — De duplici quiete et inquietudine. 542
Tit. CXVI. — De eo quod scriptum est : *Favus distillans labia mea.* 543
Tit. CXVII. — De duplici gloria veri Salomonis Christi, a patre et matre. 543
Tit. CXVIII. — Quod generalis prædicatio Deum deceat, particularis homines; atque ita quomodo Deus ubique est, et de argutiis dialecticis. 543
Tit. CXIX. — Quomodo debitores non sumus carni. 544
Tit. CXX. — De duplici et item triplici contemplatione Dei. 545
Tit. CXXI. — Quod anima hominem excruciat et exercet in hac vita. 546
Tit. CXXII. — Quod verbum Dei solum bonum est animæ. 546
Tit. CXXIII. — Quod scientia et cura dupliciter Deo attribuitur. 547
Tit. CXXIV. — De duabus partibus concupiscentiæ mundanæ. 547
Tit. CXXV. — De tribus gradibus abstinentiæ. 548
Tit. CXXVI. — Quod multi sola curiositate veritatem quærunt. 548
Tit. CXXVII. — De duplici superbia. 548
Tit. CXXVIII. — De duplici humilitate. 548
Tit. CXXIX. — Quid vere sit homo. 548
Tit. CXXX. — De tribus spiritibus. 549
Tit. CXXXI. — De dilectore et dilecto duplici. 549
Tit. CXXXII. — « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis. » 549
Tit. CXXXIII. — De mortis duabus portis. 549
Tit. CXXXIV. — Quomodo malus bono vivat, et quod esse bonum et in eo perseverare non sit ab homine. 550
Tit. CXXXV. — De duplici fine et medio. 550
Tit. CXXXVI. — De duplici judicio superborum. 550
Tit. CXXXVII. — Societatem vitæ præsentis instabilem esse, et separationem tristem. 550
Tit. CXXXVIII. — De laude compassionis. 550
Tit. CXXXIX. — Quare bestiæ crucientur quæ culpam non habent. 550
Tit. CXL. — Quomodo homo a Deo et a se recessit et quomodo redit. 551
Tit. CXLI. — Quod homo se et sua male diligit. 551
Tit. CXLII. — De itinere trium dierum et trium noctium; et de accessu ad Deum et recessu ab eo. 551
Tit. CXLIII. — Quomodo Deus dicitur cibus per cognitionem, et potus per dilectionem. 552
Tit. CXLIV. — De trina refectione animæ. 552
Tit. CXLV. — Quæ Dei sunt incomparabilia esse 552
Tit. CXLVI. — Quod et sua et aliena ordinat Deus. 552
Tit. CXLVII. — Quomodo septem modis suscepit Deus homines. 553
Tit. CXLVIII. — De exercitationibus et profectibus hominum. 553
Tit. CXLIX. — De triplici fructu lectionis. 553
Tit. CL. — De duplici fructu jejunii, laboris et orationis. 555
Tit. CLI. — Quare damnentur qui non peccaverunt. 555
Tit. CLII. — Quomodo sapientia vincit malitiam. 555
Tit. CLIII. — De dispensatione. 555
Tit. CLIV. — Quod Deus prius temporale esse dat, et postea æternum. 555
Tit. CLV. — Quod Scriptura aliquando ostendit, et aliquando tribuit mores bonos et virtutem. 555
Tit. CLVI. — De duplici perfectione charitatis. 556
Tit. CLVII. — De terrore et blandimento Dei. 556
Tit. CLVIII. — Quid significet quod scriptum est : « Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens. » 556
Tit. CLIX. — De Filii Dei generatione æterna. 558
Tit. CLX. — De tribus quæ sunt in sermone Dei. 558
Tit. CLXI. — De duplici cibo et potu Scripturarum. 558
Tit. CLXII. — De duplici sensu animæ, de intelligentia et sapientia 559
Tit. CLXIII. — De duplici permissione et prohibitione divina. 559
Tit. CLXIV. — Quod Deus tribus modis cor emollit. 559
Tit. CLXV. — De libertate et servitute charitatis. 560
Tit. CLXVI. — De illo Pauli : *Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* 561
Tit. CLXVII. — De essentia et forma animæ. 561
Tit. CLXVIII. — De triplici acceptione naturæ. 561
Tit. CLXIX. — Quod Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. 561
Tit. CLXX. — De eo quod scriptum est : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » 563
Tit. CLXXI. — Quod amor Dei sit vita cordis. 563
Tit. CLXXII. — Duobus modis humilitatem impugnari. 565
Tit. CLXXIII. — De naturis ignis et speciebus. 567
Tit. CLXXIV. — De ratione et sensualitate animæ. 572
Tit. CLXXV. — Descriptiones temporis et liberi arbitrii. 574
Tit. CLXXVI. — Quod is solus laudabiliter in alio peccatum ulciscitur qui ad consensum peccati non inclinatur. 574
Tit. CLXXVII. — Mystica descriptio naturæ cervæ. 574
Tit. CLXXVIII. — De quadruplici sanorum et ægrotorum differentia. 575
Tit. CLXXIX. — De eo quod scriptum est : « Sequuntur Agnum quocunque ierit. » 576
Tit. CLXXX. — De triplici compassione. 577
Tit. CLXXXI. — Mysterium de numero procedentium ad pugnam cum Gedeone. 579
Tit. CLXXXII. — Quid est quod quieverit terra quadraginta annis post peccatum Gedeonis. 580
Tit. CLXXXIII. — Quid propter præscientiam et prædestinationem Dei clamant quotidie perversi. 580
Tit. CLXXXIV. — De sapientia Dei et hominis, et quod sit duplex, superior et inferior. 580
Tit. CLXXXV. — De obedientia, quibus sit præstanda. 581
Tit. CLXXXVI. — De bono summo et non summo, et

de multiplici malo, peccato et delicto. 582
Tit. CLXXXVII. — De duobus denariis. 584
Tit. CLXXXVIII. — De eo qui malum vel bonum malo facit, et postea pœnitentiam agit. 584
Tit. CLXXXIX. — De naturæ hominis comprobatione. 584
Tit. CXC. — De egressu et regressu Sapientiæ. 584
Tit. CXCI. — Cur Deus dictus Pater luminum. 584
Tit. CXCII. — Quomodo Sapientia parturiebatur. 585
Tit. CXCIII. — De quatuor timoribus. 585
Tit. CXCIV. — De tribus generibus hominum circa conflictum cum vitiis. 585
Tit. CXCV. — De tribus tyrannis. 585
Tit. CXCVI. — De corde et delectatione, et cogitationibus. 586
Tit. CXCVII. — De sapientia Dei et mundi. 586
Tit. CXCVIII. — De trina refectione animæ. 587
Tit. CXCIX. — De contemptu mundi inducendo. 587
Tit. CC. — Solutio quatuor quæstionum. 588
LIBER SECUNDUS.
Cap. I. — De fabrica cathedræ pestilentiæ, et quæ eam concernunt. 589
Cap. II. — De habentibus legem in corde, non cor in lege. 590
Cap. III. — De quatuor generibus hominum judicio Dei obnoxiorum. 590
Cap. IV. — De æterna Christi generatione. 590
Cap. V. — Quod ex natura homo ad imaginem Dei creatus sit : ex sola autem gratia in Domino lætari possit. 590
Cap. VI. — Quod duobus modis Deus hominem perdit. 590
Cap. VII. — Quod hic expelli debet peccatum per confessionem; ne in judicium compellatur ad confusionem. 590
Cap. VIII. — De causa litis inter Deum, hominem et Diabolum. 591
Cap. IX. — Quomodo Deus dextrum et sinistrum oculos habere dicatur. 592
Cap. X. — Quod locutio sit in voce et opere. 593
Cap. XI — Qui sint timorem Dei habentes, et Christo credentes, et quomodo via pacis Christus cognoscatur. 593
Cap. XII. — Quid Deus homo factus invenerit in mundo quod suum esset; et quid, quod Diaboli; et quomodo uterque pro jure suo certaverit. 596
Cap. XIII. — Quid sit providere Dominum in conspectu suo semper. 597
Cap. XIV. — Quibus et quando Dominus et diabolus a dextris et a sinistris sint. 597
Cap. XV. — Lætitia impleri ubi detur. 598
Cap. XVI. — Dextera et sinistra Dei quæ sint, et ubi delectatio usque in finem. 598
Cap. XVII. — De tribus orantium generibus. 598
Cap. XVIII. — De examine bonorum et malorum, sed non mediocrium. 598
Cap. XIX. — De viis duris hujus vitæ, et qui eas custodiunt propter verba labiorum Dei. 599
Cap. XX. — De viis, et semitis Dei. 599
Cap. XXI. — Dextera Dei quæ sit, et qui ei resistant : et quomodo ab eis custodiri cupiat justus. 599
Cap. XXII. — Quæ sint alæ Dei, sub quibus protegamur. 600
Cap. XXIII. — Faciem et latus currenti opponere, quid sit. 600
Cap. XXIV. — Prævenire, et supplantare quid sint. 600
Cap. XXV. — Quod framea sit Christi anima; quæ partem ab inferno abscidit. 601
Cap. XXVI. — Quomodo Deus noster sit Liberator noster, etc. 601
Cap. XXVII. — Dolores et laquei mortis, et inferni, et torrentes iniquitatis qui sint. 601
Cap. XXVIII. — Salus humana et divina quomodo homini impertiatur. 602
Cap. XXIX. — Dextera et sinistra Dei quos suscipiat. 602
Cap. XXX. — De fine bono et malo, et de disciplina Dei in finem corrigente. 602
Cap. XXXI. — Quid subtus, et quid supra nos; et cujus vestigia non infirmentur. 603
Cap. XXXII. — Quid sint inimici spirituales, et quomodo eos persequamur. 604
Cap. XXXIII. — De timore servili et custodia legis divinæ et delectatione vana. De terra, firmamento et variis, et de humilitate. 604
Cap. XXXIV. — Misericordiam et veritatem Dei pœnitentibus esse necessariam. 606
Cap. XXXV. — De agnitione et dilectione veritatis. 607
Cap. XXXVI. — De tabernaculo Dei. 607
Cap. XXXVII. — Deum fortitudinem et refugium esse pugnantium. 607
Cap. XXXVIII. — De vanitate rerum temporalium. 607
Cap. XXXIX. — Reprobatio luxuriæ, avaritiæ, et superbiæ. 607
Cap. XL. — Occultos justorum inimicos in judicium reservari, manifestos in hac vita etiam aliquando puniri. 608
Cap. XLI. — De armis sapientiæ et scuto patientiæ. 608
Cap. XLII. — De manifestis et occultis diaboli insidiis. 608
Cap. XLIII. — Quod temporalis malorum prosperitas, electis testimonium est æternæ felicitatis. 609
Cap. XLIV. — Quod occulta est interim bonorum justitia donec educatur judicanda de præmio. 609
Cap. XLV. — De utili subjectione erga Deum, et ipsius recta exspectatione. 609
Cap. XLVI. — De quatuor hominum generibus, quantum ad vulnera, et cicatrices; de vera sapientia et præteritorum memoria. 610
Cap. XLVII. — De duplici hominum vanitate. 613
Cap. XLVIII. — Quia dies hominis brevis, mala et incerta est. 613
Cap. XLIX. — De mirabilium Dei multitudine et profunditate. 613
Cap. L. — De curiosi et suspiciosi malo. 613
Cap. LI. — Quod fontium nomine summum bonum significetur; idque maxime sit desiderabile. 614
Cap. LII. — De judicio secundum causam, et secundum retributionem. 618
Cap. LIII. — Quas semitas declinaverit Dominus. 619
Cap. LIV. — De pulvere cogitationum, et terra desideriorum inutilium. 619
Cap. LV. — De forma, gratia, et benedictione a Deo, ad hoc, et propter hoc. 619
Cap. LVI. — Quomodo Deus mentem beatam sibi per pacem, et amorem conjunctam adjuvet, et quando. 620
Cap. LVII. — Quæ sint opera Domini nobis videnda et prodigia quæ posuit super terram. 620
Cap. LVIII. — Qualiter orandum sit pro remissione peccatorum a Deo obtinenda, ad imitationem David. 621
Cap. LIX. — Quod Deus in sanctis, id est intus plus quam foris, mirabilis sit. 622
Cap. LX. — Quod adhærere Deo, et ponere spem in eo semper bonum sit. 622
Cap. LXI. — De tribus malis, quibus homo affligitur, et quatuor bonis quibus consolatur. 623
Cap. LXII. — De quadruplici pace quam diversis loquitur Dominus. 625
Cap. LXIII. — Misericordia et veritas, qua disceptatione sibi mutuo obviam venerint, et justitia et pax se osculatæ sint. 625
Cap. LXIV. — De confessione duplici, et quod Dominus mitis est et suavis. 625
Cap. LXV. — De spirituali cithara. 626
Cap. LXVI. — De fidei operatione, et retributione bonorum. 627
Cap. LXVII. — De duabus scholis virtutis et veritatis, et duplici genere discentium; et quod omnes cupiant esse beati, et pauci studeant esse immaculati. 627
Cap. LXVIII. — De nominibus præceptorum Dei. 628
Cap. LXIX. — De tribus viis. 628
Cap. LXX. — De his qui in lege Domini ambulant, qui stant, qui ab ea declinant. 628
Cap. LXXI. — De directione cordis humani. 628
Cap. LXXII. — Qui Deum ex toto corde exquirant, et quid sit Deum exquirere, et quomodo sit exquirendus; et quomodo quis repellatur a mandatis Dei. 629
Cap. LXXIII. — Abscondenda quomodo sint eloquia Domini. 629
Cap. LXXIV. — Quod justificationes fiant propter opera. 630
Cap. LXXV. — Loquendi quæ sint impedimenta et quæ judicia cordis et oris. Item de quatuor quibus judicia fiant. 630
Cap. LXXVI. — Quis in mandatis Dei exerceatur. 630
Cap. LXXVII. — De multiplici via Dei, et qui eam considerent. 631
Cap. LXXVIII. — Quomodo dicat dulcia Domini eloquia faucibus suis; utrum ea manducando; et si sic cibus sunt, qualis ergo cibus. 631
Cap. LXXIX. — Quomodo Christus sit nobis lucerna. 632
Cap. LXXX — Oculi bonorum quomodo sint ad Dominum. 632
Cap. LXXXI. — Bonum et jucundum simul quod sit. 632
Cap. LXXXII. — Quare Dominus judicium suum in finem

servavit. 633
LIBER TERTIUS. — *Adnotationes in Scripturam, sermones, sermonum fragmenta.*
CAP. I. — De consequentibus sacramentum baptismatis. 633
CAP. II. — De totius mali circumcisione, et de triplici cibo Israelitis dato. 634
CAP. III. — De tubis sacræ Scripturæ, et quod ejus attenta lectio mundi pariat contemptum. 634
CAP. IV. — De altari ex lapidibus constructo, et Deuteronomio in eis scripto. 636
CAP. V. — De Chananæi triplici statu. 636
CAP. VI. — Judicem Ecclesiæ non semper gladio, id est austeritate, sed interdum parte aratri, id est lenitate, in subditos uti decere. 637
CAP. VII. — De Madianitarum expugnatione, et de vellere Gedeonis. 637
CAP. VIII. — De trecentis qui bibentes aquam fluvialem non curvaverunt genua. 638
CAP. IX. — De septemplici lepra superbiæ humanæ. 639
CAP. X. — De septemplici humilitate Christi. 639
CAP. XI. — De ægrotatione Ezechiæ regis et ejus curatione morali. 640
CAP. XII. — De missione ad Sehon, id est diabolum, et qui sint filii ejus, et quæ sit via regia per quam nobis transeundum. 641
CAP. XIII. — De quadruplici luctu et supplantatione Jacob. 641
CAP. XIV. — De altari æneo, et oblatis super ipsum. 643
CAP. XV. — Quod sacerdotum Domini pars sit Dominus. 643
CAP. XVI. — De veste non mutanda, et moribus non simulandis per hypocrisim. 643
CAP. XVII. — Testimonia tria sanctorum in confirmationem fidei. 643
CAP. XVIII. — De duplici circumcisione necessaria iis qui canticum novum Domino cantare volunt. 643
CAP. XIX. — De Ziphæis David Sauli prodere conantibus, sicut electos morti conatur diabolus. 644
CAP. XX. — De obsidione et expugnatione quadruplici Jerusalem moraliter. 645
CAP. XXI. — De perfecta civitate et ei necessariis. 645
CAP. XXII. — De multiplici visione. 646
CAP. XXIII. — De tribus hostibus, et de tribus apud Salomonem difficilibus. 647
CAP. XXIV. — De septem sceleribus seu peccatis. 647
CAP. XXV. — Unus quis dicendus et quis plures. 647
CAP. XXVI. — De quatuor hominum ordinibus, et de triplici mundi loco. 648
CAP. XXVII. — De tribus contemplativorum ordinibus, et de triplici terra scalæ Jacob. 649
CAP. XXVIII. — De sacerdotibus et prælatis, et triplici eorum officio. 650
CAP. XXIX. — De iis quæ traxerunt Christum ad nos et de nostra duritia. 651
CAP. XXX. — De tribus sanctis, Deo, homine et loco, et de triplici sanctificatione. 651
CAP. XXXI. — De triplici labore et tribus laborantibus et tribus crucibus. 652
CAP. XXXII. — De triplici confessione, tribus nominibus Jerusalem, et tribus diebus vivificationis. 653
CAP. XXXIII. — De quadripartita locutione Dei, et responsione ad eam. 654
CAP. XXXIV. — De triplici adventu Domini. 655
CAP. XXXV. — De tribus linguis hominum. 655
CAP. XXXVI. — De virga et flore moraliter. 656
CAP. XXXVII. — De pastoribus et eorum officio. 657
CAP. XXXVIII. — De duobus capreæ hinnulis, tribus umbris, et variis diebus. 658
CAP. XXXIX. — De auro, Thure et myrrha. 659
CAP. XL. — De meditanda morte, et de bene agendo. 660
CAP. XLI. — De triplici apertione cordis, sextuplici mandato, et triplici bello ac pace. 661
CAP. XLII. — De benignitate et severitate Dei erga peccatorem. 662
CAP. XLIII. — De tribus bonis hominis, et tribus flagellis Dei. 662
CAP. XLIV. — De signaculo Dei nobis impresso. 662
CAP. XLV. — De septem rivis peccatorum exeuntibus a primis parentibus. 663
CAP. XLVI. — De concordi religiosorum cohabitatione quam sit diabolo formidolosa. 665
CAP. XLVII. — De quadruplici languore unde nos liberavit Christus. 665
CAP. XLVIII. — De quadruplici statu hominis. 666
CAP. XLIX. — De tribus mansionibus Ægypti. 667
CAP. L. — De triplici locutione Dei. 669
CAP. LI. — De ascensionis cordis ad Deum gradibus. 669
CAP. LII. — Sabbata quæ deridentur. 670
CAP. LIII. — Quid sit: « Pones eos ut clibanum ignis. » 670
CAP. LIV. — De nominis Jerusalem interpretatione quadruplici. 670
CAP. LV. — De nominibus filiarum Dei et diaboli. 671
CAP. LVI. — De expositione sacræ Scripturæ. 672
CAP. LVII. — Primogenita diversis modis esse Dei et sacerdotum. 672
CAP. LVIII. — De Levitarum purificatione et officiis in typum cleri Christiani. 672
CAP. LIX. — De bove et asino, id est stolido et rustico cum ceciderint sublevandis. 673
CAP. LX. — De diligentibus et timentibus Deum, et de confitentibus Deo 673
CAP. LXI. — De triplici cella in quam introducimur. 673
CAP. LXII. — Rursus de interpretatione Jerusalem. 674
CAP. LXIII. — De custodia viæ hominis in locutione, et de non divulgandis mysteriis. 674
CAP. LXIV. — Butyrum et mel comedet. 675
CAP. LXV. — De quinque civitatibus Ægypti loquentibus lingua Chananæa. 675
CAP. LXVI. — Quomodo loquatur Deus ad cor hominis. 675
CAP. LXVII. — De novissimis et antiquis ad verbi Incarnationem applicatis. 675
CAP. LXVIII. — De dimidiantibus dies suos et non dimidiantibus, et de loco mortis eorum. 676
CAP. LXIX. — De duabus tubis argenteis et earum usu ad Petrum et Paulum applicatis. 676
CAP. LXX. — De duplici labore, sæculi scilicet et Dei, et utroque triplici. 677
CAP. LXXI. — De fine qui consumit et consummat. Et de mandato quod Latum est nimis. 677
CAP. LXXII. — De triplici statu in corpore quem habet anima diligens Deum. 677
CAP. LXXIII. — De triplici benedictione, duplici manu, et utriusque digitis, et de obedientia triplici. 678
CAP. LXXIV. — De præmiis arefactæ et mortificatæ carnis per religiosam obedientiam. 679
CAP. LXXV. — Quomodo Deus exaltetur in nobis, et de altitudine cordis nostri. 681
CAP. LXXVI. — De triplici disciplina. 681
CAP. LXXVII. — De quatuor agonibus Christianorum. 681
CAP. LXXVIII. — De ira, facie et præsentia Dei; de fumo, flamma, carbonibus. 682
CAP. LXXIX. — De triplici loco Dei. 683
CAP. LXXX. — De fonte patente et occulto, Christo scilicet Domino nostro. 683
CAP. LXXXI. — De humiliatione triplici. 684
CAP. LXXXII. — De turpi mutatione hominis. 684
CAP. LXXXIII. — De claustri agro, in quo sunt uvæ rosæ, lilia, etc. 685
CAP. LXXXIV. — De virore calami et junci. 685
CAP. LXXXV. — Quod dulcedo hominis vermes sint. 685
CAP. LXXXVI. — Oleum de capite non deficere. 686
CAP. LXXXVII. — Ut speciem suam visitet quisque. 686
CAP. LXXXVIII. — Quid sit sacerdotes caput non radere, nec comam nutrire. 686
CAP. LXXXIX. — De sacculo pertuso et integro, 686
CAP. XC. — Oculi sapientis in capite ejus. 686
CAP. XCI. — De abscondente frumenta. 687
CAP. XCII. — De proximi vitiis perimendis. 687
CAP. XCIII. — De adulatione perniciosa. 687
CAP. XCIV. — De divitiarum contemptu. 688
CAP. XCV. — Quod justus ut palma floreat. 687
CAP. XCVI. — De triplici habitatione Dei. 688
CAP. XCVII. — De igni in altari semper ardente. 688
CAP. XCVIII. — De pane subcinericio. 688
CAP. XCIX. — De sententiæ supremi judicii ad parturientem comparatione. 689
CAP. C. — Descendere in infernum cum armis. 689
CAP. CI. — Ferro pœnam duram, sed transitoriam, ære signari æternam. 689
CAP. CII. — Necessaria hujus vitæ non esse abominanda. 689
CAP. CIII. — Una trutina nos et proximos metiamur, 689
CAP. CIV. — Disputare a cedro ad hyssopum. 689
CAP. CV. — De absconsione Eliæ in Carith. 690
CAP. CVI. — De spiritu triplici quem ab Elia petiit Eli-

sæus, et de largitate Christi. 690
CAP. CVII. — Quid sit a canibus et avibus comedi. 690
CAP. CVIII. — De filio viduæ ab Elisæo suscitato. 691
CAP. CIX. — De mysterio altaris ab Elia constructi et actorum ab eo circa ipsum. 691
CAP. CX. — De Incarnatione Verbi figurata per vas novum in quod Elisæus salem misit 692
CAP. CXI — De prælatorum in sagittandis et perimendis vitiis officio. 692
CAP. CXII. — De patientia in adversis monstranda. 693
CAP. CXIII. — De duplici pace. 693
CAP. CXIV. — De peccatoris captione et excæcatione. 693
CAP. CXV. — De hypocrisi et simulatione virtutis. 693
CAP. CXVI. — De murmure vitando et concordia servanda in claustris. 693
CAP. CXVII. — De Ecclesiæ ad vitem comparatione. 694
CAP. CXVIII. — De Noe et Christo a suis irrisis. 694
CAP. CXIX — De Christo et fide ejus in David per stragem Goliæ et arma ejus figuratis. 694
CAP. CXX. — De rubo quem vidit Moyses incombustum. 695
CAP. CXXI. — De ferculo Salomonis. 696
CAP. CXXII. — De mutatione vestis sacerdotalis. 696
CAP. CXXIII. — Tintinnabula cur pendebant olim ad vestem sacerdotis. 696
CAP. CXXIV. — De aqua spirituali et naturali. 697
CAP. CXXV. — De reginis, concubinis, et adolescentulis mysteriis veri Salomonis. 697
CAP. CXXVI. — Cum angelo luctari Jacob. 697
CAP. CXXVII. — Pœnitentiam agere in cinere et cilicio. 698
CAP. CXXVIII — De malarum cogitationum et peccatorum ortu et defensione. 698
CAP. CXXIX. — De triplici osculo. 699
CAP. CXXX. — De laude et utilitate psalmodiæ. 700
LIBER QUARTUS. — *Sermones, sermonum fragmenta, epistolæ, etc.*
CAP. I. — De Annuntiatione et incarnatione Verbi; de paradiso spirituali et quæ in eo sunt. 699
CAP. II. — De Scripturæ statura, altitudine, et aspectu horribili. 703
CAP. III. — De lamentationibus, carmine, et væ in libro Ezechielis scriptis. 703
CAP. IV. — De arcæ Noe ad Ecclesiam comparatione. 704
CAP. V. — Cur candelabro comparetur Christus. 704
CAP. VI. — Quomodo Gedeon pœnitentis typum gesserit. 705
CAP. VII. — Quomodo Job pœnitentem figuret. 705
CAP. VIII. — De cæcitate qua percutiuntur iniqui. 705
CAP. IX — De pœnitentia in vaccæ immolatione. 705
CAP. X. — De mentis nostræ custodia per custodiam Isboseth figurata. 706
CAP. XI. — Quomodo boves maris ænei sustinentes; sacerdotes pastores significent. 706
CAP. XII. — Quod per pœnitentiam in unitate fidei servabitur peccator. 706
CAP. XIII. — De Ecclesiæ doctoribus per vectes signatis. 706
CAP. XIV. — De virtute eloquii per citharam. 707
CAP. XV. — Quod vita sæcularium bene viventium, licet non sit excellens, est tamen secura. 707
CAP. XVI. — Quomodo nobis sit facies per humilitatem velanda exemplo Eliæ. 707
CAP. XVII. — Quod avaritia apud Deum et sanctam Ecclesiam non sit quærenda. 707
CAP. XVIII. — Sal discretionis, non mel adulationis nec voluptatis esse sacris adhibendum. 708
CAP. XIX. — De schismate vitando. 708
CAP. XX. — De superfluitate verborum et rerum vitanda. 708
CAP. XXI. — Quomodo sol justitiæ ad auxilium bonorum nunc quoque stet. Et quod dæmones in morte magis sint molesti. 708
CAP. XXII. — Quam aquam sapientiæ auferre conentur dæmones. 708
CAP. XXIII. — De consilio dando et pede figendo. 708
CAP. XXIV. — De egressu animæ a Deo, et de revocatione ejus ad eumdem. 709
CAP. XXV. — Quid sit affligi in palea, luto et latere; et Pharaoni civitates construere. 709
CAP. XXVI. — De primis, mediis et novissimis. 709
CAP. XXVII. — Quid sit in spelunca duplici sepeliri. 710
CAP. XXVIII. — Quid sit ab Jezabel ad speluncam fugere, et Dominum in spiritu len. agnoscere. 710
CAP. XXIX. — Quomodo melior sit iniquitas viri quam mulier benefaciens. 711
CAP. XXX. — De fuga quam suadet nobis Scriptura; et de pane quem ministrat. 712
CAP. XXXI. — De triplici basi in Scriptura; et de Samsone ejusque ænigmate. 713
CAP. XXXII. — De Cæsarie Absalonis. 714
CAP. XXXIII. — De bonis bonorum cum Domino natis et terriculis malorum. 714
CAP. XXXIV. — De unguento descendente a Christo in oram, id est, in electos. 714
CAP. XXXV. — De puero nato et oppresso, moraliter ad simulatam religionem applicito. 714
CAP. XXXVI. — De dæmonum et vanarum cogitationum a sacrificio mentis abactione. 715
CAP. XXXVII. — De rationis et sensualitatis officiis in figura Abrahæ et Saræ. 715
CAP. XXXVIII. — De lignis frustra quærentibus sibi regem et de malis monachis præsidem. 716
CAP. XXXIX. — Quod Christus sit ros et pluvia, cœlum Trinitas beata, nubes prophetæ. 716
CAP. XL. — Quomodo ad Deum redeant compuncti, mendici, devoti et contemplativi. 717
CAP. XLI. — De officio Moysi, id est legislatoris; Aaron id est sacerdotis; et Samuelis, id est prophetæ applicando monachis. 718
CAP. XLII. — De septem fluminibus Ægypti, id est vitiis mundi, et de musca, id est anima illis infecta, et de sibilo Dei quo ab illis avellitur. Et de ape, id est hypocrita, etiam a Deo abacta; et de duplici terra. 719
CAP. XLIII. — Quæ servi, quæ mercenarii, et quæ filii afferre debeant Deo. 721
CAP. XLIV. — Quid sit adorare in atrio Domini. 722
CAP. XLV. — De cedris Libani confractis in bono religioso, et duplici vitulo. 722
CAP. XLVI. — De duplici igni, et multiplici puritate per tres pueros figurata. 724
CAP. XLVII. — De proprietatibus cervi imitandis 724
CAP. XLVIII — Quæ a dextris et quæ a sinistris Dei stent, et quid sit charitatis varietate vestiri. 725
CAP. XLIX. — De opprobrio et contemptu. 726
CAP. L. — De extremo terræ unde producuntur nubes, fulgura, pluviæ. 726
CAP. LI. — De primogenitis Ægypti. 726
CAP. LII. — De vulva, uberis et uberibus. 726
CAP. LIII. — De uberibus sponso attributis. 727
CAP. LIV. —De gratiarum actione pudica et mera ad Deum ut ad fontem unde omnia bona, referenda. 727
CAP. LV. — De funiculo triplici. 728
CAP. LVI. — Oratio funebris et lamentatio de morte prudentis amici et religiosi. 728
CAP. LVII. — De venatore et laqueo animarum, et de verbo aspero ad monachos. 729
CAP. LVIII. — De quatuor generibus ovium, et de caula earum ac carnis custodia quadruplici 730
CAP. LIX. — De panibus Salomonis, et duplici amore, pravo et bono. 730
CAP. LX. — De triplici unguento bonorum. 731
CAP. LXI. — De quatuor unguentis in quorum odore currit sponsa. 732
CAP. LXII. — De quadruplici Dei in nos beneficio, illuminationis, justificationis, doctrinæ et redemptionis. 732
CAP. LXIII. — De tribus sagittis expetendis. 733
CAP. LXIV. — De quatuor tentationibus conversi ad Dominum. 733
CAP. LXV. — De duplici impetu spiritus et carnis. 734
CAP. LXVI. — De tribus filiabus Job. 734
CAP. LXVII. — De ostio et fenestris arcæ Noe. 735
CAP. LXVIII. — De quatuor modis exeundi per operationem et totidem per cogitationem. 735
CAP. LXIX. — De duabus zonis in Veteri Testamento. 736
CAP. LXX. — De quatuor montibus. 736
CAP. LXXI. — De quatuor vinculis Pharaonis et quatuor vestimentis noxiis. 736
CAP. LXXII. — De vestimentis contra noxias vestes. 736
CAP. LXXIII. — De duobus calcaribus. 737
CAP. LXXIV. — De dispositione domus quadruplicis. 737
CAP. LXXV. — De duabus tribubus sacerdotalibus. 738
CAP. LXXVI. — De quadrup. sacerdotum officio. 738
CAP. LXXVII. — De tribus panibus quibus alimur. 739
CAP. LXXVIII. — De tribus rivis e corpore Domini. 738

CAP. LXXIX. — De tribus piscinis Scripturæ. 739
CAP. LXXX. — De tribus fomentis ignis. 739
CAP. LXXXI. — De tribus contemplantium fenestris. 739
CAP. LXXXII. — De quatuor fontibus paradisi. 739
CAP. LXXXIII. — De tribus ostiis ad vitam. 739
CAP. LXXXIV. — De triplici vino in scypho Domini. 739
CAP. LXXXV. — De triplici sacerdotum veste. 739
CAP. LXXXVI. — De tribus religiosorum tunicis. 739
CAP. LXXXVII. — De sex alis Seraphim. 739
CAP. LXXXVIII. — De duobus soliis Domini. 740
CAP. LXXXIX. — De quatuor pennis animalium. 740
CAP. XC. — De sex alis animalium novæ legis. 740
CAP. XCI. — De duplici domo Dei. 740
CAP. XCII. — De duplici arca veteris legis. 740
CAP. XCIII. — De triplici cura in Scripturis. 740
CAP. XCIV. — De fluviis in quibus balneant peccatores. 740
CAP. XCV. — De fluviis in quibus lavantur justi. 740
CAP. XCVI. — De quatuor fidelium canticis. 740
CAP. XCVII. — De pedibus et equis quibus inniti debemus. 740
CAP. XCVIII. — De tribus speluncis in Scripturis. 741
CAP. XCIX. — De tribus cœlis ad quos rapimur. 741
CAP. C. — De sex civitatibus refugii. 741
CAP. CI. — De triplici paradiso. 741
CAP. CII. — De quatuor aliis montibus. 741
CAP. CIII. — De duobus nos ab instituto devocantibus. 741
CAP. CIV. — De quatuor nuditatis nostræ palliis 742
CAP. CV. — De tribus hostibus quibus trahimur. 742
CAP. CVI. — De quatuor latronibus rerum nostrarum. 742
CAP. CVII. — De tribus osculis. 742
CAP. CVIII. — De triplici in Scripturis virga. 742
CAP. CIX. — De cibo triplici Israelitarum. 742
CAP. CX. — De tribus liberatis et tribus sacerdotium assumptis. 742
CAP. CXI. — De gladio et arcu quibus Deus nos partem suam tulit de manu Amorrhæi. 742
CAP. CXII. — De circumcisionis mysterio. 743
CAP. CXIII. — De mystica aquarum divisione. 743
CAP. CXIV. — De desiderio unde spiritales carnalesve censendi sunt homines juxta benedictionem Jacob et Esau. 743
CAP. CXV. — De tabernaculis, atriis et domibus quid differunt. 743
CAP. CXVI. — Duo elementum esse ubera. 744
CAP. CXVII. — De pedibus, id est sensibus nostris lavandis. 744
CAP. CXVIII. — De duobus denariis erogandis. 744
CAP. CXIX. — De pastoribus omnium, de mercenariis et lupis. 744
CAP. CXX. — De quadruplici cruce et crucifixionis causa ac fine. 744
CAP. CXXI. — Mons Oliveti cur sit mons trium luminum dictus, et cur Trinitatem figuret, et de triplici lumine in nobis. 745
CAP. CXXII. — De januis tribus et ostiis disciplinæ adversario claudendis. 745
CAP. CXXIII. — De arantis allegorico officio. 746
CAP. CXXIV. — De triplici modo et fine faciendi. 746
CAP. CXXV. — Quod mors tripliciter est pretiosa. 746
CAP. CXXVI. — De iis quæ in fronte præferimus. 746
CAP. CXXVII. — De funiculis quibus trahimur. 746
CAP. CXXVIII. — De contemplativo ad activum comparato per palmam masculam et femellam. 746
CAP. CXXIX. — De culcitra, cervicali et coopertorio conscientiæ. 747
CAP. CXXX. — De diversitate eorum qui præsunt et eorum quibus præsunt. 747
CAP. CXXXI. — De prælatorum constantia et duritia. 748
CAP. CXXXII. — De triplici oleo, et de fide ac charitate. 749
CAP. CXXXIII. — De quadruplici siti restringenda per totidem flumina paradisi. 750
CAP. CXXXIV. — De iis quibus conservatur virtus. 750
CAP. CXXXV. — De triplici longanimitate. 751
CAP. CXXXVI. — De orationis multiplici modo. 751
CAP. CXXXVII. — De tribus bene faciendi gratiis. 752
CAP. CXXXVIII. — Qui plenus sit gratiæ et veritatis. 752

LIBER QUINTUS. — *Tractatuum moralium fragmenta*, etc.

CAP. I. — De reparatione hominum per duplicem Trinitatem divinarum personarum et virtutum theologicarum. 751
CAP. II. — In hypocrisi quæ sint mala. 753
CAP. III. — De triplici cognitione ex visione Dei. 753
CAP. IV. — De duodecim virtutum gradibus. 753
CAP. V. — De triplici bonorum conversione. 754
CAP. VI. — De tribus montibus in quos ascendit Dominus. 755
CAP. VII. — De duplici scandalo, et instrumento ejus. 755
CAP. VIII. — De duabus clavibus cœli. 755
CAP. IX. — De triplici statu fidelis animæ. 756
CAP. X. — De tribus animæ inimicis. 756
CAP. XI. — De tribus hominis patribus. 756
CAP. XII. — De quatuor ab anima superandis, et triplici ejus decoro. 756
CAP. XIII. — De tribus quæ insunt pœnitentiæ. 757
CAP. XIV. — De duplici oleo, Dei scilicet et mundi. 757
CAP. XV. — De pace et bello triplici. 757
CAP. XVI. — De tribus modis unum est. 757
CAP. XVII. — De triplici genere quærentium Deum et sapientiam. 758
CAP. XVIII. — De tribus ædificantibus super fundamentum fidei, et tribus superædificatis. 758
CAP. XIX. — De quatuor humilitatem conferentibus. 758
CAP. XX. — De triplici fratrum cohabitatione. 758
CAP. XXI. — De pastore, ove et lupo. 758
CAP. XXII. — De conscientia et fama. 759
CAP. XXIII. — De tribus exemplis Dei ad vitam, et tribus diaboli ad mortem 759
CAP. XXIV. — De cœli, terræ et inferni habitatoribus peculiaribus, et de tribus dantibus in singulis testimonium. 759
CAP. XXV. — De triplici labore hominis, et triplici ejus remedio. 760
CAP. XXVI. — De tribus panibus quibus reficiendus est superveniens amicus. 760
CAP. XXVII. — Quatuor modis orationem fieri. 760
CAP. XXVIII. — Duobus modis impediri orationem peccatoris ne exaudiatur. 760
CAP. XXIX. — De tribus vitiis per tres equos in Apocalypsi præsignatis, et de innocentia per equum album. 761
CAP. XXX. — De tribus dissolutionibus et tribus cinctoriis hominum. 761
CAP. XXXI. — De præconiis B. Joannis Baptistæ viro innovato et perseveranti applicandis. 762
CAP. XXXII. — Quomodo sobrie, pie et juste vivamus. 763
CAP. XXXIII. — De quatuor vocationibus et duabus electionibus 764
CAP. XXXIV. — Quomodo in electis suis thronum suum ponat Deus. 764
CAP. XXXV. — De tribus quæ sunt in matrimonio, et de triplici fornicatione, et ejus remedio. 764
CAP. XXXVI. — Quod persecutio fit tribus de causis et quatuor gladiis. 765
CAP. XXXVII. — Ad quæ docenda missi sunt Filius et Spiritus sanctus. 765
CAP. XXXVIII. — Quid sit Deum diligere ex toto corde ex tota anima, et quæ tria diverso gradu diligi possint. 766
CAP. XXXIX. — De fide quos et per quos salvet aut non salvet tam nunc quam olim. 766
CAP. XL. — De quadruplici pace claustrali. 766
CAP. XLI. — De castelli etymo morali. 767
CAP. XLII. — De filio prodigo et de panibus tribus illi ut amico de via venienti commodandis. 768
CAP. XLIII. — Quod quilibet similis B. Petro apostolo secundum etymon trium nominum ejus liberabitur de manu hostili. 769
CAP. XLIV. — De B. Mariæ semper virginis præconiis. 770
CAP. XLV. — De prælio per auxilium angelorum contra diabolos a nobis gerendo. 772
CAP. XLVI. — De misericordia et fide purgantibus peccata. 773
CAP. XLVII. — De inevitabili judicio Dei quam sit tremendum, nisi ad misericordiam confugerimus. 773
CAP. XLVIII. — De oculo lucerna corporis moraliter, id est de prælato. 774
CAP. XLIX. — De exitu Christi a Patre et reditu ad Patrem, et sapientiæ a corde et ad cor. 775
CAP. L. — De quatuor in electione apostolorum notandis. 775
CAP. LI. — De duplici nativitate 777

Cap. LII. — De tribus cœlis, terris et testimoniis in eis, iterum aliter. 778
Cap. LIII. — De tribus donis Dei in homine. 779
Cap. LIV. — De triplici forma mundi; et de triplici vetustate et ejus remediis. 779
Cap. LV. — De triplici proprietate lapidis et amoris et de bono et malo pastore. 780
Cap. LVI. — De optima parte eligenda. 781
Cap. LVII. — Quomodo succingi deceat ad viam, accingi ad prælium, et præcingi ad mensam, et de zona qua cingamur. 781
Cap. LVIII. — De surditate, morte et paupertate duplici. 784
Cap. LIX. — Cur ter dictum: « Pasce oves meas. » 785
Cap. LX. — De refectione spirituali, et de arbore paradisi et fermento veteri. 785
Cap. LXI. — De triplici transmigratione et nube. 788
Cap. LXII. — De tabula pœnitentiæ, de alis columbæ et corvi, labroque æneo quod fecit Moyses de speculis mulierum. 789
Cap. LXIII. — De contemnendo mundo et laqueis ejus. 790
Cap. LXIV. — De multiplici luctatione fidelium in hoc mundo. 792
Cap. LXV. — De multiplici ingressu Christi. 793
Cap. LXVI. — De verbo Dei misso in villam, castellum et civitatem, et quid differant. 794
Cap. LXVII. — De lumine vultus divini, de attributis Trinitati, et virtutibus animæ. 794
Cap. LXVIII. — De seminante in spiritu vel carne. 795
Cap. LXIX. — De duplici captura piscium. 795
Cap. LXX. — De lavandis et plicandis retibus. 795
Cap. LXXI. — De piscibus in verbo Domini capiendis. 795
Cap. LXXII. — De negotiatione claustralium. 795
Cap. LXXIII. — De tribus Christianæ perfectionis statibus. 796
Cap. LXXIV. — De quadruplici tristitia et gaudio. 797
Cap. LXXV. — De triplicis regni acquisitione. 797
Cap. LXXVI. — De triplici statu animæ, et de ratione pœnitentiæ faciendæ. 798
Cap. LXXVII. — Quæ ad orationis puritatem sint necessaria. 799
Cap. LXXVIII. — De suscitato a morte animæ. 799
Cap. LXXIX. — De quatuor voluntatibus animæ. 799
Cap. LXXX. — De quatuor quibus servimus. 800
Cap. LXXXI. — De titillationum carnis causis. 800
Cap. LXXXII. — Quomodo ascendendum de convalle et deserto, et quod triplex desertum. 800
Cap. LXXXIII. — De sagittis quibus utitur Deus. 801
Cap. LXXXIV. — De ebriantis vino. 801
Cap. LXXXV. — De gradibus bonæ condescensionis. 801
Cap. LXXXVI. — De quinque contra peccatum præliis. 801
Cap. LXXXVII. — De diversitate gradientium ad Deum. 801
Cap. LXXXVIII. — De triplici prælatorum timore. 802
Cap. LXXXIX. — De triplici sanctorum dolore. 802
Cap. XC. — Quæ sint in Christo montium monte. 802
Cap. XCI. — De variis portis. 802
Cap. XCII. — De tribus lucernis. 802
Cap. XCIII. — De modis quibus interrogat Deus. 802
Cap. XCIV. — De adversitati opponendis. 802
Cap. XCV. — De tribus postulandis ab electis. 802
Cap. XCVI. — De tribus frustra oblatis. 802
Cap. XCVII. — De tribus agendis Christiano. 803
Cap. XCVIII. — De Christi attributis. 803
Cap. XCIX. — De differentia surgendi, exsurgendi, resurgendi, assurgendi, etc. 803
Cap. C. — De conditionibus fumi in peccatore. 803
Cap. CI. — De funiculi significationibus. 803
Cap. CII. — De fide et fidei intelligentis. 803
Cap. CIII. — Bonum quadrupliciter dici. 804
Cap. CIV. — De differentia inter logicum et theologum, et de triplici intellectu. 804
Cap. CV. — De triplici similitudine. 804
Cap. CVI. — De triplici baptismate. 804
Cap. CVII. — De quadruplici mutatione. 805
Cap. CVIII. — De multiplici debito. 805
Cap. CIX. — De affectione exspectantis Deum. 805
Cap. CX. — De tribus nuptiis, et de variis verbis Dei. 805
Cap. CXI. — De tribus armis fidelium. 805
Cap. CXII. — De tribus prælato necessariis. 806
Cap. CXIII. — De tribus speciebus pœnitentiæ. 806
Cap. CXIV. — De tribus mirabiliter mutatis. 806
Cap. CXV. — De tribus impedientibus pœnitentiam. 806
Cap. CXVI. — De triplici ascensu Domini. 806
Cap. CXVII. — De regni cœlorum acquisitione. 806
Cap. CXVIII. — De instrumentis vindictæ Dominicæ. 806
Cap. CXIX. — De triplici lecto animæ. 806
Cap. CXX. — De duobus fluviis quibus se lavant peccatores, et quibus justi. 807
Cap. CXXI. — De quatuor herbis aut floribus in horto Domini crescentibus. 807
Cap. CXXII. — De tribus paradisis. 807
Cap. CXXIII. — De rerum nostrarum furibus. 807
Cap. CXXIV. — De tribus panibus. 807
Cap. CXXV. — De assumptione B. Mariæ, et ejus decem præconiis. 807
Cap. CXXVI. — De triplici gaudio. 808
Cap. CXXVII. — De exaltatione Dei in nobis per cor altum, latum et profundum. 808
Cap. CXXVIII. — De triplici promotione hominis. 809
Cap. CXXIX. — Esse ex Deo, a Deo et de Deo. 809
Cap. CXXX. — De pastoris boni officio. 810
LIBER SEXTUS. — *Adnotationes elucidatoriæ in Scripturam, tractatuum moralium fragmenta*, etc.
Cap. I. — De quadruplici potestate Christo data, et quadruplici statu creaturarum. 809
Cap. II. — De silentio animæ contemplativæ. 812
Cap. III. — De ubere maternæ affectionis. 812
Cap. IV. — Responsum a triplici spiritu accipi. 813
Cap. V. — De infirmo, causa morbi, medico et remedio morbi. 813
Cap. VI. — De triplici edicto, et de Moyse in fiscella clauso, per allegoriam ad Christum. 813
Cap. VII. — De vigiliis, somnis, quando et a quibus surgendum. 814
Cap. VIII. — De triplici jugo suavi et onere levi, obedientiæ et inobedientiæ. 815
Cap. IX. — De triplici divinæ gratiæ operatione. 815
Cap. X. — De equi boni conditionibus. 815
Cap. XI. — Qualis sit rector erga subditos. 816
Cap. XII. — De galli et prædicatoris consimili officio. 816
Cap. XIII. — De quatuor considerandis. 816
Cap. XIV. — De tribus supplicationibus, seu rogationibus principalibus. 817
Cap. XV. — Forma exordiendi sermonis. 819
Cap. XVI. — Ad pastores et prælatos sermo de officio pastorali. 819
Cap. XVII. — De verbi Dei efficacia. 820
Cap. XVIII. — De Pharisaicis sui admiratoribus, et hypocritis occultis detractoribus. 821
Cap. XIX. — De incremento seminis jacti in terram, id est fidei et cæterarum virtutum. 822
Cap. XX. — De hydriis vacuis et plenis. 823
Cap. XXI. — De pigro, de luctante et vincente. 823
Cap. XXII. — De nocte, cursu ac itineribus ejus. 823
Cap. XXIII. — De multiplici acceptione Eucharistiæ corporis Dominici. 824
Cap. XXIV. — De præparamentis ad Purificationem Mariæ digne celebrandam. 824
Cap. XXV. — De triplici descriptione ad conjugium, ad continentiam, et ad virginitatem. 825
Cap. XXVI. — De vocatione Lazari in sepulcro moraliter. 825
Cap. XXVII. — Quod multiplici ratione Maria dicatur virga, et Christus flos ejus. 826
Cap. XXVIII. — De matre et puero in Ægyptum profugis moraliter, et persecutione puerorum sanctorum Innocentium. 827
Cap. XXIX. — De sacramentorum diversitate. 830
Cap. XXX. — De saucio et vulneribus ejus; medico et medicamentis. 830
Cap. XXXI. — De duabus portis animæ vel bonis vel malis. 830
Cap. XXXII. — De quadruplici timore. 830
Cap. XXXIII. — De triplici vitio, triplici peccato, triplici remedio. 831
Cap. XXXIV. — De publicani justificatione. 836
Cap. XXXV. — De consilio impiorum in quatuor. 837
Cap. XXXVI. — De consilio piorum in quatuor. 837
Cap. XXXVII. — De tribus salutationum in Evangelio generibus. 837
Cap. XXXVIII. — De quatuor augentibus gratiam devotionis. 837
Cap. XXXIX. — De tribus quibus nos erudit Deus. 837
Cap. XL. — De tribus nobis prohibitis, et tribus licitis. 838
Cap. XLI. — Pœnitentiæ tria necessaria. 838

Cap. XLII. — De tribus in quibos obnoxii Deo sumus. 838
Cap. XLIII. — De triplici via ad mortem. 838
Cap. XLIV. — De triplici via arcta. 838
Cap. XLV. — De tribus in quibus Christum imitari debemus. 838
Cap. XLVI. — Quod impii quatuor modis dicuntur filii. 839
Cap. XLVII. — De tribulationis triplici bono. 839
Cap. XLVIII. — De triplici electorum exercitio. 839
Cap. XLIX. — De tribus in nobis principibus. 839
Cap. L. — De tribus calicibus a Domino propinatis. 839
Cap. LI. — De tribus vestimentis electorum. 839
Cap. LII. — De tribus puellis pervertentibus sensum. 839
Cap. LIII. — De quadruplici sacerdotum officio. 839
Cap. LIV. — De tribus generibus hominum quibus mare hujus sæculi pervium est. 839
Cap. LV. — De quintuplici obedientia. 841
Cap. LVI. — De triplici bono quod nobis indicat Propheta. 841
Cap. LVII. — De triplici animarum statu. 841
Cap. LVIII. — De triplici cœlestis verbi auditore. 842
Cap. LIX. — De triplici vita hominis 843
Cap. LX. — De tribus mansionibus hominum. 843
Cap. LXI. — De triplici virginitate. 843
Cap. LXII. — De tribus quæ desponsata recipit. 844
Cap. LXIII. — De tribus Christi gestatoribus. 844
Cap. LXIV. — Prædicatori tria necessaria. 845
Cap. LXV. — De tribus quibus luxuria nocet. 845
Cap. LXVI. — De tribus in quibus confessio. 845
Cap. LXVII. — De tribus in quibus contritio. 845
Cap. LXVIII. — De tribus silentiis ante gratiam. 845
Cap. LXIX. — De tribus silentiis aliis 845
Cap. LXX. — De quatuor vigiliis vitæ nostræ. 846
Cap. LXXI. — De triplici odore vitæ. 846
Cap. LXXII. — De tribus gradibus superbiæ et humilitatis. 846
Cap. LXXIII. — De tribus cinctoriis. 847
Cap. LXXIV. — De tribus castris. 847
Cap. LXXV. — De duplici compunctione. 847
Cap. LXXVI. — De triplici hominis acceptione. 848
Cap. LXXVII. — De triplici somni acceptione. 848
Cap. LXXVIII. — De duplici respectu Dei. 848
Cap. LXXIX. — De quatuor modis peccandi. 848
Cap. LXXX. — De triplici adventu Dei. 849
Cap. LXXXI. — De anima cur Christi sit sponsa. 849
Cap. LXXXII. — De quinquepartito gulæ vitio. 850
Cap. LXXXIII. — De tribus sacerdotum vitiis. 850
Cap. LXXXIV. — De tribus in quibus consistit salus. 851
Cap. LXXXV. — De triplici damno ferendo. 851
Cap. LXXXVI. — De triplici adventu Domini. 852
Cap. LXXXVII. — De via carnis et spiritus. 852
Cap. LXXXVIII. — Sapientiam quinque modis concupisci. 852
Cap. LXXXIX. — De tribus cognationibus. 853
Cap. XC. — De tribus inobedientiæ comitibus et tribus obedientiæ bonis. 853
Cap. XCI. — De tribus in cruce animadvertendis. 853
Cap. XCII. — De tribus imitatori Christi agendis. 853
Cap. XCIII. — De tribus psciuis, diaboli, mundi et Dei, et earum porticibus. 853
Cap. XCIV. — De triplici materia gaudii animæ. 854
Cap. XCV. — De tribus florum et animarum dotibus. 855
Cap. XCVI. — De ingressu verbi Dei. 855
Cap. XCVII. — De tribus donis corpori humano et totidem spiritui in conditione collatis. 856
Cap. XCVIII. — De tribus in redemptione hominis ipsum ad dilectionem Dei incitantibus. 856
Cap. XCIX. — De quadruplici dilectione. 856
Cap. C. — De septem gradibus confessionis. 856
Cap. CI. — Quod *hodie* tripliciter dicatur. 858
Cap. CII. — De triplici hominum statu, et triplici oblatione eidem facienda. 858
Cap. CIII. — De tribus testimonium perhibentibus in cœlo, et totidem in terra, et totidem in inferno. 858
Cap. CIV. — Quomodo S. Spiritus arguat mundum. 859
Cap. CV. — De nomine Christiano. 859
Cap. CVI. — De septem gradibus humilitatis. 859
Cap. CVII. — De armis virtutis et nequitiæ. 859
Cap. CVIII. — De tribus pœnitentiæ necessariis. 859
Cap. CIX. — Quæ tria habeat humilitas. 859
Cap. CX. — De inæqualitate gradientium ad Deum. 859
Cap. CXI. — De tribus quæ electos manent. 860
Cap. CXII. — De triplici electorum desiderio. 860
Cap. CXIII. — De triplici prælatorum timore. 860
Cap. CXIV. — De tribus vitulis Domino immolandis. 860
Cap. CXV. — De quadruplici pressura hominis. 860
Cap. CXVI. — De fumo, igne, et caligine respectu Dei. 860
Cap. CXVII. — Quomodo Deus ambulet, volet, et nobiscum habitet. 860
Cap. CXVIII. — De portis mundi, inferni, cœli. 861
Cap. CXIX. — De quadruplici retributione. 861
Cap. CXX. — De tribus lucernis. 861
Cap. CXXI. — De triplici semine. 861
Cap. CXXII. — Quod sapientia Dei est ut perdix, gallina, et aquila erga pullos, id est auditores. 861
Cap. CXXIII. — De triplici veste bonorum. 861
Cap. CXXIV. — De veste Esau et pelliculis hædorum. 861
Cap. CXXV. — De tribus ad puritatem necessariis. 861
Cap. CXXVI. — De tribus bonis quæ confert puritas. 861
Cap. CXXVII. — Reprobi fumus, pulvis, cera. 861
Cap. CXXVIII. — De portis triplicibus. 862
Cap. CXXIX. — Religiosi in tribus obnoxii Deo. 862
Cap. CXXX. — Tribus modis nos interrogat Deus. 862
Cap. CXXXI. — De tribus bonis tribulationis. 862
Cap. CXXXII. — De tribus adversitati opponendis. 862
Cap. CXXXIII. — De triplici exercitatione electorum. 862
Cap. CXXXIV. — De tribus mirabilibus in Maria. 862
Cap. CXXXV. — De bonis fecunditatis Mariæ. 862
Cap. CXXXVI. — De tribus quæ præstolantur electi, et de tribus quæ sentiant reprobi. 862
Cap. CXXXVII. — Quod quadruplices sint exspectantes Deum, et quid ab eo sperent. 863
Cap. CXXXVIII. — De tribus nuptiis spiritualibus. 863
Cap. CXXXIX. — De ternis fidelium armis. 863
Cap. CXL. — De tribus prælato necessariis. 863
Cap. CXLI. — De pœnitentiæ speciebus et partibus. 863
Cap. CXLII. — De triplici mutatione. 863
Cap. CXLIII. — De triplici impiorum refugio. 863
Cap. CXLIV. — De quinque torrentibus. 863
Cap. CXLV. — De quadruplici deserto. 864
Cap. CXLVI. — De quadruplici curru. 864
Cap. CXLVII. — De triplici ascensu Domini. 864
Cap. CXLVIII. — De acquisitione regni cœlorum. 864
Cap. CXLIX. — De iis quæ pretiosam faciunt mortem. 864
Cap. CL. — De quadruplici visitatione Dei. 864
Cap. CLI. — De quatuor virginibus ducendis. 864
Cap. CLII. — De tribus candelabris. 865
Cap. CLIII. — De tribus spem roborantibus. 865
Cap. CLIV. — De tribus munitionibus animæ. 865
Cap. CLV. — De tribus quibus Deus vincit hostes. 865
Cap. CLVI. — De triplici lecto animæ. 865
Cap. CLVII. — De tribus vitriniis. 865
Cap. CLVIII. — De septem lampadibus mentis. 865
Cap. CLIX. — De triplici edulio apposito. 865
Cap. CLX. — De triplici horto animarum. 866
Cap. CLXI. — De tribus mensis appositis. 866
Cap. CLXII. — De tribus thesauris faciendis. 866
Cap. CLXIII. — De quatuor differentiis panum. 866
Cap. CLXIV. — De voto tribus altaribus imponendo. 866
Cap. CLXV. — De tribus puellis sensum nostrum evertentibus. 866
LIBER SEPTIMUS. — *De diversis*.
Cap. I. — De ecclesiarum spirituali ornatu. 867
Cap. II. — De ædificatione templi morali ex ligno, auro et lapide. 867
Cap. III. — De templo Salomonis allegorice. 868
Cap. IV. — De eodem. 869
Cap. V. — De eodem. 870
Cap. VI. — De eodem. 870
Cap. VII. — De eodem. 872
Cap. VIII. — De eodem. 872
Cap. IX. — De cereo et quæ in eo sunt mystice. 873
Cap. X. — De horis canonicis in quibus fit Dominicæ passionis commemoratio. Et primo de hora prima. 873
Cap. XI. — De hora tertia canonica. 873
Cap. XII. — De hora nona canonica. 873
Cap. XIII. — De vespertina et matutina. 873
Cap. XIV. — De hora completorii. 874
Cap. XV. — De vigiliis nocturnis canonicis. 874
Cap. XVI. — De oratione ante lectiones. 874
Cap. XVII. — De benedictione ab lecturo ante lectionem petenda. 875
Cap. XVIII. — De campanarum significatione. 875
Cap. XIX. — De Dominicis Adventus et earum officiis. 875
Cap. XX. — De Dominicæ I Adventus officio. 876
Cap. XXI. — De Dominicæ II Adventus officio. 876
Cap. XXII. — De duabus missis in nocte Natalis Domini et de una in die. 877
Cap. XXIII. — Quod *Alleluia* in Septuagesima non cantetur, et quare. 877
Cap. XXIV. — De Sept. ratione et paschali lætitia. 878
Cap. XXV. — De Sexagesimæ officio. 878
Cap. XXVI. — De Quinquagesimæ officio. 879

CAP. XXVII. — De Quadragesimæ officio. 880
CAP. XXVIII. — De die cinerum in Capite jejunii. 880
CAP. XXIX. — De pœnitentia incipienda eadem die. 881
CAP. XXX. — De secundæ dominicæ officio vacante. 881
CAP. XXXI. — De Dominica tertia quadragesimæ. 881
CAP. XXXII. — De Dominica *Lætare*, quæ est IV. 882
CAP. XXXIII. — De Dominica in Passione. 883
CAP. XXXIV. — De Sabbato in ramis Palmarum. 883
CAP. XXXV. — De Dominica in ramis Palmarum. 884
CAP. XXXVI. — De feria tertia et quarta post ramos Palmarum. 885
CAP. XXXVII. — De officio in Cœna Domini, et de chrismate tunc instituto. 886
CAP. XXXVIII. — De mysterio in lotione pedum. 888
CAP. XXXIX. — De duplici mandato perficiendo. 888
CAP. XL. — De officio trium noctium videlicet in cœna Domini, in Parasceve, et sabbato sequenti. 889
CAP. XLI. — De ignis exstincti mystica recuperatione per dictum tempus. 889
CAP. XLII. — De incrementis tristitiæ Ecclesiæ, imminente Domini passione. 890
CAP. XLIII. — De Parasceve quare sit dolore potius quam gaudio celebranda; et de pœnitentia tunc agenda, et de Passione secundum Joannem. 890
CAP. XLIV. — De gustato vino felle misto. 891
CAP. XLV. — De chlamide purpurea seu coccinea. 892
CAP. XLVI. — De arundine Christo in manum data. 892
CAP. XLVII. — De spinea corona et colaphis, et quare Domini non franguntur crura et de sanguine et aqua de latere ejus profluentibus. 892
CAP. XLVIII. — De precibus quæ tunc pro omnibus fiunt. 892
CAP. XLIX. — De triplici aqua, quæ in Christo profluxit lacrymante, sudante et jam mortuo. 893
CAP. L. — De triplici dedicatione templi. 893
CAP. LI. — De quinque in quibus consistit templi dedicatio moraliter explicatis. 894
CAP. LII. — De lotione pedum in cœna. 894
CAP. LIII. —De purificatione triplici, et sex hydriis. 895
CAP. LIV. — De quadruplici purificatione per Christum instituta in die Purificationis. 896
CAP. LV. — De tribus tabernaculis, de quibus Petrus : *Faciamus hic tria tabernacula.* 896
CAP. LVI. — De passionis Dominicæ voluntarie susceptæ et crucis sublimitate et fructu. 897
CAP. LVII. — De sindone munda et corona spinea in passione Dominica 897
CAP. LVIII. — De obedientia, patientia, et perseverantia in passione Christi designatis. 897
CAP. LIX. — De triplici voluntate signanda in tristitia Christi. 898
CAP. LX. — Quare Prophetiæ et Epistolæ in officio divino dispari voce terminentur. 898
CAP. LXI. — De tribus quæ Dominum mori pro nobis voluntaria quadam coactione compulerunt. 898
CAP. LXII. — De quadruplici traditione Christi. 898
CAP. LXIII. —De triplici effusione sanguinis Christi. 898
CAP. LXIV. — De varia Christi apparitione variis facta et locis et modis, et de nostra apparitione. 899

APPENDIX AD HUGONIS OPERA MYSTICA. — SERMONES CENTUM.

Præfatio, 899. — Sermo I. In dedicatione Ecclesiæ historice, 901. — II. In dedicatione Ecclesiæ tropologice, 903. — III. In dedicatione Ecclesiæ anagogice, 905. — IV. In Nativitate B. Mariæ, 907. — V. In Adventu Domini, 911. — VI. In festo cujuslibet sancti, 913. — VII. In festo Apostolorum, 914. — VIII. In festivitate cujuslibet sancti, 916. — IX. In festivitate B. Virginis, sed magis in desponsatione cujuslibet animæ fidelis, 918. — X. De timore Dei, 920. — XI. De spirituali sanitate, 922. — XII. De spiritualibus montibus et arboribus Israel, 924. — XIII. In anno novo, 926. — XIV. In synodo, aut in festo confessorum sacerdotum, 927. — XV. De vinea Dominica, 929. — XVI. In festo martyrum; de spirituali agricultura, 930. — XVII. In Epiphania Domini, 931.—XVIII In Annuntiatione Dominica, 933. — XIX. In uno quovis confessore, 934. — XX. De qualibet fideli anima, 936.— XXI. De membris humanis, 937. — XXII. De populo et terra Domini, 938. — XXIII. Ad sacerdotes in synodo, 941. — XXIV. In Nativitate Domini, 946. — XXV. In festivitate cujuslibet sancti et præcipue Augustini, 949. — XXVI. De antiquo Judæorum populo, et hodiernis justis, 951. — XXVII. In festivitate paschali et corporis Christi, 956. — XXVIII. In festo omnium sanctorum, 960. — XXIX. De homine a legione possesso, 964. — XXX. In festivitate unius confessoris, 966. — XXXI. De tabernaculis filiorum Israel, 968. — XXXII. De apostolis, vel aliis prædicatoribus, 971. — XXXIII. In Annuntiatione Dominica, 975. — XXXIV. In Nativitate, vel Assumptione B. Mariæ, 979. — XXXV. De quolibet confessore episcopo, aut aliquo populi rectore, et de ejus officio ac doctrina illi necessaria, 981. — XXXVI. In Epiphania Domini, 988. — XXXVII. De sacrificiis, et holocaustis et oblationibus, et eorum differentiis, 991. — XXXVIII. De Babylone, id est sæculari conversatione per septem crimina fugienda, 994. — XXXIX. De civitate sancta Jerusalem tropologice, 999.—XL. De custodibus Jerusalem civitatis sanctæ, 1003.—XLI. In Purificatione B. Mariæ, de purificatione mentis, 1006. — XLII. In eadem festivitate, de purificatione Ecclesiæ, 1009. — XLIII. In Septuagesima aut alio pœnitentiæ tempore, de plantandis in nobis virtutum seminariis et ejiciendis vitiorum radicibus, sumpta parabola de paradisi deliciis, 1012.—XLIV. In medio Quadragesimæ, de Jerusalem pro sancta Ecclesia per allegoriam sumpta, 1015. — XLV. De cella vinaria per allegoriam accepta pro Ecclesia, 1019.— XLVI. In Assumptione beatæ Mariæ, 1024. — XLVII. In Assumptione B. Mariæ semper virginis, 1026. — XLVIII. In Natali Domini, 1029. — XLIX. In Circumcisione Domini, 1034. — L. De quibuslibet apostolis, 1039. — LI. In Septuagesima, 1043. — LII. Item in Septuagesima, 1046. — LIII. De confessione facienda et votis reddendis, 1049. — LIV. In Quadragesima, 1057. — LV. In festo B. Mariæ. 1060. — LVI. De anima obediente, 1065.—LVII. De quolibet prælato, vel doctore, 1069. — LVIII. Quod significent necessaria vitæ humanæ, 1073. — LIX. De Absalon significante Judæos, et de David significante Christum, hoc est de his quæ passus est Christus, 1077. — LX. De omnibus sanctis, 1082. — LXI. De operibus sex dierum, 1087.—LXII. De arca Noe, 1089. — LXIII. De Gedeone in Nativitate Domini. 1092.— LXIV. De apostolis Petro et Paulo, 1098. — LXV. In nativitate B. Mariæ, 1102. — —LXVI. De Deo laudando, in festo cujuslibet sancti, 1105. — LXVII. De quatuor regum adversus quinque reges pugnantium allegoria, 1108. — LXVIII. De [illegible] terris diversarum rerum plenis moraliter, 1110.—LXIX. In Ascensione Domini de laudando Deo per omnem creaturam, 1114. — LXX. In die Pentecostes, 1119. — LXXI. De apostolis et aliis prædicatoribus, 1123. — LXXII. In anno novo, vel in festo S. Joannis Baptistæ, 1126. — LXXIII. In festo sancti Joannis Baptistæ, 1131.—LXXIV. In festo ejusdem, 1134. — LXXV. De Balaam et filiis Israel in festo quorumlibet sanctorum, 1136. — LXXVI. Ex verbis ejusdem Balaam in festo quorumlibet sanctorum, 1139. — LXXVII. In festo quorumlibet sanctorum de ejusdem Balaam verbis, 1142. — LXXVIII. In festo quorumlibet sanctorum de tertia benedictione Balaam, 1146. — LXXIX. In festo quorumlibet sanctorum. De eadem tertia benedictione, 1149.—LXXX. De eadem historia et benedictione Balaam, 1153. — LXXXI. In festo S. Gregorii de candelabro, de quo Exod. XXV, 1156. — LXXXII. In festo omnium sanctorum, 1160. —LXXXIII. In festo omnium sanctorum, 1163.—LXXXIV. In festo S. Augustini. De perfectione et gaudiis Ecclesiæ militantis et triumphantis, 1166.—LXXXV. In festo S. Michaelis primus, 1169. — LXXXVI. In festo ejusdem secundus, 1172. — LXXXVII. In festo ejusdem tertius, 1175. — LXXXVIII. De mandato dilectionis, 1177. — LXXXIX. In prima Dominica Quadragesimæ, 1179. — XC. In purificatione B. Mariæ, 1181. — XCI. De spirituali Christi convivio primus, 1183. — XCII. De eodem secundus, 1186 — — XCIII. De eodem tertius, 1188. — XCIV. In die sancto Paschæ, 1191. — XCV. De mensa propositionis ex libro Exodi, ad laudem sacræ Scripturæ, 1193. — XCVI. De quolibet sancto, 1196. — XCVII. In festo S. Joannis Baptistæ, 1199. — XCVIII. In Ascensione Domini, 1200. — XCIX. In festo S. Augustini, 1203. — C. In festo sanctæ crucis, 1205. — SERMO DE ASSUMPTIONE B. VIRGINIS, 1207.
INDEX RERUM ANALYTICUS. 1223

FINIS TOMI CENTESIMI SEPTUAGESIMI SEPTIMI.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.